BIBLIOTECA
DE
AUTORES CRISTIANOS

Declarada de interés nacional

EBITA AUSPICIIS ET INSPIRATIONE PONTIFICIAE UNIVERSITATIS SALMANTICENSIS

CUIUS DELEGATIO AI'UII II. A. C. IN HOC SALUTIS MILLESIMO NONGENTESIMO QUINQUAGESIMO QUINIO ANNO, SIC EST CONST IT I"T.\ :

PRAESES :

Excnius. et Revmus. Dom. Dr. Fr. Franciscus Barbado Viejo, O. *P., Episcopus Salmanticcnsis, Magnusque Pontificiae Universitatis Cancellarius*

vtcepraeses: jimus. Dom. Dr. Laurentius Turrado, *Rector Magnificus*

vocales: p p pr- agapitus Sobradii.i.o, O. F. M C., *Decanus Facultatis Theologiae;* R. P. Dr. Marcellinus Cabreros, C. M. F., *Decanus Facultatis luris;* Doni. Dr. Bernardus Rincôn, *Decanus Facultatis Philosophiae;* R. P. Dr. Josephus Jimenez, *Decanus Facultatis Humanitatum Classicarum;* R. P. Dr. Albertus Colunga, O. P., *Cathedraliciis Scripturarum. Sacrarum;* R. P. Dr. Bernardinus Llorca, S. I., *Cathedraticus Historiae Ecclesiasticae*

scriba sive secretarius: Dom. Dr. Aloysius Sala Balûst, *Professor*

LA EDITORIAL CATOLICA. S. A.

MATR1TI - MCMLV

..... I·'

PATRES SOCIETATIS IESU
FACULTATUM THEOLOGICARUM
IN HISPANIA PROFESSORES

Sacrae Theologiae Summa

luxta Constitutionem Apostolicam

"Deus scientiarum Dominus"

I

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS

Sacrae Theologiae Summa

INTEGRUM OPUS QUATUOR VOLUMINIBUS CONSTAT :

Vol. I. Introductio in Theologiam. De vera religione. De Ecclesia Christi. De sacra Scriptura.

Vol. IL De Deo uno et trino. De Deo creante et elevante.

Vol. III. De Verbo incarnato. Mariologia. De gratia. De virtutibus infusis.

Vol. IV. De sacramentis. De novissimis.

Sacrae Theologiae Summa

I

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS

Introductio in Theologiam. De revelatione christiana. De Ecclesia Christi. De S. Scriptura.

AXTCTORIBUS

P. MICHAELE NICOLAU, S.I.

IN FAC. THEOLOGICA GRANATENSI PROFESSORE

P. IOACH1M SALAVERR.I, S.I.

IN FAC. THEOLOGICA PONT. UNIVERSITATIS COMILLENSIS PROFESSORE

3. · Hn*ITIo*

BIBLIOTECA DE AUTORES CRISTIANOS

MATKITI . MCMLV

NIHIL OBSTAT:
Dr. Vincentius Serrano,
Censor.

IMPRIMI POTEST:
Emmanvf.i. Ou-F.ros, S. I.
' Praep. Prov. Tolet.

IMPRIMATVR:
t Iosf.i'hvs Marta,
E'/>. *aux. ct Vic. -ffral.*
Matriti, 27 augusti 1055.

La Editorial Catôlica, S. A.—Alfonso XI, 4. Madrid

Dal Vaticano, It 24 Aprilis 1954

w Sua Santita

N. 320544

Rev Domine,

Quae volumina, "Sacrae Theologiae Summa" Inscripta, Augusto Pontifici dono recens misisti, tuo ceterorumque huius operis auctorum nomine, non una de causa a Sanctitate Sua libenter sunt excepta.

In primis siquidem Beatissimus Pater magni pependit alacritatem vestram in illis pertractandis disciplinis, in quibus innitatur oportet recta aptaque sacerdotii candidatorum Institutio et conformatio. Ac praeterea non sine peculiari animi oblectamento Ipse animadvertit, vos in hoc condendo opero, non minus eruditionis copia quam eloquii perspicuitate praestanti, eo praesertim contendisse, ut pontificia documenta, recentiora potissimum, in sua luce ponerentur, eorumque ductu ad lustam ducerentur trutinam rationes omnes quas, ad sacrae Theologiae studia quod attinet, nostra induxit aetas.

Fore igitur omnino confidit Sanctitas Sua ut olerici, hoc sacrae Theologiae pabulo a vobis praebito innutriti, "solidam illam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam" (Codex Juris Canonici, can.129).

Quamobrera ad hoc iter, quod miistia, persequendum paterno vos adhortatus animo, Romanus Pontifex et de munere grates agit, et caelestium munerum auspicem Apostollcam vobis vestriaque alumnis Benedictionem peramanter in Domino impertit.

Interea qua par est observantia me profiteor

tibi
addictissimum

ReV.mo Patri
P. Joachim Salaverri, S,J,
In Facultate Theologica studiorum
Universitatis Commillensls Professore

INDEX GENERALIS

Pag.

Praefatio 3
Notae theologicae adhibitae 7
Sigla et breviationes 9

TRACTATUS I

Introductio in Theologiam

Caput I.—Introductio generalis in Theologiam 15

De natura Theologiae (n.1-2).—Theologia et fides (n.3-6).—Theologia positiva et Theologia scholastica sive speculativa (n.7-10).—De subiecto Theologiae (n.i 1).—De locis theologicis (n.12-17).—Theologia dogmatica sive theoretica, et Theologia practica (n. 18).—Theologia kerygmatica (n. 19).—Theologia et progressus (n.20-21).—De methodo discendi (n.22-25).—Theologia et vita sacerdotalis (n.26-31).

Bibliographia generalis pro universa Theologia 29

1) Pro historia generali Theologiae (n.33).—2) Tractationes de universa ferme Theologiae (n.34-35).—3) Subsidia generalia laboris theologici (n.36).—4) Lexica (n.37).

Caput II.—Prolegomena Theologiae fundamentalis 34

De natura Theologiae fundamentalis (n.38-40).- Obiectum Apologeticae (n.41-44).—Veritates praesupponendae (n.45). Status initialis mentis (n.46).—Certitudo obtinenda (n.47).—Apologetica practica (n.48-49).—Utilitas Apologeticae (n. 50-51).—Relationes inter Theologiam et Apologeticam (n.52-55).—Conclusio (n.56).—Alius tractatus Theologiae fundamentalis (n.57).—Proportio inter Theologiam fundamentalem et Criteriologiam et Ontologiam (n.58).—Duae viae apologeticae (n.59-60).—Conspectus totius Theologiae (n.61).

Pag.

Bibliographia generalis pro universa Apologetica..... 48
Schema historicum Apologeticae..... 50

TRACTATUS II

De revelatione Christiana sive de vera religione

Peculiaris bibliographia in hunc tractatum..... 63

LIBER I.—Theoria religionis et revelationis..... 64

Caput I.—De religione..... 64

Articulus I.—De notione et *de natura religionis*..... 64

Via etymologica (n.3-4), via philosophica (n.5-11), via historica (n.12-18), via psychologica (n.19).—Falsae sententiae de natura religionis (n.20-23).

Articulus II.—De *obligatione religionis in genere*..... 76

De necessitate religionis (n.24).—Homo habet obligationem gravem amplectendi et exercendi religionem (n.25-27).—De obligatione cultus externi et cultus publici vel socialis (n.28-31).

Scholia. 1. In accidentalibus cultus religiosus indolem nationalem saepe exhibet.—2. Religio et felicitas hominis..... 79

Articulus III.—De *obligatione religionis positivae*..... 80

Thesis 1. Homo tenetur inquirere in religionem positivam quae cum veri specie se offert a Deo manifestatam et ipsi praescriptam..... 80

Scholia. 1. Cur hic non valet probabilismum applicare. 2. Quinam debent inquirere..... 85

Caput II.—De revelatione..... 86

Articulus I.—De notione *revelationis*..... 87

Notio revelationis (n.45-49).—Declaratio conceptus supernaturalis (n.50-51).—Revelatio supernaturalis (n.52-58).—Falsae notiones de revelatione (n.59-61).

Articulus II. *De possibilitate et convenientia revelationis*..... 97

Thesis 2. Revelatio divina supernaturalis, sive immediata (I) sive mediata (II) est possibilis..... 97

Thesis 3. Revelatio divina est tam bonitati et sapientiae divi-

Pag.

nae (I) quam naturae rationali hominis maxime conveniens (II); homini autem utilissima (III)..... 104

Articulus III.—*De necessitate revelationis*..... 108

Thesis 4. Revelatio divina supematuralis est in praesenti generis humani conditione moraliter necessaria ad congruam religionis naturalis cognitionem..... io8
Scholion. Concordantia inter necessitatem moralem revelationis et alias veritates..... 118

Articulus IV.—*De revelatione mysteriorum*..... *120*

Thesis 5. Nequit ostendi mysteriorum exsistentia repugnare.. 120
Scholion. Utrum positive demonstretur argumentis philosophicis exsistentia ordinis mysteriorum..... 126

Thesis 6. Nequit ostendi mysteriorum revelatio repugnare. .. 128
Scholia. 1. Revelatio mysteriorum videtur supematuralis simpliciter.—2. Utrum probationes factae de possibilitate revelationis sint positivae an negativae..... 131

Thesis 7. In revelatione divina vera et proprie dicta mysteria continentur..... 132

Articulus V.—*De propositionefacti revelationis antefidem*..... 134

Thesis 8. Ad amplectendam fide aliquam revelationem (seu religionem in ea fundatam) praerequiritur certitudo de facto revelationis (I); sufficit vero certitudo moralis, etiam vulgaris (II)..... 34
Scholia. 1. Necessaria certitudo de facto quo Deus praescripsit homini religionem.—2. Circa obiectum certitudinis ante fidem requisitae..... 138

Thesis 9. Certitudo respective sufficit interdum ad verum assensum fidei eliciendum..... 141

Articulus VI.—*Criteriologia revelationis*..... 143

Pars negativa..... 144
Thesis 10. Ad probandum factum historicum revelationis publicae criteria subiectiva et interna non sunt primaria.... 144

Pars positiva..... 155
Thesis i1. Critérium primarium ad factum revelationis probandum in miraculis et vaticiniis reponendum est..... 156
Scholion. De criterio revelationis immediatae: est etiam miraculum..... 157

Pars complementaria..... *158*
Thesis 12. Criteria subiectiva et interna suum habent momentum et utilitatem..... 158
Corollarium. Praxis apologetica..... 160

Articulus VII.—*De criteriis primariis*..... *160*

Pag.

A) *De miraculis*..... 160

Thesis 13. Miracula sunt possibilia..... 160
Thesis 14. Miracula ut critérium revelationis sunt cognoscibilia..... 169

B) *De prophetiis*..... 175

Thesis 15. Prophetiae sunt possibiles (I), et post impletionem cognoscibiles ut critérium revelationis (II)..... 175

Scholion. Utrum per se requiratur illustratio interna supernaturalis ad factum revelationis certo cognoscendum..... 180

LIBER II.—De fontibus historicis ad probandum factum revelationis..... 184

Nexus tractationis (n. 186-187).—Relatio libri ad Introductionem biblicam (n.188-189).—Divisio libri (n.190-192).—Bibliographia generalis (n. 193-194).—Momentum Introductionis biblicae (n.195).

Caput I.—De textu Veteris Testamenti..... 188

Articulus I.—*De textu hebraico V.T.*..... 188

Articulus II.—*Versiones graecae V.T.*..... 191

Articulus III.—*De versione Vulgata V.T.*..... 193

Articulus IV.—*De authentic librorum V.T.*..... 197

Caput II.—De textu Novi Testamenti..... 201

Articulus I.—*De textu et manuscriptis N.T.*..... 201

Articulus II.—*De versionibus N.T.*..... 203

Versiones Syriacae (n.226), versiones latinae (n.227), Vulgata (n.228), aliae versiones (n.229). De citationibus Patrum (n.230).

Articulus III.—*Historia* textus N.T..... 207

De recensionibus textus (n.231-234).—Historia textus (n.235-236).—De editionibus textus N.T. (n.237-242).

Normae rationales pro critica textuali..... 211

Caput III.—De historicitate Evangeliorum et Actuum Apostolorum..... 212

Articulus I.—*Praeviae notiones et conspectus adversariorum*..... 212

Articulus II.—*De auctoribus Evangeliorum et Actuum*..... 217

Thesis 16. Auctor primi Evangelii est Matthaeus, Christi Apostolus..... 217

Pag.

Thesis 17. Auctor secundi Evangelii est Marcus. Petri discipulus et interpres..... – 229
Thesis 18. Auctor tertii Evangelii est Lucas medicus, Pauli auditor et comes..... 235
Thesis 19. Lucas evangelists est auctor libri Actuum Apostolorum 240
Thesis 20. loannes Apostolus, et non alius, quarti Evangelii auctor est agnoscendus..... 245

Articulus III.—*De integritate Evangeliorum et Actuum*..... 255

Thesis 21. Evangelia et Actus Apostolorum integra et incorrupta, saltem substantialiter, ad nos usque pervenerunt.... 255

Articulus IV.—*De historicitate Evangeliorum et Actuum*..... 261

Thesis 22. Evangelia synoptica plenam sibi fidem historicam iure vindicant..... 261
Scholion. Quaestio synoptica..... 268
Thesis 23. Liber Actuum Apostolorum est fide historica dignus..... 272
Thesis 24. Quartum Evangelium plena historicitate gaudet.. . 274

LIBER III.·—De facto revelationis christianae comprobando sive de lesu legato divino..... 281

Caput I.—De exsistentia historica lesu Nazareni..... 282

Thesis 25. Exsistentia historica lesu Nazareni, quae ĕonsta invicte ex evangeliis et ex facto religionis christianae (I), probatur etiam ex epistolis Sancti Pauli (II) et ex auctoribus profanis (III)..... 282
Scholion. Utrum scripta Christiana extracanonica demonstrent efficaciter nova probatione exsistentiam lesu historicam..... 288

('aput 11. De testimonio quod lesus dedit de se Ipse..... 293

Articulus *I.—De affirmatione messianica lesu*..... 293

Thesis 26. lesus Nazarenus testatus est se esse Messiam..... 293
Scholion. Nomen «Filii hominis» indicat etiam Messiae divinitatem..... 299
Thesis 27. lesus Nazarenus iam ab initio vitae suae publicae noverat et affirmavit se esse Messiam..... 300
Scholion. lesus voluit agnosci Messias in sensu prophetarum V.T..... 303

Articulus II.—*De affirmatione legationis doctrinalis lesu*..... 306

Thesis 28. lesus testatus est se esse Legatum divinum, Magistrum religiosum..... 306

Pag.

Thesis 29. Iesus voluit ut omnes homines obligatorie et sub discrimine salutis acceptarent suam doctrinam..... 310

Articulus III.—*De affirmatione propriae divinitatis facta a Iesu*..... 312

Thesis 30. Iesus affirmavit se esse Filium Dei sensu naturali et proprio..... 312

Caput III. De probatione testimonii quod Iesus dedit de se Ipse. 323

Articulus I.—De *ipsa indole personali Iesu consideranda*..... 323

Thesis 31. Iesus in suo testimonio affirmando nec deceptor fuit (I), nec deceptus (II); immo eius sanctitas est miraculum moralem confirmans (III)..... 324
Scholion. De charactere Iesu..... 330

Articulus II.—De operibus *a Iesu patratis*..... 336

Thesis 32. Iesus divinum suum testimonium multis miraculis physicis egregie comprobavit..... 336
Scholion. De falsis miraculis quae feruntur et de miraculis falsarum religionum..... 343
Scholion. De fine miraculorum Iesu..... 349
Thesis 33. Iesus divinum suum testimonium multis prophetiis impletis comprobavit..... 354
Scholia, i. De vaticiniis nondum impletis.—2. Alia miracula intellectualia..... 367
Corollarium. De sorte populi iudaici ut argumentum apologeticum..... 369
Thesis 34. Iesus, post praedictam suam resurrectionem (I), vere moriendo (II) et resurgendo (III) splendida probatione testimonium suum divinum confirmavit..... 371

Articulus III.—De *vaticiniis in Iesum editis*..... *391*

Thesis 35. Vaticinia V.T. impleta probant divinam legationem et testimonium Iesu Nazareni..... 392

Caput IV. De aliis criteriis pro testimonio Iesu comprobando. . 429

Articulus I.—*De doctrina Iesu Nazareni*..... 43°

Thesis 36. Interna excellentia doctrinae Christianae confirmat eius revelationem divinam..... — . 430
Scholia. I. Valor huius criterii.—2. In quo differt argumentum immanentisticum ab hoc examine doctrinae..... 438

Articulus II.—De opere Iesu *Nazareni*..... *439*

Thesis 37. Fructus sanctitatis ex doctrina christiana dimanantes probant eius revelationem divinam..... 439
Thesis 38. Admirabilis propagatio religionis christianae confirmat eius originem divinam..... 449

* Pag.

Scholion. In quo consistebat auxilium extraordinarium supernatural, a Deo praestitum in propagationem christianismi..... 458
De conversionibus ut argumentum apologeticum..... 461
Thesis 39. Invicta stabilitas in catholica unitate religionis Christianae confirmat eius originem divinam..... 464
Scholia. 1. De mysterio amoris et odii in lesum.—2. De odio contra lesum eiusque religionem..... 470
Thesis 40. Martyrium tot Christianorum probat originem divinam revelationis christianae..... 473

Conclusio..... 489

Appendix.—De historiographie lesu Nazareni..... 490
De «biographiis» lesu Nazareni..... 492

z

TRACTATUS III

De Ecclesia

Introductio..... 499

1,1 BER I.—De Ecclesiae constitutione sociali..... 511

Caput I.—De institutione Ecclesiae hierarchicae..... 511

Articulus I.—*Christus Rex praedicavit Regnum Dei*..... 511

Thesis i. lesus Christus praedicavit Regnum universale, non solum eschatologicum, spirituale et internum, sed etiam in terris exsistens, visibile et externum..... 511
Scholion. In locum oeconomiae Veteris Testamenti, Christus substituit Regnum a se praedicatum..... 526

Articulus II.—*Institutio Collegii Apostolorum*..... *527*

Thesis 2. Christus instituit Collegium Duodecim Apostolorum, quibus suam Legationem commisit; atque eundem Apostolatum ac reliquis ex Collegio Sancto Paulo contulit. . 527
Scholion. Missio, quam Christus Apostolis tradidit, est eadem quam ipse habuit ut homo..... 535

Articulus III.—*Christus tradidit Apostolis potestatem socialem*..... 537

Thesis 3. Christus Apostolis tradidit regendi, docendi et sanctificandi potestatem, cui ut sese submitterent homines obii-

Pag.

gavit. Unde auctor est societatis hierarchicae, quam Ecclesiam appellavit..... 53?
Scholion 1. De momento in quo Christus Ecclesiam instituit. 548
Scholion 2. In quo differunt conceptus Regni Dei et Ecclesiae..... $49
Scholion 3. De vario sensu in quo S.Thomas et Suârez adhibent vocem Ecclesiae..... 550

Caput II. De Institutione Ecclesiae monarchicae..... $52

Articulus I.—*De Primatus promissione a Christo facta*..... 552

Thesis 4. lesus immediate et directe Sancto Petro Primatum seu supremam potestatem in universam Ecclesiam promisit..... 552
Scholion. Probatio Primatus Sancti Petri ex Lc 22,32..... 566

Articulus II.—*Christus contulit Sancto Petro Primatum*..... 569

Thesis 5. Post suam a mortuis resurrectionem Christus Dominus Primatum in universam Ecclesiam directe et immediate Sancto Petro contulit..... 569
Scholion 1. Sancti Petri Primatus confirmatur antiquitatis suffragio..... *575*
Scholion 2. Archaeologicum testimonium confirmans Sancti Petri Primatum..... 580

Articulus III.—Sanctus *Petrus ut Vicarius Christi et Apostolorum Superior*..... *582*

Thesis 6. Ratione Primatus Sanctus Petrus est verus in terris Christi Vicarius, cui etiam reliqui Apostoli subditi erant. . . 582
Scholion. Extraordinariae Apostolorum potestates non obstant eorum subordination! Primatui..... 590

Caput Ill. - De pertetuitate Ecclesiae..... 592

Articulus I.—*Perennitas Ecclesiae, Hierarchiae et Primatus*..... 592

Thesis 7. Ecclesia prout a Christo instituta est, et in ea nominatim Hierarchia et Primatus, ex Christi voluntate necessario pérennes erunt..... 592
Scholion r. Probatio perennitatis ex vaticiniis Veteris Testamenti..... 604
Scholion 2. Millenarismi seu Chiliasmi exspectatio..... 604

Articulus II. *Episcopi sunt Apostolorum successores*..... 608

Thesis 8. Apostolis in ordinario eorum munere iure divino succedunt Episcopi, quorum singuli Ecclesiis particularibus singulis praessunt..... 608
Scholion 1. De usu vocum Episcopi et Presbyteri..... 623
Scholion 2. De origine mediate divina iurisdictionis singulorum Episcoporum..... 624

Pag.

Articulus III.—*Romanus Pontifex successor Petri in Primatu*..... *628*

Thesis 9. In Primatu perenni iure divino Romanus Pontifex est Sancti Petri successor..... 628
Scholion 1. Paradigma demonstrationis thesis de Primatu Papae..... 642
Scholion 2. Primatus probatio independens est a facto et a iure Romani Episcopatus Sancti Petri..... 643
Scholion 3. Sanctus Petrus Romae commoratus est et martyrium obiit..... 643
Scholion 4. Romanus Sancti Petri Episcopatus..... 644
Scholion 5. De natura iuris quo Sanctus Petrus Primatum cum Romano Episcopatu coniunxit..... 645

Articulus IV.—*De vi et ratione Primatus*..... 651

Thesis 10. Primatialis potestas Summi Pontificis est universalis, ordinaria, immediata, vere episcopalis, suprema et plena, atque eius iudicio aliud in terris superius non est..... 651

Conclusio.—Sola Romano-Catholica est vera Christi Ecclesia..... 659

Thesis ii. Ex demonstratis divina institutione et perpetuitate Ecclesiae. Hierarchiae et Primatus, infertur: solam Romano-Catholicam esse veram Christi Ecclesiam..... 659
Scholion. Nota Romanitatis seu Petreitatis..... 660

LIBER II.—De Ecclesiae Magisterio eiusque fontibus. . 662

Caput I.—De divinaMagisterii institutione..... 662

Articulus unicus.—*Magisterium a Christo in Apostolis institutum*... . 662

Thesis 12. Christus Dominus instituit in Apostolis Magisterium authenticum, perpetuo duraturum et infallibile. . . . 662

Caput II,—De perenni subiectoMagisterii infallibilis..... 673

Articulus I.- -*Episcoporum infallibilitas*..... 673

Thesis 13. Episcopi, Apostolorum successores, infallibiles sunt, quando concordes sub Romano Pontifice, doctrinam definitive tenendam fidelibus imponunt, sive in Concilio sive extra Concilium..... 673
Scholion 1. Concilium quotuplex dari potest..... 682
Scholion 2. Oecumenicorum Conciliorum series..... 686
Scholion 3. Magisterii ordinarii infallibilis exercitium..... 688

Articulus 11. *Infallibilitas Summi Pontificis*..... *690*

Thesis 14. Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, ea infallibilitate pollet, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit..... 690

Pag.

Scholion i. Estne unum an duplex infallibilitatis subiectum?. 706
Scholion 2. Quotuplici modo exercet Papa suam infallibilitatem 708
Appendix. Potestne Papa ut persona privata cadere in haeresim?..... 7'2

Articulus III.—*Sanctae Sedis Magisterium mere autlienticum*..... *7'3*

Thesis 15. Decretis doctrinalibus Sanctae Sedis a Summo Pontifice authentice approbatis debetur mentis assensus internus et religiosus..... 713
Scholion 1. De assensu debito decretis doctrinalibus..... 719
Scholion 2. De obiecto proprio huius assensus..... 720

Caput III.—De obiecto Magisterii infallibilis..... 723

Articulus I.—*De obiecto primario infallibilitatis*..... 723

Thesis 16. Obiectum primarium vel directum Magisterii infallibilis sunt veritates per se revelatae..... 723

Articulus II.—*De obiecto secundario infallibilitatis*..... 729

Thesis 17. Obiectum infallibilitatis secundarium vel indirectum sunt veritates aliae quae cum per se revelatis necessario connexae sunt..... 729

Caput IV.—De fontibusMagisterii Ecclesiae..... 748

Articulus I.—De fidei deposito..... 748

Thesis 18. Revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, fuit cum Apostolis completa..... 748
Scholion 1. Progressus dogmaticus, stante impossibilitate augendi obiectivam revelationem, multipliciter datur..... 754
Scholion 2. Intelligentia, quam Apostoli habuerunt de fidei deposito, fuitne perfectior ea quam hodie Ecclesia obtinet?. 756

Articulus II.—*De primario revelationis fonte*..... *756*

Thesis 19. Revelationis primarius fons est divina Apostolorum Traditio; quae antiquitate, plenitudine et sufficientia ipsam sacram Scripturam antecellit..... 759
Scholion 1. Argumentum praescriptionis..... 771
Scholion 2. Distinctio Magisterii a fontibus revelationis.... 772

Caput V.—De criteriis divinae Traditionis..... 775

Articulus I.—*Sancti Patres sunt Traditionis critérium*..... 775

Thesis 20. Sanctorum Patrum consensus in rebus fidei et morum est divinae Traditionis critérium certum..... 775
Scholion. Condiciones quae requiruntur ad efformandum verum argumentum ex consensu Patrum..... 782

Pag.

Articulus *II,—Theologorum consensus ut Traditionis critérium*..... 785

Thesis 21. Theologorum consensus in rebus fidei et morum est certum divinae Traditionis critérium..... 785
Scholion. De auctoritate Sancti Thomae Aquinatis..... 794

Epilogue.—De valore et censura propositionum in Theologia..... 800
Scholion 1. Concilia Tridentinum et Vaticanum non solum in Canonibus, sed etiam in suis Capitibus definire intenderunt. 811
Scholion 2. Vaticani distinctio inter credenda et tenenda. . . 812
Scholion 3. In Canonibus Vaticani damnantume solummodo haereses?..... 814

LIBER III.—De natura supernatural! et de proprietatibus Ecclesiae..... 817

Caput I.—De supernaturalitate et eminentia Ecclesiae..... 817

Articulus I.—*De fine supernaturali Ecclesiae*..... 817

Thesis 22. Ecclesiae finis est supernaturalis hominum sanctificatio vel salus..... 817
Scholion 1. Ecclesia est ergo societas supernaturalis..... 822
Scholion 2. De Ecclesia Matre nostra..... 823
Scholion 3. De varia ratione distinguendi Ecclesiae fines.. . 824

Articulus II.—*Ecclesiae perfectio et absoluta independentia*..... 826

Thesis 23. Ecclesia est societas perfecta et absolute independens, cum plena potestate legislative, iudiciaria et coactiva..... 826

Caput II.—De Corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, et de eius membris..... 838

Articulus I.—*Ecclesia est Corpus Christi mysticum*..... 838

Thesis 24. Ecclesia est Christi Capitis Corpus mysticum, cuius quasi anima est Spiritus Sanctus; unde merito appellatur Domus filiorum Dei Patris..... 838
Scholion 1. Doctrina Sancti Thomae de Corpore Christi mystico..... 851
Scholion 2. Doctrina de Corpore mystico in Concilio Vaticano..... 852
Scholion 3. Identitas Corporis mystici cum Ecclesia Romano-Catholica..... 854
Scholion 4. Sententiae de gratia ut anima Corporis mystici. 855
Scholion 5. De habitudine Mariae Virginis ad Corpus mysticum..... 836

Articulus II.—Vera ratio *membri Ecclesiae*..... 859

Thesis 25. Baptismus, et quidem validus, requiritur et sufficit ad constituenda corporis Ecclesiae membra..... 859

Pag.

Scholion 1. Minimum quod requiritur, iuxta varias sententias, ut homo sit verum Ecclesiae membrum..... 867
Scholion 2. De Ecclesia sensu lato et sensu stricto apud theologos praesertim Sanctum Thomam et Suarezium..... 868

Articulus 111.—*Causae quae ab Ecclesiae corpore separant*..... 872

Thesis 26. Haereticus, Apostata et Schismaticus ipso facto, Excommurticatus vero legitima auctoritate ab Ecclesiae corpore separantur..... 872
Scholion. Ratio subditi differt a ratione membri Ecclesiae. . 881

Articulus IV.—*Sanctitas et praedestinatio membra Ecclesiae non constituunt*..... 883

Thesis 27. Neque omnes nec soli sive praedestinati sive iusti Corporis Ecclesiae membra sunt..... 883

Articulus V.—*Ecclesiae necessitas ad salutem*..... 889

Thesis 28. Ecclesia est omnibus hominibus necessaria ad aeternam salutem, etiam medii necessitate..... 889
Scholion. Qua differentia a beatitudine supernatural! privantur infantes et adulti qui ad Ecclesiam non pertineant..... 898

Adnotatio.—De ratione qua homines dicuntur pertinere ad Animam et ad Corpus Ecclesiae..... 9°°

Caput III.—De proprietatibus et notis verae Ecclesiae..... 902

Articulus I.—*De unicitate et visibilitate Ecclesiae*..... 9°2

Thesis 29. Christus Ecclesiam suam instituit unicam et visibilem, et quidem ut veram a falsis discernibilem..... 902

Articulus II.— *De proprietatibus Ecclesiae quas profitemur in Symbolis*.. 9'4

Thesis 30. Unitas, Catholicitas, Apostolicitas, Sanctitas sunt Ecclesiae Christi proprietates necessariae..... 9·4

Articulus 111 Notae quatuor *discernentes Ecclesiam*..... 933

Thesis 31. Unitas, Catholicitas, Apostolicitas, Sanctitas sunt etiam Notae, quae soli Romanae Ecclesiae conveniunt, eamque propterea ut veram Christi Ecclesiam a falsis discernunt. 933
Scholion 1. Argumentatio ex Notis menti Schismaticorum accommodata, iuxta Martinum Jugie..... 957
Excursus.—Ecclesia se ipsa est insigne credibilitatis motivum. 960
Scholion 2. De Schismate Occidentali..... 962

Caput IV. Recapitulatio tractatus de Ecclesia..... 964

Articulus unicus.—*Triplex Ecclesiae potestas*..... 964

Thesis 32. Christus Dominus triplicem potestatem, quam

Pag.

Apostolis eorumque successoribus impertiit, docendi nempe, regendi, sanctificandi homines, primariam legem statuit totius Ecclesiae..... 964
Scholion 1. Argumenta sententiae quae tenet, duplicem tantum esse in Ecclesia potestatem..... 976
Scholion 2. De distinctione potestatum ecclesiasticarum iuxta Concilium Vaticanum..... 979
Scholion 3. Patris Franzelin doctrina de triplici Ecclesiae potestate..... 984
Scholion 4. De vero statu quaestionis ad inquirendam distinctionem potestatum Ecclesiae..... 985

Conclusio.—«In Ecclesia Christus'..... 986

TRACTATUS IV

De sacra Scriptura

Introductio..... 991

Bibliographia generalis (n.1-3)..... 991

Locus huius tractatus in Theologia fundamentali (n.4).—Methodus tractationis (n.5).—Necessitas sacrae Scripturae eiusque praestantia (n.6-8).—Obiectum nostrae tractationis (n.9)

Caput I.—De inspiratione sacrae Scripturae..... 995

Articulus I.—*De facio inspirationis*..... *995*

Thesis 1. Sunt libri qui «Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem»..... 995

Articulus II.—*De criteriis inspirationis*..... 1011

Thesis 2. Critérium universale ad libros inspiratos dignoscendos, fide catholica credendos, est magisterium authenticum et traditionale Ecclesiae, innixum divinae de hac re revelationi..... 1011
Scholion. Num aliquis liber inspiratus perire potuerit..... 1017

Articulus III.—*Summarium Historiae Canonis*..... 1018

De canone Veteris Testamenti..... 1019
A) Apud Iudaeos..... 1019
B) Apud Christianos..... 1021
De canone Novi Testamenti..... 1024

Pag.

Articulus IV.—*De natura inspirationis*..... 1028

Inspiratio est charisma extraordinarium..... 1028

Falsae explicationes per defectum..... 1029

Thesis 3 Inspiratio librorum sacrorum non est explicanda per consequentem eorum approbationem (I), «nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant» (II)..... 1029

De constitutivis inspirationis..... 1032

Thesis 4. Inspiratio in hagiographis consistit: *a)* in supernatural! illustratione intellectus ad recte concipiendas ideas et rationem essentialem libri; *b)* in motione voluntatis ad scribenda omnia eaque sola quae Deus vult scribenda; *c)* in assistentia divina ad opus apte exsequendum..... 1032

1) Influxus Dei in laborem intellectus hagiographi..... 1034
2) Influxus Dei in voluntatem hagiographi..... 1037
3) Influxus Dei in exsecutionem libri..... 1039

Scholia, i. Num hagiographi fuerint semper conscii de sua inspiratione.—2. In quo differant inspiratio et revelatio.—3. Relatio inter inspirationem et definitiones Ecclesiae..... 1040

Articulus V.—*De extensione inspirationis*..... 1041

Thesis 5. Inspiratio librorum sacrorum ad omnes hagiographi, etiam obiter dictas, sententias sese extendit..... 1042

Quo sensu et gradu singulae sententiae Scripturae dicantur «verbum Dei»..... 1034

De imprecationibus..... 1056

Thesis 6. Inspiratio verbalis in sensu «dictationis mechanicae» non est generatim admittenda..... 1058

Thesis 7. Theoria inspirationis verbalis «psychologicae» praeferenda videtur..... 1063

Articulus VI.—*De relatione versionum ad originalia (autographa) inspirata*..... 1069

De authentia Vulgatae..... 1070
De authentia aliorum textuum..... 1078

Articulus VII.—*De inerrantia sacrae Scripturae*..... 1079

Thesis 8. Omnes Scripturae sententiae sunt infallibiliter verae..... 1079

De veritate absoluta S.Scripturae et de generibus litterariis..... 1082

Caput II.—De interpretatione sacrae Scripturae..... 1095

Hermeneutica eiusque obiectum..... 1093

Articulus I.—*De sensibus sacrae Scripturae*..... 1096

Thesis 9. In sacra Scriptura agnoscendus est sensus litteralis. 1097

Pag-

Scholion. Primo inveniendus est sensus litteralis..... 1098
Thesis 10. Sensus litteralis Scripturae est unicus..... 1098
Thesis ii. In sacra Scriptura agnoscendus est sensus typicus. 1101
Scholia. 1. De extensione typorum.—2. Vis probativa sensus typici,—3. Utrum sensus typicus vocari possit stricte biblicus..... 1104
De aliis sensibus S.Scripturae.—Sensus plenior..... 1106
Sensus consequens.—Sensus accommodatus..... 1112
Scholia. 1. Distinctio inter sensum historicum et sensum dogmaticum non est admittenda.—2. Sensus hagiographi est semper sensus Dei..... 1114

Articulus II.—*De modo inveniendi sensum sacrae Scripturae*..... 1114

De criteriis dogmaticis..... 1115
Thesis 12. Ecclesiae est «iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum»..... 1116
Scholion. De iure Ecclesiae interpretandi res quae non sunt fidei et morum..... 1118
Quomodo cognoscitur sensus «quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia»..... 1120

Caput III.—De valoribus sacrae Scripturae..... 1126

Articulus I.—*De valoribus litterariis*..... 1126

Articulus II.—*Valores supernaturales in sacra Scriptura*..... 1127

Articulus III.—*De lectione sacrae Scripturae*..... 1131

Index locorum sacrae Scripturae..... 1136
Index nominum..... 1151
Index rerum..... 1178

VOLUMEN I

Introductio in Theologiam. De revelatione christiana. De Ecclesia. De sacra Scriptura

Auctoribus

P. Michaele Nicolau, S.I.,
in Facultate Theologica Granatensi professore;

P. IOACHIM Salaverri, S.I.,
in *Facultate Theologica Comillensi professorc.*

' · V'.A

£'Ii Hζ∧ b'jû b*

PRAEFATIO

Cum Pius XI in *Constitutione Apostolica «Deus scientia-*nim *Dominus»* Facultatum theologicarum auditoribus, Codex vero luris Canonici clericalium Seminariorum alumnis quadriennale sacrae Theologiae curriculum praescripsissent [1], quo in Ecclesia boni ministri Christi lesu verbis fidei et bonae doctrinae enutrirentur atque mysteriorum Dei fideles dispensatores evaderent [2]; Societatis lesu Patres, Facultatum theologicarum in Hispania Professores, consilium inivimus conscribendi Sacrae Theologiae Summam, scientifica methodo concinnatam atque ad usum praelectionum in scholis vel maxime accommodatam, quae summatim universae Theologiae quaestiones comprehenderet et indesinenter successivis editionibus novos doctrinae et eruditionis progressus sedulo recenseret.

Ut autem haec Sacrae Theologiae Summa ad facilius universam sacram doctrinam addiscendam aptum subsidium esset alumnis, magistris vero utile etiam instrumentum, quo in scholarum praelectionibus uterentur; necessariae in primis brevitati atque simul convenienti plenitudini consulere satagimus. Ad ampliorem tamen singularum quaestionum eruditionem, bibliographiam praemisimus annotationesque adiecinus, quarum subsidio proposita doctrina plenius comprehendi et abundantius illustrari valeret.

In universa vero tractatione nostra fideles in omnibus sequuti sumus Ecclesiam, «Magistram divinae veritatis falli ⅈ⋋ ciam atque adeo totius humanae doctrinae patronam atque ultricem»[3]. Quare «solidam illam doctrinam a maioribus traklitam et communiter ab Ecclesia receptam sectati sumus, ■evitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scien-■i.un»[4].

Methodum autem eam sedulo adhibuimus, quam Ecclesia ‖uiii pridem commendaverat: «Sacra Theologia methodo cum

L ' (onstil. Apost. «Deus scientiarum» (24 maii 1931) a.43-44: *Ordinationes sacrae Congreg.* ■h li tam (12 iunii 1931) a.37-38; CIC cn.1365 § 2.
I Cf. i Tim 4,6; i Cor 4,1.
■ ' ⟨ -ustit. *Apost. «Deus scientiarum»* initio.
■ ♦ ⟨'.IC cn.i2ç: cf. 1 Tim 6,20.

positiva tum scholastica tradenda est; ideo veritatibus fidei expositis et ex sacra Scriptura et Traditione demonstratis, earum veritatum natura et intima ratio ad principia et doctrinam S.Thomae Aquinatis investigentur et illustrentur»5. Ad hanc vero scientificam studendi rationem recte observandam, commendat Ecclesia «ut auditores ita instituantur, ut non solum ipsam doctrinam probe addiscant, spd etiam fontes singulis disciplinis proprios legesque eosdem interpretandi cognoscant atque laboris scientific! subsidia et adiumenta cum fructu adhibere assuescant» 6.

Quapropter ut alumnos ad hanc investigandi methodum aliquo modo introduceremus, nostram Sacrae Theologiae Summam ita conscripsimus, ut iuxta illam simul prae manibus necessarium esset habere non solum sacram Scripturam et *Enchiridion Symbolorum,* sed etiam *Enchiridion Patristicum* et S.Thomae *Summam* 7. Ad textus enim sacrae Scripturae, ecclesiastici Magisterii, Sanctorum Patrum et Sancti Thomae iugiter lectores remisimus, potius quam auctorum verba transcripsimus, ut sacrae scientiae cultores genuinum citandarum sententiarum sensum in earum contextu accuratius perspicerent, atque illam scientificam indagandi rationem, quae sacrae Theologiae maxime propria est, constanter adhiberent.

S.Thomam Aquinatem, quem sane Pius XI «non modo Angelicum, sed etiam *Communem* seu universalem Ecclesiae Doctorem appellandum» edixit, «cuius doctrinam... suam Ecclesia fecerit», ut verum nostrum Ducem ac Magistrum ex animo sequuti sumus, ad normam quidem Litterarum Encyclicarum Leonis XIII *«Aeterni Patris»* et Pii XI *«Studiorum Ducem»,* prout a sacra Congreg. Studiorum praescriptum est et denuo a Pio XII enixe commendatum8.

Porro in quaestionibus, quae inter catholicos bonae notae Theologos libere controvertuntur, omni cura sectari conati sumus aureum illud Pii XI critérium, quo edixit: «Inter amatores Sti.Thomae... honestam illam quidem cupimus iusta in libertate aemulationem, unde studia progrediuntur, intercedere,. at obtrectationem nullam, quae nec veritati suffragatur et unice ad dissolvenda valet vincula caritatis. Sanctum igitur unicuique eorum esto, quod in Codice Iuris Canonici prae-

5 Cbnsttf. *Apost. «Deus scientiarum·* a.29 a); CIC cn.!366 § 2.

h *Ordinationes sacrae Congreg. Studiorum* a.18 § 2.

7 H.Denzinger-C.Rahner› *Enchiridion Symbolorum, definitionum* et *declarationum de* rebui *fidei et morum* (1955); J.M.Rouet. *Enchiridion Patristicum* (1953).

Ĥ Pius XI. *Encycl. «Studiorum Ducem»:* AAS 15 (»923) 314; *Ordinationes sacrae Congregi Studiorum* a.18 § 1; Pius XII, *Sermo ad alumnos Seminariorum Urbis, «Sollemnis* conventus»! AAS 31 (1939) 246.

cipitur (can. 1366 § 2)... At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium Magistra et mater Ecclesia: neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam, quae sibi verisimilior videatur» 9.10Quae sane paterna monita hortationesque, ad proficuam nempe aemulationem, conciliatricem moderationem et legitimam in studiis libertatem, eo libentius adimplenda curavimus, quod sua etiam fecerit Pius XII atque ipsis sacrorum alumnis servanda commendaverit

Ordinem quod spectat, bipartitam in primis amplexi sumus universae disciplinae divisionem, in Theologiam videlicet Fundamentalem et Dogmaticam, quam profecto partitionem invenimus ab ipsa sacra Congreg. Studiorum commendatam 11. Totam vero hanc tractationem quatuor voluminibus comprehendimus, quorum primum Fundamentali, reliqua vero tria Dogmaticae Theologiae destinavimus. Porro singulas quaestiones disposuimus ex ordine, quem nobis Doctor Angelicus in *Summa Theologica* tradidit.

In unaquaque autem thesi concinnitati atque perspicuae distributioni vel maxime consuluimus. Ideo accurate *theseos nexus, notiones, adversarii, doctrina Ecclesiae, theologicus valor, probatio ex Scriptura et Traditione, argumenta rationis et obiectionum solutio* sibi succedunt. Speciales vero subtilioresque disceptationes ad scholia tractandas amandavimus. Ea denique, quae typis minoribus expressa sunt, in praelectionibus ad Seminariorum alumnos poterunt commode, iuxta providum Professoris consilium, praetermitti.

His itaque praefatis, iam, auctore Vaticano Concilio, ad rerum divinarum scientiam strenui, supplices, fidentesque accedamus oportet; nam «ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur»12. Atqui sapienter profecto S.Augustinus «interior, inquit, Magister est qui docet Christus» 13. Unde sacrae Theologiae studiose vacantibus optandum semper est, ut nobis intus loquatur Iesus «Magister et Dominus», qui solus idoneos nos facere potest Novi Testamenti ministros 14.

9 Pius XI, *Encycl. «Studiorum Ducem»:* D 2192.
10 Pius XII, Sermo *«Sollemnis conventus»:* AAS 31 (»939) 247.
11 *Ordinationes sacrae Congreg. Studiorum* a.27, I, 1, a-b.
12 Concilium Vaticanum, ses.3; *Constit. *De Eide catholica»* c.3: D 1796.
S.Augustinus, *Exposit. in epist. r Io. tr.3* n.13: ML 35,2004.
u Cf. Io 13,13: 2 Cor 3,6.

NOTAE THEOLOGICAE

in hac "Sacrae Theologiae Summa" aldhihitae

De fide divina: quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur. Contraria, *error in fide.*

De fide divina et catholica: quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur. Contraria, *haeresis.*

De fide divina et catholica definita: quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sollemni iudicio, h.e. magisterio suo infallibili, modo extraordinario exercito, sive in concilio oecumenico sive per Romanum Pontificem ex cathedra loquentem, tamquam divinitus revelata credenda proponuntur. Contraria, *haeresis.*

Fidei proxima: veritas quae unanimi fere consensu theoloi;nrum in verbo Dei scripto vel tradito continetur. Contraria, *proxima errori in fide vel haeresi.*

De fide ecclesiastica: veritas non formaliter revelata, quae per magisterium ecclesiasticum infallibiliter proponitur. Conii aria, *error in fide ecclesiastica.* (N.B. Qui fidem ecclesiasticam non admittunt, alii aliter talem veritatem notant.)

Doctrina catholica: veritas quae in tota Ecclesia docetur, non Lnen semper infallibiliter proponitur (v.c. ea quae Romani pontifices expresse in encyclicis... docere volunt). Contraria, brror *in doctrina catholica.*

Theologice certa: veritas quae in scholis theologicis certo Ignoscitur tamquam necessario connexa cum revelatis; huius-■hodi connexio potest esse sive virtualis sive praesuppositiva ||v<- finalis. Contraria, *error in theologia.*

Doctrina ita tenenda, ut contraria sit temeraria: veritas proposita a Congregationibus romanis, quae tamen propositio speciali approbatione Romani Pontificis non gaudet.

Communis et certd in theologia: quae communi theologorum consensu in scholis ut bene fundata proponitur. Contraria, *falsa in theologia, temeraria.*

Probabilis, tuta: per se liquet.

SIGLA ET BREVIATIONES

AAS	Acta Apostolicae Sedis.
ASS	Acta Sanctae Sedis.
Ang	Angelicum.
Ant	Antonianum.
ArchPh	Archives de Philosophie.
ArchTG	Archivo Teolôgico Granadino.
Bibi	Biblica.
BiblZeitschr	Biblische Zeitschrift.
BullLittEccl	Bulletin de Littérature Ecclésiastique.
(lathBiblQuart	The Catholic Biblical Quarterly.
Cav	F.Cavallera, S.I., Thesaurus Doctrinae Catholicae.
CE	The Catholic Encyclopedia.
CIC	Codex luris Canonici.
CiencTom	La Ciencia Tomista.
CivCatt	La Civiltà Cattolica.
CL	Acta et Decreta sacrorum Conciliorum recentium..; Collectio Lacensis.
CollatBrug	Collationes Brugenses.
CSEL	Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum... Academiae... Vindobonensis.
CTr	Concilium Tridentinum... Ed. Societas Goerresiana...
(lyF	Ciencia y Fe.
D	H.Denzinger-I.B.Umberg-C.Rahner, S.I., Enchiridion Symbolorum 3°.
DACL	F.Cabrol-H.Leclercq.-H.Marrou, Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie.
l >.'\FC	A.D'Ales, Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique.
PB	F.Vigouroux, Dictionnaire de la Bible.
THIS	L.Pirot-A.Robert, Dictionnaire de la Bible. Supplément.
l >ivThom (Fr)	Divus Thomas. Freiburg i.der Schweiz.
foivThom (Pi)	Divus Thomas. Piacenza.
[PTC	A.Vacant-E.Mangenot-E.Amann, Dictionnaire de Théologie Catholique.
l'B	Enchiridion Biblicum 2.
I C	Enchiridion Clericorum.
f.chOr	Echos d'Orient.
BJphThLov	Ephemerides Theologicae Lovanienses.
ffitlBibl	Estudios Biblicos.
lpliici	Estudios Eclesiâsticos.
DBetFranc	Estudios Franciscanos.

Et.....	Etudes.
EtCarm.....	Etudes Carmélitaines.
GChS.....	Die griechischen christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, herausgegeben von der Kirchenvâter-Commission der Kôniglichen preussischen Akademie der Wissenschaften.
Greg.....	Gregorianum.
Hrd.....	J Harduini, S.I., Conciliorum Collectio regia maxima.
JThSt	The Journal of Theological Studies.
Kch.....	C.Kirch, S.I.-L.Ueding, S.I., Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae6i.
LTK.....	M.Buchberger, Lexikon fur Théologie und Kirche.
.Manr.....	Manresa.
ML,MG.....	J.P.Migne, Patrologiae cursuscompletus. Series prima latina. Series graeca.
MiscCom.....	Miscellanea Comillas.
Msi.....	J.D.Mansi, Sacrorum Conciliorum novaet amplissima collectio.
NeuStGeschThK....	Neue Studien zur Geschichte der Théologie und der Kirche.
NouvRevTh.....	Nouvelle Revue Théologique.
OrChP.....	Orientalia Christiana Periodica.
Pens.....	Pensamiento.
R.....	M.J.Rouet de Journel, S.I., Enchiridion Patristicum 18.
RazFe.....	Razôn y Fe.
RechScRel.....	Recherches de Science Religieuse.
REPT.....	J.J.Herzog, Realencyclopedie fur protestantischc Théologie und Kirche.
RevBén.....	Revue Bénédictine.
RevBibl.....	Revue Biblique.
RevEspT.....	Revista Espaftola de Teologia.
RevHist.....	Revue Historique.
RevHistEccl.....	Revue d'Histoire Ecclésiastique.
RevHistPhRel.....	Revue d'Histoire et de Philosophie Religieuses.
RevNéoscolPh.....	Revue Néo-Scolastique de Philosophie.
RevScPhTh.....	Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques.
RevScRel.....	Revue des Sciences Religieuses.
RevThom.....	Revue Thomiste.
RGG.....	Religion in Geschichte und Gegenwart.
Sap.....	Sapienza.
Schol.....	Scholastik.
ScriptVict.....	Scriptorium Victoriense.
ScuoCatt.....	Scuola Cattolica.
SitzKPAkadWiss....	Sitzungsberichte der kôniglichen Preussischen Akademie der Wissenschaften.
Stim.....	Stimmen (aus Maria-Laach; ab anno 1915: der Zeit).
ThGl.....	Théologie und Glaube.
ThLitZg.....	Theologische Literatur Zeitung.
ThPraktQschr.....	Theologisch-praktische Quartalschrift.

ThRev.....	Theologische Revue.
ThStKrit.....	Theologische Studien undKritik.
TU.....	Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur.
VerDom.....	Verbum Domini.
VerVid.....	Verdad y Vida.
ZkathTh.....	Zeitschrift fur katholische Théologie.
ZKG.....	Zeitschrift fur Kirchengeschichte.
ZNTWiss.....	Zeitschrift für die neutestamentliche Wissenschaft und die Kunde der âlteren Kirche.

TRACTATUS I

Introductio in Theologiam

Auctore

P. Michaele Nicolau, S.I.

CAPUT I

Introductio generalis in Theologiam

S.Th., i q.i; *In i Sent,* prolog, a.3; H.Dieckmann, *De revelatione christiana* n.3-32; M.J.Congar, *Théologie:* DTC 15.342-502: M.Nicolau. *Etapas del proceso teológico:* EstEcl 19 (1945) 145-205 ».

1. De natura Theologiae. *Theologia est scientia de Deo et de rebus divinis.*

Eo quod sit *scientia,* in Theologia habetur complexus cognitionum certarum ex causis, ordinatus et connexus 2.

Deus est *obiectum primarium* huius scientiae; aliae res, in quantum a Deo factae vel volitae, *obiectum secundarium.* Res igitur terrenae possunt esse obiectum Theologiae in quantum referuntur ad Deum, et in hoc sensu considerari possunt tanquam res divinae, obiectum Theologiae.

» Inter diversos etiam auctores, qui quaestiones introductorias in Theologiam magis rx professo tractaverunt, commemoremus: M.d'Herbigny, S.I., *La Théologie du révélé* (Patin 1921); G.Rabeau, *Introduction â l'étude de la Théologie* (Paris 1926): J.Bilz, *Einführung* in *die Théologie* (Freiburg 1935): Th.Soiron, *Htilige Théologie* (Regensburg 1935); A.Stolz, O.S.B., *Introductio in Sacram Theologiam* (Friburgi Brisgoviae 1941); Charles Journet, *Introduction à la Théologie* (Paris 1947): F.P.Mufciz, O.P., *De diversis muneribus S.Thèologiae ecundum doctrinam D.Thomae:* Ang 24 (1947) 93-123; et recentissime B.M.Xiberta, O.Carm., *Introductio in Theologiam* (Matriti 1949)·

2 De Theologia ut scientia egerunt, inter alios, L. Koesters, S.L, *Théologie als Wissenschaft:* 'hol 14 (1939) 234-240; E.Platzeck, O.F.M., *Reflexiones sobre la definiciôn de la Teologia:* VcrVid 2 (1944) 337-355: J.M.Alonso, C.M.F., *La Teologia como cientia:* RevEspT 4 (1944) Ai 1-634; 5 (1945) 2-38.433-450.529-560: ibid., in p.2-4 colligit bibliographiam praecipue ‹irca aspectum historicum huius quaestionis; P.M.Daffara, O.P.'» *La Teologia come scienza uella Somma Teologica di S.Tommaso:* Sap 1 (1948) 12-22. Item dc natura Theologiae recenter tractaverunt Ch.Boyer, S.I., Qu'est *ce que la Théologie:* Greg 21 (194°) 255-266; M.R.Gaunebet, O.P., *Le problème actuel de la Théologie et la science aristotélicienne d'après un ouvrage ‹.i‹/it* (A.Stolz, O.S.B., *Manuale Theologiae dogmaticae,* I. *Introductio in S.Theologiam* Il tiburg B. 1941]): DivThom(Pi) 46 (i943) 237-270; Ae.Magrini, O.F.M., *loannis Duns dpetrina de scientiflca Theologiae natura:* Ant 27 (1952) 39-74-297-332.499-530; F.Brannιληιξ, S.I:, *La Teologia como cienda, segùn Enrique de Gante:* EstEél 22 (1948) 5-57; I-ü /'dogia en relaciôn con las dernds ciendas, segùn Enrique de Gante:* MiscCom 19 (1.953) 165-204. I | circa Maldonati tractatum «De constitutione Theologiae» J.I.Tellechea, *Metodologfa* i. J,i«ica de Maldonado.· ScriptVict i (1954) 183-255· . O.J

De conceptu scientiae eiusque divisionibus cf. inter recerttés lucubrationes A.Brunmkr, S.I., *Das Wesen der Wissenschaft und seine Besonderung in Gtistes-und Naturwissenschaft:* S. hol 13 (1938) 490-520.

2. Theologia potest esse *naturalis et supernaturalis.*

Theologia naturalis sive *Theodicea* eruit suas cognitiones de Deo ex veritatibus ratione cognitis vel demonstratis; et suum obiectum materiale attingit in quantum est cognoscibile ratione naturali. Hoc est suum *obiectum formale.*

Theologia supernaturalis, sive Theologia simpliciter et stricto sensu, eruit suas cognitiones ex principiis fidei revelatione divina cognitis, et suum obiectum attingit in quantum est cognoscibile ex revelatione divina; atque in hoc suo *obiecto formali* diversificatur a Theodicea.

Theologia igitur naturalis ascendit a cognitione creaturarum ad Deum; Theologia supernaturalis descendit de cognitione Dei eiusque revelationis ad cognitionem ceterorum.

3. Theologia et fides. Quaelibet scientia incipit vel ex primis principiis, quae sunt veritates per se notae, vel ex principiis desumptis ab alia scientia, quae dicitur scientia *subalternans.* In Theologia principia, quasi per se nota unde incipit haec scientia, sunt articuli fidei[3] et insuper doctrina a Deo supernaturaliter et publice revelata. Haec evidenter cognoscitur per scientiam Dei et beatorum; ideo Theologia subalternatur scientiae Dei et beatorum.

Nec vero esset verus theologus qui non haberet fidem initialem, saltem informem[4]; nec esset vera Theologia theologia haeretici[5]. In Theologia igitur non sola ratione procedendum est, sed fide. Cf. D 1616 *(de indifferentismo Lammenais),* 1642 *(de rationalisme).*

Quod si articuli fidei et doctrina a Deo revelata sunt *principia obiectiva pro* scientia theologica, *principium subiectivum pro* labore hominis in Theologia est *ratiofide illustrata* (D 1796).

4. Ideo Theologia est *scientiafidei:* quia obiectum investigationis est doctrina fidei; principium obiectivum unde incipit investigatio est doctrina revelata a Deo, quae unice per fidem acceptari potest; principium denique subiectivum ad investigandum est ratio fide illustrata. Quamobrem Theologia inserviet ad docendam fidem et ad penetrandam et degustandam fidem.]

Fides et lux fidei debebunt etiam permanere toto investigationis cursu, ne fiat contradictio positioni initiali, qua inceptum est, neque aberret quis a recto tramite.

1 S.Tn., *In* i *Sent.prolog.* a.3 q.3 solutll.
4 S.Bonavbntura, *In* 3 Sent, d.35 q.2 conclusio: Opera (Quaracchi) 3,776b.
5 Svàhkz, Deeded.3 s.i: n.9: Opera (Vives) 12,98s.

5. Est autem fides de qua agimus (quam et adumbrare atque definire iam oportet), iuxta doctrinam Concilii Vaticani, *virtus supernaturalis qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest* (D 1789). «Ut autem officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci» (D 1793). «Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur» (D 1792).

6. Regula fidei proxima. Norma sive regula proxima, immediata et suprema fidei est pro catholico doctrina Magisterii Ecclesiae vivi, authentici et traditionalis. Hoc enim magisterium dat integram doctrinam revelatam, eius genuinum sensum et germanam interpretationem, et inservit ut quolibet tempore et ubique infallibilem et authenticam doctrinam revelatam proponat.

Ideo pro theologo, qui incipere debet a doctrina fidei, primum erit cognoscere seu fixam stabilire ipsam doctrinam fidei propositam per regulam fidei proximam, magisterium Ecclesiae; vel quid de qualibet re sentiat magisterium Ecclesiae erit investigandum[6]. Sed hoc est tantum exordium Theologiae, non est unicum constitutivum illius.

7. Theologia positiva et Theologia scholastica sive speculativa. *Ratione methodi et muneris* Theologia dividitur in *positivam* et in *scholasticam* sive *speculativam* [7].

Ubi habetur datum theologicum oblatum,per magisterium contemporaneum vel quasi-contemporaneum Ecclesiae, de quo

6 «... hoc sacrum Magisterium, in rebus fidei et morum, cuilibet theologo proxima et universalis veritatis norma esse debet, utpote cui Christus Dominus totum depositum fidei Sacras nempe Litteras ac divinam «traditionem»—et custodiendum ct tuendum et interpretandum concredidit...» *(Encyclica 'Humani generis*:* D 2313). Expositio systematica doctrinae Magisterii Ecclesiae facta est a F.Cavallera, S.I., *Thesaurus doctrinae catholicae ex do·* lumentis *Magisterii ecclesiastici;* sicut expositio chronologica facta fuit a H.Denzincer, *Enchiridion symbolorum.*

7 Leo XIII in quodam documento *ad Episcopos et clerum Galliae (8* septembres 1899) loquitur de Theologia *positiva* et *speculativa* sive *scholastica* (EC 602). In articulo autem 29 ' *institutionis 'Deus scientiarum Dominus** sermo est de Theologia tradenda *methodo cum* Insitiva tum *scholastica;* atque in a.18 Ordinationum S.C. de Semin, contradistinguitur pars ·ii iplinarum *positiva* (§ 2) a quaestionibus *speculativis,* in quibus adhibenda est *methodus «piam scholasticam vocant* (§ 3)· Cf. infra n.24.

supra diximus, laboris scientiae theologicae est *hoc datum per causas iustificare;* vel, si Magisterium nondum sese in re aliqua explicite pronuntiavit, laboris theologici erit invenire quae veritates revelatae contineantur in fontibus. Haec methodo positiva praestari debent, et functio illa theologica, qua demonstratur tali methodo positiva quasnam veritates revelatas fontes positivi (Scriptura, Traditio) contineant, dicitur *Theologia positiva*[8]. Haec functio theologica summopere ab aetate renascent! et moderna evoluta est, cum opus esset ante humanistas et protestantes depositum fidei traditum iustificare ut tale; estque cultus talis Theologiae in explicita voluntate Ecclesiae:

«Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aeque omnibus accidit) Theologiam positivam, mutuato a veri nominis historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae Theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam Theologiam despicere videantur» [9].

8. *Theologia scholastica, sive, speculativa,* methodo praesertim speculativa procedit estque functio illa theologica quae in scholis Medii Aevi magnopere effloruit et per scholasticos quoque aetatis renascentis magnum consecuta est splendorem. Ecclesia summo studio defendit.hanc functionem theologicam, praesertim post invectationes quibus impetita fuit [10]; et S.Pius X dicebat:

«[Modernistae] philosophiam ac theologiam scholasticam derident passim atque contemnunt. Sive id ex ignorantia faciant sive ex metu, sive potius

[8] De natura Theologiae positivae F.Cavallera, *La Théologie positive:* BullLittEccl 26 (1925) 20-42.

[9] *Pius* X, *Erwyclica «Pascendi»:* ASS 40 (1907) 640-641. Atque in *Litteris «Humani generis»* Pu XII haec habentur circa rectum usum fontium revelationis:

«Verum quoque est, theologis semper redeundum esse ad divinae revelationis fontes: eorum enim est indicare qua ratione ea quae a vivo Magisterio docentur, in Sacris Litteris et in divina «traditione», «sive explicite, sive implicite inveniantur*. Accedit quod uterque doctrinae divinitus revelatae fons tot tantosque continet thesauros veritatis, ut numquam reapse exhauriantur. Quapropter sacrorum fontium studio sacrae disciplinae semper juvenescunt; dum contra speculatio, quae ulteriorem sacri depositi inquisitionem neglegit, ut experiundo novimus, sterilis evadit. Sed hac de causa theologia etiam positiva, quam dicunt, scientiae dumtaxat historicae aequari nequit. Una enim cum sacris eiusmodi fontibus. Deus Ecclesiae suae Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito nonnisi obscure ac velut implicite continentur. Quod quidem depositum nec singulis christifidelibus nec ipsis theologis divinus Redemptor concredidit authentice interpretandum, sed soli Ecclesiae Magisterio. Si autem hoc suum munus Ecclesia exercet, sicut saeculorum decursu saepenumero factum est, sive ordinario sive extraordinario eiusdem muneris exercitio, patet omnino falsam esse methodum, qua ex obscuris clara explicentur, quin immo contrarium omnes sequi ordinem necesse esse. Quare decessor noster imm, mem. Pius IX, docens nobilissimum theologiae munus illud esse, quod ostendat quomodo ab Ecclesia definita doctrina contineatur in fontibus, non absque gravi causa illa addit verba: «eo ipso sensu, quo definiti est»: AAS 42 [1950] 5683.960; D 2314.

[10] Cf. D 1576 (adversus *Synodum Pistoriensem),* 1652 (Bonnetty), 1657 (Günther), 1680.1713; EC n.414.415.423,1132...

ex utraque causa, certum est studium novarum rerum cum odio scholasticae methodi coniungi semper; nullumque est indicium manifestius quod quis modernismi doctrinis favere incipjat, quam quum incipit scholasticam horrere methodum...» 11.

Et Pius XII recenter in *Litteris «Humani generis»: «...* neglegere, vel reicere, vel suo valore privare tot ac tanta, quae pluries saeculari labore a viris non communis ingenii ac sanctitatis, invigilante sacro Magisterio, nec sine Sancti. Spiritus lumine et ductu, ad accuratius in dies fidei veritates exprimendas mente concepta, expressa ac perpolita sunt, ut eorumdem in locum coniecturales notiones sufficiantur ac quaedam fluxae ac vagae novae philosophiae notiones, quae ut flos agri hodie sunt et cras decident, non modo summa est imprudentia, verum etiam ipsum dogma facit quasi arundinem vento agitatam. Despectus autem vocabulorum ac notionum quibus theologi scholastici uti solent, sponte ducit ad enervandam theologiam, ut aiunt speculativam, quam, cum ratione theologica innitatur, vera certitudine carere existimant.

Utique, pro dolor, rerum novarum studiosi a scholasticae theologiae contemptu ad neglegendum, ac vel etiam ad despiciendum facile transeunt ipsum Magisterium Ecclesiae...» (D 2312s).

9. Theologia positiva dicta est *intellectus quaerens fidem;* ratio scilicet quaerit quid fontes revelationis et fidei contineant. Theologia vero scholastica dicta est *fides quaerens intellectum;* est illud nimirum quod S.Augustinus optabat: «desideravi intellectu videre quod credidi» 12, et S.Anselmus: «Non tento, Domine, penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum, sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit et amat cor meum. Neque enim quaero intelligere ut credam; sed credo ut intelligam...» 13. Est denique illa intelligentia mysteriorum eaque fructuosissima quam, Deo dante, ratio fide illustrata assequitur, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, tum ex eorum quae naturaliter cognoscit analogia, tum e mysteriorum nexu inter se et cum fine ultimo hominis (D 1789).

10. Per Theologiam scholasticam *fides explicatur apertius,* scilicet:

a) veritates revelatae *minus notae explicantur et demonstrantur ope aliarum magis notarum* et «ex articulis fidei haec doctrina ad alia argumentatur»14;

b) veritates fidei explicantur *ex analogia eorum quae naturaliter ratio cognoscit;*

c) ex veritatibus revelatis *novae veritates deducuntur,* quae

11 ASS 40 (1907) 636-637.
12 *De Trinit.* I.15 c.28 n.ji: ML 42,1098.
»3 *Proslog,* c.1,2: ML 158,227.
14 S.Th., i q.i a.8.

in illis proinde virtualiter continebantur; hoc fit praesertim ope Philosophiae.

d) Nexus inter veritates revelatas demonstratur atque illae in *systema scientificum* reducuntur.

ix. De subiecto Theologiae. *Subiectum* scientiae est id quod primario subicitur considerationi et investigationi illius. Est quasi basis et fundamentum sustentans alias veritates quae in ea scientia considerantur.

Subiectum Theologiae est Deus. Id autem non tantum ex parte obiecti materialis, sed etiam ex parte rationis qua consideratur, quia «omnia... pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium et finem»[15].

Alii tamen modi considerandi et ordinandi cognitiones theologicas sunt possibiles, prout sit centrum vel nucleus (v.gr. Verbum incarnatum) qui desumatur, et prout sit finis (speculativus, practicus et kerygmaticus) qui intendatur [16].

12. De locis theologicis seu *de methodo theologica.*

Fontes argumentationis theologicae, mutuato nomine ex Rhetorica vel ex opere Agricolae *De inventione dialectica* (loci dialectici), dicuntur *loci theologici.* Sunt igitur fontes cognitionis theologicae, sive ad inveniendum, sive ad iudicandum de inventis, et velut categoriae argumentorum seu domicilia et sedes argumentorum ad probandum et refutandum. Celeberrimum et classicum est opus Melchioris Cano *De locis theologicis* (cf. n.76).

13. Fontes alii sunt proprii, alii adiuncti.

Loci theologici proprii sunt illi fontes argumentationis proprii Theologiae, qui ostendunt ipsam doctrinam revelatam. *Fundamentales et constituentes* sunt illi qui continent revelationem eamque constituunt: Scriptura, Traditio. *Ratio theologica est* forma argumentandi ex praemissa revelata et ex praemissa ratione cognita; ostendit virtualitates revelationis.

Loci *adiuncti* sunt illi qui inserviunt ad maiorem intelligentiam et confirmationem doctrinae revelatae: Philosophia, Historia, Ius...

>5 S.Th., I q.r a.7.

>· Cf. M.Nicolau, *Etapas dei proceso teolôgico:* EstEcI 19 (1945) 187-192; circa Theologiam kerygmaticam, *ibid.* 9.192-196 et infra n.19.

8.

5

§

8

o

43

ī

tn

c

ὺ

14- En tabulam locorum:

*pi2o[Odip poq

I 5. luvat notare demonstrationem veritatis revelatae ope traditionis per acta magisterii extraordinarii (definitiones Conciliorum et Romanorum Pontificum, alia quoque documenta Ecclesiae...) non *necessario identificari,* etsi coincidere potest (praesertim in praxi didactica), *cum eo quod diximus initium Theologiae eiusque functionem primam:* invenire ipsam doctrinam magisterii Ecclesiae. Nam hoc sonat invenire quid regula fidei proxima dicat, scilicet, praesertim magisterium contemporaneum vel quasi-contemporaneum; quod postea, ope aliorum documentorum antiquiorum, ut contentum in traditione comprobatur theologice.

16. Item discrimen intercedit inter argumentum Scripturae vel Traditionis in Theologia dogmatica et investigationes proprias Theologiae biblicae et patristicae. Ibi enim agitur de thesi aliqua probanda, praevie cognita; quod et praestari liceat paucis. Hic autem agitur de conclusionibus inveniendis relate ad aliquod thema, amplum vel angustum prout placuerit, et supponuntur investigationes quantum fieri potest exhaustivae. Ibi via est regressive et ascendens, hic via est progressiva et descendens.

17. *Liturgiae* edocent nos non tantum de fide alicuius Patris, sed de fide alicuius ecclesiae, sc. eorum omnium Patrum et fidelium qui ea liturgia sunt usi. Si Liturgiae sunt *universales* tunc implicant traditionem et magisterium (ordinarium) universale, et sunt documenta eximii valoris [17].

18. Theologia dogmatica sive theoretica et Theologia practica. *Ratione materiae* Theologia potest esse theoretica vel practica.

Theologia *theoretica* versatur circa veritates quae *immediate et directe* non ordinantur ad actionem hominis dirigendam; sistit ergo immediate in contemplatione veritatis, etsi mediate et indirecte obiectum habeat practicum, sc. actionem illam qua spiritus vivit illas veritates [18]. Dicitur etiam Theologia *dogmatica,* quia multum versatur circa dogmata seu circa illas veritates revelatas, ab Ecclesia ut tales propositas.

Theologia *practica* versatur circa veritates quae *directe* tendunt ad vitam hominis dirigendam. Alia est Theologia *moralis,* quae versatur circa actionem humanam prout licitam vel illicitam, vel prout conformanda sit cum norma supernaturali moralitatis; alia est Theologia *spiritualis* (ascetica et mystica), quae versatur circa perfectionem supernaturalem actionis et vitae humanae; Theologia denique *pastoralis* ostendit modum sese gerendi in cura animarum.

17 Cf. *Etapas dei proceso teologico:* EstEcl 19 (1945) 168-170. De valorc Liturgiae iuxta diversas formas argumentationis theologicae agit M.Pinto,'S.I., *O valor teoldgico da Liturgia* (Braga 1952).

18 Cf. E.Sauras, O.P.: CiencTom 66 (1943) 329-332; et eiusdem auctoris, *Inmanencia y pragmatismo de la Teologta:* RevEspT 5 (i945) 375-403.

Iuxta S.Thomam sacra doctrina magis est speculativa quam practica, quia principalius agit de rebus divinis, quam de actibus humanis I9. S.Bonaventura sublineat aspectum practicum et affectivum in Theologia: quia si intellectus consideratur in se, perficitur per scientiam speculativam; si consideratur ut regulans actionem, perficitur per scientiam practicam vel moralem; si vero consideratur modo intermedio, ut *natus extendi ad affectum,* perficitur per habitum intermedium inter pure speculativum et pure practicum, et hic habitus est *sapientia,* quae simul dicit cognitionem et affectum; scientia theologica est talis habitus intermedius, et pro fine habet tum contemplationem tum ut boni fiamus, principaliter tamen ut boni fiamus 20.

Divisio, de qua in n.7-10, in Theologiam positivam et scholasticam sive speculativam, spectabat ad methodum. Haec vero divisio, in Theologiam dogmaticam (theoreticam) et practicam, spectat —uti diximus— ad materiam; atque in utraque Theologia procedi potest methodo cum positiva tum speculativa.

19. Theologia kerygmatica. Theologia sic dicta *kerygmatica* contendit ordinari ad *kerygma* sive ad praedicationem. Quoniam ad praedicationem caput est movere voluntatem, voluntas autem movetur per propositionem boni sive valorum rerum: haec Theologia contendit, non quidem omittere propositionem veri (verum et bonum convertuntur), sed praesertim insistere valoribus dogmatum. Ex hoc fine—aiunt—desumendi sunt modus procedendi et nucleus huius Theologiae: lesus Christus 21.

Nobis haec/unctio kerygmatica sive consideratio valorum in Theologia omnino procuranda videtur, eosque auctores laude dignos existimamus qui in rem peculiari industria laboraverunt; sed non *ideo necessarium esse videretur independentem sive autonomam Theologiam constituere.*

20, Theologia et progressus. Sunt etiam qui recenter insistant *studio theologico rerum terrestrium,* quales sunt societates humanae, culturae et civilizationes, artes pulchrae et industriales, labor humanus, corpus, technica... ea mente ut hoc studio ex fontibus revelationis appareant valores spirituales rerum temporalium et dissociatio inter regnum Christi et res

19 x q.x a.4.

20 *In i Sent, prooern.* q.3 : Opera (Quaracchi) 1,13.

21 Cf. F.Lakner, *Das Zentralobjckt der Théologie:* ZkathTh 62 (1938) 1-39; H.Rahner, *l ine Théologie der Verkiindigitng* (Freiburg i.B. 1939); C.Fabro, *Una nuova teologia: La *Teologia della predicazione»:* DivThom(Pi) 45 (1942) 202-215; *Etapas dei proceso teolôgico:* Est lici 19 (1945) 192-196. Recenter E.Kappler, *-Die Verkündigunstheologie* (Freiburg in der Schweiz 1949). PJ.KuNicrc, O.P., *S.Thomas et theologia 'kerygmatica»:* Ang 32 (1955) 35-51.

temporales in pluribus societatibus humanis vitetur... 22. Quod sane studium, non semper praetermissum, in Theologia vere completa optime praestari poterit, sive ex consideratione Dei *creatoris* talium rerum terrestrium et *finis* earum, sive ex studio relationum inter poenas peccati originalis et mundum temporalem, sive denique ex ordine redintegrationis et *restaurationis atque consummationis omnium rerum,* sive quae in caelis sunt sive quae in terris, *per Christum et in Christum.*

21. Alii vero locuti sunt de *theologia nova* 23.

Proprium quidem est theologi ut suae aetatis hominibus sive ore sive scriptis ita loquatur, ut intelligenter et libenter audiatur. «Ex quo id infertur, ut in proponendis et proferendis quaestionibus, in argumentationibus ducendis, in dicendi quoque genere deligendo oporteat sui saeculi ingenio et propensioni sapienter orationem suam accommodent. At quod immutabile est nemo turbet et moveat... Cum novae vel liberae agitantur quaestiones, catholicae doctrinae principia semper mentibus praefulgeant; quod in re theologica omnino novum sonat, evigilanti cautione perpendatur; certum firmumque ab eo quod coniectura ducitur, ab eo quod labilis nec semper laudabilis mos etiam in theologiam et philosophiam introducere et invehere potest, secernatur; errantibus amica praebeatur manus, nihil autem indulgeatur opinionum erroribus» 24.

22. De methodo discendi. Theologus id in primis praetendere debet ut, *sub ductu Ecclesiae Magistrae,* fundamenta religionis catholicae alte cognoscat et motiva credibilitatis fidei intime penetret; dein ut cognitionem illam dogmatum *claram ac rectam, solidam atque intimam* sibi comparet, aliarumque veritatum revelatarum, nihil negligendo ex aliis doctrinis quae cum dogmate connectuntur aut ex dogmate derivantur. Sic *corpus systematicum, atque adeo scientificum,* totius doctrinae fidei sibi efficiet, eoque munitus sive propriae saluti spirituali sive saluti proximorum efficacius incumbere valebit.

22 Praeter Iacobum Balmes, qui a.1841-1844 de simili obiecto egerat in eius opere *El Catolicismo comparado con el Protestantismo en sus relaciones con ia civilizaciôn europea,* cf. L.Malevez, S.I., *La Philosophie chrétienne du progrès:* NouvRevTh 64 (1937) 377-385; et G.Thils, *Théologie des réalités terrestres: I, Préludes* (Desclée 1946). Ibi praeçertim p.72-76, schema rerum tractandarum; t.II, *Théologie de l'Histoire* (Bruges 1949); *Théologie et réalité sociale* (Tournai 1952).

Legi potest, praeter *Litteras «Humani generis»* (AAS 42 [1950] 561-578), M.Nicolau, *La novedad en Teologta:* EstEcl 24 (1950) 5-41.

24 Pius XII in allocutione *ad Patres S.I.Congregationis generalis XIX* (17 septembris 1946): AAS 38 (1946) 384s. Cf. etiam allocutionem *'ad Capitulum generale O.P.* (22 septembris 1946): AAS 38 (1946) 386-388.

23. *Doctrina vero Sancti Thomae* eiusque ratio, utpote solidior atque securior et magis ab Ecclesia approbata, sancte servanda erit. Commendationes *Doctoris Angelici atque Communis* multae a Summis Pontificibus factae sunt 25.

«At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia: neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videatur» 26.

24. Methodus autem, quae a Sancta Sede pro scholis theologicis (et philosophicis) commendatur, est *methodus cum positiva tum scholastica.* Ita docet *Constitutio «Deus scientiarum Dominus» :*

«In Facultate Theologica principem locum teneat sacra Theologia [dogmatica]. Haec autem disciplina methodo cum positiva tum scholastica tradenda est; ideo veritatibus fidei expositis et ex sacra Scriptura et Traditione demonstratis, earum veritatum natura et intima ratio ad principia et doctrinam S.Thomae Aquinatis investigentur et illustrentur» (a.29).

«In parte disciplinarum *positiva* auditores ita instituantur, ut non solum ipsam doctrinam probe addiscant, sed etiam fontes singulis disciplinis proprios legesque eosdem interpretandi cognoscant atque laboris scientific! subsidia et adiumenta cum fructu adhibere assuescant».

«In quaestionibus *speculativis* sive Theologiae sive Philosophiae adhibeatur methodus quam scholasticam vocant, non neglecta, tam in proponendis argumentis quam in afferendis, disputandis, solvendis difficultatibus, forma *syllogistica.* Hac autem methodo auditorum mentes ita excolantur, ut apti paratique efficiantur non solum ad falsa systemata erroresque antehac exortos dijudicandos et refutandos, sed etiam ad discernendas et ex veritate aestimandas sententias novas quae forte in disciplinis theologicis vel philosophicis exoriantur» (Ordinationes S.Congr. de Semin, a. 18, § 2,3).

25. *Exercitia* quoque scholastica magnopere aestimanda erunt, illa nimirum «quibus auditores scientificam investigandi methodum et artem proponendi etiam scriptis ea quae studio assecuti sint, sub ductu Professorum addiscant». Insuper haberi debent «disputationes scholasticae, quibus au-

25 Inter alias: Leo XIII, «Aeterni *Patris·* (4 augusti 1879): ASS 12 (1879) 108-115; CIC) 0.1366 § 2; Pius XI, *'Studiorum Ducem·* (29 iunii 1923): AAS 15 (1923) 309-329; *'Deus scientiarum Dominus·* a.29 *a) etc);* Ordinat, a.18 § 1; Pius XII: AAS 31 (1939) 246; itemque AAS .18 (1946) 384-387S. Recentius in *Encyclica 'Humani generis·: AAS 42 (1950) 573; D* 2322; It in Allocutione occasione IV Centenarii P.Universitatis Gregorianae: AAS 45 (1953) 685.

26 Pius XI, *'Studiorum ducem·:* AAS 15 (1923) 324; EC 1178.—Atque Pius XII: «Hac «utem in re [de praescriptionibus sequendi S.Thomam) nunc minoris videntur esse momenti quaestiones, in quibus sub ecclesiastici magisterii ductu auspicioque semper libera fuit opinandi et disputandi potestas, quantaecumque eaedem in philosophicis et theologicis indaitionibus et disceptationibus ducendae sunt. Eoquc minus nunc sermo est de illis doctrinarum ad physica seu ad rerum naturam attinentium opinationibus et formulis, quae praeteriti temporis propriae et peculiares erant...» *(Ad Capitulum generale O.P.:* AAS 38 [1946] 387). h. ni authentice declarando sensum canonis 1366 § 2 (CIC) in Allocutione occasione IV Centenarii Universitatis Gregorianae: AAS 45 (1953) 685s.

ditores doctrinam penitus cognoscere, dilucide' exponere, efficaciter tueri assuescant» 27.

Atque in his exercitationibus commendandis uno ore conclamat antiquitas; ab antiquis enim semper summopere in pretio habitae ad profundos solidosque theologos efficiendos. Sufficiat adducere celeberrimum Ioannem Maldonado, S.I., in Universitate Parisiensi professorem, ita de iis sentientem et diversa earum genera commendantem:

«Exercitationes vero quanto plures erunt ac utiliores, tanto doctiores efficient auditores. Septem autem videntur necessariae: Prima est, ut finitam praelectionem et recentem adhuc, vel in ipso gymnasio vel alibi repetant, quoad recte omnia intellexerint et memoriae mandaverint; 2.s, ut alia hora eiusdem diei iterum repetant deque ea disputent in schola aut alibi, praesente praeceptore; 3. ut die sabbati aut festis diebus disputent in schola aut alibi, praesidente praeceptore, per duas horas; 4. ut singulis mensibus celebriores disputationes habeant per dimidium diem, ubi non solum discipuli, sed etiam praeceptores disputent; 5.«, ut singulis quoque annis, ante studiorum renovationem generalem, per unum aut alterum diem cum quanta maxima fieri poterit celebritate disputationes sustineant; 6. ut praelectiones aliquando de rebus privatim domi habeant, ut paulatim in praeceptores efformentur; 7.', ut quaestionem aliquam scripto tractent et praeceptori corrigendam praebeant...»28.

Hac sane, prudenter accommodata, methodo si Theologia tractetur, soliditatem et exactam ratiocinationem consequeris, pot'us quam speciem aut indigestam copiam erudition's 29.

26. Theologia et vita sacerdotalis. Theologiam esse necessariam pro ministerio sacerdotali constat ex aperta et frequenti doctrina Ecclesiae. Sic in *Encyclica «Ad catholici sacerdotii»,* ubi disertissima occurrit recordatio illius Malachiae (2,7):

27 *Constitutio «Deus scientiarum Dominus»,* a.30 § 1.2; cf. Ordinationes a.22-24· —Dc instructionibus Sanctae Sedis circa methodum theologicam tractat M.Nicolau, *Modemidad* y *Escoldstica:* EstEcI 29 (195S) >3-36.

28 MbnUftl. *Paedag. S.I.* (Monum. Historica S.I.) p.866s.

29 Dc ratione vero quomodo argumenta scholastica fieri debent docent logici. Audiatur autem quomodo id urgebat theologus Io.Maldonado: «Illud... requiro...: ut argumentationem quam paucissimis, quam aptissimis, quam dilucidissimis verbis proponat... ; ut argumentum non deserat, non mutet, non remittat; sed, ubi vis est argumentationis, ibi maneat, ibi insistat, ibi inhaereat, inde adversarium oppugnet, eo fugientem revocet atque vagantem; ut non aliud proferat quam ab adversario negatum sit... Soletis enim plerumque infirmum argumentum male proponendo magis infirmare; firmum vero non necessariis verbis tegere, obvolvere, obscurare; et, ut breviter planeque loquar, magno verborum circuitu nihil dicere. Quaerendum igitur est argumentum forte, efficax, urgens, neque multis verbis quasi vestibus contegendum; sed veluti una tantum eaque tenuissima tunica succingendum, ut moveri celeriter et agitari possit, et ut nervi eius ossaque conspiciantur. Soletis non unum idemque argumentum, ut disserendi ratio postulat, ad finem usque perducere; sed, eo relicto, nova conquirere, multa simul conglomerare. Soletis non id probare quod negatum est, sed quod vos ipsi fingebatis esse negandum» *fEpist.* et *orat.:* Opera (Parisiis 1677] 3,33; cf. J.M.Bover, S.I.: RazFe 104 [1934) 491) De methodo, etiam in genere, iuxta Maldonado A.Marranzini, S.I., *II metodb teologico del Maldonado nella «Disputatio de Trinitate·* (Rhegii Julii 1954); plura quoque dabit R. Gapdqs, S. L, *Miscellanea de Maldonato* (Madrid 1947)·

«Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius» 30; itemquein *Liturgia ordinationis* exoptatur ut novi presbyteri sint *maturi in scientia,* et *doctrina eorum sit spiritualis medicina populo Dei;* et *in lege divina die ac nocte méditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur.* Paulus vero Apostolus commendabat Timotheo *ut attenderet sibi et doctrinae in iisque instaret ut se ipse et alios salvosfaceret* (1 Tim. 4,16) 31.

27. Pro ipsa quoque vita spirituali et orationis sacerdotum Theologia est apprime necessaria. *Erraret enim si quis putaret, theologicis studiis aut ante sacerdotium neglectis aut postea depositis, posse se, copiosa illa destitutos, quae e doctrinis sacris hauritur, Dei mysteriorumque fidei cognitione, facile in excelsis versari atque ad interiorem cum Deo coniunctionem efferri atque evehi*32. Et Ecclesia damnavit, saltem ut tendentiosam, propositionem Michaelis de Molinos quod *theologus minorem habeat dispositionem quam homo rudis ad statum contemplativi (D* 1284).

28. Haec quidem commoda obtinebuntur si, ut S.Bernardus monet, debita intentione studiis incumbatur. «Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum ut sciant; et turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi; et turpis vanitas est... Et sunt item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant; verbi causa, pro pecunia, pro honoribus: et turpis quaestus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut aedificent; et charitas est. Et item qui scire volunt ut aedificentur; et prudentia est» 33.

29. Ad quae iuvabit, debita proportione, accommodare sequentia verba St i.Bonaventurae:

«Igitur ad gemitum orationis per Christum crucifixum, per cuius sanguinem purgamur a sordibus vitiorum, primum quidem lectorem invito, ne forte credat quod sibi sufficiat lectio sine unctione, speculatio sine devotione, investigatio sine admiratione, circumspectio sine exsultatione, industria sine pietate, scientia sine caritate, intelligentia sine humilitate, studium abs-

10 AAS 28 (1936) 33-36·

31 Cf. etiam CIC cn.130: EC 414.1156.1466 et passim. *De valore Philosophiae et Theologiae* pro munere sacerdotali rite adimplendo disseruit Pius XII in Adhortatione cleri (23 Septembris 1950); «In sacrorum institutione alumnorum, quamvis multarum cognitio disciplinaim perquiratur, in quibus hodie rerum socialium investigatio magni quidem est momenti, maxima tamen uii *doctrinis philosophicis ac theologicis «ad Angelici Doctoris rationem» tribuenda* .'....»; et Summus Pontifex meminit *utilitatis* pro vita *spirituali* et pro *apostolatu,* quae sita .t in illis; et ea *quidem docendi ratione quae in catholicis scholis iamdiu invaluit...* (AAS 42 119So] 687s).

Pius XI, *«Unigenitus Deus»:* AAS 16 (1924) 137.

13 Sermo 36 in Cant.; MI- 183,968.

que divina gratia, speculum absque sapientia divinitus inspirata. Praeventis igitur divina gratia, humilibus et piis, compunctis et devotis, unctis oleo laetitiae et amatoribus divinae sapientiae et eius desiderio inflammatis, vacare volentibus ad Deum magnificandum, admirandum et etiam degustandum, speculationes subiectas propono, insinuans quod parum aut nihil est speculum exterius propositum, nisi speculum mentis nostrae tersum fuerit et politum...» M.

30. Sic fiet ut theologus non tantum possideat scientiam theologicam, sed etiam veniat ad *sapientiam;* idque non tantum eo sensu aristotelico, quod habeat cognitionem rerum per causas altissimas [34] scilicet per primam causam Deum; sed etiam eo sensu quod de rebus divinis cognitionem habeat *saporativam* [36][37]

31. Ita munus *theologi* concipi potest, similiter ac Christus ascensurus in càelum discipulis suis praenuntiavit, esse quasi *testem lesu* in patria et in finitimis regionibus, et usque ad ultimum terrae; videlicet, ut de proximo tractatu loquamur Theologiae apologeticae, theologi erit cognoscere omnia argumenta quae legationem lesu eiusque messianitatem atque divinitatem lucidissime comprobant, ut ea valeat et rudibus et sapientibus verbo efficaci proponere. Nec tantum hoc testimonium pure scientificum reddat pro Christo (quod certe populum multum commovet, cum scit homines eruditos credere), sed gustu spirituali atque interna experientia rerum theologicarum, ipsaque vita, theologus conetur esse testem Christi veracissimum, quasi oculatum et auriculatum, scilicet, *analogice* ad dicta Petri et loannis: Non *doctas fabulas secuti notam fecimus* vobis *Domini nostri lesu Christi virtutem et praesentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis (2* Petr. 1,16); et rursum: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus... anuntiamus vobis* (x Io. l, 1.3)".

34 Itiner. mentis, prolog.: Opera (Quaracchi) 5.296. Cf. etiam Pius XI, «Studiorumducem·: AAS 15 (1923) 321: EC 1442-1444.14675 et passim.

35 S.Th.. i q.i a.6.

36 S.epNAVENTURA, *In 3 Sent,* dist.35 q.2: Opera 3,774a. De doctrina S.Bonavent. in tota hac re, cf. B.Madariaca, O.F.M., Cumino de *la ciencia a la sahiduria* (Onate 1945).

37 Prices ab Ecclesia commendatas et indulgentiis ditatas pro iis qui studiis incumbunt invenies in collectione *Enchiridion indulgentiarum. Preces et pia opera* (1950) n. 759-765. Inter has merito laudatur atque ab aliquibus effertur (v.gr. a Io.B.Ferreres in suo Compendium *Theolofiiae Moralis)* sequens Actus consecrationis studiorum *B.Mariae V:*

•Sub patrocinio tuo, Mater dulcissima, et invocato immaculatae Conceptionis tuae mysterio, studia mea laboresque litterarios prosequi volo: quibus me protestor hunc maxime ob finem incumbere, ut melius divino honor' tuoque cultui propagando inserviam. Oro te igitur. Mater amantissima, sedes sapientiae, ut laboribus meis benigne faveas. Ego vero, quod iustum est, pie libenterque promitto, quidquid boni mihi inde successerit, id me tuae apud Deum intercessioni totum acceptum relaturum. Arnen» (Indulgentia trecentorum dierum semel in die; *Enchiridion indulgentiarum* [1950] n.763).

Bibliographia generalis pro universa Theologia

32. In hoc subsidio litterario tradendo non ea est mens ut omnes theologos omnesque eorum tractatus recensentes exhauriamus; mens est ut eos tantum commemoremus, qui pro studio scholarum vel potiores sunt et principes evaserunt vel occurrent frequentiorcs, vel denique ad manus positi inventu sint faciliores atque pro labore commodiores.

In hac ergo generali bibliographia ad aliqualem introductionem in Theologiam *opera generalia,* incomplete sane, intendimus recensere sive selectiora sive frequentiora; neque illos adducemus theologos qui singulares tractationes ediderunt aut quaestiones peculiares illustraverunt; horum enim mentio erit opportunior, si eos ante singulos tractatus vel inter disceptandum commemorabimus.

33. 1. Pro historia generali Theologiae.

Grabmann, Martin, Die *Geschichte der katholischen Théologie seit dem Ausgang der Vdterzeit* (Freiburg im Breisgau 1933).
Eiusdem versio hispana a P.David Gutiérrez: *Historia de la Teologla catolica desdefines de la era patristica hasta nuestros dias* (Madrid 1940).

— Eiusdem versio itala a G.di Fabio (Milano 1939) varie aucta ab ipso Auctore.

Congar, M.-J., art. *Théologie,* praesertim § II: *La Théologie. Elude historique:* DTC 15,341-447.

Bellamy, J., *La Théologie catholique au XIXe siècle3* (Paris 1904).

Hocedez, Edgar, S.I., *Histoire de la Théologie au XIXe siècle.* 3 t. (Bruxelles 1949-1952).

Insuper non raro auctores *infra, n.35,* citandi conspectum breviorem historicum totius Theologiae exhibent.

2. Tractationes de universa ferme Theologia

34. a) *Inter magnos scholasticos.*

Petrus Lombardus, Magister Sententiarum (f 1160), *Libri IV Sententiarum,* studio et cura PP.COllegii S.Bonaventurae in lucem editi2. 2 t. (Ad Claras Aquas [Quaracchi] 1916).

Alexander Halensis, Doctor Irrefragabilis (t 1245), *Summa Theologica.* 4 t. (Ad Claras Aquas [Quaracchi] 1924-1948).

S.Thomas /Xquinas, Doctor Angelicus et Communis (1225-1274), *Summa Theologica* (t.4-12 inter *Opera omnia iussu impensaque Leonis XIII P.M. edita,* Romae i882ss).

- *Summa contra Gentiles* (in eadem collectione t.i3ss).
- *Commentarius in IV libros Sententiarum.*

Quaestiones disputatae (De veritate, De potentia, De malo...) Opera omnia, t.1-34 (Parisiis [Vivès] 1871-1880).

S.Bonaventura, Doctor Seraphicus (1221-1274), *Commentaria in IV libros .Sententiarum (t.1-4* inter *Opera omnia,* Ad Claras Aquas [Quaracchi] 1882-1902).

— *Opuscula varia theologica* (in eadem collectione t.j).

Ioannes Duns Scotus, Doctor Subtilis ac Marianus (c. 1270-1308), *Commentaria oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum, 2* t. (Ad Claras Aquas 1912-1914).

Reportata parisiensia (t.22-24 inter *Opera omnia,* 26 t. Parisiis [Vivès] 1891-1894).

Opera omnia ...studio et cura Commissionis scotisticae... (Civitas Vaticana I95oss).

Capreolus, Ioannes, O.P., Princeps Thomistaruni (f 1444), *Defensiones Theologicae Divi Thomae Aquinatis* [4 t. Venetiis 1483] de novo editae cura et studio C.Paban et Th.Pegues, 7 t. (Turonibus 1900-1908).

Caietanus, Tomas de Vio, O.P. (1469-1534), *Commentaria in «Summam» Sancti Thomae* (Lyon 1540...). Nova editio in Leonina editione *Summae* Sancti Thomae.

Valencia, Gregorius de, S.I. (1549-1603), *Commentariorum theologicorum tomi quatuor,* in quibus omnes *materiae quae continentur* in «.Summa» Divi *Thomae Aquinatis explicantur* (Ingolstadii 1591-1597).

Banez, Dominicus, O.P. (1528-1604), *Scholastica commentaria in Primam Partem... D.Thomae* (Salmanticae 1585); *In Primam Secundae* q.1-18. 71-189, 3 t. (Madrid 1942-1948 edidit V.B. de Heredia, O.P.); *In Secundam Secundae* (Venetiis 1586).

Vâzquez, Gabriel, S.I. (1549-1604), *Commentaria ac disputationes in Primam Partem «Summae Theologicae» S.Thomae Aquinatis, 2* t. (Venetiis, 1600-1608); *In Primam Secundae et* in *Tertiam Partem,* 7 t. (Compluti 1598-1614).

Suarez, Franciscus, S.I., Doctor Eximius atque Pius (1548-1617), *Opera omnia,* 26 t. (Parisiis [Vives] 1856-1861).

S.Robertus Bellarmino, S.I. (1542-1621), *Disputationes de controversiis Christianae fidei,* 3 t. (Ingolstadii 1586-1593) (inter *Opera omnia,* 12 t., Parisiis [Vivès] 1870-1876).

Ioannes a Sancto Thoma, O.P. (1589-1644), *Cursus theologicus in «Summatn Theologicam» D.Thomae.* Nova ed., 10 t. (Parisiis [Vivès] 1883-1886).

Frassen, Claudius, O.F.M. (1620-1711). Scotus *Academicus seu universa Doctoris Subtilis Theologica dogmata, quae ad nitidam et solidam Academiae Parisiensis docendi methodum concinnavit R.P....,* 12 t. (Parisiis 1672-1677.) Editio nova, 12 t. (Romae 1900-1902).

Salmanticenses: Collegii *Salmanticensis Fr.Discalceatorum B.Mariae de Monte Carmelo... Cursus Theologicus «Summam Theologicam» Angelici Doctoris D.Thomae complectens* [a.1679]. Ed. nova. 20 t. et ss (Parisiis-Romae... 1876SS).

Gonet, Ioannes B., O.P. (c. 1616-1681), *Clypeus Theologiae Thomisticae,* 5 v. ed 6." (Lugduni 1681).

35. b) A *saeculo* xvm veniunt sequentes *recensendi.*

AbArzuza, F.X. de, O.F.M.Cap., *Manuale Theologiae .Dogmaticae,* 3 t. (1947-1949).

Bartmann, Bernard, *Lehrbuch der Dogmatik* (Freiburg im Br. 1932).

Baisi, Conradus, *Institutiones Theologiae Scholasticae,* 4 t. (Milano 1948-1949)·

Billuart, F.Carolus Renatus, O.P. (t 1757), *'Summa» Sancti Thomae hodiernis academiarum moribus accommodata,* sive Cursus theologicus iuxta mentem Divi Thomae. Ed. nova, 10 t. (Parisiis 1886).

Casajoana, Valentinus, S.I. (t 1889), *Disquisitiones scholastico-dogmaticae,* 5 t (absolvit P.Ignatius Serra, S.I.) (Barcinone 1888-1895).

Castro Alonso, Emmanuel de, *Institutiones Theologiae scholastico-dogmaticae ad mentem D.Thomae Aquinatis,* 6 t. (Vallisoleti 1894-1896).

Charmes, Thomas ex, O.M.C. (t 1765), *Theologia universa ad usum Sacrae Theologiae candidatorum11, 2* t. (Bassani 1887).

Diekamp, Franz, *Katholische Dogmatik* nach den Grundsâtzen des hl. Thomas, herausgegeben von Klaudius Jüssen. T.III11-12 (Munster 1954)·

Fernândez FernAndez, Petrus, O.S.A. (t 1896), *Cursus theologicus in usum scholarum,* 5 t. (Matriti 1890-1892).

Goupil, Auguste-Alexis, S.I., *Une Théologie en français, 15* t. (Paris, Laval).

Herrmann, J., C.SS.R., *Institutiones Theologiae dogmaticae2,* 3 t. (Romae i9°3)·

Hervé, I.M., *Manuale Theologiae dogmaticae,* 4 t. ed. recentior (Parisiis 1951-1953)·

Hugon, Eduardus, O.P., *Tractatus dogmatici,* 3 t. T.I!10 (Parisiis 1935).

Hurter, H., S.I. (t 1914), *Theologiae dogmaticae compendium in usum studiosorum Theologiae12,* 3 t. (Oeniponte 1909).

Kleutgen, Iosephus, S.I. (t 1893), *Théologie der Vorzeit2,* 5 t. (Miinster 1867-1874).

I.ercher, Ludovicus, S.I. (f 1937), *Institutiones Theologiae dogmaticae* in usum *scholdrum,* 4 t. (Oeniponte 1927SS). Ed. tertia retractata a Professoribus Pontificiae Facultatis Theologicae Canisianae, 4 t. (Oeniponte 1939-1950). T.I» (Barcinone 1951).

l.ottini, Ioannes, O.P., *Institutiones Theologiae dogmaticae specialis,* 3 t. (Florentiae 1903-1904).

Mazzella, Cardinalis Camillus, S.I. (f 1900), *Praelectiones scholastico-dogmaticae* quas habebat... tractatibus qui deerant locupletatae atque in compendium redactae auctore Horatio Mazzella. Editio altera, 4 t. (Romae 1899-1901).

Mendive, Iosephus, S.I. (t 1906), *Institutiones Theologiae dogmatico-scholasticae,* 6 t. (Vallisoleti 1895).

Mors, Iosephus, S.I., *Theologia dogmatica,* 6 t. T.I, *De religione revelata2* (Bonis Auris 1954); t.II, *De Ecclesia Christi. De fontibus revelationis3* (Bonis Auris 1955).

‹ 'I 1EN, Bernardus I., S.I., *Institutiones dogmaticae in usum scholarum,* 6 t. (Chicago 1924SS).

Perrone, Ioannes, S.I. (t 1876), *Praelectiones Theologicae quas in Collegio Romano S.I. habebat.* Ed. nova, 4 t. (Parisiis 1897).

j'i"u:it, Christianus, S.I. (t 1925), *Praelectiones dogmaticae6-7, 9* t. (Friburgi Brisgoviae 1924).

k· *Compendium Theologiae dogmaticae6,* 4 t. (Friburgi Brisgoviae 1941-1942).

•arente, Petrus, *Collectio theologica Romana ad usum seminariorum,* 7 t. T.I4 (Marietti 1955).

V0111.E, J., *Lehrbuch der Dogmatik,* neubearbeitet von J.Gummersbach, S.I., i t t. T.I10 (Paderborn 1952).

]'i i··. Narcissus—Xarrié, Franciscus, O.P. (t 1865, 1866). *Institutiones*

theologicae ad mentem Angelici Praeceptoris D.Thomae Aquinatis, 3 t. (Barcinone 1861-1863).

Scheeben, M.Jos. (t 1888), *Handbuch der katholischen Dogmatik,* 4 v. (Freiburg im Breisgau 1873-1901) (opus continuavit L.Atzberger).

Schmaus, Michael, *Katholische Dogmatik,* 4 vol. Vol.I5 (München 1953).

Schouppe, Franciscus X., S.I. (t 1904), *Elementa Theologiae dogmaticae e probatis auctoribus collecta et divini verbi ministerio accommodata24, 2* t. (Lyon-Paris).

Tanquerey, Ad. (t 1932), *Synopsis Theologiae dogmaticae26, 3* t. (Parisiis 1949-1950).

Tepe, G.Bernardus, S.I., *Institutiones theologicae* in usum *scholarum,* 4 t. (Parisiis 1894-1896).

Val, Honoratus del, O.S.A., *Sacra Theologia dogmatica recentioribus Academiarum moribus accommodata, 3* t. (Matriti 1906-1908).

Van Noort, G., *Tractatus apologetici et dogmatici,* 10 t. Editio quam curavit J.P.Verhaar, *De vera religione5* (Bussum 1949), *De Ecclesia Christi5* (1951), *De fontibus revelationis nec non de Fide divina5* (1949).

Wirceburgensis Theologia. *RR.Patrum Societatis lesu Theologia dogmatica, polemica, scholastica et moralis, praelectionibus publicis* in alma *Universitate Wirceburgensi accommodata* (auctoribus H.Kilber t 1782, Ig. Neubauer f 1795, Th.Holtzdau t 1783. U.Munier). 5 t. Ed. altera (Lutetiae Parisiorum 1852-1854).

Zubizarreta, Valentinus (Fr.Valentinus ab Assumptione), O.C.D., *Theologia dogmatico-scholastica ad mentem S.Thomae Aquinatis,* 4 t. (Vitoria 1948-1949).

— *Medulla Theologiae dogmaticae2* (Bilbao 1947).

3. Subsidia generalia laboris theologici

36. Collectiones documentorum praecipuorum:

Denzinger, Henricus, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum,* quod post Clementem Bannwart et Iohannem B.Umberg, S.I., denuo edidit Carolus Rahner, S.I. Edit. 30.» (Friburgi Brisg.-Barcinone 1955) [D]. Versio hispana *EI Magisterio de la Iglesia* a D.Ruiz Bueno (Barcelona 1955).

Cavallera, Ferdinandus, *Thesaurus doctrinae catholicae ex documentis Magisterii ecclesiastici,* nova ed. (Parisiis 1936) [Cav.]

Kirch, Conradus, S.I., *Enchiridion fontium Historiae ecclesiasticae antiquae* ed.6.“ aucta et emendata, quam curavit Leo Ueding, S.I. (Barcelona 1947) [Kch].

Rouet de Journel, M.I., S.I., *Enchiridion Patristicum. Loci SS.Patrum, Doctorum, Scriptorum ecclesiasticorum, quos in usum scholarum collegit...,* ed.i8A (Friburgi Brisgoviae-Barcinone 1953) [R].

Enchiridion Biblicum. Documenta ecclesiastica Sacram Scripturam spectantia auctoritate Pontificiae Commissionis de re biblica edita2 (Neapoli-Romae 1954) [EB]. Dabimus numeros 2ae editionis, et numeros editionis praecedentis intra [ ]. Editio cum versione hispana a J.Dlaz, Enquiridion biblico bilingue (Segovia).

Enchiridion clericorum. Documenta Ecclesiae sacrorum alumnis instituendis (Romae 1938) [EC].

Patrologiae cursus completus... Series graeca... accurante I.-P. Migne [MG].

Patrologiae cursus completus... Series latina... accurante I.-P. Migne [ML],

Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum editum consilio et impensis Academiae Litterarum Caesareae Vindobonensis [CSEL].

Die griechischen christlichen Schriftsteller derersten drei Jahrhunderte... (Corpus Berolinense) [GChS].

37. 4. Lexica

Dictionnaire apologétique de la Foi catholique contenant les Preuves de la Vérité de la Religion et les Réponses aux Objections tirées des Sciences humaines. Sous la direction de A.d'Ales, 4 éd. 4 t. (Paris 1911-1922) *[DAFC].*

Dictionnaire de Théologie catholique contenant l'exposé des doctrines de la Théologie catholique, leurs preuves et leur histoire. Commencé sous la direction de A.Vacant... (opus continuaverunt E.Mangenot et E.Amann). 15 t. (Paris 1909-1950) [DTC].

Dictionnaire de la Bible..., publié par F.Vigouroux... 5 t. (Paris 1895-1912). *Supplément* publié sous la direction de Louis Pirot... (Paris 1928SS).

Lexikonfür Théologie und Kirche... (ed. Mich.Buchberger; direxit Konrad Hofmann). Zweite neubearbeitcte Auflage des Kirchlichen Handlexikon. 10 t. (Freiburg im Breisgau 1930-1938).

Catholicisme. Hier-Aujourd'hui-Demain, 7 t. Dirigée par G.Jacquement (Paris 1948SS).

Enciclopedia de la Religiôn catôlica, 5 t.(Barcelona 1949-1954).

Enciclopedia Cattolica, 12 t. (Città dei Vaticano 1949-1954).

Hurter, H., S.I., *Nomenclator litterarius Theologiae catholicae theologos exhibens aetate, natione, disciplinis distinctos. 5* t. (Oeniponte 18953s).

CAPUT II

Prolegomena Theologiae fundamentalis

L.Maisonneuve. *Apologétique:* DTC 1,150-1533; Le Bachelet, *Apologétique:* DAFC 1. 189-251; H. Dieckmann, *De revelatione* n.33-75; A.Gardeil, La *crédibilité et l'Apologétique*3 (1928); Id., *Crédibilité:* DTC 3.2201-2310.

38. De natura Theologiae fundamentalis. Theologia est scientia fidei; Theologia fundamentalis est scientia *de fundamentis fidei* vel illa pars Theologiae quae tractat de fundamentis fidei.

Theologia—ut diximus—habet tamquam principia *ex quibus* argumentatur principia fidei; *principia ergo fidei, seu fides sensu obiectivo, sunt fundamentum supra quod aedificium theologicum construitur.* Sed fides vicissim, et Theologia fundata in fide, praesupponunt logice et praerequirunt:

1) Cognitionem certam facti revelationis divinae aliorumque quae ostendunt rationabilitatem fidei et obligationem ei adhaerendi, sc. praerequirunt *cognitionem credibilitatis et credenditatis fidei.* Cognitio horum omnium est etiam sensu logico, etsi *non univoce* conveniat cum *fundamento* supra exposito, fundamentum fidei et fundamentum Theologiae in fide fundatae; quia *mediante eo* fides et Theologia ut rationabiles et credibiles stabiliuntur.

2) Sed quoniam fides, supra quam Theologia catholica fundatur, est fides catholica (n.3-5) et habet tamquam regulam doctrinam Magisterii Ecclesiae (n.6), rationabilitas et obligatio adhaesionis huic regulae praesupponunt *cognitionem certam exsistentiae huius Magisterii infallibilis et authentici, ut custodis verbi Dei revelati.* Sic facile iam patet in quas partes potiores Theologia fundamentalis in primis dividatur.

3) Insuper, ut Theologia dogmatica recte procedat, praesupponitur *cognitio fontium unde hauriat suas veritates et cognitio locorum ad argumentandum.*

Scientia ergo, vel potius pars illa Theologiae, quae agit de his fundamentis logicis fidei et Theologiae est *Theologia fundamentalis.*

39. Ut patet, haec disciplina est veluti *introductio ad Theologiam dogmaticam* et quasi *pons inter Philosophiam et Theologiam dogmaticam.* Considerat etiam totum obiectum revelatum quatenus attendit ad notas generales et communes illius, quod sit credibile, credendum, appetibile... Ideo et vocatur *Theologia generalis* (H.Hurter), *Theologia dogmatica generalis* (F.Egger, P.Minges), *Theologia dogmatica fundamentalis* (A.Tanquerey). Alii vocant illam *Apologeticam,* ex parte potiore quae in Theologia fundamentali consideratur.

Nomen vero Theologiae fundamentalis designat finem internum, primarium et quidem *positivum* et magis comprehensivum huius disciplinae, prae fine externo defensivo, secundario, minoris comprehensionis et aliquatenus negativo, quem nomen *Apologeticae* sonat.

40. Theologia fundamentalis comprehendit duas partes methodo in eis procedendi omnino diversas: *Apologetica* et *Tractatus de fontibus revelationem continentibus.* De his ergo exponenda erit natura.

41. Obiectum Apologeticae. *Apologetica,* ex verbo graeco ἀπολογεϊσθαι, defendere, dicit (in re religiosa) defensionem et iustificationem religionis.

Ex usu distinguitur ab *apologia,* eo quod haec intendat defensionem veritatis particularis vel facti; Apologetica vero catholica intendat *iustificationem scientificam, et ideo systematicam, totius veritatis religiosae, vel facti religiosi catholici.* Non ideo id praestat quod totum dogma catholicum velit intrinsece demonstrare (cum id neque possit fieri, si agitur de mysteriis), neque etiam ex eo quod intendat de omnibus et singulis dogmatibus extrinsecam probationem ex auctoritate (id quod Theologia dogmatica praestat ex fontibus revelationis); sed ideo iustificat religionem catholicam, quod factum fundamentale revelationis divinae per lesum Christum demonstrat, itemque munus Ecclesiae catholicae commissum circa hanc revelationem christianam custodiendam et exponendam.

42. Prout sit conceptus, quem quisque habeat, de fide et de religione, sic diversam concipiet apologeticam fidei et religionis. Ita sunt nonnulli qui fidem sive religionem intelligant vagum et obscurum sentimentum de Deo, vel cultum pure naturalem Dei quin de positivis dogmatibus et officiis cogitent... Nos autem intelligimus fidem religiosam prout Ecclesia catholica illam intelligit, sc. fides est assensus intellectualis (non sentimentum) in veritates a Deo revelatas, propter auctoritatem (scientiam et veracitatem) Dei revelantis (D 1789).

Sicut in *fide humana* credimus non propter intrinsecam rei evidentiam, sed propter extrinsecum testimonium illius hominis qui rem scit, sc. propter cognitam auctoritatem doctrinalem illius qui de re habet scientiam ét veracitatem; sic in *fide divina,* non credimus propter intrinsecam evidentiam veritatis, sed propter ei extrinsecum testimonium Dei, qui rem manifestavit, sc. credimus «propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest».

Fidem autem divinam et catholicam intelligimus assensum in veritates a Deo revelatas et ut tales ab Ecclesia propositas (D 1792).

Saepius et generatim scimus Deum locutum fuisse propter propositionem Ecclesiae, quae ita affirmat. Unde ut fides sit rationabilis, non tantum praerequirit certitudinem de facto revelationis, sive vulgariter sive scientilice acquisitam, sed etiam demonstrationem iuris Ecclesiae catholicae proponendi et docendi doctrinam revelationis -divinae.

43. Obiectum Apologeticae est etiam demonstratio *credenditatis* sive obligationis credendi.

Si enim tantum demonstrat credibilitatem fidei, demonstrat tantum possibilitatem fidei, non vero obligationem eam amplectendi seseque submittendi Magisterio ecclesiastico. Atqui Apologetica eo excolitur ut, ostendendo hanc obligationem, manuducat infidelem ad Ecclesiam, theologo autem sit quasi pons inter Theodiceam et Theologiam. Ergo Apologetica non impleret suum munus, si non attenderet ad demonstrationem credenditatis.

44. Ex dictis constat obiectum Apologeticae non esse agere de qualibet re biologica, sive cosmologica, sive astronomica, sive historica... unde religio impetatur; sed *agere de credibilitate rationali et credenditate religionis christiano-catholicae.* Quare obiectum Apologeticae est *demonstrare factum revelationis divinae et auctoritatem magisterialem Ecclesiae,* et alias veritates quae *proxime* cum his connectuntur. Diximus *proxime:* quia de aliis veritatibus quae *remote* connectuntur, non vacat de iis agere in Apologetica scientifica; neque enim omnes conclusiones aliarum scientiarum sunt de novo demonstrandae, sed recipiendae.

45. Veritates praesupponendae. Non vacat in Apologetica scientifica probare principia quae desumuntur ex aliis scientiis; in his enim probari debent. Sed in apologetica practica saepius haec principia ab initio fulcienda et demonstranda, cum «multis non tam religio desit, quam ratio» (Fénelon).

Veritates quae in Apologetica logice praesupponuntur ad validitatem sui processus et ad efficaciam suarum demonstrationum sunt fundamentum Apologeticae; et hinc sunt etiam fundamenta remota sive *«praeambula» fidei.*

Sic ex Criteriologia retinendus est valor obiectivus cognitionis humanae nostrarumque facultatum et exsistentia veritatis absolutae, non mere relativae; ex Psychologia spiritualitas et libertas animae humanae; ex Theodicea exsistentia Dei personalis et attributa eius praecipua, omnipotentia, omniscientia, veracitas, misericordia, providentia...; ex Ethica obligatio quae exsurgit pro homine tendendi erga Deum finem suum eique cultum privatum et publicum exhibendi...

Ad rem S.Augustinus: «[Deum] nisi et esse et humanis mentibus opitulari credimus, nec quaerere quidem ipsam veram religionem debemus» [1]; et iterum: «Si enim Dei providentia non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum» [2].

Hinc ea philosophia reicienda erit, quae non statuat veritates rationales de Deo et de officiis praesuppositas ad fidem; item, ut videbimus, illa quae impugnet possibilitatem revelationis et factum locutionis divinae; item illa quae impetat obiectivum et sufficientem valorem motivorum credibilitatis, et quidem externorum, ut miracula sunt et prophetiae.

Sed non omnis error philosophicus, etsi crassus, necessario destruit apologeticam validam nec impingit in motiva credibilitatis; quin immo et errores qui apparent in infideli in cursu demonstrationis apologeticae, vel difficultates quas sibi contra demonstrationem facessit, non ideo destruunt sensum communem et usum rationis apud illum, quibus adiutus poterit paulatim falsam philosophiam ex parte relinquere et sensim se veritati religiosae conformare; quae ei ita proponatur qua cor et mens illius apprehendantur.

46. Status initialis mentis. Theologus non incipit inquisitionem apologeticam cum dubio reali et obiectivo, ut volebant Hermes et eius sectatores [3], de rebus quas fides et Ecclesia docent; nec praescindendo totaliter ab iis quae fides declarat —ne ad tempus quidem—: quia theologus apologeta durante inquisitione *non desinit esse catholicus et est de charismate veritatis certus,* et habet obligationem iam antea (etsi forte vulgariter) sibi probatam fidem non deserendi.

«Illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, *nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi aut in dubium fidem eamdem revocandi»* (D 1794). Cf. tractatum II n.43.

1 *De utilitate credendi* c.13 n.29: ML 42,86.
2 *De utilitate credendi* c.16 n.34: ML 42,89.
3 Docrina eorum damnata est a Gregorio XVI. anno 1835 (D i6i8ss)f et in Concilio Vaticano (D 1794.1815).

Praeterea in nulla scientifica investigatione licet praescindere ab aliquo fonte informationis, etsi suspectus videatur; multo magis non licet *reicere fontem iam antea ut certum admissum;* modo haec non influant vitiose in ipsam probationem obiectivam novae veritatis. Lux enim quaeritur cum luce; neque in ipsa Philosophia valet incipere cum dubio reali omnium.

Neque adest periculum psychologicum, propter extrinsecam coactionem Magisterii Ecclesiae, res perperam probatas admittendi; nam per se tale periculum praecaveri potest, sicut etiam ex alia parte et prudens quilibet ab auctoritate et dictis incredulorum cavere debet[4].

Probe tamen curandum erit ne in ipsa *intrinseca* demonstratione veritatum apologeticarum quidquam admittatur aut inducatur quod praesupponat id quod probandum venit, sc. auctoritas Magisterii Ecclesiae.

47. Certitudo obtinenda. Non est mathematica, neque enim agitur quaestio mathematica. Nec semper erit metaphysica, quia non semper agitur de veritatibus ordinis metaphysici. Quaestio agitur in terreno historico-philosophico et ideo certitudo *obtinenda erit ordinis moralis,* etsi non raro reduci possit ad certitudinem metaphysicam. Haec tamen certitudo apologetica non nécessitât intellectum adeo ut neque imprudenter detur locus dubitationi; sed agitur de certitudine *libera,* id quod in re religiosa convenienter accidit.

Accedunt praeterea passiones et concupiscentiae hominis, quae eius mentis serenitatem perturbant in veritate religiosa. Si enim theoremata geometrica influerent in ordinem moralem et psychologicum, facile etiam illa ut paralogismes haberemus (Leibnitz).

«... mens humana difficultates interdum pati potest etiam in certo iudicio «credibilitatis» efformando circa catholicam fidem, quamvis tam multa ac mira signa externa divinitus disposita sint quibus vel solo naturali rationis lumine divina christianae religionis origo certo probari possit. Homo enim sive praejudicatis ductus opinionibus, sive cupidinibus ac mala voluntate instigatus, non modo externorum signorum evidentiae, quae prostat, sed etiam supernis afflatibus, quos Deus in animos ingerit nostros, renuere aç resistere potest» *(Encyclica «Humani generis»;* D 2305).

Et iterum in *Litteris «Humani generis»* circa influxum voluntatis ad cognoscendam veritatem speculativam:

«Numquam enim Christiana philosophia utilitatem negavit et efficacitatem bonarum totius animi dispositionum ad res religiosas ac morales plene

* Cf. S.Harbnt, Foi; DTC 6,349-357.

cognoscendas et amplectendas: immo semper docuit huiuscemodi dispositionum defectum causam esse posse cur intellectus, cupiditatibus ac mala voluntate affectus, ita obscuretur ut non recte videat. Immo Doctor Communis censet intellectum altiora bona ad ordinem moralem sive naturalem sive supematuralem pertinentia, aliquo modo percipere posse, quatenus experiatur in animo affectivam quamdam «connaturalitatem» cum eisdem bonis sive naturalem, sive dono gratiae additam [2.2 q.i a.4 ad 3; q.45 a.2 c]; ac liquet quantopere vel suboscura huiusmodi cognitio investigationibus rationis auxilio esse valeat. Attamen aliud est voluntatis affectuum dispositioni vim agnoscere adiuvandi rationem ad certiorem ac firmiorem cognitionem rerum moralium assequendam; aliud vero est, quod isti novatores contendunt: facultatibus nempe appetendi et affectandi vim quamdam intuendi adiudicare, atque hominem, cum non possit rationis discursu cum certitudine discernere quidnam ut verum sit amplectendum, ad voluntatem declinare, qua inter oppositas opiniones ipse libere decernens eligat, cognitione et voluntatis actu incompte permixtis» (D 2324).

In nonnullis *hypercriticismus* adest, qui ut defectus intellectualis (sicut et scrupuli et indecisiones nimiaeque perplexitates in vita practica) impedire potest aequilibrium mentis et quominus mens serena reddatur in veritate.

48. Apologetica practica. Apologetica alia est theorica, alia practica.

Apologetica theorica attendit ad theoricam expositionem et scientificam systematizationem motivorum omnium et probationum, quae demonstrant religionem christianam atque adeo catholicam esse credibilem et credendam.

Apologetica autem practica, sive *pastoralis,* attendit ad practicum usum horum argumentorum et probationum, prout pastoralis experientia et sensus accommodationis ostendunt esse adhibenda.

Multum, tunc certe valebit psychologia conversionis et prae omnibus attendere ad benignitatem et mansuetudinem Divini Redemptoris 5; nec adeo curandus erit ordo pure dialecticus et abstractus, quam psychologicus, concretus, moralis...; itemiuvabit invocare non tam principia alicuius scholae philosophicae, quam Philosophiae vere perennis.

Ceterum, qui pollet Apologetica theorica et vim diversorum argumentorum bene norit, facilius sese accommodabit circumstantiis concretis et indigentiis animorum, ut aliud prae alio adhibeat argumentum, vel aliam prae alia ineat viam.

Etenim magna difficultas in practica apologesi provenit ex infirma instructione religiosa hominum, aut ex eorum crassa ignorantia. Instructio enim religiosa saepe quasi infantium est,

5 Vide documenta B.Petri Fabro ad P.Lainez circa modum conversandi cum haereticis inartii 1546;; Monum.Hist.S.I., *Fabri Monum.* p.399-402.

in comparatione ad eorum profanam instructionem; quo fit ut plurimae difficultates evanescant ad solam lucem expositionis positivae et clarae systematis catholici de rationabilitate fidei.

49. *Pro practica manuductione ad fidem* haec prae oculis haberi debent: i.°) fidem esse actum intellectus rationabilem, cuius praesuppositum est in cognitione certa facti revelationis divinae; *2.°)* hunc actum fidei imperari libere a voluntate; 3.°) tam actum fidei et praecedens iudicitim credibilitatis, quam imperium voluntatis et praecedens iudicium credenditatis esse actus de facto supernaturales.

Hinc apologeta practicus inniti debet 1.°) ut quanta possit claritate et soliditate ipsum factum revelationis divinae demonstret. Ecclesiae concreditum 6; 2.0) ut quanta possit efficacia ipsam motionem voluntatis et imperium alliciat, proponendo motiva obligationis et bonorum omnium et valorum quae sunt in fide et in religione, et movendo ut homo devitet impedimenta contraria; notum est enim quomodo pravi habitus et mala dispositio cordis obnubilent veritatem moralem et religiosam; *quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum mala opera* (Io 3,19); 3.0) quoniam hoc velle credere et ipsum credere *sicut oportet* superat vires naturae, opus erit humili oratione postulando spiritum bonum a Patre luminum, qui dat omnibus affluenter et non improperat.

Acceptatio autem sincera et generosa novae fidei supponit mutationem hominis et *conversionem,* quae praeparari debet per desiderium lucis possidendae, per cordis humilitatem, per vitae integrae puritatem. Et nunquam satis dicemus—et sentiemus—-haec omnia *supernaturalia per* gratiam divinam, humili et perseveranti oratione acquisitam, esse obtinenda 7.

50. Utilitas Apologeticae. Etsi nomen sonat *defensionem,* non tamen credi debet Apologeticam habere unicum laborem polemicum; includit enim *functionem positivam,* expositionem fundamentorum fidei et Theologiae, modo scientifico et exhaustivo peractam.

Id iuvat non modo ad defensionem et iustificationem fidei catholicae, si quando facienda erit, et *ad pleniorem cognitionem scientificam obiecti theologici;* sed etiam respondet *interesse psychologico* quo quis cupit plene cognoscere fundamenta propriae fidei, et semper paratum esse cupit ad satisfactionem omni poscenti de ea quae in eo est spe (1 Petr 3,15).

Ideo Apologetica *convertit certitudinem vulgarem circa motiva credibilitatis fidei in certitudinem scientificam.*

6 Animadvertere iuvat expositionem motivorum debere esse solidam, ut cognitio eorum alte menti defigatur, nec tantum valeant pro momento praesenti, sed pro tota vita; ne domus supra arenam aedificata veniat in ruinam. Et quoniam haec motiva, etsi clare et solide cognita, de se non nécessitant adhaesionem intellectus, sicut veritates mathematicae evidentes simpliciores, datur locus libero imperio voluntatis ut adhaesio et fides obtineantur

7 De typis conversionis compendiose agit L.Penido, *La conscience religieuse. Essai systématique suivi d'illustrations* (Paris 1935) 4Ï-Γ15. De psychologia conversionis L.Franca, *A Psicologia da fé* (Lisboa 1945) (nova editio); apologetice Th.Mainage, *La Psychologie de la conversion* (Paris 1915); de valoribus dogmaticis, apologeticis et pastoralibus, breviter M.Nicolau, *Valores teolôgicos en «a Psicologia de la conversion* (Granada 1943).

In certitudine vulgari, quae sit vere obiectiva et non mere opinio subiectiva, dantur et cognoscuntur motiva valida ad assensum firmum mentis; haec autem non cognoscuntur *reflexe* et hinc difficultas, pro his qui illam certitudinem tantum habent, sese extricandi a difficultatibus aut exponendi propria certitudinis motiva. In certitudine autem scientifica motiva reflexe cognoscuntur. In scientia vero apologetica omnia fere motiva recensentur, diiudicantur et apte inter se connectuntur.

Discrimen igitur inter certitudinem scientificam et vulgarem est *in cognitione reflexa* motivorum, non autem in firmitate assensus. Unde fieri potest ut homo rudis, habens certitudinem vulgarem tantum, possideat fidem firmiorem quam theologus scientificus, qui novit omnia motiva et de iis copiose disserere potest.

Sed ex cognitione etiam scientifica fundamentorum fidei, *fides amatur,* cum constet esse veram et credibilem nimis; inde fides roboratur.

51. Non esset tamen credendum robur fidei commensurari pura cognitione motivorum credibilitatis, et eum maiorem et intensiorem habere fidem, qui polleat magis scientia apologetica. Fides enim, etsi praesupponat talem cognitionem certam motivorum, pendet ex libero imperio voluntatis, uti dictum iam est (n.47.49). Quare hoc imperium et consequens fides erunt firmiora, intensiora et magis perpetua, quo magis fides ametur et ut bonum consideretur, quo adhaeremus Deo, ponimus in Eo spem nostram. Sic *valores fidei sunt perpendendi* et utilitates illius: quod sit iustum, aequum, bonum, adhaerere primae veritati et pium obsequium intellectus praebere Patri amantissimo; quod iuvat Christo dicenti se credere; quod religio, quam per fidem amplectimur, sit compendium bonorum omnium superiorum, pacis, conscientiae bonae, fortitudinis inter casus vitae miserandos, pulchritudinis etiam moralis...

Hos denique valores, non modo speculative cognovisse, sed etiam *affective expertum fuisse,* summi est momenti ad soliditatem et perpetuitatem fidei in adolescentibus et afflictis confovendam 8.

Pro eo tandem qui debet populum docere, aut pro christiano exculto qui vult rationem reddere (et debet) eorum quae credit; item pro eo qui difficultatibus et obiectionibus occurrentibus velit facere satis: Apologetica est omnino necessaria.

52. Relationes inter Theologiam et Apologeticam. Attendendo ad principia et ad methodum: *Principia scientiae* theologicae sunt veritates fidei; principia Apologeticae sunt ve-

• Cf. M.Nicolau, *La virtud de la fc en las obras del B.Avita:* Manr 17 (1945) *236-252.*

ritates ordinis naturalis, philosophicae, historicae, experimentales...

Methodus demonstrandi in Theologia fundatur in revelatione divina, sc. in fontibus illam continentibus, Scriptura et Traditione; methodus demonstrandi in Apologetica fundatur in ratione naturali.

Theologia supponit fidem, et ille qui fidem non haberet esset pseudotheologus; Apologetica vero reddit fidem possibilem, in quantum adstruit eius fundamentum rationale. Theologia est igitur pro fidelibus; Apologetica dirigitur summopere ad infideles quos intendit convincere.

Si Apologetica interdum easdem veritates considerat ac Theologia dogmatica, v.gr. divinitatem lesu Christi eiusque magisterium, id facit sub diverso obiecto formali; sc. Apologetica in quantum cognoscuntur, et demonstrantur argumentis rationis historico-philosophicis, Theologia dogmatica in quantum cognoscuntur et demonstrantur ex revelatione divina. Quodsi aliquanto quaestiones dogmaticae apologeticis miscentur, praesertim in tractatu de Ecclesia, id propter opportunitatem loquendi fit; sed probe illas ab his distinguas, donec mos invalescat inserendi tractatum de Ecclesia dogmaticum sive de Corpore Christi mystico post tractationem de Verbo Incarnato et de eius Gratia.

53. Nihilominus Apologetica dicenda est pertinere ad Theologiam seu *esse munus theologicum sive functio theologica:* non modo ratione obiecti, eo quod veritates, quas utraque disciplina tractat et affirmat, sunt saepe eaedem, v.gr. Christus Dominus, Ecclesia..., etsi sub diverso respectu considerantur et sub diverso motivo affirmantur; sed, et praesertim, quia *Theologiae dogmaticae est defendere et iustificare sua principia,* sicut facit quaelibet scientia suprema, puta Metaphysicam (quae non est subalternata aliis), cum principia non sunt per se evidentia 9. Ergo Theologiae est iustificare et defendere ipsam fidem divinam et propriam dependentiam a magisterio Ecclesiae, id quod praestat per Apologeticam.

Sicut ergo Metaphysica rationalis defendit propria principia, inter quae illa quae fundant cognitionem humanam (per Criticam et Epistemologiam); sic Metaphysica supernaturalis (Theologia) defendit cognitionem supernaturalem fidei: eius possibilitatem et credibilitatem, agendo (Epistemologia sive Criteriologia supernaturali) de possibilitate revelationis divinae et de criteriis ad veram revelationem dignoscendam, et quomodo haec criteria impleantur in religione christiano-catholica.

9 S.Th., i q.i a.8. Cf. *In I Sent, prolog,* q.i a.3 q.3 sol.II. De sententia Scoti circa pr.ncipiorum defensionem in Theologia cf. Ae.Magrini, O.F.M., *Io. Duns Scoti doctrina de scientifica Theologiae natura:* Ant 27 (1952) 507sq.

Item Theologiae est *ostendere proprietates fidei,* inter quas illa venit memoranda et defendenda: *fidem esse rationabilem,* credibilem; hanc igitur fidei inesse proprietatem debet Theologia probare, idque argumentis rationalibus, sicut cum demonstrat exsistentiam Dei: argumenta erunt rationis, sed consideratio erit theologica I0.

54. Ergo in *Theologia apologetica* valent communes normae theologicae, quae pro ipsa valere possunt; nimirum theologi apologetae erit primum doctrinam Magisterii ecclesiastici circa Apologeticam et circa theses apologeticas invenire et stabilire, iisque ut normis *positivis* (non mere negativis, sicut pro philosopho christiano, puta in definitione de accidentibus et persona) se duci sinere. Demonstrationes tamen non procedent ex ipso Magisterio Ecclesiae aut ex doctrina revelata ut tali; quia, cum id velit praecise demonstrare, esset circulus vitiosus.

Ergo Theologia apologetica agit *sub ductu fidei et Magisterii Ecclesiae,* non tamen arguit ex fide aut ex Magisterio Ecclesiae.

55. Apologetica etiam, demonstrando rationabilitatem fidei, demonstrat indirecte principia Theologiae dogmaticae, ut haec dici possit scientia eo quoque sensu aliquorum, hoc nomen iis tantum disciplinis tribuentium in quibus principia non evidentia probantur. Sic Apologetica dici potest hoc sensu fundamentum logicum, mediatum, extrinsecum, pro Theologia. Sed fundamentum immediatum atque intrinsecum pro Theologia dogmatica, ipsum obiectum revelatum, *non datur ab Apologetica, datur a fide;* sicut cognitio entis naturalis, pro eo qui non est scepticus, non datur per Epistemologiam, datur per cognitionem naturalem, pro priori ad Criteriologiam.

56. Conclusio. Si Apologetica habet obiectum materiale diversum ab eo aliarum scientiarum philosophicarum et historicarum, erit propria et independens ab eis scientia; si etiam habet diversum obiectum formale ac Theologia dogmatica, quia cognoscit suum obiectum in quantum est demonstrabile argumentis philosophicis et historicis (non vero ex revelatione divina) erit etiam scientia diversa a Theologia dogmatica. Haec est *scientia apologetica,* quae ab extra ad intra vult invenire et

10 Atque haec fuit ratio procedendi apud scholasticos. Cf. v.gr. L. de Molina, *Comment, n ! Divi Thomae* q.i a.2 disp.i; Domin. BXSez, *Scholastica commentaria in i Partem q.i* a.8. Suarez agit de credibilitate cum tractat *de fide* d.4.

probare factum revelationis divinae et institutionem Magisterii infallibilis Ecclesiae.

Aliter *Theologia apologetica* quae, ut functio exigitiva Theologiae, ab intra ad extra, sub ductu fidei et Magisterii Ecclesiae, non invenire, sed mere demonstrare vult et ostendere credibilitatem facti revelationis et institutionem Magisterii. Haec est etiam *disciplina diversa* a tractatibus dogmaticis, siquidem demonstrat res aliter ac fit in tractatibus dogmaticis seu habet aliud obiectum formale ac Theologia dogmatica; sed est munus sive *functio eiusdem scientiae theologicae* 11.

57. Alius tractatus Theologiae fundamentalis. Tractatus *de fontibus revelationem continentibus,* sive *de Traditione et Scriptura,* est fundamentum pro Theologia dogmatica, quia Theologiae operae pretium est scire ubi revelatio contineatur, siquidem Theologia dogmatica, ut diximus, efficit suas demonstrationes ex revelatione divina.

Quoniam vero categoriae sive sedes argumentorum in Theologia dicuntur *loci theologici,* ideo hic tractatus vocatur etiam *de locis theologicis;* et quia sedes praecipuae et propriae argumentorum sunt Traditio et Scriptura. Juvat quoque, antequam quis ulterius Theologiam dogmaticam ingrediatur, methodologiam illius, quasi Logicam theologicam, perpendisse.

Hic tractatus *pertinet ad Theologiam dogmaticam,* quia investigat ipsum dogma circa fontes revelationis, et demonstrat ex ipsa revelatione et fide, cognita iam et iustificata per Apologeticam. Est igitur *quasi fundamentum intrinsecum Theologiae dogmaticae,* et eiusdem quidem naturae atque Theologia dogmatica; fundamentum vero aedificii merito dicitur ad aedificium pertinere. Apologetica autem est *fundamentum logicum et quasi-extrinsecum* pro Theologia dogmatica, quia aliter procedit.

Hinc Theologia fundamentalis comprehendit *Apologeticam* et *Tractatum de Traditione et Scriptura,* quasi fundamentum pro Theologia dogmatica, sed aliter et aliter; neque identificantur, nisi inadaequate, Theologia fundamentalis et Apologetica.

58. Proportio inter Theologiam fundamentalem relate ad Theologiam, et Criteriologia et Ontologia relate ad reliquam Philosophiam. Theologia fundamentalis se habet ad Theologiam sicut Criteriologia et Ontologia ad reliquam Philosophiam.

11 Opiniones circa naturam Theologiae fundamentalis (Apologeticae) et eius relationes cum Theologia dogmatica recenset Dieckmann, *De revelatione* n.65-70.

Etenim *a)* Criteriologia et Ontologia sunt *partes Philosophiae;* Theologia fundamentalis est *pars Theologiae.*

b) Criteriologia *non necessario supponit scepticismum realem nec dubitationem methodicam realem* de aptitudine nostrarum facultatum ad verum cognoscendum; quin immo persuasionem habet naturalem de realitate entis et de valore cognoscitivo nostrarum facultatum. Theologia fundamentalis non *includit initialem dubitationem de fide catholica,* sed persuasionem habet, saltem vulgarem, de realitate veritatum fidei et de valore cognoscitivo ope fidei et Magisterii Ecclesiae.

c) Criteriologia inquirit in *valorem cognoscitivum facultatum nostrarum.* Theologia fundamentalis *inquirit in valorem demostrandum revelationis divinae per* lesum et *Magisterii Ecclesiae.*

d) Criteriologia inquirit in *criteria certitudinis.* Theologia fundamentalis inquirit *quaenam argumenta valide et certo demonstrent revelationem divinam factam et magisterium infallibilem Ecclesiae;* insuper Theologia fundamentalis inquirit in locos theologicos sive in *fontes argumentationis certae* pro Theologia dogmatica.

e) Ontologia considerat *principia generaliora de ente, et tradit notiones pro reliqua Philosophia utiliores.* Theologia fundamentalis considerat rationem generaliorem credibilitatis et credenditatis... *totius revelationis divinae et omnis propositionis Ecclesiae; et tradit notiones generaliores casque utilissimas:* sc. religionis, revelationis, rei supernaturalis, mysterii, miraculi, prophetiae, legati, Messiae, martyrii, infallibilitatis, rei de necessitate medii, inspirationis..,

59. Duae viae apologeticae. Demonstratio apologetica potest fieri incipiendo ab ipso facto hodierno Ecclesiae, facile perceptibili; qua quidem via multi, rudes praesertim, ad cognitionem motivi vere validi pro credibilitate fidei catholicae inducuntur. Ecclesia enim «per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invietamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile. Quo fit, ut ipsa veluti *signum levatum in nationes* et ad se invitet qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur» (D 1794).

Sic per analysim huius facti Ecclesiae, simul et deducendo ope ratiocinii, potest quis statuere divinam originem magisterii infallibilis et authentici Ecclesiae, et ad historicum fontem illius pervenire et *retrogredi* ad ipsum Conditorem, lesum Christum, cuius revelatio credibilis maxime et divina demonstrabitur et credenda apparebit omnibus... Haec est ergo via *regressiva* 'et *ascendens.*

60. Alia est via *historica et chronologice progressiva,* qua quis ex examine historico vitae lesu Christi concludit ad fac-

tum certum revelationis divinae ab ipso manifestatae *(demonstratio Christiana);* et inde inquirit in notas institutionis Christi ad opus continuandum suum, ut tandem perveniat ad certam conclusionem institutionis Ecclesiae catholicae ut custodis et magistrae revelationis lesu Christi *(demonstratio catholica).*

Nos hanc viam sequemur quae, utpote sequens ordinem historicum et chronologicum, magis apta videtur ad facta omnia et argumenta in ordinem scientificum redigenda.

Ut introductio autem ad demonstrationem facti revelationis christianae, atque ut defensio contra adversarios, agendum erit de *theoria revelationis,* quo eius conceptus et momenta facilius postea ad ordinem concretum applicentur. Et quoniam ipsa revelatio fundat religionem supernaturalem, de qua sumus acturi, opus erit antea tractare de *religione,* ut factum naturale religionis cognoscamus *(demonstratio religiosa).*

61. En iam conspectum tractationis in Theologia fundamentali et in Theologia dogmatica:

Bibliographia generalis pro universa Apologetica

62. Praeter auctores de quibus egimus in n.34-37, qui universam tractant Theologiam, nunc veniunt recensendi sequentes:

Aliberch, Sebastianus, *Novissimum Breviarium de locis theologicis, praeposita de Theologiae prolegomenis disquisitione3* (Vici 1891).

Béni, Arialdo, *La vera religione* (Firenze 1949), *La vera Chiesa* [Cipriani, Settimio, *Le fonti della Rivelazione]* (Firenze 1953).

Brinktine, J.. *Offenbarung und Kirche2,* 2 t. (Paderborn 1947-1949).

Brunsmann, Iohannes, S.V.D., *Lehrbuch der Apologetik2, 2* t. (St.Gabriel bei Wien 1930).

Calcagno, Franciscus X., S.I., *Theologia fundamentalis.* V.I Cursus *Theologici a Professoribus Facultatum Cheriensis et Kurulitanae exarati* (Neapoli 1948).

Casanovas, Ignacio, S.I., *Conferendas apologéticas, 2* t. (Barcelona 1950).

Cotter, Anthony C., S.I., *Theologia fundamentalis2* (Weston 1947).

Didiot, Jules, *Logique surnaturelle objective* (Paris-Lille 1892).

Dorsch, Aemil., S.I., *Institutiones Theologiae fundamentalis2-2,* 2 t. (Oeniponte 1930) [T.III: *De inspiratione S.Scripturae2* 1927].

Falcon, Ioseph, S.M., *La crédibilité du dogme catholique. Apologétique scientifique2* (Paris 1948).

Felder, Hilarinus, O.M.Cap., *Apologetica* sine *Theologia fundamentalis in usum scholarum2, 2* t. (Paderbomae 1923).

Garrigou-Lagrange, Reg., O.P., *De revelatione per Ecclesiam catholicam proposita5,* 2 t. (Romae 1950).

Gutberlet, G., *Lehrbuch der Apologetik4,* 3 t. (Münster i.W. 1914).

Goebel, Bernardin, O.M.Cap., *Katholische Apologetik* (Freiburg im Breisgau 1930).

Hettinger, Franz, *Lehrbuch der Fundamentaltheologie.* Dritte, neu bearbeitete Auflage von S.Weber (Freiburg im Breisgau 1913). Versio Hispana, 2 t. (Madrid 1883).

Kneib, Philipp, *Handbuch der Apologetik* (Paderborn 1912).

Lang, Albert, *Fundamentaltheologie, 2* t. (München 1954).

Marxuach, Francisco de P., S.I., Origen *divino de la Iglesia y de su dogma* (Barcelona 1925).

Mazzella, Camillus, S.I., *De religione et Ecclesia praelectiones scholastico·dogmaticae6* (Prati 1905).

Michelitsch, Antonius, *Elementa Apologeticae sive Theologiae fundamentalis2* (Graecii et Viennae 1921).

Ottiger, Ignatius, S.I., *Theologia fundamentalis, 2 v.* (Friburgi Brisgoviae 1897-1911).

Schiffini, Sanctus, S.I., De *vera religione seu de Christi Ecclesia eiusque munere doctrinali* (Senis 1908).

Specht, Thomas, *Lehrbuch der Apologetik oder Fundamentaltheologie2* (edita a G.L.Bauer) (Regensburg 1924).

Van Laak, H., S.I., *Institutionum Theologiae fundamentalis Repetitoriuin* (Romae 1921).
— Eiusdem auctoris sunt diversa opera ubi fusius declaraverat quae in *Repetitorium* continentur. Conficiunt omnia: *Institutiones Theologiae fundamentalis;* inter quas tractatus I: *De Theologia generatim;* Tractatus II: *De religionis revelatione in abstracto considerata...;* Tractatus III: *De revelatione Christiana.*
Yelle, G.-Fournier, R., S.S.S., *Apologetica* (Montréal 1945).
Yelle, G., *De Ecclesia et locis theologicis* (Montréal 1945).
Weber, Simon, *Christliche Apologetik in Grundzûge fur Studierende* (Freiburg im Breisgau 19C7).
Zigliara, Thomas Maria, O.P., *Propaedeutica ad Sacram Theologiam in usum scholarum seu Tractatus de ordine supernaturali5* (Romae 1906).

63. Bibliographiam generalem Hispanam circa rem apologeticam recensuit cum commentario F.de B.Vizmanos, S.I., in volumine Où en est *l'enseignement religieux? Livres et méthodes de divers pays* (Tournai 1937) 350-366.

Inter opera recentiora *hispana, ad usum potissimum laicorum* destinata, veniunt memoranda:

Marîn Negueruela, Nicolâs, *Lecciones de Apologetica,* 6.· ed. (Madrid 1944).
Coll Pérez, Andrés, *Criteriologia religiosa y Eclesiologia* (Madrid 1943).
Ayuso Marazuela, Teôfilo, *La Revelaciôn y la Iglesia,* 4.» ed. (Zaragoza 1950).
Tusquets, Juan, *La critica de las religiones* (Barcelona 1946).

Inter opera gallica, ut encyclopaedia popularis, *Apologétique* (Paris, Bloud et Gay, 1948) 1386+96 p., in collectione *Les manuels du catholique d'action.*

Item alia opera gallica, versa in linguam hispanam:

Boulenger, A., *Manual de Apologética,* 2.“ ed. (Barcelona 1936).
l liLLAiRE, A., La *religiôn demostrada, 10.“* ed. (Barcelona 1955).

Lusitane Cerruti, Pedro, S.I., *A Caminho da verdade suprema os i ieâmbulos dafé* (Rio de Janeiro 1955).

Schema historicum Apologeticae

L.Maisonneuve, *Apologétique:* DTC i, 1533-1580; X.M.Le Bachelet, *Apologétique. Apologie:* DAFC 1,189-225; G.Bareille, *Apologistes:* DTC 1,1580-1602; Dieckmann, *De revelatione n.76-117:* Tanquerey, I24,36-90: Lercher-Schlagenhaufen, *Theolog. fundam.* n.89-94; K. Werner, *Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christlichen Rhéologie,* 5 v. (Schaffhausen 1861-1867).

64. Cum religio Christiana ab initio appareret religio exclusivista, ceteris opposita religionibus, vitiisque naturae contradicens, ab initio debuit se ipsa defendere ab infidelibus et iudaeis, simul et proprios titulos ostendere quibus volebat quasi religio unice legitima admitteretur. Hinc ortus sane antiquior Apologeticae, non tantum defensivae et negativae, verum etiam expositivae et positivae.

65. Periodus primaeva. Iesus Christus, proposita sua legatione divina, adversus iudaeos incredulos non praetermisit indicare *argumentum ex sua indole personali* legati sancti et veracis (Io 7,18; 8,14...); sed ut justificaret directe suam legationem *appellavit ad prophetias Veteris Testamenti* in se impletas, quoniam ipsae Scripturae sunt quae testimonium perhibebant de eo (Io 5,39.46), et necesse erat impleri omnia quae in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de eo scripta erant (Lc 24,44; cf. Lc 4,21...); vel appellabat Iesus idque maxime ad *opera miraculosa,* quae ipse patrabat, ut operibus crederent, quia opera quae ipse faciebat testimonium perhibebant de eo quod Pater miserat eum (Io 5,36; 10,38; 14,10-13...); vel invocabat *adimpletionem vaticiniorum a se emissorum,* ut cum factum fuerit crederent sui (Io 14,29; 13,19; 16,4; Mt 24,23-25...); vel quasi signum per antonomasiam appellabat ad miraculum maximum, ad *propriam resurrectionem* signum quod dandum erat generationi incredulae et adulterae (Mt 12,38-40; 16,1-5)L

66. Propter miracula crediderunt Apostoli et discipuli (Io 2,11; Mt 14,33; Io 3,2; 11,47; 12,11...); itemque Apostoli, praedicantes missionem et opus lesu, contestantur coram iu-

l De apologia ab ipso lesuchristo scripsit M.Tual, *Jésus-Christ son propre apologists* (Paris 1924).

daeis prophetias impletas et resuscitationem lesu, quoniam Deus, quae praenuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum, sic implevit (S.Petrus: Act 3,18...); et israelitae ignorantes lesum et voces prophetarum, quae per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleverunt... consummantes omnia quae de eo scripta erant (Act 13,27-29). Sic S.Paulus ad iudaeos praedicabat annuntians eam quae ad patres eorum repromissio facta erat, quoniam hanc Deus adimplevit filiis eorum resuscitans lesum... (Act 13,32s). Quod si ad gentes populosque omnes praedicabant Apostoli, Dominus cooperabatur et sermonem confirmabat sequentibus signis (Mc 16,20) 2.

Patres Apostolici insistunt in adimpletione vaticiniorum V.T. circa Messiam et circa novum Foedus aut oeconomiam salutis.

67. Apologistae sequentes, in saeculo secundo, quod vocatum est *saeculum apologetarum,* debuerunt quoque in iisdem immorari, praesertim adversus iudaeos, quorum maxime hoc argumentum intererat. Sed et calumniae gentilium refutandae erant, nimirum quod christiani athei essent, siquidem non colebant deos visibiles; quod infensi essent statui et imperatoribus, quos recusabant colere ut deos; quod flagitia nefanda committerent, carnem puerorum comederent, odio haberent genus humanum; quod crucifixum hominem adorarent... Haec et alia similia et absurda refutanda erant; quod et *recta expositione doctrinae et directa reiectione calumniarum* praestant apologistae: Auctor epistolae ad Diognetum, S.Quadratus *(Apoltgia,* ca.124), Aristides *(Apologia* ca.140), S.Iustinus, facile princeps apologetarum *(Apologia, Dialogus cum Tryphone,* medio saeculo II), Tatianus *(Adversus graecos oratio,* ca.165), Athenagoras *(Legatio pro Christianis,* ca.177), S.Theophilus Antiochenus *(Ad Autolycum,* ca.181), S.Irenaeus *(Adversus haereses, Demonstratio praedicationis evangelicae),* Minucius Felix *(Octavius,* ca. 180-192), Tertullianus *(Apologeticus,* a.197), Iirmias *(Irrisio gentilium philosophorum).*

68. *Miraculapariter,* sicut in periodo apostolica, adduuntur in probationem. Quoniam vero a iudaeis in Beelzebub facta vel a gentibus per magiam patrata supponi poterant mini. ula, signa evolvuntur quibus verum ac genuinum miraculum ilu'.nosci valet, praesertim eorum effectus et finis 3. Neque tan-

I · De apologetica apostolorum M.Tual, *Les Apôtres Apologistes du Christ* (Paris 1926).
l | Tertullianus, *Apologeticus 22:* R 278.

tum miracula physica, sed *etiam miracula moralia* ex conversione mundi et ex propagatione Christianismi non obstantibus persecutionibus adduci iam poterant in probationem; unde notissimum verbum illud Tertulliani: *«Hesterni sumus et orbem iam et vestra omnia implevimus,* urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum: sola vobis reliquimus templa...»[4] Atque argumentum illud martyrii et sanctitatis Christianorum: «Cruciate, torquete, damnate, atterite nos: *probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra. Ideo nos haec pati Deus patitur.* Nam et proxime, ad lenonem damnando christianam potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena et omni morte reputari... *Plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum»*[6].

Quin et *criteria interna ex* examine doctrinae et ex sublimitate illius atque ex satisfactione tendentiarum non raro adducebantur; quorum est index celeberrimum illud quoque Tertulliani: O *testimonium animae naturaliter christianae... '*.

69. Saeculum III-V. Inter Patres et scriptores ecclesiasticos saeculorum III ad V memorandi sunt praesertim sequentes:

Clemens Alexandrinus (ca.150-ca.210), a quo sunt *Cohortatio ad Graecos, Paedagogus* (post annum 195), *Stromata* (ca.210), in quibus, dum paganismum debellat, inanem eius cultum efferendo nec praetermittendo historica argumenta ex vaticiniis atque miraculis, extollit quomodo doctrina philosophorum est paedagogus ad Christum, in cuius religione plena satisfactio atque gaudium perfectum.

Origenes (185-254) scripsit *libros contra Celsum* (a.248), miraculis Christi et christianismi atque vaticiniis innitens.

Lactantius (fca.320), ut humanista christianus tulliana sua eloquentia valde notus, scripsit *Divinarum institutionum libros VII* (305-310), in quibus sectas gentilium eorumque philosophiam refutat.

Eusebius Caesariensis (ca.265-340), sicuti est «pater Historiae ecclesiasticae», ita vocatus est «pater Apologeticae»; etenim omnia ferme quae hodie proponi solent, apud eum iam est fas re-

4 Apologet. 37: R 270.
5 Apologet. 50: R 285.
6 Apologet. 17: R 275.

perire. Scripsit *Praeparationis evangelicae libros XV* (a.315-320) et *Demonstrationis evangelicae libros XX* (post a.315-320) 7.

70. Sed S.Augustinus (354-430) maxime recensendus; plura enim habet praeclara opera apologetica: *De vera religione* (a.389-391), *De utilitate credendi* (a.391-392), *De fide rerum quae non videntur* (a.400), naturam rationabilem fidei eiusque necessitatem ac valores ostendendo. Illud vero est eius opus egregium quod insignitur *De Civitate Dei libri XXII* (a.413-426), ubi consilia divinae Providentiae in cursu historiae perscrutatur et causas ruinae paganismi inquirit: Non enim pagana religio derelicta causa fuit cladis imperii, sed victoria Civitatis Dei progredientis. Polytheismus non valebat curare felicitatem atque prosperitatem temporalem, inutilis ad haec; et devictus est Civitate Dei sese evolvente contra Civitatem diaboli; quae sunt duo regna invicem contraria. Sed· auxiliante Deo devincet Civitas Dei- Ipsa mirabiliter propagata est idque unum est iam miraculum, etiamsi nullis aliis miraculis fuisset propagata; et ipsa Ecclesia est argumentum veritatis. S.Augustinus non sane ignorat, immo adhibet utiliter, argumenta ex prophetiis et ex miraculis physicis; ad illa autem efficaciter adhibenda et ad obiectiones praeveniendas, quae fieri possent ex praestigiis magiae atque ex falsis miraculis, multum adhibet critérium ex conversionibus et effectibus sanctitatis, etc. qui ex christiana religione sunt orti.

71. Aetas media. Medio aevo, Christianismi victoria iam fuerat publice obtenta. Hinc controversiae non tam sunt contra gentiles, quam contra sectas peculiares, quae veniunt impugnandae, scilicet potissimum iudaei et mahumetani. Eminent prae aliis S.Isidorus Hispalensis (ca.560-636) et S.Ioannes Damascenus (in prima medietate saeculi VIII).

Inter scholasticos iam S.Anselmus (ca.1033-1109) agnoverat functionem theologicam iustificativam fidei apud infideles volens *illis rationabiliter ostendere quam irrationabiliter nos contemnant* 8. Inter alios quoque scholasticos momenta apologetica habentur, praesertim dum exponunt doctrinam de fide deque eius certitudine 9. Sed Apologetica ut scientia independens nondum habetur.

7 De quibusdam scriptoribus huius periodi, ut de Eusebio Caesariensi, Amobio, Lactantio, Athanasio de Alexandria, Materno cf. Joseph-Rhéal Laurin, O.M.I., *Orientations maîtresses des Apologistes chrétiens de 270 à 361*. Dissertatio ad lauream (Romae 1954).

« Cf. *Epist.* 2,41: ML 158,1193.

9 Bibliographiam de hac re apud Lercher-Schlagenhaufen, n.90.

72. Apud S.Thomam [10] apologetica seu defensio fidei consideratur estque functio theologica; quia, licet Theologia non probet sua principia (quae accipit ex scientia Dei et ex revelatione divina); cum tamen sit scientia suprema, ut est Metaphysics, proprium est illius *disputare cum negante sua principia, argumentando quidem si adversarius aliquid concedit eorum quae per divinam revelationem habentur...* (sic ergo si agitur de iudaeis, mahumetanis... qui aliquid admittunt ex iis quae habentur per divinam revelationem); quod si adversarius nihil admittit eorum, restat via per solutionem difficultatum quas congerit, ei declarando illas esse falsas vel non necessarias... [11]. Angelicus Doctor demonstrat etiam *philosophice preambula fidei,* in eoque nititur. Magnum eius opus apologeticum continetur in *Summa contra Gentiles* [12].

Summam contra Gentiles scripsit S.Thomas adversus Averroistas, qui et philosophiam aristotelicam magni faciebant. Doctrinam Aristotelis adhibet S.Doctor in iis quae non sunt contra fidem, et etiam argumentis intrinsecis praeambula philosophica ad fidem demonstrat; credibilitatem vero illius ostendit non modo negative, ex eo quod nulla veritas rationis contradicit veritati fidei, sed etiam positive ex miraculis physicis, ex miraculo intellectuali in sapientia et facundia apostolorum, atque ex conversione mirabili mundi ad christianismum (l.i c.6).

73. Inter dimicantes adversus sectas illius temporis maxime memorandus Raymundus Marti (f 1286), a quo est opus celeberrimum *Pugio fidei adversus Mauros et Judaeos* (a. 1276-1278): ibi defendit revelationem divinam factam per lesum Christum, in quo verificantur praedictiones V.T., quas egregie et abunde proponit.

Auctor illius, natus Subirats (Catalaunia), ex commissione capituli O.P. Toleti anno 1250 habiti studuit linguae arabicae, et postea missionem habuit ad saracenos Tunisiae (Tunez). Callebat linguam arabicam, chaldaicam, hebraicam, in qua summopere eruditus. Inter diversa eius opera catechistica, praeclarum est illud *Pugio fidei* latine et hebraice conscriptum: in prima parte probat Deum exsistere; in secunda parte adversus iudaeos, Messiam iam venisse; in tertia parte fidem Christianorum esse fidem prophetarum V.T. Fuit accuratus in citandis doctrinis quas refutat, ut etiam agnoscitur a iudaeis.

Doctrinam Sancti Thomae de Apologetica collegit Garrigou-Lagrange, De *revelatione5* i 9.91-9$.

i q.i a.8.

H Cf. N.Balthasar et A.Simonet, Le *plan del a* «Somme *contre les Gentils» de* S.Thomas *d'Aquin:* RcvNéoscholPh 32 (1930) 183-210.

13 Habetur etiam editio Lipsiae 1687. lam ante Raymundum Marti memorandus est ul apologeta adversus iudaeos S.Martinus, Legionensis ({1203), de quo A.Vinayo, *S.Martin de Leon y su Apologetica antijudta*^ Madrid 1948).

Etiam hic commemorabimus illos *iudaeos conversos* ad Christianismum, qui scripserunt in favorem suae novae religionis adversus Iudaismum. Tales Paulus Alvarus Cordubensis, Petrus Alfonso, Hieronymus de Santa Fe, Paulus de Santa Maria (Salomôn ben Levi), qui magnam partem obtinent in apologetica illius temporis 14.

74. Inter apologetas accedentes ad tempus humanismi memorandus est Hieronymus Savonarola, O.P. (1452-1498), qui suo libro *Triumphus crucis seu de veritate fidei* (a. 1497) extollit valorem fidei ex eius effectibus sanctificationis in Ecclesia; unde saeculo XIX cardinalis Dechamps ansam sumpsit pro sua apologetica ex facto Ecclesiae.

Postea Ludovicus Vives (1492-1540) composuit *De veritate fidei christianae libros quinque* (editum a. 1543) 15.

75. A reformatione saeculi XVI. Contra reformatores saeculi XVI defensio et apologetica debuit fieri circa veritates ab eis negatas, et praesertim circa veram Ecclesiam Christi (quam ipsi dicebant defecisse) notasque ad eam discernendam; item circa magisterium traditionale Ecclesiae, innitendo quidem in Sacra Scriptura, cuius valor theologicus agnoscebatur, et in documentis Patrum, praesertim quatuor primorum saeculorum, siquidem—dicebant—tunc temporis Ecclesia nondum defecerat; sic ergo valor humanus documentorum Patrum agnoscebatur. Hinc controversistae utuntur hisce documentis et, praeter dogmata negata a protestantibus, insistunt in apologetica Ecclesiae et in criteriis ad libros sacros dignoscendos. Celeberrimus fuit inter controversistas S.Robertus Bellarmino (1542-1621) a quo est opus *Disputationes de controversiis christianae fidei;* item S.Franciscus Salesius (1567-1622).

76. Medio saeculo XVI B.Ioannes de Avila (1499-1569), concionator eximius atque egregius scriptor asceticus, evolvebat praesertim in suo *Audi, filia,* c.32-42, suam apologeticam *christianam,* indicando motiva credibilitatis scientifice valida ac simul moventia voluntatem ad fidem; inter illa motiva, praeter miracula Domini, effert alia miracula, moralia ex effectibus r.inctitatis et ex propagatione religionis christianae. 16

14 Inter opera recentiora ad hoc argumentum pertinentia connumerantur F.Cantera, Alt .jr *Garda de Santa Maria. Historia de la juderia de Burgos y de sus conversos mds egregios* (Madrid 1952); J.M.Millâs Vallicrosa, *Yehuda Ha-Levi, como poeta y apologista* (Madrid 191,·); F.Pérez Castro, *El manuscrite apologético de Alfonso de Zamora* (Madrid 1950); I ‘.i HRANO, O.S.B., *Los conversos Don Pablo de Santamaria y Don Alfonso de Cartagena* (Madrid 1942).

•5 Cf. Pablo Graf, *Luis Vives como apologeta* (versio ex germanica lingua a J.M.Millâs) (Madrid 1943)·

,ft Cf. M.Nicolau, *La virlud de la fe en las obras del B.Avila:* Manr 17 (i945) 239-242·

Neque praetermittenda est pars quam pro *organizatione* methodologiae theologiae et pro efferendis valoribus apologeticis habuit Melchor Cano, O.P. (ca. 1509-1560) scribens *De locis theologicis libros XII*[17], ubi de auctoritate Ecclesiae Catholicae Romanae, conciliorum, traditionum... deque regulis scientificis disceptatur.

Alii quoque dominicani egregiam partem in Apologetica evolvenda contulerunt, ut Ludovicus Granatensis (1504-1588) in sua *Introduccidn del simbolo de la fe,* Bartholomaeus Medina (f 1580), Dominicus BARez (1528-1604). Atque hic etiam in Ecclesiologia eminet.

77. In universum loquendo, Scholastici Saeculorum XVI et XVII apologeticam insinuabant vel tractabant *agentes de fide divina,* in hoc tractatu theologico, dum debebant ostendere proprietates actus fidei, inter quas eius rationabilitas sive credibilitas [18]. Ita hi scholastici:

a) Insistunt valde in argumentis ordinis moralis, v.gr. conversionis mundi et propagationis Christianismi (post S.Thomam, *Contra gentiles* 1.1 c.6) et in consensu tot populorum; vel utendo argumentis intrinsecis ex convenientia et sublimitate doctrinae christianae, praesertim post Franciscum SuArez (1548-1617)[19]. Sic et utrisque argumentis extollit credibilitatem fidei Gregorius de Valentia (1549-1603) [20].

Neque mirum: nam, cum id efficiant, non ut immediate demonstrent factum revelationis, sed ut ostendant doctrinam fide propositam esse credibilem, pronum est incipere ex considerationibus quae cum doctrina connectuntur. Item volunt ostendere illa quae voluntatem moveant ad imperandum assensum, haec autem motiva moralia vehementius percellunt. Neque alienum fuit exemplum S.Augustini eiusque influxus ut hoc modo agerent scholastici huius temporis.

b) Hi auctores saepe procedunt in demonstratione credibilitatis considerando *convergentiam argumentorum vel indiciorum,* sive certorum sive probabilium. Sic saepe neque urgent vim argumenti ut in singulis veniant ad splendentem certitudinem, sed contenti sunt probabilitate. Solidaritate enim argumentorum eorumque mutuo robore demonstrant invicte credibilitatem, quae fidei necessario tribui debet ex divina Providen-

17 De hoc opere scripsit A.Lang, *Die loci theologici des Melchior Cano und die Methode des dogmalischen Beweises* (München 1925). Et recenter dc natura Theologiae iuxta M.Cano, E.Marcotte, O.M.I., *La nature de la Théologie d'après Melchior Cano* (Ottawa 1949).

18 Cf. F.de B.Vizmanos, *La Apologética dc los cscoldsticos postridcntinos:* EstEcl 13 (1934) 418-446.

De fide d.4 s.3 n.2.

20 Cf J.Espasa Signes, *El proceso apologdtico segùn Gregorio de Valencia* (Valencia 1946)

tia; unde facile finiunt verbis Richardi a S.Victore: «Domine, si error est teipso decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae nonnisi per te fieri possent» 21.

78. Efformatio recentioris Apologeticae. Posteriore tempore ex influxu apologiarum Christianismi adversus deistas *(E.Herbert lord Cherbury,* f 1648), adversus naturalismum *(Spinoza,* f 1677) et indifferentismum, impetentes ipsam basim ipsumque fundamentum religionis, factum scilicet revelationis supernaturalis, surgit Apologetica; quae, post labores theologorum circa credibilitatem obiecti fidei iisdemque usa, in nostram scientificam *systematizationem* evasit.

79. Forma recentioris scientiae apologeticae, ut iam autonoma, invenitur saeculo XVII. Anno 1627 Hugo de Groot (1583-1645), protestans, edebàt Parisiis *Sensus librorum sex, quos pro veritate religionis christianae batavice scripsit* alludens ad opus pristinum Amstelodami editum.

Michael de Elizalde, S.I. (1616-1678), edidit Neapoli anno 1662 opus *Forma verae religionis quaerendae et inveniendae.*

80. In Gallia ipso saeculo XVII P.D. Huet (1630-1721), suo libro *Demonstratio euangelica* (a. 1679) exponit argumenta historica in favorem Christianismi, maxime ex prophetiis. Bossuet (1627-1704), in secunda parte libri *Discours sur l'histoire universelle* (1681) evolvit apologetice historiam religionis christianae. B. Pascal (1623-1662), in opere *Les Pensées,* proponit probationem ex doctrina morali, ex doctrina theorica, ex miraculis, ex prophetiis... insistens ut incredulus, prius propositis argumentis quae evincant pulchritudinem et bonitatem religionis christianae, adducatur ad desiderandam veritatem religionis; cui et proponenda sunt alia argumenta ex miraculis, etc... Idem Pascal urgebat nos ex inclinatione cordis induci ad veritates admittendas 22.

Multa alia scripta sunt saec.XVII, XVIII in favorem religionis; praesertim naturalismo, indifferentismo et rationalismo illam impetentibus.

21 *De Trinitate l.1* c.2: ML 196,891.

22 *De* Pascal praesertim eiusquc praecursoribus scripsit Julien-Eymard d'Angers O.F.M.Cap., *L'Apologétique en France de i$8o* d *1670. Pascal et ses précurseurs* (Paris 1954).

8x. Saeculum XIX. Inter apologistas saeculi XIX memorandi veniunt, inter alios, F.R.Chateaubriand (1768-1848), qui considerat momentum aestheticum et magis externum Christianismi, simul cum sublimitate doctrinae, in suo opere *Le Génie du Christianisme* (1802). Augustus Nicolas (1807-1888) attendit magis ad motiva philosophica, etsi interdum sub influxu traditionalism!; scripsit *Etudes philosophiques sur le Christianisme* (a. 1842) et *L'Art de croire* (a. 1866).

Celebris condonator H.Lacordaire, O.P. (1802-1861), momenta socialia et moralia Christianismi extollebat suis conferendis *(Conférences de Notre-Dame,* Paris 1835SS); sicut J.Félix, S.I. (1810-1891) progressum culturalem *(Le progrès par le Christianisme,* Paris i86oss).

82. *In Anglia* notissima sunt nomina Cardinalium Wiseman, Manning 23, Newman 24. Hic, sicuti scholastici saeculorum XVI et XVII utentes convergentia argumentorum vel indiciorum, simili argumento probabilitatum convergentium, cum fundamento logico ex principio rationis sufficientis, certo credibilitatem religionis christianae demonstrat25.

83. *In Hispania* egregio labore apologetico laboravit Iacobus Balmes (1810-1848) scribens *Cartas a un escéptico 26, El protestantisme comparado con el catolicismo en sus relaciones con la civilizaciôn europea* (a. 1841-1844), sicuti antea scripserat opusculum *La religion demostrada al alcance de los ninos.* Neque desunt momenta apologetica in *El criteria* (c.21: Religion) (a. 1845) aliisque eius scriptis27. Item memorandus Donoso Cortés (1809-1853), cuius praecipuum opus fuit *Ensayo sobre el catolicismo, el liberalismo y el socialismo* (a.1851). Alii quoque excellebant in re apologetica, ut J.M.Cuadrado, Thomas Aguilô, J.Rubiô y Ors... 28. Posteriore tempore J.Mendive, S.I. *(La religion catôlica vindicada de las imposturas racionalistas 4,* a. 1888), Ioannes Mir, S.I. *(El milagro, La profecia, Armonia entre la ciencia y la fe,* a.1881), necnon et M.Menéndez Pelayo, praesertin in sua *Historia de los hétérodoxes espanoles.*

23 *The Grounds offaith* (London 1852).

24 *Grammar of assent* (1870); *Essay on the development of Christian doctrine* (London 1845).

23 Recenter de Newman scripsit A.Alvarez de Linera, *El problema de la certeza en Newman* (Madrid 1946) praesertim p.43-55.167-182. Item U.Smeets, O.F.M., *L'apologetica del Newman secondo J.H.Walgrave:* ScuolCatt 79 (1950 435-449.

2^ Apparuerunt in ephemeride *La Sociedad* (martio 1843-septembri 1844).

27 De opere apologetico balmesiano, cf. praesertim I.Casanovas, S.I., *Balmes, su vida, sus obras y su tiempo* (Barcelona 1942) t.2 c.3-6; *Apologética de Balmes* (Barcelona 1953).

28 Cf. R.Garcîa y Garcîa de Castro, Los *apologistas espanoles (* 1830-1930? (Madrid 1935).

84. *In Germania* celebre nomen, obtinuerunt A.Moehler 29, Doellinger 30, F.Hettinger 31, A.M.Weiss, O.P. 32, P.Schanz 33, sicuti alii iam memorati, ut Gutberlet, Ottiger ... in bibliographia generali Theologiae fundamentalis.

In Italia similiter memorantur Manzoni 34, Ventura, Perrone, Mazzella, Zigliara ...

85. Cardinalis Dechamps *in Belgio* extollebat momentum facile et psychologicum quod ipsum factum Ecclesiae constituit pro demonstratione veritatis catholicae, sicuti Concilium Vaticanum postea diserte edixit: «Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile. Quo fit, ut ipsa veluti *signum levatum in nationes* et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat firmissimo niti fundamento fidem quam profitentur» (D 1794).

Ad quod quidem factum nobis externum dicit Dechamps esse nobis attendendum, et inde maxime ducendam demonstrationem apologeticam; non quod alia via traditionalis (ex demonstratione veritatis revelationis christianae et notarum verae Ecclesiae) fuerit inutilis aut obsoleta, sed propterea quod attentio ad factum contemporaneum et maxime visibile sit facilior et inde comprobatio evidentior.

Ad hanc autem probationem evincendam optima erit *dispositio et praeparatio* (non vera probatio), si quis consideret proprias internas indigentias propriasque difficultates ad cognitionem boni et veri, maxime vero ad exercitium illius. In linea parallela et correlativa invenitur religio catholica, quae dat solutionem hisce problematibus et hisce indigentiis, quae propria singulorum conscientia testatur 35.

29 *Die Einheit der Kirche oder das Prinzip des Katholizismus* (Tübingen 1825); *SymboHk der Darstellung der dogmatischen Gegensdtze der Katholiken und Protestanten* (1832-1847).
30 *Heidentum und ludentum* (1857); *Christentum und Kirche* (1868).
31 *Apologie des Christentums* (Freiburg 1863-1867).
32 *Apologie des Christentums* oom *Standpunkte der Sittenlehre* (Freiburg 1879-1889).
33 *Apologie des Christentums* (Freiburg 1887-1888). Versio hispana 6 vol. (Barcelona 1913-1915).
34 *Osservazioni sulla morale cattolica* (1834).
35 Hinc dicit: «Il n'y a que deux faits à vérifier, un en vous, et un hors de vous. Us se recherchent pour s'embrasser et, de tous les deux, le témoin c'est vous même» *(Entretiens ur la démonstration catholique de la révélation chrétienne* [1857] épigraphe).
Cf. etiam M.Becqué, C.SS.R , *La méthode apologétique du Cardinal Dechamps:* NouvRevTh (1947) 137-150.

86. Apud recentiores invaluit *methodus sic dicta immanentiae,* inter quos sunt gradus:

1) Nonnulli ita procedunt ut sese adaptent conditionibus et praeiudiciis temporis *(methodus adaptationis),* postea autem traditional! via demonstrant factum revelationis ex miraculis et vaticiniis. Sic Ollé-Laprune (1839-1898) et G.Fonsegrive (1852-1917). Incipiamus, inquiunt, ab ideis nunc vigentibus et familiaribus, ut homines disponantur ad admittenda argumenta intellectualistica veteris methodi; incipiamus ab ipso homine eiusque vita ostendendo tendentias et exigentias morales et intellectuales quas habet, item leges quibus regitur eius vita superior moralis atque intellectualis. At simul apparebit impotentia ut agat vitam dignam et necessitas adiutorii. Ubi erit solutio huius difficultatis? ubi auxilium? In religione christiana quae docet peccatum originale et redemptionem et gratiam... Ergo incubamus studio religionis eamque experiamur et ceteris praeferamus 36.

2) Alii fautores huius apologeticae immanentiae *solum criteriis subiectivis* volebant demonstrare factum revelationis reiciendo methodum traditionalem ex miraculis ut ineptam, quippe quae *extrinsecismum, historismum, intellectualismum* redoleret (cf. tractatum II [De *revelatione]* n.138-141).

3) Alii denique defensores methodi immanentiae sunt *modernistae* qui, pervertentes veram notionem religionis et revelationis, etiam verum conceptum apologeticae perverterunt. De his *Encyclica «Pascendi»* (D 2103. Cf. tractatum *De revelatione* n.138-140).

36 Cf. postea tractatum *De revelatione* n.138; et Dieckmann, *De revelatione* n.iois; Lercher, i n.98.

TRACTATUS II

De revelatione Christiana

sive

de vera religione

Auctore

P. Michaele Nicolau, S.I.

Peculiaris bibliographia in tractatum «De revelatione christiana»

i. Vide auctores qui universam tractant Theologiam, vel universam evolvunt Apologeticam, supra in *Introductione in Theologiam n.*35-37.62s memoratos.

Peculiares vero tractationes *de vera religione* sive *de revelatione christiana* ediderunt:

Bainvel, I.V., S.I., *De vera Religione et Apologetica* (Paris 1914).
Dieckmann, Hermannus, S.I., *De revelatione christiana tractatus philosophico-historici* (Friburgi Brisgoviae 1930).
Grandmaison, Léonce de, S.I., *Jésus Christ,* 2 t. (Paris 1928).
Lahousse, Gust., S.I., *De vera religione praelectiones theologicae traditae in Collegio Maximo Lovaniensi S.I.* (Lovanii 1897).
Müller, Iosephus, S.I., *De vera religione tractatus theologicus2* (Oeniponte 1914).
Muncunill, Ioannes, S.I., *Tractatus de vera religione* (Barcinone 1909).
Pinard de la Boullaye, Henri, S.I., *Conférences de Notre-Dame de Paris* (a.1929-1937); versio hispana 9 t. (Madrid 1941).
Pohl, Wenceslaus, *De vera religione quaestiones selectae* (Friburgi Brisgoviae 1928).
Ponce de Leôn, José M., S.I., *Jesùs, legado divino fundador de la religiôn revelada* (Buenos Aires 1935).
Tromp, Sebastianus, S.I., *De revelatione christiana6* (Romae 1950).
Wilmers, Guilelmus, S.I., *De religione revelata libri quinque* (Ratisbonae... 1897).

Insuper, pro parte praesertim legationis ac divinitatis Iesu probanda, vide auctores in librum tertium et pro historiographia Iesu n.769-775 recensendos.

LIBER I

Theoria religionis et revelationis

2. Quoniam in hoc tractatu debemus agere *de vera religione,* atque adeo *de religione revelata,* opus est primum de religione disceptare, in quantum relationes illius cum revelatione illuminari debeant vel earum studium praeparari. Ceterum conceptus *religionis* adeo est usitatus, cum sermo tam frequens incidat de homine religioso, de religione populorum, de philosophia religionis... ut talis conceptus vere fundamentalis dici debeat et pertractandus.

CAPUT I

De religione

ARTICULUS I

De notione et de natura religionis

S.Th., *2.2* q.8i; Dieckmann, *De revelatione* n.120-176; Brunsmann, *Lehrbuch der Apologetik* i2 (1930) 32-139; Descoqs, *Theologia naturalis* i,is8ss; E.Magnin, *Religion:* DTG 13, 182-2306.

3. Notio religionis. Conceptus religionis potest deprehendi *a)* via etymologica, *b)* via philosophica, *c)* via historica, *d)* via psychologica.

A) Via etymologica examinantur diversae sententiae de etymo huius vocis. Sic habetur *definitio nominalis* religionis. Classicae sunt sequentes sententiae:

Cicero derivat hanc vocem a *relectione* diligenti eorum quae ad cultum deorum pertinerent:

«... qui autem omnia, quae ad cultum deorum pertinerent diligenter retractarent et tamquam relegerent, sunt dicti religiosi ex relegendo, ut ele-

gantes ex eligendo, tamquam a diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes; his enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem, quae in religioso» [1].

Lactantius originem vocis depromit ex *religatione* cum Deo:

«Hoc vinculo pietatis obstricti Deo et *religati* sumus, unde ipsa religio nomen accepit... [inde et sententiam Ciceronis refellit]... nomen religionis a vinculo pietatis esse deductum, quod hominem sibi Deus religaverit et pietate constrixerit; quia servire nos ei ut domino et. obsequi ut patri necesse est» [2].

S.Augustinus novit etiam praecedentem etymologiam:

«Ad unum Deum tendentes, inquam, et ei uni *religantes* animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus» [3].

Alibi autem derivat ex *iterata electione* Dei, quae fit per religionem; Deum enim reeligere debemus, quem amiseramus négligentes:

' «... hunc ergo *religentes,* unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus ut perveniendo quiescamus»[4].

Sed ei magis placet prior etymologia [5].

4. Prima ergo et secunda etymologia, ex modo expositis, magis fundatae videntur; sed, quaecumque demum acceptetur, de conceptu religionis est *dicere ordinem ad Deum,* quod et pulchre extollit S.Thomas:

«Sive autem religio dicatur a frequenti relectione, sive ex iterata electione eius quod negligenter amissum est, sive dicatur a religatione, religio proprie importat ordinem ad Deum. Ipse enim est cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio; ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet sicut in ultimum finem; quem etiam négligentes peccando amittimus, et credendo et fidem protestando recuperare debemus»[6].

5. B) Via philosophica, seu ex consideratione philosophica (metaphysica) Dei et naturae humanae, ita procedere possumus ad efformandam notionem religionis:

1 *De natura deorum* 2,28.
2 *Divifi. Instit.* 1.4/28: ML 6,536s.
3 Cf. *De vera religione* c.13 n.m : ML 34,171.
4 *De Civitate Dei* 10,3,2: ML 41,280s.
5 i *Retract,* c.13 n.9: ML 32,605.
6 2.2 q.81 a.i. De nomine religionis agit etiam H.Pinard de la Boullaye, *L'Etude comparée des religions*3 (Paris 1929) t.z c.i n.304-309.

Deus, de quo sermo fuit in Theodicea, est ens supremum, ens a se, causa prima et creator omnium, itemque conservator et causa concurrens cum omnibus aliis entibus, ens personale, finis etiam ultimus omnium rerum, maiestate infinita et potentia et omni perfectione praeditus, providentia sua fortiter omnia atque suaviter disponens, semper reverendum...

Homo autem est ens dependens, contingens, ab alio, sc. a Deo, creatum, indigens semper Deo ad Eumque tendens, ab Eo beatificandum.

Ex facto creationis derivat haec dependentia hominis a Deo et dominium Dei in hominem. Sic homo, totus quantus, et quolibet momento, semper pendet a Deo, semper est servus Dei, semper habet hanc realem, intrinsecam et transcendentalem (i.e. ipsi essentialem) relationem dependentiae a Deo; quae proinde est vere ontologica et non mere pendens a mentis consideratione. *In hac igitur relatione dependentiae hominis ad Deum fundatur religio tota.*

Quoniam vero homo est ens intellectuale, in ordine moralitatis inclusum, quam libere actibus intellectus et voluntatis persequi debet: illa ontologica relatio ad Deum exigit ut homo vinculis intellectus et voluntatis Deo coniungatur, nec tantum secundum unam facultatem sed secundum omnes. *Hoc vinculum morale, scilicet ope intellectus et voluntatis, totum hominem Deo coniungens dicimus religionem.*

6. Divisiones religionis, i) Religio potest considerari *obiective* et *subiective.*

Si religio consideratur *obiective,* seu in se, est complexus veritatum, officiorum et rituum, quibus homo ligatur cum Deo et practice agnoscit eius supremam excellentiam et dominium.

Si religio consideratur *subiective, seu* prout est in subiecto, comprehendit actus intellectus et voluntatis aliosque quibus homo agnoscit theoretice et practice suam dependentiam ab ente supremo. Sic est virilis *generalis,* omnes alias comprehendens. Sic sermo fit de homine parum aut multum religioso, bene aut male religioso; prout nimirum parum aut multum, bene aut male, in virtute significetur (cf. lac 1,26s).

Ut *virtus moralis particularis,* religio (subiective considerata) est habitus inclinans hominem ad debitum *cultum Deo* exhibendum tamquam supremo rerum principio et fini. Motivum huius virtutis *moralis* est illa honestas quae relucet in hac subiectione et reverentia Deo exhibenda[7].

[7] Cf. E.Amann, *Religion fVertu dej:* DTC 13,2306-2312.

7. 2) Religio, ratione originis, potest esse *naturalis et positiva.*

Religio naturalis est complexus veritatum, officiorum et relationum ad Deum, quae deduci possunt ex consideratione solius facti creationis et inde ex relatione essentiali naturae hominis ad Deum. Cultus determinaretur ab individuo vel ab auctoritate sociali, sive domestica sive politica.

Religio positiva est illa quae positiva et libera dispositione atque interventu Dei vel hominis superadditur religioni naturali. Si haec libera dispositio in institutione alicuius religionis est a Deo, tunc religio est *positivo-divina;* si vero conciperetur ut mere proveniens a praeside alicuius societatis naturalis, tunc esset *positivo-humana.*

In actuali religione positivo-divina addita est ad relationem et fundamentum creationis, qua sumus *servi* relate ad Deum, nova relatio */ilii adoptivi* ad Patrem, cuius fundamentum reale est gratia sanctificans.

Haec gratia sanctificans est radix intuitionis Dei et amoris gaudiosi inde resultantis, quos habebimus in patria; et quoniam haec superant capacitatem et exigentiam totius naturae creatae, hinc gratia est ens supernaturale. Religio autem quae ad hanc gratiam supematuralem ordinatur est et vocatur *supernaturalis g.*

Praeterea addita est etiam religioni naturali revelatio divina, quae de facto ordinatur ad hunc finem supematuralem hominis. Atque haec est etiam alia ratio cur religio actualis positivo-divina, in hac revelatione fundata, dicatur *supernaturalis.*

8. 3) Religio *vera et falsa.*

Ratione habita facti religiosi fundamentalis, religio dividitur in *veram* et *falsam,* prout recte in ea vel non recte sentiatur circa fundamentalem et essentialem relationem dependentiae hominis ad Deum personalem.

Sed illa religio fundamentaliter, seu quoad substantiam, vera, potest esse minus recta vel falsa quatenus errores contineat circa alias quaestiones religiosas (v.gr. religio protestantica errans circa auctoritatem religiosam et usum sacramentorum); et quoniam «malum ex quocumque defectu», religio talis dicetur *falsa.*

9. Num plures religiones verae et legitimae esse possint. *Religio naturalis* nequit esse nisi una ubique: fundatur enim in natura humana unice, quae eadem est in omnibus hominibus et easdem habet relationes dependentiae ad Deum.

§ Dc conceptu *supernaturalis cf.* infra n.sos.

Hinc omnes religiones debuerunt et debent continere quasi partem et fundamentum hanc religionem naturalem.

Religio positiva pro diversitate temporum vel locorum diversa *potest cogitari,* id vero non in iis quae debet continere ex religione naturali nec in affirmandis dogmatibus oppositis, sed in varietate rituum et officiorum positivorum. *De facto* tamen, ut erit demonstrandum, non est nisi una religio vera positiva.

10. Elementa religionis in subiecto. Quantum ad religionem, debet dari in subiecto *agnitio* excellentiae Dei eiusque supremi dominii et pariter agnitio dependentiae propriae relate ad Deum. Talis agnitio est *elementum intellectuale et omnino essentiale* in vinculo morali hominis *rationalis,* quale est religio. Id quoque ostendent inquisitio historica et inquisitio psychologica in'actus religionis.

Sed haec agnitio est etiam professio, saltem interna, huius dependentiae hominis relate ad Deum et includit *tendentiam voluntatis* hominis ad Deum. Non est ergo haec tendentia voluntarismus pure practicus vel pragmaticus, sed voluntarismus moderatus, praesupponens actum intellectus.

Hic actus voluntatis, quasi *devotio* ad Deum substantialis, invenitur in omni actu virtutis religionis, in adoratione, oratione, sacrificio... Est actus *essentialis* in religione atque ineo religio (in subiecto considerata) *formaliter* consistit. Actu^ vero intellectus, sive agnitio semper concomitans, est praesupposi-tive vel *fundamentaliter* essentialis.

Ex hisce actibus intellectus et voluntatis derivant in homine actus sentimenti rationalis et actus facultatum inferiorum (recollectio, modestia externa, gravitas, gaudium sensibile, gemitus, voces...); est enim religionis ordinare totum hominem eiusque actus ad Deum. Huiusmodi actus sunt proinde *connaturales* in religione. Suntne etiam necessarii et essentiales?

11. Si loquimur de conceptu religionis et attendimus ad *essentiam metaphysicam* illius, certe tales actus non sunt necessarii et essentiales; quare et per se cogitari potest homo essentialiter et radicaliter religiosus, quin abundet huiusmodi actibus sentimenti et facultatum sensitivarum.

Si vero attendimus ad *essentiam physicam* religionis in homine, sive ad modum quo de facto religio in eo invenitur, in homine inveniuntur externae manifestationes quae naturaliter consequuntur ex actibus internis, atque cultus externus est in eo necessarius: ideo tales actus sunt in eo necessarii et physice essentiales.

Haec omnia si religionem *theoreticc* consideramus. In agnitione autem dependentiae ad Deum *practice* consideratae debet inveniri practica conformatio vitae cum illa agnitione excellentiae Dei et nostrae ab eo dependentiae. Sic religio *practice* considerata includit *agnitionem* Dei et *se de facto tradere* Deo.

12. C) Via historica inquisitio in religionem fit examinando *historice et ethnologice,* ope scilicet comparationis linguarum, culturarum, formarum socialium..., ipsas relationes hominis ad ens supremum et ad entia superiora, a quibus se dependentem profitetur et cum quibus agere vult 9.

Hoc igitur ens (sive unicum sive multiplex) debet esse *personale* et distinctum ab homine; secus enim cum eo agere et commercium inire non potest. Unde *pantheismus* non est forma religionis.

Neque *totemismus est* forma religiosa, cum *totem* sit res de cuius virtute participant homines eiusdem klan 10.

13. Formae religiosae inveniuntur sequentes: Formae inferiores: *Animismus*]|. In hac forma religiosa concipitur animatio vel personificatio naturae eiusque virium; hinc mythi, theogoniae, legendae de diis et de deabus...; vel etiam persuasio invalescit omnia habere animam sive spiritum (daemon). Atque inde diversae activitates explicandae quae sunt in natura et in hominibus.

Fetichismus accedit ad animismum, in quantum instrumentis pure humanis attribuit vires extraordinarias et suprahumanas, quasi in ipsis insideat spiritus; vel accedit ad magismum, in quantum talibus instrumentis vim impersonalem adscribit.

9 De historia religionum, circa religiones primitivas egregie tractat W.Schmidt, S.V.D., *Der Ursprung der Gottesidee* 7 vol. (Munster 1926-1940); et eiusdem auctoris compendium i irca theorias de origine et formatione religionum *Manual de Historia comparada de las reli-Kiones* 2 (versio ex germanica editione) (Madrid 1941). Item pro descriptione religionum I'.Tacchi Venturi, *Storia delle religioni* 4 2 vol. (Torino 1954). versio hispana 3 t. (Barcelona 1947); brevias et solide J.Huby, *Christus. Manual de historia de las religiones* (Barcelona 1929) (versio ex quinta editione gallica *Christus. Manuel d'Hisloire des religions* [Pails 1927]). Recenter F.König, *Christus und die Religionen der Erde. Handbuch der Religions-•yschichte 3* vol. (Wien 1951); N.Turchi, *Storia delle Religioni, 2* vol. (Roma 1954); M.Bri-l l ant-R.Aigran. *Histoire des religions', 5* vol. (Paris I953sq·); Notum est etiam opus, licet .«b hetcrodoxo, P.D.Chantepie de la Saussaye, *Lehrbuch der Religionsgeschichte,* 4 ed. ab A.Bertholet-E.Lehmann (Tubingen 1925). Copiose exponit theorias circa religionem N.Ma-hIn Negueruela, *Lecciones de Apologetica6* (Madrid 1944) P·î c.i-4. Pro tempore antiquo • hristianismi vide K.Prümm, S.I., *Religionsgeschiahtliches Handbuch fur den Raum der altchrist-ln hen Welt* (Freiburg i.B. 1943)·—Methodum pro studio comparativo religionum eiusque historiam praeclare exponit H.Pinard de la Soullaye, S.I., *L'Etude comparée des religions3 1* vol. (Paris 1929) (versio hispana, Madrid 1940-1945) —Inter opera antiqua spectantia ad ■tudium religionum memoratu sunt digna R.FernÁndez Valbuena, *La religion a través de los n:los* 3 vol. (Madrid-Barcelona 1918): E.Moreno Celada, *Historia descriptiva yfdosófica de las uligiones 2* vol. (Barcelona 1871); J.Mir Noguera, S.I., *La religion* (Madrid 1899); J.Bri-• uut. Où *en est l'Histoire des religions. 2* t. (Paris 191 j-1912).

10 De totemismo, cf. P.Bougnicourt, *Totémisme:* DAFC 4.1726-1740.

11 Cf. P.Bougnicourt, *Animisme:* DAFC 1,128-146.

Manismus est cultus spirituum defunctorum (dii lares, lémures).

Magismus sive magia est opinio quae tribuit sive rebus et factis sive hominibus vim extraordinariam, qua vires naturae superare atque etiam deos subicere valeant[12].

Formae superiores: *Polytheismus est* cultus plurium entium superiorum.

Henotheismus colit unum deum, tamquam unicum deum populi, non totius mundi.

Monotheismus agnoscit theoretice et practice unicum Deum pro universo toto.

Ex praecedenti igitur consideratione historica et ethnologica religionis potest efformari conceptus religionis tamquam *complexus doctrinarum, officiorum et institutionum erga aliquod ens supremum (unicum vel multiplex), a quo homo se dependentem profitetur et cum quo commercium inire vult.* Haec notio religionis, historice efformata, coincidit cum ea philosophice efformata.

14. Haec notio religionis potest probari *obiective fundata,* aut saltem talis vehementer confirmari [13], ex *universalitate facti religiosi seu ex consensu omnium populorum.*

Etenim inquisitio in religionem omnium populorum ostendit persuasionem de exsistentia alicuius numinis personalis suprasensibilis ubique valere, quod quidem reverendum, placandum, invocandum sit. Erga illud fides et officia implenda sunt, atque ritus et caeremoniae habentur ubique quibus cultus erga illud numen exercetur. Verbo: ubique gentium habetur complexus veritatum, officiorum et institutionum quae sunt regula commercii hominis cum Ente supremo; ubique gentium hoc vinculum morale hominem coniungens cum hoc Ente.

Atqui talis persuasio universalis postulat causam universalem, quae nequit esse nisi obiectivum rei fundamentum et obiectiva rei veritas.

Illa enim persuasio universalis, ex omnibus rationibus, quae cum verisimilitudine adduci possent, nequit explicari,

a) per ignorantiam causarum naturalium, quarum effectus spiritibus tribuerentur (A.Comte), nam cessante ignorantia perseverabat illa persuasio;

12 Cf. F.Bouvier, *Magie et magisme:* DAFC 3,61-74; L.Gardette, *Magie:* DTC 9.1510-1550.

13 Cf. Pedro Descoqs, S.I., *Praelectiones Theologiae naturalis* i (Paris 1932) l.i c.2, «Argumentum liminare pro Dei exsistentia ex consensu universali», a.3: «per se solum non esse videtur argumentum apodicticum ad exsistentiam Dei probandam», p. 198-212.

b) nec valet explicari per depravationem naturae quaerentis et invenientis blandimenta in cultu religioso (Feuerbach), nam sunt veritates de Deo legislatore, iudice et vindice minus aptae ad sensus blandiendos, quae quidem magnam partem religionem constituunt;

c) nec timor vagus alicuius potestatis superioris valet religionem explicare (Fr.Paulsen), nam timor solus et horror, *independenter ab idea Dei personalis et ab idea causalitatis,* creasset fatalismum, non autem Deum personalem;

d) persuasio tandem illa universalis non potuit acquiri per *solum* magisterium et educationem praescindendo a rei veritate, nam illi magistri vel progenitores qui has ideas confixissent —libertatem humanam cohibentes—facile postea, perspecta rei veritate, irrisioni fuissent[14].

Debuit ergo illa persuasio acquiri ob perspectam obiectivam rei veritatem.

15. Dices dari *atheos,* nostris praesertim temporibus, multosque qui militant adversus hanc persuasionem exsistentiae Dei.

Resp. Dantur athei *practici, i.e.* qui ita se gerunt quasi Deus non esset, bene multi; athei vero *theoretice,* i.e. ita persuasi, dantur si vis etiam multi *nomine tenus,* qui suam incredulitatem iactant impudenter; re autem et interne et sinceri tales non sunt, cum cognitio Dei personalis facile homini naturam consideranti se offerat et per se non diu potest quis manere in atheismo positivo, *nisi culpabiliter* saltem initio; sed neque videtur fieri *per se* posse durare per totam vitam in ignorantia exsistentiae Dei seu in atheismo negativo[15].

16. Explicationes facti religiosi universalis. Ad explicandum hoc factum religiosum universale sunt diversae scholae et theoriae. Plures sunt aprioristicae et, ortae saeculo XIX, conantur res explicare secundum placita naturalismi, rationalism), materialism), evolutionismi...

Sic *schola positivista* (A.Comte) statuit hunc ordinem in evolutione religiosa: fetichismus, polytheismus, monotheismus.

Schola ethnologica (J.Lubbock) ex atheismo primitivo vult per fetichismum, idololatriam... ad theismum esse tandem deveniendum.

Schola animistica (E.T.Tylor) contendit animismum esse principium religionis.

Schola manistica (H.Spencer) ponit originem religionis in cultu manium sive animarum parentum defunctorum.

14 De hoc argumento breviter Lercher, *Theologia fundamentalis* n.17.

>5 Cf. etiam de hac re P.Descoqs, *Theologia naturalis 2* (Paris 1935) s.6 c.i a.4 th.18 p.466ss.

Alii, ut J.H.King, *per magiam* voluerunt explicare originem vitae religionis.

Hi ergo omnes, ut patet, statuebant evolutionem religiosam e formis inferioribus ad formas superiores.

17. Sed *A.Lang* (1844-1912) adversus Tylor, cuius animismum prius professus fuerat, et adversus Spencer, statuit theismum et monotheismum tamquam originem religionis darique in evolutione religiosa depravationem, sive evolutionem in peius.

Idipsum confirmavit *Gulielmus Schmidt, S.V.D.,* non methodo a priori sed a posteriori, sc. *methodo historico-culturali,* colligendo facta religiosa ex ethnologia et studiis culturarum atque comparando cum aliis factis religiosis in gentibus eiusdem et dissimilis culturae.

18. Conclusiones ex studio comparativo religionum [16].

1) *Nulla gens sine religione vel athea* (i.e. sine Deo aliquomodo personali). Sunt quidem nonnullae quae arcane et secreto cultum tenebant; atque inde explicandum, si aliqui itinérantes contrarium narraverint, quia nimirum cultum non viderant eo quod nimis cito iter faciebant...

2) *Idea monotheistica et cultus unius Dei* (Deus ut auctor mundi et Deus ut pater) *sunt universalia et primitiva.* Sic ergo inveniuntur in gentibus culturae primitivae; formae religiosae corruptae eo sunt pauciores, quo magis primitiva est cultura.

3) *Formae inferiores religiosae non sunt primitivae, sed adventitiae;* repraesentant enim depravationem ideae religiosae primaevae. Haec depravatio observatur ubique, non tantum apud gentes primitivas, sed etiam magis apud gentes cultas (graecos et romanos); atque etiam apud populum Israel, de se pronum ad polytheismum, et apud illas religiones separatas ab Ecclesia catholica.

4) *Origo monotheismi primitivi est in natura humana,* inquirente via causalitatis, *et in revelatione primitiva;* quae, scientifice procedendo, est hypothesis plausibilis.

5) *Ex dictis sequitur religionis indoles rationalis, non sentimentalis, ex notione Dei ut causae et patris;* hinc commercium personale et rationale cum Deo: oratio et sacrificium occurrunt in culturis primitivis, ita ut exprimatur omnimoda dependentia a Deo; quae est idea fundamentalis religionis.

16 Cf. Dieckmann, *De revelatione christiana* 0.137-142, qui compendiose rem exponit.

19. D) Via psychologica seu ex observatione et ex analyst psychologica actuum religiosorum in individuis (non iam in gentibus et populis, sicut via historica fit) possumus pervenire ad cognitionem naturae propriae actus religiosi.

Id obtinetur *a) ex descriptionibus* relictis circa hos actus, v.gr. a S.Augustino, S.Ignatio, Sancta Teresia..., dignoscendo illos analysi et explicando 17;18 sed qui velit in hac re scientifice procedere, cavere debebit ab interpretatione subiéctiva ex praeiudiciis quibuslibet.

b) Obtinetur etiam *ex inquisitionibus (encuestas)* quae fieri possunt provocando observationem et analysim actuum religiosorum *praeteritorum* in aliqua multitudine subiectorum ,8.

c) Tandem *ex experimento,* quasi hos actus religiosos repetendo in laboratorio 1920 sed recte de hisce experimentis psychologicis movetur dubitatio num devitetur elementum subiectivum tunc immixtum, et num servetur natura intima spontanea actus religiosi propria 2°.

Si hisce modis analysis et observatio actuum religiosorum recte fiat, conducit sine dubio ad naturam actus religiosi recte cognoscendam, prout supra illam diximus (n.io).

20. Falsae sententiae de natura religionis. 1) De natura religionis erravit *Kant* praescindendo ab agnitione Dei et a devotione sive traditione personali hominis Deo.

luxta Kant, ut est notum, obligatio moralis non procedit a Deo imperante quid sit faciendum, quid vitandum, sed a ratione practica ipsius hominis imperante ipsi per formam a priori aliquid esse absolute faciendum *(imperativum categoricum:* hoc fac, hoc debes facere). Hinc obligatio moralis primario concipitur sine respectu ad Deum vel sine religione.

17 Cf. G. Wunderle, *Einführung in die moderne Religionspsychologie* (München 1922), exponens in prima parte historiam Psychologiae religiosae ex descriptionibus relictis.

18 Ita procedit A.Bolley, *Gebetstimmung und Gebet. Empirische Üntersuchung zur Psychologie des Gebetes, unter besonderer Berücksichtigung des Betens von Jugendlichen* (Düsseldorf 1930)· Auctor ex collectione interrogationum et responsionum propositarum studet iis quae orationi favent eamque determinant; apparet orationem esse actum voluntatis et actitudinem *tou ego* relate ad Deum, esse nimirum *functionem qua quis se tradit.* Conclusiones videri possunt obviae, post tot investigationes et apparatum; momentum tamen earum in eo esse videtur quod experimentaliter et methodo positiva scientifica comprobentur ad hominem quae de his sana Philosophia et Theologia docent contra sentimentalismum modernistarum.

Eadem methodo ad determinandum influxum religionis in vita hominum utitur A.M.Wachsmann, *Das religiose im Gesamtablauf des Seelischen* (Paderborn 1935).

19 V.gr. K.Girgensohn·, *Der seelische Aufbau des religiosen Erlebens. Eine religionspsychologische Üntersuchung auf experimenteller Grundlage* (Gütersloh 1930) ubi invenies Apendicem *(Nachtrag)* a W.Gruehn· cum copiosa bibliographia de his studiis: *Forchungsmethoden und Ergebnisse der exhakten empirichen Religionspsychologie seit 1921.*

20 Cf. E.Raitz v.Frentz, *Das religiose Erlebnis im Laboratorium:* Stimm 109 (1925) 200-214.

Neque mirum, si ita Kant facit. Etenim ipsa exsistentia Dei nequit in eius systemate cognosci per rationem puram, theoricam; ratio attingit tantum phaenomena rerum, non noumena vel ipsas essentias; ideo res—ait—non cognoscimus ut contingentes neque ex iis valemus assurgere ad cognitionem certam entis necessarii, ideo neque ad cognitionem certam nostrae dependentiae respectu Dei. Agnosticismus circa Dei exsistentiam est profitendus.

At simul examen experientiae internae immanentis—ait—ducit ad admittendam exsistentiam Dei, ut postulatum rationis practicae; videlicet, exsistentia Dei est propositio indemonstrabilis, sed supponenda ad finem practicum. Ipsum nimirum imperativum categoricum (debes hoc facere) *postulat libertatem animi* (si debes, potes); postulat etiam *immortalitatem animi,* quia in hac vita propter luctam cum sensibilitate non valet realizari perfectio summa moralis et summa sanctitas ad quam tendis et ad quam teneris per imperativum categoricum; postulat tandem *exsistentiam Dei* quia, cum summa sanctitas exigat etiam summam felicitatem (quae non habetur per solam sanctitatem) postulatur aliquod ens supremum et omnipotens quod valeat hanc felicitatem producere.

21. Ergo in hoc systemate, *a)* praeter *agnosticismum* circa exsistentiam Dei; *b)* religio reducitur ad *quendam moralismum autonomum; etc)* fundamentum religionis non *desumitur ex vera atque ontologica relatione* dependentiae a Deo.

Insuper *d)* admittit *postulatum theoretice non demonstratum;* et *e)* talis obligatio moralis a ratione autonoma, prout effingitur, *non esset vera obligatio:* non enim esset necessitas aliquid agendi propter nexum cum aliquo fine absolute obtinendo, scilicet cum fine ultimo, Deo; sed tantum id facere deberem ut responderem imperativo categorico a memetipso imposito;/) *ordo vero moralis nequit instaurari independenter a Deo,* nam verus ordo moralis respicit ad naturam humanam attendendo ad omnes relationes et officia quae ex ea derivantur in ordine ad alia entia; atqui natura humana verissime habet relationem intrinsecam et transcendentalem ad Deum, ex qua derivantur officia relate ad ipsum: ergo verus ordo moralis respicit etiam ad Deum et nequit instaurari independenter ab'Eo. Moralis athea est impossibilis.

22. 2) Alii considerant religionem *ut merum sentimentum peculiare,* vel saltem huic sentimento tribuunt partes potiores 21.

Sic *F.E.D.Schleiermacher* (1768-1834) ponit essentiam religionis in *sensu* absolutae dependentiae ab infinito.

Ritschl (1822-1889) in *experientia* qua quis sentit tendentiis suis sublimioribus satisfactum esse.

W.Wundt (1832-1920) in *sensu* conjunctionis cum mundo suprasensibili.

Modernistae, in genere, dicunt religionem oriri non ex cognitione intellectuali, sed *ex indigentia divini,* quae est in subconscientia et movet *sensum religiosum.* Dogmata et enuntiata theologica sunt reflexiones posteriores supra hunc sensum. Praeclare omnino exponitur doctrina modernistarum in *Encyclica «Pascendi»* S.Pii X, anni 1907 (cf. D 2074-2077).

23. Est igitur hisce erroribus commune, *a)* praeter *agnosticismum ex* kantismo derivatum, *b)* ut praesupponant aliquem *sensum praevium de Deo.*

lam vero ut habeatur aliquis sensus circa Deum necesse est ut *aliqua idea intellectualis de Deo praecesserit,* ut constat ex sana et probata Psychologia, agente de natura sentimenti. Si talis idea praecesserit, tunc possunt quidem oriri actus indeliberati voluntatis cum sensibus concomitantibus et cum actibus appetitus sensitivi; tales autem affectus religiosi magno auxilio esse possunt pro vita religiosa. Sed experientia teste, eorum praesertim individuorum quorum typus psychologicus est magis intellectualis, vita multorum religiosa nec affectibus incipit nec semper concluditur; sed iudiciis intellectus et submissione rationali voluntatis primario dirigitur. Sunt e contra qui vagos affectus religiosos percipiunt, praeeunte sane idea intellectuali, sed recusant assensum intellectualem fidei et submissionem voluntatis Deo. Ideo merus affectus religiosus nec constituit totam religionem nec partem eius praecipuam 22.

21 Cf. H.Pinard de la Boullaye, *Expérience religieuse:* DAFC 1,1846-1864; et Dieckmann, *De revelatione* n.166-172; Lercher, *Theologia fundam,* ŋ.34.

22 Pro aliis sententiis minoris momenti, cf. Dieckmann, *De revelatione* n.166-171.

ARTICULUS II

De obligatione religionis in genere

S.Th., 2.2 q.8oss; 3 CG 119; P.Richard, *Indifférence:* DTC 711580-1594; Lercher, *Theolog. fundam,* n.23-31; Dieckmann, *De revelatione* n.176-180.

24. De necessitate religionis. Necessitas religionis potest intelligi duplex: alia est illa necessitas quae dicitur *obligatio;* et alia est illa necessitas quasi *conditio sine qua non ad obtinendum in hac vita illud ad quod necessario tendimus, beatitudinem.* De utraque necessitate religionis, intime inter se connexa, agendum est in praesenti, postquam de notione et de vera natura religionis supra tractavimus. Utraque necessitate religionis considerata et ab apologeta pro adiunctis evoluta, facilius homines disponentur ad consideranda illa quae inferius erunt exponenda.

25. Homo habet obligationem gravem amplectendi et exercendi religionem. Obligatio moralis est necessitas ponendi (vel omittendi) aliquam actionem propter connexionem huius actionis cum aliquo fine absolute obtinendo.

De notione obligationis, ut nomen indicat, est esse *ligamen* seu vinculum quod nécessitât; non tamen est vinculum physicum seu coactio physica, neque est tendentia subiectiva necessaria physica, sicut animalia bruta ad actus suos necessitantur: haec omnia important necessitatem physicam. Obligatio est necessitas *moralis,* quae effectum obtinet per cognitionem rationalem sicut causae morales; non tamen est necessitas hypothetica, sc. in hypothesi quod velim obtinere aliquem effectum mihi non absolute necessarium (v.gr., sanitatem, ad quam obtinendam requiratur aliqua operatio chyrurgica); sed est necessitas *absoluta,* quae solet exprimi hisce verbis: hoc est faciendum, debeo, teneor hoc facere. Necessitas vero aliquid faciendi est absoluta si absolute et non dependenter a mero lubitu illud obtinendum est. Talis est finis ultimus noster ad quem velis nolis necessario dirigimur, vel tale est etiam illud quod sit medium connexum et necessarium ad illum finem obtinendum.

Gravis dicitur obligatio alicuius actionis, si eius omissio graviter laedit ordinem moralem et importat amissionem ultimi finis.

Amplecti religionem importat tenere dogmata et voluntatem initialem servandi praecepta quae in religione proponantur.

Exercere religionem dicit actualem observationem horum

praeceptorum; saepius dicitur de observatione praeceptorum cultus.

Cum nunc affirmamus obligationem gravem exercendi atque ideo amplectendi religionem, agimus de complexu actuum quibus religio exercetur, initialem voluntatem ea servandi sine dubio includentes, sed nihil de obligatione singulorum actuum statuentes.

26. Negaverunt hanc obligationem illi qui fundamentum religionis negant, ut athei, pantheistae, agnostici... Item illi qui, ut Kant, religionem confundunt cum lege morali autonoma.

Sed nunc maxime veniunt commemorandi *indifferentistae (absoluti)* qui religionem ut rem nocivam vel inutilem habent, vel illi qui religionem dicunt esse mere utilem, non obligatoriam, sive homini sive reipublicae *(eudaemonistae, machiavellistae).*

Sed propositio nostra aperte est in magisterio Ecclesiae v.gr. in *Encyclica «Mit brennender Sorge»:* AAS 29 (1937) 148-150; atque implicite in bene multis documentis continetur.

27. Demonstratio. Actus quibus religionem amplectimur et exercemus (assensus in Dei exsistentiam et in veritates divinas, spes, amor in Deum, observatio legis naturalis a Deo impositae, cultus Dei in adoratione, oratione, gratiarum actione..., paenitentia si Eum offendimus... etc.) hi actus habent in se *tantam* bonitatem intrinsecam et sunt tam conformes naturae rationali hominis, ut omissio horum actuum in suo complexu certe *graviter laedat ordinem moralem,* ac proinde Deus sanctissimus nequit eos non velle absolute et praecipere, et quidem *sub poena amissionis ultimi finis.* Ergo complexus horum actuum, et sine dubio ipsum amplecti religionem, est graviter obligatorius.

28. De obligatione cultus externi et cultus publici vel socialis. Cultus est exhibitio honoris. Cultus *internus* actibus internis constituitur; cultus vero *externus* utitur actibus externis sensibilibus ad cultum internum significandum.

Cultus publicus opponitur cultui privato. Non hic sumitur quasi in loco patenti et manifesto exerceatur; sed eo sensu quod a societate vel nomine societatis fiat. Societas vel communitas quae hic considerantur sunt societas civilis et societas domestica.

Negaverunt obligationem cultus externi et socialis, *a)* plures *rationalistae,* qui irrident cultum externum et socialem, provocantes ad Io 4,24: *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* [1]; *b) socialistae,* qui volunt statum atheum, et *plures liberales* qui munera status coarctant in re religiosa.

Doctrina Ecclesiae hac de re est manifesta, v.gr. D 302 (de cultu imaginum), D 1254 (de actibus non mere internis, contra Molinos).

29. Homo obligatur ad cultum externum. Etenim cultus est actus colentis et reddendus est pro natura colentis.

Atqui *a)* natura hominis talis est ut *sensa interna colligentur cum externis manifestationibus* nec diu occultari valeant, nisi consulto adhibeatur summa diligentia [2].

b) E converso, *neglecto cultu externo paulatim minuitur et exstinguitur cultus internus.*

c) Homo non tantum secundum animam, sed *etiam secundum corpus omnia a Deo habet* et secundum omnia debet ei servire et reverentiam exhibere.

Ergo cultus reddendus est ab homine etiam externus.

Confirmatur ex historia religionum, quae ostendit cultum externum esse universalem atque adeo oriri ex ipsa natura hominum.

30. Homo obligatur ad cultum publicum et socialem. 1) *Deus est societatis domesticae et civilis, qua talium, auctor supremus, rector et finis ultimus.* Ergo activitas harum societatum debet ei subordinari eumque agnoscere et cultum exhibere.

Hic cultus, ut patet, nequit esse mere internus, quia *activitas socialis fit labore communi, qui nequit esse mere internus.* Sic, v.gr., in societate domestica ad activitatem socialem pertinet educatio filiorum et mutuum auxilium, quae quidem postulant (quoad rem religiosam) ut religione informentur et ad cultum Dei deducantur.

In societate civili ad activitatem socialem pertinet quidem labor pro acquirenda prosperitate publica temporali, ut finis proximus. Sed hic *labor subiciendus est fini ultimo,* atque ita est temperandus ut prosperitas publica fini ultimo subordinetur; ideo et mediis licitis et salva publica et privata morum ho-

1 Hisce verbis Iesus non damnayit cultum externum, siquidem cultus externus in spiritu et veritate fieri debet, nimirum si non mere externe sed ex interno spiritu procedit.

2 Cf. 3 CG 119.

nestate obtineatur. Hinc plures emanant pro optimatibus et magistratibus obligationes circa rem religiosam, v.gr. ad tuendum ius in exercitio verae religionis et ad ferendas leges quae honestatem morum defendant, etc.

31. 2) Sicut homo ad convenientem sui evolutionem materialem et temporalem indiget societate domestica et civili, non minus *indiget societate ad convenientem sui evolutionem religiosam;* homo igitur etiam sub aspectu religioso est ens sociale, i.e. iuvatur a societate in exercitio religioso et postulat hanc societatem.

Atque *historia teste confirmatur;* homines enim coaluerunt in societates pro exercitio religionis et habuerunt *ad hoc sacerdotes,* qui eos et regerent et ante Deum repraesentarent pro re religiosa.

Dantur praeterea experientiae religiosae vividiores, quae multum valent ad sensum affirmandum atque adeo ad movendam voluntatem, quae tantum in magnis congressibus religiosis acquiruntur, cogita congressus eucharisticos, peregrinationes ad celebriora sanctuaria (Lourdes, Fâtima...); i.e. sunt experientiae quae tantum socialiter acquiruntur.

32. Scholion. In cultu externo sociali produnt se tendentiae alicuius communitatis, et prout sint formae cultus quas praefert, ita ostenditur indoles religiosa illius collectivitatis. Sic interdum satis differunt manifestationes religiosae in nationibus meridionalibus ab his quae sunt in aliquibus septentrionalibus. Ideo et verum est indolem nationalem sese prodere in cultu sociali. Hoc tamen non est ita exaggerandum, ut singulis nationibus singulae formae religiosae, quin et propria religio, debeant accommodari et applicari. Ex historia vero religiosa constat formam historicam religionum non necessario ligari cum natione aliqua determinata [3].

33. Religio et felicitas hominis. Religio est etiam homini necessaria, quia sine ea beatitudinem in hac ipsa vita consequi non valet; quod constat *considerando obiectum facultatum* hominis, quae, sine religione satiari nequeunt.

Sic intellectus hominis *verum appetit;* Deus autem est Veritas suprema et aeterna. Voluntas hominis *bonum persequitur;* Deus autem est bonitas et sanctitas infinita. Cor hominis *amorem inhiat;* Deus autem est Amor immensus et obiectum amoris

3 De hac re Ch.M.Schroeder, *Rassc und Religion* (München 1937).

indeficientis et unice satiantis. Unde profundissima experientia atque aeterno valore humano S.Augustinus protulit notissima verba: «Fecisti nos [Domine] ad te; et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te»4.

ARTICULUS III

De obligatione religionis positivae

34. Hominem debere amplecti religionem positivam, quam Deus ipsi manifestet et praescribat, est quaestio evidens propter dominium supremum Dei in hominem. Est proinde sequela ex iam dicta necessitate exercendi religionem; quod quidem corollarium Concilium Vaticanum his verbis exprimebat: «Cum homo a Deo tamquam creatore et Domino suo totus dependeat et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur» (D 1789). Idem vero Concilium damnat eos qui dixerint «rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit» (D 1810).

Unde homo non potest acquiescere religioni mere naturali, si ei certo constat de voluntate Dei religionem positivam manifestante. Sed neque acquiescere potest si probabiliter tantum aut verisimiliter de hac voluntate Dei ipsi constat; id quod thesi sequenti stabiliendum est.

Thesis i. Homo tenetur inquirere in religionem positivam quae cum veri specie se offert a Deo manifestatam et ipsi praescriptam.

Dieckmann. *De revelatione* n.i80-186; Lercher, *Theolog. fundam,* n.75-80; P.Richard, *Indifférence religieuse:* DTC 7,1580-1594.

35. Status quaestionis, i) In hac thesi statuitur pro homine adulto *obligatio moralis obiectiva* investigationis intellectualis in religionem probabiliter a Deo manifestatam et ei praescriptam. Ut autem adsit obligatio subiectiva opus erit ut haec obligatio obiectiva certo deprehendatur.

2) Consideratur casus in quo manifestatio divinae voluntatis nondum certo constet. Illa religio dicitur offerri cum specie veri, quae affert veram et solidam probabilitatem suae veritatis, i.e. fuisse revelatam a Deo et praescriptam tali homini. Aliter vero si religio absurda ab initio appareret, vel si contradiceret religioni naturali, vel nihil exhiberet quo. ostenderet se revelatam fuisse.

Religio autem catholica facile cum specie veri homini consideranti apparebit. Est enim, hodie praesertim cum tanta adsit facilitas communicationis inter populos, factum satis manifestum ut societas supranationalis—tam late

4 *Confes.* 1,1.

per orbem diffusa, cum maneat una in regimine, in doctrina fidei, in sacrificio et sacramentis—tam antiqua in successione non interrupta ab apostolis—tanta sanctitate heroica pollens et charismatica in miraculis quae feruntur—docens doctrinam sublimem et moraliter purissimam—tanto numero homines doctissimos suo sinu complectens...

3) De possibilitate huius manifestationis et praescriptionis Dei ad homines vulgariter satis constat; sed et scientifice res postea perpendetur (n.62-68). Ceterum, ad rem praesentem quod attinet, haec possibilitas iam ex eo fit probabilis quod omnes fere religiones ad hanc manifestationem et praescriptionem divinam appellent. Si quis neque hoc admitteret, thesis haberet sensum hypotheticum: si possibilis sit haec manifestatio divina.

36. Adversarii. *Indifferentistae,* sive ii qui dicunt omnes religiones esse aeque inutiles vel nocivas *(indifferentismus absolutus);* sive ii qui dicunt omnes religiones esse aeque bonas et legitimas *(indifferentismus universalis,* cf. D 1716s); sive ii qui hanc legitimitatem restringunt ad aliquas, v.gr. Christianas, religiones *(indifferentismus particularis,* cf. D 1718). Si enim res est indifferens, non est cur obligatorie de ea inquiratur.

Liberalismus, extollens independentiam hominis, affirmat ius inesse homini profitendi religionem quam velit (cf. D 1715).

Modernistae, ut diximus, habent religionem non tam ut fructum inquisitionis intellectualis, quam ut manifestationem sentimenti, idque in omnibus religionibus substantialiter idem esse: ideo nec obligatorie inquirendum, sed per experientiam sentimentalem explorandum quid cuique conveniat.

37. Doctrina Ecclesiae. *Explicite* proponitur doctrina theseos a Pio IX in Litteris «Qui *pluribus»:* «Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, *divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse locutum,* ac eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat» (D 1637).

Etiam *ab infidelitate* non *excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili* (D 1154). Quod ideo dicitur, non quod debeat sequi opinionem magis probabilem, cum praerequiratur certitudo de facto revelationis (cf. n.ii7s). Ergo notitia probabilis revelationis inducit obligationem inquirendi L

l «Infidelis ductus opinione minus probabili, si omittat inquirere, prout tenetur, graviter peccat non credendo, ob eam scii, culpabilem-negligentiam et ignorantiam, in qua ipsa infidelius est interpretative volita . » (D.Viva, S.I., *Damnatae theses...* t.i (Patavii 1723] P-2 prop.4 Innocent» I, n.VII p.200 b). R.Aubert, *Le problème de l'acte de foi 1* (Louvain *1950)* p.Q1-93 ·· unset, in re obscura, diversas opiniones et propriam circa motiva damnationis huius propositionis (D 1154).

Haec necessitas inquisitionis *implicite* aliquomodo continetur in necessitate omnibus imposita profitendi fidem a Deo imperatam, quia «plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur» (D 1789), et quidem ut «obsequium rationi consentaneum» (D 1790); unde facile apparet teneri hominem ad media necessaria (inquisitionem) ut rationabiliter adhaereat fidei.

Valor theologicus 2. Cum doctrina proposita in documentis praecedentibus doceatur et acceptetur in tota Ecclesia catholica, nec tamen habeat qualificationem superiorem, ut de fide, recte dici potest *doctrina catholica,* ac proinde haec dici potest qualificatio theologica theseos. Hac enim qualificatione, quamquam interdum vaga, comprehenduntur illa quae magisterium Ecclesiae supremum expresse docere vult (ideo *authentice* docentur), quae tamen non proponantur ad credendum: ut ideae potissimae encyclicarum (sicut supra: D 1637), vel propositiones contrariae aliis damnatis et proscriptis, non praecise ut haereticis (sicut supra: D 1154), vel etiam quod in capitibus conciliorum contineatur et non constet esse definitum, aut ex illis aliquali ratiocinio deducatur (sicut supra eruimus ex D 1789 1790). Etenim haec omnia docentur in tota Ecclesia catholica; sunt nimirum illa doctrinae capita «quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram» (D 1684).

38. Probatur: 1) *Homo, ut servus Dei, tenetur ad exercitium religionis quae a Deo sibi reveletur et praescribatur.* Secus id esset detrectare scientiae et veracitati Dei, non credendo; et eius dominio, non faciendo.

Ergo homo tenetur ad media necessaria pro hoc exercitio. Si quis enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media necessaria.

Atqui medium necessarium ad exercendam religionem quam Deus homini revelet et praescribat est inquirere in religionem

2 De hoc studio theologice qualificandi sententias et propositiones iuvat audire Ioannem Maldonado, S.I., in Universitate Parisiens» celeberrimum professorem: «[Praeceptor] quasi libra suum cuique rei iustum pondus attribuat, expensisque momentis argumentorum, sententiam ferat de sententiis: quae sit fides, quae opinio, quae ad fidem, quae ad opinionem propius accedant, quae haeretica propositio, quae haeresim sapiens, quae male sonans, quae temeraria, quae periculosa, quae nova, quae probabilis, quae vera. Hoc enim est iudicium in quo qui excellit verus praeceptor est... Denique formabit in auditorum animis iudicium illud, quod in praeceptore ipso oportere esse diximus. Hic enim maximus est auditioni fructus, ut auditor praeceptor esse possit, quod tunc consequetur cum iudicium habebit efformatum atque maturum; hac enim re maxime praeceptor a discipulis distinguitur· *(De ratione Theologiae docendae;* Monum. Paedag. S.I., p.866).

quae cum specie veri se offert ut manifestatam a Deo et praescriptam. Hoc est enim in natura, ut res saepe apprehendat non repente cum certitudine, sed gradatim.

Ergo homo tenetur inquirere in religionem quae cum veri specie se offert a Deo manifestatam et ipsi praescriptam.

39. 2) *Subditus tenetur inquirere proportionata diligentia in exsistentiam legis* probabiliter talis. Est enim lex generalis certa inquirendi *diligentia proportionata* in voluntatem probabilem legislatoris; quia homo obligatur ad cognitionem legis, ut haec possit habere suum effectum ligandi voluntatem, quod fit per intellectum; sed medium necessarium et ordinarium ad huiusmodi cognitionem est inquisitio proportionata. Secus, si non esset haec obligatio, posset quis obturare aures ut numquam aut fere numquam ei manifestetur certo voluntas superioris. Id postulat etiam reverentia erga voluntatem mere probabilem et hypotheticam legislatoris.

Atqui religio positiva a Deo manifestata et praescripta esset vera lex divina.

Ergo homo, subditus Dei, tenetur inquirere proportionata diligentia in religionem positivam quae cum veri specie se offerat a Deo manifestatam et ipsi praescriptam.

Atqui haec diligentia non erit proportionata si homo non inquirit absolute in religionem probabiliter a Deo praescriptam. Quia, cum agatur de fine ultimo absolute consequendo, diligentia non est proportionata, nisi eligatur medium omnino tutum. Unice autem tutum in casu est inquirere in exsistentiam talis religionis. *Ergo...*

40. 3) Confirmatur ex hominum tendentia avide exquirendi manifestationes divinae scientiae et voluntatis: oracula, vaticinia... (hodie occultismus, theosophismus...); atque etiam ex tendentia hominis ordinandi se ad finem suum consequendum, religiosum, unde psychologice homo tendit ad solvenda sua dubia in re religiosa.

41. Obiectiones. i. Interdum prudenter datur consilium ne protestantes et orthodoxi in sua religione inquietentur, in qua bona fide perseverant. Atqui, si prudenter id fit, protestantes et orthodoxi non tenentur inquirere in religionem (catholicam) quae cum veri specie eis se offert. Ergo...

Dist. mai. Prudenter datur hoc consilium, si protestantes et orthodoxi bona fide versantur in secta—et insuper servant media necessaria ad salutem (fidem, baptismum, caritatem), et monitio praevidetur nociva, *conc. mai.;* secus, *nego mai.* Imprudenter daretur tale consilium ex probatis in thesi;

si enim dubitant de veritate propriae religionis et apprehendunt religionem catholicam ut probabiliter ipsis praescriptam, tenentur ad inquirendum.

2. Lex dubia non obligat. Atqui religio quae tantum se offert cum specie veri, esset lex dubia. Ergo non obligaret hominem ad inquirendum in eam.

Dist. mai. Lex dubia non obligat *ad sequendum* illam, post factam inquisitionem in eam proportionata diligentia, *conc. mai.;* non obligatur homo *ad inquirendum* proportionata diligentia in eam, *nego mai.* Religio probabiliter tantum praescripta est lex dubia; sed adest lex *certa,* quae obligat ad inquirendum proportionata diligentia in legem (religionem) dubiam.

3. Lex non promulgata non obligat. Atqui religio probabiliter revelata et probabiliter praescripta non est promulgata. Ergo religio probabiliter revelata et praescripta non obligat.

Conc. mai. Transeat min. et nego suppositum minoris. Minor scilicet supponit obligationem inquirendi desumi ex lege mere probabili et nondum plene promulgata, qualis esset religio probabiliter tantum revelata et praescripta; sed obligationem inquirendi desumimus ex lege certa inquirendi in religionem probabilem.

4. Ubi nulla Dei cognitio, nulla obligatio. Atqui multi non cognoscunt Deum. Ergo neque obligantur ad inquirendum in religionem.

Trans, mai. Certe, ad perfectam et veram obligationem cognoscendam praerequiritur cognitio exsistentiae Dei legislatoris praeceptum imponentis; alia non esset obligatio, nisi ex decentia aut convenientia cum natura rationali.

Sed *dist. min.* Multi non cognoscunt Deum, vel sunt athei oretenus vel *practice, conc. min.;* multi non cognoscunt Deum vel sunt athei *theoretice, subdist.: culpabiliter* et postquam detinuerunt cognitionem Dei in iniustitia sua (Rom 1,18s), *trans, vel conc.;* inculpabiliter, *nego.* Cognitio Dei, saltem confusa, via causalitatis est facilis, ut constat ex historia religionum, et *per se* obvia hominibus, nec inculpabiliter potest diu ignorari. De ea sic loquitur S.Thomas: «Est quaedam communis et confusa Dei cognitio, quae quasi omnibus hominibus adest... quia naturali ratione statim homo in aliqualem Dei cognitionem pervenire potest; videntes enim homines res naturales secundum ordinem certum currere, quum ordinatio absque ordinatore non sit, percipiunt ut in pluribus aliquem esse ordinatorem rerum quas videmus» (3 CG, 3,38)[3].

5. Saltem ii qui nondum cognoverunt Deum non tenebuntur ad inquirendum.

Resp. In hac hypothesi nec tenebuntur ad ullam legem moralem; sed *per se* id non accidit.

6. Deus, sua providentia et circumstantiis quibus voluit ut quisque nasceretur et viveret, iam sufficienter declaravit quam quisque religionem debeat amplecti. Ergo non tenetur homo ad ulteriorem inquisitionem.

Dist. antec. Deus id declaravit, i.e. permisit *voluntate permissiva,* saltem ad tempus, *conc. antec.;* Deus id voluit voluntate beneplaciti, *subdist.:* si agitur de religione quam ipse manifestavit et pro iis hominibus decrevit, *conc.;* secus, nego.

7. Religio essentialiter consistit in actibus internis et in adoratione Dei in spiritu et veritate (Io 4,23s). Ergo nihil est inquirendum in religionem positivam externe impositam.

3 L.de Grandmaison, S.I., loquitur de cognitione Dei «spontanee, quasi intuitive, et de son retentissement sensible, émotionel..., un acte de connaissance si vite arrivé au but, qu'il fait l'impression d'être una intuition» (*L'élément mystique dans la religion:* RechScRel 1 [1910] 197).

Dist. antec. Actus essentiales religionis sunt illi interni intellectus et voluntatis (agnitio Dei et devotio, qui semper adesse debent et sunt quasi radix ceterorum (essentia metaphysica religionis), *conc. antec.;* sunt unici actus necessarii in religione, quasi haec non implicaret connaturaliter atque adeo essentialiter pro homine cultum externum et voluntatem paratam ad quaerendum et sequendum Dei beneplacitum circa cultum externum, *nego antec.*

42. Scholion i. *Cur hic non valet probabilismum applicare.* Quia directe non agitur de lege dubia aut mere probabili, sed de lege *certa* investigandi in legem dubiam, sc. in religionem probabilem.

Dein *relate ad hanc legem dubiam* (religionem probabiliter revelatam et praescriptam), in dubio primum est egredi e dubio, adhibita diligentia proportionata gravitati legis.

Praeterea, manente dubio, probabilismus est pro dubiis iuris, utrum obliger hac lege necne; in dubiis autem facti, quae non transeunt in dubium iuris, et *ubi agitur de medio ad salutem necessario,* nequit probabilismus applicari et se exponere periculo non obtinendi finem. Sic non licet uti probabilismo ubi agitur de certo valore sacramenti procurando, cum dubium sit, v.gr. utrum materia sit valida necne: debet materia certo tuta adhiberi; nisi hoc dubium facti transeat in dubium iuris, an liceat in talibus circumstantiis extremis sacramentum expohere periculo nullitatis. Similiter ubi agitur de medio ad salutem.

Nec valet probabilismum applicare ubi certum aliquod ius incolume servandum est: nimirum, v.gr., si quis exploderet in silvam, quia probabiliter explodit in bestiam et non in hominem; certo enim servari debet ius hominis in vitam.

Breviter: Praeterquam quod agitur de lege certa inquirendi, non valet probabilismum applicare ubi agitur de certo aliquo fine absolute obtinendo et servando, ut est ultimus finis hominis.

43. Scholion 2. *Quinam debent inquirere.* Est locus et obligatio inquirendi in religionem sibi probabiliter praescriptam iis qui de revelatione aliqua divina nondum hucusque audiverunt vel nondum ut certam agnoverunt, ut accidere potest, v.gr., paganis et rationalistis, cum considerant Ecclesiam catholicam; vel iis qui prudenter dubitant de religione revelata quam hucusque exercuerunt, v.gr. iudaei, vel quidam mahumetani aut protestantes accedentes in regionem catholicam. In his enim propria ignorantia vel dubium sunt compos-

sibilia cum probabilitate qua nova religio se offert revelatam et obligatoriam.

Qui vero erronee et mere subiective certi sunt de sua religione ut ipsis praescripta, quin tamen adsit obiectiva veritas et certitudo, ii non apprehendent probabilitatem qua nova religio praetendit se esse revelatam et obligatoriam, et ideo neque obligationem in illam inquirendi eamque amplectendi apprehendent. Eo ipso autem quo talem probabilitatem admittant, deficiet eorum certitudo subiectiva et tenebuntur ad inquisitionem.

Sed nequit esse locus huic inquisitioni, si quis certo scit (licet certitudine vulgari tantum) se habere veram et unicam religionem a Deo volitam (sic illi qui rite educati et instructi sub magisterio ecclesiastico agnoverunt Ecclesiam ut signum levatum in nationes [Is 11,12; D 1794 1815]; vel si quis dubitat imprudenter sive mere tentatur in fide). Tunc enim propria certitudo in religionem revelatam et obligatoriam excludit probabilitatem alius religionis, et est incompossibilis cum ea.

Dices: Ergo aliter statuimus pro catholicis ac pro non catholicis.

Ita quidem est. Quia «minime par est conditio eorum qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; illi enim qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi aut in dubium fidem eandem revocandi» (D 1794, cf. D 1815). Hi enim adiuvantur *obiectiva rei veritate,* quae clarius in dies eorum mentibus illucescit, et insuper *auxilio subiectivo gratiae* benignissimi Domini, qui illos in dies confirmat, non deserens nisi deseratur. E contra est aliis: neque habent obiectivam rei veritatem, nec gratia Dei illos confirmat, retrahit potius a suis falsis conceptibus religiosis.

CAPUT II

De *revelatione*

44. Ad demonstrandum factum revelationis divinae obligatoriae, quae proponitur a religione Christiana, gressus praeparatorius fuit tractatio praecedentis capitis, ubi disceptavimus de notione et natura religionis deque eius pro nobis obligatione. Nunc pariter gressus propae-

deuticus *tractatio de revelatione* obtenditur: si enim conceptus revelationis ut contradictorius ostenderetur, si eius impossibilitas demonstraretur, si ut incognoscibilis nobis praedicaretur... frustra nos circa factum perquireremus.

Et quoniam religio catholica, quae ut probabiliter vera cuilibet vel obiter consideranti se offert, habet *conceptum de revelatione ut primarium,* oportet hunc conceptum perpendere et ante rationem legitimate.

Ad factum revelationis divinae demonstrandum et ad ostendendam ipsam possibilitatem revelationis possemus ipsa facta exponere, ex iis quae ex Genesi usque ad Apocalypsim novimus de locutionibus divinis erga homines; admittendo quidem ut probatam ex Introductione in Sacram Scripturam historicitatem librorum V. et N. Testamenti. Sed ad praeoccupandas luce evidentiore difficultates quae contra opponi possent, et quo facilius postea ad ordinem concretum applicetur speculatio abstracta: malumus incipere exponendo theoriam ipsam revelationis.

ARTICULUS I

De notione revelationis

S.Th., 2.2 q.171-174: *De verit.* q.12; Suarez, *De fide* d.8 s.4; Dieckmann, *De revelatione* 0.188-220; Garricou-Lagrange, *De revelatione* I c.4; Concilium Vaticanum, s.3 c.2.

45. Sicut in Ontologia agitur de ratione universaliore *entis* (quae imbibitur in omni obiecto aliarum partium Philosophiae) eiusque causarum, sic in Theologia fundamentali agitur de ratione universaliore *revelationis,* quae imbibitur in omni obiecto aliarum partium Theologiae; omnes enim considerant sua obiecta ut revelata per Deum et per fidem cognita.

Tractamus de revelatione prout illam intelligit Ecclesia; agimus enim de probando facto revelationis ab ea proposito. Id autem postulat ut antea conceptum huius facti, i.e., conceptum de revelatione quem Ecclesia habet, in hoc articulo et sequenti philosophice legitimemus.

46. 1) Revelatio indicat *etymologice* remotionem veli vel manifestationem rei occultae.

In Novo Testamento sermo est de revelatione sub vocibus ἀποκάλυψι, φανεροῦν..., in significatione manifestationis veritatis salutiferae (regnum messianicum, mysterium Christi...) factae a Deo per Christum aut per Apostolos

Ex usu ecclesiastico est manifestatio veritatis occultae homini facta per Deum (D 1634-1636 1785).

Sic revelatio tam ex Novo Testamento quam ex usu Ecclesiae est *locutio Dei ad homines* (Heb 1,1; D 1785).

1 Cf. Zorell, *Lexikon Graecum* ad illas et cognatas voces; G.Kittel, *Theologisches Worterbuch zum Neuen Testament* 3.565-597 ad vocem ἀποκάλυψι$ de re tractat; item Dieckmann, *De revelatione* n.195.

47. 2) Haec est revelatio *divina,* de qua agimus. Si manifestatio veritatis fit ab aliquo homine, revelatio est *humana.*

Si fit per angelum, habetur *ut divina,* quia angeli in suis relationibus cum hominibus revelant in quantum unam cum Deo efficiunt causam; Deus enim id vel iubet vel positive permittit. Revelatio *daemoniaca per se nulla est,* quia, cum sint spiritus mendacii, nullam veritatem proprie et per se tendunt communicare.

48. 3) Revelatio divina potest considerari *active* seu in actione Dei revelantis; *passive* seu in perceptione rei revelatae vel in signo creato quo Deus suam mentem alteri directe manifestat; *objective* seu in veritatibus vel obiectis quae revelantur.

Si de natura revelationis quaeritur active consideratae, dicendum est sicut *de natura actionis Dei ad extra:* sive agatur de actione creative, si Deus in revelando aliquid creat; sive de actione eductiva, si, ut in pluribus, aliquid educit de potentia materiae.

Per has actiones *Deus non mutatur intrinsece;* sed *extrinsece et terminative* denominatur actu creans, educens, et similiter *actu revelans,* si has actiones probabilius habemus ut formaliter (non tantum virtualiter) transeuntes 2.

De causa efficiente revelationis. luxta doctrinam catholicam revelatio divina est *opus Dei ad extra,* et ideo fit a tribus divinis personis indivisim. Sed aliquando *tribuitur Deo Patri* (1 Cor 2,10: «Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum»; Mt 16,17: «Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est»); *aliquando vero tribuitur Filio* (Mt 11,27: «Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare»), cum ipse sit Sapientia Dei illuminans omnem hominem; *aliquando* denique revelatio divina *appropriatur Spiritui Sancto,* sicut universa Dei opera ex amore procedentia (sic 2 Petr 1,21: «Spiri-

2 In hac igitur sententia revelatio *formaliter* talis, sicut creatio formaliter talis, et sicut quaelibet actio Dei eductiva, habetur ut *formaliter transiens et Deo extrinseca.* Haec ultima et formalis ratio denominandi Deum actu revelantem, sicut et similiter actu creantem, actu educentem, probe debet distingui a decreto Dei et voluntate et potentia revelandi, sicut et similiter creandi, educendi: hoc enim decretum, haec voluntas et haec potentia sunt Deo formaliter immanentia, sed nequeunt dici actualis revelatio, creatio, eductio, sed tantum revelatio, creatio... *radicalis, vel virtualis,* quia recte inferunt formalem revelationem in tempore vel actualem fluxum rei in tempore. Auctores uberius de re tractant cum exponunt sententias de natura actionis crcativae, vel in genere de actione et passione. Cf. Ludov.de Lossada, Cursus *Philosophicus:* Physica, tr.3 d.i c.3 (Barcinone 1883)1. 6 p.186-191; F.Marxuach, *Compendium Theologiae naturalis* (Madrid 1929) n.i57,111. Similiter F.Suarez, *Disputat, metaphysicae 20* s.4; I.Hellîn, *Theologia naturalis* (Matriti 1950)» th.92.—Urraburu, Cosmologie l.i d.2 c.2 a.3, disputans in quo consistat actio creativa (p.205-219) citat auctores qui tenent creationem formalem esse *formaliter transeuntem,* tamquam aliquid distinctum a re creata, sicut modus rei, ut actio eductiva praedicamentalis. Ita, praeter Suarez et Lossada, Molina, Rhodes, Hurtado, Arriaga... ibi commemorati.

tu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines»; et in Symbolo dicitur de Spiritu Sancto: qui locutus est per prophetas).

49. 4) Revelatio divina potest esse *naturalis* vel *supernaturalis.* Revelatio divina *naturalis* est manifestatio veritatis de Deo quae homini provenit a Deo ut ab auctore naturae, per ipsam naturam creatam (cf. Rom 1,19: Ps 18,2).

Et quoniam iam acturi sumus de revelatione *supernaturali* et frequens recurret mentio huius conceptus in hoc tractatu et in sequentibus, oportet ab initio conceptum *supernaturalis* enucleare et declarare. Plenior tamen cognitio relinquitur ad tractatus *de Deo elevante* et *de Gratia Christi.*

50. Declaratio conceptus supernaturalis. *Supernatural* dicitur id quod superat illud quod est *naturale.*

Naturale vero est id quod pertinet ad naturam.

Natura intelligitur etymologice *id quod nascitur;* realiter supponit *a)* pro *substantia prout est principium operationum; b)* pro *essentia rei* (sic sermo est de «natura accidentium»); *c)* pro *universitate rerum creatarum.*

Aliqua autem res pertinet ad naturam aut est naturalis,

1) vel *quia constituit ipsam naturam* (v.gr., naturale est homini habere animam, corpus et partes integrantes);

2) vel *quia consequitur ex ipsa natura* (sic potentiae animae et omnia quae ipsa natura suis viribus consequi potest);

3) vel *quia exigitur ab ipsa natura* ne ipsa aut eius vires frustra sint (v.gr. media necessaria ad finem suum obtinendum: aër, cibus in genere, pro vita organica; familia, societas, auctoritas, pro vita sociali; conservatio, concursus divinus, aliqua providentia Dei...).

Haec sunt naturalia, nimirum quia *aut constitutive, aut consecutive, aut exigitive pertinent ad aliquam naturam creatam.*

Supernaturale indicat rem positivam quae naturam superat

1) vel quia eam perficit constituendo illam in ratione superiore (sic gratia sanctificans, quae ut accidens superadditur naturae creatae, constituendo illam consortem divinae naturae);

2) vel quia superat vires et capacitates activas naturae creatae (sic, v.gr., videre Deum);

3) vel quia superat exigentias ipsius naturae creatae (v.gr. ipsum videre Deum, habere dominium perfectum concupiscentiae—in creatura corporali—ita ut non antevertat dictamen rationis; item immortalitas et impassibilitas corporis).

Ideo definiri potest *supernaturale: id quod neque constitutive, neque consecutive neque exigitive pertinet ad naturam.*

Sic, spectata natura quae elevatur, sive terminus *a quo* fit excessus, supernaturale est quid omnino indebitum naturae elevatae; spectata vero natura ad quam elevatur, sive *terminus ad quem* fit excessus, supernaturale est participatio naturae superioris.

51. Divisiones supernaturalis. 1) Supernaturale potest esse *simpliciter* et *secundum quid.*

Simpliciter supernaturale habetur relate ad omnem naturam creatam et creabilem; ideo est id quod superat capacitates et exigentias totius naturae creatae, ac proinde spectat ad rem proprie divinam, ut est ipsa intuitio Dei et amor inde resultans. Sic *supernaturale simpliciter* potest cognosci per ordinem ad visionem beatificam et ad beatitudinem ultimam hominis, qualis est in hoc ordine providentiae. Ideo gratia sanctificans, virtutes theologicae, dona Spiritus Sancti... sunt entia simpliciter supernaturalia.

Supernaturale secundum quid vel *praeternaturale* habetur relate ad aliquam tantum naturam creatam. Sic quod pro alia natura est supernaturale, potest esse naturale pro alia natura superiore; v.gr., est supernaturale pro homine intelligere sine discursu et ratiocinatione, id quod pro angelo est naturale. Pro natura sensitiva hominis sunt dona praeternaturalia, vel supernaturalia secundum quid, integritas sive dominium perfectum concupiscentiae, immortalitas et impassibilitas.

2) Supernaturale potest esse *intrinsece supernaturale* sive *quoad entitatem,* et supernaturale *per analogiam attributionis externae* sive ut *causa vel effectus.*

Supernaturale *quoad entitatem vel intrinsece supernaturale* est perfectio per modum accidentis inhaerens substantiae creatae: gratia sanctificans, dona Spiritus Sancti...

Supernaturalis per analogiam attributionis externae dicitur res in se naturalis, v.gr. sacramentum (materia et forma), Ecclesia, etc., quae est qausa vel effectus vel signum rei *supernaturalis quoad entitatem;* quae quidem est principale analogatum.

3) *Supernaturale quoad rem (substantiam) et supernaturale quoad modum.*

Supernaturalis quoad rem est res intrinsece supernaturalis. Supernaturalis quoad modum dicitur, *per analogiam proportionis,* res in se naturalis, v.gr. restitutio visus in caeco, sed ratione modi quo fit est supernaturalis, v.gr. si fiat repente verbo; sic servatur quaedam ratio proportionis.

52. Revelatio supernaturalis est manifestatio quae fit homini a Deo praeter exigentiam et capacitatem naturalem.

Potest fieri *a) per facta miraculosa,* si v.gr. Deus ope miraculorum manifestat sanctitatem alicuius servi Dei, vel divitias suae gloriae et bonitatis;

b) per infusionem scientiae, si quis v.gr. aliquid novum repente scit per scientiam a Deo acceptam;

c) sed in sensu proprio et stricto intelligitur *illa manifestatio quae fit homini a Deo per locutionem proprie dictam* (D 1785; Heb 1,1).

53. Locutio proprie dicta est *actio qua ens intelligens immediate et directe mentem suam alteri manifestat.*

Nota: a) Interlectiones, ut vocabula mechanice prolata, non sunt locutio, quia tunc homo non agit ut *intelligens.* Etiam animalia interdum exprimunt hoc modo sua sensa.

b) Si quis aliquid manifestat (v.gr. pulchram vocem in suo cantu), sed *indirecte,* non ideo dicitur id loqui. Sic attributa Dei per creationem manifestata, et pariter ideas exemplares mentis divinae quae per creaturas cognoscuntur, haec non loquitur Deus; quia Deus non directe haec dicit, nec actiones eo tendunt ut Deus id manifestet directe et immediate.

Excluditur medium obiectivum *ex quo* per deductionem mens cognoscatur; sed non excluditur medium subiectivum (os, aures) vel medium obiectivum *quo* (sonus, epistola).

c) Requiritur ut loquens manifestet mentem *suam;* secus potius interpres quam loquens dicitur.

d) Debet loquens mentem suam alteri manifestare ut persona ad personam, non per meram infusionem luminis aut specierum. Debet igitur dari haec *alteritas,* et ideo revelatio, cum sit manifestatio Dei cum hac alteritate, est etiam actus amoris Dei erga nos communicando sua sensa.

Revelatio non est *infusio scientiae,* quae per se directe est tantum communicatio alicuius obiecti, non praecise ut mentis et cognitionis illius qui infundit scientiam (cogita v.gr. si quis reliquit scriptum, quod alius leget: non ideo est epistola et collocutio).—Neque revelatio est gratia *illustrans,* quia in hac per se nihil dicitur de mente divina.

54. Locutio potest esse *docens,* si tendit ut alius *sciat* res ob rationes internas; et potest esse *attestons,* si tendit ut alius *credat* illas propter auctoritatem loquentis. Deus utrumque facit in sua ad nos locutione; sed haec *primario* est et intelligitur attestans (D 1789). Insuper et quia obiectum primarium revelationis divinae est mysterium absconditum a saeculis in Deo [3], quod unice per testimonium Dei innotescit.

Locutioni docenti respondet *scientia;* locutioni attestant! *Udes.*

Finis ergo primarius revelationis est ut homo veritates revelatas *credat* propter auctoritatem Dei loquentis.

55. Auctoritas est vis moralis qua quis influxum in alium exercet.

[3] Cf. Col. 1,26.

Potest esse *doctrinalis et scientifica,* quae consistit in cognita scientia et veracitate alicuius testis; et potest esse *moralis* sive in iure imponendi obligatorie aliquem actum, v.gr. assensum dictis.

In Deo utraque est auctoritas, sc. est auctoritas *plena.* Habet auctoritatem doctrinalem et scientificam, quatenus est infinita sapientia et summum habet amorem veritatis; ideo est prima veritas in cognoscendo et loquendo, cui ratio creata obsequium praestare potest et debet assentiendo eius dictis. Habet etiam auctoritatem moralem et iuridicam, quatenus est dominus supremus, qui potest imperare assensum.

Sed fides, qua talis non praestatur ob auctoritatem moralem et iuridicam Iqquentis, sed immediate ob auctoritatem scientificam illius, sc. ob cius scientiam et veracitatem cognitas.' Ponere enim assensum immediate propter hanc auctoritatem scientificam Dei, est proprium virtutis *fidei;* ponere autem propter eius auctoritatem moralem, immediate est proprium virtutis *oboedientiae.*

56. Divisiones revelationis supernaturalis. 1) *Ratione personae quae recipit revelationem,* revelatio est *immediata* si homo directe a Deo loquente revelationem recipit; *mediata,* si homo revelationem recipit mediante alio homine legato a Deo.

Per angelos intelligitur immediata. Revelatio facta apostolis per lesum est immediate divina, cum actiones lesu sint divinae.

2) *Ratione potentiae quae immediate afficitur in eo* qui accipit revelationem, revelatio potest esse, *sensitiva* (vox in baptismo lesu; verba Mane, Tecel, Phares in convivio Balthassaris), *imaginaria* (scala lacob) et *intellectiva.* Revelatio intellectiva potest esse vel *pure intellectualis,* si phantasma nihil cooperatur; vel secus, *non pure intellectualis.*

Semper autem in revelatione requiritur *lumen intelligibile* ad diiudicandum de rebus acceptis; quia, cum sit locutio, opus est intelligere Deum loqui.

3) *Ratione destinatarii* revelatio est *privata* si dirigitur ad personas particulares; *publica* si dirigitur credenda toti generi humano (D 1785), vel saltem ad integrum populum (v.gr. israëliticum) sive societatem perfectam.

Circa revelationes privatas notari debet illos, ad quos non dirigitur aliqua revelatio, non teneri *actu positivo* illam revelationem tenere et affirmare *fide divina,* etiamsi cognoverint revelationem factam fuisse; illos autem, qui has revelationes acceperunt et ad quos revelationes diriguntur, posse et debere, fide divina illas tenere, si illis certo constet Deum ad ipsos locutum fuisse; id quod etiam alii praestare poterunt qui ad hanc certitudinem locutionis divinae pervenerint. Huiusmodi revelationes privatae iuxta regulas discretionis spirituum et sanae criticae historicae prudenter diiudicandae sunt, nec temere illas admittendo nec oppositione pertinaci illas reiciendo.

Revelationes factae Sanctae Margaritae Mariae de cultu Sacratissimi Cordis erant revelationes *privatae;* revelatio enim publica finita est cum ultimo Apostolo, ut expresse dicetur in tractatione de magisterio Ecclesiae. Sed *cultus certe Sacratissimi Cordis dirigebatur ex intentione Domirii ad totum genus humanum.* Ideo et revelationes privatae, sicut et alia charismata, non raro *habent functionem socialem* et non tantum ad bonum particulare paucorum diriguntur.

De approbatione revelationum. Revelationes privatae non approbantur ab Ecclesia *approbatione canonica,* quae spectat ad revelationem publicam (contentam in sacris litteris et in traditione); sed utique approbari possunt *approbatione permissive,* si earum lectio permittitur; vel *approbatione negativa,* si declaratur nihil in iis contineri contra fidem vel mores; vel *solemni approbatione negativa,* si ante inchoationem processus beatificationis alicuius servi Dei declaratur nihil in eius scriptis contineri contra fidem et mores; vel tandem *approbatione positiva,* si origo divina alicuius revelationis diserte docetur (v.gr.. de revelationibus factis Sanctae Margaritae Mariae, de quibus saepe loquitur easque affirmat v.gr. Pius XI in *Encyclica «Miserentissimus Redemptor»,* scilicet in documento Magisterii; vel etiam aliae, ut de B.Virgine Lampurdensi). In his autem approbationibus positivis non adest de facto magisterium summum et absolute infallibile Ecclesiae circa realitatem revelationum; esset tamen temerarium et imprudens illas negare sine sufficienti ratione 4.

4) *Ratione veritatum quae revelantur,* revelatio potest esse *supernaturalis quoad modum,* si veritates quae revelantur sunt perviae rationi ac proinde possunt naturaliter cognosci; et *supernaturalis quoad substantiam,* si veritates quae revelantur sunt naturaliter incognoscibiles.

5) *Ratione obiecti revelati* dicitur *formalis* et *virtualis,* prout veritas revelata immediate aut mediate ope conclusionis cognoscatur.

57. De supernaturalitate revelationis, *a)* De revelatione divina proprie dicta, per locutionem, nequit dici eam vel constitutive vel consecutive vel exigitive pertinere ad naturam humanam. Hinc *non est quid naturale prp homine, sed supernaturale.*

b) Praeterea omnis revelatio proprie dicta per locutionem, siquidem est liberrimus interventus Dei, aliquo signo extraordinario dignoscendus ab eo qui illam recipit, *supponit eventum praeter ordinem naturae* seu est miraculosa (cf. n. 147-153).

c) Potest interrogari utrum haec revelatio sit *supernaturalis simpliciter,* i.e. superans capacitatem et exigentias totius na-

4 Hinc revelationibus privatis, etsi approbationem Sanctae Sedis meruerint, non potest quis assentiri fide catholica; ideo ii, qui illas non receperunt, revelationes tenebunt fide humana iuxta regulas prudentiae, vel ex spiritu fiduciae et oboedientiae erga Ecclesiam. Nam «quod attinet ad fidem, superaedificati sumus super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christi Iesu (Eph 2,20). nec aliud fundamentum quispiam ponere potest» (Cardinalis Bona, *De discretione spirituum* c.20 [De revelationibus earumque discretione]: Opera omnia [Antverpiae 1723] 187).

turae creatae vel dicens ordinem ad visionem beatificam; an sit supernaturalis *secundum quid* vel praeternaturalis, ita ut non necessario dicat ordinem ad visionem beatificam.

Videtur respondendum revelationem *de suo conceptu* non necessario ordinari ad visionem beatificam, ac proinde non esse de suo conceptu simpliciter supernaturalem; quia bene intelligi potest Deum posse proponere aliquas veritates credendas ad quamcumque probationem. Immo et revelatio mysteriorum, quae excedunt omnem intellectum creatum, non videtur aliquibus de suo conceptu et natura esse simpliciter supernaturalis 5. *De facto tamen* revelatio, de qua loquitur Ecclesia, ordinatur ad visionem beatificam et est proinde simpliciter supernaturalis. Ecclesia loquitur de revelatione quae connexionem habet cum fine ultimo hominis simpliciter supernaturali; nam in Concilio Vaticano sermo est de revelatione supernaturali sine addito: placuisse Deo se ipsum *supernaturali via revelare* (D 1785) et revelatio dicitur *supernaturalis* (D 1787); ubi autem dicitur supernaturale sine addito, intelligitur in eodem Concilio simpliciter supernaturale (D 1786-1789).

58. Discrimen inter revelationem et alias operationes divinas. 1) *Revelatio distinguitur ab inspiratione* quia revelatio est *locutio Dei;* unde ille qui accipit revelationem, non tantum elevatur ad percipienda divina, sed etiam conscientiam habet Deum loqui secum et aliquid ei manifestare. Inspiratio vero est tantum *actio Dei principaliter agentis scriptionem libri,* ad quod sufficit in hagiographo supernaturalis illustratio intellectus, motio voluntatis et exsecutio ad ea scribenda quae Deus vult scribenda; sed non necessario habetur conscientia illius influxus supernaturalis, sicut non habetur conscientia ordinaria de illustrationibus et motionibus gratiae.

Sed inspiratio habetur ad scribendum quae Deus vult communicanda, ideo omne quod est inspiratum est verbum et sententia Dei ad nos, unde aliquid nobis Deus manifestat per illud; hoc igitur verbum Dei est nobis revelatum, saltem mediate, si per aliquem legatum qui revelationem accepit immediatam, nobis constat Deum illud scripsisse pro nobis.

Ideo ad actum inspirationis non requiritur per se ut adsit revelatio; sed omne quod est canonice inspiratum continet revelationem pro nobis mediatam.

2) *Ad inspirationem propheticam sive prophetiam* non requiritur conscientia Deum loqui sive revelare, si agitur de mero instinctu prophetico (Caiphas); secus si agitur de vero propheta sensu pleno, sc. de illo qui instinctu Dei et nomine Dei loquitur: tunc datur revelatio.

3) Prophetia stricta, si accipitur a Deo loquente, est *revelatio de futuro;* ergo distinguitur a revelatione sicut pars a toto vel sicut species a genere, quia revelatio potest esse non tantum de futuro, sed etiam de re praeterita et praesenti.

4) Propheta qui loquitur nomine Dei est verus *legatus Dei* sive missus a Deo (n.416); sed non omnis legatus est propheta.

5 Dieckmann, *De revelatione* n.208. Cf. tamen infra n.109.

5) Revelatio obiective sumpta distinguitur a *lumine supernaturali* quo quis cognoscit originem divinam alicuius notitiae infusae, in eo quod hoc lumen non est ipsa notitia accepta, sed principium illius, quo cognoscitur; neque est principium permanens, sed qualitas transiens.

6) *In scientia infusa* per se Deus non loquitur nec testatur sicut in revelatione; ideo in scientia infusa res manifestantur, sed non quatenus et in quantum sunt in mente divina.

7) In *assistentia divina* Deus non loquitur nec movet ad loquendum, sed tantum praesto adest ne quis erret.

8) Revelatio distinguitur a *visione intuitiva* Dei, in quantum per revelationem non elevatur mens ad ordinem divinum, ut accidit in conceptu intuitivo Dei; sed mens manet in ordine conceptuum analogicorum.

9) Revelatio est visio (sive intellectualis, sive imaginaria, sive sensitiva); sed non omnis visio est revelatio, sc. si sensus visionis non intelligitur (v.gr. Dn 5,3s; Act 10,10-17 ubi S.Petrus dicitur habuisse meram visionem, cuius sensum ac proinde revelationem accepit postea).

59. Falsae notiones de revelatione. Generatim ab ea excludunt omnia elementa vere supernaturalia. Sic, ut solent, rationalistae, qui nihil supernaturale admittunt, utpote superans rationem: omnia per rationem explicari debere et posse autumant.

Rationalistae antiquiores (Reimarus, Lessing...) intelligunt nomine revelationis *cognitionem naturalem de obtecto religioso.*

Kant intelligit sub revelatione *vocem conscientiae...*

Protestantes liberales et modernistae intelligunt per revelationem *experientiam religiosam,* quae subiacet sensui peculiari quo Deum apprehendimus, praesertim si haec experientia vividior sit et quasi passiva.

60. Notio modernistica de revelatione. De modernismo, quantum ad eius historiam et multiplicem aspectum, cf. J.Riviere, *Le modernisme dans l'Eglise. Etude d'histoire religieuse contemporaine* (Paris 1929); item J.Riviere, *Modernisme:* DTC 10,2009-2047; A.Gisler, *Der Modernismus6* (Einsiedeln 1913); a diversis conscriptus artic. *Modernisme:* DAFC 3,591-695; ad rem praesentem quod attinet, praesertim Foi *et dogme,* c.618-637; pro *Encyclica «Pascendi»* c.637-695.

Modernismus indicat tendentiam modernam, i.e. finis saec.XIX et initii saec.XX, *explicandi et interpretandi plures res religionis ex subiectivismo immanentista et ex relativismo,* praesupponendout fundamenta evolutionismum radicalemet agnosticismum subiectivistam. Plures sunt formae modernismi, sive quoad ipsam religionem eiusque essentiam et notionem, sive quoad inspirationem librorum sacrorum eorumque interpretationem, sive quoad historiam religiosam et dogmatis evolutionem, sive quoad ipsam fidem et revelationem earumque

defensionem et apologeticam. Hinc *modernismus philosophicus, exegeticus, dogmaticus...*

Complexus omnium doctrinarum modernistarum systematice propositus, et praeclare, invenitur in *Decreto «Lamentabili»* (3 iulii 1907) (D 2001-2065) atque in *Encyclica «Pascendi»* (8 septembris 1907) (D 2071-2109; EB 257-282 [250-275]).

Praecipui modernistae recensentur: Alfred Loisy 6 qui scripsit *L'Evangile et l'Eglise* (1902), *Autour d'un petit livre* (1903). George Tyrrell (1861-1909) et Edouard Le Roy *(Dogme et Critique,* 1907), qui tamen non reliquit Ecclesiam.

De notione modernistica religionis supra egimus, η.22-23. *Religio* iuxta modernismum, non ex conceptu Dei intellectuali, sed ut phaenomenon vitale explicari debet per ipsam vitam hominis. Sed prima motio cuiuscumque phaenomeni vitalis repetenda est ex indigentia quapiam vel in motu quodam cordis qui *sensus* dicitur. Ideo fides, quae est initium ac fundamentum cuiusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debet, qui ex indigentia divini oriatur. Atque haec indigentia in subconscientia invenitur et inde erumpit (D 2074).

61. Hisce notionibus religionis et fidei suppositis, facile notionem *revelationis* pervertunt modernistae.

Revelatio, iuxta modernistas, non est manifestatio *intellectualis* alicuius veritatis *ab extrinseco* proveniens; sed est aliquid quod *ab intrinseco* venit ipsius hominis *ex sensu religioso.* Revelatio, aut saltem exordium revelationis, est ipse sensus religiosus apparens in conscientia, vel experientia religiosa qua Deus sentitur seseque manifestat in ipso homine (D 2075). Sic homines qui habent talem sensum religiosum magis evolutum et experientias religiosas vividiores, revelationes habere dicuntur. Ideo «revelatio nihil esse potuit—aiunt—quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia» (D 2020).

Cum autem revelatio concludatur in conscientia hominum et cum ea evolvatur, *subicitur progressui et mutationi;* minime igitur fuit clausa cum ultimo Apostolo revelatio publica (D 2021), sed perficitur in conscientia fidelium.

Cum homo religiosus *cogitat* suam fidem, et per reflexionem *elaborat suam cogitationem,* pervenitur ad formulas religiosas et ad *dogmata;* quae quidem non immutabilia, sed perfectibilia et evolutiva esse oportet (D 2022 2078 2080).

6 Circa Loisy cf. etiam MJ.Lagrange, O.P., M. *Loisy et le modernisme.*

Revelatio igitur est *quid naturale,* e natura procedens et cum natura sese evolvens; minime ergo est supernaturalis. Revelatio est quid ab intrinseco hominis proveniens; *criteria igitur illius non ab extrinseco,* sed interna et subiectiva sunt quaerenda.

ARTICULUS II

De possibilitate et convenientia revelationis

Ubi exposuimus notionem, quam de revelatione Ecclesia habet, demonstranda venit in primis possibilitas talis notionis.

Thesis 2. Revelatio divina supernaturalis sive immediata (I) sive mediata (II) est possibilis.

Tromp, *De revelatione* 1.i; Dieckmann, *De revelatione* n.221-276; Garrigou-Lagrange, *De revelatione* 1 c.io.

62. Notiones. Possibilitas est aptitudo ad exsistendum.

Possibilitas interna seu *metaphysica* consistit in sociabilitate notarum quae constituunt essentiam vel definitionem illius rei quae possibilis dicitur.

Possibilitas externa est aptitudo ad exsistendum ob rationem externam causae efficientis, quae potest rem illam in exsistentiam traducere.

Haec possibilitas dicitur *physica,* si adsunt vires et conditiones physicae, quae requiruntur ut causa efficiens possit rem in exsistentiam ponere.

Possibilitas dicitur *moralis* si, iuxta consuetum modum agendi, non adest tanta difficultas quae impediat quominus vis physica exsistens reducatur in actum.

63. Status quaestionis. In Deo nequit esse sermo de magna difficultate ad aliquid faciendum, cum sit omnipotens; proinde nequit esse sermo de impossibilitate morali, nisi sensu *translato,* scilicet, num sit difficultas et repugnantia ex eo quod Deus non possit habere fines dignos et rationem finalem in revelatione, i.e. num revelatio sit Deo inconveniens. De hac non repugnantia et de convenientia revelationis, seu de eius possibilitate morali, tam pro Deo quam pro homine, etsi plura in hac thesi attingi debent, speciatim agemus in thesi sequenti.

Quantum ad possibilitatem physicam revelationis sufficiet

probare rem esse metapbysice possibilem seu non repugrr-rc, quia si de hoc constat, facile constat rem posse physice fieri per Deum.

Ideo nunc agimus directe et praesertim de possibilitate metaphysica revelationis, licet de eius possibilitate physica et morali quaedam necessario attingenda erunt.

Quoniam vero elementa quae ingrediuntur definitionem revelationis sunt causa efficiens divina et eius modus agendi, subiectum humanum (rationale, vitale) recipiens, et obiectum quod revelatur: ad haec omnia attendendum erit, ut ex parte horum omnium excludatur repugnantia; positive autem *exclusa* repugnantia, positive demonstratur possibilitas (cf. n.no).

64. Adversarii. Negant possibilitatem revelationis: 1) Ex *parte agentis seu Dei* omnes qui negant vel eius exsistentiam, vel eum posse loqui, vel eum de facto loqui cum hominibus. Sic *athei, materialistae, pantheistae, deistae* (Deum non agere in mundo actione diversa a prima creatione); et in genere *naturalistae* et omnes qui negant ordinem supernaturalem.

2) Ex *parte subiecti passivi* sive hominis, negant possibilitatem revelationis *rationalistae* (D 1703s), iuxta quos ratio humana est unicus fons cognitionis humanae; omnis autem revelatio ab extrinseco destrueret vitalitatem nostrae rationis et auferret autonomiam illius.

Iuxta *modernistas* experientia vitalis est unicus fons cognitionis religiosae, unde fides nequit imponi ab extrinseco (D 2074s).

65. Doctrina Ecclesiae. Saepius recurrit in documentis Ecclesiae sermo *de facto revelationis* (v.gr. D 1785-1787). Ergo *implicite* dicitur revelatio ad nos esse possibilis, tam mediata, quam immediata, quae praesupponitur in mediata.

Insuper *explicite* solemniter definita est possibilitas revelationis: «fieri posse ut per revelationem divinam homo... doceatur» (D 1807). Si revelatio sumatur hic de revelatione mediata, in hac implicatur factum ac proinde possibilitas revelationis immediatae.

De revelatione mediata affirmatur in symbolo eius possibilitas, siquidem Spiritus Sanctus «locutus est per prophetas»; et totum magisterium Ecclesiae et praedicatio verbi Dei fundatur in revelatione facta pro nobis, eaque implicite affirmatur.

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica solemniter definita:* D 1807 et in symbolo. Neque enim est ambigendum

rem contineri in revelatione divina (Hebr 1,1...) ac proinde esse de fide divina, id quod praesupponitur in omni doctrina quae sit de fide divina et catholica [1] neque dubium est Ecclesiam in symbolo et in magisterio suo ordinario hanc doctrinam proponere ut revelatam a Deo.

66. Probatur i.a pars, i) A *posteriori:* probaretur ex facta revelatione.

2) *A priori:* excludendo repugnantiam quae esset ex parte elementorum quae considerantur in revelatione.

Cum enim possibilitas consistat in sociabilitate seu non repugnantia notarum sive elementorum quae ingrediuntur definitionem rei, via ad demonstrandum a priori hanc possibilitatem erit in exclusione *cuiuslibet* repugnantiae quae inveniri potest in sociandis his elementis. Sic *positive* evincitur haec sociabilitas notarum sive possibilitas, etsi via sit *per exclusionem* (cf. n.no).

Revelatio autem immediata repugnaret *a)* aut ex parte causae efficientis et ex modo quo fieret, i.e. ex parte Dei; *b)* aut ex parte subiecti in quo reciperetur revelatio, i.e. ex parte hominis; *c)* aut ex parte obiecti vel rei revelatae.

Atqui nihil horum dici potest: A) Ex parte enim Dei et eius attributorum repugnaret, si *a)* careret Deus cognitionibus quas revelaret —aut *b)* vi qua revelaret —aut *c)* modo quo revelaret—aut *d)* fine ad quem revelaret.

[1] *De fide divina* dicuntur illae veritates «quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur» (D 1792; CIC cn.1323 § I). Contraria propositio dicitur *error infide.*

De fide divina et catholica dicuntur illae veritates «quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive solemni iudicio [tunc sunt veritates *definitae]* sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur» (D 1792; CIC cn.1323 § II). Veritates huiusmodi sunt *dogmata* fidei; sed «declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constiterit» (CIC cn.1323 § III).—Negatio vel dubitatio de aliqua veritate fide divina et catholica credenda est *haeresis* (cf. cn.1325 § II).

«Solemne huiusmodi iudicium pronuntiare [de veritatibus fidcij proprium est tum occumenici Concilii, tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis» (cn.1323 § I). Alias cognoscitur Ecclesiam aliqua ut revelata proponere, si *^ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio* tamquam revelata traduntur ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur» (D 1683).

Quantum ad valorem dogmaticum canonum et capitum Constitutionis *Dei Filius* Concilii Vaticani, de quo saepius in nostro tractatu recurret sermo, agit v.gr. J.M.A. Vacant, *Etudes théologiques sur les Constitutions du Concile Vaticain I* (Paris 1895) introduction a.5 p.41-44: In canonibus definitur doctrina fide catholica credenda; in capitibus manifesta adest intentio Ecclesiae proponendi doctrinam suam definitive et peremptorie, ut habent formulae quae sunt in initio capitum positae et introductio (D 1781): *Sancta... Ecclesia credit et confitetur* (D 1782); *Eadem sancta mater Ecclesia tenet et docet... (D 1785); Ecclesia catholica profitetur...* (D 1789): *perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet...* (D 1795).—Sic capita Concilii *positive,* canones vero *negative* doctrinam *infallibilem* proponunt; illud autem quod docetur in capitibus potest non esse de fide divina et catholica, sed tantum mere assertive et infallibiliter tenendum; immo, si mere sunt rationes allatae et argumenta, quae non proponantur ut doctrina Ecclesiae, tunc de se non sunt infallibilia.

Nec valet dicere opus fuisse subscriptione omnium episcoporum ad finem concilii ut constitutio fuerit promulgata; talis enim promulgatio non fuit necessaria. Nam et omnes Patres rem approbaverunt et Summus Pontifex, qui personaliter praesidebat, *decreta* et canones constitutionis, quae omnia omnibus placuerunt, auctoritate sua apostolica definivit et confirmavit *(Ibid.,* t.2 docum.25).

Sed Deus a) est *sapientissimus;*—b) est *potentissimus,* nec obstat quod ordo naturae praevie stabilitus, ex legibus naturae resultans, debeat mutari: nam huiusmodi leges non sunt absolute necessariae, sicut leges metaphysicae et mathematicae, sed hypothetice necessariae; unde vis nulla creaturae infertur, si ipsa creatura, cuius est intimior natura ut Creatori subiciatur, voluntati illius praeternaturali subiciatur [2];—c) Deus *habet etiam modum sese communicandi* cum hominibus vel locutione externa vel locutione interna per phantasiam vel immediate in intellectu, semper autem Deus iuvare potest lumine interiore ut intellectus intelligat originem divinam notitiae acceptae [3], secus ipse Deus esset inferioris conditionis quam homines, qui possunt sese invicem communicare.—d) *Deus tandem habet fines dignos ad revelandum:* ut ostendat nimirum suam gloriam, sicut in omni actione sua ad extra; ostendere enim potest suam omnipotentiam atque sapientiam, suumque amorem erga homines... revelatione enim iuvari potest genus humanum cum indigeat auxilio Dei speciali ad ipsam religionem naturalem congrue cognoscendam[4].

Accedit *Deum esse maxime communicabilem,* primum quia est *maxime ens,* unde et *maxime est veritas* quoquoversus irradians; dein quia est *maxime magister,* non tantum scientia praeditus et arte sese accommodandi intelligentiis discipulorum, sed etiam zelo pollens ut eos edoceat et—praesertim—summa auctoritate valens ut assensum suis dictis evincat.

Negative. Deus potest sese communicare cum hominibus: quia de Deo tantum negari debet quod involvit imperfectionem. Atqui libere sese communicare nullam involvit imperfectionem. Sese enim communicare supponit esse in actu et diffundere proprium bonum (cognitionem propriam). Atqui Deus est semper in actu purissimo et est maxime bonum tendens ad diffusionem sui. Si homo potest sese alii communicare, cur Deus id non possit?

Neque Deus revelando mutatur, sicut nec mutatur creando et conservando res aliosque effectus producendo. Ab aeterno enim haec facere in tempore decrevit, nihilque accipit intrinsece ex his effectibus ad extra, sed potius communicat.

B) Ex parte hominis repugnantia excluditur perpendendo proprietates hominis, in eo scilicet quod sit *a)* ens intelligens —*b)* rationale evolutivum —*c)* vitale —*d)* personale.

Sed *a)* non est repugnantia *ex eo quod homo nequeat intelligere aliquid quod a Deo proponitur:* obiectum enim intellectus

» Cf. n.$.
3 De modo propheticae cognitionis, cf. S.Th., *2.2* q.173 ; Dieckmann, *De revelatione* n.205.
4 Cf. infra n.?6ss.

humani est ens quodlibet, modo ei rite proponatur; cum autem habeat notionem entis, notionem veri, substantiae, accidentis, personae et huiusmodi notiones... poterit, si sufficienter exponitur, omnis veritas ei proponi. Praeterea si ab aliis hominibus potest homo aliquid mente accipere, cur non possit id a Deo? Hic enim potest vel ipsas species intellectuales hominis coordinate vel novas infundere, et lumine corroborare intellectum ut de ipsis certo iudicet.

b) Non repugnat *ex eo quod harmonia evolutionis intellectus humani turbanda esset:* quia etiam turbaretur magisterio humano et fide humana; aliunde est de conceptu entis supernaturalis (qualis supponitur revelatio) perficere naturam.

c) Non repugnat *ex eo quod homo sit ens vitale, immanenter proinde agens:* quia homo passive accipere potest speciem infusam vel actionem divinam, sicut accipit ab extrinseco determinationem ad cognoscendum, postea vero potest active reagere cooperando ad cognitionem illamque efficiendo. In iudicio quoque de significatione rei repraesentatae deque eius origine divina non datur nisi reactio vitalis propria hominis.

d) Non repugnat *ex eo quod homo sit ens personale, sui iuris et habens autonomiam rationis:* quia haec autonomia, qualiscumque censeatur, debet appetere conformationem cum veritate, quae maxime habetur per manifestationem divinam veritatis. Ceterum sana autonomia rationis obvenit in adultis postquam magisterio et auctoritate testium plures veritates receperunt.

C) Ex parte rei revelatae non repugnat revelatio, si *homo nondum cognoscit rem revelatam;* discat enim quod ignorat. *Quod si rem iam cognoscat,* tunc ad summum repugnantia cogitari potest et examinari, non de ipsa revelatione, sed de extensione revelandorum. Ceterum etiam de rebus cognitis possumus loqui et audire loquentem, et novo actu novoque motivo certitudinis illas affirmare [5].

Repugnantia igitur *excluditur,* si agitur de cognitione veritatum naturalium, vel ope demonstrationis vel ope auctoritatis acquisita. Quantum ad *mysteria* infra res accuratius et speciatim considerabitur (n.çoss).

Ergo revelatio divina immediata est possibilis.

67. Probatur 2.a pars, excludendo repugnantiam ex parte eorum quae in revelatione mediata consideranda veniunt.

3 In hunc etiam sensum A.Cotter, S.I., *Theclog. fundam.*2 p.29, qui colligit bibliographiam de hac re.

a) *Repugnantia non esset ex parte Dei:* Deus enim potest exercere suum ius proponendi revelationem per alios, si ita vult; praesertim cum sit proprium divinae providentiae gubernare inferiores per superiores et homines conducere ope aliorum hominum, non ob defectum virtutis, sed propter suam bonitatem. Deus etiam potest praebere auxilium quo veritas revelata non alteretur.

b) *Ex parte legati* repugnantia esset quod non possit cognosci ut legatus; sed poterit signis credentialibus. Aut quod veritas per transmissionem corrumperetur; sed veritas muniri poterit documentis, praesertim vero assistentia divina.

c) *Ex parte destinatarii* nihil obstat: quilibet enim potest veritatem accipere ab aliis hominibus, si constat de eorum scientia et veracitate, signis vero divinis constare potest; tunc autem credere sapientis erit.

d) *Ex parte veritatis* quae transmittatur non erit repugnantia: siquidem veritas, quae communicetur ad fovendam salutem hominum, erit etiam accommodata intelligentiae humanae, sive intelligatur veritas ex internis rationibus sive ex auctoritate. Auxilio quoque divino servari poterit incorrupta.

Ergo, exclusa repugnantia ex parte eorum quae in definitione apparent ut peculiaria revelationis mediatae, revelatio mediata est possibilis.

Aliter. *Ut revelatio divina mediata sit possibilis* solum requiritur ut res revelata fideliter transmitti possit, et aliis certo constare possit revelationem nomine Dei proponi.

Atqui possibile est homines recte intelligere aliquam veritatem quam a Deo acceperunt, et recte atque veraciter dicere aliis quod intellexerunt, praesertim si in magna serie transmissionum auxilio divino iuvantur. Insuper possibile est alios homines in debitis adiunctis certo cognoscere scientiam et veracitatem testis, praesertim si Deus signat suo sigillo eum qui revelationem tamquam legatus proponit.

Eadem traditio incorrupta veritatum naturalium cognoscibilium fit in scientia humana; pro veritatibus autem revelatis sufficit ut tradi possint cum certitudine de facta revelatione. Sed hoc factum historicum per testimonia vel aliis novisque signis credibilitatis cognosci poterit.

Ergo revelatio divina mediata est possibilis.

68. Obiectiones. Ex parte Dei. 1. Revelatio est impossibilis, si Deus revelando mutatur. Atqui Deus revelando mutatur. Ergo.

Dist. mai. Revelatio est impossibilis si Deus revelando mutatur intrinsece et entitative, *conc. mai.;* si *mutatur extrinsece et terminative, nego mai. Contradist. min.*

2. Atqui Deus revelando mutatur intrinsece. *Prob.:* Mutatio extrinseca et terminativa importat in agente acquisitionem novi actus et mutationem intrinsecam. Ergo Deus per mutationem extrinsecam et terminativam ex revelatione mutatur intrinsece.

Nego min. subsumptam; dist. antec. prob. Mutatio terminativa agentis importat novum actum et mutationem intrinsecam in *agente creato, conc. antec.* (quia ad agendum debet actuari); in *agente increato et infinito, nego antec.* (quia semper habet in se plenitudinem actus).

3. Actio revelativa vel est ab aeterno vel in tempore. Si primum, revelatio debet esse ab aeterno; si vero est in tempore, Deus mutatur cum transit de non-revelante ad actu-revelantem.

Respondeo: Voluntas Dei revelandi in tempore est aeterna et immanens Deo atque identificatur cum sua essentia; *actualis vero et formalis revelatio* est in tempore, et est actio non tantum virtuaiiter transiens, sed (probabilius dictum) *formaliter transiens,* quasi modus physicus eductionis inhaerentis rei eductae, vel modus physicus creationis adhaerentis rei creatae. Huiusmodi modi (quos probabilius accipimus 6) denominant Deum revelantem, creatorem *extrinsece.*

Itaque *dist.* 2.am *partem disiunct.* Deus cum transit de non-revelante ad actu-revelantem mutatur intrinsece, nego; mutatur *extrinsece* et terminative, *conc.*

4. Si voluntas Dei revelandi identificatur cum sua essentia, revelatio est necessaria. Atqui actiones Dei ad extra nequeunt esse necessariae. Ergo.

Dist. mai. Si voluntas Dei revelandi identificatur cum sua essentia, revelatio, i.e. voluntas Dei revelandi, est necessaria *entitative, conc. mai.;* revelatio *formalis et terminativa* est necessaria, nego *mai. Conc. min. Nego cons. et consequentiam.*

5. Atqui revelatio formalis et terminativa esset necessaria. *Prob.:* Ens summe bonum est summe diffusivum sui. Atqui quod est summe diffusivum sui, necessario debet formaliter et terminative revelare. Ergo.

Nego subsump. Conc. mai. prob. et dist. min. Quod est summe diffusivum sui necessario debet revelare, i.e. necessitate purae convenientiae, ita ut contrarium non dedeceat, *conc. min.;* ita ut contrarium dedeceat, nego min. Et cum hac distinctione *contradist. cons.;* vel nego *simpliciter min.*

6. Si Deus revelat in tempore, mutando ordinem per creationem stabilitum, mutat consilia sua. Atqui mutare consilia est contra sapientiam Entis infinite providentis. Ergo.

Nego mai. Deus revelando non mutat consilia sua; sed *ab aeterno statuit revelare in tempore.* Nec Deo deneganda est facultas interveniendi in propria creatione, cuius est Dominus.

7. Haec revelatio in tempore supponeret creationem mancam. Atqui creatio manca supponeret imperfectionem in Deo. Ergo.

Dist. mai. Revelatio in tempore supponeret creationem mancam, i.e., creaturas esse capaces ulterioris perfectionis, *conc. mai.;* creaturas perperam in sua natura et in ordine naturae factas fuisse, *nego mai. Contradist. min.* Creatio manca eo quod perperam creaturae factae essent, supponeret imperfectionem in Deo, *conc. min.; eo* quod sint capaces ulterioris perfectionis, *nego min.* Deus semper optime agit, sed non tenetur ad *optima* facienda.

Ex parte hominis. 8. Revelatio et fides, quae illam consequitur, destruent autonomiam rationis.

Nego suppositum talis autonomiae absolutae; est tantum relativa, quia *intellectus, etiam quaerens per se veritatem, debet sese conformare primae veritati.*

9. Nequit esse proportio ad colloquendum inter intelligentiam divinam et intelligentiam humanam. Ergo revelatio est impossibilis.

6 Cf. supra n.48 nota 2.

Dist. antec. Nequit esse proportio entitativa, *conc. antec.;* proportio seu adaequatio in cognoscendo saltem analogice, *nego antec.*

xo. Collocutio cum homine fit lingua articulata. Atqui Deus nequit loqui lingua articulata. Ergo.

Dist. mai. Collocutio *hominis cum homine* fit lingua articulata, *conc. mai.* (quia homines mediantibus sensibus et corporeis organis debent invicem sensa communicare); locutio Dei ad homines, nego mai.

Ex parte OBiECTi revelati, ii. Revelatio misceret elementa falsa, quia est relativa in homine. Ergo est impossibilis.

Nego antec. et dist. prob. Revelatio est relativa in homine, i.e. non est *cognitio absolute perfecta,* sicut cognitio divina, sed est analogica, *conc.;* est falsa, nego.

12. Atqui est falsa. *Prob.:* Veritates divinae in revelatione deprimerentur ad ordinem sensibilem. Atqui talis depressio importat falsificationem. Ergo in revelatione daretur falsificatio.

Nego subsump. et dist. mai. Veritates divinae deprimerentur ad ordinem sensibilem, i.e. *cognoscerentur saepe per respectum ad ordinem sensibilem,* unde haurimus nostras cognitiones etiam spirituales, *concedo mai.;* falso cognoscerentur, nego mai. (cognoscerentur vere, sicut vere cognoscuntur res spirituales, etsi analogice).

Thesis 3. Revelatio divina est tam bonitati et sapientiae divinae (I) quam naturae rationali hominis maxime conveniens (II); homini autem utilissima (III)..

Muncunill, *De vera religione* c.i a.4; Van Laak, *Repetitorium Theolog.fundam.* tr.z l.i c.2 propos.5; Tromp, *De revelatione6 sec.* ult., proposai P.374SS.

Postquam egimus de possibilitate revelationis, venit quaestio consideranda de eius convenientia et utilitate, quae iam aliquatenus in priore thesi implicatae sunt.

69. Notiones. Conveniens, congruum, decens, dicitur id quod est consentaneum perfectioni alicuius naturae. De Deo ita haec convenientia revelationis affirmatur, ut oppositum non sit disconveniens vel dedecens (sicut de creatione dicimus); ac proinde ex hac convenientia nulla infertur necessitas revelandi.

Utile est quod affert commoda et est medium ad aliud.

De Deo affirmatur *convenientia honestatis, non convenientia utilitatis* sicut pro homine.

70. Adversarii. *Deistae:* praeter creationem cetera omnia, quae supponerent interventum Dei in mundo, dedecent Deum; mundus post creationem debet esse sibi sufficiens.

Rationalistae: Revelatio esset contra Dei sapientiam, qui sic mutaret cursum iam semel stabilitum, quasi corrigendo opus suum. Et revelatio attestans esset contra naturam ra-

tionalem hominis: si enim agatur de revelatione rei naturaliter cognoscibilis, est inutilis; sin autem agatur de revelatione rei supernaturalis, tunc agitur de conceptu vacuo et inintelligibili. Sic habetur inter errores Syllabi: «Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni» (D 1706).

71. Doctrina Ecclesiae. Adest aperte pro 2.a et 3.® parte theseos in Concilio Vaticano, ubi definitum est *expedire ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo doceatur* (D 1807). Insuper in eodem Concilio consideratur utilitas revelationis, eo quod ei tribuenda sit cognitio congrua religionis naturalis, quam de facto habuit genus humanum (D 1786); et fides dicitur *rationem ab erroribus liberare ac tueri eamque multiplici cognitione instruere* (D 1799).

Valor dogmaticus. In Sacra Scriptura et Traditione revelatio proponitur, saltem implicite, ut conveniens homini et bonitati Dei. Ergo thesis certo est in verbo Dei, ac proinde fide divina tenenda. Insuper in Vaticano definita fuit solemniter pro 2.a et 3.a parte; sed etiam relate ad Deum et ad primam partem theseos, convenientia seu decentia revelationis in Deo est, saltem implicite, in magisterio ordinario Ecclesiae proponente rem ut revelatam (cf. et D 1785). Unde thesis est *de fide divina et catholica quoad omnes partes.*

72. Probatur 1.a pars, *a)* Convenit bonitati divinae communicatio bonorum, sicut diviti convenit dare. Atqui revelatio est communicatio quaedam bonorum, siquidem ii qui recipiant revelationem perficientur ex hac locutione Dei; v.gr. cognitione divinarum perfectionum, acquisitione normarum certarum pro vita morali et religiosa, et amando et laudando Deum, quem per revelationem magis cognoscent... Ergo revelatio divina convenit bonitati divinae.

b) Convenit sapientiae divinae ostendere nobis suas perfectiones ut sic nos moveat ad suum amorem et inde ad nostram perfectionem; quia *sapientis est ordinare res ad finem,* et sapienti artifici convenit exornare opus suum. Atqui revelatio ostendit nobis perfectiones divinas: nimirum *omnipotentiam* divinam, qua est actio praeternaturalis; dum vero mutat cursum naturae praestabilitum, ostendit nobis *independentiam* divinam ob rationes superiores; item *sapientiam* divinam

ostendit, qua est locutio; *veracitatem,* quatenus intuebimur quae nunc credenda proponantur... Ergo revelatio divina convenit sapientiae divinae.

73. Probatur 2.a pars. Revelatio divina est naturae HUMANAE UT RATIONALI MAXIME CONVENIENS:

a) Ex nobilitate et peritia *magistri,* quem revelatione sortimur; sic discimus facilius.

b) Ex nobilissimo et certissimo *motivo assensus* in veritates quae communicantur per revelationem, sc. propter auctoritatem Dei revelantis; sic discimus certius.

c) Ex maiore *subiectione nostrarum facultatum Deo,* cui servire regnare est, unde maior harmonia et elevatio in nostra personalitate habetur. Item nostra ratio magis conformatur cum suprema norma veritatis, quae est intellectus increatus, quidquid protendant defensores autonomiae rationis; sic discimus securius.

d) Per revelationem *scientia humana perficitur;* quia revelatio iuvat ad scientiam quae est pro homine suprema: scientia spectans ad actus humanos morales et ad res divinas. Dilucidat quoque res obscuras, et praemissas praebet ad ulteriores conclusiones. Pro scientia revelatio divina est «stella rectrix, norma tuta et mater altrix»; pro pueris et rudibus pervulgatio veritatum, quae aliter forsitan nec sapientes cognoscerent[7]. Sic discimus copiosius.

74. Probatur 3.® pars. Revelatio est homini utilissima.

a) Sunt commoda quibus supra ostendimus convenientiam revelationis pro natura rationali hominis, quatenus rationali.

b) Revelatio iuvat ad unionem et amicitiam cum Deo fovendam, utpote quae sit *locutio et signum amicitiae* et tenerrimae caritatis, qua homo fit particeps secretorum divinorum.

c) Per revelationem et certissimam auctoritatem Dei acquiritur *securitas et firmitas in principiis religiosis et moralibus,* theoreticis et practicis, perspiciendis; quod in educatione religiosa et morali, si vere efficax esse debet atque adeo ad heroicitatem informare cupit, summi momenti est. Per flue-

7 Cf. D 1799 et ad indicem systematicum eiusdem «Enchiridii symbolorum» *Mutua inter revelationem et rationem relatio.*

Egregium commentarium de relationibus inter scientiam et fidem habes in Oratione Pn XII ad inaugurationem IV anni Pontificiae Academiae Scientiarum (3 decembris 1939); *Discursos y radiomensajes de Su Santidad Pio XII* t.i (Madrid 1946) p.424-431.

tuationem et diversitatem opinionum hominum nihil firmum obtinebitur.

75. Obiectiones. 1. Deus loquendo cum hominibus redderet se vilem. Ergo non convenit Deo revelatio.

Dist. antec. Si haec collocutio Dei cum hominibus fieret *ex indigentia et* necessitate vel si periculum propriae dignitati inferretur, *conc. antec.;* si haec collocutio fit *ex amore et sine periculo* ullo pro propria dignitate, nego *antec.*

2. Si Deus revelando postulat fidem suis dictis, exercite renuntiat dominio in intellectum humanum. Ergo revelatio non convenit Deo.

Nego antec. Deus revelando non modo non renuntiat dominio in intellectum, sed *exercet ius postulandi fidem;* certe non cogit despotice ad credendum et eliciendum actum fidei, sicut nec cogit ad observationem aliorum praeceptorum.

3. Commoda supra recensita, orta ex revelatione, obtineri possent per viros eximios et sapientes, qui transmitterent suam doctrinam posteris. Ergo revelatio non convenit naturae rationali hominis.

Resp. a) Trans, totum: sed etiam et *efficacius* obtinebuntur per revelationem divinam.

b) Nego antec. Illi sapientes *non haberent ius nec praestigium morale* ut imponerent suas sententias; docet enim experientia quanta sit fluctuatio et diversitas in opinionibus humanis.

4. Per revelationem ab extrinseco turbatur harmonia evolutionis ingenii humani ab intrinseco. Ergo.

Nego antec. Utrumque, et evolutio ab intrinseco et revelatio ab extrinseco, est opus Dei, cuius opera nequeunt invicem perturbari; revelatio esset *sicut novus ramus generosus insertus arbori,* cuius fructus in melius transmutantur fun *injerto).* Tanta vero est perfectio humana scientifica et moralis, acquisita ope revelationis, ut ipsi rationalistae teneant hanc ut optimum fructum evolutionis humanae.

5. Scientia per normas externas revelationis coarctaretur et periret libertas scientifica.

Nego antec. Non coarctaretur, sed *dirigeretur,* ne frustra laboraret.

6. Perfectius et iucundius est inquirere veritatem propriis viribus, quam illam possidere.

Nego antec., quia perfectius et iucundius est *esse in termino* desiderato quam in via.

7. Inquirendo propriis viribus veritatem, augentur vires intellectuales; accipiendo vero veritatem mere per testimonium, debilitantur. Ergo.

Dist. antec. Intra determinatos limites, *conc. antec.;* generatim et absolute loquendo, nego *antec.,* quia saepe iuvat ad dirigendum laborem intellectus ut solutio problematis vel via qua solutio inveniri potest praecognoscatur, praesertim in re fundamentali *ne frustra diu, fortasse per totam vitam, laboraveris.* Ad hoc iuvat revelatio. Praeterea nihil impedit ut ex datis revelationis ulteriora quaeras per studium Theologiae, ut fides quaerens intellectum; profecto non propter laborem theologorum languidae factae sunt vires ingenii humani.

8. Assensus de veritatibus naturalibus, ortus ex evidentia vel demonstratione, obscuraretur vel corrumperetur per fidem quam revelatio exigeret.

Nego antec. Talis assensus non obscuraretur, sed *confirmaretur.* Praeterea fides potest esse primario de veritatibus non naturaliter cognitis.

9. Per revelationem interruptio fieret in historia factorum humanorum.

Nego antec. Haec revelatio *pertineret etiam ad historiam humanam.*

io. Revelatio imposita sub praecepto fovet intolerantiam et fanatismum. Ergo non est homini utilis.

Dist. primum membrum. Fovet intolerantiam erroris, *cone.;* fovet intolerantiam erga personas cum defectu caritatis et defectu prudentiae in relationibus cum aliis, *nego.*

Nego 2.“m *membrum.* Revelatio enim obligatoria non ideo vult ut religio revelata illegitime et imprudenter propagetur.

ARTICULUS III

De necessitate revelationis

Thesis 4. Revelatio divina supernaturalis est in praesenti generis humani conditione moraliter necessaria ad congruam religionis naturalis cognitionem.

S.Th., i CG 4; tq.t a.i; 2.2 q.2 a-3s: Ottiger, *Theologia fundament,* l § 14 p.91-148; Dieckmann, *De revelatione* 0.3x5-356; CL 7,134-138.523-525; Vacant, *Etude sur le Concile Vaticain* l c.2 a.6ss.

76. Vidimus revelationem divinam esse non modo possibilem, sed et convenientem et utilem pro genere humano; nunc, novum gressum facientes, ostendamus eius necessitatem pro eodem genere humano. Sic facilius mentes disponentur ad factum huius revelationis recipiendum.

77. Notiones. Revelatio divina supernaturalis hic ea praesertim intelligitur, qualis proponitur et affirmatur a societate religiosa catholica, quae dicit se esse revelatam et possidere divinam revelationem, quam et communicat per magisterium vivum, authenticum et perenne.

78. Necessitas moralis contraponitur necessitati physicae. *Necessitas physica* est necessitas actionis aut facti propter leges physicas et *arguit impotentiam physicam ut fiat contrarium,* scilicet, *arguit illam impotentiam quae oritur ex defectu virium physicarum vel conditionum quae, secundum leges physicas, sunt necessariae ut aliquid fiat.* Sic oculi, auditus physice necessarii sunt ad videndum, ad audiendum *(vires* physicae necessariae); non esse ligatum pedibus est physice necessarium ad deambulandum *(conditio* physice necessaria).

Necessitas moralis est necessitas actionis propter leges ordinis morum vel psychologici, vel iuxta modum consuetum agendi. Non hic sumitur ut impositio quaedam ex lege morali, quae parit obligationem, sed ut *illa necessitas quae arguit impotentiam moralem ut fiat contrarium.*

Impotentia moralis, quae respondet huic necessitati morali, non consistit in defectu virium vel conditionum physicarum ad agendum, sed *a)* in *magna difficultate* quae adest ad aliquid faciendum, *b) adec ut,* spectato humano modo agendi iuxta prudentem aestimationem, nunquam aut vix unquam vis physica in actum reducatur.

Unde impotentia moralis non tantum consistit in magna difficultate (sic enim omnes res valde difficiles essent moraliter impossibiles), sed requirit novum elementum, connotationem sc. ad iudicium prudens quod efformari potest, adeo ut quis dicere possit: res non fiet aut vix fiet. Adsunt quidem vires physicae in aliquo momento; sed, considerato humano modo procedendi seu spectata psychologia humana, potest quis certo dicere rem non eventuram aut vix eventuram.

Si res nunquam fiet, habetur *impotentia moralis stricta;* si res vix aut raro concipitur eventura, habetur *impotentia moralis lata.*

Hoc iudicium prudens ideo efformari potest circa humanum modum procedendi vel ex historia generis humani, vel ex experientia hominum et vitae, vel (et efficacius) ex divina praescientia et revelatione id manifestante.

Exempla impotentiae moralis: Cum dicitur, v.gr. esse moraliter impossibile iuvenem ardentem passionibus puritatem conservare, si vitio deditus saltationes et maiora pericula frequentat, id noscitur quidem ex difficultate rei naturali, et insuper iudicio prudenti ex experientia hominum. Item moraliter necessarium est ut dactylographus diu scribens (licet polleat viribus, ut supponitur) committat aliqua menda. Aliud exemplum: Homo non servabit diu totam legem naturalem, ne quoad substantiam quidem (i.e. peccabit mortaliter), sine auxilio gratiae Dei; id noscitur ex experientia humana et insuper certissime ex divina revelatione sive praescientia. Item: nemo hominum sine speciali Dei privilegio liberabitur diu a peccatis venialibus (subreptitiis); constat pariter ex experientia prudenti et ex revelatione divina.

79. Congrua *sive consentanea cognitio religionis naturalis* nequit mathematice determinari, ideo admittit gradus; sicut nequit mathematice determinari quot cibis homo indigeat ad congruam vitae sustentationem. Exigit autem haec congruitas cognitionis ut saltem praecipuae veritates religionis naturalis cognoscantur. Tales sunt non modo cognitio Dei personalis, sed et praecipuorum eius attributorum: paterna scilicet providentia Dei, misericordia, iustitia, esse finem et dominum hominis; insuper cognitio legum moralium naturalium et officiorum erga Deum et alios, saltem fundamentalium et praecipuorum; item cognitio immortalitatis animae et sanctionis futurae...

Praeterea haec congrua cognitio exigit ut haec omnia «expedite, firma certitudine et nullo admixto errore» (D 1786) cognoscantur. Hinc certitudo, securitas et opportunitas (debiti temporis) atque facilitas in iis cognoscendis requiritur. Quo autem plures veritates exigantur in hac congrua cognitione, minor erit possibilitas ut genus humanum per se illas acquirat.

80. Status quaestionis. Thesis considerat statum praesentem *generis humani;* non ideo affirmatio fit de individuis seorsim aut de aliquibus classibus. Et loquimur de impotentia morali *stricta pro genere humano;* si vero de individuis sermo esset loqueremur de impotentia morali *lata.*

Considerat item thesis conditiones *praesentes* quibus genus humanum in hac providentia evolvitur. Non habet proinde sensum absolutum seu pro omni statu possibili quo inveniri possit genus humanum. Procedit ergo thesis *hypothetice et disiunctive,* scilicet in hypothesi huric statum praesentem non iri mutatum per aliud auxilium divinum speciale aut praeternaturale. Tale auxilium esset, v.gr. copia virorum ingenii spectatissimi, magnae auctoritatis, doctrinae et probitatis, qui saeculis labentibus ceteros semper et docerent et traherent ad suam sanam doctrinam; vel esset aliud auxilium infusio quaedam scientiae praeternaturalis, etc.

Si ageretur de cognitione religionis ordinis supernaturalis et in hypothesi quod homo libere tendere debeat in finem propositum supernaturalem, tunc revelatio divina esset *absolute et physice necessaria :* homo enim, ut libere appetat finem supernaturalem, debet eum prius cognoscere ut possibilem, id quod nequit cognoscere ex creaturis via causalitatis, quia talis finis superat exigentias et vires creaturae; ergo deberet cognosci per revelationem. Praeterea homo debet cognoscere talem finem ut sibi propositum, et qualis sit et quibus mediis obtinendus. Haec omnia postulant ut a Deo positivo interventu manifestentur, i.e. postulant revelationem divinam ut absolute et physice necessariam.

81. Adversarii. *Rationalistae,* qui infitiantur omnem necessitatem revelationis (D 1703s); praesertim sic dicti *progressionistae,* tenentes hominem ex se ipso iugi progressu pertingere posse et debere ad possessionem omnis veri et boni (D 1808).

Traditionalistae, per excessum, negant homini potentiam physicam cognoscendi religionem naturalem, nisi accedat divina revelatio.

Fautores methodi immanentiae in Apologetica nimium tribuunt indigentiis naturae, quasi revelatio *exigeretur* ab ea et sic esset absolute debita et necessaria, non tantum hypothe-

tice et disiunctive (cf. D 2103 et infra n.i38ss). Ex consideratione naturae humanae merito indigentia alicuius adiutorii pro genere humano, immerito autem concluditur hoc adiutorium *debere esse* revelationem supernaturalem.

82. Doctrina Ecclesiae. luxta doctrinam Concilii Vaticani (D 1786) revelationi divinae *supernaturali* [ei nimirum de qua sermo est in n. praecedenti, 1785: *huic]* tribuendum est [de facto] ut ea *quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt* [scilicet veritates religionis naturalis, ut illae de quibus in c.i (attributa Dei) et in c.2 (Deus principium et finis, D 1785) et officia erga Deum] *ab omnibus* [ergo quaestio est pro genere humano] *expedite, certo et nullo admixto errore* [sc.congrue] *in praesenti generis humani conditione* [hoc respicit statum praesentem hominis lapsi propter peccatum [1] et dicit hypothesim quod Deus non provideat alio medio extraordinario] *cognosci possint.* Ergo, sine hac divina revelatione supernaturali, genus humanum non posset cognoscere religionem naturalem congrue. Quod si non potest sine revelatione, revelatio est necessaria; quod insuper evincitur accedente conatu vano et irrito multorum hominum ad cognoscendam religionem. Sed necessitas non est intelligenda physica et absoluta, quia constat ex concilio et ex ratione hominem habere capacitatem physicam ad religionem cognoscendam, contra traditionalistas; et insuper additur: *non hac tamen de causa revelationem esse absolute necessariam* (D 1786).

Ergo revelatio divina supernaturalis dicenda est moraliter et hypothetice necessaria ad congruam religionis naturalis cognitionem.

Pro cognitione vero finis et religionis supernaturalis revelatio supernaturalis dicitur ibidem (D 1786) absolute necessaria.

Theologi Concilii Vaticani adnotabant schema propositum ita ut extollerent «necessitatem omnimodam revelationis quoad dogmata supematuralia»; sed volebant ut «nemo existimare possit illam necessitatem quoad omnes veritates religiosas et morales parem esse declaratam» 2. Ideo aiebant: «Praeter dogmata supernaturalia, de quibus hactenus dictum est, in revelatione supernaturali continentur etiam veritates ad Deum et ad legem naturalem spectantes, quae *per se possunt* ex naturali quoque Dei manifestatione cognosci. Non potest ergo ad cognitionem huiusmodi veritatum affirmari necessitas *absoluta* manifestationis supernaturalis aut revelationis; si nimirum non de

1 Ita et Romps.Gasser, Episc.Brtxinensis, Relator in Concilio: «Nam cum loquimur de praesenti hominis statu, utique etiam subintelligimus hominem per peccatum lapsum». CL 7.136.

2 CL 7,325·

modo cognitionis, sed solum de ipsa cognitione in se agitur. Attamen pro genere humano in praesenti conditione ad has veritates debito tempore, sufficienti claritate et plena certitudine, sine admixtione errorum assequendas eae sunt difficultates, ut potentia physica generatim non perducatur ad actum sine speciali adiutorio. Difficultates ita comparatae constituunt *impotentiam moralem,* cui respondet *moralis necessitas* adiutorii. Hoc autem adiutorium speciale in communi providentia praesentis ordinis naturae elevatae consistit in ipsa supernatural! revelatione. Ergo haec revelatio quoad illas quoque veritates per se rationales in praesenti ordine censeri debet humano generi *moraliter necessaria* (cf. S.Th., i q.i a.i; 2.2 q.2 a.4; 1 CG 4; *De verit.* q.14 a.10)» 3.

Et in *Litteris «Humani generis»* expresse dicitur: «... divina «revelatio» *moraliter necessaria* dicenda est, ut ea, quae in rebus religionis et inorum rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque humani generis conditione, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint» (D 2305).

Valor theologicus. Thesis continetur expresse in *Encyclica «Humani generis», et ex* hoc capite est *doctrina catholica,* cum non videatur insuper fuisse definita.

Thesis etiam concordat omnino cum doctrina Concilii Vaticani, quam, etiam in capitibus, ut definitiones peremptorias habemus, nisi agatur de rationibus et argumentis quae non proponantur ut doctrina Ecclesiae (cf. n.65 in nota). Sed cum ipsa thesis, prout enuntiatur, non expresse appareat ut definita, nec sine aliquali ratiocinio eruatur ex verbis Vaticani, malumus illam qualificare tamquam doctrinam quae in tota Ecclesia acceptatur et docetur, quin tamen habeat qualificationem superiorem ut de fide. Hinc dicimus thesim esse *doctrinam catholicam.*

83. Probatur i.° *a posteriori,* ex iudicio prudenti quod efformatur *ex historia* errorum qui in re religiosa ubique gentium grassabantur.

A) Examen errorum et factorum 4. *a)* Cogita ex historia religionum et ex earum studio comparativo legem devolutionis et depravationis religiosae, adeo ut cultus Dei et religio non eo puriores inveniantur quo posteriores, sed e contra 5.

' CL 7,524.
4 Cf. sis Dieckmann, De *revelatione* n.332-339 345-346; N.Iung, *Révélation:* DTC 13,2608-2612.
s Supra 0.17s.

b) In ipsa cultura hellenistica, nobis magis nota et ceteris perfectiore, considera errores crassos circa Deum eiusque cultum, quos magnam partem commemorat Liber Sapientiae c.13 et 14.

Sumimus nunc hunc librum non ut inspiratum, sed ut *historicum.*— Appellatur *Sapientia Salomonis* ad maiorem auctoritatem ipsi conciliandam; ortus est in Aegypto saeculo II ante Christum sub dominatu ultimorum Ptolomeorum et sub influxu culturae hellenisticae. Scriptus fuit graece a iudaeo cognoscente res iudaeas, ut apparet in libro, et imbuto cultura hellenistica. Auctor vult ceteros iudaeos qui erant in diaspora seu dispersione et tribulationibus premebantur consolari, simul et confortare in tentationibus eorum propter influxum et corruptionem civilizationis materialis et paganae. Ideo vult erigere mentem lectorum ad veram sapientiam et civilizationem, ostendendo (c.1-5) stultitiam falsae culturae et (c.6-9) valores qui sunt in vera sapientia, et (c.10-19) illa quae sapientia cursu historiae operata est. Cap. 13 et 14 ostendunt quam longe aberrarint qui non sapientiam sed idololatriam secuti sunt.

1) Sic describuntur primum errores spectantes ad Deum, ubi invenientur diversae formae religiosae inferiores 6.

Vigebant igitur diversae formae *animismi:* physiolatria, cum *aut ignem aut spiritum aut citatum aerem aut gyrum stellarum aut nimiam aquam aut solem et lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt* (Sap 13,2). Et haec quidem physiolatria apud Romanos et Graecos in cultu virium naturalium se protendebat; apud Persas formam heliolatriae praesertim insumebat, quae postea ad Romanos transit in festo solis invicti (hodie substitutum per festum Nativitatis Domini); apud Aegyptios cultus terrae et Nili...

Sic quoque *fetichismus* viguit tribuendo cultum divinum et absolutum operibus factis ab homine. Infelices enim erant *qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum et argentum, artis inventionem et similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquae...* (Sap 13,1o...)7.

Cultus hominum, *manismus,* vegetabat (dii manes, genium, daimon), dum *acerbo luctu dolens pater cito sibi rapti filii fecit imaginem et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam deum colere coepit et constituit inter servos suos sacra et sacrificia* (Sap 14,15). Item *cultus caesareus* dum *tyrannorum imperio colebantur figmenta... et... evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt, ut illum qui aberat, tamquam praesentem colerent sua sollicitudine... et eum qui ante tempus*

6 Supra n.13·
7 *Ibidem* c.13.11 —14.2 facete et pulchre describit auctor insipientiam fétichisme

tamquam homo honoratus fuerat, nunc deum aestimaverunt... (Sap 14,16-20).

Mysteria religiosa ut ritus sacri, secreti, vigiliis superstitiosis (per abstinentiam, lucem intensam, exstasim...), promittentes liberationem a culpa et spem vitae, erant in usu; ad quas fortasse alludit Sap 14,23 commemorans *insaniae plenas vigilias...:* sic fuerunt orgiae cultus syriaci, mysteria Eleusina (Athenis) 8, et cultus Mithrae, qui imperium Romanum saeculo III invasit.

Romani, tales formas religiosas diversae indolis et originis vel acceptantes vel assimilantes vel adaptantes, ortum dederunt suo *syncretismo* infecundo.

Erat praeterea *cultus Deo indignus:* sacrificia humana, taurobolia 9, prostitutio sacra, magia atra... (cf. Sap 14,233s).

2) Cum his erroribus religiosis iungebantur errores morales, de quibus legatur Sap 14,12.23-27, et praesertim Rom 1,18.21-32. Idque confirmat historia profana circa mores et culturam temporis: deerant enim principia moralia (de auctoritate et sanctione divina, sine aperta agnitione libertatis et dignitatis humanae, cum dubitatione de immortalitate animae); erant vitia contra castitatem multa, despectus laboris manualis, laudatio suicidii, servitus, «panem et circenses», bella crudelia, *homines sine misericordia* (Rom 1,31) 10.

84. *c)* Sed neque gens quae possidebat religionem monotheisticam, populus Israel, exempta fuit ab hac lege degenerationis religiosae, sine auxilio speciali divino. Constans historia Israelis demonstrat quomodo idololatriae pronus fuerit populus, et iterum atque iterum dereliquerit pactum synaiticum et, lahveh derelicto, numina populorum finitimorum coluerit. Monotheismus, si fuit purus servatus, id per *prophetas* nomine Dei loquentes obtinebatur; i.e., ex ea quae existimabatur revelatio divina.

d) Nostris quoque temporibus populi, qui se christianos esse profitebantur, deserentes tamen hanc religionem quam habebant revelatam et contemnentes quod antea amplexati fuerant magisterium Ecclesiae, in seriem errorum sunt prolapsi, ut merito interrogemus quid de primitivo christianismo retineant.

• Ex urbe Eleusin (fAeuotç, adventus), propter adventum Cereris, deae agriculturae, in illum locum, sc. in ora Atticae.

9 Scilicet, per aspersionem sanguinis animalium.

10 Cf. postea tractatum *De revelatione* n.674, ubi *de termino a quo* mutatio morum inducta per christianismum facta est.

e) Moderni philosophi et homines culturae profanae, spreta ab ipsis doctrina Christiana quae habebatur revelata, turpissimis erroribus religiosis et moralibus procubuerunt, recoctis saepe erroribus praecedentibus. Fundamenta Ethicae et consortii socialis et internationalis supra arenam labilem posuerunt.

f) In regionibus missionum, etiam post influxum religionis christianae, dictae revelatae, quot sunt adhuc errores circa illa ipsa quae spectant ad religionem naturalem!

85. B) Discussio factorum et errorum. Quae, cum ita sint, satis constat longe plurimas gentes non habuisse conceptum undequaque purum de Deo et de re religiosa et morali, atque dari in hoc *universalitatem facti* apud illos populos non habentibus religionem verisimiliter revelatam.

Idque accidebat non *obstantibus desideriis omnium gentium cognoscendi religionem* (colebant enim numina, divinabant de sorte futura, religio maxime aestimabatur, inquirebant avide in «mysteria» orientalia, adeo ut nova systemata philosophica orirentur, Neoplatonici, Plotinus...).

Et non obstantibus conatibus plurimorum philosophorum. Nec ipsi compotes fuerunt hunc statum sanandi, v.gr. cum perspicerent inanitatem deorum... (Plato, Aristoteles, Cicero, Seneca...).

Atqui *haec omnia supponunt causam universalem, sc. in natura humana,* quia factum est moraliter universale. Haec vero causa debet esse *aliqua impotentia* qua ipsa natura sola nequeat ad plenam veritatem religiosam attingere; *quod enim nunquam fit, non obstantibus desideriis et conatibus, supponit aliquam impotentiam.*

Atqui nequit esse impotentia physica, siquidem constat hominem habere vires physicas ad naturaliter cognoscendam et demonstrandam religionem naturalem; ad hoc enim sufficit habere intellectum et illum applicare ad argumenta et probationes quae in Philosophia (Theodicea, Ethica...) proponuntur.

Ergo debet esse impotentia moralis, sc. est illa magna difficultas quae est in natura humana ad cognoscendam congrue religionem naturalem, quae quidem difficultas ex iudicio prudenti efformato ex historia non superabitur sine particulari Dei auxilio.

Ergo in praesenti generis humani conditione aliquod auxilium divinum, revelatio supernaturalis (quam invocant Christiani) est moraliter necessaria ad congruam cognitionem religionis naturalis.

86. Probatur 2.° *argumento psychologico,* quasi a priori, ex consideratione naturae humanae in praesenti statu; non illam considerando pure in abstracto, sed quadamtenus in concreto, prout homines de facto essent et sunt: egentes, pigri... Ergo probatio aliquomodo procedit etiam historice.

Congrua cognitio religionis naturalis obtineretur pro genere humano, vel 1) *propria investigatione uniuscuiusque, vel* 2) *magisterio aliorum.*

Atqui neutro modo potest genus humanum habere cognitionem congruam religionis naturalis.

Ergo alius modus, revelatio divina in praesenti ordine providentiae, est moraliter necessarius ad congruam religionis naturalis cognitionem.

Ad minorem: 1) Illa congrua cognitio *non obtineretur propria investigatione singulorum.*

Etenim *a) pauci* huic rei incumbere possunt: plurimi e genere humano impediuntur sive propter complexionis indispositionem—sive propter necessitatem rei familiaris et defectum otii—sive propter pigritiam.

b) Pro his paucis requireretur *longum tempus* ad investigationem talium veritatum: propter profunditatem earum, quae postulant et praerequirunt longum exercitium intellectus et cognitionem multarum aliarum veritatum (fere totius Philosophiae considerationem). Praeterea tempore iuventutis anima fluctuat motibus passionum nec est apta ad profundam veritatum cognitionem, sed quiescendo fit prudens.

c) Sed, et insuper, investigationi humanae *plerumque falsitas admiscetur* propter debilitatem intellectus et admixtionem phantasmatum; et quia multi falsa auctoritate scientifica aliorum decipiuntur.

Ergo genus humanum non obtineret propria investigatione singulorum cognitionem congruam religionis naturalis.

2) Sed *neque magisterio aliorum.* Etenim vix haberentur tales magistri, qui hanc cognitionem haberent. Dein, etiam dato, non concesso, eos in sufficienti numero reperiri, deberent habere voluntatem alios et praesertim plebem docendi[11]. Item deberent habere auctoritatem et iurisdictionem ad hoc; tandem non possent postulare assensum firmum suis dictis, saepe ex defectu scientiae certae, et propter discrepantiam opinionum,

11 «Buenos y letrados se hallan pocos en comparaciôn de otros, y de los pocos, los mâs quiercn ya reposar de sus trabajos pasados...» S.Ignatius in prooemio *P.IV Constitutionum S.I.* ubi de necessitate efformandi scholasticos S.I. Nec multis doctoribus placet frangere panem pueris et rudibus; notum est illud Horatii: «Odi profanum vulgus et arceo...» *Odae* III, i.

quae facile etiam in obviis oritur inter homines, praesertim in rebus moralibus quae spectant ad passiones comprimendas. Multi igitur rationabiliter dubitarent nec praestarent assensum firmum eorum dictis.

«Salubriter ergo divina providit clementia ut ea etiam, quae ratio investigare potest, fide tenenda praeciperet» (i CG 4).

87. Corollarium. Ergo, ut constat psychologice et historice (etiam ex historia recentiore) populus vel societas, qui respuant omnem revelationem, et velint tantum viribus ingenii et philosophia religionem exercere, ne ipsam quidem religionem naturalem attingent multoque minus exercebunt. Revelatio enim supernaturalis est moraliter necessaria.

88. Objectiones. 1. Si revelatio divina est necessaria generi humano, exigitur a natura humana. Atqui revelatio supernaturalis nequit exigi a natura humana. Ergo revelatio divina non est necessaria generi humano.

Dist. mai. Si revelatio divina est necessaria *necessitate physica* generi humano ut obtineat finem suum essentialem, exigitur a natura humana, *conc. mai.;* si est necessaria *necessitate morali* ad congruam cognitionem religionis naturalis, exigitur a natura; *subdist. :* si *absolute* est necessaria, *conc.;* si *disjunctive* est necessaria, *nego. Conc. min. Pariter dist. cons.*

2. Si revelatio vel moraliter et disiunctive est necessaria ad congruam cognitionem religionis naturalis, natura humana creata est manca et imperfecta. Atqui id esset contra sapientiam et bonitatem Creatoris. Ergo.

Dist. mai. Natura humana creata est manca et imperfecta, quatenus Deus *imperfecto modo* operatus est, nego mai. (Deus semper *optime* operatur); creata est manca, quatenus natura est susceptibilis maioris perfectionis, conc. *mai. Contradist. min.* Esset contra sapientiam Creatoris non *optime* operari, *conc. min.;* esset contra sapientiam et bonitatem Creatoris non *optima* operari, nego min. (Deus non tenetur ad optima facienda).

3. Deus tenetur ita conformare naturam, ut ipsa possit obtinere finem suum. Atqui si revelatio est naturae necessaria, natura non ita fuit conformata ut ipsa possit obtinere finem suum. Ergo.

Dist. mai. Deus tenetur conformare naturam mediis *naturalibus physice necessariis* ut ipsa possit obtinere finem suum, conc. *mai.; tantum* mediis naturalibus, non adhibendo media supernaturalia, nego mai. *Contradist.* min. Si revelatio est physice necessaria, natura humana non fuit ita conformata ut possit obtinere finem suum, conc. min.; si est moraliter et disiunctive necessaria, et Deus *paratus est praebere auxilium supernaturale revelationis,* non luit natura ita conformata ut possit obtinere finem suum, nego min.

4. Si hoc auxilium supernaturale revelationis est necessarium, omnes debuissent accipere. Atqui non omnes populi aut personae id acceperunt. Ergo.

Dist. mai. Omnes debuerunt accipere hoc auxilium *vel in se vel in praedecessoribus, conc. mai.;* praecise in se, nego mai. *Contradist. min.*

5. Hoc auxilium supernaturale, praedecessoribus factum, apud multos populos obscuratum est. Atqui si ita est, Deus hisce populis non satis providit. Ergo.

Conc. mai. Dist. min. Deus non satis providit hisce populis ad finem supernaturalem *aliquomodo* obtinendum, nego *min.;* non satis providit ad

finem supematuralem *convenienter obtinendum,* sc. per congruam cognitionem religionis naturalis, *subdist.:* antecedents ad peccata hominum, nego (Deus enim sufficienter providit); *consequenter ad peccata personalia hominum,* et propter haec peccata, *iterum subdist. :* Deus non satis providit, quasi teneretur ad magis faciendum, *nego;* non abundantius providit, *permittendo ignorantiam religionis,* propter fines superiores, conc. (cf. Scholion).

6. Genus humanum actuale nequit puniri ob peccata praedecessorum. Atqui populi et personae de facto non habentes revelationem punirentur ob peccata praedecessorum. Ergo genus humanum cuiusvis temporis debuit habere revelationem.

Dist. mai. Genus humanum nequit puniri ob peccata praedecessorum, in *privatione perfectionis naturalis* debitae, *trans,* mai. *vel conc.;* in privatione donorum *indebitorum,* ut est revelatio, *nego mai. Contradist. min.*

7. Genus humanum magnam partem non cognovit revelationem. Ergo genus humanum magnam partem fuit a Deo derelictum.

Cone, *antec. Dist. cons.* Derelictum fuit a Deo ita ut ex parte Dei non possent homines consequi finem suum, nec Deus haberet *sinceram et operosam voluntatem* illos ad finem suum ducendi, *nego cons.;* derelictum fuit, quatenus non *abundantiora media* iis praebuerit, sicut populo Israel et. post Christum, populo christiano, *subdist.:* quasi Deus teneretur ad amplius faciendum, *nego;* Deo id *permittente* ob rationes iustas et sapientes, conc. Hic enim valet: *lustus es, Domine, et rectum iudicium tuum* (Ps 118,137).

8. Neque ipsa revelatio quae, ut supponitur, facta est iudaeis et Christianis, valuit tollere omnes errores (v.gr. apud schismaticos, protestantes...) et producere sanctitatem vitae in toto genere humano. Ergo neque revelatio supernaturalis est necessario adstruenda.

Dist. antec. Revelatio non valuit tollere omnem errorem... et *hoc probat necessariam esse liberam cooperationem hominum et alia auxilia* esse necessaria (gratiam Dei et magisterium vivum Ecclesiae...), conc. *antec.;* probatur inde revelationem esse inutilem et non necessariam, nego *antec.*

9. Si revelatio est necessaria ad cognitionem religionis naturalis, populis illam non habentibus nequeunt imputari errores de Deo. Atqui possunt imputari (ex Rom 1,19-21). Ergo.

Dist. *mai.* Si revelatio est necessaria pro cognitione *congrua* religionis naturalis (sc. ut expedite, certo et nullo admixto errore veritates religionis naturalis cognoscantur), nequit imputari quilibet error de Deo invincibilis, *concedo mai.;* nequeunt imputari errores crassissimi de Deo, nego mai. *Contradist. min.*

10. luxta S.Paulum (Rom 2,14) gentes *naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt.* Ergo naturaliter cognoscunt Deum legislatorem et praecepta legis. Ergo revelatio non est necessaria.

Dist. antec. Gentes, quae *legem non habent,* naturaliter ea quae legis sunt faciunt, i.e., faciunt, sine lege scripta, et cognoscunt per rationem naturalem *aliqua* quae sunt legis naturalis, *conc. antec.;* cognoscunt *congrue* et faciunt *omnia* quae sunt legis et illa quae spectant ad Deum, nego *antec. Pariter dist. ultimum cons.* Ergo revelatio non est necessaria ad aliqualem cognitionem de Deo et lege naturali, conc.; non est necessaria ad congruam cognitionem, nego.

89. Scholion. Concordantia inter necessitatem moralem revelationis et alias veritates. Constat, ex dictis in argumento ubi consideravimus radices psychologicas illius inscitiae religiosae universalis, *esse in natura humana debilitatem*

et infirmitatem ad religionem naturalem cognoscendam: adesse in multis indispositionem complexionis, multos distineri aliis occupationibus, multos nec tempus habere... fluctuare item passionibus et aestu temperamenti, ita ut non quiescant sintque prudentes ad placidam contemplationem veritatis; et in omnibus falsitatem plerumque admisceri propter debilitatem intellectus et permixtionem phantasmatum.

Hinc quaeritur: *potuitne Deus creare naturam humanam cum hac debilitate et infirmitate pro cognoscenda religione naturali?; estne contra attributa divina genus humanum, rationale, non pervenire ad officia maxime rationalia, officia religiosa, cognoscenda et implenda?*

Certe Deus potuit creare hominem cum hac debilitate, sine ullis donis supernaturalibus: status naturae purae. In hac hypothesi rationabiliter supponitur, ex Dei bonitate et providentia, Deum daturum auxilium (ordinis naturalis) ad hanc religionem naturalem cognoscendam; contrarium supponere durum est.

Hinc etiam recte *coniicitur Deum protoparentibus aliquod auxilium dedisse.* Sed hoc auxilium in decursu historiae saepe non apparet. Ergo merito coniicitur (non certo) aliquam culpam fuisse primaevam in genere humano (peccatum originale et peccata personalia).

Ex fontibus vero revelationis novimus Deum creasse hominem cum donis excelsis et adiutorio excelso, donis scilicet supernaturalibus gratiae, revelationis, integritatis... pro Adam et pro nobis: status iustitiae originalis.

Adam autem propter peccatum suum originale originans perdidit pro se et pro nobis illa dona; unde natura humana remansit exspoliata gratuitis et vulnerata in naturalibus, quatenus non habebat dona excelsa quae erant in statu paradisiaco: status naturae lapsae.

Remedium dat Deus huic statui promittendo Redemptorem, restituendo gratiam, conservando et augendo revelationem supernaturalem generi humano per Adamum, patriarchas, Moysen, Iesum et alios, prophetas et apostolos...

Sed quaeritur: *vult Deus remedium totius generis humani et providit post lapsum Adami?*

Certe Deus vult salutem supernaturalem omnium, et Deus providit sufficienter ut singuli finem suum qualitercumque consequerentur per elevationem ad statum gratiae, per signa revelationis primitivae 12 et patriarchalis et per alia media [hoc est

12 De hac primitiva revelatione recenter egit H. Heras, S.I., *La primitiva revelaciôn en las escrituras indias:* EstBibl 11 (1952) 225-233.

theologice certum]. Insuper et per remedium aliquod ordinarium quo infantes a peccato originali liberarentur et sanctificarentur, nimirum, ut probabiliter dicitur, per proprie dictum *sacramentum naturae* pro iis qui erant sub lege naturali tantum 13; ad similitudinem circumcisionis, quae erat pro iis qui pertinebant ad populum Israel.

Deus providit insuper sufficienter ut singuli finem suum congrue consequerentur, quatenus non tenebatur ad aliud faciendum; non tamen omnino congrue, post peccata personalia hominum, relate ad multos.

Cur non fecit Deus ut *omnes congrue* cognoscerent religionem naturalem ante adventum Redemptoris? Occurrit haec responsio: ut ostenderet necessitatem Redemptoris et excitaret eius desiderium; ostenderet quoque divitias, quas in Eo habemus. Atque illud quoque hic valet: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit?* (Rom 11,33s).

ARTICULUS IV

De REVELATIONE MYSTERIORUM

S.Th., 2.2 q.2 a.1-3; i CG 3-6; Dieckmann, *De revelatione* n.277-314: Lercher, *Theolog. fundam,* n.51-63; Garricou-Lagrance, *De revelatione* l c.ns; Vacant. *Etudes sur le Concile Vaticain 2* c.4 a.120-127; Michel, *Mystère:* DTC 10,2585-2599; Scheeben, *Mysterien des* Christentums2 (Freiburg 1951) c.i (versio hispana 2 t., Barcelona X951).

90. Agendum est seorsim de exsistentia et de revelatione mysteriorum, quia est in his peculiaris difficultas *propter obiectum revelandum; et* quoniam Ecclesia affirmat habere se mysteria in sua revelatione, nemo rationabiliter amplecteretur religionem christianam, si repugnantia in hoc deprehenderetur.

Praeterea Theologia fundamentalis, ut propaedeutica ad Theologiam dogmaticam, quae continet mysteria, debet *de his agere* in *universum,* ostendendo eorum possibilitatem et exsistentiam. Hinc triplex thesis statuenda erit: de possibilitate mysteriorum, de possibilitate revelationis mysteriorum, et de facto mysteriorum in revelatione christiana.

Thesis 5. Nequit ostendi mysteriorum exsistentia repugnare.

91. Notiones. Mysterium, a μύειν, *vi etymi* est res clausa, veritas abscondita. Aliqua autem veritas potest esse

13 Cf. Sasse, *De Sacramentis i* p.13-16

abscondita ex eo quod lateat subiectum, vel praedicatum, vel utrumque, vel nexus inter utrumque.

Ex usu servat sensum etymologicum fundamentalem. Ita *a)* inter paganos mysterium est: ritus sacer noctu vel secreto ut plurimum peractus, doctrina occultanda non initiatis; *b)* apud auctores sacros: aliquid arcanum vel absconditum; sic indicat vel secretum in genere vel secretum salutiferum vel sacramentum b

92. Divisiones mysteriorum. A) *Mysteria naturalia* sunt illa quae spectant ad res naturae, non ad Deum; sic sunt:

1) res quae latent solo defectu manifestationis, ut internae cogitationes;

2) res quae cognoscuntur quoad exsistentiam, sed non quoad intimam naturam: vita, libertas humana, vis gravitatis...

B) Consideratio mysteriorum naturalium parat viam ad *mysteria theologica* consideranda. Haec sunt illa quae spectant ad Deum. Possunt considerari triplicis generis:

1) Veritates de Deo quae naturaliter possunt certo cognosci, sed imperfecte et analogice, et valent certo demonstrari ex internis rationibus. Dicuntur *mysteria sensu latiore,* v.gr. immutabilitas et libertas Dei et aliae veritates ex Theodicea.

Tales veritates assequimur secundum exsistentiam et secundum essentiam, i.e. cognoscimus earum exsistentiam et earum rationem internam, quia videmus praedicatum de facto convenire subiecto idque demonstrare valemus. Dicuntur mysteria quatenus imperfecte et analogice illas assequimur.

Declaratio conceptus analogici. Conceptus nostri de re aliqua vel sunt a) *immediati,* si immediate attingunt obiectum (v.gr. homo quem video), vel sunt b) *mediati,* si mediante aliquo medio obiectum attingunt (v.gr. Deus, angelus, quos non video).

Omnis conceptus immediatus est *proprius,* quia proprie rem repraesentat et ex delineamentis ipsius rei.

Conceptus vero mediati possunt esse vel *proprii ex propriis vel proprii ex alienis.*

Conceptus mediati proprii ex propriis (delineamentis desumpti) illi dicuntur qui obiectum suum *positive* (non negative) et *directe* repraesentant (sc. non indirecte per rem aliam diversam, quae non convenit univoce cum obiecto repraesentato); v.gr. conceptus hominis, plantae, quos habemus.

Conceptus mediati *proprii ex alienis* dicuntur illi qui *negative* vel non

| Cf. Zorell, *Lexikon Graec.* ad vocem μυστήριου; J.de Giiellinck, *Pour l'histoire du mot <sacramentumr* (Louvain 1924); Dieckmann, De revelatione n.278-280; G.Kittel, *Thelog. Wôrterbuch* 4,8095s de re tractat.

directe rem repraesentant; v.gr. conceptus infiniti, conceptus causae mundi, quos habemus. Huiusmodi conceptus dicuntur conceptus *analogici* 2.

2) Veritates quarum exsistentia sola revelatione innotescit, sed postea earum essentia et interna sociabilitas notarum perspicitur, v.gr. primatus et infallibilitas Romani Pontificis, immunitas B. V. Mariae a quolibet peccato.

Dicuntur mysteria *secundum exsistentiam,* sed non secundum essentiam, —vel mysteria *praeterrationalia*—vel *mysteria secundi ordinis.*

3) Veritates quarum exsistentia sola revelatione innotescit, et facta revelatione adhuc earum ratio intima et interna sociabifitas notarum non valet demonstrari, sed tantum credi; sed neque cognoscitur repugnantia in sociandis notis; v.gr. trinitas personarum in unitate naturae divinae.

Dicuntur *mysteria secundum exsistentiam et secundum essentiam, —mysteria suprarationalia,* quia non intelligitur a nobis eorum interna possibilitas, —*mysteria primi ordinis,* quia maxime talia sunt, —et *mysteria absoluta,* quia superant captum naturalem omnis intellectus creati (D 1796).

93. Status qüaestionis. Cum in hac thesi loquimur de mysteriis, loquimur de iis prout illa maxime intelligit Ecclesia, sc. in hoc ultimo sensu stricto, de mysteriis absolutis et secundum exsistentiam et essentiam, modo exposito (cf. D 1670-1673 1795s i8i6...).

Haec mysteria, etsi possint positive illustrari, id quod in Theologia scholastica maxime fit (cf. D 1796), sed non possunt positive demonstrari per argumenta interna, sc. ostendendo per rationes internas eorum possibilitatem. Demonstratio negativa, quae de his fieri potest, in eo consistit quod solvantur difficultates quae obici possint.

De his praecise mysteriis volumus nunc demonstrare non inveniri posse repugnantiam in eorum exsistentia. Nam quoad mysteria praeterrationalia vel secundi ordinis facile intelligitur dari huiusmodi veritates: Constat enim Deum scire et comprehendere de se et de suis liberis decretis plura quam intellectus creatus scire valeat; ac proinde esse veritates de Deo quarum exsistentiam creatura ignorat nisi a Deo revelentur, nec apparet tamen difficultas ut interdum earum natura intima intelligi atque adeo demonstrari valeat.

2 De munere analogiae in Theologia, cf. Penido, *Le rôle de l'analogie en Théologie dogmatique* (Paris 1931).

94. Adversarii. Praeter *rationalistas,* qui autumant omnia posse per rationem naturalem cognosci et penetrari 3;

et praeter *modernistas,* pro quibus dogmata (mysteria) proposita ab Ecclesia sunt tantum interpretationes et formulae humanae circa experientiam religiosam praehabitam (D 2022 2080 2087), quae valeant proinde naturaliter intelligi;

adversarii nunc magis immediati sunt sic dicti *semirationalistae,* qui contendebant mysteria divina (saltem illa quae sunt in Deo necessaria) posse post factam revelationem demonstrari ex internis rationibus, sicque non amplius esse mysteria absoluta. Tales fuerunt ante Concilium Vaticanum G.Hermes (1775-1831)4, J.Frohschammer (1821-1893) 5,6 A.Günther (1783-1863)e.

Proxime accedit ad semirationalistas Rosmini, qui docuit post revelationem mysterii Trinitatis posse eius exsistentiam demonstrari argumentis speculativis negativis et indirectis, ita ut illa veritas ad disciplinas philosophicas revocetur (D 1915).

Ontologi quoque logice ducuntur ad negationem mysteriorum; cum enim profiteantur immediatam cognitionem Dei in hac vita (D 1659s, cf. D 1926s), fit ut «omne ens, sub quocumque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habeamus»7.

Raymundus Lull (Lulius) non videtur inter adversarios, numerandus 8.

95. Doctrina Ecclesiae. Solemniter et explicite definitum est in Concilio Vaticano dari in revelatione divina *vera et proprie dicta mysteria nec posse universa fidei dogmata e naturalibus principiis intelligi et demonstrari* (D 1816). Ex modo loquendi iam constat agi de mysteriis absolutis, sed et in capite respondenti huic canoni abundantius declaratur sensus vocis mysterii: «divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino» (D 1796). Ergo ex definitione Vaticani constat dari mysteria *absoluta.* Si ergo dantur, implicite dicitur non repugnare eorum exsistentia (cf. et D 1672s).

3 Cf. supra n.64. in thesi dc possibilitate revelationis.
4 *Cf. D* 1618-1621.163433.
5 Reicitur eius doctrina apud D 1669s.
6 Reicitur eius doctrina apud D 1655SS.
7 Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.290.
8 Cf. E.Longpré, *Lulle: DTC* 9,1120-1126; Miralles Sbert: RazFe 100 (1932) to6; Sureda Blanes, *EI Beato Ramôn Lull* (Madrid 1934) is8ss; Carreras Artau, *Filosofla cristiana de los siglos XIII al XV* t.i (Madrid 1939) ρ·514-523.

Valor dogmaticus. Thesis est saltem implicite in revelatione per N.Testamentum proposita, et per Patres, ut infra ostendetur (11.113s); insuper ab Ecclesia ut doctrina revelata implicite et solemniter definita est. Est ergo thesis *de fide divina et catholica solemniter definita* (D 1816).

96. Probatio. Ut intellectus humanus ostendat repugnare mysteria theologica, debet ostendere se posse cognoscere ens infinitum, Deum, modo perfecto seu intelligendo eius quidditatem vel essentiam plene; si enim hoc ostendit, tunc certe non sunt pro eo mysteria in Deo.

Atqui intellectus humanus nequit id ostendere, siquidem cognoscit Deum valde imperfecte:

1) *propter analogiam in cognoscendo.* Nostri conceptus de Deo habentur via affirmationis (Deus est causa mundi), vel negationis (Deus est in-finitus, im-mensus...), vel eminentiae (Deus est sapientissimus super omnem sapientiam...); sunt igitur conceptus analogici (habiti via indirecta vel negativa) et valde imperfecti; i.e. non habemus conceptus de Deo proprios ex propriis. Insuper obiectum materiale intellectus nostri est quidem omne ens rite propositum, sed obiectum formale in statu coniunctionis est *quidditas rei materialis* vel *intelligibile in sensibili.* Ergo tantum per respectum ad rem sensibilem habebimus cognitiones de Deo. Hinc si in his obiectis nobis propriis non inveniatur aliqua perfectio divina, haec non attingetur, ac proinde nec possumus affirmare nos cognoscere totam entitatem Dei seu habere de eo cognitionem quidditativam, quae attingat omnia eius praedicata essentialia. Haec est *ratio logica cur non repugnet ordo mysteriorum.*

2) Ad cognitionem Dei pervenitur *vi conclusionis ex effectibus creatis.* Iam vero, si hi effectus non adaequant virtutem causae, ex illis non valet creatura perfecte cognoscere totam entitatem Dei. Atque *haec est ratio ontologica mysteriorum, sc. ex eo* quod creaturae non repraesentent exhaustive totam entitatem Dei.

Ergo nequit ostendi mysteriorum exsistentia repugnare.

97. Aliter. Ut quis demonstret repugnare mysteria, debet demonstrare omnes veritates posse intelligi ex internis rationibus. Atqui id nequit demonstrari, sed potius *suadetur* contrarium. Ergo nequit demonstrari dari mysteria absoluta.

Ad minorem. Potius suadetur contrarium. Etenim demonstratio vel cognitio ex internis rationibus fundatur in cognitione propria et quidditativa vel essentiali illius rei de qua agitur. Atqui multarum rerum non habemus cognitionem plene essentialem.

98. Obiectiones. i. Omne ens habet rationem sufficientem sui. Atqui mysterium non habet rationem sufficientem sui. Ergo mysterium non est ens.

Conc. mai. Nego min. Mysterium habet *pro intellectu divino* rationem sufficientem sui *intrinsecam,* et pro nobis in hac vita rationem sufficientem extrinsecam.

2. Iuxta principium rationis sufficientis omne ens est explicabile. Atqui mysterium est inexplicabile. Ergo non est ens.

Dist. mai. Omne ens est explicabile sive quoad essentiam sive quoad exsistentiam, *conc. mai.;* est explicabile quoad essentiam semper et ab omnibus, *nego mai. Contradist. min.* Mysterium non est explicabile quoad essentiam pro nobis in hac vita, *conc. min.;* non est explicabile quoad exsistentiam, nego min.

3. Mysterium dicitur veritas quae non potest a nobis penetrari. Atqui omnis veritas potest a nobis penetrari. Ergo repugnat dari mysteria.

Conc. mai. Nego min.

4. *Inst. Prob. minorem.* Omnis veritas est ens. Atqui omne ens est obiectum intellectus humani. Atqui quod est obiectum intellectus humani potest a nobis penetrari. Ergo omnis veritas potest a nobis penetrari.

Conc. primam propositionem; dist. secundam. Omne ens est obiectum intellectus humani si rite ei proponitur, *conc.;* si non rite ei proponitur, *nego.*

5. Mysterium credendum rite proponitur intellectui humano. Ergo poterit ab eo penetrari.

Dist. *antec.* Mysterium credendum rite proponitur intellectui humano, *quoad exsistentium* seu quoad id an sit, *conc.; rite* proponitur quoad eius essentiam seu quoad id cur ita sit, nego.

6. Mysterium etiam quoad eius essentiam rite proponi potest intellectui humano. Ergo.

Dist. *antec.* In statu termini, *conc.;* in statu viae de facto proponitur quoad eius essentiam, nego.

7. Intellectus humanus etiam in statu viae indefinite perfectibilis est. Ergo in statu viae poterit pervenire ad penetrationem mysterii.

Dist. antec. Est indefinite perfectibilis intra limites sui obiecti, *conc. antec.;* extra omnem limitem, nego *antec.*

8. Intellectus humanus cognoscit infinitatem Dei. Atqui si cognoscit infinitatem Dei, cognoscit omnia de Deo seu est perfectibilis extra omnem limitem. Ergo tandem poterit penetrare mysterium.

Dist. mai. Cognoscit infinitatem Dei *conceptu proprio* et intuitivo, nego *mai.;* conceptu analogico, *conc. mai. Contradist. min.*

9. Quod non habet cognoscibilitatem, non habet entitatem. Atqui mysterium non habet cognoscibilitatem. Ergo non habet entitatem.

Dist. *mai.* Quod non *habet ullam prorsus* cognoscibilitatem neque a Deo neque ab hominibus, non habet entitatem, *conc. mai.;* quod habet cognoscibilitatem quantum ad an sit, et a Deo etiam quantum ad cur ita sit, non habet entitatem, nego *mai. Contradist. min.*

10. Omnia quae sunt in Deo sunt bona. Atqui si sunt bona, sunt diffusiva sui et communicabilia. Ergo omnia quae sunt in Deo possunt communicari et inveniri in creaturis et cognosci.

Conc. mai. Dist. min. Bona *quae sunt Deo propriissima* sunt communicabilia, *peto probationem;* alia bona, *subdist.:* possunt communicari, sed non necessario debent, *conc.;* debent communicari et inveniri necessario in creaturis, nego.

99. Scholion. Utrum positive demonstretur argumentis PHILOSOPHICIS EXSISTENTIA ORDINIS MYSTERIORUM.

S.Th., i CG 3; Dieckmann, *De revelatione* n.307-313; Pesai, *Theolog. fundam.* n.r6s; Lbrcher. *Theologia fundam.* n.56; Lercher-Schlagenhaufen, n.57; Garrigou-Lagrangb, *De revelatione* l c.n.

Status quaestionis. 1) Agitur, ut patet, de demonstratione aliqua positiva, i.e. non mere negative, qualem supra proposuimus ostendendo non repugnare nec repugnantiam ostendi posse, sed *positive,* efficiendo argumentis positivis mysteria re vera exsistere.

2) Haec argumenta debent esse *philosophica, i.e.* non theologica, ut essent probationes ex eo quod theologice constet dari mysteria.

3) Agitur *de mysteriis absolutis* seu primi ordinis, non de mysteriis secundi ordinis seu secundum exsistentiam tantum.

100. *Argumentum* ad probandam exsistentiam mysteriorum absolutorum *nequit desumi ex infinitate Dei aut ex eo quod debeat esse infinita et essentialis distantia inter intellectum creatum et increatum.* Ex hoc enim recte arguitur intellectum creatum non posse sua virtute naturali omnes cognitiones divinas *collective-* sumptas comprehendere seu Deum comprehendere; sed cur non possit illas *distributive* sumptas attingere prout apparent aut deducuntur ex effectibus creationis, et ita attingere ut intelligat, analogice sane, earum intrinsecam naturam?

Quod si Deus aliquos effectus producere nolit, ac proinde aliquas proprietates suas divinas et consequenter earum cognitionem sibi reservet, donec ipse illas revelet, cur non possit postea creaturas illas penetrare ex internis rationibus, licet conceptibus analogicis illas cognoscat?

101. Garrigou-Lagrange arguit ex eo quod ex creaturis non possit cognosci Deus positive sub intima ratione Deitatis, sc. «Deus secundum id quod est sibi propriissimum», quia [Maior] Deus ex creaturis cognoscitur tantum secundum perfectiones quae sunt *analogice et evidenter communes* sibi et creaturis (ens, bonum...), sed quoad id quod est sibi proprium cognoscitur *negative et relative* (infinitas, immutabilitas, ens supremum, sapientissimum...).

[Minor] Sed medium obiectivum quo intellectus creatu^debet naturaliter cognoscere non est nisi creatura.

Ergo intellectus creatus non potest cognoscere Deum quantum ad id quod est sibi proprium, i.e. sub intima ratione Deitatis.

Respondeo: Dist. *secundam partem maioris:* Deus, quantum ad id quod est sibi proprium *cognoscitur ex creaturis negative et relative,* i.e. *non cognoscitur conceptu proprio ex propriis, conc.;* Deus quantum ad id quod est sibi proprium nequite ognosci conceptu proprio ex alienis sive analogico, *subdist.:* si

proprium intelligitur quod est sibi peculiare et quod non est ullo modo revelabile neque quoad exsistentiam, conc.; si hoc quod est sibi proprium *est tamen revelabile,* peto probationem cur non possit conceptibus analogicis et cognosci et intelligi atque adeo demonstrari ex internis rationibus.

Conc. min. Pariter dist. cons. Ergo intellectus creatus non potest cognoscere Deum, quantum ad id quod est sibi proprium, *conceptibus propriis ex propriis, conc. cons.:* conceptibus negativis et relativis, i.e. *analogicis, subdist.:* si illud proprium non est revelabile neque quoad exsistentiam, *conc. cons.; si est* revelabile, *peto probationem.*

Quare, sicut intellectus humanus non potest demonstrare se posse intelligere plene ipsum Deum, ita nec possumus demonstrare positive nos non intellecturos nec demonstraturos, *conceptibus sane analogicis* (negativis et relativis) quod ipse de se revelet. Etsi hoc ultimum *suadeatur.*

102. Doctrina Sancti Thomae (i CG 3): «Quod sint aliqua intelligibilium divinorum, quae humanae rationis penitus excedant ingenium *evidentissime apparet».*

Primo quia «ea quae in sensu non cadunt, non possunt humano intellectu capi, nisi quatenus ex sensibus eorum cognitio colligitur. Sensibilia autem ad hoc ducere intellectum nostrum non possunt ut in eis divina substantia videatur *quid sit,* cum sint effectus causae virtutem non adaequantes». Intellectus noster ducitur ex sensibilibus in divinam cognitionem, ut cognoscat de Deo *quia est,* et alia huiusmodi, quae oportet attribui primo principio; sunt vero quaedam quae omnino vim humanae rationis excedunt.

Secundo ex gradibus intelligibilium: «Duorum enim quorum unus alio intellectu subtilius intuetur, ille cuius intellectus est elevatior, multa intelligit quae alius omnino capere non potest». Ideo intellectus divinus, sua capacitate substantiam suam adaequans, perfecte intelligit de se quid est et cognoscit omnia quae de se ipso cognoscibilia sunt; sed non angelus aut creatura cognoscit de Deo quid est, quia substantia angeli aut cuiuslibet creaturae, per quam in Dei cognitionem ducitur, est effectus causae virtutem non adaequans.

Tertio «ex defectu quem in rebus cognoscendis quotidie experimur. Rerum enim sensibilium plurimas proprietates ignoramus, earumque proprietatum, quas sensu apprehendimus, rationem perfecte in pluribus invenire non possumus. Multo igitur amplius illius excellentissimae substantiae omnia intelligibilia humana ratio investigare non sufficit».

Conclusio. Secundum hanc doctrinam Sancti Thomae, quae *evidentissime apparet,* constat dari in Deo ordinem cognitionum quae superent captum intellectus creati, et sunt *saltem mysteria secundi ordinis seu quoad exsistentiam;* et, ut sentiebant plures antiqui thomistae, *suadetur* dari etiam in

Deo ordinem cognitionum eorum quae, etiam post factam revelationem, non valeant intelligi ex internis rationibus 9.

Thesis 6. Nequit ostendi mysteriorum revelatio repugnare.

103. Status quaestionis. Supponimus demonstratum non repugnare, immo possibile esse, ipsum factum revelationis in genere; nunc agimus de casu particulari in obiecto revelando: de revelatione mysteriorum, si *haec exsistant.*

104. Adversarii. Praeter eos qui indirecte rem negant (cf. n.64), habentur nunc *rationalistae,* qui negant possibilitatem cuiuscumque revelationis, a fortiori si agitur de mysteriis, quae dicuntur superare captum rationis. Contra revelationem mysteriorum in specie arguitur, quod essent *veluti formula algebraica pro homine rudi,* obiecta plane inintelligibilia et supra humanam cognitionem: ergo esset quid contradictorium eorum revelatio. Sic O.Pfleiderer 1 et agnostici modernistae. Hi tamen retinent vocem mysterii pro formula symbolica (D 2022 2087).

105. Doctrina Ecclesiae. Si in revelatione divina, ut solemniter definivit Vaticanum, dantur vera et proprie dicta mysteria (D 1816), *implicite* dicitur non repugnare eorum revelatio. Pariter in aliis locis (cf. n.95) unde constat in revelatione Christiana esse mysteria.

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica solemniter definita* (D 1816).

106. Probatio. Percurrendo elementa revelationis mysteriorum. Repugnantia quae esset in revelatione mysteriorum, seu impossibilitas metaphysica eiusdem, videtur excludi posse percurrendo omnia elementa huius conceptus. Sed ex parte elementorum quae spectant ad revelationem in genere nulla est difficultas (ex supra demonstratis); difficultas tantum esse potest 1) ex parte obiecti specialis nunc revelandi; et

9 Suarez dicit: «Verius tamen est non posse theologum demonstrare esse possibilia principalia mysteria supematuralia fidei... ex evidentia credibilitatis non sequitur possibilitati evidentia» *(De fide* 4 s.2 n.ç; cdic. Vivès 12.118s).

Muncunill ait pro thesi: «non desunt rationes verisimiles pro eorum existentia» (mysteriorum) *(De vera religione* p.55).

A.Cotter: «Sunt rationes positivae quae suadent esse in Deo mysteria stricte dicta» *(Theolog. fundam.2* p.46).

1 *Religionsphilosophie 2,421; cf.* Lercher, *Theolog. fundam.* (1927) p.46.

2) an possit ab homine physice hoc obiectum apprehendi; et 3) a Deo an possit moraliter revelari, i.e. utrum possit habere rationes congruentes et fines dignos in tali revelatione.

Sed 1) *non repugnat ex parte rei revelandae.* Mysterium enim est ens, scilicet probavimus non posse demonstrari eius impossibilitatem vel quod sit chimaericum quid. Ergo nihil ostenditur repugnare ex parte rei revelandae.

2) *Nihil ostenditur repugnare ex parte hominis recipientis revelationem talis obtecti,* si detur. Homo enim poterit accipere et apprehendere conceptibus saltem analogicis notiones subiecti et praedicati alicuius propositionis mysterii, si ei proponitur (v.gr. Deus unus natura et trinus personis); nexum autem inter subiectum et praedicatum poterit etiam accipere et, si constat de auctoritate illius qui hunc nexum affirmat, poterit et ipse homo eundem nexum credere et affirmare, quin perspiciat intimam essentiam rei quae reveletur.

3) *Nihil ostenditur repugnare ex parte Dei revelantis.* Deus enim poterit physice exsistentiam huius veritatis seu entis rite proponere intellectui humano, sicut proponere potest quamlibet revelationem; et *videtur* posse rationes habere id faciendi, v.gr. ad declaranda aliqua vitae suae vel decretorum suorum secreta et ad hominem per fidem probandum et praemiandum.

Aliter: Quidquid habet rationem entis cognosci potest ab intellectu humano, saltem conceptu proprio ex alienis, si ei rite proponitur.

Atqui mysterium, si datur, est ens et a Deo rite proponi potest intellectui humano.

Ergo mysterium cognosci poterit ab intellectu humano.

Ergo poterit etiam a Deo revelari.

107. Alia probatio. Eatenus repugnaret revelatio mysteriorum, quatenus *a)* essent pro homine velut formula plane inintelligibilis, vel *b)* nihil utilitatis eorum revelatio conferre posset.

Atqui neutrum dici potest.

Ergo nequit ostendit repugnare revelatio mysteriorum.

Prob. minorem, siquidem, quoad maiorem, illa quae indicantur in disiunctione sunt capita repugnantiae quae invocant adversarii.

a) Mysteria revelata non essent pro homine velut formula plane inintelligibilis, seu velut formula algebraica pro homine rudi. Etenim mysterium est ens, et quidquid in eo continetur est ens. Sed omne ens est obiectum intellectus humani, saltem analogice cognoscendum, si ei rite proponitur. Ergo si homo

intelligit significationem subiecti et praedicati alicuius propositionis, intelligit significationem propositionis affirmantis vel negantis compositionem vel divisionem utriusque, etsi non cognoscat rationem intimiorem cur ita sit. Ergo mysterium erit obiectum intellectus humani saltem analogice cognoscendum, si ei rite proponitur 2.

b) Revelatio mysteriorum potest emolumenta conferre homini. In genere id videtur esse utilitatis in revelatione: hominem posse sic cognoscere veritates profundiores vitae Dei intimae et voluntatis suae, ac proinde maiore admiratione rapi atque gratias Deo et laudes agere ampliores

Sic mysteria et augent nostram cognitionem ostendendo illa quae aliter, nisi per revelationem, nesciremus, e.c. Trinitatem Dei. Dein perficient etiam cognitionem de rebus quas naturaliter novimus, e.c. rationem personae, accidentis, naturae... Et quamquam haec supponunt demonstratum factum revelationis mysteriorum, ac proinde non constat certo et *a priori et positive* utilitas talis revelationis; at neque contrarium probatur, ita ut appareat repugnantia in tali revelatione.

108. Obiectiones. I. Sicut sensus nequit repraesentare substantiam incorpoream, ita intellectus noster substantiam divinam aut rem supernaturalem. Ergo revelatio mysteriorum theologicorum est impossibilis.

Nego paritatem. Sensus non potest proprie repraesentare rem spiritualem, quia haec *est* in alio *prorsus ordine,* sed potest praebere elementa quibus intellectus sibi analogice efformet conceptum talis rei spiritualis; ita et intellectus noster non potest sibi intuitive et proprie repraesentare substantiam divinam, neque analogice res divinas cognoscere ut *demonstrabiles,* si agatur de mysteriis; sed poterit analogice eas sibi repraesentare ut *credibiles.*

2. Revelatio eorum quae sunt difformia a ratione repugnat. Atqui mysterium est difforme a ratione. Ergo repugnat eius revelatio.

Dist. mai. Revelatio eorum quae sunt difformia a ratione, i.e. absurda *et chimaerica,* repugnat, *trans. mai.;* eorum quae sunt difformia a ratione, i.e. *supra* rationem, repugnat, *subdist. :* si *univoce et conceptu proprio ex propriis* apprehendenda sunt, *transeat;* si *analogice* apprehendenda sunt, *nego. Contradist.* min.

3. Magis distat intellectus humanus a Deo, quam sensus ab intellectu. Atqui sensus nequit cognoscere res intellectuales. Ergo neque intellectus noster res divinas.

Resp. 1) Si obiectio probaret, probaret nos nullo modo posse cognoscere res divinas.

2) Dist. *mai.* Magis distat intellectus humanus a Deo *entitative,* quam sensus ab intellectu, *cone, mai.;* proportione *ad cognoscendum analogice* vel intentionaliter, *nego mai.*

4. In revelatione mysteriorum aut cognoscitur evidenter convenientia

- Nota hanc cognitionem *an sit* non importare cognitionem cur ita sit. Possumus enim intelligerc subiectum et praedicatum alicuius propositionis, et videre convenientiam inter utrumque evidentia extrinseca; sed non ideo intelligerc hanc convenientiam ex rationibus internis.

3 Cf. D 1796.

inter subiectum et praedicatum, aut non cognoscitur. Si primum, iam non est mysterium; si alterum, revelatio est inutilis.

Resp. Eligo primum membrum, cum distinctione. Cognoscitur evidenter *evidentia extrinseca,* sed non intrinseca, convenientia inter subiectum et praedicatum.

5. Si non est evidentia intrinseca in mysteriis, nequit efformari coniunctio organica inter ea; id quod *expedit* naturae rationali hominis.

Resp. Potest efformari haec coniunctio organica, qualem theologi assequuntur cum sedulo, pie et sobrie quaerunt, tum ex eorum quae naturaliter cognoscunt analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum line hominis ultimo (D 1796).

6. Deus aut revelabit aliquando rationes internas mysteriorum aut non revelabit. Si primum, nunc confundit nos aenigmatibus atque illudit; si alterum, non satisfit iusto sciendi desiderio naturae rationali hominis.

Resp. Deus *revelabit aliquando rationem internam mysterii,* cum in visione beata intuebimur eum sicut est. Sed etiam hoc transmisso, *nego eum nos illudere aenigmatibus in hac vita,* sed vult probare nostram fidem, ut ei obsequium intellectus nostri praebeamus.

109. Scholion i. Revelatio mysteriorum videtur supernaturalis simpliciter.

Mysteria revelantur immediate *propter fidem,* scilicet ut obsequium intellectus Deo praestemus propter eius infinitam scientiam et veracitatem. Fides igitur est actus religiosus, quo profitemur nostram dependentiam a Deo. In hac autem agnitione et Dei glorificatione adest pro homine participatio vitae divinae intellectualis, dum novit veritates quas solus Deus novit. Quoniam vero intellectus hominis naturaliter desiderat intelligere rationibus internis et videre res quas cognoscit, *nec credendum est velle Deum contraire huic tendentiae naturali:* hinc fides de mysteriis videtur, non iam de facto, sed aliquomodo et de suo conceptu, tendere naturaliter ad visionem beatificam; siquidem obiecta mysteriorum theologicorum sunt ordinis divini.

Ideo revelatio mysteriorum videtur mediate ordinari *de suo conceptu* ad visionem beatificam et esse proinde simpliciter supernaturalis.

Aliter Dieckmann4.

no. Scholion 2. Utrum probationes factae de possibilitate REVELATIONIS SINT POSITIVAE AK NEGATIVAE.

Revelatio in genere, non restringendo ad mysteria, videtur de suo conceptu positive possibilis idque constare *demonstratione positiva;* demonstratio enim facta (n.66.67) non negative procedit, solvendo difficultates vel ostendendo non apparere repugnantiam aut non ostendi posse repugnantiam (sicut feci-

4 *De revelatione* n.208.

mus n. 106.107 agentes de revelatione mysteriorum); sed considerando directe ipsam rem, sc. revelationem, et ipsum rei conceptum et omnia elementa quae ingrediuntur eius definitionem, ut positive *excluderemus* omnem repugnantiam quae esset in sociandis notis illius. Unde, exclusa repugnantia, datur ratio interna cur revelatio in genere sit possibilis, et positive attingitur talis possibilitas. Via certe fuit negativa, quia necessario est per exclusionem repugnantiae, sed ad finem res attingitur positiva; simili fere modo ac attingimus aliqua praedicata Dei per viam negationis (im-mensitas, in-finitas...), sed res quae attinguntur sunt omnino positivae.

Ita sentiunt Dieckmann[5], Tromp[6].

Dices: non posse probari positive possibilitatem entis simpliciter supernaturalis, qualis est revelatio.—Sed adverte revelationem esse quidem *de facto* simpliciter supernaturalem, at *de suo conceptu* revelationem in genere, de qua nunc agimus (non praecise revelationem mysteriorum), esse tantum praetematuralem (cf. n.57).

Revelatio mysteriorum non ita dici potest positive possibilis sicut revelatio in genere: 1) quia ipsa exsistentia mysteriorum non demonstratur positive possibilis; 2) quia non clare et evidenter constat a priori Deum posse habere rationem sufficientem ad revelanda mysteria. Ideo in argumento tantum dicimus non apparere repugnantiam in hac revelatione, nec ostendi posse talem repugnantiam, consideratis diversis capitibus, quae ad rem facere *videntur,* et praesertim innitimur, facientes hanc probationem, in iis quae cognoscuntur ex mysteriorum revelatione a posteriori demonstrata.—Quare probatio est negativa quia, praeter modum negativum, non attingit clare et certo rem positivam dando rationem intrinsecam adaequatam cur sit possibilis 7.

Thesis 7. In revelatione divina vera et proprie dicta mysteria continentur.

in. Si de facto ostenditur a posteriori dari mysteria absoluta in revelatione, a fortiori ostenditur non repugnare nec conceptus mysterii nec eorum revelatio. Sed haec demonstratio, ut oportuna esse potest in Theologia fundamentali, quasi praeparatoria ad consideraticnem singulorum mysteriorum in Theologia dogmatica; nullo modo est apologetica, quia innititur in eo quod est probandum, scilicet in valore Magisterii ecclesiastici et fontium dogmaticorum.

3 *De revelatione* n.229.
6 *De revelatione6* 1.i prop.4 pars 2 p.76.
7 Cf. et Tromp, *De revelatione6* ibid., pars 3 p.78.

112. Doctrina Ecclesiae. Cf. supra n.95.104; ibi enim ea iam exposita: D 1795S.1816, in Concilio Vaticano sessione III, c.4.—D 1671-1673, Pius IX adversus doctrinas a Frohschammer.

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica solemniter definita:* D 1816.

113. Probatio. 1) Ex traditione l: Patres contra monarchianos, statuentes monarchiam seu negantes Trinitatem in Deo, et contra eunomianos 2, pariter negantes Trinitatem, eo quod non posset per Philosophiam declarari: non affirmarunt posse nos id intelligere ex internis rationibus, sed efferebant imperfectionem nostrae cognitionis et mysteria esse supra rationem.

Circa testimonia Patrum cf. R, ad Indicem Theologicum, ad finem n.150: *Sanctissima Trinitas est mysterium;* item ad n.381: *Incarnatio est mysterium,* ubi invenies citationes Patrum.

Ad hanc quoque Patrum doctrinam appellat Pius IX in *epistola ad Archiepiscopum Monacensem* (11 decembris 1862) de Frohschammer: D 1673; ibi quoque citationes Patrum, in nota.

114. 2) Argumentum ex Scriptura desumitur ex textibus quos refert Pius IX in praedicta epistola (D 1672) et Concilium Vaticanum (D 1795-'796);

Hi textus apertissime probant dari veritates de Deo, quae nisi revelatae divinitus, innotescere non possunt:

Mt i i,25ss et paraît.; v.27: Et *nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.*

Io 1,18: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

i Cor 2,7ss: S.Paulus volens praemunire contra sapientiam huius saeculi, ait: *Loquimur Dei sapientiam* in mysterio... *quam nemo principum huius saeculi eognovit... nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.*

Quomodo autem probabimus agi in his de mysteriis *absolutis,* seu manere mysteria post revelationem nec posse demonstrari per internas rationes?—Ad hoc notandum est S.Paulum in textu modo allato agere de cognitione sapientiae Dei in mysterio, quae habetur per fidem et per gratiam Spiritus Sancti (v.4s.ioss). Fides autem secundum eundem Apostolum caligine obvolvitur in hac mortalitate et *contraponitur visioni clarae: Per fidem ambulamus et non per speciem* (2 Cor 5,7); et fides est argumentum non *apparentium* (Hebr. 11,1). Ergo, a fortiori cum fides est de mysteriis, agitur de veritatibus revelatis quae, dum peregrinamur a Domino caligine obvolvuntur et non intuemur. Congruenter igitur excluditur ab Apostolo, cum agitur de mysteriis, cognitio illa rei per internas rationes, quam de rebus spiritualibus interdum habere possumus, etsi cognoscantur analogice.

1 Ponimus nunc primum argumentum ex traditione, quia censemus habere in praesent maiorem claritatem et efficaciam, quam argumentum ex sacra Scriptura.

2 Ab Eunomio, duce factionis anomoeorum (ἀνομοίο) dicentium Verbum esse dissimilem Patri et non Deum, eo quod esset generatum.

ARTICULUS V

* De propositione facti revelationis ante fidem

S.Th., 3 CG 154; *2.2* q.i a.4 ad *2;* q.2 a.i ad 1; q.T?i a.5; Suarez, *De fide* d.4 s.2-5: de propositione obicti fidei necessaria et sufficiente ad credendum, edic. Vives, t.12,115-135; ' Harent, *Foi,* VI Préparation rationnelle de la foi, le fidéisme: DTC 6,171-237.

Thesis 8. Ad amplectendam fide aliquam revelationem (seu religionem in ea fundatam) praerequiritur certitudo de facto revelationis (I); sufficit vero certitudo moralis, etiam vulgaris (II).

115. Notiones. Certitudo, ut *status subiectivus mentis,* consistit in firmitate assensus excludente omnem prudentem formidinem errandi.

Ut proprietas iudicii, certitudo consistit in intrinseca necessitate iudicii essendi verum *(certitudo formalis).* Haec proprietas et necessitas in iudicio ideo habetur, quia positum est ob perspecta motiva obiectiva, quae habent connexionem cum veritate. Tunc habetur *certitudo obiectiva,* quae distinguitur a *certitudine pure subiectiva,* quae habetur cum tantum adest adhaesio mentis, sed sine obiectivis motivis.

Haec firmitas in assensu admittit varietates et gradus, prout sint motiva assensus quae cognoscuntur. Hinc, si motiva sunt ordinis metaphysici et fundantur tandem in principio contradictionis, certitudo erit *metaphysica* et absolute infallibilis; si motiva sunt ordinis physici et fundantur in constantia physica legum naturae, quin adsit suspicio de exceptione, tunc habebitur certitudo *physica;* si motiva sunt ordinis morum et fundantur in constantia psychologica humani modi agendi, vel in eo quod solet accidere iuxta iudicium prudens, tunc habebitur certitudo moralis; si pariter non adest suspicio de exceptione in casu.

Tam certitudo physica quam moralis non sunt absolute infallibiles, nisi reducantur ad metaphysicam; sed *excludunt omnem prudentem formidinem errandi.* In hoc enim elemento negativo certitudinis, certitudo non admittit gradus, sed consistit in indivisibili.

Motivum, quo quis cognosceret revelationem divinam factam fuisse, esset ordinis physici pro eo qui revelationem directe acciperet, sed pro aliis esset ut plurimum per testimonium;

hinc esset ordinis moralis et certitudo quae tunc haberetur esset certitudo moralis.

Certitudo vulgaris opponitur *scientificae,* et est illa quae habetur sine examine motivorum (quae sane habentur) et ideo non est reflexa.

Semper ac adest certitudo, adest *evidentia* (sive intrinseca sive extrinseca rei) seu claritas in cognitione convenientiae inter subiectum et praedicatum. Sed aliquando evidentia est *lucidissima perspicientia quae intellectum nécessitât* et expellit etiam imprudentem formidinem errandi, ut accidit in veritatibus mathematicis simplicioribus. Aliquando vero illa claritas, etsi sufficiens ad assensum prudentem et firmum, non est tanta quae necessitet intellectum et excludat possibilitatem dubii imprudentis. Hinc est casus ut voluntas, perspectis motivis, libere imperet assensum mentis certum; haec est *certitudo libera,* qualis habetur in longiore serie syllogismorum de veritatibus metaphysicis ulterioribus, vel in applicatione legum quibus regitur activitas moralis hominum ad casus particulares, v.gr. hic cibus non est venenatus, hic homo est meus amicus, pater...

Pars x.a Praerequiritur certitudo de facto revelationis.

116. Adversarii. G.Estrix (1624-1694) existimavit posse in quibusdam casibus componi fidem supernaturalem cum mera probabilitate vel etiam aliquali dubio de facto revelationis (cf. D 1171) *

Fideistae et semifideistae dicebant ipsam fidem praerequiri ut habeatur certitudo de facto revelationis. Cf. D 1622-1627 (Bautain) 1649-1651 (Bonnetty).

Modernistae falso affirmabant assensum fidei inniti *ultimo* in congerie probabilitatum (D 2025).

Longe aliter Newman qui in suo libro *Grammar of assent* tractat argumentum ex convergentia probabilitatum; sed haec convergentia, innitendo in principio rationis sufficientis, attingit demum *certitudinem* de facto revelationis, qua quidem certitudine assensus fidei *ultimo* innititur [1].

Similiter Eusebius Amort, qui contra protestantes in opere *Demonstratio critica religionis catholicae* (Venetiis 1744) arguit ex maiore probabilitate religionis catholicae prae protestantica, sed *ultimo* innititur in certitudine

1 Cf. A.Sohier, A.M., *La foi probable. L'acte de foi d'après Gilles Estrix:* Gregorianum 28 (1947) Sil-554, praesertim p.532-542; et R.Aubert, *Le problème de l'acte de foi* (Louvain 1950) p.94-102.

2 De certitudine apud Newman egerunt recenter: A.Alvarez de Linera, *El problema de la certeza en Newman* (Madrid 1946); eum defendit a nota modemismi relate ad congeriem probabilitatum, *ibid,* p.81-94. Pariter F. de B.Vizmanos, S.I., *Newman, su estela a lo largo de un centenario:* Pens i (1945) 405-412. De convergentia probabilitatum vide etiam SuÁrez, *De fide* d.4 s.3 n.tz: Opéra (Vives) 12,125·

Orta ex principio Deum non posse obiectivam et maiorem probabilitatem falsae religioni prae vera tribuere.

117. Doctrina Ecclesiae. *Explicite* habetur in litteris «Qui pluribus» (D 1637: ... ut *certo sibi constet Deum esse locutum;* et cf. D 1639).

Insuper *assensus fidei supernaturalis* non *stat cum notitia solum probabili revelationis* (D 1171); ergo certitudo praerequiritur.

Implicite habetur ubi fides dicitur *obsequium rationabile* (D 1790); non esset autem rationabile si non certo constaret de facto revelationis.

Cf. praeterea propositiones supra allatas, quas debuerunt subscribere Bautain et Bonnetty.

Valor theologicus. *Doctrina catholica,* ex praecedentibus documentis Ecclesiae.

118. Probatio. Si non habetur certitudo de facto revelationis, acceptatio illius revelationis (et religionis) *nequit esse firma, prudens et irrevocabilis.* Atqui acceptatio revelationis (et religionis) per fidem debet esse firma, prudens et irrevocabilis. Ergo certitudo de facto revelationis praerequiritur ut quis amplectatur fide aliquam revelationem vel religionem.

Prob. Maiorem. Si non habetur certitudo de facto revelationis,

a) habebitur ad summum probabilitas, quae est cum prudenti formidine errandi; ac proinde fundamentum illius fidei et religionis non erit firmum.

b) Tunc illa religio et fides, quae debet esse assensus firmissimus in veritates propositas a Deo in illa religione, et similiter acceptatio illius religionis, est res imprudens et non ordinata.

c) Insuper qui imprudenter credit, facile decipitur et est locus inconstantiae et dubiis, ac proinde fides non esset irrevocabilis.

Prob. minorem. Acceptatio revelationis (et religionis) per fidem debet esse *firma,* quia fides est, ut diximus, assensus firmissimus in veritates propositas a Deo cuius dictis adhaesio summa debetur (cf. n.125, obiectio 1); praeterea ad vitam moralem apte dirigendam et continuandam per religionem est omnino necessaria firmitas in principiis.

Debet etiam esse *prudens,* quia Deus non vult res imprudentes.

Debet esse etiam *irrevocabilis,* primum quia fides est certissima, dein quia stabilitas in religione et in vera fide magni quoque momenti est ad vitam religiosam fovendam 3.

119. Obiectioncs. x. Pauci pervenirent ad certitudinem de facto revelationis. Ergo haec non est generaliter requirenda.

Dist. antec. Pauci pervenirent ad certitudinem *scientificam, trans, antec.;* ad certitudinem *saltem vulgarem, nego antec.*

2. Pueri et rudes veniunt ad fidem quin habeant veram, formalem certitudinem, ex motivo valido, neque vulgarem, de facto revelationis. Ergo neque haec est exigenda.

Resp. 1) luxta aliquos (cf. n. 127) pueri et rudes habent *hanc formalem certitudinem, etsi vulgarem,* de facto revelationis, ex motivo valido etsi confuse percepto.

2) Si admittimus eos habere *tantum pure respectivam certitudinem (cf.* n.128), dist. *antec. :* pueri et rudes veniunt ad fidem quin habeant veram formalem certitudinem de facto revelationis, *quia pro his* haec est unica via prudens, *conc. antec.;* quasi regula possit inservire *pro omnibus* et per se valere, *nego antec.*

3. Sicut sufficit probabilitas religionis positivae ad obligationem inquirendi in eam, ita sufficit probabilitas de facto revelationis ad illam amplectendam.

Nego paritatem. Agitur de re diversa nec valet proinde statuere easdem conditiones, *inquisitio in religionem est* prudens et debita, ex demonstratis (cf. n.34ss), si adest probabilitas circa religionem; sed *acceptatio religionis per fidem,* i.e. assensu firmo et irrevocabili, neque est prudens nec debita, nisi adsit certitudo de facto revelationis. Item ex demonstratis.

4. Prudenter datur eleemosyna pauperi probabiliter tali. Ergo et prudenter amplectimur revelationem et religionem probabiliter a Deo.

Nego paritatem. Acceptatio revelationis et religionis per fidem respicit *actum intellectus,* qui ut sit prudens, firmus et irrevocabilis, praerequirit certitudinem de facto revelationis. Sed dare eleemosynam est *actus virtutis moralis,* quae respicit honestatem obiecti; minime vero est inhonestum dare eleemosynam pauperi probabiliter tantum existimato.

5. Secundum D 1154 ab infidelitate non excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili. Ergo debet sequi opinionem magis probabilem, nondum certam.

Nego consequentiam. Consequens, est iuxta probata (0.37-40.1175): ergo *debet inquirere et non manere otiosus in sua probabilitate,* quam habet de propria religione falsa, sed conari ut perveniat ad certitudinem circa veram religionem; et non excusabitur quia *negligit inquisitionem (cf.* n.37).

6. Sicut ex probabilitate tantum speculativa saepe infertur certitudo practice et saepe prudenter creditur quod apparet tantum probabile: ita prudenter amplectitur quis religionem si tantum cum probabilitate cognoscat factum revelationis.

Nego paritatem. Prudenter interdum illud fit et fieri debet in rebus humanis quae admittunt mutationem in iudicio praestito. Sed in fide divina, quae habet certitudinem non mere practicam, sed *speculativam, et quae est*

5 Fidem esse irrevocabilem constat etiam ex considerationibus dogmaticis (cf. Ga! i,8s..) sicut etiam dogmatice sermo erit de firmitate fidei super omnia.

irrevocabilis et nequit esse firma sine hac certitudine theoretics, nullo modo.

7. Homo est liberi arbitrii. Ergo poterit pro sua voluntate credere obiectum quomodocumque propositum.

Dist. *cons.* Homo poterit pro sua voluntate credere obiectum non ut *verum* propositum, nego *cons.:* ut verum propositum, *subdist.: credere* cum probabilitate, *trans.;* credere *firmiter, indubitanter, prudenter et irrevocabiliter* obiectum quomodocumque proposituro, *iterum subdist. :* si hoc obiectum proponitur ut certum, *conc.;* secus, nego.

8. Maioris meriti et venerationis est erga aliquem ei credere, si tantum constat de eius dicto cum probabilitate, quam cum certitudine. Ergo certitudo de facto revelationis non est requirenda.

Dist. antec. Maioris venerationis est alicui credere si tantum constat cum probabilitate de eius dicto, dummodo constet certo eum id dixisse, *conc. antec.;* si non certo constat eum id dixisse, *subdist.:* est maioris venerationis illi credere cum assensu probabili, prout sint rationes probabiles evincentes eum id dixisse, *conc.;* est maioris venerationis illi credere assensu firmo et irrevocabili, si rationes tantum probabiliter evincunt eum idi dixisse, *nego.*

9. Multi, non percipientes vim certam singulorum argumentorum quae in Apologetica traduntur, non habent ad credendum nisi *summam probabilitatum* circa factum revelationis. Atqui summa probabilitatum non efficit certitudinem. Ergo multi non habent ad credendum certitudinem de facto revelationis.

Trans, mai., quae *pro aliquibus tantum,* non pro multis, fuerit vera. *Dist. min.* Summa probabilitatum non efficit certitudinem generatim, *trans.; si accedit principium rationis sufficientis* evincens certo illam convergendam probabilitatum *debere tribui obiectivae rei veritati,* aut si accedat aliud principium *ex consideratione divinae Providentiae,* quae non permittet talem convergendam probabilitatum nisi pro religione vera, nego *min.*

10. Manente dubio de facto revelationis, multo magis instante morte, homines debent esse parati ad credendum si *Deus aliquid revelavit.* Ergo sola probabilitas de facto revelationis sufficit ad credendum.

Nego *suppositum, sc.* hunc actum voluntatis promptae ad credendum in conditione si *Deus revelaverit* esse actum fidei stricte dictae; non est nisi (ad summum, si fiat propter ipsum Deum) actum amoris volentis placere Deo etiam in hypothesi quod imperaverit aliquid credendum, vel est dispositio generalis intellectus ad acceptandum quaecumque Deus velit nobis communicare; quae dispositio, etiam in hypothesi quod Deus nunquam aliquid revelaverit, semper adesse debet, nec tantum in dubiis de facto revelationis.

120. Scholion i. 1) Sicut requiritur certitudo de facto revelationis antequam quis firmiter et definitive adhaereat alicui revelationi vel religioni in ea fundatea, ita *requiritur certitudo de facto praescriptionis divinae pro eo homine,* ut quis teneatur amplecti illam religionem. Lex enim dubia non obligat. Aliis verbis: requiritur certitudo in iudicio credibilitatis et in iudicio credenditatis. Nam, licet sola probabilitas facti revelationis et praescriptionis fundet obligationem inquirendi, non sufficit ad fundandam obligationem *amplectendi.*

Ideo neque requiritur, ut fideistae autumarunt, ut quis accipiat fidem credendo et caece sacrificando intellectum, quasi saltus in ignotum, ut per experientiam fidei acquirat quis ipsam fidem. Nullo modo; sed *praerequiritur certum iudicium credibilitatis et.* ad statuendam certam obligationem credendi, *certum quoque iudicium credenditatis.*

2) Ergo *obligatio fidei incipit ubi* quis *primum apprehendit revelationem certo a Deofactam et certam obligationem credendi.* Hoc postulat debita subiec-

tio et reverentia erga Deum loquentem et attestantem; secus immoraliter quis ageret contemnendo Deum loquentem.

Haec omnia per se praestare quis debet ubi primum adeptus est usum rationis, quia tunc ei incumbit se ordinare ad ultimum finem supematuralem; finis autem supernaturalis, humano modo et conscie obtinendus, praeexigit cognitionem illius, sc. per fidem supernaturalem.

121. Scholion 2. Circa obiectum certitudinis ante fidem requisitae videtur cl.Patri F.Schlagenhaufen 45sufficere certitudo *iudicii credenditatis* (n.77); nam sic *a)* voluntas iam habet motivum ut firmissime imperet assensum fidei; *b)* in certitudine respectiva, quae sufficit aliquibus hominibus ante fidem, tantum habetur evidentia credenditatis; et *c)* quia ex obligatione credendi sequitur obiective factum revelationis.—Alii autem auctores, quos citat ibidem, loquuntur de certitudine *circa factum revelationis.*

Videtur dicendum, ut *obligatorie* fides alicuius revelationis imponatur, *certitudinem de utroque praerequiri : de facto revelationis et de obligatione credendi* sive de praescriptione mihi ut acceptem illam revelationems. Nec censeremus mentem cl.P.Schlagenhaufen esse id impugnare quod communis loquendi modus et documenta Ecclesiae (D 1637 1639 1171) commendant de certitudine circa factum revelationis praerequisita. Atque etiam in certo iudicio credenditatis—ut idem auctor affirmat—implicatur certitudo de facto revelationis.

Et sane: *a)* voluntas non imperabit prudenter et firmissime assensum, nisi intellectualiter cognoscatur cum certitudine factum revelationis; *b)* in certitudine respectiva puerorum et rudium adest certa cognitio de obligatione credendi, et insuper cognitio certa (respectiva) de facto revelationis; *c)* si ex obligatione credendi sequitur obiective factum revelationis, ideo est quia in cognitione illius obligationis implicatur cognitio certa de illo facto. Ergo semper praesupponitur, atque adeo praerequiritur, cognitio certa de facto revelationis.

Quod attinet ad auctores scholasticos in hac quaestione, Suarez clare loquitur de certitudine credibilitatis de facto revelationis, nam postulat6 ut obiectum propositum ad credendum sit *evidenter (certo) credibile* et *evidenter (certo) credibilius* quocumque alio obiecto; cohaerenter admittit 7 quod, si proponerentur diversae sectae seu viae ad Deum debito modo colendum, illa sequenda esset quae *evidenter (certo) credibilior* appareret, cum illud credendum sit quod maiorem speciem veritatis prae se fert, praesertim in negotio salutis, in quo omne morale periculum vitandum est.

Pars 2.a Certitudo moralis, etiam vulgaris, sufficit.

122. Adversarii. *Quidam pseudomystici* qui requirunt sensum internum vel inspirationem privatam (D 1812); quasi certitudo physica requireretur.

Etiam *illi qui statuunt examen praevium philosophicum*

4 *Theologia fundamentalis* n.765.80.

5 Hacc *praescriptio mihi* alicuius revelationis ita intclligenda est, non quod non tenear habere ut verum id quod Deus cuilibet dixit, si mihi constat Deum id dixisse: sed eo sensu quod non tenear inquirere quid Deus in concreto dixit, ut huic rei explicite adhaeream.

6 *De fide* d.4 s.2 assist Opera (Vives) 12,117s.

7 *Ibid.,* ass.4 p.u8s.

omnium dogmatum vel requirunt certitudinem scientificam (D 1815; cf. D 1619).

123. Doctrina Ecclesiae. Continetur in damnatione errorum praecedentium. Ergo non sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata revelatio credibilis fieri debet (D 1812). Ergo revelatio credibilis fieri potest etiam criteriis externis, quae per se *certitudine morali innotescunt,* interdum vero etiam certitudine morali non reductive metaphysica. Ergo sufficit certitudo moralis.

Neque requiritur ex Concilio Vaticano demonstratio scientifica credibilitatis et veritatis fidei (D 1815). Ergo sufficit certitudo vulgaris. Praeterea Ecclesia supponit etiam illos qui habuerunt certitudinem vulgarem non debere mutare fidem (D 1794): ergo certitudo scientifica non requirebatur.

Valor theologicus. Thesis est *saltem* theologice certa, ut deductio ex praecedentibus definitionibus Ecclesiae [8], loquendo scilicet *de certitudine morali in genere,* i.e. ut pertinente ad ordinem historicum, et loquendo *de certitudine non praecise scientifica,* sed vulgari; i.e. *pro qualificatione theologica,* praescindimus a quaestione hinc inde controversa inter catholicos *de triplici certitudine essentialiter diversa* et utrum sufficiat mera certitudo moralis, quae non sit reductive metaphysica.

124. Probatio. Certitudo moralis, etiam vulgaris, cum sit vera certitudo, excludit omnem prudentem formidinem errandi ac proinde habet talem firmitatem qua possit homo Deo revelanti assensum praestare, plenum et rationabilem atque prudenter irrevocabilem. Ergo sufficit.

Ceterum non alia certitudo est possibilis vel praesupponi potest ad actum fidei, quam haec certitudo moralis (interdum pure vulgaris), quae respondet *facto historico* revelationis. Ergo amplior certitudo non est exigenda, nec Deus illam exigit.

125. Obiectiones. x. Assensus fidei est super omnia firmus. Atqui non esset super omnia firmus, si certitudo mere moralis de facto revelationis et praescriptionis a Deo sufficeret ut praesuppositum ad fidem. Ergo.

Resp. Assensus fidei dicitur super omnia firmus quatenus intellectus per fidem adhaeret Deo *adhaesione appretiative summa,* sc. paratus relinquere quodlibet iudicium si deprehenderetur contrarium assensui fidei et magis

[8] *Theologice certa* dicitur veritas quae, licet per magisterium Ecclesiae diserte non doceatur, in scholis theologicis certo deducitur ex praemissa formaliter revelata (vel immediate ex definitione aliqua Ecclesiae) et ex alia praemissa naturaliter cognita. Veritas enim theologice certa connectitur cum formaliter revelatis sive virtualiter, sive praesuppositive, sive finaliter.

aestimando fidem ut bonum intellectuale quam alia bona intellectualia. Haec adhaesio habetur i) *propter imperium voluntatis.*· et ideo imperatur a voluntate propter rationem boni quae est in tali assensu ut medio ad beatitudinem; et propter reverentiam et pietatem erga Deum loquentem, qui est motivum fidei. Talis firmitas in assensu fidei dicitur firmitas *propter certitudinem adhaesionis.*

2) Praeterea, cum motivum assensus fidei sit ipsa auctoritas (scientia et veracitas) Dei loquentis, cui absolute repugnat falsitas, assensus fidei oportet ut etiam sit super omnia firmus ratione infallibilitatis, quam habet ex capite sui obiecti formalis seu *motivi ut quod.* Haec firmitas in assensu fidei dicitur firmitas propter *certitudinem infallibilitatis.* Ex capite vero iudiciorum quae ostendunt Deum esse locutum idque saepius certitudine morali tantum, seu ex capite motivi *fidei* ut *quo* (iuxta multos *conditio* ut «motivum quod» exserat suum effectum) non opus est ut ratione certitudinis infallibilitatis assensus fidei dicatur super omnia firmus.

Itaque dist. mai. Assensus fidei est *super omnia firmus* ratione certitudinis adhaesionis, *conc. mai.;* ratione certitudinis infallibilitatis, *subdist. :* ob motivum *quod* fidei, *conc.;* ob motivum *quo* sive ob conditionem iudiciorum quae statuunt factum revelationis et obligationem illam fidem amplectendi, *nego. Contradist. min.*

2. Certitudo moralis et vulgaris non sunt absolute infallibiles. Ergo qui amplectitur revelationem vel religionem ductus tali certitudine non habet securitatem non iri deceptum. Ergo haec certitudo non sufficit.

Dist. *antec.* Certitudo moralis et vulgaris non sunt absolute infallibiles si reducantur ad metaphysicam, nego *antec.;* si non reducantur ad metaphysicam, *subdist. : non* sunt absolute infallibiles, *ita tamen ut sufficiant ad prudenter et firmiter agendum* etiam in rebus magni momenti, *conc.;* ita ut imprudenter quis agat illas firmiter sequens, *nego. Contradist. primum, cons.*

Complexus argumentorum apologeticorum facit *certitudinem metaphysicam et absolutam,* licet singula interdum fortasse non. Sed etiam quis ductus uno vero et certo argumento apologetico (etsi certum certitudine morali et vulgari tantum) prudenter ageret si firmiter acceptaret illam fidem et religionem; et tunc theoretica possibilitas iri fortasse aliquando deceptum esset prudenter spernenda, sicut in aliis rebus humanis. Divinam autem Providentiam talem errorem permittere non est credendum; quanto magis, si cumulus est argumentorum certorum et probabilium, quorum convergentia efficiat certitudinem *reductive metaphysicam,* licet pertineant ad ordinem moralem, historicophilosophicum. = Ceterum, in hypothesi certitudinis moralis de facto revelationis ☈ in sensu composito huius certitudinis, ille timor, se iri deceptum, omnino prudenter excluditur.

Thesis 9. Certitudo respectiva sufficit interdum ad verum assensum fidei eliciendum.

126. Notiones. Certitudo respectiva dicitur, ut nomen indicat, *relate* ad aliquos, sc. ad pueros et rudes. Est autem adhaesio mentis ad aliquod iudicium ob motivum *de se* insufficiens ad excludendum errorem ac proinde insufficiens *de se* ad firmiter prudenterque adhaerendum (v.gr. testimonium unius hominis, parentum, etc.), sed tamen *sufficiens per accidens pro aliquibus* ut prudenter agant.

Certitudo respectiva puerorum et rudium catholicorum, qui audierunt v.gr. parochum, magistrum..., in eo distinguitur a mera certitudine respectiva aliorum non catholicorum pro sua cuiusque religione, quod *motivum assensus in puero aut rudi catholico obiective fundatum est in eo qui docet puerum,* licet ab hoc imperfecte apprehenditur ita ut non cognoscat oppositum ac proinde errorem esse positive exclusum. Ideo per se datur possibilitas dubii futuri, sed nondum percipitur.

Certitudo respectiva non debet confundi cum *vulgari,* quia in hac dantur motiva obiective valida ad assensum et ut talia cognoscuntur, licet non reflexe et scientifice; in certitudine vero respectiva motivum prout cognoscitur non est de se validum.

127. Adversarii. Inter auctores catholicos disputatur utrum sufficiat talis certitudo respectiva ad actum fidei. Qui negant (Wilmers, Dorsch, Pesch, Garrigou-Lagrange, Lercher, Tromp...), et requirunt certitudinem formalem ob motivum de se sufficiens, debent defendere pueros et rudes in suis actibus fidei apprehendere, saltem confuse, motivum validum pro fide elicienda, v.gr. ipsum factum Ecclesiae, quod ipsos certos facit de revelatione divina.

Tales auctores rem ita concipiunt: Pueri qui educantur in Ecclesia catholica ipsam Ecclesiam paulatim cognoscunt, esse per orbem diffusam, audiunt enim de missionariis; cognoscunt etiam de sanctis Ecclesiae et de miraculis quae fiunt; cognoscunt pariter esse unam in eodem Credo et in missa eadem celebranda et iisdem sacramentis administrandis in toto mundo; omnes subici Papae, quem omnes ubique venerantur; est enim successor S.Petri et trahit successionem Apostolorum... Item audiunt in concionibus per annum vel in schola miracula lesu Christi, eius resurrectionem, eius bonitatem et sapientiam..., multos pro eo passos et mortuos esse... Ita fit ut paulatim adducantur ad validum motivum credibilitatis fidei percipiendum...

Haec non negamus, immo admittimus; sed adhuc videtur dicendum cum aliis multis-auctoribus 9, sufficere pro actu fidei meram certitudinem respectivam de facto revelationis.

128. Probatio. 1) *Ex experientia aegre concipitur* quomodo interdum pueri, qui debent elicere actum fidei, puta pro prima communione, etc., motivum undequaque validum et sufficiens percipiant. Idem omnino dic de hominibus plane ru-

? Catalogum auctorum antiquorum circa hanc rem recenset Lercher-Scheagenhaufen, n.85: cf. etiam artic. *Foi:* DTC 6,223-227. Sententiam Suarezii lege in *De fide* d.4 s.5 n.7-10: Opera (Vivès) 12,134-135·

dibus quos interdum breviter debebis parare ad primam confessionem et communionem et docere eos veritates de necessitate medii et alias simpEciores...; vel de pagano qui audit missionarium *unum* bona quidem vita et abnegatione illi praedicantem.

2) Talis assensus praestitus ob motivum de se quidem insufficiens, sed ob auctoritatem parentum, hominis sapientioris et probi... *in pueris et rudibus est assensus prudens, et* in vita quotidiana etiam in rebus gravioribus (v.gr. pro cognitione parentum) omnino ita agunt; et prudenter. Ipsi autem secundum prudentiam agere debent, et *Deus vult eos ita agere* virtuose, et sine dubio paratus est illis suam gratiam impertiri.

3) *Ad praeoccupandas obiectiones ex parte dogmatica.* Ex hac gratia divina, quae non daretur puero heterodoxo, explicandae essent qualitates quae sunt propriae actus fidei: talis assensus erit *necessario verus,* quia fiet cum gratia elevante; erit *firmus et irrevocabilis* ob adiutorium quoque gratiae, cuius erit evolutionem religiosam puerorum et rudium invigilare et ad maturitatem et plenam et formalem certitudinem perducere, non eos deserendo nisi deseratur (D 1794).

Sic fides pueri vel rudis heterodoxi non erit nisi fides humana, fortasse subiective prudenter elicita; sed non erit fides supernaturalis (si agitur de suis specificis erroribus), et gratiae erit illos bene dispositos retrahere a sua subiectiva persuasione et ostendere obiectiva veritatis motiva quae sunt in fide catholica.

ARTICULUS VI

Criteriologia revelationis

Dieckmann, *De revelatione* n.357-430; Tromp, *De revelatione* l.i s.5; Lercher-Schlaces'Havfen, *Theolog. fund,* n.95-102.

129. Postquam egimus in universum de possibilitate, convenientia et necessitate revelationis, et tractavimus specialem casum de revelatione mysteriorum, venit agitanda quaestio *de dignoscibilitate revelationis.* In revelatione enim immediata, sive publica sive privata, et maxime, quoad rem nostram, in revelatione mediata publica attestante opus est aliquo signo quo constet factum Deum esse locutum.

Hinc tractatio *de criteriis revelationis,* non quidem in sensu obiectivo aut materiali revelationis, quasi ageremus de criteriis ad statuendum *quid revelatum sit;* sed in sensu formali revelationis ad statuenda criteria quibus *ipsum factum historicum divinae locutionis* et obtestationis debeat comprobari.

Sicut autem in exordio Philosophiae, sive in Critica aut Epistemologia, tractatio fit de criterio veritatis et certitudinis, ita nunc tractatio erit de cri-

terio revelationis. In quo et consilium valet loannis Apostoli: *Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint; quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum* (i Io 4,1).

Pars negativa

Thesis io. Ad probandum factum historicum revelationis publicae criteria subiectiva et interna non sunt primaria.

130. Quaestio de criterio revelationis vel religionis recentius, praesertim ad finem transacti et ad initium praesentis saeculi summopere agitata fuit; nec omnia quae in medium prolata sunt probari possunt. Hinc primum, negative procedendo, reiciemus illa criteria quae pro revelatione publica nequeunt ut primaria admitti.

131. Notiones. Criterium, a κρίνειν, in ordine logico est illud quo mens rem aliquam ab alia discernit.

Sic criterium revelationis est ratio vel nota qua dignosci potest origo divina alicuius revelationis.

Alia quoque nomina promiscue usurpantur ad idem significandum, quamquam formaliter diversum insinuant. Dicitur *signum* revelationis, in quantum per cognitionem sui ducit mentem ad cognitionem alterius rei, sc. ad cognitionem locutionis divinae dicitur *nota* revelationis, in quantum eius ope innotescit factum revelationis divinae; *argumentum* revelationis in quantum demonstrat motiva credibilitatis (D 1790 2145); *motivum credibilitatis,* in quantum movet intellectum ad affirmandam credibilitatem illius revelationis.

132. Divisiones criterii revelationis[1]. 1) Critérium est *positivum* si concludit certo vel probabiliter revelationem de facto accidisse. Est *negativum* si concludit vel non accidisse revelationem (v.gr. eo quod contradicat rationi naturali) vel nihil obstare quominus accidere potuisset.

2) Critérium *primarium* est illud quod ceteris praevalet, eo quod rem demonstret *certo, expedite et modo omnibus accommodato,* ita ut recursus publicus ad illud critérium pateat. Cetera criteria dicuntur *secundaria.*

1 Miraculum, in quantum est signum revelationis, ut saepe est, non est merum signum *ad placitum,* sed signum *naturale et* maxime aptum, propter connexionem cum ea; licet enim huiusmodi connexio non sit connexio causae et effectus, est *connexio finalis,* quia teleologia miraculi dirigitur necessario ad ordinem moralem (cf. n.163).

2 Non parva difficultas in hac quaestione ex eo iam est quod detur diversitas terminologiae inter auctores (cf. Dieckmann, *De revelatione* n.379, sententias recensentem).—In nostra divisione rem declaramus agentes de revelatione *publica et publice demonstranda.*

3) Critérium *sufficiens* est illud quod per se solum sufficit ad demonstrandam originem divinam alicuius revelationis. Critérium sufficiens non idem est formaliter ac critérium primarium, quia aliqua res potest esse sufficiens per se, quin praevaleat ceteris; obiective tamen, si agitur de criterio per se sufficiente *ad revelationem publicam publice demonstrandam,* certe aequivalet criterio primario: tunc enim non esset sufficiens nisi certo, expedite et modo omnibus accommodato rem evinceret.

4) *Respectu subiecti examinantis aliquam revelationem,* critérium dividitur in subiectivum et obiectivum.

Critérium *subiectivum* invenitur in subiecto examinante revelationem vel illam acceptante, v.gr. gustus spirituales, inspirationes internae concomitantes, tendentiae immanentes subiecto.

Hoc ultimum critérium seu critérium *immanentisticum* (apologetica immanentiae) arguit ex tendentiis et indigentiis subiecti prout conformantur cum veritate quae revelata dicitur. Hoc critérium reducitur ad critérium praecedens (subiectivum).

Critérium *obiectivum* habetur extra conscientiam examinantis revelationem et est factum independens ab eius subiectiva affectione, v.gr. miraculum (extrinsecum examinanti), prophetia.

5) *Respectu doctrinae revelatae,* critérium potest esse internum vel externum.

Critérium *internum* consistit in examine interno doctrinae quae revelata dicitur. Doctrina autem potest examinari a) *in se ipsa,* vel b) *in effectibus quos producit.* Primum attendit ad notas et characteres internos ipsius doctrinae (ad eius harmoniam cum veritatibus rationalibus, ad eius sublimitatem, puritatem, ad eius aptitudinem pro satisfactione tendentiarum). Alterum attendit ad effectus qui ex ea doctrina promanant in hominibus (fructus gaudii et pacis, expletio tendentiarum, sanctitas).

Critérium *externum* doctrinae est signum extrinsecum veritati revelatae, superveniens ut testimonium divinum confirmans revelationem; sic miracula externa examinanti, vaticinia impleta.

133. *En schema criteriorum:*

3 Critérium sanctitatis ideo differt a criteriis subiectivis praecedentibus, quia non tam consideratur nunc in subiecto examinante revelationem, quam in plurimis hominibus qui illam acceptaverunt.

134. A) Criteria subiectiva (testimonium Spiritus Sancti, gustus spirituales, etc.) non sunt primaria.

Adversarii. *Protestantes antiquiores,* cum Calvino, statuebant internam Spiritus Sancti inspirationem ut critérium genuini verbi Dei: sic ipsi—dicebant—audientes praedicationem et legentes Scripturam cognoscebant illam ut revelatam 4.

Saeculo transacto F.E.D.Schleiermacher (1768-1834) considerabat experientiam religiosam (sentimentum) ut critérium revelationis, subiectivo utique modo intellectae, sicut modernistae 5.

135. Doctrina Ecclesiae. In Vaticano damnatur doctrina iuxta quam sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debeant (D 1812). Si ergo excluditur *sola* interna experientia aut inspiratione privata homines ad fidem duci debere, ideo est quia sunt alia criteria externa omnino valida. Et haec praecise criteria Ecclesia habet ut primaria et ordinaria (cf. n.150). Quare *sola* inspiratio privata vel interna experientia, praescindendo a criteriis externis, non omnibus accommodatur vel non omnibus datur. Ideo nec est critérium primarium.

Valor theologicus. Thesis videtur *theologice certa.*

136. Probatio. Haec criteria subiectiva, ut sunt inspirationes et motiones a Deo supernaturales et individuates, gustus et consolationes spirituales, *nequent dici generatim modus certus omnibus accommodatus* discernendi revelationem, quia *a)* facile illusioni sunt obnoxia; *b)* non discernuntur certo tales motiones nisi a viris magnae et probatae discretionis spirituum; *c)* montanistae et aliae sectae appellaverunt ad hoc critérium sibi invicem contradicentes.

Neque omnes illas habent, nec permanentes sunt, ita ut *expedite* pateat recursus ad illas; *multo minus recursus pro omnibus.* Ideo nullo modo sunt critérium primarium.

Erunt autem critérium sufficiens si induant rationem facti miraculosi in subiecto revelationem recipiente, aut ipse ad cer-

4 Cf. Calvinus, *Institutiones christianae religionis* l.i c.6s (cf. Pesch, *De inspiratione S.Scripturae* n.215); Wilhelmus Witaker (i595). *Disputatio de S.Scriptura contra huius temporis papistas* (Cantabrigiae 1588) q.3; *Pro auctoritate atque* αὐτοπιστία *S.Scripturae...* (Cantabrigiac 1594) l.i c.i (cf. Pesch, *De inspiratione* n.265 p.258); Iohannes Gerhardus, *De locis theologicis* loc.i c.3 (cf. Pesch, *De inspiratione* n.226). Pro interpretatione Scripturae J.Slavicek, *EI «testimonium Spiritus Sancti» como criteria de interpretacion:* XIII Semana BibJica Espanola, p.49-70.

5 Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.iôçs.

titudinem divinae motionis perveniret: ipse quidem teneretur huic non resistere.

137. Obicies aliqua verba ex Sacra Scriptura (quam adhibent Protestantes):

1. i Io 2,20: *Vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia.* Ergo critérium revelationis est testimonium Spiritus Sancti.

Resp. Haec verba apud Io supponunt *fidem iam acceptatam;* ideo hoc critérium nequit esse primarium.

2. Etiam ante fidem acceptatam datur testimonium internum revelationis: Io 7,17: Si quis *voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.*

Resp. Sermo est de dispositione *morali* ad fidem.

3. i Thess 2,13: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis* (graece in praesenti πιστεύουσιν). Ergo critérium verbi Dei et revelationis est operatio Spiritus, pro actuali susceptione fidei.

Resp. Spiritus Sanctus operatur quidem in credentibus, sed *id non dicitur causaliter exclusive,* quasi inde unicum critérium sumere liceat ad dignoscendum verbum Dei.

4. i Cor 12,6: Et *divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.*

Resp. Sermo est de divisionibus gratiarum, sed *supponit fidem iam habitam.*

138. B) Criteria immanentistica non sunt sufficientia; (seu aequivalenter:) Apologetica immanentiae exclusive sumpta nequit admitti.

Blondel, *L'Action*2 *2* (1937); Tayxîans d'Eypernon, Le *Blondelisme* (Louvain 1933); Tonquédec, *Immanence*3 (Paris 1933); A.Valensin, *Immanence:* DAFC 2,579-612; Roig Gironella, *La Filosijïa de la acciôn* (Madrid 1943) c.16; B.Romeyer, *La philosophie religieuse de Maurice Blondel. Origine, évolution, maturité et achèvement* (Paris 1943).

Status quaestionis. Haec criteria inquirunt non ex gustibus spiritualibus et inspirationibus concomitantibus doctrinam quae dicitur revelata, nec ex indole interna illius nec ex effectibus quos producit in subiectis illam acceptantibus, nec ex aliquo criterio extrinseco, sed ex ipsis facultatibus hominum, ex eius tendentiis et indigentiis, ita ut haec methodus vocari possit *psychologica. Apologetica immanentiae,* quae dicitur, fundatur in hac methodo. Est autem inter eius asseclas quaedam diversitas suntque varii gradus (cf. tractatum I, *Schema historicum Apologeticae* n.86).

1) Nonnulli ita procedunt ut sese adaptent conditionibus et praeiudiciis temporis *(methodus adaptationis),* postea vero traditional! via demonstrant ex miraculis factum revelationis. Ut patet, haec methodus merae adaptationis non venit refu-

tanda, nec de ea agendum in Apologetica theorica, sed potius in Apologetica practica.

2) Alii fautores huius Apologeticae immanentiae *solum criteriis subiectivis* volebant factum revelationis divinae demonstrare, *reiciendo scilicet methodum traditionalem ex miraculis ut ineptam,* quippe quae extrinsecismum, historismum, intellectualismum redoleret. Pro apologetica actuali sumendum esse fundamentum—aiebant—ex principio actuali immanentismi, siquidem moderni homines kantismo et subiectivismo sunt affecti. Excolendam igitur methodum immanentiae vitalis, inquirendo in experientiam internam subiectivam et in dynamismum moralem sive in tendentiam internam dynamicam ad vitam moralem. Ab immanentismo tamen philosophico eo recedunt quod admittant exsistentiam rerum extra subiectum; unice volebant vincere immanentismum propriis eius armis. Haec est Apologetica immanentiae exclusive sumpta. Ad hanc classem pertinebant M.Blondel, L.Laberthonniere. '

3) Alii fautores methodi immanentiae sunt *modernistae,* qui defendunt immanentismum strictum, adeo ut religio sensu religioso vel sentimento incipiat et absolvatur in sphaera conscientiae (cf. *Encyclicam «Pascendi»,* D 2103). Sed hi loquuntur de religione ac revelatione alio sensu ac nos loquimur, ac proinde non hic refutandi veniunt.

Adversarii. Mauritius Blondel (1861-1949) scrutabatur experientiam internam *(l'action).* Haec «actio» est vita et realitas nostra immanens, semper in motu, in conatu ad ulteriorem progressum et essentialiter incompleta; est experientia interna et optio simul sive tendentia. Examen huius «actionis» ostendit impotentiam nostram ad vitam moralem digne agendam, qualem optamus. Datur enim ex recessibus nostri animi aspiratio fortis ad aliquod supremum et divinum, cui non satisfit in ordine naturali et in conatu voluntatis ut in effectum ducat suas aspirationes. Invenimus proinde magnam deficientiam, lacunam, vacuum, quod postulat complementum et donum divinum. Etenim non datur proportio inter aspirationem et finem *idealem* hominis et actionem eius externam; datur autem tendentia ad possessionem entis supremi. Ergo debet dari cooperatio huius entis supremi et eius auxilium iuvans, quia indigemus essentialiter magistro et salvatore.

Sic apparet necessitas auxilii *(surcroît)* divini supernaturalis, illuminantis intellectum et roborantis voluntatem (revelatio et gratia). Religio Christiana, quae respondet huic tendentiae et necessitati, erit recipienda6.

Sic fit transitus, per methodum implicationis, ab immanentia ad transcendendam, a subiecto ad obiectum, et via sternitur ab autonomia ad heteronomiam; datur enim inter statum internum et externum connexio intima 7.

Ad adaequatum iudicium de blondelismo efformandum oportet opera recentiora ipsius Blondel prae oculis habere,

6 Sed error erat in eo quod hoc auxilium deberet esse *supernatural,* et quod inde Ecclesia admittenda esset.

7 Cf. Dieckmann. *De revelatione* n.103.

in quibus eius philosophia continetur 8. In secundo volumine operis recentioris *L'Action* Blondel iterum tractat 9, quod iam antea tractarat in sua thesi anni 1893, «L'Action», et in posterioribus explicationibus quas dederat (1897) 10:* luxta expositionem et explicationem sui systematis a Blondel approbatam H, post revelationem et fidem apprehendimus nos lacunas, quae sunt in natura, praecise in ordine supernatural! compleri; ante fidem vero ignoramus quid istis lacunis et indigentiis contineatur.

Recentius Maurice Blondel aggressus erat novam trilogiam circa relationes inter *Philosophiam et spiritum christianum* 12. Ibi tractat (in volumine i.°) de aenigmatibus philosophicis circa Deum et circa entia contingentia, circa destinationem et finem hominum, circa mediationem ipsis necessariam, circa peccata reparanda et expianda, et quomodo hisce rebus satisfiat in mysteriis christianis et in historica realizatione ordinis supernaturalis...; item (in volumine *2.°)* mysteria gloriosa et finalia christianismi proponit, atque ea Ecclesiae et vitae Christianae in sacramentis, et quomodo in religione Christiana satisfiat problemati unionis inter immanentiam et transcendentiam...

Sic (in 1.° volumine) dum studet relationibus inter philosophiam et christianismum, inter rationem et fidem, atque inter naturale et supernatutale, merito effert horum *incommensurabilitatem,* quin tamen eorum excludatur symbiosis... Huiusmodi elucubrationes, etsi aliquando optanda esset in eis accuratior praecisio theologica nullo pacto oppugnant transcendentiam dati revelati, habiti per ordinem supematuralem, et utiles censentur ad disponendos spiritus modernorum ad audiendam vocem Ecclesiae... et primum volumen apparet ut monumentum utilis apologeticae

L. aberthonniere theoriam blondelianam «actionis» defendebat et exponebat considerando actionem humanam in concreto, prout de facto actuatur sub influxu supernatural!

8 La pensée (1934); L'être *et les êtres (1935): L'action* I (1936): *L'action* II (1937)·

9 L'action II: *L'action humaine et les conditions de son aboutissement.*

10 Lettre sur les exigences de la pensée, contemporaine en matière d'Apologctique.

De opere rccentiore *L'action* II audiatur iudicium P.J.P.Grausem: «In opere iuventutis videbatur ipsa obiectivitas totius analysis unice duci a definitiva decisione voluntatis (optio) ad supematuralc. Haec saepe censurata nimis pragmatica positio nunc disparet propter connexionem cum operibus praecedentibus, et etiam in hac nova expositione vitatur sufficienter. Pristina «Aetion» nimis inculcabat necessitatem supernaturalis ad perfectionem ipsius humani velle, ita ut gratuitas ordinis supernaturalis et possibilitas ordinis pure naturalis non satis clare videbantur servatae. Sed in hac re novus tractatus recte respondet exigentiis dogmaticis. Perfectio supernaturalis apparet tantum ut hypothesis de cuius realizatione et concreta possibilitate Philosophia nihil dicere valet: bene cogitari potest ordo pure naturalis ut sociabilis cum natura humana et cum sapientia Creatoris... Sicut in operibus praecedentibus, sunt etiam in hoc nonnulla loca quae non omnino clare exposita videntur. Sic censores invenient res abundanter ad crisim, nisi eo ipso animum despondeant et arma relinquant...» (Schol 14 [1939] 259); versio ex germanica lingua).

F.Taymans d'Eypernon', *Le Blondclisme* (Louvain 1933) P-1X- Etiam de blondelismo agunt, illum explicando et defendendo, Blaise Romeyer, *La philosophie religieuse de Maurice Blondel. Origine, évolution, maturité et achèvement* (Paris 1943); Auguste Valensin, *Maurice Blondel et la dialectique de l'action:* Et 263 (1949) 145-163.

12 *La Philosophie et l'esprit chrétien.* Tome I: *Autonomie essentielle et connexion indéclinable* (Paris 1944): tome II: *Conditions de la symbiose seule normale et salutaire* (Paris 1946).

13 *Epistola Substituti Secret. Status I.-B.Montini* (2 decembris 1944) *ad M.Blondel* relate ad eius primum volumen: La documentation catholique 42 (1945. »uin) 498s.

Dei; hinc exigentiam supernaturalis in ea inveniri dicebat, non quod de iure id exigeret natura, sed *defacto* in quantum natura penetratur per gratiam Dei, et ideo examinando naturam invenietur—dicebat—exigentia supernaturalis...: hanc exigentiam esse necessariam et sufficientem ut «vacuum naturae» impleatur per veritatem revelatam... 14.

139. Doctrina Ecclesiae. Pius X in *Encyclica «Pascendi»* non modo reiciebat apologeticam modernisticam, sed etiam conquerebatur esse inter catholicos qui, quamvis immanentiae doctrinam ut doctrinam reicerent, ea tamen pro apologesi uterentur, idque adeo incaute ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam ad ordinem supematuralem viderentur admittere, sed veram exigentiam (D 2103).

Valor theologicus. *Doctrina catholica.*

140. Probatio, *a)* Licet immanentismus recte concludat dari lacunas et indigentias in natura humana, ac proinde perspiciatur *indigentia alicuius adiutorii pro* homine; et licet revelationem divinam esse convenientem recte probetur: non tamen recte concluditur hoc praecise auxilium revelationis esse absolute, sine disiunctione, *necessarium,* multoque minus revelationem *supematuralem.* Ideo haec criteria immanentistica (sub n.2 exposita) non sunt sufficientia, vel methodus immanentiae exclusive sumpta est reicienda.

b) Neque ostendit haec methodus id quod est caput in Apologetica, fundamenta fidei divinae. Fides enim divina praestatur ob auctoritatem Dei revelantis; id vero postulat ut certo demonstretur factum historicum et externum divinae revelationis et attestationis; sed hoc *nequit directe probari criteriis pure subiectivis.* Hisce enim criteriis tantum probaretur affirmanda esse dogmata propterea quod concordent cum natura hominis, non propterea quod Deus illa revelaverit.

Sed *neque indirecte ope conclusionis* posset factum revelationis divinae demonstrari: quia *ex tendentiis naturae* nihil de-

14 «... les exigences [au surnaturel] n'appartiennent pas à la nature en tant que nature, mais elles appartiennent à la nature en tant que pénétrée et envahie déjà par la grâce (p.171. 172) ... Par conséquent, en faisant la science de l'action humaine, puisque cette action est en même temps notre action et l'action de Dieu, on devra trouver en elle l'élément surnaturel qui entre dans sa constitution. En fait l'action humaine postule le surnaturel. Assurément cela ne veut pas dire qu'on trouve dans l'action la vérité surnaturelle sous sa forme précise et dogmatique. Mais cela veut dire que dans l'action qui, informée par la grâce, postule le surnaturel, on trouve ce qui nous permet de recevoir cette vérité et de lui donner un sens quand elle est révélée... Quoique venue du dehors, [la révélation] elle n'est plus étrangère, parce que du dedans on va vers elle, et parce qu'en la recevant on a en soi un principe organisateur qui y correspond et par lequel on peut s'en emparer, se l'assimiler et la faire sienne...» *(Essais de philosophie religieuse* [1903I p.171-174).

ducere possemus pro revelatione *supernaturali,* multoque minus pro revelatione *mysteriorum,* stabilienda.

c) Evertitur conceptus ordinis supernaturalis, si defenditur 15*vera necessitas et exigentia ordinis supernaturalis pro homine. Eo ipso iam non esset supernaturalis (cf. D 2103).

d) Neque ex solis indigentiis subiectivis resolvi posset quaenam religio vera esset inter illas quae habent elementa ex revelatione (v.gr. religio christiana, mahumetana...).

e) Insuper huiusmodi tendentiae subiectivae maiore gradu quam alia criteria subiectiva essent critérium indeterminatum et variabile; quisque enim illam revelationem seligeret, quae sibi suisque tendentiis magis arrideret; ac proinde nullo modo pôtest hoc esse critérium primarium revelationis, *certo, expedite et modo omnibus accommodato* rem demonstrans.

141. Obiectiones. i. *(Laberthonnière)* Motiones quas homines, etiam infideles, ad ens supremum habent, de facto fiunt cum influxu gratiae et ordinatur ad eam; i.e. sunt de facto supematurales. Ergo ex iis, sc. ex natura sic elevata et supematuralizata, propter id quod in eis implicatur, possumus concludere ad exsistentiam entis supernaturalis.

Resp. Huiusmodi motiones supematurales, ut tales, ordinarie non cognoscuntur psychologice in conscientia quasi induant peculiarem structuram supematuralem, etsi ontologice ita sint, cum fiunt cum gratia elevante; unde in ordine cognitionis ex iis arguere non possumus. Neque in ordine apologetico valet rem demonstrare innitendo principiis dogmaticis in ipsa demonstratione.

2. Anima humana est naturaliter christiana (Tertullianus).

Resp. i.e. homo natura praeeunte cognoscit facile Deum et obligationem exercendi religionem (cf. n.41,3), unde facile ducitur ad cognitionem christianismi, *cone.; ex* natura animae possumus concludere ad exsistentiam christianismi, *nego.*

142. C) Criteria interna doctrinae non sunt primaria.

1. Examen doctrinae in se.

Dieckmann, *De revelatione* n.405-408.

Adversarii. Praesertim est adversarius H.Schell 17, qui exaggerat valorem criterii interni prae externis. Eius argumenta vide in obiectionibus.

15 Hoc argumentum procedit conditionate *fsi defenderetur)* in sensu pristinae suppositionis. quae impetebatur; et vim habet pro catholico.

Essais de Philosophie religieuse (Paris 1903) p.171-174; supra n.138. Hoc opus prohibetur in *Indice.*

17 H.Schell (1850-1906) natus Friburgi in B., sacerdos, professor Apologeticae et Historiae comparatae religionum, fuit theologus magni influxus, etsi *obiective* non semper orthodoxus; libros habet in *Indice,* sed voluit vivere intra Ecclesiam (cf. LTK ad vocem *Schell).*

Doctrina Ecclesiae. Vide quae dicimus in n.150.

143. Probatio, *a)* Examinando notas internas et indolem alicuius doctrinae non apparebit illa nota *esse revelatum,* quia hoc est factum historicum *extrinsece denominans* veritatem revelatam. Ergo critérium internum per se solum nequit sufficere in qualibet revelatione, etiam privata, dignoscenda; multoque minus est critérium primarium.

b) Praeterea hoc examen internum doctrinae *saepe* tantum probaret nihil obstare quominus illa doctrina fuisset vere revelata, i.e. saepe esset *critérium negativum,* quod per se solum non sufficit ad *certo* statuendum factum revelationis. Etenim si proponantur mysteria, ratio tantum ostendere poterit non repugnantiam cum ratione; et si proponantur veritates perviae rationi, possent cogitari fructus alicuius magni ingenii, difficile enim determinatur critérium secundum quod dimetiamur quid valeant vires ingenii humani sibi relicti. Ergo saepe *certo* vel non probaretur vel vix probaretur factum revelationis divinae [18].

c) Insuper non est res *expedita* pro omnibus examinare et cognoscere characteres internos alicuius doctrinae, v.gr. conformitatem cum veritatibus rationalibus et cum aspirationibus et tendentiis nobilissimis hominum, item sublimitatem et transcendentiam illius revelationis prae aliis, praesertim si longae comparationes instituendae sint. Immo nec a viris sapientibus *expedite* haec fiunt, cum exigantur multa et accurata studia. Sic multo minus patebit recursus publicus ad hoc critérium nec est *omnibus accommodatum* [19].

d) Adde esse critérium *indeterminatum* (quis gradus sublimitatis et harmoniae requireretur in doctrina?) et *variabile* pro diversitate hominum, inducens periculum subiectivismi et rationalism! (quod enim his arridet, aliis displicet; multi id esse verum cupiunt, quod cordi est). Ergo, etiam ex hoc capite, tale critérium nec certo, nec expedite nec modo omnibus accommodato rem evinceret.

144. Obiectiones. 1. Critérium alicuius rei debet cohaerere cum re discernenda. Ergo critérium revelationis debet cohaerere cum doctrina revelata.

Dist. antec. Critérium debet cohaerere cum re discernenda interne vel externe, *conc. antec.;* praecise interne, *nego antec. Et pariter dist. cons.* Et

18 Cf. tamen 0.64853, ubi *aliquando* (non ergo *saepe)* credimus id probari cum certitudine morali. Sed certe non expedite pro omnibus.

19 Cf. thesim de impotentia *generis* humani *ad congruam cognitionem religionis naturalis n.76ss.*

noto hic non agi de discernenda immediate doctrina revelata, sed *de discernendo facto* revelationis.

2. Critérium debet esse gravitate aequivalens rei discernendae. Ergo critérium revelationis primario est quaerendum in doctrina revelata.

Dist. antec. Critérium gravitate aequivalet rei discernendae, si semper daretur nexus internus inter critérium et rem discernendam, trans, *antec.;* secus, nego *antec.*

3. Debet praevalere primatus idearum et doctrinarum supra facta quaelibet. Ergo criteria interna doctrinae sunt primaria.

Dist. *antec.* Debet praevalere idea supra facta, in ratione criterii, nego antec.; aliter, *transeat antec.*

4. Critérium externum, miraculum, approbatur post considerationem doctrinae thaumaturgi (cf. n.173). Erg° critérium externum pendet a criterio interno doctrinae, quod est primarium.

Dist. antec. Saepe ita fit, considerando ut *critérium negativum* utrum doctrina thaumaturgi sit conformis rectae rationi (vel fidei, ubi ex Apologetica de fidei credibilitate certo constat), *cone, antec.;* semper ita fit, quasi critérium internum sit positive definitivum, nego *antec.*

145. 2.° Examen doctrinae in effectibus.

Adversarii. *Pragmatistae,* pro quibus revelatio vel religio acceptanda est, quae satisfaciat exigentiis vitae vel promoveat Ethicam.

Item *modernistae:* revelatio acceptari potest quae promovet sensum religiosum.

Doctrina Ecclesiae. Vide quae dicimus in n.150.

146. Probatio, *a)* Hoc critérium per examen effectuum nequit esse primarium, quia *nequit omnibus inservire:* supponit enim fidem iam acceptatam, et est posterius fide; ideo non potest inservire iis qui illam revelationem nondum experti sunt, et potest interrogari quo criterio ducti sunt illi qui primi illam acceptaverunt. Ideo non est critérium omnibus accommodatum.

Item non omnibus accommodaretur, cum sit *indeterminatum* (quis gradus pacis, gaudii, satisfactionis... requiritur?) et *variabile* (sensus enim religiosus est inconstans et diversis diversa placent et dant satisfactionem; ludaeochristianis lex Moysis, Tertulliano montanismus).

b) Praeterea difficile tales effectus doctrinae in individuis: gaudium, pax, satietas tendentiarum... discernuntur ut *certo et expedite* concludatur ad causam eorum supematuralem; supernaturalitas pacis et gaudii saepe tantum coniecturaliter cognoscuntur. Similes quoque effectus et satietas tenden-

tiarum oriri possunt ex causis naturalibus, vel ex praxi aliquarum veritatum religionis naturalis.

Possunt esse etiam aliquae veritates revelatae, quae de se non sunt aptae ad sensum religiosum commovendum (v.gr. Spiritus Sanctus procedit ex Patre *Filioque tamquam ab uno principio).*

c) Similia dicenda sunt, si agatur de effectibus doctrinae eo quod *expleant desideria universalia* (in familia, natione, in genere humano). Nam talis expletio tendentiarum difficile probaretur *certo,* quia factum difficile constat quoad multitudinem, et insuper probandum esset illam satisfactionem non provenire unice ex religione naturali; nec esset *expedita* talis comprobatio. Et probandum quoque foret ea de causa multis acceptantibus illam revelationem non satisfieri in ea quod haberent depravatas tendentias.

Ideo examen doctrinae in effectibus per se non est crité-rium primarium revelationis illius.

d) Quod si huiusmodi criteria ex effectibus et fructibus gaudii, pacis, satietatis... *per se* non valent gignere certitudinem expedite multis demonstrandam circa factum revelationis; criteria ex fructibus sanctitatis, martyrii, virtutis extraordinariae in magna multitudine... facilius talem certitudinem gignere possunt, si ex illis concluditur ad interventum causae praeternaturalis et miraculosae externe se prodentis 20. Ideo fieri potest ut examen doctrinae in suis effectibus interdum per *accidens* gignat certitudinem expedite omnibus demonstrandam. Sed hoc critérium iam accedit ad criteria miraculosa externa.

Pars positiva

147. **Praenotandum:** Critérium ultimum revelationis DIVINAE PUBLICAE EST ALIQUOD SIGNUM DIVINUM EXTRAORDINARIUM SIVE INTERNUM SIVE EXTERNUM.

Iuvat animadvertere certitudinem de facto revelationis divinae inniti *ultimatim alicui signo extraordinario.* Ultimatim, inquam, nam multi sunt certi testimonio mediato hominum. Sed tale testimonium debet inniti alicui *signo praeter ordinem naturalem creatum,* sive externo (v.gr. miraculum sensibile), sive *interno* (i.e. non sensibili, v.gr. lumen extraordinarium).

148. *Ratio est* quia factum revelationis vel ipsam locutionem divinam non possumus cognoscere intuendo Deum; —neque deducendo ex creatione naturali, quia illa revelatio est quid praetematurale; —neque per conclusionem ex principiis metaphysicis, quia est quid contingens et non necessarium; —neque auctoritate humana, quae de se sola non dabit certitudinem

20 Sic v.gr. in sanctitate Iesu Christi, in sanctitate multorum in Ecclesia, in martyrio multorum, in propagatione christianismi.

de hoc facto divino;—neque auctoritate divina, quia de hac praecise quaeritur. Ergo ultimatim requiritur aliquod signum divinum extraordinarium 2*.

Thesis U. Critérium primarium ad factum revelationis probandum in miraculis et vaticiniis reponendum est.

149. Adversarii. Illi, iam citati, qui criteriis subiectivis et internis eamdem vel maiorem vim tribuunt, quam criteriis obiectivis et externis; nominatim defensores apologeticae immanendae exclusive sumptae.

150. Doctrina Ecclesiae. Secundum doctrinam *Concilii Vaticani* tenendus est valor primarius et sufficientissimus, qui est proprius miraculorum et prophetiarum; D 1790: «... voluit Deus... *externa* iungi revelationis suae argumenta... *imprimis* miracula et prophetias, quae... divinae revelationis signa sunt *certissima et omnium intelligentiae accommodata».* Demonstrant ergo certo, expedite et modo omnibus accommodato, et praevalent ceteris; ergo ex doctrina Ecclesiae sunt criteria primaria (cf. D 1812s).

Eadem doctrina in *duramento contra modernistas* (D 2145).

Insuper haec doctrina informat vitam et praedicationem Ecclesiae estque in eius magisterio.

Quoad reiectionem apologeticae immanendae exclusive sumptae, D 2103.

Valor theologicus. Est *saltem doctrina catholica* hic valor primarius et sufficientissimus miraculorum et prophetiarum. *Saltem,* inquam, quia potest videri implicite contentus in Traditione et in Sacra Scriptura, cum Ecclesia, Christus Dominus et Apostoli ad critérium miraculorum tam abunde appellent.

151. Probatio. Talia criteria, miracula scilicet sensibilia et prophetiae impletae, quae adducantur in testimonium et confirmationem revelationis, *per se* non requirunt intellectum valde excultum, sicut criteria interna doctrinae, sed tantum mentem sanam et sensus sanos ut certo *de iis constet.* Saepe enim constare potest naturam superari et rem a Deo ordinari ad aliquid demonstrandum.

Praeterea sunt res palpabiles et manifestae nec subiectivae illusioni obnoxiae, sicut criteria subiectiva. Sic *expedite recur-**

îi Lercher-Schlagenhaufen, *Theolog. fundament,* n.98.

sus *patet* ad haec criteria; et, quoniam possunt per testimonium certo transmitti, *omnibus etiam accommodantur.*

Ergo miracula et vaticinia, criteria externa et obiectiva, per se sola sufficiunt et praevalent prae aliis criteriis internis et subiectivis.

Confirmatur thesis ex universali appellatione ad miracula et prophetias.

152. Obiectiones. 1. Multi non admittunt miraculum. Ergo non est critérium primarium, quia non omnibus accommodatur.

Dist. antec. Multi irrationabiliter nunquam admittunt miraculum, *conc. antec.;* rationabiliter illud non admittunt, *subdist. :* si non certo de eo constat, *conc.;* secus, *nego.*

2. Atqui miracula non certo probantur, quia omnes religiones, etiam falsae, appellant ad miracula. Ergo.

Nego subsump. et dist. rationem additam. Omnes religiones provocant ad miracula sive vera sive falsa, *conc.;* ad vera miracula, *nego.* Hoc indicat debere nos cautos esse in recipiendis miraculis, sicut in monetis recipiendis; sed non ideo omnia sunt falsa aut inservire nequeunt.

3. Saltem non *expedite* probant miracula, quia postulant longam considerationem.

Nego subsump. et dist. rationem additam. Interdum postulant considerationem difficilem, *conc.;* semper, *nego.* Sed et longior consideratio requireretur pro aliis criteriis.

153. Scholion. De criterio revelationis immediatae: EST ETIAM MIRACULUM.

In Iesu Christo erat *visio beatifica,* qua immediate videbat omnes operationes Dei et locutionem ipsius: *Quae audivi a Patre meo notafeci vobis* (Io 15, 15). Ideo certus erat hac visione intuitiva quae, etsi ipsi debita erat, simplici tamen naturae creatae semper est super ordinem naturae.

In aliis, praeter illustrationem mentis et infusionem specierum vel praeter extraordinariam combinationem specierum iam habitarum, i.e. praeter materialem communicationem Dei, debet dari signum quo illis constet Deum ipsis loqui. Hoc signum potest esse ipsa *illustratio mentis* vel *infusio communicationis,* quatenus percipitur ut quid transcendens naturam vel ut actio miraculosa in intellectu; vel sunt motiones *extraordinariae mysticae,* cognitae ut provenientes a Deo; vel *actiones miraculosae intra subiectum* (in repentina conversione S.Pauli) vel *extra subiectum* (v.gr. rubus ardens) 22.

Ideo, sicut critérium universale certitudinis est evidentia, sic critérium universale revelationis, tam publicae quam privatae, est miraculum.

22 Lercher-Schlagenhaufen, *Theolog. fundament,* n.99.

Pars complementaria

154. De valore positivo criteriorum subiectivorum et internorum.

Cognoscamus iam verum valorem horum criteriorum, quae multi supra modum extulerunt, confundentes apologeticam scientificam cum arte pastorali. Sed hic quaestio agitur de *valore scientifico* huiusmodi criteriorum, non praecise de eorum opportunitate psychologica et pastorali.

Thesis 12. Criteria subiectiva et interna suum habent momentum et utilitatem.

155. Doctrina Ecclesiae. Doctrina theseos insinuatur in encyclica Pu IX Qui *pluribus* (9 Novembris 1846) (D 1638); ubi haec criteria recensentur inter valida criteria in favorem religionis catholicae.

Valor theologicus. Thesis continet *doctrinam saltem certam.*

156. Probatio: A) Utilitas criteriorum subiectivorum. a) *Motiones internae* in favorem alicuius doctrinae vel revelationis, si sint extraordinariae et induant rationem miraculi, suppositis supponendis quoad veram discretionem spirituum, erunt critérium sufficiens et primarium *pro eo homine* illas habente. Quod si huiusmodi motiones non sint extraordinariae, sed quasi consolatione quadam ordinaria afficiunt animam respectu alicuius doctrinae vel religionis, possunt esse indicium non spernendum et ex repetitione earum aliquod critérium evadere 23.

b) *Congruitas cum legitimis aspirationibus hominis* potest esse indicium verae revelationis, sed eius valor obiectivus minor est propter mutabilitatem subiectorum et tendentiarum. Si vero detur *expletio eximia omnium aspirationum hoc potest inducere hominem ad ulterius examinandam doctrinam;* quod si

23 In revelatione privata critérium ad dignoscendam revelationem potest esse ipsa cognitio revelata cum adiunctis concomitantibus et sequentibus, scilicet, i) si repente fit in intellectu, quin praecesserit actus imaginationis, modus enim normalis cognoscendi apud homines praesupponit actuationem phantasmatum; 2) si multa paucis et puncto temporis docet, hoc enim Deus optime facere valet; 3) si ita attentionem mentis et voluntatis attrahit ut homo absolute nequeat non attendere, hoc enim unus Deus ut Dominus absolutus facere potest; 4) si roborat ad magna et difficilia facienda et sufferenda, hoc enim est indicium gratiae extraordinariae. Cf. *Exercitia spiritualia Sti.Ignatii* n.175.330.330, pro actione repentina Dei in spiritu, et n.176.183, pro certitudine obtinenda cx experientia consolationum.

tendentiae hominis miro modo superentur, hoc potest esse miraculum morale vel intellectuale.

Valor autem psychologicus huius criterii potest esse maximus, si ex legitimis, intimis et fortibus aspirationibus cordis et intellectus humani mentes *disponuntur* ad perfectionem moralem et ad cognitionem rerum religiosarum.—Etiam ut bona *confirmatio* fidei susceptae et uberior explicatio illius inservire potest.

157. B) Utilitas criteriorum internorum, a) *Examen indolis internae alicuius doctrinae* et harmonia inde resultans cum religione naturali ostendit non tantum possibilitatem negativam revelationis alicuius, propter absentiam contradictionis cum veritate et sanctitate (critérium negativum); verum etiam *ostendere potest possibilitatem positivam* revelationis illius doctrinae, demonstrando veritatem et sanctitatem illius. Sed haec possibilitas de se sola non est argumentum, ne probabile quidem, revelationis, nisi aliunde demonstretur impotentia hominis perveniendi ad talem cognitionem sine auxilio praeternaturali. Scimus autem impotentiam moralem *generis humani* perveniendi ad cognitionem congruam religionis naturalis (cf. n.~6ss); ideo quo *maior est complexus veritatum in aliqua doctrina,* quae dicitur revelata, quae *cum principiis ratione cognitis conspirare cernuntur,* maior est difficultas ut per solam rationem naturalem habeantur illae veritates, et crescit possibilitas, quin et probabilitas, eius originis praeternaturalis.

Si complexus veritatum alicuius doctrinae religiosae, collatus cum doctrinis ceterarum religionum, ita sublimis et amplus atque profundus apparet, ut demonstretur eius origo praeternaturalis, habebitur argumentum «transcendendae» intensivae et extensivae, quod esset miraculum intellectuale 24.

b) *In examine doctrinae per fructus productos,* si ostenditur disproportio inter facultates hominis et effectus productos in intellectu et voluntate, *possunt illi fructus induere rationem miraculi intellectualis vel moralis* externe se prodentis; ac proinde aliquando argumentum validum inde deduci potest. Immo ct argumentum *primarium, per accidens (cf.* n.669).

Praeterea haec criteria possunt esse utilitati ante susceptam lidem, si pax quae inveniatur in aliqua revelatione ducit ad ulteriorem investigationem. Item si fructus morales, iam obtenti, dant solatium et confirmant et trahunt ad studium verae revelationis.

24 Sed etiam pro religione Christiana argumentum inde deductum, ex sublimitate doctrinae, nonnulli putant esse tantum suasivum. Cf. n.651.

158. Corollarium. Si uno verbo valorem et utilitatem criteriorum subiectivorum et internorum comprehendere volumus, ita dicere possumus:

Criteria subiectiva et interna in tantum evincent factum revelationis, in quantum ostendant factum esse miraculum; eruntque criteria primaria in quantum miraculum *externe* se prodat et certo *atque facile* constet *modo onmibus accommodato.*

Sunt utilia in quantum *dispositiva, allicitiva, confirmantia.*

Et sunt utilissima in quantum ostendant *rationem boni,* quae est in revelatione et fide, et sic moveant voluntatem ad rem considerandam et ad imperandum actum fidei; voluntas enim, ut est notum, movetur sub ratione boni.

159. Praxis igitur apologetica in eo primum erit, ut revelatio et religio proponantur nondum credenti ut *appetendae:* quomodo in eis solutio inveniatur plurimis quaestionibus, quas intellectus et cor hominis rectum sibi ponunt...: quo tendit vita, cur miseriae et mala, quando retributio iusta... Atque huiusmodi quaestiones tanto praesertim sibi quisque facit, quanto rectius educatus et quanto magis in tribulatione versatur.—Apologeta ostendet quomodo per religionem hisce quaestionibus satisfit...; item quomodo nobilioribus tendendis hominis per religionem occurritur, desiderio scilicet caritatis inter homines et unionis cum Deo, desiderio ablutionis macularum, desiderio superationis moralis... iis nimirum quae, iuxta respectivum statum hominis, magis cordi habeat.

Sic per criteria immanentistica et per criteria interna doctrinae, utpote allicitiva et dispositiva, adduci poterit homo infidelis (divina adiuvante gratia) ad gratum sibi studium religionis (Utinam vera esset! — dicet) meliusque disponetur ad argumenta pro religione Christi percipienda. Illa autem argumenta ei seligenda et proponenda erunt, quae ipsi magis accommodabuntur.

ARTICULUS VII

De criteriis primariis

A. De miraculis

S.Th., i q.105 a.6-8; 3 CG 98-105; Benedictus XIV, *De servorum Dei beatifications et beatorum canonizatione* I.4 p.i c.1-7; A.van Hove, *La doctrina du miracle chez Saint Thomas, et son accord avec les principes de la recherche scientifique* (Brouges-Paris 1927); Lépicier, *Le miracle, sa nature, ses lois* (Paris 1936); Dieckmann, *De revelatione* n.430-487; Jde Tonquédec, *Introduction a l'étude du merveilleux et du miracle* (Paris 1923).

Oratorie Pinard de la Boullaye, *Conférences de Notre Dame* 1931, 2^{a} conférence.

Thesis 13. Miracula sunt possibilia.

160. De notione miraculi. Miraculum, ex etymologia a *mirando,* indicat rem novam, praeter solitum, mysteriosam,

quae producit admirationem vel stuporem. Alia nomina quibus idem in Sacra Scriptura designatur sunt δὐναμι (virtus), σημεϊον (signum), τέρα (prodigium) L

In miraculis «unum quidem est id quod fit, quod quidem est aliquid excedens facultatem naturae, et secundum hoc miracula dicuntur *virtutes.* Aliud est id propter quod miracula fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale: et secundum hoc communiter dicuntur *signa;* propter excellentiam autem dicuntur *portenta,* vel prodigia, quasi procul aliquid ostendentia» 2.

Pro re praesenti, scilicet *pro re apologetica* et in universum pro re demonstrativa ad homines, miraculum definiri potest: a) *eventus sensibilis,* b) *praeter communem cursum naturae,* c) *divinitus factus.*

161. *a)* Eventus sensibilis vel in se vel in effectibus. Id requiritur ut possit esse discernibilis et critérium revelationis (vel manifestationis cuiuscumque rei: sanctitatis servi Dei, bonitatis divinae... quam Deus vult hominibus ostendere) 3.

162. *b)* Praeter communem cursum naturae.

Cursus naturae est id quod resultat ex legibus naturae.

Lex, in genere, est norma «secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur»4. Et *leges naturae* sunt inclinationes constantes a Creatore inditae rebus.

Talis inclinatio dicitur *lex in actu primo;* actus proveniens ex illa inclinatione vel exercitium illius, dicitur *lex in actu secundo.*

Cum per miraculum fit exceptio in cursu naturae vel in legibus naturae, exceptio attingit legem in actu secundo, non legem in actu primo; inclinatio enim ad actum et exigentia illius manet, utpote pertinens ad essentiam rei.

Factum tunc est miraculosum, si fit non tantum praeter vires rei, sed etiam contra exigentiam illius: sic creatio animae, concursus et conservatio a Deo, non sunt miracula, quia, etsi ad haec non sunt vires in natura, adest tamen exigentia eorum.

luxta S.Thomam «non sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat praeter ordinem naturae alicuius particularis... aliquid dicitur esse miraculum, quod fit praeter ordinem *totius natu-*

1 Cf. Zorell, *Lcxikon Graecum* ad has voces.

2 S.Th., 2.2 q.178 a.i ad 3.

3 Ideo transubstantiatio panis in Corpus Domini in Eucharistia, *pro re apologetica* non est miraculum, quia non est sensibilis. Similiter visiones charismaticae et similia quae externe non se produnt. Sanctus Thomas distinguit: sunt miracula »de quibus est fides» et »Dominus voluit ista occultiora esse, ut fides eorum magis meritoria esset; quaedam vero miracula sunt *ad fidei comprobationem, et* ista debent esse manifesta» (3 q.29 a.i ad 2).

4 1.2 q.90 a.t.

rae creatae. Hoc autem non potest facere nisi Deus; quia quidquid facit angelus vel quaecumque alia creatura propria virtute, hoc fit secundum ordinem naturae creatae; et sic non est miraculum» 5.

Sed iuxta eundem Sanctum Doctorem, «quia non omnis virtus naturae creatae est nota nobis, ideo cum aliquid fit praeter ordinem naturae creatae nobis notae per virtutem creatam nobis ignotam, *est miraculum quoad nos»6.*

Benedictus XIV una cum aliis censuit «effecta insolita et admiranda quae excedunt vires et facultates *naturae creatae visibilis et corporeae nobis notae,* miracula esse; etsi non excedant vires et facultatem naturae creatae invisibilis et incorporeae»7. Ideo distinguens dicebat: *«miracula maiora excedere* vires totius naturae creatae, et *miracula minora excedere* vires naturae tantum corporeae et visibilis»8.

Cum autem *a)* in praxi difficile sit interdum distinguere utrum a solo Deo an etiam a creatura res mira patrari potuerit; et *b)* pro re apologetica, quae considerat miraculum ut signum revelationis, itemque *c)* pro effectibus canonizationis sanctorum et pro ostensione bonitatis et mirabilium divinorum; i.e. cum in omni fere consideratione miraculorum admittantur miracula ut omnino vera et apta, etsi tantum naturam sensibilem superent 9: ideo distingui posse videtur cum Benedicto XIV inter *miracula maiora* quae superent vires totius naturae creatae (v.gr. resurrectio mortuorum...) et *miracula minora* quae superent naturam sensibilem tantum10.

163. *c)* Divinitus factus, i) Deus enim debet esse *causa efficiens* eventus miraculosi, *vel physica vel saltem moralis.*

Si Deus est causa efficiens physica miraculi, potest esse vel *unica* causa efficiens, si unice ab eo patratur physice opus mirum (etsi creaturae sint causae impetratoriae); vel Deus potest esse *causa efficiens principalis,* si admittit cooperationem creaturarum tamquam instrumentorum, sive personam (angelum, hominem) sive rem (v.gr. lutum) 11.

Si creatura propria vi, sive naturali (v.gr. spiritus influentes in motum localem, etc.) sive habitualiter praestita a Deo, patrat opus mirum, tunc requiritur ad verum miraculum ut Deus

5 i q.i 10 a.4 c; cf. q.i 14 a.4; *De potent.* 6 a.2.
6 i q.i 10 a.4 ad 2; cf. 3 CG 103 in fine.
7 *De servorum Dei beatificationel.4* p.i c.i n.14; cf. c.6 n.$ss.
8 *De servorum Dei beatificatione* I.4 p.i c.i n.17.
9 *Ibid.,* c.6 n.sss.
10 Recensio auctorum pro utroque modo concipiendi fit a Dieckmann, *De revelatione* 11.442.443·
11 Creaturae possunt esse instrumenta ut *dispositiva,* si Deus iis utitur ad *deferendum divinum imperium* ut fiat res mira; tunc ponunt veluti exigentiam ut Deus patret miraculum*

sit *causa moralis* illius eventus miri, scilicet vel iubendo, vel exhortando vel approbando, etc.

2) Deus debet esse etiam in omni vero miraculo *causa finalis.* Eventus enim mirus, ut sit verum miraculum, debet cedere in gloriam Dei *('finis ultimus)* et etiam ostendere aliquam ordinationem Dei, sive revelationem, sive sanctitatem alicuius servi Dei, sive divitias bonitatis illius... *(finis proximus).*

Unde si aliqua causa supramundana patraret rem miram in mundo ad finem malum, non esset verum miraculum: non esset divinitus facta nec finaliter nec efficienter moraliter: Deus enim id non approbaret 12.

164. Divisiones miraculorum, i) *Ratione perceptibilitatis eventus,* miraculum dividitur in *physicum,* si eventus est perceptibilis in se, et in *spirituale vel psychicum,* si mediate tantum in effectibus est perceptibilis. Tale miraculum potest esse *intellectuale,* si spectat ad ordinem intellectualem (sapientia mirabilis, donum linguarum, cognitio prophetica...) vel *morale,* si spectat ad ordinem morum (conversio repentina vel mutatio mirabilis cordis...).

2) *Ratione ordinis naturae qui praetermittur et superatur* possunt esse miracula physica: *ratione substantiae facti seu ratione sui,* si id quod fit superat vires naturae (v.gr. dotes corporis gloriosi); vel *ratione subiecti,* si id quod fit potest fieri viribus naturae, sed non in tali subiecto (v.gr. infusio vitae in cadaver); vel denique possunt esse *ratione modi,* si id quod fit potest fieri viribus naturae, et quidem in tali subiecto, sed non tali modo (v.gr. restitutio subitanea sanitatis in morbo organico) 13.14

3) *Ratione oppositionis ad exigentiam naturalem,* miracula possunt esse supra naturam, contra naturam vel praeter naturam. In miraculis *supra naturam* forma inducitur a Deo quam natura inducere non posset, val saltem in eo statu non posset. In miraculis *contra naturam* remanet in subiecto contraria dispositio effectibus quos Deus producit per miraculum, v.gr., si ignis refrigerat; miracula *praeter naturam* sunt illi effectus quos natura producere posset, sed non illo modo ›4.

12 Generalis ratio concursus divini physici non sufficit ut Deus dicatur causa principalis effectuum. De historia conceptus miraculi agit T.A.Hardon, S.I., *The concept of miracle from St.Aueustinus to modern crolovetics:* Theological Studies, 15 (1954) 229-257 De notione et tinalitate miraculi tractat F. Taysmns, S.I., *Le miracle, signe du surnaturel:* Nou Rev Th 77 (iQSS) 225-245·

13 S.TH., r q.105 a.8.

14 S.Th., *De potentia* q.6 a.2 ad 3. Disputatur utrum haec divisio coïncidât cum praecedenti; certe videtur quasi coincidere. Cf. Garrigou-Lagrange, *De revelatione 2 c.19 a.*l §5 p.43.

4) *Ratione superationis totius vel sensibilis tantum naturae* creatae, miraculum potest esse *maius* vel *minus,* prout supra explicatum est (n.162), vel *absolutum* et *relativum.*

5) Miracula possunt esse *suspensiva* legis, et *intensiva* legis.

165. Adversarii. 1) *Indirecti* sunt omnes, velut materialistae, pantheistae, deistae, rationalistae, qui negant possibilitatem rei supernaturalis.

2) *Directi* sunt illi qui *a)* vel negant mutabilitatem legum physicarum iis tribuendo fixitatem absolutam, ut *deterministae;* vel

b) illi qui negant exsistentiam talium legum, ut *contingenstistae:* Hume, Stuart Mill et aliqui recentiores ex moderna Physica, pro quibus miraculum est exceptio putativa in lege pariter putativa, vel in lege quae non habet alium valorem quam statisticum.

Spiritistae et *theosophi* miracula tribuunt spiritibus vel naturali commercio cum Deo, quasi non essent praeter ordinem naturae.

Pro *modernises* miraculum est eventus nondum explicabilis, a sensu religioso Deo attributus (cf. D 2017 2096 2145).

166. Doctrina Ecclesiae. Notio ecclesiastica de miraculo cohaeret cum definitione supra proposita, siquidem miracula iuxta Concilium Vaticanum sunt *facta divina* quae *Dei omnipotentiam luculenter commostrant* (quandoquidem fiunt a Deo omnipotente mutando cursum riaturae), et sunt *signa externa revelationis* (ergo sensibilia) (D 1790).

In eodem Concilio damnatur qui dixerit *miracula nulla fieri posse* (D 1813).

Cf. etiam D 1812 2145.

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica solemniter definita* (D 1813).

167. Probatio. 1) *a posteriori ex* factis miraculis.

2) *a priori* attendendo ad conceptum miraculi *physici* pendentis ex legibus physicis: Miraculum esset impossibile (impossibilitate interna seu metaphysica), si repugnaret *a) ex* parte exceptionis quae fit in lege physica; aut *b) ex* parte Dei patrantis hanc exceptionem. Haec enim duo continentur in definitione miraculi consideranda. Sed

a) *non repugnat propter exceptionem quae fiat* in *lege physica.*

Nam ordo naturae, praeter quem fieret, non est absolute necessarius, siquidem pendet a legibus physicis 15, quibus Deus potest contraire vel denegando suum *liberum* concursum, vel propter suam omnipotentiam producendo effectum mirum qui superet effectum ordinarium vel ei contradicat.

b) *Neque repugnat ex parte Dei patrantis exceptionem.* Nam res potest, ex modo dictis, physice fieri, siquidem pendet *ex omnipotentia libera Dei;* Deus enim neque necessitate antecedenti tenetur ad aliquem ordinem naturae vel ad aliquas leges, neque necessitate consequenti; *nec ideo mutatur* quod patret exceptionem statutam ab aeterno.

Iam *possibilitas moralis,* seu ratio sufficiens aut finis rationabilis in Deo ad exceptionem patrandam, bene concipitur adesse posse *ad ostendendam eius omnipotentiam,* ut quae non ligata sit cursui determinato naturae; ad ostendendam suam *sapientiam,* siquidem sapientis est ordinare res ad finem, Deus autem ordinaret entia inferiora et exceptiones in illis ad fines altiores consequendos (v.gr., ad sigillandam revelationem); pariter ad manifestandam suam *bonitatem et divitias Cordis sui* in effectibus suae misericordiae praeter ordinem consequendis (uti fuit in miraculis lesu Christi).

N.B. In hoc etiam argumento forma apparenter negativa, concludimus rem positivam, sc. possibilitatem miraculi, eam positive demonstrando, quandoquidem positive *excludimus* repugnantiam (cf. n.uo).

Possibilitas miraculorum moralium minore difficultate evincitur, quandoquidem constantia legum psychologicarum sive moralium, quibus regitur consueta activitas hominum, minore sane fixitate gaudet quam constantia legum physicarum. Deus autem poterit, sua voluntate liberrima atque omnipotenti et sua praescientia efficacissima, effectum quem velit obtinere, et quidem liberum atque ut exceptionem in modo consueto agendi quem habent homines.

168. Obiectiones. i. Miraculum esset exceptio in legibus naturae. Atqui leges naturae nequeunt habere exceptionem. Ergo miraculum nequit fieri.

Nego min. Ad probandam hanc minorem possent induci omnes obiectiones ex Cosmologia notae, contra mutabilitatem legum naturae.

2. *Prob. min.* Quod est immutable nequit habere exceptionem. Atqui leges naturae sunt immutabiles. Ergo.

15 In miraculis physicis agitur de legibus physicis. Si directe ageremus de miraculis moralibus, attendendum esset ad leges psychologicas vel morales,- quibus minor adhuc stabilitas nibuitur quam legibus physicis. Omnes autem effectus, tam physici quam morales, subsunt efficaci et suavi Dei dispositioni.

Cone. mai. Dist. min. Leges in *actu primo* sunt immutabiles, *conc. min.;* leges in actu secundo, *subdist. :* sunt immutabiles *passim et* sine *ratione, conc.;* nunquam et *per exceptionem* nequeunt mutari, nego.

3. Quod necessario dimanat ex essentiis determinatis rerum semper est immutabile. Atqui leges naturae (etiam in actu secundo consideratae) necessario dimanant ex essentiis determinatis rerum. Ergo leges naturae (etiam in actu secundo consideratae) semper sunt immutabiles.

Dist. mai. Quod dimanat *necessitate metaphysica vel ut accidens mere logicum* (i.e. tantum iuxta nostrum modum concipiendi) semper est immutabile, *conc. mai.* (v.gr. risibilitas dimanas ex essentia hominis ut proprietas); quod dimanat *necessitate tantum physica ex* essentia rei semper est immutabile, nego mai. *Contradist. min;*

4. Operari sequitur esse. Atqui essentiae rerum sunt absolute immutabiles. Ergo operationes rerum seu leges in actu secundo sunt absolute immutabiles.

Dist. mai. Operari sequitur esse, i.e. operatio est in *eodem ordine atque essentia, spiritualis aut materialis* prout sit essentia, et non est ultra proprietates essentiae, conc. *mai.;* operatio habet easdem omnino notas et proprietates atque essentia: est substantia, et aeterna et immutabilis, sicut essentiae dicuntur esse, *nego mai.*

5. Res naturae semper debent operari eodem modo. *Prob.* Essentia alicuius rei in eo est ut res necessario operetur tali vel tali modo. Atqui non necessario operaretur tali vel tali modo, si ei fit exceptio. Ergo.

Nego antec. Dist. mai. prob. Essentia rei in eo est ut res operetur tali vel tali modo secundum exigentiam, conc. mai.; secundum exercitium, *subdist.;* ut operetur tali modo necessitate physica, conc.; necessitate metaphysica, *nego. Contradist. min.*

6. Instantia. Atqui necessitate metaphysica sequitur ex essentia determinatus modus operandi. *Prob. :* Quod est essentiale alicui naturae est absolute et metaphysice necessarium. Atqui determinatus modus agendi est rebus essentialis. Ergo determinatus modus agendi in rebus est absolute et metaphysice necessarius.

Nego instant. Dist. mai. prob. Quod est essentiale alicui naturae *ut constitutivum* illius essentiae metaphysicae est ei absolute necessarium, conc. mai.; quod est essentiale *ut proprietas* fluens ex essentia, subdist. : si fluit necessitate metaphysica, conc.; secus, nego. Dist. min. Determinatus modus agendi in actu primo seu secundum exigentiam est essentialis, *trans, vel conc. min.;* determinatus modus agendi in actu secundo seu secundum exercitium est essentialis, *subdist. :* ut constitutivum essentiae, *nego;* ut proprietas fluens ex essentia, *iterum subdist. :* ut fluens necessitate physica, conc.; ut fluens necessitate metaphysica, *nego.*

y. Atqui nullo modo Deus potest impedire exercitium legum naturae. *Prob. :* Deus impediendo exercitium legum naturae faceret aliquid inordinatum.

Nego antec. et dist. prob. Deus faceret aliquid inordinatum relate ad ordinem universalem, *nego;* relate ad ordinem particularem, subdist. : si passim et sine ratione fit, *conc.;* secus, nego.

8. Atqui etiam relate ad naturam particularem faceret aliquid inordinatum. *Prob.* Artifex faciens contra artificiatum a se compositum, arguendus esset erroris et imperfectionis. Ergo artifex divinus faciens contra naturam a se factam arguendus esset erroris et imperfectionis.

Nego subsump. et dist. prob. Artifex faciens contra artificiatum a se factum, si ars et operatio sua evolvitur et concluditur *adaequate* in illo *artificiato,* arguendus esset erroris, conc. (profecto ita esset si tantum intendebatur facere

illud artefactum); si ars sua non concluditur adaequate in illo artificiato, sed *subordinatur* ordini superiori, nego. *Contradist. cons.*

9. Atqui etiam inadaequate se evolvente arte in aliqua natura, esset contra divinam sapientiam facere exceptionem in legibus naturae. *Prob.* Agere contra leges a se datas est comra sapientiam legislatoris. Atqui Deus faciens exceptionem in legibus naturae faceret contra leges a se datas... Ergo.

Nego subsump. Dist. mai. prob. Agere contra leges a se datas est contra sapientiam legislatoris, si possim et sine ratione fit, *conc. mai.;* si fit ad modum privilegii, nego *mai. Contradist. min.*

10. Atqui esset contra Dei sapientiam et providentiam talis exceptio. *Prob.:* quia certitudo in rebus physicis tolleretur, siquidem haec supponit constantiam legum physicarum.

Nego subsump. Dist. prob. Certitudo in rebus physicis tolleretur generatim, nego; aliquando, *subdist. :* si datur suspicio futuram esse exceptionem in lege, conc.; secus, nego. Sed haec non sunt contra Dei sapientiam et providentiam. Insuper nota constantiam legum physicarum, quae supponitur, non esse absolute, sed hypothetice et physice necessariam.

11. Leges naturae sunt decreta Dei. Atqui decreta Dei nunquam possunt pati exceptionem. Ergo leges naturae nunquam possunt pati exceptionem.

Dist. *mai.* Leges naturae sunt decreta Dei hypothetica, conc.; absoluta, nego. *Contradist. min.*

12. Atqui neque hypothetice possunt pati exceptionem. Prob. Deus necessario vult quod necessario intelligit ut reale. Atqui necessario intelligit ut realem hunc cursum naturae. Ergo necessario vult hunc cursum naturae, qui proinde est absolute immutabilis.

Nego subsump. Conc. mai. prob. Dist. min. Deus necessario intelligit ut realem hunc cursum naturae cum suis exceptionibus, conc.; sine exceptionibus a se inductis, nego. *Pariter dist. cons.*

13. Sicut ordo iustitiae necessario a Deo volitus est sine exceptionibus, ita et ordo naturae sine exceptionibus. Ergo.

Nego paritatem. Ordo iustitiae pendet *a sanctitate Dei,* ordo naturae pendet ab *omnipotentia Dei;* illi repugnat absolute exceptio a Deo volita, huic non repugnat, sed interdum maxime convenit.

14. Miraculum aut praevidebatur a Deo, aut non praevidebatur. Si non erat praevisum, non est possibile; si autem praevidebatur, iam erat in cursu naturae. Ergo non esset miraculum.

Concedo disjunct, et dist. secundum membrum. Miraculum si praevidebatur, iam erat in *cursu extraordinario* naturae, *conc.;* erat in cursu ordinario, *nego. Pariter dist. cons.*

15. *Contra exsistentiam legum necessariarum.* Miraculum supponit exsistentiam legum physicarum. Sed tales leges non dantur. *Prob. minorem :* Lex est ordinatio rationis (S.Thomas, 1.2 q.90 a.4). Atqui lex physica non est ordinatio rationis. Ergo non est vera lex.

Resp. 16 Dist. *mai.* Lex in *legislatore* (active considerata) est ordinatio rationis, *conc. mai.;* lex in *legislate* (passive considerata) est ordinatio rationis, subdist..· lex moralis, conc.; lex physica, iterum *subdist.:* quatenus dicit ordinem ad ordinationem rationis quae est in legislatore, conc.; quasi in ipso subiecto ubi est debeat dari facultas rationalis, nego.

169. 16. Ex moderna mechanica quantica *(quanta* a Planck) scimus impossibilitatem determinandi in molecularum microcosmo cursum micro-

16 Haec difficultas ideo ponitur ad enodandum conceptum legis.

mechanicum ultimorum elementorum (electrones, protones); unde tantum percipimus macromechanice resultantiam totalem in massa provenientem ex frequentia veluti statistica in cursu elementorum, determinanda calculo probabilitatum. Atqui huiusmodi frequentia statistica et probabilis admittit exceptionem secundum ordinem naturae. Ergo tales exceptiones et supposita miracula darentur secundum ordinem naturae. Ergo non essent vera miracula.

Resp. i) Resultantia totalis in massa, quae macromechanice observatur, habet fixitatem talem quae fundet constantiam physicam et certam determinationem legum physicarum in macrocosnjo, etsi concedatur non posse nos certo determinare compositionem motuum elementorum. Ideo id quod valet pro microcosmo non valet transferre ad macrocosmum; sicut nec valet dicere testimonium alicuius multitudinis efficere tantum probabilitatem eo quod singuli testes efficiant testimonium tantum probabile. Propter principium enim rationis sufficientis mutatur valor testimonii, prout agatur de uno teste aut de multis habentibus scientiam et veracitatem. Illogice igitur transfertur ad macrocosmum quod tantum valet pro microcosmo.

2) Etsi ex «relationibus incertitudinis» (a Heisenberg) recte concludatur ad distinctionem *quoad nos* inter leges certas (causales et dynamicas) et inter leges quae apparent statisticae in cursu elementorum, fundatas in probabilitate; tamen nullo modo supponi potest dari in ultimis elementis *liberam determinationem,* sed nobis esse *ignotam* rationem talis vel talis motus in microcosmo '7.

3) Notandum etiam quod, etsi ex moderna mechanica ignoremus modum determinandi *quantitatem* motuum et cursum ultimorum elementorum, non ideo id valet de reactione *qualitativa* eorum; v.gr. produci calorem per fluxum electricitatis in metallo filiformi est reactio qualitativa *certa,* etsi forte nesciatur quantitas et lex qua regitur 18.

17 In hunc sensum P.Munoz, S.I., *Causalidad filosofica* v *determinismo cientifico. Revision del contenido y de la forma del saber fisico-maternâtico de Galileo Galilei a M.Planck:* Greg 27 (1946) 384-416.

Hoc ipsum perlucide indicatur et probatur in opere a J.A.Pérez del Pulgar, S.I., et J.Orland, S.I., *Introducciôn a la filosofia de las cicncias fisico-quimicas* (Conferencias dadas en la facultad de Filosofia del Colegio Pignatelli, a.1934-1935)· Ediciones I.C.A.I. (Lieja):

Lex statistica dicitur «la ley que ha sido determinada por procedimientos estadlsticos, esto es, por una serie de puntos. Ley dinâmica l|amamos a la determinada por observaciôn directa y continua, con asignaciôn de limites» (p.17)·

«Para nosotros, cl adjetivo *estadistico no* indica un carâcter estadistico de la ley, sino que califica simplemcnte el proceso experimental mediante el cual hemos llegado a formularie».

«Para el *relativisme critico,* las leyes que ellos Hainan estadlsticas expresan que los hechos fuera de nuestro entendimiento estân indeterminados al menos hasta el momento en que ocurren, existiendo *a parte rci* sôlo una probabilidad de que se determinen de un modo o de otro. De modo que cl relativisme critico atribuye también a la palabra *probabilidad* un sentido objetivo, en tanto que nosotros sostendremos, como vamos a demostrar mâs tarde, que la palabra *probabilidad* sc refierc sôlo a nuestro *conocimienlo, o* mejor, a la *ignorancia* en que estamos de la ley efectiva que liga entre si a los hechos, y aunque nosotros no la conozcamos con exactitud, podemos llegar a adquirir certidumbre absoluta de su existencia» (ibid., p.18).

•En la ley determinada por puntos, no hay ley, sino una serie de hechos que hace pensar en la existencia de una ley y nos da una cierta probabilidad de que luego vuelva a ocurrir tai fenômeno» (ibid., p.18).

«La ley estadistica es un procedimicnto para averiguar una Icy, pero ella por si no es icy, sino un archivo de hechos...»

«La misma probabilidad de Hegar a una ley estadistica demuestra la existencia de una ley dinâmica» (ibid., p.61).—De legibus statisticis et de legibus in universo agit J.M.Riaza, S.I., *Cienda Moderna y Filosofia* (Madrid 1953) n.169-171.

Historice egit de hac re R.Puigrefagut, S.I., *Del determinismo cldsico a la indeterminaciôn cuantista:* Pens l (1945) 413-446. Ab eodem auctore, A *propôsito de las leyes estadfsticas de la Naturaleza. Su existencia. Sus caractères:* RazFe 124 (1941) 297-313· Recenter D.Stefanizzi, S.I., *Causalità e indeterminismo nella Fisica moderna:* CivCatt 104 (1953 I) 503-516.

De mente Pontificis Pπ XII in hac re vide eius *allocutionem ad Pontificiam Academiam Scientarum:* AAS 35 (1943) 69-79; versio et commentarium in Pens l (1945) 357-368.

18 Cf. A.Due, S.I., *Theses Cosmologiae* p.14·

4) Exceptiones, quae habentur in legibus statisticis sunt multo frequentiores quam exceptiones quae habentur in legibus physicis per miracula; insuper, cum fit aliqua exceptio in lege physica propter miraculum patratum, cognoscitur ut plurimum ratio finalis et teleologia cur fiat illa exceptio.

5) Etiamsi motus singulorum elementorum *cognoscatur* tantum calculo incerto et demus dari in molecula motus elementorum vere caoticos; at haec omnia nequeunt dare resultandam ordinatam, immo ordinatissimam, sine sapientissimo ordinatore qui eos regat modo consentaneo eorum naturae, scilicet per inclinationes constantes iis inditas, etsi pro calculo humano *ignoretur modus quo resultat semper eadem dispositio.* Si enim haec dispositio constans quae est in natura attendenda esset ex calculo probabilitatum in combinationibus possibilibus de motibus elementorum minimorum, probabilitas mathematica (habita ratione numeri elementorum combinandorum 19) esset prorsus nulla.

Unde ad obiectionem, conc. primum membrum: scimus impossibilitatem determinandi certo singulos motus elementorum. *Dist. secundum membrum:* tantum percipimus resultantiam totalem massae, i.e. *ignoramus* modum determinandi cursum ultimorum elementorum in microcosmo, *conc.;* ideo agunt *libere* vel nullas habent leges determinantes motum, *nego.*

17. *Inst. ad Resp.* 4) Si exceptiones in legibus statisticis (v.gr. de criminalitate) sunt tantum frequentiores quam exceptiones in legibus naturae per miracula, magis et minus non mutant speciem. Ergo leges statisticae et leges naturae specie non differunt.

Dist. *antec.* Si ratio differentiae inter utrasque leges desumeretur *tantum secundum magis et minus* quoad frequentiam exceptionis, *trans.;* si *insuper* ratio differentiae est in eo quod leges statisticae, de quibus supra, supponunt *subiectum libere agens,* et quando fit exceptio in lege naturae per miraculum cognoscitur *ratio finalis* illius, *nego* non differre specifice utrasque leges.

Thesis 14. Miracula ut critérium revelationis sunt cognoscibilia.

170. Status quaestionis. 1) In Cosmologia agitur etiam de cognoscibilitate miraculorum, sed non *ut critérium revelationis;* tantum ut superantium cursum naturae.

2) Non dicimus omnia miracula a quolibet homine esse cognoscibilia, sed *generatim posse cognosci* ab iis pro quibus fit, posita debita diligentia.

3) Ut constet de miraculo tamquam confirmante aliquam

19 «Si admitimos, en virtud de un cálculo aproximado, que Ia cantidad total de electrones es un nùmcro que habria de escribirse con *ochenta cifras,* a lo que se inclinan los astrônomos, v variamos indefinidamente su posiciôn en el espacio, distancias mutuas y actividadcs diversas que pueden ejercitar unos en otros, no solamente obtendriamos cifras aterradoras, sino nuitemâticamente infinitas por varios titulos acumulados, es decir, infinitos multiplicados '..trias veces por infinitos... Sin salimos de los principios elementales del cálculo de probabilidades, la probabilidad de que procedan [los agentes naturales] con la constancia uniforme y universal que prcsenciamos, estaria matemâticamente cxpresada por una fracciôn cuyo nuinerador fuese la unidad y el denominador cl infinito mùltiplc antes mencionado: es decir, no solamente nula, sino con nulidad mùltiplc, dei mismo grado que ese infinito» (A.Due, *La acciôn de Dios y la ciencia p.8$s).*

revelationem, debet constare de eius veritate historica, philosophica et relativa.

a) Veritas historica in eo est quod factum quod miraculosum dicitur reapse accidit, et tale quale narratur.

Haec veritas respondet notae eventus sensibilis, quae est in definitione miraculi.

b) Veritas philosophica consistit in eo quod in facto narrato adimpleatur definitio miraculi, qualem tradidimus.

Sunt in hac definitione duo elementa nunc consideranda (praeter illud, esse eventum sensibilem): primum est *agi de eventu superante cursum naturae;* alterum, divinitus *factum fuisse.* Sunt auctores qui reservant et restringunt «veritatem philosophicam miraculi» ad realem adimpletionem primi elementi, scilicet si eventus mirus re vera superat cursum naturae; et vocant veritatem theologicam *miraculi* adimpletionem secundi elementi, scilicet si illud opus excedens cursum naturae re vera fit divinitus.

c) Veritas relativa consistit in eo quod miraculum refertur realiter a Deo ad rem, pro qua adducitur, confirmandam; in praesenti ad sigillandam et confirmandam revelationem.

Ad hoc requiruntur duo: primum, ut *thaumaturgus explicite vel aequivalenter invocet illud miraculum* in testimonium suae missionis; alterum est ut *constet miraculum fieri a Deo, saltem approbante,* in illum finem. Id constabit si adiuncta in quibus fit miraculum nullam rationem praebeant suspicandi miraculum ad alios occultos fines ordinari vel permitti. Sic excluditur possibilitas abusus in hypothesi falsarii, qui abuteretur factis praeternaturalibus ad persuadendam falsam doctrinam.

171. Adversarii. 1) *Contra cognoscibilitatem veritatis historicae:* Hume, Strauss, Zeller... qui asserunt in favorem illius adesse testimonium ordinis moralis; sed contra adesse experientiam physicam, i.e. certitudinem physicam quae superet certitudinam moralem testimonii.

2) *Contra cognoscibilitatem veritatis philosophicae:* Spinoza, Voltaire, Renan... qui asserunt postulandas favorabiles quasque conditiones, ut *scientifice* miraculum examinari possit, v.gr. ut miraculum iterari possit ad libitum in circulo sapientium [1].

Pariter A.Harnack *et multi alii* qui, ob preiudicia rationalistica, tenent impossibilitatem miraculorum, atque adeo eorum

1 «Un miracle à Paris devant des savants compétents» (Renan, *Vie de Jésus,* Introduction).

incognoscibilitatem philosophicam. De sententia Harnack cf. infra n.477.

3) *Contra cognoscibilitatem ut critérium revelationis:* omnes qui criteria externa non admittunt. P.Rousselot requirebat lumen supernaturale ut subiecto constet de obiectivo valore miraculi ad demonstrandum factum revelationis (cf. n.183).

172. Doctrina Ecclesiae. Concilium Vaticanum definivit solemniter (D 1813) *miracula certo cognosci aliquando posse et iis divinam religionis christianae originem rite probari.* Ergo ex Vaticano miracula sunt cognoscibilia ut critérium revelationis.

Aperte quoque et implicite doctrina theseos continetur in propositione subscribenda a L.E.Bautain (a.1840): «Probatio ex miraculis lesu Christi desumpta, sensibilis et percellens pro testibus ocularibus, vim suam et fulgorem nequaquam amisit quoad generationes subséquentes» (D 1624).

Eadem doctrina in iuramento contra errores modemismi: «Externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianae religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intelligentiae esse maxime accommodata» (D 2145).

Valor dogmaticus. Thesis est revelata, siquidem in Scripturis Christus Dominus, Apostoli, prophetae... appellant ad miracula ut ad signa authenticae revelationis; insuper ab Ecclesia proponitur ut relevata (D 1790...). Ergo thesis est *de fide divina et catholica* et *solemniter definita* (D 1813).

173. Probatio. Ut miracula sint cognoscibilia ut critérium revelationis requiritur et sufficit ut sint cognoscibilia quoad eorum veritatem historicam, philosophicam et relativam. Atqui ita est. Ergo miracula sunt cognoscibilia ut critérium revelationis.

Prob. minorem: 1) Cognoscibilitas quoad veritatem historicam. Miraculum specificative sumptum (id quod dicitur miraculum) est *eventus sensibilis,* ex definitione quam dedimus. Sed eventus sensibilis in debitis adiunctis certo cognosci potest a praesentibus, scilicet si sensus sunt sani et mens applicatur ad eventum cognoscendum; ii vero, qui rem praesentes perceperint, poterunt per suum testimonium eventum certo transmittere ad alios et ad posteros, scilicet (ex probatis in Logica) si constat de scientia et de veracitate testium. Ergo poterunt alii, coaetanei et posteri, in quibusdam conditionibus et adiunctis certo cognoscere eventum accidisse et modum quo acciderit;

poterunt nimirum certo cognoscere miraculum quoad veritatem historicam.

2) COGNOSCIBILITAS QUOAD VERITATEM PHILOSOPHICAM. In aliquo eventu sensibili saepe constare poterit de iis quae requiruntur ad verum miraculum in eius definitione:

a) eventum superare vires naturae sibi relictas vel ab hominibus applicatas; quia, licet nesciamus quousque se protendant vires naturae, saepe tamen cognoscere possumus certo *quousque non* se protendant in certis adiunctis; idque constare non minore inductione quam aliae leges positivae physicae: ita, v.gr., scimus certissime *verbo* non sedari repente tempestatem, nec *voce* mortuum suscitari aut infirmum morbo organico sanari. Et *imprudenter* quis, et nisi velit in plenum scepticismum cadere, cogitaret in certis adiunctis alias occultas vires naturales adhiberi. Sic poterit constare illum eventum tribuendum esse causae supermundanae.

b) Item constare poterit illum eventum *fieri divinitus,* seu ut aliqui loquuntur, *constare poterit de veritate theologica* miraculi. Sunt enim facta mira quae, vel ratione substantiae facti vel ratione subiecti vel ratione modi quo fiunt, uni *Deo tribui possunt:* v.gr., resuscitatio mortui, cum nemini sit datum eripere animas Deo remuneratori vel punienti post stadium praeparatorium ad ultimum finem obtinendum; quod quidem stadium praeparatorium (mere philosophice rem considerando) congruenter cogitatur esse in hac vita ante mortem. Item, ratione modi quo fiunt, uni Deo tribui debebunt miracula, si thaumaturgus ita patret magnum complexum mirabilium ut solo nutu voluntatis agat, quin indigeat subiecto praesupposito... Haec essent miracula *absoluta,* quae postularent Deum ut causam efficientem physicam.

Alia autem facta mira, quae concipiuntur posse physice fieri ab aliis causis praeter Deum, vel etiam facta mira quae non omnino clare appareant ut .miracula absoluta, poterunt tamen cognosci ut provenientia ex Deo *ut a causa morali,* atque ut tendentia ad illum ut *ad finem;* poterunt nimirum cognosci utrum moraliter et finaliter sint facta divinitus. Nequit enim denegari Dei sapientiae et bonitati illa cura hominum ita ut hi habeant medium clarum quo cognoscant utrum aliquis spiritus malus, sive causa non divina, factum mirum operetur; an Deo ultimatim tribuendum sit, qui iubet vel approbat ut causae supramundanae miraculose agant.

«Quemadmodum etenim ad divinam Providentiam huic mundo praesidentem pertinet, ne ille [angelus malus] sua potestate abutatur in iis, in quibus naturalis ordo universi inverteretur; vel etiam politica humani generis gubernatio plurimum turbaretur, ita ad eandem potiori iure spectat, ne permittat, ut eadem sua virtute naturali abutatur ad falsam aliquam religionem aut sanctitatem per signa et miracula confirmandam» 2.

Modus vero, quo talis interventus divinus cognosci poterit, possibilis est *ex consideratione personae thaumaturgi, —ex eius modo operandi, —ex fine quem intendit, —et ex effectibus qui sequuntur.*

Ergo poterit constare de omnibus quae requiruntur ut impleatur definitio miraculi, seu poterit constare de veritate philosophica miraculi.

3) COGNOSCIBILITAS QUOAD VERITATEM RELATIVAM.

Notandum in primis miraculum esse medium aptissimum ad reddendum testimonium pro aliqua revelatione vel doctrina seu veritate; quia mutare cursum naturae est opus maxime Dei, eius auctoris, et sic omnes impellimur ut consideremus miraculum ut sigillum divinum.

Ut constet de veritate relativa miraculi, debet constare *a)* thaumaturgum *explicite vel aequivalenter afferre miraculum* in confirmationem talis revelationis vel doctrinae; et *b) hunc nexum probari a Deo.*

Atqui de utroque constare poterit: *a)* primum, sicut de quolibet facto historico; *b)* alterum, si ex adiunctis *(personae, modi operandi, finis intenti, effectuum qui sequunti sunt)* non adest ratio solida suspicandi abusum vel miraculum ad alios occultos fines a Deo ordinari vel permitti. Si enim in his adiunctis, et postquam homo posuerit diligentiam inveniendi veritatem, Deus permitteret eius deceptionem, privaret se medio optimo confirmandi revelationem divinam et esset testis falsitatis permittendo pravum usum sui sigilli.

174. Obiectiones. Contra cognoscibilitatem historicam, 1. Miraculum factum esse est ad summum moraliter certum; miraculum non fieri est physice certum. Ergo praevalere debet miraculum non factum esse.

Dist. *secundum membrum antec.* Miraculum non fieri est physice certum, si nulla est ratio suspicandi exceptionem in lege naturae, *conc.; si* adest ratio suspicandi exceptionem in lege naturae, immo si moraliter certum est exceptionem factam fuisse, *nego.*

Ut detur certitudo physica vel moralis requiritur duplex elementum, alterum positivum, alterum negativum: *elementum positivum* consistit in fixitate legum physicarum vel moralium (ordinis psychologici de consueto modo agendi); *elementum vero negativum* consistit in carentia suspicionis de excep-

2 Benedictus XIV, *De servorum Dei beatificatione* I.4 p.i c.6 n.6.

tione facta vel futura in lege. Tunc possum et debeo assentiri sine prudenti formidine errandi, in quo quidem est certitudo; aliter vero si deest elementum negativum.

2. Ut constet de veritate historica miraculorum requiritur testimonium multorum eruditorum. Ergo saepius vix constare poterit de veritate historica miraculorum.

Dist. *antec.* Aliquando requiritur testimonium multorum eruditorum, *trans, antec.;* saepe, ad comprobationem facti sensibilis, *nego antec.*

3. Multi dant testimonium miraculum non fieri; et pauci erunt qui dent testimonium miraculum fieri. Ergo semper testimonium negantium praevalere debet.

Dist. *antec.* Multi dant testimonium miraculum *generatim* non fieri, transeat *antec.;* relate *ad factum particulare* quod asseritur, nego *antec. Nego cons, et consequentiam.*

Contra cognoscibilitatem philosophicam. 4. Ut constet de veritate philosophica miraculi, debet constare vires naturae *occultas esse exclusas.* Atqui id nunquam certo constare poterit. Ergo.

Cone. mai. *Nego min.*

Saepe ex modo operandi, voce et ad nutum voluntatis, sine manipulationibus neque instrumentis, immo mediis interdum naturaliter contrariis, *sufficienter constat vires naturae non esse applicatas;* nisi velit quis logice in scepticismum de omni alia re procumbere. Interdum etiam constat aperte non esse in natura vires ad aliquid patrandum, v.gr., ad mortuum suscitandum.

5. Etiam olim credebatur non adesse in natura vires ad aliquid (v.gr., ad televisionem, radiophoniam, etc.), quod tamen postea compertum est esse prorsus naturale. Ergo semper timere possumus ne vires naturae re vera se protendant ad id quod apparet miraculosum.

Dist. antec. Olim ita recte credebatur *pro casibus in quibus nulla adhibebantur instrumenta,* manipulationes, peculiaris attentio et studium, conc. *antec.* (et recte sane credebatur); olim ita creditum fuisset, si *vidissent hodierna instrumenta,* manipulationes et modum artificiosum agendi... *subdist. :* creditum fuisset imprudenter, *conc.;* prudenter, *nego. Pariter dist. cons.* Timere possumus ne vires naturae se protendant ad aliquid, si apparent rationes id suspicandi vel vires in casu applicari, conc. *cons.;* secus, subdist.: timere id possumus imprudenter, conc.; prudenter, *nego.*

Contra cognoscibilitatem relativam. 6. Omnis religio provocat ad miracula. Atqui si ita est, miracula nequeunt esse critérium revelationis. Ergo.

Dist. mai. Omnis religio provocat ad miracula *sive vera sive falsa aut mere existimata,* quae requirunt examen, conc. *mai.;* quasi omnia miracula sint radicitus reicienda, *nego mai. Dist. min.* Si ita est, miracula nequeunt esse critérium revelationis sine examine, conc. *min.;* nequeunt esse critérium cum examine praevio, nego min.

Hoc est quasi quis dicat: Sunt monetae falsae. Ergo monetae nequeunt inservire.—At sunt monetae verae, quae examine discernendae sunt a falsis.

7. Sicut Deus permittere potest ut quis abutatur dono gratis dato habitualiter concesso, v.gr. dono consecrandi vel absolvendi; ita et dono patrandi miracula. Ergo nunquam scire poterimus Deum approbare adductionem miraculi in favorem alicuius doctrinae vel revelationis.

Nego paritatem. Nam si quis perperam utatur iis donis sacerdotalibus, finis tamen eorum non penitus frustratur; aliter tamen si quis abutatur dono patrandi miracula et homines id noscere non possent posita diligentia et

consideratione facta ad circumstantias et adiuncta; quia hic error redundaret in Deum dantem talem facultatem et permittentem pravum usum sui sigilli divini, et miraculum ut signum rei divinae naturale penitus in suo fine naturali frustraretur.

8. Doctrina thaumaturgi seu doctrina revelata perpenditur ad probandam veritatem relativam miraculorum; et simul miraculum dicitur critérium pro doctrina revelata. Atqui in hoc est circulus vitiosus. Ergo.

Dist. *mai.* Doctrina thaumaturgi perpenditur prout conformis est cum veritatibus rationalibus et cum veritatibus revelatis aliunde notis et comprobatis ut credibilibus, *conc.;* secus, *nego. Contradist. minorem.*

Plures obiectiones dabit Van Laak, *Repetitorium Theolog. fundam,* propos. 8.9.10.

B) De prophetiis

S.Th. 2.2, q.171-174; Dorsch, *Theolog. fundament,* x p.420-457; Lercher-Schlagengaufen, *Theolog. fundament.* n.127-131; A.Michex., *Prophétie:* DTC 13,708-737.

Thesis 15. Prophetiae sunt possibiles (I), et post impletionem cognoscibiles ut critérium revelationis (II).

lam agimus de alio criterio primario, de vaticinio, quod est species in genere miraculi intellectualis.

175. Notiones. Prophet a, a ττρόφημι ·, intelligitur vel ille qui praenuntiat res fprue-dicere) vel ille *qui loquitur pro alio* (dicere *pro* alio) 2. Ih hoc ultimo sensu idem valet atque *interpres,* et potest adhiberi in sensu lato et in sensu stricto.

In sensu lato dicitur de eo qui *instinctu Dei loquitur* de rebus divinis vel ad Deum spectantibus, non praecise occultis 3; *in sensu stricto* dicitur de ministro Dei qui manifestat *rem occultam* sive quoad locum (criptognosia, telepathia), sive quoad internas cogitationes et desideria (cardiognosia), sive quoad tempus.

176. In sensu technico et apologetico, de quo est nobis agendum, prophetia est *cognitio et praedictio determinata et certa alicuius eventus futuri liberi.*

1 Alii derivant a προφαίνω, quod apparet coram (cum sit occultum).

2 Aaron dicitur *propheta* Moysis (Ex 7»i)·

3 Sic in V.T. prophetae *qui loquebantur nomine Dei* (cf. Deut 18,15-21 et passim) et apud Sanctum Paulum *charisma propheticum.* De prophetia in sacra Scriptura. J.Enciso, *El concepto de projetaen el Antiguo Testamento:* RevEspT 1 (1940) 139-210; eiusdem auctoris, *EI modo de la inspiraciôn profitica, segun el testimonio de los projetas:* EstBibl 9 (1950) 5-38; S.Munoz Iglesias, *Los projetas del Nuevo Testamento comparados con los del Antiguo:* EstBibl 6 (1947) 3Ü7-337· Item de conceptu et criteriis prophetiae H.Bacht, S.I., *Wahrcs und falsches Prophetentum:* Bibl 32 (1951) 237-262.

a) Est *cognitio:* ne delirando4, sed modo humano quis prophetet. Haec cognitio duo includit: repraesentationem rei et iudicium certum (saltem pro revelatione publica) circa significationem et originem divinam rei repraesentatae. Secus potius est *instinctus propheticus* (cf. Io 11,51 de Caipha dicente oportere ut unus moreretur pro populo, et S.Th., 2.2 q.173 a.4).

b) Est praedictio *determinata:* ne verbis flexiloquis et aequivocis fiat.

c) Est praedictio *certa:* i.e. non ex coniectura aut ex temeritate facta.

d) Agitur *de eventu futuro libero,* sive Dei sive creaturae rationalis. Proinde non agitur de eventu necessario, v.gr., de bona segete vel de fame, quae ex coniectura forte a spiritibus cognosci possit. Hoc esset pro nobis *vaticinium relativum* 5.

177. 1) Divisiones prophetiae. *Ratione facultatis* qua res *immediate* accipiuntur a propheta, prophetia potest esse: *corporalis,* si immediate sensibus externis accipiuntur; *imaginaria,* si immediate imaginatione; *intellectualis,* si immediate et unice per intellectum. Semper autem, saltem mediate, adest elementum intellectuale seu iudicium circa repraesentationem rei et originem illius divinam. Secus, qui mere perciperent sensibus aut imaginatione aliquam repraesentationem(v.gr., in convivio Balthasar) essent prophetae.

2) *Ratione modi* quo res repraesentantur, prophetica repraesentatio potest esse in vigilia, in exstasi, in raptu, in somno; prout quis *vigil, et* non in somno, rem accipiat, vel in *exstasi sive* in paulatina sensuum abstractione, vel in *raptu* sive in repentina abstractione sensuum, vel tandem *somniis.*

3) *Ratione futuri* quod praenuntiatur, prophetia potest esse *absoluta* vel *conditionalis,* prout res dicatur absolute futura, vel sub aliqua conditione implenda.

4) *Ratione exsecutionis* potest dari prophetia *comminationis, praedestinationis* et *praescientiae;* prout aliqua comminatio vel praedestinatio vel mera praedictio alicuis rei futurae in verbis prophetae significetur 6.

* Ad prophetiam non requiritur exstasis, ut volebant montanistae. Deus utitur propheta ut instrumento iuxta modum eius, sc. modo humano, ita ut res cognoscat quas dicit; etsi verum est perfectissimam scientiam non requiri (cf. S.Th., 2.2 q.173 a.3).

5 Aliqui auctores tractant etiam *de his vaticiniis relativis,* quae signa esse possunt si, pari modo ac dicebamus de miraculis relativis, constat ea fieri divinitus, eo quod Deus sit eorum causa moralis et finalis. Si Deus tantum illud permittit, tunc non dicitur verum vaticinium, sed *divinatio, de* qua Theologia moralis.

6 Cf. de his S.Th., *De verit.* q.12 a.10 ad 9.

178. Adversarii, praeter illos qui reiciunt omnes actiones miraculosas, nunc magis directi sunt:

a) Illi *qui infitiantur divinam praescientiam* actuum liberorum, ut M.Tullius Cicero, qui «dum vult facere [homines] liberos, fecit sacrilegos»7;

b) ex alia parte *fatalistae* qui dicunt omnia accidere necessario nec esse eventus liberos.

c) Alii, *ut protestantes liberales et modernistae,* facta de quibus historice constat volunt explicare ut interpolationes post eventum; vel, ut alii, per vim poeticam et nervos excitatissimos qui ducant ad quandam intuitionem; vel, sicut *theosophi,* per participationem *naturalem* scientiae entis superioris.

179. Doctrina Ecclesiae aperte est in Vaticano (D 1790): prophetiae sunt «facta divina» (ergo possibiles) et «signa certissima divinae revelationis» (ergo et cognoscibiles ut critérium revelationis).

Cf. praeterea Juramentum antimodernisticum (D 2144).

Valor dogmaticus. Thesis est *de fide divina et catholica,* quia in Scriptura continetur, et in magisterio Ecclesiae docetur ut revelata, saltem in magisterio ordinario. Cf. etiam D 1790: «Et rursum *scriptum est...*»

180. **Probatur** 1.a pars: Prophetiae sunt possibiles. Deus potest revelare homini ea quae scit. Atqui scit futura libera omnia. Ergo poterit revelare homini futura libera. Ergo homo poterit scire et praenuntiare eventus futuros liberos 8.

181. **Probatur** 2.a pars: Prophetiae sunt cognoscibiles ut critérium revelationis, saltem aliquando (ut dicebamus de miraculo). Ad hoc requiritur et sufficit ut constare possit de earum triplici veritate, historica, philosophica et relativa. Atqui de his constare poterit.

1) *Ut constet de veritate historica* requiritur et sufficit ut certo congnoscamus *a)* determinatam praedictionem factam, *bj* eventum liberum secutum, *c)* conformitatem inter utrumque. Atqui haec scire possumus, sicut quaelibet facta historica. Ergo potest constare de veritate historica prophetiae.

N.B. Non requiritur ut plene intelligatur prophetia cum fit praedictio, sed sufficit ut intelligatur eventu secuto. Licet prophetia de se sit obscura,

7 StAugustinus, *De civitate Dei* I.5 c.9: ML· 41,150; et cf. Cicero, *De divinatione* 1.2.

8 Haec probatio possibilitatis, si non restringitur ad vaticinium de obiecto supernatural!, sed extenditur tantum ad vaticinium praeternaturale, videtur positiva. Cf. n.uo.

clarescit in adimpletione. Sic in quibusdam vaticiniis V.T. et Domini nostri lesu Christi, quae postea intellecta sunt 9[10]

2) *Ut constet de veritate philosophica* requiritur et sufficit ut constet vires naturae superari in praedictione. Constare autem potest

a) si agitur de eventu futuro libero (et non antea manifestato ab eius causa, si agitur de eventu libero humano). Non enim cognoscuntur ab intellectu creato: *neque in se ipsis,* quia non exsistunt et creaturae res apprehendunt ut praesentes aliquomodo sibi et actuales; *neque in medio,* quia hoc medium esset vel voluntas humana vel divina essentia; sed voluntas humana est indifferens et non habet determinationem aut connexionem necessariam ad actum et eventum liberum, divinam autem essentiam non intuemur naturaliter.

b) Constabit etiam de supernaturalitate prophetiae, si praedictio fiat *sine temeritate aut coniectura probabili.* Id etiam constare potest, si res praedicitur multis adiunctis multisque prophetiis; vel pendens a multis circumstantiis, ita ut excludatur eandem rem casu accidere; vel sit res supernaturalis aut pendens unice ex voluntate divina... Sic enim excluditur temeritas in praedictione aut coniectura probabilis, adeo ut *certo* constare possit de contrario.

N.B. Nihil dicimus *de veritate theologica* prophetiae, vel quod debeat constare rem fieri a Deo, sicut de miraculis, n.170.173, dicebamus. Etenim si constat de veritate philosophica seu agi de vera prophetia eventus futuri liberi, semper habet veritatem theologicam seu cognoscitur tantum per Deum.

3) *Ut constet de veritate relativa* requiritur et sufficit ut innotescat

a) prophetiam connecti cum aliqua revelatione ut testimonium illius. Atqui id potest innotescere, v.gr. si legatus provocat ad adimpletionem vaticinii a se aut de se emissi; vel si legatus venturus propriis notis distinctus praenuntiatur ab aliis hominibus.

bj Debet praeterea innotescere *hunc nexum probari a Deo* 1°. Id, sicut in miraculis, constabit si nulla est ratio solida suspicandi de falsitate vaticinantis. Hoc autem apparebit ex

9 Cf. Io 2,22·, S.Ioannbm a Cruce, *Subida al monte Carmelo* 1.2 c.19.

10 U requirimus et examinamus, quia, etsi genuina et stricta prophetia fiat ex scienti] divina, non videtur tamen per se exclusum ut aliquis donatus dono prophetico, abutatur ilk sicut et dono miraculorum abuti quis posse concipitur; quamquam praesertim hoc erit exclu dendum si agitur de vaticiniis relativis.

examine circumstantiarum (persona sancta, modus honestus operandi, finis bonus, effectus salutares). In his enim circumsstantiis Deus nequit permittere abusum et honorare falsarium impletione prophetiarum I!. Privaret etiam se medio optimo et exclusivo (quoad eventus liberos futuros, de quibus agimus) sigillandi suam revelationem.

Non repugnat ut aliquando Deus utatur pseudo-propheta, ut erat Balaam (2 Petr 2,15; Apoc 2,14) ad edendas genuinas prophetias (Num 23,iss); sed ex concretis circumstantiis constabit eum in casu loqui ex instinctu divino 12 13

Ergo potest constare de veritate relativa prophetiarum.

Ergo prophetiae sunt cognoscibiles ut critérium revelationis.

182. Obiectiones. 1. Si prophetia est possibilis, eventus futuri praedicti necessario accident. Atqui sic iam non agitur de eventu libero. Ergo.

Dist. mai. Eventus necessario accident *necessitate consequente* exercitium libertatis praevisum a Deo, *conc. mai.;* necessitate antecedente exercitium libertatis, *nego mai. Contradist. min.*

2. Gentiles ediderunt etiam vaticinia. Ergo non fiunt interventu divino.

Resp. 1) Constat Ciceronem habuisse illa (Apollinis) vel falsa vel flexiloqua et ambigua, vel casu vera P.

Quantum ad vaticinia sibyllarum hodie habentur ut interpolationes post eventum ,4.

2) Non repugnat, ex dictis, quominus gentiles egerint prophetas.

3. Etiam in sessionibus spiritisticis et ab iis qui somno hypnotico laborant multa mira dicuntur et manifestantur. Ergo vaticinium est quid naturale.

Resp. In his sessionibus multa tribui debent simplici fraudi in obscuritate peractae vel praestigiae et industriae ad decipiendum ›5.—Item abnormalitati status psychici, ita ut ex cognitionibus praeteritis apte coniunctis multa proferant (sicut illa quae loquebatur hebraice ex iis quae iunior audierat apud pastorem religiosum alta voce legentem hebraica Biblia).

11 Cf. sed mere ad illustrandum, non ad argumentum, Deut 18,ars.

12 Neque repugnat ut gentilis, v.gr. Virgilius, fuerit propheta, sicut de eo existimaverunt aliqui Patres et theologi medii aevi.

Sed si attente consideramus eclogam illam quartam, sic existimatam *propheticam,* videbimus non agi de vaticinio messianico, sed de aetate felici periodice redeunte et exspectata: •l 'Itima Cumaei venit iam carminis aetas—Novus ab integro saeclorum nascitur ordo». Neque filius (Pollionis vel imperatoris) exspectatus est auctor et causa huius aetatis, sed aliquid con› imitans illam. Cf. de disputationibus circa rem K.Pr 0mm, S.I..Die *Heilserwartung der viertn Ekloge Virgils im Widcrstreit neuerer Ansichten:* Schol 6 (1931) 539-568; 7 (1932) 239-257. Brevius in libro eiusdem auctoris *Der christliche Claube und die altheidnische Well* (Leipzig (1935) 1,201-208 (Die Heilserwartung der vierten Ekloge Virgils).

13 *De divinatione* 2,56.

14 De vaticiniis gentilium agit etiam S.Augustinus, *De civitate Dei* 1.180.23. Et cf. C-λ Lapide, in C.22 Num et in c.7 Ex.

13 Cf. F.Palmés, *Metapsiquica y espiritismo2* (Barcelona 1950). Ibi tractat de fraude in •pbotographiis spiritis· (c.7s); item in «ectoplasmiis» (c.9-16); de fraude in «telequinesia» (› 17-22) et in 'criptesthesia· (c.23-27); de interventione diabolica non facile asserenda (c.46). De eadem re C.M.de Heredia, S.I., *Los fraudes espiritistas y los fenômenos metapslquicos* (Barcelona 1946).

Item discrimen cum vaticiniis christianis, etiam relativis, constat ex modo operandi in genuinis vaticiniis sancto, aperto, reverenti erga Deum, non vano, non frivolo...; contrarium omnino in sessionibus spiritisticis.

Unde, si *quod mirum dicatur, et probetur non posse tribui causis naturalibus sensibilibus* (loquimur conditionate), interdum suspicari quis poterit influxum superiorem alicuius spiritus immiscentis se, Deo permittente, in mundi cursum.

4. Interdum etiam homines dicuntur (v.gr. aliqui in Westfalia) habere vim cognoscendi id quod distans accidit *(zweites Gesicht).*

Resp. Vires naturae non sunt omnes (v.gr. quoad telepathiam) satis cognitae. Si vero id quod narratur accidit in una tantum regione, videtur insinuare id causae naturali esse tribuendum.

In multis huiusmodi mirabilibus quae feruntur, saepe difficile constat probatio historica et plana, sed *multa miscentur a vulgo et saepe falsa,* praesertim illa quae spectant ad cognitionem futurorum liberorum, quae non cognita sint ex conjectura aut casu. *Supponendo* realitatem factorum, dicimus non apparere repugnantiam totalem et omnimodam quominus homines (non tantum puri spiritus) cognoscant res loco distantes et res transactas 16.

183. Scholion. Utrum per se requiratur illustratio interna supernaturalis ad factum revelationis certo cognoscendum.

5.Th., 2.2 q.5 a.z; CL 7,526-531: Tromp. *De revelatione* l.i prop.13; Lercher-Schlagenhaufen, *Thcolog. fundam.* n.132.

Ut homo possit percipere vim probativam criteriorum facti revelationis, atque adeo esse certus de veritate obiectiva revelationis, *per se,* i.e. ex ipsa natura rei et facultatum hominum, non requiritur nisi ut attendat ad haec criteria, quae sunt *lumen obiectivum.* Ideo sine illustratione interna supernaturali vel *sine lumine subiectivo,* modo habeat dispositionem subiectivam ex parte facultatum, homo habet potentiam physicam ad iudicia credibilitatis et credenditatis efformanda. Ad hoc enim *sufficit habere intellectum et attendere ad motiva* et criteria proposita quae cum certitudine probant.

De facto, ut docent theologi agentes de fide, huiusmodi iudicia credibilitatis et credenditatis ordinantur a Deo ad finem supernaturalem, quem homini constituit, et sunt proinde actus *saltem extrinsece supernaturales.*

Quaeritur etiam utrum hi actus sint etiam de facto *entitative supernaturales.*

16 Iuxta R.P.Schlagenhaufen *(Theolog. fundamentalis* n.131) «immo et futuras posse? cognoscere, si intentione et volitione iam praesentes sunt, [non videtur absolute repugnare]».—fj De multis phaenomenis, quae videntur primo aspectu mirabilia, plura dat J.Surbled. Zui *moral en sus reiaciones con la medicina y la higiene* (Barcelona 1937) (versio ex 13.· cd. gallica) 1-3 c.15 *(doble vision)* etc.

Ad hoc sciendum est fidem theologicam sive assensum intellectus in veritatem a Deo revelatam propter auctoritatem Dei revelantis (non fidem pure naturalem aut scientificam) esse entitative supernaturalem, pariterque esse entitative supernaturale imperium voluntatis directe imperans hunc assensum; siquidem non possumus nos (D 180) per naturae vigorem [ergo physice requiritur gratia elevans] aliquid *eligere* quod ad salutem pertinet vitae aeternae, nec evangelicae praedicationi *consentire* absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus *suavitatem in consentiendo* et credendo veritati. Ergo etiam hoc imperium voluntatis sive pius credulitatis affectus—ut nunc solet dici apud theologos-—debet esse actus entitative supernaturalis, sicut omnis actus salutaris, *positive* ducens ad salutem.

Hoc autem imperium voluntatis, sicut ipsa fides, *nequaquam est motus animi caecus* (D 1791), sed est *obsequium rationi consentaneum* (D 1790); quod quidem praesupponit certum *iudicium credibilitatis seu* certum iudicium de facto revelationis divinae, et certum *iudicium credenditatis* seu certum iudicium de honestate et obligatione credendi.

Sic igitur imperium voluntatis, quo determinatur fides, supponit vicissim *iudicium proxime practicum credenditatis* (nunc debeo et oportet credere), quo quidem iudicio determinatur ipsum imperium voluntatis. Quoniam autem hoc iudicio *cogitatur* aliquid quod ad salutem pertinet vitae aeternae, nequit fieri per naturae vigorem (D 180) et est iudicium *entitative supernaturale.* Et vere congruit, ex alia parte, ut principium movens (moraliter) ad pium credulitatis affectum sit in eodem ordine supernatural! ac ipse affectus credulitatis.

Similiter -ut communiter affirmatur—pro *iudicio credibilitatis ultimo* (hoc mihi nunc est credibile), quod dirigit et positive conducit ad pium credulitatis affectum. Est igitur iudicium entitative supernaturale hoc iudicium ultimum credibilitatis.

Atque etiam non repugnat (immo videtur ita esse) *iudicia credibilitatis priora et iudicia remote practica,* quoties habeantur in ordine providentiae ut germina et initia fidei, esse etiam *entitative, nedum extrinsece, supernaturalia.* Quia hisce iudiçiis *cogitatur* aliquid quod ad salutem pertinet (licet remote); et praeterea Vaticanum loquitur de *internis* Spiritus Sancti auxiliis ante fidem (D 1790).

Sed notandum hanc actionem gratiae elevantis dare quidem valorem supernaturalem actui elevato; at non esse (generatim) datum immediatum conscientiae, unde nec indoles logi.ca et psychologica normalis illius actus mutatur.

Affirmant necessitatem luminis interni protestantes conservativi, qui exigunt illustrationem illam internam ut cognos-

catur ut divina externa propositio revelationis per sacram Scripturam '.

Item similiter circa a.1700 J.B.Gormaz et J. de Ulloa.

Item P.Rousselot docens motiva credibilitatis, etsi habeant valorem obiectivum ut moveant ad assensum, non tamen ut talia percipi posse sine auxilio supernatural! gratiae 23

184. Doctrina Ecclesiae supponit omnino hanc potentiam physicam hominis ut valeat cognoscere cum certitudine factum revelationis divinae.

Sic in propositionibus subscribendis a *Bautain* (D 1623-1627). Haec ultima ita se habet: «Quamvis debilis et obscura reddita sit ratio per peccatum originale [loquitur, ut patet, de ratione naturali, non ut elevata], remansit tamen in ea sat claritatis et virtutis, ut ducat nos *cum certitudine* ad [cognoscendam] exsistentiam Dei, ad revelationem factam iudaeis per Moysen et christianis per adorabilem nostrum Hominem Deum»

In litteris quoque Pu IX «Qui *pluribus»* (9 novembris 1846) aperte docetur, agendo de relationibus inter fidem et rationem, humanae rationis esse [et sermo est de ratione, qua ratione, contradistincta ad fidem] diligenter inquirere in factum divinae revelationis ut certo sibi constet Deum esse locutum (D 1637); et propositis diversis argumentis rationalibus ad id probandum (D 1638), tandem concludit: «Humana ratio *ex splendidissimis hisce aeque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens* Deum eiusdem fidei auctorem exsistere, ulterius progredi nequit...» (D 1639).—Cf. et D 2120 (Pius X, *De philosophiae munere).*

In iuramento antimodernistico sermo est de miraculis ut de signis *certissimis* divinitus ortae christianae religionis et omnium *hominum intelligentiae accommodatis* (D 2145). Quod et in Concilio Vaticano iam ita indicabatur, appellante quoque miracula signa certissima divinae revelationis et *omnium intelligentiae accommodata* (D 1790)4.

Si ergo omnium hominum intelligentiae dicuntur haec signa accommodari, insinuatur eorum valor ad mentem hominum

1 Cf. CL 7.528; et supra n.134 in nota 4. Quoad modernum J.Gresham Machen cf. Tromp, *De revelatione6* p.171.

2 Pierre Rousselot, *Les yeux de la foi:* RechScRel 1 (1910) 241-259.444-475; cf. et 4 (1913) 1-36; 5 (1914) 57-69.—De opinionibus P.Rousselot crisim statuerunt, inter alios, A.Stolz, O.S.B., *Glaubensgnade und Glaubenslicht nach Thomas* von *Aquin:* Studia Anselmiana I (Romae 1933); José de Wolf, S.I., *La justification de la foi chez Saint Thomas d'Aquin et le Père Rousselot* (Bruxelles 1946). Cf. et R.Aubert, *Le problème de l'acte de foi*2 p.451-470.

3 Cf. CL 7.520.

4 Cf. CL 7.528.

percellendam etiam sine auxilio interno gratiae; neque enim videntur ita dici posse *omnium intelligentiae accommodata,* si ad eorufa valorem probativum dignoscendum requireretur auxilium internum.

Atque doctrina quam proponimus docetur aperte in *Litteris «Humani generis»:* «... mens humana difficultates interdum pati potest etiam in certo iudicio «credibilitatis» efformando circa catholicam fidem, quamvis tam multa ac mira signa externa divinitus disposita sint quibus *vel solo naturali rationis lumine divina christianae religionis origo certo probari possit...»* (D 2305).

Valor theologicus propositionis quam defendimus: *doctrina catholica,* siquidem ex documentis praecedentibus docetur in tota Ecclesia catholica nec tamen habet qualificationem superiorem ut de fide.

185. Ratio nostrae assertionis est in eo quod Ecclesia supponat omnino, ex praecedentibus documentis et ex tota ratione agendi, valorem scientificum et apologeticum criteriorum revelationis.

Hinc et non credentibus potest scientifice et rigorose demonstrari rationabilitas nostrae fidei et obligatio credendi. Etiam «daemones credunt et contremiscunt»5, cum aperte videant logice debere credi quod Deus signis attestatur, ac proinde habeant fidem mere scientificam, sed non supernaturalem et theologicam; aliud est enim eos *velle credere* et praestare Deo hoc obsequium, sicut oportet ad salutem: quod absolute recusant. Ad hoc autem et requiritur gratia Dei.

Adest praeterea pro nostra assertione *ratio interna* antea indicata. Etenim, ut quis sibi efformet iudicia credibilitatis et credenditatis, *per se* nihil aliud apparet requisitum nisi ut homo habeat intellectum et eum applicet ad argumenta naturalia (philosophica et historica) quae probent ciim certitudine et evincant illa iudicia.

Objectiones plures apud S.Tromp, *De revelatione6* p.179-182.

5 Iac 2,19.

LIBER II

De fontibus historicis ad probandum factum revelationis

186. Nexus tractationis. Post notiones et disceptationes libri praecedentis circa revelationem in genere eiusque criteriologiam, ipsum iam factum revelationis divinae publicae venit comprobandum.

Haec revelatio divina triplex stadium novit—*patriarchale, mosaicuni, christianum* 1—; et quamquam, chronologice procedentes, primo et directe agere possemus de comprobando facto revelationis V.Testamenti 2, malumus aliam viam ingredi, breviorem et nobis immediatiorem, per comprobationem facti revelationis christianae, illius scilicet revelationis quam attulit nobis lesus qui dicitur Christus.

Ita incumbimus et inquirimus in factum fundamentale illius religionis quae *a)* nostra est religio; et *b)* etiam cuilibet vel obiter consideranti iam primo intuitu cum ver ispecie ut a Deo revelata se offert (cf. n.35-43).

Ceteras ergo religiones praetermittimus, quae sese revelatas iactant. Id autem merito facimus, *ob criteria negativa,* cum *paganae religiones* contradicant Theodiceae; *mahumetana* pariter, defendens fatalismum, bellum sacrum aliaque mala inducens..., non concordat cum religione naturali atque Ethicae contradicit. *ludaica* tandem, unde christiana ducit originem, demonstrabitur obsoleta, si christiana probabitur exclusiva.

187. Sed in facto historico comprobando illud est *potissimum atque praevium fontes cognoscere:* eosque genuinos, non

1 Cf. S.Th., *2.2* q.174 a.6 c.

2 Iu procedit, v.gr., G.Wilmers, *De religione revelata,* tractans in *libro II* «De religionis christianae per religionem revelatam praeviam praeparatione»; in quo de veritate religionis christianam praecedentis, ubi sermo recurrit de legatione divina Moysis aliorumque prophetarum V.T. confirmanda.—Simili modo Ottiger, *Theologia fundamentalis i* s.2 *c.i* (De exsistentia revelationis primitivae), c.2 (De exsistentia revelationis mosaicae) p.339-604. Breviter Dorsch, *Theolog. fundam.* 1 p.3, de revelatione primitiva (s.i) et de revelatione mosaica (s.2). Lahousse, *De vera religione* in d.2 agit de religione mosaica, ubi dc authentia Pentateuchi (c.i) et de revelatione mosaica (c.2). Zigliara, *Propedeutica...* I.3 c.7-11 tractat de revelatione in V.T.

spurios; integros, non corruptos; fidedignos, non falsos, agnoscere. Hinc necessario, ut fert titulus huius libri, de fontibus historicis agendum erit ad factum revelationis comprobandum.

Ad rem Leo XIII: «Quoniam divinum et infallibile magisterium Ecclesiae, in auctoritate etiam Sacrae Scripturae consistit, *huius propterea fides saltem humana asserenda* in *primis vindicandaque est:* quibus *ex* libris, tamquam ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio. Ecclesiae hierarchicae institutio, primatus Petro et successoribus eius collatus, in tuto apertoque collocentur» 3.

188. Relatio libri ad Introductionem biblicam. Cum tontes historici ad probandum factum revelationis in re praesertim biblica contineantur, ac proinde tractatio eorum in disciplinis biblicis, nominatim in *Introductione generali biblica,* copiose agitari soleat: nunc sane videretur sufficiens illam tractationem praetermittere, ad disciplinas biblicas lectorem mittendo. Neque enim existimari debet necessarium suscipere nunc demonstrandum quod in aliis disciplinis scientifice concluditur; etenim rigore scientifico sufficit omnino conclusiones suscipere et admittere quae alibi, in aliis scientiis, legitimàe sunt probatae.

Nihilominus opportunum fore visum est, si capita praecipua ex Introductione biblica nunc proponeremus, ut illa tractemus *quae ad compactam connexionem et logicam demonstrationem rerum apologeticarum sint peropportuna;* non eo quidem animo ut tractationem plenam exhauriamus, sed *quantum pro scopo apologetico sit satis.*

189. Non raro equidem videmus tractationem rerum biblicarum fieri, non modo *sub* lumine dogmatis et magisterii Ecclesiae, sed etiam *ex* argumentis dogmaticis *intrinsece* constituentibus disceptationem; qui quidem procedendi modus legitimus sane, quin et debitus est pro catholico et pro theologo exegeta. At in tractatione apologetica non licet *intrinsece argumentari ex ipsis fontibus dogmaticis4.* Unde ad vitandas confusiones quae oriri possunt ex permixtione argumentorum dogmaticorum et pure historicorum, simul et ex nimia ubertate qua res particulares aliquando proponuntur, cum non videantur adeo necessariae, *pro Apologetica: nos* ita sequentia disceptabimus ut conemur, brevitati et perspicuitati quaestionum providentes, quaestiones exponere solide simul et synthetice, omissis longioribus disquisitionibus historicis et criticis quae Theologiae tironibus difficultatem facesserent et tractationem obscurarents.

» *Encyclica «Providentissimus»:* EB 116 [101].

♦ Hoc minime impedit quominus credamus opportunum pro *theologo* apologeta res disceptare apologeticas sub lumine dogmatis et magisterii Ecclesiae. (Cf. *Introductio in Theologiam* n.52-56.)

5 Aliqua ergo proponemus de N.Testamcnto, ut per se patet esse faciendum, atque etiam nonnulla de Vetere; cuius notitia atque usus, praesertim cum agitur de illo solemn! argumento apologetico de vaticiniis messianicis, nullo modo sunt praetermittenda.

190. Divisio libri. *Fons* dicitur illud ex quo aliquid (doctrina, eventus...) eruitur.

Fontes historici sunt illi qui ad historiam inserviunt et referuntur. Nunc agimus de fontibus historicis *ad probandum factum historicum revelationis divinae.*

Fontes continentes revelationem sunt illi ex quibus ipsa revelatio Christiana obiective considerata, sive doctrina revelata, eruitur. Sunt autem Traditio et Sacra Scriptura, ut suo loco erit demonstrandum atque de illis agendum.

Igitur in praesenti agimus de fontibus historicis, qua historicis, ad probandum factum revelationis divinae. Unde hic revelatio non sumitur *obiective* (doctrina seu obiectum revelatum), sed *formaliter* (quoad ipsum factum locutionis divinae).

191. Fontes historici ad probandum factum revelationis christianae possunt esse *profani* et *christiani.*

Illi profani sunt documenta *iudaica* (Flavius Iosephus, Talmud) vel *gentilia* (Plinius Minor, Tacitus, Suetonius...).

Fontes christiani sunt: a) *Agrapha,* sive verba Domini non scripta in libris sacris, transmissa vero per alios fontes sequentes.

b) *Apocrypha,* quae non publice admittebantur, ideo *secreta,* ut nomen sonat; nec ostendunt nomen auctoris.

c) *Ecclesiastica,* quae, a scriptoribus ecclesiasticis concinnata, in Patrologiis considerantur.

d) *Canonica,* quae ab Ecclesia posita sunt in canone sive regula suorum librorum sacrorum 6. Comprehendit libros Veteris et Novi Testamenti, quos legere est in aliquo catalogo librorum sacrorum (v.gr. D 784).

192. Ad fontes *profanos,* iudaicos et gentiles, brevis erit recursus in sequentibus nec necessarius ut solide tractatum stabiliamus; illos tamen adhibebimus prout ex historia et critica profana proponuntur.

Quantum ad fontes Christianos, *apocryphi* non erunt necessarii; ideo neque eos adhibebimus, sed illos praetermittemus 7.

Fontes *ecclesiasticos* non raro adibimus eosque, critice receptos atque in Patrologiis et in Historia ecclesiastica consideratos, pro opportunitate in usum deducemus.

6 De natura intima libri sacri, et quod discrimen intercedat inter librum sacrum et canonicum, vide postea in tractatu *De sacra Scriptura* n.16. De conceptu libri *canonici,* supra *librum sacrum,* est fuisse traditum custodiae Ecclesiae (cf. D 1787).

7 De libris apocryphis V. et N.T. vide, v.gr., Io.B.Frey, C.S.Sp., in Appendice I ad Historiam Canonis: *Instit. biblicae* 1.2.

Sed maxime nunc sunt necessaria documenta *canonica, libri* scilicet *Veteris Testamenti et libri Novi Testamenti.* Praesertim vero sunt consideranda et maximi sunt momenti propter usum frequentissimum, qui de eis in sequentibus fiet, *Evangelia et Actus Apostolorum.*

Unde facile constat triplex tractatio huius libri: *de textu et libris V.T.* (c.i); *de textu N.T.* (c.2); *de historicitate Euangeliorum et Actuum Apostolorum* (c.3).

193. Bibliographia generalis. Auctores qui de hisce rebus peculiari modo tractant suo loco opportune commemorabuntur. Sufficiat nunc aliquas tractationes *generales* indicasse:

A) Opera generalia

Cornely, R.—Merk, A., S.I., *Introductionis in S.Scripturae libros compendium*11 (Parisiis 1934).

G11. Ulecia, A., *Introducciôn general a la Sagrada Biblia* (Madrid 1950).

Hoepfl, H.—Gut, B., O.S.B., *Introductio generalis in Sacrani Scripturam*5 (Neapoli, Romae 1950).

Institutiones biblicae scholis accommodatae. Vol.1 *De Sacra Scriptura in universum*6 (Romae 1951). E Pontificio Instituto Biblico.

Lusseau, H.—Collomb, M., *Manuel d'études bibliques. T.i Introduction générale*2 (Paris 1936).

Perrella, G., C.M., *Introduzione generale alla Sacra Bibbia* (Marietti 1948). Versio et adaptatio in linguam hispanam a P.Io. Prado (Torino, Madrid 1954).

Robert, A.—Tricot, A., *Initiation biblique. Introduction à l'étude des Saintes Ecritures*3 (Paris 1954).

Simôn, H.'—Prado, J., C.SS.R., *Propedeutica biblica sive introductio in universam Scripturam*6 (Taurini 1950).

Steinmüller, J.E., *General Introduction to the Bible*6 (New York 1952). Versio ex anglica lingua a J.A.Jolly (Buenos Aires 1947)8.

194. B) Opera peculiaria pro Evangelus

Gaechter, P., S.I., *Summa introductionis in Novum Testamentum* (Oeniponte 1938).

Hoepfl, H.—Gut, B., O.S.B., *Introductio specialis* in *Novum Testamentum,* ed. 5, quam curavit A.Metzinger, O.S.B. (Romae 1949).

Huby, J.—X. Léon-Dufour, S.I., *L'Evangile et les Evangiles,* nouvelle édit. (Paris 1954); versio hispana2 a R.Galdos, S.I. (San Sebastian 1944).

Leal, J., S.I., *El valor histôrico de los Evangelios*2 (Granada 1942).

Michl, J., *El valor histérico de los Evangelios,* versio ex germanica lingua a J.Corts (Valencia 1944).

8 Plura de recentioribus operibus circa *Introductionem biblicam generalem* dabit Félix Puzo, S.I., *La Introducciôn general a la Sagrada Escritura en el ultimo decenio:* EstBibl 7 (1948) 229-251.

Rosadini, S., S.I., *Introductio generalis in N.T. et* in *Evangelia,* ed. recentior (Romae 1938).
Simôn. H.—Dorado, G.G., C.SS.R., *Praelectiones biblicae. Novum Testamentum, I. Introductio et commentarius in quatuor lesu Christi Evangelia7* (Taurini 1951). [Liber I, isagogicus seu *Introductio specialis in quatuor lesu Christi Evangelia].*
Steinmüller, J E., *Special Introduction to the New Testament'* (New York !95t).
WIKENHAUSER, Alfred, *Einleitung in das Neue Testament* (Freiburg 1953).

N.B. Bibliographiam in sequentibus non illam amplissimam repetemus, quae in operibus nuper laudatis commode invenire fas esto; sed illos auctores indicabimus, sane selectiores, qui non aegre poterunt adhiberi.

195. Momentum Introductionis biblicae. De tractatione biblica, quam assumimus nunc et postea suo loco, post tractatum de Ecclesia eiusque Magisterio, prosequemur, iuverit proportione verba referre quae Leo XII1 proferebat: «Ergo ingeniis tironum in ipso studii limine sic prospiciant [magistri], ut iudicium in eis, aptum pariter Libris Divinis tuendis atque arripiendae ex ipsis sententiae, conforment sedulo et excolant. Huc pertinet tractatus *de introductione,* ut loquuntur, *biblica,* ex quo alumnus commodam habet opem ad integritatem auctoritatemque Bibliorum convincendam, ad legitimum in illis sensum investigandum et assequendum, ad occupanda captiosa et radicitus evellenda. Quae quanti momenti sit disposite scienterque, comite et adiutrice theologia, esse initio disputata, vix attinet dicere, quum tota continenter tractatio Scripturae reliqua hisce vel fundamentis nitatur vel luminibus clarescar» 9.

CAPUT I

De textu Veteris Testamenti

ARTICULUS 1

De TEXTU HEBRAICO V.T.

A.Vaccari, *Instit. biblicae* I I.3 c.i; Cornely-Merk, diss.2 c.i.

,196. De lingua Veteris Testamenti. Longe maxima pars V.T. scripta est *lingua hebraica.*

Graece primitus scripti fuerunt libri *Sapientiae* et *2 Macchabeorum.* Aramaice vero *Dan* 2,4-7,28; *Esdr* 4.8-6,18; 7,12-26; *ler* 10,11. Et, deperdito textu originali, nunc servantur in antiquissima versione graeca: l *Macchabeorum, Baruch, Tudith, Tobias,* partes aliquae *Danielis* et *Esther;* item partialiter etiam *Ecclesiasticus,* de quo fragmenta hebraica recens reperta sunt.

' «Prouidentissimiis··· EB 104 [89].

Haec lingua hebraica vocatur etiam *sermo Chanaan* (cf. Is 19,18), quia Israelitae, egressi de Aegypto, illam acceperunt ex habitantibus Chanaan. *Hebraea* vero dicitur quia Abraham, transiecto Eufrate, veniens in Palestinam ita vocatus est (cf. Gen 14,13). *Iudaica* tandem appellata est, utpote sermo proprius iudaeorum.

Haec lingua pertinet ad familiam *semiticam* rami occidentalis. A tempore Moysis exculta fuit et adhibita ad libros conscribendos, usque ad exsilium babylonicum. Interim eadem perseveravit, si excipias frequentiores *aramaismos,* qui in dies introducebantur.

Ex probabili traditione, ab Esdra introductus est post exsilium modus scribendi *litteris quadratis,* sicuti nunc hebraice scribitur. Antiquitus vero characteribus qui litteris phoeniciis essent simillimi.

197. Textus manuscriptus usque ad saeculum I. Prima periodus textus hebraici manuscript! procedit ab initiis usque ad saeculum I post Christum. Eo tempore plures exstabant lectiones et etiam recensiones textus. Nec mirum, cum ipsi auctores interdum scriptis prioribus aliquid addidissent (1er 36,2-4.32); vel quia collectiones integrae nondum coaluissent (v.gr. de psalterio); vel quia, canone nondum declarato, minore cura libri exscripti fuissent.

Hic status textus constat *a)* ex diversitate quae animadvertitur ubi aliqui textus in locis parallelis repetuntur (v.gr. Ps 13 et 52; Ps 39,14-18 et 69; Is 2,2-4 et Mich 4,1-3);

b) item ex diversitate quae notatur in ordine et dispositione (aliquorum capitum et versuum) inter textum masoreticum (TM) et versionem LXX;

c) ex differentiis Pentateuchi TM cum Pentateucho Samaritanorum.

d) Ipse Flavius losephus, qui fideliter vult uti libris sacris «neque subtrahendo quicquam neque adiciendo» [1] et qui plerumque adhibet textum hebraicum prae versione graeca LXX, eo utitur interdum differenti ab hodierno.

Cum autem transcriptiones fierent maxime in *papyris,* qui facile corrumpebantur, facile quis intelliget illas transcriptiones multas frequentioresque fuisse, unde etiam et diversitas in recensionibus consequeretur.

[1] *Antiquitates iudaeorum* l.i prooenl. n.3; Flavii Iosephi *Opera* (Didot) (Parisiis 186$) t.1,3·

198. Textus manuscriptus a saeculo I ad saeculum VI post Christum. A saeculo I praevaluit *recensio quae dicitur lamniensis* (labne), ex loco palaestinensi ubi concilium celebre iudaeorum habitum fuit. Haec recensio maiorem ceteris auc-' toritatem nacta est, et ex ea provenit hodiernus textus hebraicus.

Ex tribus, ut fertur, codicibus, qui in templo asservabantur, ea lectio facta collatione praevaluit in quam duo codices convenirent.

Postea scribae seu *soferim* divisionem fecerunt in versiculos et numerationem eorum, et summam... quae in fine librorum legitur.

Ex hac etiam periodo sunt verba quae in textu sacro *leguntur, sed non scribuntur,* aut *quae scribuntur, sed non leguntur prout* scribuntur, sed alio modo *(kere ketib).* Atque etiam designata punctis extraordinariis verba dubia, et aliquae emendationes (18) factae ubi locutio videbatur peccare irreverentia contra Deum.

199. A saeculo VI post Christum. Inter saeculum V et VII post Christum, quo stabilior atque facilior redderetur lectio textus V.T. hebraici, apposita sunt *puncta vocalia* verbis hebraicis, quae antea solis consonantibus scribebantur. Ad hanc *vocalizationem* stabiliendam habita est ratio traditionis *(masora)* scriptae, quae colligebat observationes criticas circa textum, prout in scholis rabbinicis tradebatur. Inde nomen *textus masoretici* (TM).

Ad finem saeculi XV, post inventionem artis typographicae, a. 1477-1525 iam typis textus hebraicus impressus fuit.

Post has editiones principes, celebriores editiones sunt sequentes:

Anno 1525 Venetiis *(Biblia rabbinica)* a lacobo ben Chaiim ex ms. masoreticis, cuius textus evasit *textus receptus.*

Aliae editiones post hanc typicam praecipuae sunt: *a. 1705 Amstelodami* (E.van der Hooght); a. 1776 *Oxonii* (B.Kennicot) sine vocalibus et accentibus; huius complementum et correctio *a.1784-1788 Parmae* in 4 vol. *Variae lectiones V.T.* (Joh. Bern.de Rossi).

Anno 1906 Lipsiae *R.Kittel* edidit *Biblia hebraica* cum variantibus lectionibus ex praecedenti labore a De Rossi atque ex antiquis versionibus et ex coniecturis criticis; anno 1951 *septima editio,* denuo reimpressa *(nona editio)* emendata anno 1954 Stuttgartiae.

200. De valore critico TM. Textus masoreticus generating est bonus, et servat ipsa verba originalia; sed discrepat aliquando a versione LXX et ab aliis versionibus quae factae sunt sub aliis codicibus hebraicis. Hinc huiusmodi versiones, maxime illa LXX, possunt interdum inservire ad *emendationem textus masoretici:* nimirum, si lectio versionum sit certa et originem ducat ex ipso codice hebraico praesupposito, non ex arbitrio interpretis; et alia parte concordet melius contextui, etc.

Aliquando *emendatio coniecturalis* fieri poterit, i.e. ex coniectura lectionis primitivae, siquidem corruptio textus aliquando est antiquior hisce versionibus.

2ox. De Pentateucho Samaritanorum. Samaritani post captam Samariam evaserunt populus commixtus ex israelitis et gentilibus (4 Reg 17,'24-33); et, dissidentes a iudaeis (Esdr 23; Io 4,9), admiserunt tantum de libris sacris Pentateuchum Moysis. Servatur hic Pentateuchus translatus in aramaicum. Est independens a versione LXX; unde cum Pent' Samar, et versio LXX concordant, eorum lectio magnam habet auctoritatem contra TM.

AR TIC UL US II

Ver sio nes gra ecae V.T.

A.Vaccari, *Inst, biblicae* I I.3 c.3; Cornely-Merk, diss.2 c.4.

202. De versione graeca LXX Veteris Testamenti. Invenitur haec versio non raro in iisdem codicibus ac Novum Testamentum; unde et nunc huic applicari debent quae de forma librorum atque scriptura N.T. dicemus (n.22is).

Haec versio dicitur LXX, *septuagintaviralis,* ex numero interpretum qui olim supponebantur. Facta est Alexandriae, et erat versio pro iudaeis quibus lingua hebraica non erat iam usui.

Versio incepit sub Ptolomaeo Philadelpho, probabiliter circa a.250 ante Christum; et magnam partem iam facta erat ad dimidium regni Ptolomaei Evergetis II (a.171-117), siquidem auctor Prologi et interpres Ecclesiastici dicit invenisse se in octavo et trigesimo anno regni Ptolomaei Evergetis iam interpretatos libros sacros in Aegypto, quibus et voluit Ecclesiasticum addere. Ergo et finem totius interpretationis liceat, iuxta haec, collocare ad annum c.ioo ante Christum. Si vero auctor

Prologi ageret de Ptolomaeo Evergete I (a.247-222), tunc et antiquior adhuc esset versio.

203. Aliae versiones graecae. Saeculo II post Christum iudaei hellenistae, advertentes discrepantiam versionis LXX a texto hebraico tunc recepto, novas versiones curarunt.

Inter has versiones sunt tres quae habent nomina interpretum et comprehendunt totum V.T. Dicuntur versio *Aquilae* (c. annum 140), versio *Symmachi* (c. annum 200), versio *Theodotionis* (c. annum 180); «alio (Aquila) nitente verbum de verbo exprimere, alio (Symmacho) sensum potius sequi, tertio non multum a veteribus discrepare», ut illos designat S.Hieronymus 23

Aliae versiones non conservant nomen interpretum et, ut ait S.Hieronymus, *auctoritatem sine nominibus interpretum consecutae* sunt λ Dicuntur *versio quinta,'sexta, septima;* nec comprehendunt totum V.T. (tantum prophetas minores et libros poeticos).

204. Origenes (185-255) suscepit opus ingens conficiendi *Hexapla,* scilicet in sex columnas textum sacrum collocare: textum hebraicum in prima columna; in secunda textum hebraicum, sed characteribus graecis expressum; in tertia columna versionem graecam ab Aquila; in quarta versionem graecam Symmachi; in quinta versionem LXX a se recensitam; in sexta denique versionem Theodotionis. Ita possent christiani, disputantes cum iudaeis, quid esset in textu hebraico cognoscere; et textum graecum criticum et uniformem conarentur.

Illa autem quae in sua recensione versionis LXX (in 5.“ columna) supra textum hebraicum adderet, signavit *obelo* (4-, —); quae vero addita essent ex aliis versionibus, haec signavit asterisco.

2 *Praefatio in lib.H Chronie.Eusebii:* ML *27,223* n.2.
3 *Comm.* in *Til* 3,9: ML 26,630.

ARTICULUS III

F De versione Vulgata V.T.

A.Vaccari, *Instit. biblicae* I l.3 c.7; Cornely-Merk, diss.2 c.5; H.Quentin, *La Vulgate à travers les siècles et sa revision actuelle* (Roma 1926): J.M.Vosté, O.P., *De latina Bibitorum versione quae dicitur «Vulgata»* (Romae 1927); E.Mangenot, *Vulgate:* DB 5.2456-2500; A.DuranD, *Vulgate latine:* DAFC 43943-1970.

205. S.Hieronymus (c.347-420) vir est ille quem Deus Ecclesiae suae in exponendis sacris Scripturi^ *Doctorem Maximum* providere dignatus est4.

Facta Romae emendatione N.T., prout dicemus n.228, cum esset S.Hieronymus Bethlehemi emendavit iam ab anno 386 libros protocanonicos V.T., ex graeco quod erat in Hexaplis Origenis, et aliquos edidit (lob, Ps, Prov, Eccl, Cant, Par); atque in *Commentariis in Prophetas* inseruit versionem latinam ex graeco hexaplari.

Sed anno c.390 incepit versionem ex hebraico textu in latinum sermonem. Curavit sane elegantiam non negligere, sed potissimum attendebat ut *fideliter* sensum, non necessario verbum ad verbum, redderet; ita ut non litteralitati sed fidelitati consuleret.

Haec autem praestitit vel magisterio rabbinorum et utendo etiam versionibus ab Aquila et a Symmacho; vel utendo versione LXX, praesertim si festinaret.

Ad claritatem procurandam interdum nomina propria interpretatur iuxta etymologiam (v.gr. Gen 41,45; Prov 30,1) et utitur vulgaribus locutionibus vel mythologicis (v.gr. Is 34,14; 1er 50,39) 5; atque distinxit sententias per cola et commata.

206. Versio Hieronymi ex hebraico, cum multis videretur aliqua innovatio contra LXX et «reprehensio antiquorum», nacta est adversarios; sed, a doctis aestimata et adhibita, etiam commentariis illustrata fuit. Ita factum est ut, ex testimonio Isidori Hispalensis, ad omnes ecclesias latinas pervenerit medio saeculo VII 6;* et saeculo VIII re vera fuerit *vulgata.*

4 Cf. oratio liturgica Sti.Hieronymi. De Sancto Hieronymo eiusque vita et operibus, praeter volumina ML 22-30, etiam cf. F.Cavallera, *S.Jérôme, sa vie et son oeuvre* 2 t. (Louvain-Paris 1922).

5 Cf. A.CondaMin, *Les caractères de la traduction de la Bible par S.Jérôme:* RechScRel 2 (1911) 425-440; 3 6912) 105-138; *L'influence de la tradition juive:* ibid. 5 (1914) 1-20.

6 «Cuius Editione (Hieronymi, de Hebraeo in latinum) omnes Ecclesiae usquequaque utuntur, pro eo quod veracior sit in sententiis et clarior in verbis» *(De ecclesiasticis officiis* 1,12,8: ML 83.748).

Nihilominus ad finem huius saeculi adhibita est pro Psalterio, in primisque in Gallia, recensio facta a S.Hieronymo ex graeco hexaplari; unde dictum est Psalterium *gallicanum,* quod in collectione librorum sacrorum et pro recitatione Breviarii ubique fere adhibitum est.

Sed propter veteres versiones latinas, quae debebant exsulare, atque propter difficultatem inveniendi et habendi omnes codices hieronymianos, factum est ut nec omnes integram haberent versionem ex hebraeo, et item ut interpolationes ex vetere latina in versionem S.Hieronymi insererentur; vel glossae ad explicandum vel lectiones faciliores admitterentur. Unde versio hieronymiana aliquantulum obtenebrata in sua luce fuit.

207. Diversitas lectionum facit ut duae potissimum familiae vel duo typi in recensione versionis hieronymianae habeantur: alter *italiens,* cuius repraesentans est *Codex Amiatinus,* eo quod servaretur in Abbatia Montis Amiatae, olim (c.700) scriptus in Anglia (Jarrow) ex exemplari Roma allato. Alter e praecipuis typis *hispanicus,* qui sequitur ordinem canonis hebraici, et habet codices potissimos e saeculo X *Toletanum* (Madrid, Biblioteca Nacional), *Legionensem* (Leon), *Complutensem* (Madrid, Universidad) 7. Typus *hibernicus,* et *gallicus,* minoris sunt momenti.

208. Recensio Alcuini. Ad genuinum textum S.Hieronymi in diversitate et discrepantia codicum habendum, facta est iussu imperatoris Caroli Magni accuratior recensio ab *Alcuino,* eboracensi (e York in Anglia), abbate monasterii S.Martini Turonibus (a.801) et olim magistro litterarum in ipsa curia. Haec quidem recensio regia, accedens ad familiam *amiatinam,* valde divulgata est.

209. Recensio Theodulphi. Recensione alcuiniana hinc inde corrupta propter interpolationes ex vetere latina, *Theodulphus* (f 821), episcopus aurelianensis (Orleans), novam fecit eodem Carolo Magno excitante. Haec autem, non multum propagata, cessit tandem praecedenti alcuinianae.

Ex hac recensione alcuiniana originem ducit quaedam forma Vulgatae, quam *saeculo XI in Italia vulgatam* videtur fecisse

7 De typo hispanico Vulgatae, cf. J.M.Bover, S.I., *Origen del Pentateuco turonense* (G): Bibi 9 (1928) 461-463; *La Vulgata en Espana:* EstBibI i (1941-42) 11-40.167-185. De tempore codicis Toletani: *ibici.,* p.38-40. Multum adlaborat in historia Vulgatae in Hispania T.Ayuso, *La Biblia de Calahorra, EI texto de la Vulgata, Los elementos extrabiblicos de la Vulgata:* EstBibI (1942s»); *La Biblia de Calatayud, de Lerida, de Sanjuan de la Pena, ,de Huesca,* Universidad (1941SS); *Lu Biblia de Ona* (Madrid 1945). etc.; et recenter, de natura veteris latinae hispanae, La Vetus *Latina Hispana,* vol.! Prolcgômenos (Madrid 1953).

Nicolaus Maniacornia, diaconus Sti.Laurentii in Damaso (t 1145).

210. Biblia Parisiensis. Ad commoditatem studiorum in universitate Parisiensi facta est saeculo XIII *Biblia Parisiensis,* quae dicitur. In hac recensione inducta est *hodierna divisio capitum,* quae ab Stephano Langton procedit (a. 1214), et procurata est commoditas ad citandum et uniformitas pro omnibus discipulis.

Correctoria. Sed illo textu inde interpolato et corrupto, *correctoria per* doctos sunt inducta; sic vel in margine indicabantur lectiones deserendae aut corrigendae, vel separatim de diversis lectionibus disceptabatur.

Haec correctoria praesertim a Fratribus O.P. sunt inducta (ut ab Hugone a S.Caro) et a Fratribus Minoribus, promovente maxime Rogerio Bacone; sed vel ob negligentiam amanuensium, vel ob magnam molem correctionum minusque aptam dispositionem non multum conferebant ad genuinam lectionem habendam.

211. Impressiones sacri textus. Post inventionem artis typographicae Sacra Biblia saepius ac saepius impressa sunt, ita ut saeculo XV circiter 100 eorum editiones numerentur, prima anno c.1452 Moguntiae, industria ipsius Gutenberg.

Editiones usque ad annum 1510 dici possunt *non criticae,* cum herent ex codicibus recentibus et sine apparatu critico; donec tandem variantes in margine annotarentur. Ita paulatim perventum est ad *editiones criticas ex* codicibus antiquioribus: ut in *Polyglottis Complutensibus* (Alcalâ de Henares) ope Cardinalis Jimenez de Cisneros (a.1514 iam facta), et in editione *Hittorpiana* (Coloniae 1530), et in iis quas curavit *Robertas Estienne (Stephanus)* Parisiis annis 1528 1532 1540 1555. In hac editione inducta est *distinctio in versiculos.*

212. Decretum Concilii Tridentini. Cum autem Vulgata despiceretur, quod nonnulli autumarent necessario accurrendum esse ad textum originalem ad cognoscendum genuinum verbum Dei; item cum ipsa Vulgata, castigata ad existimatos textus originales, in sua puritate non facile agnosceretur, et novae latinae versiones fierent: factum est ut Concilium Tridentinum in sessione 4.a (1546), post iactum fidei confessionis fundamentum et canone Scripturarum iterum stabilito, decretum daret *de authentia Vulgatae,* statuendo et declarando «u

haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et quod nemo illam reicere quovis praetextu audeat vel praesumat» (D 785).

Voluerunt item Patres *ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio quam emendatissime imprimeretur* (D 786).

2x3. Desiderio Concilii obsequendo institutae sunt Congregationes a Pio IV (1561), a Pio V (1569) et a Sixto V (1586); quae huic labori operam acciverunt.

Textum optimum paratum a commissione doctorum ultima non probavit Sixtus V; qui et ipse correctiones dhudicavit et decrevit, adeo ut anno 1590 imprimeretur *editio sixtina.* Sed, mortuo eodem anno (27 augusti) Pontifice, illa editio et ob novam numerationem inductam a Sixto V, et quod textus a commissione doctorum propositus non adhiberetur, displicuit; ita factum est ut venditio suspenderetur et nova editio pararetur a nova commissione (1591) ea mente, statuente Gregorio XIV, *ut ablata restituerentur, adiecta removerentur, immutata considerarentur vel corrigerentur, punctationes perpenderentur, mutationes ne fierent, nisi necessitas cogeret* 8.

Demum sub Clemente VIII, anno 1592, collaborantibus praesertim Francisco de Toledo 9 et Angelo Rocca, facta est nova impressio definitiva, quam generaliter adhibemus; iterum reimpressa in typographia Vaticana a. 1593, 1598. Ea dicitur *editio clementina.*

214. Novi labores. Quoniam vero illa editio clementina, etsi sufficiens, nondum perfecta dici potest, fuerunt qui arte critica periti correctionibus proponendis sive variantibus lectionibus colligendis operam dederunt, ut anno 1618 *Lucas Brugensis;* ab anno 1830 *Al.Ungarelli et C.Vercellone* 10; postea *Th.Heyse* et *C. Tischendorf* (Lipsiae 1873), et *Jo. Wordsworth* et *Jul. White.*

Recentius, anno 1907 (cf. EB 289s [285s]), monachis Sancti Benedicti, ex commissione Pii X textus hieronymianus fidelissime restituendus demandatur; qui nunc ab anno 1933 in Abbatia Sancti Hieronymi in Urbe adlaborant ".

« Vaccari, *Instit. biblicae* I6 1.3 n.124 p.340·

9 Dc partibus Toleti in Vulgatam clementinam agit R.Galdos, S.I., *Mérites escriturfs» licos de Toledo:* ArchTG 3 (1940) 20s.

10 Variae lectiones Vulgatae latinae Bibliorum editionis (Romae 1860-1864).

11 Hucusque prodierunt Gen-Psalm (1953) v.I-X. De authentia et auctoritate dogmatica Vulgatae agemus in tractatu dogmatico *De sacra Scriptura* n.148-165.

ARTICULUS IV

De authentia librorum V.T.

215. Notiones praeviae. Genuinum (a *gigno)* significat id quod vere habet originem quae supponitur, sive quoad auctorem *(genuinitas auctoris),* sive quoad tempus in quo ortum habuit *('genuinitas temporis).*

Integrum dicitur id quod continet omnia quae debet habere: neque ex eo deperditum quod necessarium ei erat, neque ab extrinseco quidquam male introductum est. Idem valet ac *incorruptum.*

Historicum dicitur quod valet ut documentum sibi fidem historicam concilians.

Si aliquid re vera est genuinum, integrum seu incorruptum, et historicum, tunc in documentis historicis est id quod re vera supponitur, et dicitur *authenticum* (ab αὐθεντέω, vi, auctoritate valere) quia habet valorem seu auctoritatem intrinsecam ad postulandam fidem.

216. Status quaestionis. Authentia librorum V.T. *directe* demonstrari potest. Haec autem via, si plenitudine scientifica fit, omnes controversias et adversarios de re memorando, longior sane est. Sed *non est necessaria,* siquidem ex testimonio Christi et apostolorum atque ex magisterio Ecclesiae demonstratio illius authentiae fieri potest.

Cum autem hoc modo tantum, scilicet *indirecte,* demonstratur authentia et valor historicus librorum V.T., non licet illos adhibere ad demonstrandam scientifice et apologetice ipsam legationem lesu Nazareni aut Ecclesiae.

Nobis vero placebit instituere demonstrationem legationis lesu apologeticam plene; nolumus enim solemne et classicum argumentum antiquitatis christianae praetermittere ex vaticiniis V.T. Ideo necesse est ut etiam nonnulla praemittamus de valore historico librorum V.T. Quam sane demonstrationem non ea ubertate prosequemur, qua in Introductione ad libros V.T. lit; neque enim vacat omnes disceptationes quae de singulis sunt libris indicare, multo minus enucleare; neque etiam id duceremus nunc opportunum, cum tanta rerum congeries tiro-

nibus Theologiae viam non tam illustraret quam obscuraret'.

Brevis tamen adumbratio non erit aliena.

217. De authentia et valore historico Scripturarum V.T. A) In universum illam testatur *traditio antiquissima et solemnis populi Israel.*

Ita dant testimonium authentiae et historicitatis earum

1) Flavius Iosephus (natus a.37 post Christum), qui scribens *contra Apionem* (post a.93) haec ait:

«Itaque apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo, dissentientium atque inter se pugnantium: sed duo duntaxat et viginti libri, totius temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini [δικαίω$ θεία 12 ιτετηστευμένα]. Ex his quinque quidem sunt Moysis, qui et leges continent et seriem rerum gestarum a conditu generis humani usque ad ipsius mortem. Atque hoc spatium temporis tria fere annorum millia comprehendit. A Moysis autem morte ad imperium usque Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit apud Persas, prophetae qui Moysi successere res sua aetate gestas tredecim libris complexi sunt; quatuor vero reliqui hymnos in Dei laudem et praecepta vitae hominum exhibent utilissima. Ceterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam sunt quidem singula litteris mandata; sed nequaquam tantam fidem et auctoritatem meruerunt, quantam superiores ii libri, propterea quod minus explorata fuit successio prophetarum. Quanta porro veneratione libros nostros prosequamur, re ipsa apparet. Quum enim tot iam saecula effluxerint, nemo adhuc nec adiicere quicquam illis, nec demere, aut mutare aliquid est ausus. Sed omnibus iudaeis statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum atque innatum est, Dei ut haec esse praecepta credamus, iisdemque constanter adhaerescamus, et eorum causa, si opus fuerit, libenter mortem perferamus...» ,3.

Licet autem Flavius Iosephus minorem tribuat auctoritatem aliquibus libris posterioribus (deuterocanonicis), «quod minus explorata fuerit successio prophetarum»14, constat tamen ex losepho auctoritas summa quam ceteri libri (atque etiam illi minoris auctoritatis) sibi vindicabant ls. Ceterum canon horum librorum sacrorum definitus fuit postea anno c.ioo.

2) Absoluta auctoritas historica horum librorum confirmatur ex citationibus et ex auctoritate absoluta quam eis tribuunt *iudaei audientes et acceptantes verba lesu Nazareni et Apostolorum* in Novo Testamento (v.gr Mt 21,42; 22,29; 24,15; Io 5,39; 10,35...).

3) Ipsi libri V.T. provocant ad *collectiones praecedentes librorum,* quod signum est admissionis et historicitatis eorum (v.gr. 3 Reg 2,3; 4 Reg 14,6).

12 Ita apud Eusebium, *Hist. Eccles.* 1.3,io invenitur haec vox, quae etiam contextui consonat: MG 20,241.

13 *Contra Apionem* 1,8; Flavii Iosephi *Opera* (edit.Didot) (Parisiis 1865) t.2,34os.

14 De his tamen vide etiam *Historiam canonis,* in tractatu *De sacra Scriptura* n.62.

15 /dii loci apud Iosephum circa libros V.T. : Antiquitates *iudaeorum,* prooem. n.3 1.12,2,1. *Opera* (Didot) 1,25.434s.

4) Cum multa quae narrantur in his libris sint non in decus, sed *in dedecus populi Israel* et optimatum et regum eorum, hoc nequit explicari nisi per legitimam auctoritatem historicam horum librorum.

218. B) In specie probatur authentia et historicitas horum librorum *a)* appellando ad auctores eorum, prout cognoscuntur ex solemni traditione iudaeorum aut ex ipsis libris sacris rationibus internis. Ita apparet *b)* hos auctores potuisse et voluisse dicere verum 16.

a) *Auctores librorum V.T.* prout cognoscuntur ex ipsis libris.

Moysi adscribuntur quaedam ex Pentateucho (Ex 17,14; 24,4.7; Num 33, 2; Deut 31,9.22; 28,58); atque, cum hic complexus librorum strictam ferat unitatem, etiam integrum opus ei adscribi debet, cum traditione iudaeorum; eoque magis quod ex examine interno Aegyptus supponitur cognita (Gen 46, 28; 41,45; Ex i,11; 13,20; 14,2), terra vero Chanaan adhuc incognita (Gen 23, 2.19; 33,18; Deut ii,ios). Unde hi libri supponendi sunt conscripti antequam Palaestina occuparetur.

Liber *losue* scriptus fuit vivente adhuc Rahab, quae exploratores occultaverat (los 6,25).

Liber *ludicum* scriptus fuit ex fontibus praecedentibus (c.5); et probabiliter ab ipso Samuele, cum adhuc memoria vivida exstabat illius temporis in quo non erat rex in Israel, sed unusquisque faciebat quod sibi rectum videbatur; hoc enim dictum saepius recurrit, sine dubio propter recentem mutationem et vividitatem oppositionis inter tempora paulo antea acta et praesentia (17,6; 18,1; 18,31; 21,24).

Libri *1 et 2 Regum (SamuelisJ* compositi fuerunt longe post mortem Samuelis (cf. 1 Reg 9,9; 1 Par 9,22; 26,28; 29,29), et cum Palaestina divisa fuisset in duo regna (cf. 1 Reg 27,6).

Libri 2 et 3 Reg provocant ad fontes antiquos (3 Reg 11,41; 14,29; 4 Reg 1,18); et compositi fuerunt durante prima medietate captivitatis babylonicae (cf. 4 Reg 25,27-30).

Libri *Paralipomenorum* compositi fuerunt post captivitatem (1 Par 3, 19-24).

Libri *Esdrae,* ex iis quae continent, apparent compositi post exsilium babylonicum.

Libri vero *Macchabeorum* ante finem saeculi II ante Christum fuerunt conscripti (1 Mac 16,23s; 2 Mac 1,10).

Liber *Psalmorum,* etsi plures habeat auctores, ut tituli et argumenta psalmorum indicant, maximam tamen partem tribui debent Davidi. Ultimi psalmi proveniunt ex tempore captivitatis babylonicae, sed sub Nehemia et Esdra liber conclusus fuit (cf. 2 Mac 2,13).

Liber *Isaiae* compositus fuit ab Isaia, filio Amos, qui vixit sub rege Ezechia (Is 1,1); de quo propheta sermo est in 4 Reg I9,2ss (cf. Is 37-39) temporibus Ezechiae.

Liber *leremiae* est illius prophetae qui, rege losia, ad prophetandum vocatus est a Domino (1er 1,1-10). Huic Dominus iusserat scribere verba quae a

16 Breviter evolvit argumentum Io.Brunsmann, *Lchrbuch der Apologetik* 1,234-24°.

se audierat, quod et Ieremias per Baruch praestavit (1er 36). A Baruch autem potest provenire compago omnium partium libri, qui absolutus fuit ante finem captivitatis, quandoquidem secus de tali fine sermo fuisset (cf. 1er 25, 11; 29,10).

Liber *Ezechielis,* filii Buzi, sacerdotis in terra Chaldaeorum (1,3), continet vaticinia huius prophetae, quae habuit atque edidit durante captivitate populi Israel, cum ipse esset in medio captivorum iuxta fluvium Chobar (1,1), et in transmigratione loqueretur ad filios Israel (3,11.15); ultima vaticinia pertinent ad annum 25 captivitatis (40,1).

Daniel propheta apparet auctor libri sub eius nomine vulgati (Dan 7,1s; 8,1.26s; 12,4). Stylus vero loquendi et materia redolent mores babylonicos; unde liber tempore captivitatis, quo tempore etiam Daniel vivebat, conscriptus fuit.

De aliis prophetis, quorum mentio fiet in sequentibus, *Oseas* vixit et scripsit sub rege Ezechia (Os 1,1); pariter *Michaeas* vixit et scripsit sub Ezechia (Mich 1,1; cf. 3,1.12 coli, cum 1er 26,18); *Aggaeus* statim post reductionem ex captivitate, ut argumentum sui libri ostendit (cf. etiam 1 Esdr 5,1; 6,14). Pariter *Zacharias* (Zach 1,1.7; 7,1.8; cf. etiam 1 Esdr 5,1; 6,14). Posterioris temporis est *Malachias,* cum templum supponatur constructum Hierosolymis (Mal 1,10; 3,10).

219. b) *Hi auctores potuerunt et voluerunt dicere verum.*

1) *Potuerunt dicere verum.* Erant enim α) *testes oculati* plurium rerum quas narrant illasque ex natura earum, et ex ingenio quod auctores scribendo demonstrant, bene potuerunt observare.

β) Pro aliquibus praecedentibus certe uti *debuerunt aliis fontibus,* quos sane fidedignos habuerunt prae manibus. Oralis enim traditio tenax erat, in re praesertim magni momenti, et apud populum vulgata; maxime cum ageretur de orientalibus. Sed et fontibus scriptis uti potuerunt, et sine dubio sunt usi.

2) *Auctores voluerunt dicere verum.* Cum enim α) huiusmodi *libri fuerint magna reverentia recepti,* quando etiam memoria rerum narratarum viva apud populum exstabat et facile res poterant comprobari, signum est auctores veraciter scripsisse.

β) Erant etiam auctores, quales apparent in ipsa ingenua narratione, homines religiosi, qui unice bonum morale et veritatem, atque gloriam Dei expetebant; unde fraus non est timenda.

3) *Confirmatur* ex mira, atque in dies mirabiliore, concordia rerum quas Scriptura V.T. narrat cum inventis et recenter acquisitis ex historia Aegyptiaca et Assirio-Babylonica, atque cum historia culturae illius temporis [17].

[17] Breviter de hac re Brunsmans', *ibid.,* 238-240.

CAPUT II

De textu Novi Testamenti

A.Vaccari, *Instil. biblicae* I 1.3 c.2.7; Cornely-Merk, diss.2 c.2.5-9; J.M.Hover, *Novi Testamenti Biblia graeca et latina3* (Matriti 1953) Prolegomena; P.Gaechter, *Summa Introductionis in N.T.,* pars prima n.6-39; A.Durand, *Le texte du Nouveau Testament:* Etudes 126 (1911.1) 289-312; 127 (1911,2) 25-51-297-328; M.-J.Lagrange, *Introduction a l'étude du N.T. Critique textuelle* II (Paris 1935); pro ulteriore bibliographia *ibid.* p.Xs.

220. Momentum omnino peculiare pro tractatu apologetico habent libri Novi Testamenti; quare nihil mirandum, si de his singulari quadam attentione erit agendum. Libri enim V.T. sunt pro Apologetica utiles, ad probationem de vaticiniis messianicis; libri vero N.T. quoad praecipuam eorum partem sunt pro Apologetica omnino requirendi et necessarii.

ARTICULUS I

De textu et manuscriptis N.T.

221. De lingua et materia librorum N.T. Libri N.T. lingua graeca inveniuntur, atque in hac lingua omnes (uno excepto Mt) primitus conscripti sunt. Lingua vero erat illa *communis,* quae tunc temporis per Orientem invalescebat et ad quam attica forma derivaverat; unde horum librorum lingua est sic dicta graeca κοινή.

Cum autem tunc supra *chartam ex papyro* confectam ut plurimum scriberetur, (cf. 2 Io 12), haec vero materia non adeo diutius posset conservari [1] nihil mirum si pauca exemplaria ex his chartis papyraceis serventur.

Scribebatur etiam supra *membranas (cf. 2* Tim 4,13) sive *pergamenas;* id autem rarius, utpote carius ita scribere, donec saeculo IV usus pergamenarum invaluit. Ex quo quidem tempore codices antiquissimos sacrae Scripturae habemus; mos enim fuit membranas sive pergamenas in codices compingere, sicut papyri ut plurimum in volumen convolvebantur. Neque mirandum si interdum, scriptura pristina membranarum abrasa vel deleta, denuo scribebatur *(codices palimpsesti),* quandoquidem membranae cariores factae essent, et scriptura antiquior uncialis lectu esset difficilior.

[1] Vix annos 200 volumina ex papyro conservabantur: ex Plin., *Hist.* nat.

222. De scriptura N.T. Haec *scriptura uncialis,* litteris scilicet capitalibus sive maiusculis, fuit in usu pro codicibus membranaceis usque ad saeculum XI.

Cum autem characteres aliqui facile confunderentur (v.gr. litterae triangulares Λ, Δ, A); accentus vero et spiritus non deducti fuissent in communem usum usque ad saeculum VIII post Christum; atque verba et phrases non commate aut interpunctione separarentur ordinarie, nisi postea cum scriptura minuscula; nihil mirum si interdum dubia occurrerint de interpretatione codicum, praeter iam notam difficultatem quae oritur ex siglis compendiariis atque ex abbreviationibus tachygraphicis.

223. De manuscriptis N.T. Novum Testamentum invenitur *integrum* in 53 codicibus; *partialiter* vero in multis aliis manuscriptis. Documenta manuscripta quae spectant ad N.T. erant ante paucos annos papyri 50, codices unciales 210, codices minusculi 2400, lectionaria 1610. Ergo summa 4270.

Designatio tot scriptorum fit pro papyris littera *P* cum indice, v.gr. P50 (Manchester, Rylands Library) ex saeculo II, continens aliqua verba ex Io i8,3iss; pro codicibus minusculis designatio fit numero; pro codicibus uncialibus numero anteponitur O, exceptis 45 primis codicibus, qui servant *signum litteram maiusculam,* ut iam antea usitata fuit a J.J.Wettstein (a.1751-2).

Atque haec designatio, inducta a C.R.Gregory, applicatur a P.A.Merk, S.I. 2 et a P.I.M.Bover, S.I. 3. Hic exhibet catalogum praecipuorum codicum graecorum, ubi invenies, in singulis columnis, tum sigla quibus designantur, tum saeculum cuius sint, tum partes quas continent (evangelia, Actus, epist. paulinae, epistolae catholicae, Apocalypsim)4.

H.von Soden aliam numerationem, in qua attenderetur ad saeculum in quo ortus est codex, et alia sigla proposuerat; nimirum anteposita ε si codices evangelia, α si quid aliud ex N.T., 6 si ex evangeliis et ex aliis N.T. continerent: v.gr. ε 1100—ε 1199 pro codicibus evangeliorum saeculi XI 5.

224. Praecipui papyri sunt sequentes, qui pro antiquitate textus sunt insignia documenta:

2 Novum Teslomcnium *graece et latine apparatu critico instructum*7 (Romae 1951).
3 Novi *Testamenti Biblia graeca et latina critico apparatu aucta* (Matriti 1943). 3.· editio, Matriti 1953.
* *Ibid.,* Prolegomena LXVII-LXXIII.
5 Correlatio inter diversos modos designandi ostendit Merk in prolegomenis p.22*-33·.

P50, e saeculo I-I ineunte; continet aliqua verba ex Io i8,3iss et servatur Manchester (Rylands Library), a. 1935 editus6.

P37, e saeculo III, continet Mt 26,19-52; servatur Michigan (Ann Arbor).

P45, e saeculo III ineunte, continet multa ex evangeliis et Act; servatur Londini (Chester Beatty).

P46, c.a.200, continet epist. S.Pauli; servatur Londini (Chester Beatty) et Michigan (Ann Arbor).

P48, e saeculo III, continet Act 23,11-29; servatur Firenze (Société italiana).

225. Praecipui codices sunt sequentes:

Vaticanus B (03), e saeculo IV, continens V. et N.T.; et servatur in Bibliotheca Vaticana.

Sinaiticus S (or), antea N, e saeculo IV, continet V. et N.T.; detectus in monasterio Montis Sinai anno 1844 a Const. Tischendorf, postea Petropoli (Petrograd), nunc in Musaeo Britannico (Londini) asservatus.

Alexandrinus A (02), e saeculo V, continet V. et N.T.; olim pertinens ad Patriarcham Alexandrinum, nunc in Musaeo Britannico asservatur.

Ephraem rescriptus C (04), e saeculo V, continet fragmenta ex V.T., et N.T. fere integrum; postea, saeculo XII, conscripta sunt in eo opera Sti. Ephraemi. Servatur Parisiis.

Freerianus W (032), e saeculo V, continet evangelia; servatur Washington.

Bezae vel Cantabrigiensis D (05), e saeculo VI, continet evangelia et Actus apostolorum; olim ablatus de monasterio Lugdunensi, venit in potestatem Theodori Beza (1519-1605) et ab hoc donatus Academiae Cantabrigiensi (Cambridge), ubi asservatur. Hic codex non est confundendus cum sequenti, etiam D.

Claromontanus D (06), e saeculo VI, continens epist. Sti.Pauli, qui Parisiis servatur.

ARTICULUS II

De versionibus Novi Testamenti

226. Praeter codices supra dictos, cognoscitur etiam textus N.T. ex versionibus quae de textu graeco factae fuerunt.

1) Inter versiones syriacas prima fuit a Tatiano, discipulo Sancti Iustini. Ille anno c.170 concordiam sive harmoniam fecerat quatuor evangeliorum (unde nomen Tatiani diatessaron, το διὰ τεσσάρων ευαγγελίου) lingua quidem graeca, ut videtur, elaboratam. Sed hinc versio syriaca facta est huius «Diatessaron», quo usi sunt Patres syriacae ecclesiae, ut S.Aphraates (f c.367) et S.Ephraem (c.306-373).

6 C.H.Roberts, An *unpublished fragment of the Fourth Gospel in the John Rylands Library* (Manchester 1935).

Hodie *Diatessaron* continetur latine in codice F (Fuldensi, saec.VI) Vulgatae.

Aliae versiones syriacae, de quibus mentio fit in apparatu critico N.T., sunt: syriaca vetus (syv), quae circa a.200 facta est adhibendo diatessaron Tatiani. Servatur in codice Syro-Curetoniano 7 (syc) saeculi V, nunc Londini in Musaeo Britannico. Item versio servatur in codice Syro-synaitico (sys), quia inventus fuit in monasterio Sanctae Catharinae ad Montem Sinai; pertinet ad saeculum IV-V.

Pesittha (syp) idem valet ac versio *simplex* et *vulgata,* apud syros. Orta est ineunte saeculo V, corrigendo veterem versionem praecedentem quoad evangelia, et novam versionem faciendo quoad alios libros N.T. Nunc exstant c.200 exemplaria.

Est et versio syra posterior anno c.508 facta ex textu graeco et recensione antiochena8, quae cura Philoxeni episcopi Mabugensis a Polycarpo chorepiscopo facta est. Hinc dicitur et *filoxeniana.*

Recensio illius sive retractatio facta est anno 614-615 Alexandriae a Thoma ab Heraclea (Harkel), episcopo Mabugensi, cum Alexandriae exsularet. Nomen huius recensionis sive versionis *harclensis* (syh).

Hisce accedit versio Palaestinensis ex graeco in aramaicum palaestinensem, fortasse saec. V vel VI; et cognita est ex lectionariis ad usum liturgicum. Habetur ut versio syra ex recensione ierosolimitana; hinc sigillum (syi).

227. 2) Inter versiones latinas recensentur: Veteres latinae (vet lat) sive *praevulgatae,* scilicet ante Vulgatam S.Hieronymi, quae habebantur saec. II et III; nec tantum una, sed plures, cum molesta varietate interpretationum, quae postea ansam dedit novae versioni S.Hieronymi, quae fuit vulgata 9. Ut enim ait S.Augustinus [10]: «Qui scripturas ex hebraea lingua in graecam verterunt numerari possunt; latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari» H.

Quod tamen, ex examine versionum, potest ita explicari «quod singuli libri a singulis interpretibus latine redditi fuerint, non quod multae exstiterint integrae totius Scripturae

7 Ita vocatus a *W.Cureton,* qui a.1858 illum edidit.
8 Cf postea n.234, quae de ea dicimus.
9 Cf. *Praefatio* in 4 *evangelia:* ML 29,557s.
10 Haec valent etiam de V.T.
11 *De doctrina Christiana* 1.12,16: ML 34,43.

versiones» [12]. «Ex multis ergo versionibus partialibus conflata est una vel paucae versiones totales, illae ipsae non adaequate inter se distinctae» [13].

Sermo erat simplex ac popularis; hinc valor harum versionum ad evolutionem linguae latinae in neolatinas cognoscendam. Et versio facta est ex graeca lingua, ex qua retinet vocabula quae transeunt in latinam, ut *baptismus, holocaustum, mysterium*. Fidelitas autem in vertendo «plerumque tanta est, ut vix desiderari possit maior, adeo ut ad servilitatem potius vergat. Verbum enim de verbo exprimunt, non raro vocabula ipsa graeca retinentes» [14]. [15]Sed in exegetica interpretatione «saepe nec ad varios graeci vocabuli sensus nec ad contextum attendunt, quadam mechanica translatione contenti» [15].

Afra (af) versio illa est quae viguit in Africa proconsulari, quam adhibuerunt *Tertullianus* (c.160-223) et *S.Cyprianus* (c.200-258).

Itala (it) repraesentat versiones ortas in Italia et Europa.

Vulgata (vg) est illa facta a S.Hieronymo, de qua statim agimus.

228. De Vulgata N.T. Propter discrepantes lectiones et multitudinem earum in libris N.T. (ortas ex tendentia harmonizationis inter diversa evangelia) factum est ut S.Hieronymus, iussus Papae S.Damasi, anno 383 susciperet novam versionem faciendam: ita ut N.T. graecae fidei redderet[16].

Hoc fecit eo spiritu et consilio *a)* ut adhiberet non codices ex recensionibus recentibus saec. II et IV, sed codices graecos antiquos, *veteres; b)* latinos codices emendaret, si discederent ab his *in sensu,* retineret tamen *dictionem* eorum [17]. Ita fecit Romae; adeo ut eius versio accedat ad familiam optimam codicis B, et interdum ad Caesariensem (cf. n.232s).

Etiam de aliis libris N.T., praeter evangelia, existimatur Hieronymus fecisse versionem, quod ipse in genere pluries loquatur se «Novum Testamentum» *e* graeco emendasse [18]; et

12 Hoc quoad Vetus etiam Testamentum. Vaccari, *Instit. biblicae* I6 I.3 n.95 p.311.
13 *Ibid.,* p.312.
14 Vaccari, *Instit. biblicae* I6 I.3 n.96 p.312.
15 *Ibid., p.313.*
16 «Si enim latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus: tot enim sunt exemplaria pene quot codices» *(Praefatio in 4 evangelia* (Ad Damasum]: ML 29,538).—«Novum Testamentum graecae fidei reddidi» *(De viris illustribus* c.135: ML 23,757). Cf. etiam *Epist.* 71,5: ML 22,671.
17 Codex adhibitus pertinebat ad formam constantinopolitanam, et de versionibus pristinis emendavit «quae sensum videbantur mutare... reliqua manere pateremur ut fuerant» *(Praefatio in 4 evangelia:* ML 29,559).
18 «Novum Testamentum graecae reddidi auctoritati» *(Epist.* 71,5: ML 22,671).—«Et si me, ut dicis, in Novi Testamenti emendatione suscipis...» *(Epist.* 112: ML 22,929).—»Novum Testamentum graecae fidei reddidi» *(De viris illustribus* c.135: ML 23,757).

quia stylus linguae et tendentia ad sobrietatem eadem sint in versione horum librorum Vg et in evangeliorum versione.

Neque videtur contra referre quod ipse pro his libris omittat consultam praefationem, quam ponit pro aliis quos dicit interpretatum esse. Neque etiam refert quod in commentariis S.Pauli non approbet saepe vocabulum versionis quod est in Vulgata, cum ipse antiquiores voces retractet a se adhibitas in versione ex hebraico, aut voces evangeliorum in propriis suis commentariis.

Haec versio S.Hieronymi communiter acceptata cum laetitia, atque adhibita in usum ecclesiasticum 19.

Nunc exstant codices Vg c.8ooo, qui exhibent diversos typos versionis: *italicum* (v.gr. codex F, Fuldensis, saec.VI), *hibernictim* (v.gr. codex Dublinensis), *hispanicum* (codex toletanus, codex legionensis, saec.X) 20.

229. 3) Aliae versiones. a) *Inter copticas:* Sahidica (sa) saeculi III, in Aegypto superiore (australi); et in Aegypto inferiore (boreali) bohairica (bo) saeculi V. Accedunt ad formam alexandrinam; et repraesentant formas extremas, dum in Aegypto media aliae considerantur versiones ad proprias dialectos regionum: *versio fayumica, achmimica* et *subachmimica.*

b) *Inter alias versiones:* gottica (got) saeculo IV a Wulfila episcopo ariano facta, ex codice graeco Constantinopoli accepto;

Aethiopica (aet), quae videtur esse saeculi V, ex textu alexandrino;

armenica (ar), saeculi V, videtur ex vetere syra provenisse;

georgica (gg) in Caucaso, videtur saeculo V-VI facta, et supponit basim ex versione armenica 21;

arabica ad saeculum VIII, slavonica ad saeculum IX pertinere censentur.

230. De citationibus Patrum. Citationes atque allusiones, quae ad N.T. in diversis versionibus inveniuntur apud Patres, inserviunt ut tempus compositionis earum accuratius limitetur; et, saltem quoad sensum (saepius enim memoriter citant) reddere possunt lectionem quam habuerunt vel illam quae in eorum regione viguit.

19 Cf. S.Augustinus. *De actis cum Felice* 1,3: ML 42.520.

20 Cf. supra n.207.—Pro historia Vulgatae in Hispania vide articulos Patris J.M.Bover. quos citat in *Prolcgomenis Novi Testamenti* LXXIX; et T.Avuso in iis supra n.207 in nota 7 citatis.

21 In versione armenica duplex forma distinguitur: alia antiquior ex syriaco. alia rccentior ex graeco. Et sunt qui credant vel inclinent in sententiam fuisse primitus in lingua armenica concordiam factam sive diatessaron ex evangeiiis, antequam versio fieret evangeliorum separatim; sicut apud syros et apud latinos. Cf. H.Vogels, *Theologische Literaturzeitung* 76 (rosi) 544S, et S.Lyonnet, S.I.. *Les origines de la version arménienne et le Diatessaron* (Roma 1950).

ARTICULUS III

Historia textus Novi Testamenti

231. De recensionibus textus. Ad studium criticum textus, sive ad genuinum textum stabiliendum, multum inservit *convergentia lectionum* ex diversis codicibus. Sed si omnes huiusmodi codices repraesentant eandem *familiam* sive recensionem eandem textus, talis convergentia non multum significat. Aliter vero, si codices convergunt provenientes ex diversis locis et familiis codicum; vel sunt repraesentantes alicuius familiae ubi textus optime servatus est. Tunc enim accrescit probabilitas vel fit certitudo alicuius lectionis; ex multitudine enim atque ex varietate et independentia testium, si non sunt suspecti, conflatur et constat auctoritas testimoniorum.

Ex praecedentibus rationibus atque ex necessitate vitandi confusionem in studio tot codicum, codices distributi sunt in familias, quae exhibent recensiones diversas in lectione textus N.T. Sic solent distingui sequentes familiae.

232. H.von Soden 22 distribuit lectiones variantes iuxta tres recensiones:

1) Recensio H, *Hesichii* (c. annum 300), ad quam pertinent codices unciales antiquiores B,S,C... et fragmenta ex Aegypto, sive membranacea (0595s) sive papyracea. Haec recensio, quae videtur esse ex Aegypto, et *alexandrina* quoque dicitur, optima consideratur: quia minimum exhibet de correctionibus ad procurandam harmoniam locorum parallelorum vel ad pulchritudinem linguae; nec amplitudinem, sed concisionem persequitur; unde sinceritatem crudam sectare videtur.

233. 2) Recensio I, lerosolimitana, habetur in codicibus D,W. Dicitur etiam *occidentalis* quia in Occidente propagata fuit. Accedit ad versiones veteres latinas, unde antiquitate commendatur; sed habet signa tendentiae harmonisticae et additamentorum vel etiam omissionum, unde negligentior haec familia videri potest.

Sub hac classe I relati sunt a Soden alii codices, qui ad aliam familiam facere videntur et recensionem, quaeque media est

22 *Die Schriften des N.T. in ihrer dltesten crreichbaren Textgestalt, hergestellt auf Grund ihrer Textgeschichte.* 4 vol. (1907-19x3).

inter duas praecedentes, accedens modo ad unam modo ad aliam. Habetur in codice 0.

Haec recensio refert textum *Origenis* (185-255) ad finem suae vitae, et *Eusebii Caesariensis* (c.265-340); atque, in genere, textum qui vigebat Caesareae Palaestinae saeculo III. Hinc vocatur recensio Caesariensis vel *palaestinensis.* Cum ea cognationem habent versiones armenica, georgiana, syra sinaitica et vulgata; characteres recensionis Caesariensis accedunt ad familiam alexandrinam, etsi temperato modo 2-\

234. 3) Recensio K, κοινή, *antiochena-byzantina,* habetur praesertim in codice A. Refert textum qui occurrit apud Patres ecclesiae antiochenae; et tendit ad linguam expoliendam, ad claritatem sectandam, ad conformationem unius cum alio evangelio, ad plenitudinem procurandam (v.gr. quoad Lc 24,53, dum D habet *Laudantes Deum,* B *benedicentes Deum,* A habet *laudantes et benedicentes Deum:* sic haec recensio distinguitur academica elegantia.

Codices praecipui, distributi iuxta recensionem ad quam pertineant, exhibet P.I.M.Bover, S.I., in Prolegomenis suae editionis N.T. 24

235. Historia textus N.T. Ex modo dictis circa diversas recensiones facilius historia textus, et quo studio in singulis quibusque regionibus primitivus textus servatus fuerit, colligi poterit.

In Aegypto superiore textus videtur diligentius servatus; *Caesareae vero* perpauca mutata ad elegantiam styli quaerendam; hinc non multum haec forma distat ab originali.

Sed longe maiorem diffusionem obtinuit forma *occidentalis.* Ex citationibus primorum Patrum (lustini, Irenaei, Clementis Alex.), atque ex versionibus antiquioribus (latina, syra vetere, sahidica) necnon et ex aliquibus papyris (P37, P·38, P48 in Aegypto) constat saeculis II et III recensionem occidentalem textus fuisse late diffusam.

Atque *Marcion* (t c.160) et *Tatianus* videntur hanc recensionem adhibuisse.

236. Ad finem vero saeculi III accuratius in formam primitivam exquisitum est, idque praesertim *Caesareae per* operam martyris *Pamphili* (t 3°9) et *Eusebii episcopi* (f 340); *Antiochiae* autem per *Lucianum* (f 312), unde *re-*

23 Iuxta T.Ayuso, exsistit forma proecaesariensis, similis quidem Caesariensi, sed ei iam saeculo II praeexsistens, cognita praesertim in /Aegypto superiore, et valde affinis textui originali: jTexto Cesoriense *o precesarienset:* Bibi 16 (1935) 369-4·$· Idem auctor propugnat magnum valorem huius familiae, una cum sic dicta *occidentali,* ad genuinum textum detegendum; ct hunc antiquitate *praerecensionalem.* Cf. de hac re *iTexto arrecensional, recensional o prerrecensional?:* EstBibl 6 (1947) 35-90. Ibi etiam invenies in 1.· parte (p.35-54) historiam textus criticam et bibliographiam recentiorem de studiis criticis circa textum.

24 Pag. LJtXIVs. Descriptio harum familiarum *ibid.,* XXVIIs.

censio *antiochena* sive byzantina, ex qua plures codices. *Alexandriae* denique *Hêsychius* (t c.300), sat aliunde ignotus, fundamentum posuit pro recensione alexandrina, maxime resecando quae adiecta vel dubia videbantur.

Recensio vero antiochena per Syriam et Asiam Minorem et per totum imperium byzantinum invaluit, maxime cum Aegyptus et Palaestina ex invasione arabica ab imperio ereptae sunt. Hinc media aetate ubique praevaluit recensio antiochena, sive byzantina aut constantinopolitana. Cum etiam codices huius recensionis faciliores essent ad legendum et pro typis magis praeparabiles, hinc factum est ut, post inventam artem typographicam, textus antiochenus regnaret longo tempore et *textus receptus* diceretur.

237. De editionibus textus N.T. Editionem criticam S.Scripturae *primam* paraverat Cardinalis Franciscus Jiménez de Cisneros (1436-1517), cuius industria et munificentia *Polyglotta Complutensis* (Alcalâ de Henares), anno 1514 finita atque impressa quoad N.T., tandem anno 1522 edita tota fuit.

Sed antea Desiderius Erasmus (c.1466-1536), anno 1516 edebat Sacra Biblia e codicibus minusculis, et minore cura quam Complutensis elaborata. Anno denique 1535 typographus *Robertas Stephanus (Estienne)* edebat Parisiis quintam editionem Erasmi.

Hic Stephanus anno 1550 congessit, pro 3. editione (regia) illius operis, observationes criticas e 16 manuscriptis. Ab editione Stephani (Ç) pendent editiones Theodori Beza (1519-1605), e quibus una saepius impressa fecit ut editio Stephani divulgaretur et *textus receptus* haberetur 25.

238. Aliae polyglottae, praeter *complutensem* (1522), sunt *antverpiensis* sive *plantiniana,* quia impressa fuit in officina typographica Christophori Plantin (Amberes) (1569-1575) 26; *parisina* (1620-1645); *londinensis sive waltoniana* (a Walton) (1655-1657).

239. Textui recepto adiecerunt plures variantes ex diversis codicibus aliqui editores sacrorum librorum in saeculo XVIII, sicque factae sunt quasi «editiones criticae». Tales auctores fuerunt Jo.Mill (1707, Oxonii), qui collegit c.30000 variantes; Jacobus Wettstein (1751, Amstelodami), qui primus designavit litteris A B C... codices praecipuos; Jo.Jac.Griesbach (1774>1796, Halae; 1805, Lipsiae), qui distinxit familias codicum occidentalem, alexandrinam, byzantinam; Jo.M.Scholz (1830, Lipsiae), addendo subsidium plurium codicum, amplificavit apparatum criticum.

240. Demum saeculo XIX textus emendatus fuit ad normam codicum antiquissimorum, ut fecit Carolus Lachman (1831, Berolini), et praesertim Constantinus von Tischendorf (1815-1874) qui, factis itineribus et in-

23 Ita vocabatur anno 1633 in *Praefatione* editionis 2.·' a Fratribus *Elzevir.*

26 In hac editione multum laboravit *Arias Montano* multumque contulit munificentia regis Philippi II.

vestigationibus in bibliothecas orientales, plura nova invenit, et novo et copioso apparatu critico recensionem fecit textus optimam, in editione octava critica maiore 27; qui tamen, «etsi recto sinceroque iudicio pollens, haud raro nimio in suum sinaiticum codicem [quem invenerat] amore abripitur» 28.

B.F.Westcott (t 1901) et F.J.A.Hort (f 1892) novam editionem fecerunt (1881, Londini), sed sine apparatu critico; et licet «acutissimo quidem sensu critico praediti, nimiam tamen Vaticano codici auctoritatem tribuunt nimioque breviorum lectionum, studio ducuntur» 29.

Alii in his studiis laboraverunt: Fr.R.Weymouth, B.Weiss, M.Hetzenhauer, O.M.C. (Innsbruck 1892-1900), F.Brandscheid (Freiburg B. 1893). Eberhard Nestle fecit suas editiones ab anno 1898 (Stuttgart), ea ratione ut seligeret quod pluribus (Tischendorf, Westcott-Hort, Weiss) placuisset...

241. In saeculo XX memorandi sunt labores Hermanii von Soden, a quo procedit designatio codicum peculiaris, sed implicata; hic lectiones variantes, quas plurimas collegit, distribuit in familias H,I,K—uti diximus supra—. Et «maxime quidem laudandus quod tam multa novaque documenta protulerit atque vulgaverit, nimis tamen confictum Tatiani influxum et harmonizantium lectionum contaminationem formidat, praeterquam quod critica principia nec satis iusta praestituit nec satis constanter observat» 30.

Aliae editiones sunt a H.J.Vogels (1920, 19503) et a P.Augustino Merk, S.I. (19331, 19517), qui textum propriis principiis constituit et, adhibitis multis quae ex labore a von Soden utiliter allata erant, alia correxit, novis auxit et notationem a Gregory inductam servavit.

242. P.Ioseph M.Bover, S.I., recenter (19431, 19533) novam editionem criticam paravit 3I, in qua principia circa criticam textus antea proposita 32 in praxim deduxit eleganti sane atque accurata editione textus graeci N.T. necnon et versionis latinae vulgatae.

P.Bover vult in primis illa secernere in quibus omnes critici conveniunt ab iis in quibus discrepant; ut elementum commune retineat, variabile crisi subiciat. Discrepantes vero lec-

27 Novum *Testamentum graece ad antiquissimos testes denuo recensuit, apparatum criticum omni studio perfectum apposuit, commentationem isagogicam praetexuit* Constantinus Tischendorf. 2 vol. (Lipsiae 1869-1872). Volumen vero tertium, de prolegomenis, scripsit C.R.Gregory (Lipsiae 1894).

28 J.M.Bover, *prolegomena N.T.,* p.XVIII.

29 J.M.Bover, *ibid.*

30 J.M.Bover, ibid.

31 Novi *Testamenti Biblia graeca et latina* (Matriti 1943) (Consejo Superior de Investigaciones Cientificas). 3.· editio, Matriti 1953.

32 Critica textualis Novi Testamenti in crisim revocata: EstBibl 1 (1930) 329-353; *Critica de los criticos:* EstBibl 1 (1930) 301-312; *Harmonizaciones e interpolationes* en *el texto dei N.T.I* EstBibl 2 (1943) 1218.

tiones computat omnes, etiam marginales» quae vel levibus suspicionibus criticorum niterentur.

Critérium autem ad genuinam lectionem discernendam non repetit ex auctoritate criticorum vel numero, ita ut lectio determinetur ex summa elementorum disparium; sed *repetit ex valore testium antiquorum.* Cum autem Tischendorf, Westcott-Hort eligerent saepius recensionem antiochenam (K) atque alexandrinam (H), negligebant profecto occidentalem (I); cuius quidem formae oportet ratio habeatur, cum in hac classe elementa plura diversa sint congesta (forma occidentalis, forma Caesariensis et aliae nondum certae...). Oportet pariter ut testes antiquiores textu antiocheno atque alexandrino attendantur pro crisi.

Hinc textus a P.Bover admissus, est textus resultans seu *ecclecticus,* non ex arbitraria disparium congerie, sed *ex certis quibusdam principiis:* «nullus est" testis audiendus, qui ad antiquissimam textus formam nobis perviam, illam nimirum II saeculo vigentem, aliqua ratione, sive directa sive indirecta, deduci non queat. Non omnis quidem antiqua lectio est ideo bona; at bona nulla esse potest quae non sit antiqua. Hac etiam ratione efficietur ut testes omnes tamquam pares valores computari possint ac numerari. Quo posito, videndum est quomodo singuli testes vel testium classes ad saeculum II possint assurgere» 33.*

243. Normae rationales pro critica textual! 34. Praeter statutam *genealogiam codicum,* ut cognoscatur dependentia unius ab alio atque ita possit quis procedere ad lectionem primitivam inveniendam, sequentes normae dari possunt, quod attinet ad examen ipsum lectionum:

a) Inter varias lectiones praeferenda illa quae apparet *originalis* ceterarum.

b) Lectio *ardua et difficilior praeferenda,* quia minor fuit probabilitas illam facile et erronee accipiendi; non tamen absurda lectio praeferenda.

c) Lectio *non harmonizans, sive non conformis loco parallelo, praeferenda,* propter studium quod viguit faciendi has harmonias lectionum.

d) Lectio *brevior et rudior generatim praeferenda,* propter studium quod fuit poliendi lectiones.

e) Lectio *praeferenda quae magis conformetur cum stylo* scriptoris.

244. Etenim accidit ut codices varias exhibeant lectiones pro eodem textu, idque propter imperfectionem humanarum facultatum in transcribendo; quo fit, ob defectum visus vel ob malam auditionem et retentionem memoriae, ut aliqua sive litterae et syllabae sive verba et sententiae aut omittantur *(haplographia,* si datur similitudo cum sequenti) aut duplicentur *(dittographia).*

33 *Prolegomena N.T.,* XXXV.
3« Cf. J.M.Bover, *ibid.,* XXXVII-XL.

Omoioteleuton dicitur cum omissio vel duplicatio sententiae accidit propter similitudinem desinentiae in utraque; *omoioarcton,* si similitudo est in principio sententiarum.

Interdum variantes inductae sunt ob pravam intelligentiam loci ab amanuensi, qui pro lubitu et sibi existimata sapientia locum emendare voluit, vel subiit influxum contextus 35, aut locorum parallelorum, ut inde addiderit et *harmonizaverit.*

245. De utilitate et momento criticae textualis recenter locutus est Pius XII in *Encyclica «Divino afflante Spiritu»* EB 547s.

De incorruptione textus N.T. postea, n.322-331, peculiariter disputabimus.

CAPUT III

De historicitate Evangeliorum et Actuum Apostolorum

246. Inter libros N.T. maxime veniunt considerandi evangelia et liber Actuum Apostolorum, quorum usus in tractatibus apologeticis erit immediatus et omnino necessarius; ideo et eorum valor historicus praevie demonstrandus. Quantum ad valorem historicum sive authentiam aliorum librorum N.T. comprobandam, etsi utiliter consideratur in Introductione biblica, non tamen nunc tam necessario fit sicut pro Evangeliis et Actibus fieri debet; quare censemus ab illa probatione nunc facienda esse supersedendum, ne via obruatur aut fatigosa reddatur: quamquam et opportuno tempore, ut plurimum data occasione, authentiam eorum considerabimus '.

ARTICULUS I

Praeviae notiones et conspectus adversariorum

247. Evangelium etymologice significat bonum sive *laetum nuntium.* In usu N.T. applicatur ad annuntiationem *de Messia et de regno messianico* 2.

Ita v.gr. Mt 4,23; 9,35; Mc 1,14 *(praedicans evangelium regni);* Mt 24,14 *(praedicabitur hoc evangelium regni* in *universo orbe);* 26,13 *(ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo);* Mc 8,35 *(qui autem perdiderit, animam suam propter me et evangelium);* 16,15 *(praedicate evangelium omni*

35 V.gr. Io 21,12: *discumbentium* propter contextum; verisimilior lectio Vg *discentium.* | Viden.i88s.

2 Quoad usum vocis profanum et in V. et N.T., cf. G.Kittel *Theologisches Wdrterbuch zum N.T.* ad vocem εὐαγγέλιον, t.2 718-735; item Zorell, *Lexicon graecum* N. T.ad vocem.

creaturae)...; Lc 4,18 *(evangelizare pauperibus misit me)...* Pariter *apud S.Paulum,* ubi vox occurrit quinquagies, designando vel originem boni nuntii *(evangelium Dei)* vel obiectum praecipuum *(evangelium Iesu Christi, evangelium gloriae Dei),* aut aliquod obiectum illius *(evangelium praeputii),* vel personam illud afferentem *(evangelium meum...).*

Cum autem talis nuntius et talis praedicatio scripto tradita fuerunt, tunc ipsae scripturae vocatae sunt *evangelia.* Sic, v.gr. S.Ignatius (f 107): «Cum audirem quosdam dicentes: *Nisi invenero in archivis, hoc est in evangelio,* non credo; et dicente me ipsis *quod scriptum est...»* [3] Pariter S.Iustinus (c.100-167): «...Apostoli *in commentariis suis quae vocantur evangelia,* ita sibi mandasse Iesum tradiderunt»[4].

Alias notiones circa *genuinitatem, integritatem, historicitatem et authentiam,* vide supra n.215.

248. Praecipuae theoriae et adversarii contra historicitatem evangeliorum[5]. In genere, omnes qui negant facta supernaturalia, *rationalistae,* negant consequenter historicitatem evangeliorum et librorum sacrorum, quandoquidem in eis res supernaturales contineantur et narrentur.

In specie autem sunt diversi adversarii recensendi et tendentiae considerandae:

249. Baruch Spinoza (1632-1677)[6] vult miraculis evangelicis strictam historicitatem denegare: explicat autem illa ut narrationes more orientalium exaggeratas et tribuentes immediate effectus Deo, vel fervore religioso aut pia fraude introducentes illa miracula.

250. Alii qui fraudes admittebant sunt Voltaire (1694-1778), Diderot (1713-1784), Fridericus II (1712-1786) et praesertim H.S.Reimarüs (1694-1768), qui est antesignanus *theoriae sic dictae «fraudis»* ad explicanda illa quae sunt in evangeliis.

Hermannus Samuel Reimarus erat professor Hamburgensis, qui secreto composuit manuscriptum *Apologia rationalium cultorum Dei*[7]. Manuscriptum venit in manus *Lessing,* qui ex eo annis 1774, 1777, 1778 tria fragmenta edidit. In tertio autem

3 Ad *Philad.* 8,2: R 60.
4 *Apolog.* 1,66 (a.150-155): R 128. Cf. etiam *Didache* 8.2: R 5.
5 Cf. de hac re L.Cl.Fillion, *Les étapes du rationalisme dans ses attaques contre les Evangiles de N.S.Jésus-Christ*2 (Paris iqïi); M.J.Lagrange, O.P., *Le sens du Christianisme d'après l'Exegèse allemande* (Paris 1918); Dieckmann, *De revelatione* n.503-526.
6 *Tractatus theologico-politicus* (Amstelodami 1670).
7 *Schutzschrift fur die vernünftigen Verehrer Gottes.*

fragmento agebat *de scopo Iesu et suorum discipulorum*[8]. Pro eo «Iesus Christus erat ludaeus, merus homo, qui tamquam Messias politicus populum voluit liberare a iugo Romanorum. At populus eum dereliquit tum in Galilaea tum Hierosolymis; ipse ut rebellis moritur desperans. Omnia alia, quae sacri fontes narrant, sunt ficta: miracula, sacramenta, fundatio novae religionis. Discipuli Iesu finxerunt eiusdem resurrectionem, postquam corpus Iesu clam abstulerant; annuntiaverunt eius adventum alterum gloriosum mox futurum esse. Et haec omnia fraude; conscii cum essent falsitatis suae assertionis et praedicationis; ratio fraudis: ut commode viverent dispendio suorum asseclarum» [9].

251. H.E.Gottlob Paulus (1761-1851) habet *theoriam naturalisticam,* qua contendit naturaliter miracula explicare..., non per simplicem fraudem. Atque huic accedet Ernestus Renan (cf. n.256).

Non negant quidem aliquam genuinitatem et aliquam historicitatem evangeliorum, immo admittunt facta narrata. Sed contendunt ea inveniri exaggerationibus implicata; critici autem esse ab his exaggerationibus facta ipsa purgare et naturaliter explicare. Ita v.gr. Gottlob Paulus quoad resurrectionem Lazari [10]: «Christus non cogitavit de miraculo patrando, sed voluit amicum Lazarum videre mortuum ut ei valedicat. Martha quidem eum arcere conatur, quia Lazarus *iam quatriduanus est* et iam *foetet* (Io 11,39). Sed foetorem nequaquam ipsa percepit—ita Paulus—, sed eum potius timens suspicatur, quia persuasum habet Lazarum esse revera mortuum. Iesus autem, pro more suo orans ad Patrem, dubitans de amici sui morte, intra se dicit: Forsan adhuc vivit. Tollunt lapidem; iam Iesus Patri gratias agit. Cur? Intuitu primo vidit Lazarum, apparenter tantum mortuum, sese movere. Advocat eum. Lazarus venit. Obtupescit multitudo. En quomodo fama miraculi oriri potuerit» [11].

252. Fridericus Strauss (1808-1874) habet *theoriam mythicam* [12]: quae in evangeliis supernaturalia sint esse mythos, opus non quidem praemeditationis fraudulentae, sed phantasiae et ingenii proni ad poesim; efformatos in primaeva generatione Christiana ad extollendam imaginem Iesu ut Messiae. Sic primaevi christiani fervore et phantasia adscripserunt Iesu Nazareno *sub influxu V.T.* illa quae in V.T. de Messia vel de aliis dicebantur; atque sic imago quaedam idealis Iesu, non historica, efformata est.

8 *Vom Zwecke Jesu und seiner Jünger.*
9 Dieckmann, *De revelatione* n.507.
10 *Das Leben Jesu ais Grundlage einer reinen Geschichte des Urchristentums* (Heildelberg 1828) I,2,6oss: apud Dieckmann, n.508.
Dieckmann, n.508.
12 *Das Leben Jesu kritisch bearbeitet4,* inter annos 1835-1840.

Sicut Moyses, v.gr., dedit populo manna et Elias multiplicavit farinam..., sic et legenda invaluit: lesum multiplicasse panes; perperam autem discipulos intellexisse verba lesu de «pane caelesti».

Quoniam vero tempus necessarium fuit ut tales mythi efformarentur, hinc—dicit—*evangelia scripta esse medio saeculo 11.* Cum autem etiam recentiores rationalistae concedant evangelia multo antea scripta esse in primo saeculo, ab ipsis rationalistis haec theoria mythica deseritur.

253. Ferdinandus Christ. Baur (1792-1860) auctor est *scholae criticae tiibingensis* 13, quae ait omnia in evangeliis esse deformata propter *influxus tendentiarum primitivae ecclesiae* (petrinismus et paulinismus). Atque haec evangelia, ut illae tendentiae possent evolvi, scripta esse autumat ad finem saeculi I vel initio II.

luxta *scholam igitur tiibingensem* inveniuntur in evangeliis vestigia tendentiarum quas supponit exstitisse in primitiva ecclesia. Hae tendentiae—dicit—erant *petrinismus, iudaizans, et paulinismus, universalizans,* quas tendentias deducendas praetendit ex Gal 2,7ss, ubi Petro adscribitur *apostolatus circumcisionis,* Paulo autem *apostolatus inter gentes.*

Frustra tamen id dicitur ut de tendentiis sibi oppositis. Erant enim merae practicae divisiones laboris; et quaestio disciplinaris, non doctrinalis dissensus, illud erat quod in Concilio lerosolimitano agebatur. Paulus quidem *in faciem restitit* Petro; quia hic, non aperte agens et interdum simulationi cedens, *reprehensibilis erat* (Gal 2,11). Sed Petrus *gentiliter vivebat et non iudaice* (Gal 2,14); et baptizans Cornelium aliosque ethnicos, admisit illos in Ecclesiam (Act 10); in Concilio vero lerosolimitano commemoravit *Deum per os suum* (Petri) *elegisse Gentes audire verbum evangelii et credere* (Act 15,7).

Ex huiusmodi praeiudiciis et suppositis tendentiis, iuxta hanc scholam evangelia, potius quam fontes stricte historici, respondent desiderio hasce tendentias conciliandi: evangelium Mt esse' primum conatum conciliationis inter petrinismum et paulinismum, atque conscriptum esse initio saeculi II; sed non obtinuisse effectum. Evangelium Lc paulo postea (a. 120-135) ortum esse; neque effectum obtinuisse ob praevalentiam paulinam. Tandem evangelium Mc id obtinuit medio saeculo II, dum praescinderet ab elementis singularum factionum.

Atque huic scholae accensêntur, licet discedant ab ea in particularibus, Keim ›4, Volkmar 18J16Hilgenfeld l‹s, Holsten 17*

254. Bruno Bauer (1809-1882), assecla scholae criticae tiibingensis, negando rotunde historicitatem evangeliorum, eo devenit ut de ipsa historica exsistentia lesu dubitaret *8.

13 Scripsit *Das Christentum und die christliche Kirche in den drei ersten Jahrhundertenz* (Tubingen i860): *Kritische Untersuchungen Uber die kanonische Evangelien* (Tubingen 1847). Cf. Rosadini, n.192 p.246.

14 Geschichte Jesu von *Nazara (* 1867).

15 Die Evangelien (1870) (considerat tamen Mc antiquiorem ceteris); cf. Rosadini, n.192.

16 Einleitung in das Neue Testament (1875).

17 Die drei ursprilnglichen Evangelien (1883) (credit Lc recentiorem aliis); cf. Rosadini, n.192.

38 Cf. n.365.

255. Schola liberalis recentior profitetur *ecclecticismum,* plura scilicet coniungens: criticismum (i.e. hypercriticismum), cum studio comparativo religionum et cum methodo psychologica; et accurrit sive ad explicationem naturalisticam, sive ad mythos, sive ad relationes exaggeratas; ut hoc modo evangeliis deneget plenam historicitatem.

256. Ita, iuxta Ernestum Renan (1823-1892) I9, evangelia sunt legendae, siquidem in iis inveniuntur miracula et res supernaturales; hae legendae sunt conscriptae non quidem ab apostolis (Matthaeo, loanne) vel a Marco et Luca, sed scriptae iuxta traditiones quae ab his viris dicebantur provenire. Cum ergo proveniant remote ab his testibus valde mediatis, sunt historicae in *nucleo aliquo,* sicut in legendis de S.Francisco de Asis; at multa secernenda... iuxta explicationes et methodos *à la Renan 20.*

Alii similis tendentiae sunt A.Sabatier 21, B.Weiss 22, R. éville 23, A.von Harnack 24, W.Wrede 25, A.Jülicher 26, atque etiam I.Wellhausen, H.I.Holtzmann, et A.Loisy 27.

257. *Modernistarum* autem haec est vox: Christum historicum mutatum fuisse in Christum idealem per naturalem processum transfigurationis et defigurationis. Atque hi pro synopticis retinent systema duorum fontium (Mc et Logia), in quibus aliqua erant historica; sed redactores posteriores veris falsa miscuerunt (cf. n.349).

258. Elementa haec vera contendit invenire recentior *methodus historica formarum (Formengeschichte),* quae vult elementa primitiva invenire in narrationibus miraculorum et in verbis lesu... Ad talem methodum pertinent M.K.L.Schmidt, M.Dibelius 28 et R.Bultmann 29, qui sic procedunt mere supponendo per transcursum temporis et traditionis nova elementa admixta fuisse..., et ex alia parte ignorando studium chris-

*19 Vie de Jésus** (Paris 1863).

20 Vide v.gr. eius explicationem (à la Renan) de *illusione* apostolorum circa resurrectionem lesu, in n.546 in nota 15.

21 Jésus-Christ: Encyclopédie des sciences religieuses t.j (Paris 1880) 341-401.

22 Das Leben jesu (Berlin 1882). 2 vol.

23 Jésus de Nazareth (Paris 1897).' 2 vol.

24 Das Wesen des Christentums (edit, ab anno 1900).

25 *Das Messiasgeheimnis in den Evangelien* (Gottingen 1901)

26 *Die Religion Jesu:* Die Kultur der Gegenwart 1,4: 52-69 (Leipzig 1905).

27 *L'Evangile et l'Eglise* (Paris 1902); *Autour d'un petit livre* (Paris 1903); *Les Evangiles synoptiques* (Paris 1907-1908) 2 vol. De erroribus modernistarum, cf. D 2013-2018; et insuper *Encyclica «Pascendi»* D 2096; cf. 2072.2076.

28 *Die Fornigeschichte des Evangeliums* (Giessen 1919).

*29 Gcschichte der synoptichen Tradition*2 (Göttingen 1931).

tianorum accuratissime servandi «quod traditum erat», et negligendo quoque testimonia contraria traditionis et aptitudinem semitarum memoriter servandi quod accepissent...

Ita hi adversarii, quoad synoptica, volunt haec evangelia ad genus historicum referre; at non illud strictum et altae—ut dicunt—litteraturae *(liochlilteratur);* sed ad illud populare *(Kleinlitteratur),* quale invenitur in Legenda aurea vel in aliis legendis sanctorum, ita ut multa fabulosa misceantur veris ex tendentia vulgi exornandi sanctos 30.

ARTICULUS II

De auctoribus Evangeliorum et Actuum

Thesis 16. Auctor primi evangelii est Matthaeus, Christi apostolus.

E.Mancenot, *Matthieu (Evangile de Saint):* DB 4.876-896; J.Knabenbauer, *Comment, in evangelium sec.Matthaeum* (Parisiis 1922) 1,1-62: Introductio; Rosadini, η.108-132; Gaechter, n.68-89; Simôn-Dorado, *Novum Testamentum* i 1.i c.2 a.i; L Méchineau, *Il Vangelo di S.Matteo secondo le risposte della Commissione Biblica* (Roma 1912).

259. Status quaestionis. Loquimur de evangeliis ea designando secundum ordinem quo inveniuntur in catalogis ecclesiasticis, atque adeo in cànone librorum sacrorum et in editionibus quae de iis factae sunt et fiunt..

Haec evangelia nominantur *secundum Matthaeum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum loannem;* quod dicimus intelligi debere et sonare non *secundum praedicationem Matthaei, etc.,* sed *scriptum a Matthaeo, etc.*

Si evangelium re vera habet originem ab eo cui tribuitur, tunc est *genuinum (genuinitate auctoris);* si re vera pertinet ad tempus quo dicitur scriptum fuisse, tunc erit genuinum *genuinitate temporis.* Cf. n.215.

260. Adversarii praecipui in hac thesi sunt *rationalistae et protestantes liberales,* qui thesim negant, *saltem de euangelio prout nunc est,* contendentes Matthaeum scripsisse tantum effata (λὸγια) Domini (cf. n.268); hodiernum vero evangelium, eo quod induat universalismum et «catholizet», esse recentius

50 De opinionibus Dibelii et Bultmann crisim statuit recenter quoad evangelicas sanationes L.J.McGinley, S.I., *Form-Criticism of the Synoptic Healing Narratives. A study of the Theories of M.Dibelius and R.Bultmann* (Woodstock 1944); negat sane analogiam inter curationes evangelicas easque litteraturae rabbinicâe atque Epidauri... Antea, circa historiam Passionis scripsit E.Florit, *Il metodo della 'Storia delle forme· e sua applicazione al racconto della Passione* (Roma 1935).

compositum (cf. D 2151); vel ex eo quod contineat vaticinia de destructione Jerusalem fuisse scriptum post hunc eventum (D 2150).

261. Doctrina Ecclesiae circa evangelium Mt habetur *in responsionibus Commissionis Biblicae* die 19 iunii 1911 datis (D 2148-2154). Ex his ad rem praesentem maxime attinet quod *attento universali et a primis saeculis constanti Ecclesiae consensu, quem luculenter ostendunt diserta Patrum testimonia* [cf. n.263-271], *codicum evangeliorum inscriptiones* [cf. n.272], *sacrorum librorum versiones vel antiquissimae, et catalogi a Sanctis Patribus, ab ecclesiasticis scriptoribus, a Summis Pontificibus et Conciliis traditi, ac tandem usus liturgicus Ecclesiae orientalis et occidentalis, affirmari certo potest et debet Matthaeum Christi apostolum, revera evangelii sub eius nomine vulgati esse auctorem* (D 2148).

Atque *satis fulcitur sententia quae tenet Matthaeum et ceteros Evangelistas in scribendo praecesisse et primum evangelium patrio sermone a ludaeis palaestinensibus tunc usitato, quibus opus illud erat directum, conscripsisse* (D 2149).

Valor theologicus. Thesis ergo debet *assensu interno religioso sustineri* Et cf. D 2113 (EB 286 [279]) circa auctoritatem Commissionis Biblicae, et EB 519.

262. Probatur 1° argumentis extrinsecis, scilicet per documenta historica, quibus primario facta historica demonstrari debent.

«... perspicuum est in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda; illas vero rationes internas plerumque non esse tanti ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari. Secus si fiat, magna profecto consequentur incommoda...», niqairum, plus audaciae et subiectivismi in iis adversariis qui haec criteria interna ad praeiudicatas opiniones inveniendas tantopere extollunt [1].

Ad probationem igitur ea adducemus documenta historica, quibus *universalis* omnium fere ecclesiarum et *a primis saeculis constans traditio* comprobetur. Placet vero ita disponere tes-

1 Assensu interno religioso teneri debent illae veritates, quae per magisterium Ecclesiae non quidem definiuntur infallibiliter, sed ita imperantur ut eis debeatur assensus non mere externus et obsequioso silentio, sed vere *internus;* ex motivo non quidem infallibilitatis Ecclesiae, sed *ex motivo religioso oboedientiae;* talis assensus, cum ab Ecclesia imperatur, est moraliter certus.

2 *Encyclica «Providentissimus»:* D 1946; EB 119 [104J.

timonia, ut generatim ex recentioribus procedamus ad remotiora et primaeva.

263. *Saeculo IV* S.Hieronymus (c.347-420), qui quasi interpres plurium ecclesiarum valet, ut *romanae, palaestinensis...,* ita asseverabat:

«*Matthaeus, qui et Levi, ex publicano apostolus,* primus in ludaea propter eos qui ex circumcisione crediderant, *Evangelium Christi Hebraicis litteris verbisque composuit;* quod quis postea in Graecum transtulerit, non satis certum est. Porro ipsum Hebraicum habetur usque hodie in Caesariensi bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissime confecit. Mihi quoque a Nazaraeis, qui in Beraea urbe Syriae hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit» 3.

Atque S.Augustinus (354-430), *ex ecclesia africana,* scribens contra Faustum manichaeum, aiebat:

«Sicut ergo ego credo illum librum esse Manichaei, quoniam ex ipso tempore, quo Manichaeos vivebat in carne, per discipulos eius certa successione praepositorum vestrorum ad vestra usque tempora custoditus atque perductus est: sic et *istum librum credite esse Matthaei, quem ex illo.tempore, quo Matthaeus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum, ecclesia certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit»4.*

Similiter S.Ephraem (c.306-373), diaconus *in ecclesia syra,* scribebat: «Matthaeus hebraice scripsit evangelium, quod postea in linguam graecam versum est»5.

Neque desunt alii testes ex aliis ecclesiis. Sic S.Ioannes Chrysostomus (344-407), *ex ecclesia constantinopolitana et antiochena:*

«Narratur porro Matthaeum, accedentibus rogantibusque ludaeis qui crediderant, ea quae verbis protulerat, litteris descripta iisdem reliquisse, et Hebraice evangelium scripsisse...» 6.

Item S.Epiphanius (c.315-403) *ex ecclesia palaestinensi7;* S.Cyrillus Ierosolimitanus (c.313-386) in suis *Catechesibus 8.*

Ad initium saeculi IV invenitur testimonium eruditissimi Eusebii Caesariensis (c.265-340), patris scilicet Historiae ecclesiasticae (quam scripsit annis c.303-325), qui, post inves-

3 *De viris illustribus* (compositum inter 360-400) c.3 : ML 23,643·
4 *Contra Faustum manichaeum* (anno 400) I.28 c.2: R 1606.
5 *Euangelii concordantis expositio* (edit.Aucher) 286.
6 *In Mt* homil.i : MG 57,17.
7 *Haerescs* 51,5: MG 41.896 A.
8 *Catecheses* (conscriptae a.348) 14,15: MG 33»844 C.

tigationes a se factas, ait: «Matthaeus, cum Hebraeis primum fidem praedicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, euangelium suum patrio sermone conscribens, id quod praesentiae §uae adhuc superesse videbatur, scripto illis quos relinquebat supplevit» 9.

264. *Saeculo III vel II* reperiuntur testes, eruditione quoque pleni, qui rem eandem testantur:

Tertullianus (c.160-223), egregius repraesentans ecclesiae *Africae proconsularis,* primus inter latinos rem testatur, et adversus Marcionem, evangelium adulterantem, ita proclamat:

«Constituimus imprimis evangelicum instrumentum apostolos auctores habere, quibus hoc munus evangelii promulgandi ab ipso Domino sit impositum... Denique nobis *fidem ex apostolis Joannes et Matthaeus insinuant, ex* apostolicis Lucas et Marcus instaurant» 10.

Atque aperte de primo evangelio idem Tertullianus: *«Ipse in primis Matthaeus, fidelissimus evangelii commentator, ut comes Domini...,* ita exorsus est: Liber geniturae lesu Christi, filii David, filii Abraham» ·›.

Origenes vero (185-255), vir in *ecclesia alexandrina* eruditissimus, ita proclamabat:

«Sacerdotali tuba *primus in evangelio suo Matthaeus increpuit;* Marcus quoque, Lucas et loannes suis singulis tubis sacerdotalibus cecinerunt... lalludens ad evangelia eorum, et postea referens alios libros N.T.]... Addit nihilominus adhuc et loannes tuba canere per epistolas suas et Apocalypsim, et Lucas apostolorum gesta describens» 12.

Et in *Commentariis in evangelium Mt* sic habebat ex testimonio Eusebii:

«Sicut ex traditione accepi de quatuor evangeliis, quae sola in universa Dei Ecclesia quae sub caelo est citra controversiam admittuntur: *primum scilicet scriptum esse evangelium secundum Matthaeum,* prius quidem publicanum, postea vero apostolum lesu Christi, qui illud hebraico sermone conscriptum, ludaeis ad fidem conversis publicavit...» I3.

De Clemente Alexandrino (i50-2i5) adsunt documenta, quibus constat eum novisse evangelium Mt:

Sic ex testimonio Eusebii: «Clemens... traditionem quamdam de ordine evangeliorum, quam a vetustioribus presbyteris acceperat, refert in hunc

° *Hist, eccles.* I.3 c.24: MG 20,265 A.
Adversus Marcionem (anno 207-208) 4,2: R 339. Cf. R 341.
1 ⁸ *De carne Christi* c.22: ML 2,834 B.
12 *In lesu Nave* homil. 7,1 (anno 240-51): R 538.
⁸ 3 *Hist, eccles.* 6,25: R 503·

modum. Dicebat ex evangeliis prius scripta esse illa quae seriem generis dominici continent...» I4.

Et ipse ait: «In evangelio autem secundum Matthaeum quae ab Abraham deducitur genealogia...» 1Ş16

De magistro Clementis, de Pantaeno (f c.200), qui antea rector scholae catecheticae alexandrinae ad Indos convertendos peragraverat, refert idem Eusebius:

«Pantaenus ad Indos usque penetrasse dicitur ibique evangelium Matthaei, quod adventum ipsius iam praevenerat, apud quosdam Christi notitia imbutos reperisse: quibus scilicet Bartholomaeus, unus ex apostolis, olim ut fama est praedicaverat, et evangelium Matthaei hebraicis conscriptum litteris reliquerat, quod quidem ad praedicta usque tempora servatum esse memoratur» ,ʕs.

265. S.Irenaeus vero (c. 140-202), episcopus Lugdunensis, egregius est testis, utpote qui vir eruditus et traditionem cognoscens *ecclesiarum Galliae et Romanae atque Syriae.* Ipse luerat discipulus S.Polycarpi '7, qui et loannis apostoli fuit discipulus.

Ait *autem Irenaeus:* «Ὁ μέν δή Ματθαίο; *Iv* τοί; 'Εβραίοι; τη Ιδία διαλέκτω αυτών καί γραφήν έξήνεγκεν εναγγελίου, του Πέτρου καί του Παύλου έν 'Ρώμη εύαγγελιζομένων καί θεμελιούντων τήν έκκλησίαν. Μετά δέ τήν τούτων έξοδον, Μάρκο , ὁ μαθητή καί έρμηνευτή Πέτρου, καί αυτό τά υπό Πέτρου κηρυσσόμενα έγγράφω ήμίν παραδέδωκε...»

vita Matthaeus inter Hebraeos ipsorum lingua scripturam edidit evangelii, Petro et Paulo Romae evangelizantibus 1810t fundantibus ecclesiam. Post vero horum excessum Marcus, discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro annuntiata erant per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem, sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur evangelium in libro condidit. Postea et loannes, discipulus Domini, qui et supra cius pectus recumbebat, et ipse edidit evangelium, Ephesi Asiae commorans» ,9.

Et paulo post refert: «Tanta est autem circa evangelia haec firmitas, ut ‹l ipsi haeretici testimonium reddant iis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam. Ebionaei etenim, eo evangelio quod est secundum Matthaeum solo utentes, ex illo ipso convincuntur non recte praesumentes de Domino...» 20.

14 Hist, ecclcs. 6,14,5: R 439·

15 Strom. 1,21 : MG 8,890 C.

16 Hist, eccles. 5.10.3: R 660

,7 «... quem [Polycarpum] et nos vidimus in prima nostra aetate (multum enimpersevei.ivit, et valde senex gloriosissime et nobilissime martyrium faciens exivit de hac vita), haec docuit semper quae ab apostolis didicerat, quae et ecclesiae tradidit et sola sunt vera. Testimonium his perhibent quae sunt in Asia ecclesiae omnes et qui usque adhuc successerunt l'olycarpo» *('Adversus haereses* 3.3.4: R 212).

18 Nimirum *viva voce:* atque haec ratio videtur oppositionis, cum Matthaeus *scripto* apud ʜidaeos labqrasset. Quia hoc testimonium Irenaei debet cohaerere cum sequentibus *de tempore* ('mpositionis Mt.* Ceterum non nimis premenda sunt verba Irenaei quoad tempus compositionis. Cf. D 2150.

19 Adversus haereses 3,1,2: R 208.

-u Adversus haereses 3,11,7: R 214

266. Testimonium Papiae. Iam accedimus ad testimonium omnium antiquissimum, testimonium Papiae.

Hic erat, iam ante annum 130, episcopus Hierapoleos in Frigia, et dicitur ab Irenaeo: «Ioannis auditor, Polycarpi contubernalis, vir antiquus... qui quinque libros conscripsit»21. De hoc illius opere Λογιών Κυριακών εξηγήσεων (βίβλιοι πέντε) meminit etiam Eusebius, qui ceterum innuere videtur Papiam non dicere se fuisse sanctorum apostolorum spectatorem atque auditorem 22.

Ex fragmentis vero ab Eusebio collectis nobis testimonium Papiae servatum est. En Papiae verba, ex graeco translata, quibus ostenditur desiderium Papiae cognoscendi traditionem antiquorum, praesertim seniorum (των πρεσβυτέρων) i.e. apostolorum, atque simul diligentia ab eo posita in investigatione:

«Nec pigebit, inquit [Papias], ea quae quondam a senioribus *bene didici* (καλώ έμαδον) et *bene memoriae mandavi* (καλώ έμνημόνευσα) cum interpretationibus nostris ascribere, ut *veritas eorum assertione quoque nostra firmetur*. Non enim, ut plerique solent, eos unquam sectatus sum qui verbis affluerent, sed eos potius qui verum docerent; nec eos qui nova quaedam et inusitata praecepta, sed illos qui Domini mandata fidei tradita, et ab ipsa veritate profecta memorabant.—Quodsi quis interdum mihi occurrebat qui cum senioribus versatus fuisset, dicta seniorum exquirebam: quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Ioannes, quid Matthaeus aut quis alius ex discipulis Domini *dixerunt* (ἀνέκρινον... τΐ... είπεν),' et quaenam Aristion et Ioannes praesbyter (ὁ πρεσβυτέρα Ιωάννη), discipuli Domini, *dicunt* (Χέγουοιν, in praesenti). Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam *ex hominum adhuc superstition viva voce*) 23.

267. «Aiebat etiam presbyter ille: Marcus, Petri interpres, quaecumque memoriae mandaverat diligenter perscripsit, non tamen ordine, quae a Domino aut dicta aut gesta fuerant (τὰ ὑπὰ τοϋ Χριστού ἡ λεχθέντα ἡ πραχθέντα). Neque enim ipse Dominum audierat aut sectatus fuerat unquam. Sed cum Petro, ut dixi, postea versatus est, qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini historiam contexeret, evangelium praedicabat. Quocirca nihil peccavit Marcus, qui nonnulla ita scripsit prout ipse memoria repetebat. Id quippe unum studebat, ut ne quid eorum quae audierat praetermitteret, aut ne quid falsi iis affingeret» 24. 1

268. «Haec de Marco Papias narrat. De Matthaeo vero sic habet:

«Matthaeus quidem, inquit, hebraico sermone (διαλέκτω) divina conscripsit (συνεγράψατο) oracula (τὰ λόγια): interpretatus est autem unusquisque illa prout potuit» 25.

21 *Adversus haereses 5.33.4'* R 261.
22 *Hist, eccles.* 3,39: MG 20,296 A.
23 *Hist, eccles.* 3.39: MG 20,296s: cf. Kch 45s; R 94.
24 *Hist, eccles.* 3,39: MG 20,300; Kch 48: R 95.
25 *Hist, eccles.* 3,39: MG 20,300; Kch 49; R 95.

Iam vero *Matthaeus* non alius nisi apostolus esse potest: non enim alius nisi apostolus notus erat; et de apostolo Matthaeo Eusebius, opus integrum Papiae cognoscens, intellexit.

Hebraico sermone i.e. lingua aramaica, vulgari tunc apud hebraeos 26, quam christiani, qui lingua graeca utebantur v.gr. in Asia minore, interpretati sunt prout potuerant in orali, uti mos erat, sermone ad populum.

Τὰ λόγια dicit directe *effata, oracula,* quibus abundat evangelium Mt 27, sed etiam dicit *actiones et facta* Domini: quia libri Papiae, sub titulo etiam λογίων κυριακών, continebant et dicta et *facta* Domini 28; et Papias, agens paulo antea de evangelio Mc, sc. *de historia sermonum* (λογίων) *Domini,* intelligit in ea *quae a Domino aut dicta aut gesta fuerant* (ἡ λεχθέντα ἡ ττραχθέντα).

Praeterea, haec oracula *conscripsit sive* aliquo ordine cum aliis congessit, quod indicat exsistentiam libri.

269. De valore huius testimonii. Sine dubio testimonium Papiae magni faciendum est: *a)* quia primum est testimonium explicitum attestans Matthaeum fuisse auctorem primi Evangelii; *b)* et testimonium est viri qui diligenter exquirebat dicta antiquorum seniorum, sc. apostolorum et discipulorum Domini *(bene didici, bene memoriae mandavi, ut veritas eorum assertione quoque nostra firmetur...); c)* atque hoc testimonium, etsi conscriptum fuerit a Papia ineunte saeculo II, refert tamen dicta «presbyteri Ioannis», prolata ad summum, ut terminum post quem non, verisimilius in fine saeculi I 29;

270. *d)* Hic «presbyter Ioannes», unde venit traditio, PROBABILIUS EST IPSE IOANNES APOSTOLUS:

Eusebius quidem de alio Ioanne discipulo Domini est interpretatus, ex co quod Papias bis posuerit nomen Ioannis: primo cum apostolis, dein extra

26 Cf. Act 21,40 uni S.Paulus dicitur loqui ad plebem Hierosolymis *lingua hebraea.* Vide contra quae habet Gaechter, n.73 et 88 in suppositione Mt destinari primario non ad multitudinem in fide confirmandam, sed ad iudaeos non credentes cosque litteratos, qui uterentur lingua neo-hebraica et erudita, sicut saec.XV-XVII multi eruditi nostrates utebantur lingua latina. Origenes vero ait: scriptum fuisse Mt *iudaeis ad fidem conversis;* apud Eusebium, *Hist, eccles.* 6,25: MG 20,581 C. Cf. D 2149. et Rosadini, p.tiç.

27 Inveniuntur in Mt quinque magnae collectiones sermonum Domini. Cf. v.gr. Gaechter, *Introductio* n.68; infra n.274, in nota 43.

2R V.gr. de muliere adultera, ut refert Eusebius, *Hist, eccles.* 3,39: MG 20,300.

29 Si enim supponamus huiusmodi discipulos tempore Domini habuisse aetatem c.20 annorum (non enim meri pueri aut adulescentes habebantur discipuli Domini), in fine primi saeculi iam habuisset senior ille c.90 annos, vere *senior* (ὁ πρεσβυτερο), nec diutius in saeculo II protraxisset vitam.

E.Gufwenger concludit Papiam pertinere ad annum ante no, et floruisse tempore Clementis Romani; scripsisse vero a.c.90-100 ante compositionem Apocalypseos, quia hanc non cognovit ut constat ex silentio Eusebii de hac re. Ideo et Ioannes presbyter nequit alius essequam Ioannes Apostolus *(Papias. Einechronologische Sludie:* ZkathTh 69 (1947] 385-416).

numerum apostolorum, et praeponens illi Aristionem quemdam; insuper ex eo quod Ephesi duo fuerint sepulcra Ioannis. Huic *presbytero Ioanni,* non apostolo, vult Apocalypsim esse tribuendam 3°.

Ex Dionysio enim Alexandrino (t c.264) accepit Eusebius fuisse Ephesi duo monumenta sive sepulcra sub nomine Ioannis magno honore habita; et inde atque ex examine interno scriptorum volebat Dionysius *alium* Ioannem fuisse apostolum et scripsisse evangelium Io et 1 epist.Io, *alium vero* fuisse discipulum Domini et scripsisse Apocalypsim 30

S.Hieronymus refert illud de duobus sepulcris Ioannis Ephesi, et alteri Ioanni presbytero tribuit 2 et 3 Io 32, non vero Apocalypsim, quam tribuit Ioanni Apostolo 33.

«Presbyterum Ioannem» diversum esse ab apostolo Ioanne defendebant primus Keim (1867) 34, dein Harnack 35; et inter recentiores Lagrange, Jacquier, Grandmaison, Huby, Lusseau-Collomb 36.

271. At vero maior pars auctorum catholicorum affirmat presbyterum Ioannem esse Ioannem apostolum. Et merito quidem:

1) Ex examine testimonii Papiae apparet *presbyteros primum nominari ipsos apostolos 37;* Aristion vero, etsi vocetur discipulus Domini (ac proinde aetate tunc *senior* esset), non tamen vocatur *presbyter.* Joannes tamen vocatur *presbyter.*

2) Quod si nomen Ioannis duplicatur, ratio videtur esse in diversitate temporum circa dicta quae exquirebantur: primum *quid dixerunt* (tempore praeterito), dein *quid dicunt* (tempore praesenti) illi Aristion et presbyter Joannes, qui supponuntur adhuc vivere dum Papias investigabat.

3) Presbyter ille (ὁ ττρεσβὐτερο$, cum articulo) est persona omnino determinata et nota; quod quidem nomen respondet apprime denominationi in initio 2 et 3 Io item determinatae (ὁ πρεσβὐτερο$), *epistolarum Apostoli Ioannis,* ut communiter habentur 38; quod sane videtur indicare hoc nomen proprium Apostoli Ioannis in sua senectute fuisse. Et ita peculiariter proprium, quia ex viventibus tunc discipulis Domini (Aristion et Joannes) unus «presbyter» erat superstes. Atque post Aristionem ponitur, fortasse quia et aetate eum et vita superavit sua senectute.

4) S.Irenaeus, in rebus asiaticis bene peritus, non nisi unum Ioannem eumque evangelistam meminit.

30 *Hist, eccles.* 3.39.5= MG 20,297; Kch 47.
31 Apud Eusebium, *Hist, eccles.* 7,25: MG 20,697.701-704.
32 *De viris illustribus* c.17: ML 23,670.
33 *De viris illustribus* c.9: ML 23,655.
34 *Geschichte Jesu von Nazara* (Zurich 1867); cf. Rosadini, n.209 p.278.
35 *Die Chronologie...* v.i p.6s6-68o; cf. Rosadini, *ibid.*
36 Recensionem auctorum pro utraque parte vide sis apud J.Leal, *El valor historico de los cvangelios2* p.109.
37 Gaechter tamen videtur supponere *seniores* non esse apostolos.
38 Cf. v.gr. Gaechter, n.307.

5) Opinio Dionysii de altero Ioanne, auctore epistolarum 2 et 3 Io, hodie a catholicis merito derelicta est. Atque etiam inde infirmatur opinio Eusebii, qui alterum Ioannem dicit scripsisse Apocalypsim et hunc esse presbyterum Ioannem. Et notare iuvat Eusebii interfuisse minuere auctoritatem Papiae, ob admissas ab hoc fabulas millenaristicas 39.

272. De titulis evangeliorum. Tituli evangeliorum *secundum Matthaeum, secundum Marcum...,* etsi non ab initio neque ab ipsis auctoribus positi (neque enim mos erat nomina auctorum inscribendi40), sunt tamen antiquissimi: adeo ut ad primam medietatem saeculi II referantur41.

Etsi per se possint significare evangelium *secundum praedicationem Matthaei...,* id tamen non suadetur; quia tunc de Mc et Lc debuisset dici *secundum Petrum* et *secundum Paulum,* quorum praedicationem referunt respective Mc et Lc (cf. n.278ss.289ss). Sensus ergo est *de auctore* singulorum evangeliorum; ad quod significandum modus loquendi non erat alienus (cf. v.gr. 2 Mac 2,13: ἐν Tats ἀναγραφαῖ; καὶ ἐν τοὶ; νττομνηματισμοK τοl$ κατὰ τὰν Νιεμίαν...).

273· Summa dictorum. Ex dictis igitur constat habitam fuisse primis saeculis *traditionem explicitant et universalem et constantem a primo saeculo* de Matthaeo apostolo auctore primi evangelii. *Nec omnia testimonia ecclesiarum ad unum testimonium Papiae (et Ioannis Apostoli) reduci possunt;* sed illa quae diximus de Pantaeno (et inde de Clemente, de Origene) aperte alium fontem ostendunt.

Haec traditio habet *testes eruditissimos* (ut Hieronymum, Tertullianum, Eusebium, Origenem, Clementem Alexandrinum, Irenaeum); item *testes qui cum apostolis vel cum eorum discipulis versati sunt* (ut Papias et Irenaeus) *vel etiam ipsum Ioannem Apostolum.*

Et *testimonii originem* persecuti sumus usque *ad saeculum I.* Et notare iuvàt de scriptis profanis classicis, de quorum genuinitate nemo dubitat, *tantam et talem* copiam testium, *tam immediatorum* origini scriptorum proferri non posse.

274. 2° Argumentis internis confirmatur Matthaeum Apostolum esse auctorem primi evangelii. Etenim

a) *auctor primi evangelii bene novit res iudaicas* iudaeorumque institutiones, mores; et, scribens ipsis iudaeis res easdem cognoscentibus, bene intelligitur cur nullam de illis explicationem praebeat.

J' De hac re conferri potest J.Chapman, O.S.B', *John the Presbyter and the Fourth Gospel* (Oxford jgi l). Et de sensu praesentis λέγουσιν, cf. J.F.Bligh, S.I., *The prologue of Papias:* Tneobgical Studies, 13 (1952) 234-240.

40 S.Chrysostomus, *Homil. l in Rom* (MG 60,395) ostendit plures libros non habuisse nomen auctoris, quia scribebantur *praesentibus.*

41 Ita et Harnack, *Die Chronologie...* 1,682; cf. Rosadini, n.116 p.134.

Ita v.gr. apparet novisse *geographiam palaestinensem:* Rama (2,18), desertum ludaeae (3,1), Corozain, Bethsaida (11,21), Caphamaum (8,5; 11,23); *duces populi:* Herodes (2,35s), Archelaus (2,22), Herodes tetrarcha (14,1), Caiphas (26,57), Pilatus (27,2ss); *modum loquendi iudaeorum:* raca, fatue, reus concilio, reus gehennae ignis (5,22); iurare per caelum, per terram, per lerosolyma, per caput... (5,34-36); Bar-Iona (16,17), ligare-solvere (16,19; 18,18), iurare in altari (23,18); *consuetudines iudaeorum:* non intrare in civitates Samaritanorum (10,5); de pharisaeis et herodianis (22,15s) et sadducaeis (22, 23-34); pharisaei dilatant philacteria (23,5), sunt hypocritae (23,138s); novit mores nuptiales (25,1-13), mittere in corbonam (27,6): *quae quidem omnia historiae illius temporis accurate respondent.*

b) *Auctor optime loquitur de rebus tributariis et monetariis:* didrachma inventum in ore piscis (17, 24.27); «censum dare Caesari» (22,17), «numisma census» (22,19).

c) *Stylus compositionis ostendit auctorem hominem semiticum:* ita v.gr. in parallelismo membrorum (16,25) aliisque[42]. Item *compositio litteraria* artificiosa declarant hominem litteris excultum [43].

d) *Auctor novit V.T. et illud citat frequentius* quam ceteri evangelistae: septuagies (Lc: 19; Mc: 18; Io: 12); et quidem cum formula absolutae auctoritatis quasi scriptura admissa a legentibus. Item sibi est familiaris religio iudaeorum. Et intentio auctoris est demonstrare lesum Nazarenum esse Messiam praenuntiatum a prophetis populo Israel[44].

e) *Auctor effert in vocatione Matthaei eum fuisse publicanum* (9,9ss); item postea nominat eum publicanum (10,3); quod cum spiritu humilitatis concordat, si auctor re vera est Matthaeus.

f) *Auctor scribit in I saeculo, certo ante eversionem lerusalem anno* 70, ut ostendent sequentes consideratione.

275. De tempore compositionis, a) *Citationes evangelii.* Evangelium Mt citatur in suis dictis (Mt 3,4.11) a S.IusTiNO in *Dialogo cum Triphone* anno c.155 (R 139); a S.Polycarpo (Mt 7,is; 5,3.10) in *Epistola ad Philippenses* anno c.107 (R 71); in *Epistola Barnabae* (Mt 9,13) scripta anno c.96-98, et quidem (Mt 20,16; 22,14) citatur sub formula *sicut scriptum*

42 Cf. de hac re Gaechter, n.70.

43 Hoc artificium apparet iam in *septem* collectionibus partium (nota numerum *sacrum),* in quas dividitur totum evangelium: t.Bpars: 1,1-4, t6 (praeambula); 2.ß pars: 4,17-9,34 (doctrina e *sermone* montano et confirmatio per miracula); 3.* pars: 9.35-11,1 (ubi potissimum, non unice, electio apostolorum agitur et *sermo* ad apostolos); 4.* pars: 11,2-16,12 (potissimum reiectio a populo et *sermo* de parabolis regni); 5.* pars: 16,13-20,34 (praesertim propositum fundandi Ecclesiam et sermo ad discipulos); 6.* pars: 21,1-25,46 (controversiae ultimae cum pharisaeis... et sermo ad illos); 7.· pars: 26,1-28,20 (passio et resurrectio lesu).—Hinc apparet non ordinem praecise chronologicum in omnibus et singulis ab auctore servari, sed ordinem artificiosum vel similitudine idearum et eventuum vel alia idearum associatione. De compositione litteraria et de lingua apud Mt agit Gaechter, n.68-71.

44 De scopo Mt, cf. DB 4,891s.

est (R 30); a S.Clemente Romano (Mt 26,24) in *Epistola I ad Corinthios,* scripta pariter c.96-98 (R 24)[45]; in *Didache* seu *Doctrina duodecim Apostolorum,* orta inter annos 90-100 (Mt 22, 37-39; 7.12; 5,44ss; 28,19; 6,5; 6,9ss; 7,6; 21,9; 24,24; 10,22; 24,10.13.30) (R 1.4-7.10).

Huiusmodi *citata,* quae non sunt unica quae possent afferri, sive *allusiones*[46], supponunt evangelium iam ante annum 90 exstitisse; quod et concordat cum explicito testimonio loannis «presbyteri» apud Papiam (supra n.268s).

276. b) Alia *indicia praeviae compositionis.* In capite Mt 24,1-51, in sermone eschatologico, permiscentur illa quae spectant ad interitum urbis et ad adventum ultimum Domini; quae utique non ita miscerentur, si expugnatio et occupatio urbis iam accidissent cum illa scribebantur. Ergo certo evangelium Mt scriptum fuit ante annum 70[47].

Praeterea in Mt nulla sunt indicia quae permittant supponere rem publicam iudaicam sive convulsam sive in commercio cum romanis perturbatam.

Multa vero sunt quae, supposita dispersione iudaeorum post bellum Vespasiani et Titi et item habita prae oculis profectione apostolorum ad gentes, vix dicerentur. Talia, e.gr. Mt 10,5: *In viam gentium ne abieritis...;* 15,24: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel;* etsi verum sit regnum universale clarissime proponi apud Mt (21,23-46: de vocatione gentilium; 28,19: de praedicatione ad omnes gentes...) et verum sit Mt supponere evangelium ad gentiles nuntiatum fuisse.

c) Si iam admittimus valorem historicum Act 15,1-29 *(de concilio ierosolimitano),* collato loco cum Gal 2,9 (ubi nulla occurrit mentio de S.Matthaeo, inter apostolos qui erant lerosolymis): Matthaeus tunc annis c.48-49 in Palaestina non videtur adfuisse. *Ergo evangelium illius ante eius egressum e Palaestina, i.e. ante annum 48 compositum fuisse videtur.*

277. Obiecliones. Auctor nequit esse Matthaeus, qui supponitur scripsisse ante annum 70. Etenim.

1. Mt tendit ad universalismum regni et ad admissionem gentilium. Ergo ortum habuit ad finem saeculi I.

Nego consequentiam. Tantum ex praeiudicatis opinionibus potest id dici.

2. Mt 22,7 *(civitatem illorum succendit)* et Mt 24 (in sermone eschatologico) alludunt ad expugnationem lerusalem per Romanos. Ergo evangelium scriptum est post annum 70.

45 Item in 2.a epistola (2,4) sub formula *alia scriptura dicit* citatur illud Mt 9,13: *non veni vocare iustossed peccatores;* sed hoc etiam invenitur apud Mc 2,17 et Lc 5,32 .CfF.X.Funk, *Patres Apostolici* / [Tubingae 1901] 186s.

4« Cf. Rosadini, n.iio.m p.126-128.

47 Cf. Declarationem Commissionis de re Biblica (D 2150).

Resp. Obiectio procedit *aprioristice* supponendo impossibilitatem vaticinii. *Neque res adeo vage* (ut in Mt22,7) *vel confuse* (ut in Mt 24) *proponerentur,* si reapse post eventum scriptae essent.

3. S.Irenaeus[48] dicit Mt scriptum esse *Petro et Paulo Romae evangelizantifaus et fundantibus ecclesiam.* Ergo post annum 60 scriptum est Mt, et non antea a Matthaeo apostolo, ut supponitur.

Resp. Verba illa sunt vaga; nec cogunt ut adeo stricte illa sumamus (cf. supra n.265). Praeterea, quoad Mc, errorem passus est Irenaeus in hac re (cf. D 2150 et infra n.281).

4. Omnia testimonia allata reducuntur ad Papiam.

Nego. Cf. n.273. Pantaenus et Clemens Alexandrinus *alios fontes* habent. Item Irenaeus et Origenes non mere repetunt, sed alia nova habent.

5. Neque Papias loquitur de evangelio Mt, sed *de sermonibus* Domini (τὰ λόγια).

Nego ex dictis in probatione n.268 (cf. et D 2151.)

6. Papias, ex Eusebio, erat «admodum mediocris ingenii» 49[50] Ergo non erat testis cum scientia et auctoritate.

Resp. Eusebius infensus erat Papiae propter huius opinionem de millenarismo crasso, materialiter nimis explicando verba apostolorum; sed Eusebius *credidit Papiae in testimonio allato de auctore Mt.* Ceterum Papias diligenter rem in hac re nostra conquisivit, ut constat ex eius verbis (n.266,269); *neque admodum magnum ingenium requiritur* ut quis recte accipiat et referat determinatum hominem esse auctorem alicuius libri.

7. Papias alludit ad evangelium hebraeorum.

Resp. Tale evangelium nondum exsistebat. Nec licet supponere sive Papiam, diligentem exquisitorem, sive loannem Apostolum, errasse de hac re.

8. Falso dicit Papias evangelium Mt fuisse scriptum hebraice. Nam *a)* prodit bonam graecitatem; b/immo continet paranomasias et ludos verborum (graece Mt 24,30; 6,16...); *c)* citat V.T. ex LXX et non ex TM; *d)* dat interpretationes verborum: *Haceldama, hoc est ager sanguinis* (27,8); *Golgotha, quod est Calvariae locus* (27,33).

Resp. 1) *Non tantum Papias id dicit,* scriptum fuisse hebraice, sed et alii, uti vidimus.

2) Ad rationes additas: *Ad a) :* id significat evangelium aramaicum habuisse bonum translatorem; sed et admissa bona versione facta, adhuc restat stylus semiticus internus, de quo supra n.274. *Ad b) :* paranomasiae et ludi verborum non raro inveniuntur etiam in versione latina; nec raro accidit in versionibus quae servant formam originalis: v.gr. «malos male perdet» (21,41), «venerit... invenerit» (24,46), «nolite multum loqui... in multiloquio...» (6,7). *Ad c) :* Non omnes citationes V.T. apud Mt sunt ex LXX, sed alia sunt ex TM. Etiamsi omnes citationes essent ex LXX, id probaret translatorem hausisse ex hac versione. *Ad d) :* Huiusmodi rarae explicationes possunt tribui translatori, qui verba interpretatus sit[51].

48 *Adversus haereses* 3,1,2: R 208. Cf. textum supra, n.265.
49 Hist, *eccles.* 3.39: MG 20.300.
50 Cf. Gaechtf.r, n.So p.66.

Thesis 17. Auctor secundi evangelü est Marcus, Petri discipulus et interpres.

E.Mangenot, *Marc (Evangile de Saint):* DB 4.719-744: MJ.Lagrange, O.P., *Evangile selon S.Marc* (Paris 1929) Introduction; J.Hudy, S.I., *L'Evangile selon S.Marc19* (Paris 1929) p.VII-XX; Gaechter, n.Qo-109; Rosadini, n.133-150; LKnabenbauer, *Commentarius in evangelium sec.Marcum2* (1907) Prolegomena; L.Méchjneau, *I Vangeli di S.Marco c di S.Luca e la auestione sinotica secondo le risposte délia Commissione Biblica* (Roma 1913).

278. Adversarii illi dicendi sunt contra hanc thesim, quos attingit modo exponenda *doctrina Ecclesiae.*

Doctrina Ecclesiae circa evangelium Mc [atque etiam Le] continetur in *responsionibus Commissionis de re biblica* die 26 iunii 1912 datis; et quidem, iuxta primam responsionem, *luculentum traditionis suffragium inde ab Ecclesiae primordiis mire consentiens ac multiplici argumento firmatum... atque etiam internis rationibus ex ipso sacrorum Librorum textu desumptis, certo affirmare cogit Marcum, Petri discipulum et interpretem, Lucam vero medicum, Pauli adiutorem et comitem, revera Evangeliorum, quae ipsis respective attribuuntur esse auctores* (EB 395 [408]; D2155).

Insuper, post Matthaeum, qui omnium primus Evangelium suum patrio sermone conscripsit, *Marcus ordine scripsit secundus* (D 2159); nec licet differre tempus compositionis usque ad urbem lerusalem eversam (D 2160); neque in dubium vocari prudenter potest sententia, quae tenet Marcum iuxta praedicationem Petri scripsisse (D 2162).

Valor theologicus quo thesis tenenda est constat ex dictis, nimirum *assensu interno religioso.*

279. Probatur 10 argumentis extrinsecis: ex disertis Sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum testimoniis.

Saeculo IV, S.Hieronymus, colligens antiquam traditionem, scribit: «Marcus discipulus et interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, *rogatus Romae a fratribus, breve scripsit Evangelium.* Quod cum Petrus audisset, probavit, et Ecclesiis legendum sua auctoritate tradidit [edidit], sicut Clemens in sexto Ὑττοτυπώσεων libro scribit et Papias Hierapolitanus episcopus» [1].

S.I.Chrysostomus, loquens de negatione Domini a S. Petro, refert illa quae habentur apud Mc:

1 *De viris illustribus* 8: ML 23,653s A.

«Marcus vero ait, postquam semel [Petrus] negasset, gallum cantavisse; postquam tertio negasset, tum secundo cantavisse gallum, accuratius recensens infirmitatem discipuli, qui quasi mortuus erat timore: et *hoc Marcus a magistro suo didicit, erat enim Petri discipulus.* Quo magis admirandus est, quod non modo magistri lapsum non celaverit, sed quod etiam clarius quam alii narraverit, eo ipso quod discipulus esset» 2.

Similiter S.Epiphanius: «Itaque post Matthaeum statim *Marco, qui Romae sancti Petri comes fuerat, scribendi evangelii provincia committitur.* Quod cum fecisset, a beato Petro in Aegyptum mittitur. Erat hic unus e LXXII discipulis, qui ob sermonem illum dispersi sunt, quem Dominus elocutus fuerat: Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem, non est me dignus, uti sciunt qui evangelium legerint [Io 6,54]. Verum ille Petri opera reversus ac Spiritu Sancto repletus conscribendi evangelii munus accepit» 3.*

Atque in initio saeculi IV, Eusebius Caesariensis in sua *Historia ecclesiastica* scribebat: «Tantus autem veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum, qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audisse, nec contenti essent caelestis verbi doctrinam viva voce, nullis traditam scriptis accepisse; sed *Marcum Petri sectatorem, cuius hodieque exstat evangelium, enixe orarent, ut doctrinae illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Nec prius destiterunt, quam hominem expugnassent auctoresque illius quod secundum Marcum dicitur-evangelii ĕxstitissent...».*

Cum vero supra ageremus de auctore Mt, iam indicavimus aliqua testimonia directa, quae simul de auctore Mc erant:

280. *Inter auctores saeculi III vel II,* Tertullianus aiebat: «...ex apostolicis [fidem] Lucas et Marcus instaurant» 5.

Et paulo post: «...Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habetnus, Ioannis dico atque Matthaei, licet et *Marcus quod edidit Petri affirmetur, cuius interpres Marcus.* Nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent»6.

Item Origenes meminit *sacerdotali quoque tuba Marcum cecinisse* 7; atque, iuxta Eusebium, affirmaverat: *tSecundum vero* [evangelium] *secundum Marcum, qui prout Petrus ipsi exposuerat, fecit...»8.*

Clemens Alexandrinus occasionem scriptionis refert in hunc modum: «...Marci evangelium ex huiusmodi occasione scriptum fuisse: cum Petrus in urbe Roma verbum Dei praedicasset, et Spiritu Sancto afflatus evangelium promulgasset, multi qui aderant Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum iamdudum sectatus fuisset et dicta eius memoria teneret, ut *quae ab apostolo praedicata erant conscriberet.* Marcus igitur evangelium composuit

2 *In Mt* homil.85 : MG 58,758.
3 *Adversus haereses* 2,51 : MG 41,897-900.
« *Hist, eccles.* 2,15,1 :R 652. Eusebius prosequitur in hoc loco: «Quod cum Petrus per revelationem Sancti Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur». Gaechter, n.103, supponit haec verba tendentiae deberi, sc. affigendi revelationes, etc. Eusebius refert verba Clementis Alexandrini (in sexto *Hypotyposeon;* cf. MG 9,745 θ). quae quidem non omnino concordant prima facie cum iis quae postea, n.280, adducemus ex eodem Clemente. Cf. etiam ex Eusebio, *Hist, eccles.* 2,16: MG 20,173.
5 *Adv. Marcionem* 4,2: R 339.
6 *Adv. Marcionem* 4,5: R 341.
7 *Homiliae in lesu Have* 7.1: R 538.
» *Hist, eccles.* 6,25: R 503·

iisque qui illud ab ipso rogabant impertiit. Quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit omnino rem fieri, nec ut fieret incitavit...» 9. Ergo, iuxta hoc testimonium, Petrus vivebat, saltem cum Marcus incepit scribere.

In *Prologis monarchianis* 10, qui, etsi videantur compositi saec.III-IV, elementa multo tempore superiora continent, ita habetur de Marco: «Marcus, evangelista Dei et Petri in baptismate filius atque in divino sermone discipulus, sacerdotium in Israel agens secundum carnem, levita conversus ad fidem Christi, *evangelium in Italia scripsit* ostendens in eo quod et generi suo deberet et Christo...» 11.

281. S.Irenaeus dicebat (supra n.265): «Post vero horum [Petri et Pauli] excessum Marcus, discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro annuntiata erant per scripta nobis tradidit...» 12.

Et alludens omnino ad Mc, propter allata eius verba initialia et finalia, ait: «Quapropter et *Marcus interpres et sectator Petri* initium evangelicae conscriptionis fecit sic: Initium evangelii lesu Christi, Filii Dei... In fine autem evangelii *ait Marcus:* et quidem Dominus lesus, postquam locutus est eis, receptus est in caelos...» 13.

282. Ex Papia tandem testimonium pro Marco adest, ex ipsis verbis loannis Apostoli, quae Papias refert (supra n.267); qui *«Marcus, Petri interpres, quaecumque memoriae mandaverat diligenter perscripsit,* non tamen *ordine,* quae a Domino aut dicta aut gesta fuerant. Neque enim ipse Dominum audierat aut sectatus fuerat unquam. Sed cum Petro, *ut dixi,* postea versatus est, qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini historiam contexeret, evangelium praedicabat...» (R 95).

Ut dixi: Probabiliter haec sunt verba loannis; alii tamen volunt esse Papiae.

Non *ordine:* Probabiliter, non ordinate, sed prout occasio praedicationis Petri ferebat. Hic defectus ordinis est *in aliquibus,* non in omnibus. Bene concipitur haec praeoccupatio de ordine, si haec verba sunt loannis Apostoli, auctoris quarti evangelii, qui de ordine ipse sollicitus fuit. Hoc igitur testimonium non tam vult ostendere Marcum scripsisse, quod supponitur, quam

9 Ex Eusebio, *Hist, eccles.* 6,14: R 439.
10 Ita vocati quia sapiunt errorem monarchianorum.
11 P.Corssen, *Monarchianische Prologe zu den vier Evangelien:* TU 15 p.9.
12 *Adversus haereses* 3,1,2: R 208.
13 Adversus *haereses* 3,10,6: MG 7,8783. Cf. *ibid.,* 3,11,7: R 214.

illum defendere et auctorizare non obstante aliquo defectu ordinis.

Scriptum Marci nihil aliud esse intelligitur, quam evangelium eius: sic enim Eusebius intellexit, nec aliud opus Mc intelligi potest.

283. Summa dictorum. Ex copia igitur testimoniorum praecedentium aperte colligimus *Marcum, Petri discipulum et interpretem* 14, *revera evangelii quod ei attribuitur esse auctorem* 15. Sic Mc revera scriptum fuit iuxta praedicationem Petri (cf. D 2162).

284. 2.0 Argumentis internis confirmatur quod in extrinseca probatione supra retulimus. Nam

a) *Semitismi frequentes,* praesertim modus loquendi per coordinationem membrorum (v.gr. 1,21-29; 4,1-9), repetitiones (Ιδού, ecce; και, et) 16, et conservatio vocum aramaicarum, de quibus sub *d):* ostendunt *ibi loqui virum semitam, nimirum ibi haberi praedicationem Petri.*

b) *Modus narrandi vividus et concretus* (in oppositione ad Mt) indicat narratorem esse testem de visu; ingenii quidem simplicis, ex vulgaritate interdum vocum (v.gr. de sanatione paralytici 2,1-12; item de tempestate in mari eiusque sedatione 4.3S-41; de multiplicatione panum 6,30-44...).

c) *Narratio peculiarem habet relationem ad Petrum:* cum interdum unus Mc (non item ceteri evangelistae in locis parallelis) *Petrum peculiariter nominet* inter discipulos (1,36; 11,21; 13,3; 14,37; 16,7); de eo probrosa dicuntur («Comminatus est Petro» 8,33); negationes Petri de Domino extollunt praesumptionem illius et circumstantias facti (14,29-31.54-72). *Honorifica tamen illius omittuntur:* piscatio miraculosa in navi Petri (Lc 5,4-9), Petrus ad Dominum pergens super aquas (Mt 14, 28), promissio primatus (Mt 16,17-19), de didrachmate invento in ore piscis (Mt 17,24-27). Haec omnia in hypothesi quod Mc referat praedicationem Petri, et quidem in spiritu humilitatis, bene intelliguntur; sed non ita recte et commode explicantur in gratuito supposito quorumdam rationalistarum Marcum velle humiliare Petrum; cur enim nominet eum peculiariter inter discipulos, cum etiam agit de rebus indifferentibus?

14 Cf. et i Petr 5,13: «Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta, *et Marais filius meus».*

15 De munere interpretis tunc temporis scripsit P.Gaechter, S.I., *Die Dolmetscher der Apostel:* ZkathTh 60 (1936) 161-187.

16 Cf. Gaechter, n.91.

d) *Mc destinatur gentibus et quidem extrapalaestinensibus.*

Explicat enim verba aramaica: «Boanerges, quod est filii tonitrui» (3,17); «Talitha cumi, quod est interpretatum: Puella (tibi dico), surge» (5,41); «Corban, quod est donum» (7,11); «ephphetha, quod est adaperire» (7,34); «Abba, Pater» (14,36); «in Golghota locum, quod est interpretatum Calvariae locus» (15,22); «Eloi, Eloi, lamma sabacthani? quod est interpretatum, Deus meus, Deus meus...» (15,34). Cf. et 3,22; 9,43; 10,46.

Jtem explicat consuetudines indaeorum, ut de lotionibus (7,2-4); *quaedam vero omittit de lege mosaica* (Mt 5,17-26); nec dicit Dominum habuisse missionem peculiarem ad oves quae perierunt domus Israel (Mt 10,5; 15,24).

e) *Aliquando Mc explicat verba graeca latinis:* «misit duo minuta (λεπτά δύο) quod est quadrans (δ έστιν κοδράντ)ς)» (12,42); «duxerunt eum in atrium praetorii (graece: έσω τή$ αύλή$, δ έστιν πραιτώριον)» (15,16). Hoc autem bene cohaeret cum illo iam aliunde noto, scilicet, *Mc scriptum esse pro iis quibus lingua latina erat familiaris,* nimirum pro romanis.

Latinismi apud Mc frequentiores sunt quam in aliis evangeliis: v.gr. λεγιών, legio (5,9); σπεκουλάτωρ, speculator (6,27); κήνσο , census (12,14)... 17.

f) *Auctor scribit in I saeculo, ante annum* 70; ut ostendent sequentes considerationes.

285. De tempore compositionis, *a)* Evangelium Mc invenitur non modo in omnibus codicibus potioribus ({$, B, D)., sed etiam erat in *Diatessaron Tatiani* (c.170) integrum, siquidem invenitur in omnibus antiquis versionibus latinis, syriacis, copticis...

Item inveniuntur de eo citata apud Iustinum, qui in *Dialogo cum Triphone* (c.155) alludit ad Me 3,16s et ait id esse *scriptum in commentariis Petri* 18. Pariter, praeter alios, probabiliter Mc citatur (9,45) a S.Ignatio Martyre in *epistola ad Ephesios* 19; et probabiliter a S.Clemente Romano bis in 1.a *epistola,* quinquies in (sic dicta) *secunda epistola ad Corinthios 20,* inter annos 96-101, quando scriptae fuerunt. Item probabiliter in *Didache,* inter annos 90-100 21.

Ergo dicere possumus evangelium Mc iam in fine saeculi I notum fuisse et veneratum; licet, propter brevitatem et paucitatem sermonum Domini, non adeo citatur sicut Mt et Lc.

17 Fusius de hoc et de styli ratione apud Mc, Gaechter, n.91-94.
18 *Dialog, cum Triphone* c.106: MG 6,723 A. Cf. et R 139.
19 *Ad Ephesios* c.16: Funk, *Patres Apostolici* 1,226.
20 Cf. Funk, 1,645s.
21 *Didache* c.x n.2: R 1.

286. *b)* Mc 13, in sermone eschatologico, quaedam miscet de utroque Domini adventu, scilicet, de destructione urbis et de parousia ultima; quod quidem non faceret, si urbis iam expugnata fuisset. Ergo certo Mc scriptum fuit ante annum 70 (cf. D 2160).

287. *c)* Si utimur argumentis extrinsecis, *determinari pressius poterit tempus compositionis Mc.* Nam traditio tenet (ex supra relatis) evangelium Mc scriptum fuisse ante Lc; Lc vero constat scriptum ante Act; Act vero ante annum 63. Ergo Mc aliquot annis ante annum 63.

Si ex alia parte constat Marcum comitatum esse Petrum et eum audivisse saepius, praesertim cum Romae esset: id fieri non potuit ante annum c.52; quia Marcus ante Concilium lerosolymitanum comitatus fuerat Paulum et Barnabam (Act 12,25; 13.13), et post Concilium lerosolymitanum (anno c.49-50) comitatus est Barnabam in Cyprum (Act 15,39).

Ergo restat ut scriptio Mc plus minusve inter annos c.53-58 collocetur.

288. Objectiones[22]. 1. Datur oppositio inter testimonium Eusebii circa Mc iam scriptum («quod cum Petrus per revelationem cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur») (R 652; supra n.279, in nota 4), et testimonium Clementis Alexandrini («quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit omnino rem fieri, nec ut fieret incitavit») (R 439; supra n.280).

Resp. Oppositio non est quoad auctorem, sed in accidentalibus, si quae adest.

2. Omnia testimonia pendent ex Papia.

Resp. 1) Etiamsi penderent ex uno Papia, *non falsum* est testimonium Papiae.

2) Neque Irenaeus neque Clemens Alexandrinus videntur ab eo pendere, cum nova afferant.

3. In testimonio Papiae non cohaeret, Marcum fuisse *interpretem* Petri, cum dono linguarum apostolis dato die Pentecostes.

Resp. Donum linguarum fuit datum die Pentecostes ad loquendum ea die magnalia Dei (Act 2,11), et «coeperunt loqui variis linguis prout Spiritus *Sanctus dabat eloqui illis»* (Act 2,4). Neque constat hoc donum fuisse permanens.

4. Mirum est Petrum praedicare aramaice et egere alio qui graece simul interpretaretur.

Resp. Nihil mirum in hac re, praesertim si attendas ad mores illius temporis. Neque necessario in *omni occasione* Marcus *semper* omnem sermonem Petri interpretabatur.

Cf. Rosadini, n.i42s.

Thesis 18. Auctor tertii evangelii est Lucas medicus, Pauli adiutor et comes.

E.Mangenot, *Luc (Evangile de Saint):* DB 4.383-402; I.Knabenbauer, *Commentarius in evangelium sec. Lucam* (Parisiis 1005) Prolegomena; Gaechter, n.i 10-145; Posad;Nt, n.rsi-171; L.Méchineau, *I Vangeli di S.Marco e di Luca...* (Roma 1913).

289. Adversarii contra hanc thesim illi in genere dicendi sunt, contra quos sequens *doctrina Ecclesiae* (cf. et η.278).

Doctrina Ecclesiae circa evangelium Lucae continetur in *responsionibus Commissionis de re biblica* die 26 iunii 1912 datis (D 2155 2157-2163). Iuxta primam responsionem, unde verba theseos desumuntur, haec thesis certo affirmari debet. (Vide supra, ubi de evangelio Mc agebatur, n.278; et lege verba in EB 395 [408]).

Atque Lucas tertium scripsit evangelium (D 2159), nec eius compositionem licet differre usque ad urbem Jerusalem eversam (D 2160); scripsit autem Lucas hoc evangelium iuxta praedicationem Pauli (E> 2162).

Valor theologicus theseos constat ex primo horum documentorum: tenendam esse *assensu interno religioso.*

290. Probatur i.° argumentis extrinsecis. *Saeculo IV.* S.Hieronymus, colligens traditionem praecedentium, aperte scribit: «Lucas medicus antiochensis, ut eius scripta indicant, graeci sermonis non ignarus fuit, *sectator apostoli Pauli et omnis peregrinationis eius comes, scripsit evangelium,* de quo idem Paulus: *Misimus,* inquit, *cum illo fratrem cuius laus est in evangelio per omnes ecclesias [2* Cor 8,18]; et ad Colossenses: *Salutat vos Lucas medicus carissimus* [Coi 4,14]; et ad Timotheum: *Lucas est mecum solus [2* Tim 4,11]» *.

Pariter S.Epiphanius: «...Spiritus Sanctus beatum Lucam occultis quibusdam stimulis cogit et excitat, ut ex altissima illa voragine caecorum hominum mentes educeret, et quae fuerant ab aliis praetermissa scriptis commendaret, ne quis a veritate longius aberrans crederet Christi generationem ab eo velut fictam fabulam fuisse propositam» 2.

Eusebius vero Caesariensis ita complectitur traditionem:

«Lucas vero, domo Antiochenus, arte medicus, qui et cum Paulo diu conjunctissime vixit, et cum reliquis apostolis studiose versatus est, artis

1 *De viris illustribus 7:* ML 23,649 B.
2 *Adversus haereses* 51,7: MG 41,899s.

illius ad sanandos hominum animos institutae, quam sibi ex apostolorum doctrina comparaverat, *duos nobis libros divinitus inspiratos reliquit. Alter eorum Evangelium est,* quod quidem ita se prorsus exarasse testatur, prout ab ipsis verbi divini ministris et qui ab initio Christum viderant acceperat: quos etiam omnes se iam dudum assectatum esse profitetur. *Alter liber inscribitur Actus apostolorum,* quos ille non iam auditione acceptos, sed oculis suis spectatos scriptis tradidit. Huius porro Evangelium aiunt a Paulo designari solitum esse, quoties tamquam de proprio quodam Evangelio sermonem faciens dicit: Secundum Evangelium meum...»3.

291. *Saeculo autem III* ex diversis ecclesiis habemus: Origenem, qui meminit (anno c.249-251) *sacerdotalis tubae qua cecinit Lucas 4,**Tertulliano autem (anno 207-208) *[fidem] ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant*·. Et paulo post ita habet Tertullianus:

«Dico itaque apud illas [ecclesias] nec solas iam apostolicas, sed apud universas, quae illis de societate sacramenti confoederantur, *id evangelium Lucae ab initio editionis suae stare,* quod cum maxime tuemur; Marcionis vero [evangelium] plerisque nec notum... *Lucae digestum Paulo adscribere solent»6.*

Prologus monarchianus in Lc eamdem refert traditionem hisce verbis:

«Lucas Syrus natione antiochensis, arte medicus, discipulus apostolorum, postea Paulum secutus usque ad confessionem eius, serviens Deo sine crimine. Nam neque uxorem unquam habens neque filios, LXXIIII annorum obiit in Bithynia plenus Spiritu sancto. Qui cum iam *descripta essent evangelia per Matthaeum quidem in ludea, per Marcum autem in Italia, sancto instigante Spiritu in Achaiae partibus hoc scripsit evangelium,* significans etiam ipse in principio ante alia esse descripta...»7.

292. *Saeculo II* ad finem, si persequimur initia traditionis, invenimus novum documentum, ab eius inventore§ sic dictum *Fragmentum muratorianum.* Cum versibus 73-78 huius documenti mentio fiat *Pastoris Hermae* (a. 140-155), quod opus dicitur *nuperrime e temporibus nostris in urbe Roma Herma conscripsisse, sedente cathedra urbis Romae ecclesiae Pio* [I], qui regnavit annis 140-155; ideo necesse est ponere scriptionem huius fragmenti ad finem saeculi II.

In hoc igitur fragmento invenitur de Lc, prorsus in initio:

3 *Hist, eccles.* 3,4: MG 20,219s.
4 *In lesu Nave* homil.7,1 : R 538. Et iuxta Eusebium haec etiam habebat Origenes: «Tertium secundum Lucam, quod a Paulo commendatur evangelium, in gratiam gentium conscriptum...» *(Hist, eccles. 6,25'* R 503)·
5 *Adversus Marcionem* 4,2: R 339.
6 *Adversus Marcionetm* 4,5: R 341.
7 P.Corssen, *Monarchianisehe Prologe...:* TU 15, p.?s.
8 *L.Muratori;* textus editus in *Antiquitates Italicae* III (Mediolani 1740) 8515§.

«Tertio [Tertium] evangelii librum, secundo [secundum] Lucam.— Lucas iste medicus, post ascensum Christi, cum eo [eum] Paulus quasi ut iuris studiosum [itineris socium 9] 10 secundum [secum >°] adsumpsisset, numeni suo [i.e. nomine suo] ex opinione [uti credebatur] conscripsit; Dominum tamen nec ipse vidit in came, et ideo prout assequi potuit ita et ad [ab] nativitate Iohannis incipit dicere...» 11.

Tandem pervenimus ad primum testimonium explicitum de auctore Lc, prolatum a S.Irenaeo (c. 140-202) qui, post mentionem Mt et Mc, ita habet: «Et *Lucas autem, sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur evangelium in libro condidit»* 12.

Et de eodem Luca scriptore evangelii loquitur aliis in locis 13.

Evangelium tamen Lucae, etsi ab Irenaeo primum auctor eius significetur, multo tamen antea fuerat cognitum et citatum; ut suo loco, n.295.304-305, agentes de eius tempore compositionis, indicabimus.

293. 2.0 Argumentis internis confirmatur thesis.

a) Auctor tertii evangelii non tam apparet iudaeus, quam gentilis christianus: lingua enim eius, etsi κοινή sit et non attingat periodum classicismi, ostendit tamen copiam vocabulorum (circ.370 voces proprias), et cum indole et artificio linguae graecae bene concordat; sic, v.gr., in usu particularum μέν... δε, αν in optativo (v.gr. Lc 1,38), item in prologo 1,1-4. Quod bene respondet argumentis extrinsecis quae inducebant auctorem antiochenum.

b) Quaedam verba et res medicinae solum apud Lc, inter evangelia, inveniuntur.

Cf. Lc 4,23: Medice cura teipsum; 4,38: Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus; 8,43: mulier quae in medicos erogaverat omnem substantiam suam nec ab ullo potuit curari; 14,2: hydropicus; 21,34: in crapula... Haec bene ostendunt *culturam auctoris* et bene concordant cum argumentis extrinsecis circa artem medicam auctoris; sed per se sola non evincerent auctorem fuisse medicum.

294. *c) Affinitas cum S.Paulo in ideis* confirmat auctorem fuisse comitem illius.

Sic in modo narrandi institutionem Eucharistiae (Le 22,19s; I Cor 11,24s), m quo differunt Mt et Mc forma simili; in affirmanda cessatione legis mo-

9 Alii habent: *iustitiae studiosum* (Comely), *litteris studiosum* (Rouët de Joumel).
10 Ita legunt Westcott-Hort.
11 Integrum fragmentum legi potest apud R 268; et in EB 1, forma iuxta auctores recntiores restituta.
12 *Adversus haereses* 3,1,2: R 208.
13 *Adversus haereses* 1,27,2: R ros; 3,11,7: R 214: 3,15,1: R 217.

saicae (Lc 16,16); in frequenti professione universalism! regni messianic! (Lc 2,30-32; 3,6; 13,29; 24,46s) sicut Paulus (v.gr. Rom 1,16); et quidem etiam peccatoribus salus parata est, ut aliqua exempla a solo Luca allata ostendunt (7,36-50: de muliere peccatrice in domo Simonis; 10,25-37: de bono Samaritano; 15,8-32: de drachma perdita et de filio prodigo; 18,9-14: de publicano et pharisaeo; 19,1-10: de Zacchaeo; 23,40-43: de bono latrone moriente).

Praeterea Lc, utpote *destinatum ethnico-christianis,* omittit quaedam quae refert Mt spectantia ad Legem et ad iudaeos primum praeferendos (v.gr. Mt 5,i7ss in sermone montano; 10,6: «sed potius ite ad oves quae perierunt domus Israel»; 15,21-29: de Chananaea).

d) Insuper omnia confirmantur ex eo quod *auctor tertii evangelii idem sit ex examine interno ac auctor libri Actuum Apostolorum,* qui fuit Lucas, ut statim videbimus.

e) Pro tempore compositionis antiquissimo Lc, cf. quae statim de hac re dicimus, et postea etiam, in thesi sequenti, commodius de hac etiam re dicentur n.3O4s.

295. Citationes tertii evangelii. *Compositio antiquissima tertii evangelii et eius agnitio pariter antiquissima in Ecclesia* constat etiam ex citationibus, quae de eo inveniuntur apud antiquos scriptores.

Hoc evangelium non tantum erat inclusum in *Tatiani Diatessaron* (anno c.170), sed de huius magister S.Iustinus (c.ioo-167) in *Dialogo cum Tryphone iudaeo* (anno c.155) meminit evangelii Lucae, siquidem hoc unum evangelium pericopam citatam de sudore sanguineo continet: «In commentariis quos ab eius apostolis *eorumque discipulis scriptos dico,* proditum est sudorem veluti guttas...»14. Item in *Apologia,* eiusdem fere temporis ac ille Dialogus, memorat S.Iustinus verba Lc 22,19 de institutione Eucharistiae: «Nam apostoli in commentariis suis, quae vocantur evangelia, ita sibi mandasse lesum tradiderunt; eum scilicet, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in meam commemorationem; hoc est corpus meum...»1516

Inter alias citationes Lc, probabiles, S.Polycarpus in *Epistola ad Philippenses* anno c.107 scripta, refert verba Lc 6,20.36-38 »«; etsi simul ex Mt videri possunt.

A S.Ignatio Antiocheno probabiliter citatur Lc 6,44 17. In sic dicta 2.n *epistola ad Corinthios* (scripta probabiliter Corinthi ante a.150) citatur dictum Domini «in evangelio»: «Si parvum non servastis, quis magnum vobis dabit? Dico enim vobis: qui fidelis est in minimo, et in maiori fidelis est»

14 *Dialog, cum Triphone* 103: R 143
15 Apologia 1.66: R 128.
16 *Ad Philip.* 2.3: R 71·
17 Ad Ephesios 14: Funk 1,225.

(Le 16,10-12) *8. In i.a *autem epistola ad Corinthios* S.Clemens Romanus probabilem citationem habet Lc 17,2 19. Itemque probabiliter aliae habentur 20.

In *Didache* (a.c.90-100) probabiliter quater Lc citatur 21.

Ex his ergo constat iam in initio saeculi II, quin et ad finem saeculi I, evangelium Lc cognitum fuisse.

Ipsi haeretici evangelio Lc sunt usi, seu potius abusi sunt: ut de Marcione referunt Tertullianus 22 23 et S.Irenaeus 24. Valentinus etiam ab Irenaeo impugnatur, medio saeculo II, ut qui Lc abusus fuerit 24. Item Basilides, haereticus in initio saeculi II, appellabat ad Lc 1,35: *Spiritus Sanctus superveniet in te...* 25

296. Obiectiones 26. 1. Papias, cum dicat de auctoribus Mt et Mc, tacet de Lc. Ergo cum Papias scribebat (a.c.90-100, probabiliter; cf. supra n.269, in nota 29), nondum Lc scriptum fuerat; secus enim dixisset. Ergo tertium evangelium non habet Lucam auctorem.

Dist. antec. Papias tacet de Lc in *fragmentis asservatis, conc. antec.; in aliis locis* suorum librorum, peto *probationem.* Etiamsi tacuisset, argumentum ex silentio in tantum probaret, in quantum evinceret Papiam *debuisse loqui* de Lc.

2. Falso dixit Irenaeus Lc continere praedicationem Pauli; sed potius pendet a Mt et a Mc. Ergo non est admittendum testimonium Irenaei.

Dist. *antec.* Cum Irenaeus id dixerit, ideo debet reici testimonium substantiale Irenaei de Luca auctore, *nego; debet explicari* in sensu quod *ideae praedicationis Pauli* inveniuntur apud Lc, *conc.* Cf. n.294, de affinitate idearum inter utrumque (cf. etiam D 2162). Ceterum etiam Paulus potest esse ex illis qui *ab initio ministri fuerunt sermonis* (Lc 1,2).

3. Lc ostendit influxum iudaico-christianum *doctrinarum ebioniticarum,* iuxta quas divites excluduntur a regno caelorum. Sic Lc proponit maledictiones et parabolas Domini de divitibus in favorem pauperum (cf. Lc 6,20ss; 12,13-21; 16,11; 16,19-31: parabola epulonis et Lazari; 18,22-25: de iuvene divite, «quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt»).

Resp. Haec doctrina *substantialiter invenitur in aliis* euangeliis. Sed neque Dominus apud Lc fertur exclusisse divites; immo vero, «quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum» (Lc 18,27). Lucas in ostendendo favore pauperibus effert universalismum salutis et consonat Paulo (cf. i Cor 1,26-31).

18 2.B *ad Corinthios* 8: Funk 1,194.
19 i.B *ad Corinthios* 46,7: R 24.
20 Tam in i.B quam in 2.B *epistola ad Corinthios;* cf. Funk 1,645s.
21 Cf. Funk 1.641: R 1.
22 *Adversus Mare.* 4,5: R 341.
23 *Adversus haereses* 1,27,2: R 195; 3,11,7: R 214.
24 *Adversus haereses* 3,14: MG 7,916.
23 Cf. Origenes, *Philosophoumena* 7,26: MG 16,3315. Cf. *ibid.,* 6,35: MG 16,3247.
2& Cf. Rosadini, n.159.

Thesis 19. Lucas evangelista est auctor libri Actuum Apostolorum.

E.Jacquier, *Les Actes des Apôtres* (Paris 1926) Introduction, praesertim c.i-10; J.Corluy, *Actes des Apôtres:* DB 1,152-159: I.Knabenoaver, *Commentarius* in Actus *Apostolorum* (Parisiis 1899) Prolegomena: Gaechter, n.127-145.

297· Quoniam libri Actuum Apostolorum mentio frequentissima atque usus passim occurrent in tractatibus appologeticis, opportunum, quin et necessarium—uti diximus—visum est, de eo pariter ac de evangeliis genuitatem atque historicitatem critice demonstrare.

298. Notio. Liber Actuum *Apostolorum* vel Πράξει 'Αποστόλων indicat librum continentem *res praeclare gestas ab apostolis;* cuius titulus in *Fragmento Muratoriano* ut iam notus supponitur: «Acta omnium apostolorum» ·. Unde liber hoc nomine iam saeculo II designabatur.

Ex duabus formis Act altera est «orientalis», quam habent pleraque manuscripta; altera vero dicitur «occidentalis», respondens aliquibus variantibus aliquorum codicum. Forma «canonica» est illa *orientalis.*

299. Adversarii. Inter eos nominandi sunt qui, distinguentes inter diversas partes libri Act, non unum Lucam auctorem, sed *diversos auctores haberi volunt;* idque praetendunt probare sive ex linguae et styli existimata diversitate sive ex abrupto usu narrationis in tertia persona et inductione primae personae pluralis (cf. D 2167s).

300. Doctrina Ecclesiae circa Act continetur *in responsionibus Commissionis de re biblica* die 12 iunii 1913 datis (D 2166-2171); et quidem, iuxta primam responsionem, «perspecta potissimum Eclesiae universae traditione usque ad primaevos ecclesiasticos scriptores assurgentes, attentisque internis rationibus libri Actuum sive in se sive in sua ad tertium evangelium relatione considerati et praesertim mutua utriusque prologi affinitate et connexione, *uti certum tenendum est... Lucam Euangelistam habere auctorem»* (D 2166).

Ex alia responsione eiusdem Commissionis liber Actuum uni *dumtaxat auctori tribui debet, et non habet fundamentum sententia quae tenet Lucam non esse libri auctorem unicum* (D 2167); quae sane unitas compositionis et authentia confirmatur prae-

* Venus 34: R 268; EB 3.

cise ex inductione primae personae pluralis *(Wir-stücke)* (D 2168).

Valor theologicus. Ex dictis constat thesim esse tenendam *assensu interno religioso.*

301. Probatur x.° testimoniis extrinsecis. *Saeculo IV* S. Hieronymus, post attributionem tertii evangelii medico antiochensi Lucae, haec de Act habet:

«*Aliud quoque edidit* [Lucos] *volumen egregium, quod titulo Apostolicarum πράξεων praenotatur,* cuius historia usque ad biennium Romae commorantis Pauli pervenit, id est usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus in eadem urbe librum esse compositum» [2].

Item Eusebius Caesariensis inter duos libros divinitus inspiratos, quos tribuit Lucae domo antiocheno, arte medico, qui et cum Paulo diu coniunctissime vixit, «alter liber—dicit—inscribitur Actus apostolorum, quos ille non iam auditione acceptos, sed oculis suis spectatos scriptis tradidit» [3].

Saeculo III Tertullianus, referens diversa loca ex Actibus, auctorem eorum declarat: «Porro cum *in eodem commentario Lucae,* et tertia hora orationis demonstretur, sub qua Spiritu Sancto initiati pro ebriis habebantur [Act 2,15]; et sexta qua Petrus ascendit ad superiora [Act 10,9]; et nona qua templum sunt introgressi [Act 3,1]...» alludens evidenter ad librum Actuum [4].

Origenes vero, memorans cantus per sacerdotales tubas, meminit et Lucae: «*...et Lucas apostolorum gesta describens*»[5]; idemque Origenes refert: «Et Iudas Galilaeus, *teste Luca in Actibus apostolorum,* voluit haberi magnus aliquis, et ante illum Theodas [Act 5,36s]...»[6].

Clemens Alexandrinus alludit ad dicta Pauli viris atheniensibus de ignoto Deo «*quomodo Lucas quoque in Actis apostolorum Paulum dicere commemorat*»[7].

Saeculo II Fragmentum Muratorianum apertissime de Actibus Apostolorum loquitur: «... *Acta autem omnium Apostolorum sub uno libro scripta sunt. Lucas optimo Theophilo comprehendit,* quae sub praesentia eius singula gerebantur, sicuti

2 *De viris illustribus* 7: ML 23,650s.
3 *Hist, cedes.* 3,4: MG 20,219s. Cf. et *Hist, eccles. 3,25:* «Primo igitur [inter libros N.T.] collocanda est sacra Evangcliorum quadriga; quam deinde consequuntur Actus apostolorum» (MG 20,267s).
4 *De ieiuniis* 10: ML 2,1017 B.
5 *In Iesu Nave* homii.7,1 : R 538.
6 *Contra Celsum* (anno c.248) 6,11: MG 11,1308 A.
7 *Stromata* (anno c.208-211) 5.12: MG 9,124 A.

et semota passione Petri evidenter declarat, sed et profectione Pauli ab urbe ad Spaniam proficiscentis»8.

Tandem S.Irenaeus, cum locutus fuisset de pluribus quae sunt in Actibus, ait:

«Sic est consona et velut eadem tam Pauli annuntiatio, quam et Lucae de apostolis testificatio.—Quoniam autem is Lucas inseparabilis fuit a Paulo et cooperarius eius in evangelio, ipse facit manifestum... [nunc refert plura ex Act unde apparet Lucam comitatum esse S.Paulum]. *Omnibus his cum adesset Lucos, diligenter conscripsit ea,* uti neque mendax neque elatus deprehendi possit, eo quod omnia haec constarent, et seniorem eum esse omnibus qui nunc aliud docent, neque ignorare veritatem...» 9.

302. Probatur 2.° argumentis internis *atque ex comparatione cum evangelio Lc.* Tertium enim evangelium et liber Actuum habent eundem auctorem. Nam.

a) *Liber Act, ut dicitur in prologo ad optimum Theophilum, supponit primum sermonem,* seu librum factum ab eodem auctore, «de omnibus quae coepit Iesus facere et docere usque in diem, qua praecipiens apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est» (Act 1,1s). Atqui id optime et unice inter libros cognitos respondet evangelio Lucae.

b) *Datur etiam optima consecutio sive cormexio inter factum ultimum narratum in tertio evangelio* (Lc 24,50-53: de Ascensione) *et factum primum quod refertur in Act* (1,4-12: pariter de Ascensione).

c) *Auctor libri Act fuit comes Sti.Pauli in suis peregrinationibus;* quod constat ex modo loquendi in prima persona plurali, cum dicit v.gr.: *quaesivimus proficisci* (16,10-17); *...sustinuerunt nos Troade, nos vero navigavimus* (20,5-15); item 21,1-27,1—28,16... *(Wir-stiicke).*

Paulus vero non raro in suis *epistolis mentionem facit de Luca socio suo: «Salutat vos Lucas medicus carissimus»* (Coi 4,14), qui quidem contraponitur ut ethnico-christianus aliis Christianis qui sunt *ex circumcisione* (ibid, v.n); item *Lucas est mecum solus* (2 Tim 4,11); *Salutat te Epaphras... et Lucas, adiutores mei* (Philem 23s); et probabiliter illud *Misimus etiam cum illo* [cum Tito] *fratrem cuius laus est in evangelio per omnes ecclesias; non solum autem, sed et ordinatus est ab ecclesiis comes peregrinationis nostrae (2* Cor 8,i8s).

d) Neque *deest indicium auctoris medici* (Act 28,8); etsi merum sit indicium, nullo modo apodictice rem probans.

e) *Modus loquendi in Lc et in Act identicus non raro est,*

8 Versus 34-39: EB 3: R 268.

9 Adversus *haereses* 3,14,1: MG 7,912-914. Cf. Adversus *haereses* 3,12,9: MG 7,902s, et Adv. *haereses 3,15,1:* R 217.

in iis quae evangelio Lc sunt propria: sic Lc 15,13 et Act 1,5; Lc 1,20 et Act 1,2 *(«Usque in diem»).*

f) *Auctor Act et Lc est vir antiquissimus,* quia examine horum librorum apparet debuisse auctorem scribere ante annum 66, ut statim demonstrabitur.

303. De tempore compositionis Act et Lc. 1) Quoad Actus Apostolorum, *a)* S.Lucas loquitur in Act 28,30s de biennio captivitatis romanae S.Pauli, et quidem *in suo conductu* ita ut posset loqui *sine prohibitione. Hoc* spectat ad annum 61, quo talis captivitas Pauli incepit [10]. *Ergo Lucas scripsit Act post annum 62,* aut saltem perfecit post hunc annum.

b) Cum autem Lucas nihil narret de iudicio et de martyrio Pauli, qui appellaverat ad Caesarem (Act 25,11), qua quidem gloriosa martyrii narratione rem christianam posset promovere: signum est *hoc martyrium Pauli nondum accidisse, cum Lucas scripsit Act.* Ergo Act scripti sunt ante annum 67.

c) Praeterea *nulla sunt indicia in Act de ulla perturbatione in re publica iudaeorum* et in cultu ierosolymitano; quales fuerunt perturbationes ab anno 66 usque ad annum 70.

d) Cum item de absolutione Pauli nihil dicat Lucas, constet vero Paulum liberatum fuisse anno 63 [11] signum est Act *absolutos esse anno 63 «sub finem primae captivitatis romanae Apostoli Pauli» (cf.* D 2169).

Gratis enim diceretur (Th.Zahn) Lucam «volumen alterum deperditum conscripsisse aut conscribere intendisse, ac proinde [quod] tempus compositionis libri Actuum longe possit post eandem captivitatem diferri» (D 2169): quasi post «primum sermonem» (Act 1,1) de evangelio, debuisset et secundus, de Actibus, et tertius sequi in quo martyrium Pauli narraret. Si ita Lucas cogitasset, quod gratis fingitur, clausulam ad finem Act adiectam curasset de hoc martyrio, pro modo suo coniungendi finem unius cum initio alterius libri, sicuti de Ascensione sermo est in fine evangelii tertii et in initio Act.

304. 2) Quoad tempus compositionis Lc. *a) Evangelium Lc scriptum est ante Act;* siquidem auctor utriusque vocat evangelium *primum sermonem* (Act 1,1). Si ergo liber Act scriptus fuit anno c.63, evangelium debuit scribi ante hunc annum (cf. D 2160s).

b) Cum autem traditio teneat Lc esse tertium evangelium, scriptum post Mt et Mc, Mc vero scriptum sit inter annos

10 Cf. Gaechter, n.231.

11 Sic potuit et visitare Hispaniam (cf. Clementem Romanum, i.· *ad Corinthios* 5.7 [Funk 1.TO6]; *Fragmentum muratorianum.v.*38s (R 268])et Ephesi [1 Tim 1,3] et in Creta [Tit 1,5] degere.

c.53-58 (supra n.287), reliquum est ut Lc dicatur scriptum inter annos c.58-62 (cf. D 2159).

305. Dices: Apud Lc dantur narrationes post eventum scriptae; tales quae sunt de obsidione Ierusalem: Lc 19,43 *(circumdabunt te inimici tui vallo...);* item Lc 21,20.24 *(cum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem... Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes...).* Ergo hoc evangelium scriptum fuit post expugnationem Ierusalem, scilicet post annum 70.

Resp. 1) Hoc a priori dicitur, et minime scientifice. Supponit insuper praeiudicium de impossibilitate prophetiae.

2) Forma et stylus horum vaticiniorum sunt semitica, sicut in Mt et Mc; ac proinde supponit fontem antiquiorem, non narrationem a Luca post eventum.

3) Vaticinium refert id quod tunc temporis solebat accidere in obsidionibus urbis; neque Lucas, si narrasset post eventum, dixisset non *relinquent in te* [Ierusalem] *lapidem super lapidem* (Lc 19,44); quod in ipsa expugnatione non tam exacte, sed per hyperbolem dictum evenit (cf. n.512-520).

306. Obiectiones. 1. Discrimina quae notantur inter diversas partes Act ostendunt diversitatem auctoris. Sic diversitas, quae est inter Act c.i-12 et Act c. 13-28. Etenim

a) illa agunt potissimum de S.Petro, haec de S.Paulo;

b) ibi res succinte et quasi abruptae, non connexae, hic fusius et continuate narrantur;

c) ibi auctor loquitur praesertim in tertia persona, hic saepius in prima persona plurali;

d) ibi mentio prolixior temporum et locorum non abundat, hic e contrario;

e) lingua c.1-12 accedit potius ad linguam graecam versionis LXX;

f) ibi conservantur termini iam oblitterati cum'scribebat: v.gr. Deus glorificavit τὸν παῖδα αὐτοῦ Iesum (3,13); convenerunt adversus τὰν âyiov παῖδά σου (4,27): vel Pflt[s] *Christum suum,* παβ^Ιν τὰν χριστὸν αὐτοῦ (3,18).

Resp. Haec omnia non obstant ad unitatem auctoris, si attendas ad haec: Lucas fuit comes S.Pauli, ideo fuit testis oculatus et participavit in iis quae narrat in 2.a parte; hinc et frequenter loquitur in illa in prima persona plurali, et potuit etiam narrare fusius et continuate, et accuratius et abundantius de locis et temporibus indicare; atque haec sine dubio potissimum sunt gesta Pauli, non Petri. *Ex his ergo patet responsum ad difficultates sub a)* usque *ad d).*

Pro scribendis vero primis capitibus Lucas debuit adire fontes iudaeo-christianos, sive orales sive scriptos, pro capitibus 1-5, et fontes hellenisticos (scilicet a iudaeis non palaestinensibus, sed culturae hellenisticae) pro capitibus 6-12. Hinc nihil mirum, si pro his capitibus primae partis fontes semitici apparent, item si lingua accedit ad LXX; pariter si narratio non adeo continuata fit, sed interdum abrumpitur et schematice proponitur. Si enim auctor fontes scriptos adhibuit, qui aliter facere poterat?—Sed hoc ipsum probat accuratum auctoris sensum criticum, qui non ausus est fontes retractare *(retocar, remanier, bearbeiten),* sed studuit illos quantum poterat in sua genuitate relinquere.

Differentiae autem linguae nullo modo sunt tantae ut diversos auctores prodant (cf. D 2167s).

2. Attributio tertii evangelii et Act quam Patres et scriptores ecclesiastici fecerunt Lucae, potius quam res accepta per traditionem, est interpre-

tamentum ex examine evangelii et Act, quod quidem examen aliquale fundamentum praebet.

Resp. Gratis id dicitur, quia nullum est fundamentum certum in Le et in Act ut illi scriptores et Patres dicant Lucam fuisse antiochenum, insuper et medicum. Et si aliquis comes S.Pauli assignandus erat, nulla erat ratio seligendi praecise Lucam, cuius tantum obiter meminit S.Paulus. Cf. n.302, c.

Thesis 20. Ioannes Apostolus, et non alius, quarti evangelii auctor est agnoscendus.

MJ.Lagrange, *Evangile selon S.Jean*[2] (Paris 1927) Introduction c, 1; A.Durand, S.I., *Evangile selon S.Jean*[23] (Paris 1938) Introduction; I.Knabenbauer, *Commentarius in evangelium sec.loannem*[2] (Parisiis 1906) Prolegomena; M.Lepin, *L'origine du quatrième évangile* (Paris 1907); Rosadini, n.204-228; Gaechter, n. 165-212; Simôn-Dorado, *Novum Testamentum* [1] n.983s.

307. Adversarii h *Medio saeculo II,* ἀλογοι, *haeretici negantes Verbum,* cum eos puderet palam S.loanni contradicere, qui de Eo apertissime agit in quarto evangelio, negabant talia scripta esse loannis et tribuebant Cerintho 2.

Anno 1792 Evanson existimavit auctorem quarti evangelii fuisse philosophum neoplatonicum secundi saeculi 3; et paulo post, anno 1796, Eckermann multa ex Io non apostolo sed aliis volebat esse tribuenda4.

Anno 1820 S.Bretschneider, etsi postea sententiam retractavit, affirmavit auctorem quarti evangelii alium apparere ac loannem apostolum, quem synoptica ostendunt5.

Frjdericus Strauss (1835) et Bruno Bauer (184o)6 nullo modo cogitant de loanne apostolo ut auctore quarti evangelii.

Christianus Baur (1844) volebat quartum evangelium ὀτ-tum inter annos c. 160-170 ad conciliandas tendentias *gnosticisini* et. *tnontanismi* ope doctrinarum de Verbo incarnato et de Spiritu Sancto.

Keim 7 et postea A.von Harnack (1897) 8 voluerunt quartum evangelium non loanni apostolo, sed alii *presbytero loanni* tribuendum.

Alii negantes genuinitatem auctoris et historicitatem inveniuntur I.H.Holtzmann (1892), Thoma, Jülicher, Io.Réville...

1 Conspectus eorum breviter apud Rosadini, n.208-21 i p.276-281.
2 S.Ep\pha'nius, *Adversus haereses* 2,51,3: MG 41.892.
3 *The dissonance offour generally received evangelists* (London 1792).
4 *Theolog. Beitrage* 5 (Altona 1796).
5 *Probabilia de evangelii et epistolae loannis apostoli indole et origine* (Leipzig 1820).
6 *Kritik der evangelischen Geschichte des Joannes* (Berlin 1840).
7 *Geschichte Jesu von Nazara* (Zürich 1867).
8 *Die Chronologie...* 1,6565s.

A.Loisy 9 et H.von Soden 10 existimant hoc evangelium scriptum fuisse a iudaeo hellenistico imbuto in philosophia alexandrina. Item P.Gartner 11 et W.Bacon 12 ad eandem tendentiam pertinere censentur.

Inter illos *qui partem solummodo quarti evangelii* loanni Apostolo denegant numerari possunt H.Weisse, K.Weizsaecker, A.Sabatier, H.Wendt, Soltan, Briggs... 13

308. Doctrina Ecclesiae circa quartum evangelium invenitur iam anno 1907, in responsionibus Commissionis de re biblica die 29 maii datis (D 2110-2112). Et quidem genuinitas auctoris *ex constanti, universali ac solemni Ecclesiae traditione inde a saeculo II decurrente..., praescindendo ab argumento theologico, demonstratur solido argumento historico* (D 2110); atque *rationes internae, quae eruuntur ex textu quarti evangelii seiunctim considerato, ex scribentis testimonio et evangelii ipsius cum I Epistola loannis Apostoli manifesta cognatione, confirmant illam traditionem;* difficultates vero quae occurrunt ex collatione huius evangelii cum aliis, bene solvuntur (D 2111).

Valor theologicus. Thesis tenenda est *saltem assensu interno religioso, ex* praecedentibus responsionibus Commissionis Biblicae. Dicimus *saltem,* quia si rationes internae, desumptae ex examine ipsius evangelii, thesim non modo confirmant sed et aperte evincunt: tunc thesis vel in ipso verbo Dei contineri vel saltem ex eo deduci dicenda est; ac proinde minimum erit theologice certa.

309. Probatur i.° argumentis extrinsecis, quibus evincitur constans, universalis ac solemnis Ecclesiae traditio.

Saeculo IV S.Hieronymus apertissime fatebatur originem ioanneam quarti evangelii:

«*loannes apostolus,* quem lesus amavit plurimum, filius Zebedaei, frater lacobi apostoli, quem Herodes post passionem Domini decollavit, *novissimus omnium scripsit evangelium, rogatus ab Asiae episcopis,* adversus Cerinthum aliosque haereticos et maxime tunc ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Unde et compulsus est divinam eius nativitatem edicere...» 14.

Alibi narrat S.Hieronymus modum quo liber fuit compositus: «Et Ecclesiastica narrat Historia, cum a fratribus cogeretur ut scriberet, ita facturum

9 *Le quatrième évangile* (Paris 1904; 2 ed. 1922).
10 *Urchristliche Litteraturgeschichte* (Berlin 1905).
11 *The ephesian Gospel* (New York 1915).
12 *The older Jonh* (New York 1916).
13 Cf. Rosadini, n.210.
14 *De viris illustribus* 9: ML 33,653s.

se respondisse, si indicto ieiunio in commune omnes Deum precarentur; quo expleto, revelatione saturatus, in illud prooemium caelo veniens eructavit: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum...» 15.

Et S.Augustinus traditionem pristinam *solemniter* repetebat *«In loannis evangelium»* (anno c.416-417):

«In quatuor evangeliis, vel potius quatuor libris unius evangelii, sanctus loannes apostolus, non immerito secundum intelligentiam spiritualem aquilae comparatus, altius multoque sublimius aliis tribus erexit praedicationem suam; et in eius erectione etiam corda nostra erigi voluit. Nam ceteri tres evangelistae tamquam cum homine Domino in terra ambulabant, de divinitate eius pauca dixerunt; istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se... et pervenit ad eum per quem facta sunt omnia, dicendo: In principio erat Verbum»16.

Atque S.Epiphanius idem affirmabat, significans notas peculiares evangelistarum: *«Quartus denique loannes,* velut coronidem imponens sublimioris in Christo conditionis ac naturae, et sempiternae divinitatis interpres exstitit»17.

Eusebius vero Caesariensis universalitatem traditionis effert: *«...eiusdem apostoli* [loannis] *scripta,* quae omnium consensu ei adscribuntur recenseamus. *Et primo quidem evangelium ipsius universis per orbem terrarum Ecclesiis notissimum* sine ulla dubitatione suscipiendum est. Quod vero recte et cum ratione quarto illud loco, post trium aliorum evangelia a veteribus collocatum sit, planum fiet hoc modo... Soli nihilominus ex cunctis Domini discipulis Matthaeus et loannes scriptos nobis rerum commentarios reliquerunt...»18.

310. *Saeculo III* de Tertulliano notum est illud: «nobis [quoad evangelia] *fidem ex apostolis loannes et Matthaeus insinuant...»* 19; et aliud: «Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur *evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, loannis dico* atque Matthaei...» 20

Nequè praetermisit Origenes meminisse loannis *sacerdotali tuba* canentis 21; nec minore ac alii solemnitate et pulchritudine de eodem evangelista evangelium extollit, dicens:

13 *Prolog, commentariorum in evangelium Mt:* ML 26,19.
16 *In loannis evangelium* tr.36,1 : R 1825.
17 *Adversus haereses* 2,69,23: MG 42,239s. Cf. etiam *ibid.,* 2,51.19= MG 41,924.
18 *Hist, eccles.* 3,24: MG 20,263-266.
19 *Adversus Marcionem* 4,2: R 339.
20 *Adversus Marcionem* 4,5: R 34i. Et *Adversus Praxeam* c.23 aiebat: «Haec quomodo dicta sint, evangelizator et utique tam clarus discipulus loannes magis quam Praxeas noverat, ideoque ipse de suo sensu: Ante autem solemnitatem Paschae... (Io 13,So)»." ML 2,209.
21 *In lesu Nave* homil.74: R 538.

«Arbitror vero ego, etiamsi quatuor sint evangelia veluti elementa fidei Ecclesiae, ex quibus elementis totus constat hic mundus Deo per Christum reconciliatus..., evangeliorum primitias *evangelium esse loannis nobis propositum*... [Lucas] maiores perfectioresque de lesu sermones reservat ei qui supra pectus lesu recubuit. Nullus enim illorum adeo pure manifestavit illius divinitatem, ut *loannes*... Audeamus igitur dicere primitias Scripturarum omnium evangelium esse; *evangeliorum vero primitias, evangelium a loanne traditum;* cuius sensum percipere nemo potest, nisi qui supra pectus lesu recubuerit, vel acceperit a lesu Mariam, quae etiam ipsius mater fiat...» 22.

Origeni consonat Clemens Alexandrinus: «loannes 23 omnium postremus, cum videret in aliorum evangeliis ea, quae ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipse divino Spiritu afflatus *spirituale evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit» 24.*

311. *Saeculo II* S.Irenaeus, mentione facta aliorum evangeliorum, ait: «Postea *et loannes,* discipulus Domini, qui et supra eius pectus recumbebat 25, *et ipse edidit evangelium,* Ephesi Asiae commorans» 26.

Atque alio in loco: «Hanc fidem annuntians *loannes Domini discipulus, volens per evangelii annuntiationem* auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem...» 27.

Quod S.Hieronymus aliique tradiderunt, id et in *Fragmento Muratoriano,* eiusdem fere temporis ac Irenaeus, invenimus, ut veritatem fundamentalem et substantialem fragmenti: loannem, *discipulum et auditorem et visorem Domini,* scripsisse:

«...quartum Evangeliorum *loannes ex discipulis.* Cohortantibus condiscipulis et episcopis suis, dixit: «Conieiunate mihi hodie triduo et quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus». Eadem nocte revelatum Andreae ex apostolis, ut recognoscentibus cunctis loannes suo nomine cuncta describeret 28; et ideo, licet varia singulis Evangeliorum libris principia doceantur, nihil tamen differt credentium fides, cum uno ac principali spiritu declarata sint in omnibus omnia de nativitate, de passione, de resurrectione, de conversatione cum discipulis suis ac de gemino eius adventu, primo in humilitate despecto, quod fuit; secundo in potestate regali praeclaro, quod futurum est. Quid ergo mirum si Iohannes tam constanter singula etiam in

22 *Praefatio Commentariorum in evangelium* loannis n.6: MG 14,29-32. Cf. et apud Eusebium. Hist, *cedes. 6,25:* MG 20,583.

22 Et quidem Apostolus, unicus quem cognovit Clemens Alexandrinus; et ex interpretatione Eusebu; cf. *Hist, eccles.* 3,23: MG 20,257s.

24 Hypotyposes, apud Eusebium, Hist, *eccles.* 6,14: R 439.

25 Unde non alius nisi apostolus esse potest.

26 Adversus *haeresci* 3,1,1: R 208. Cf. *ibid. 3,11,7:* R 214· Et quoad originem traditionis ex Polycarpo, cf. Fragmentum 2, ex epist. ad *Florinum* apud Eusebium, *Hist, cedes.* 5,20: R 264.

27 Adversus haereses 3,11,r: MG 7,880 AB.

28 Haec circumstantia fortasse desumpta est ex apocryphis Actis *ioannis.* Ita Zahn, *Geschichtc des neutestamentlichen Kanons* (Erlangen 1880-90) 1,784.

epistulis suis proferat dicens in semetipsum: Quae vidimus oculis nostris et auribus audivimus et manus nostrae palpaverunt, haec scripsimus vobis. Sic enim non solum visorem se et auditorem, sed et scriptorem omnium mirabilium Domini per ordinem profitetur...» 29.

Quod si Ioannes «ex discipulis» vocatur, Andreas vero «ex apostolis», id non negat Ioannem fuisse apostolum, sed effert Ioannem fuisse *ex discipulis,* eum nimirum discipulum, ut vocabatur, quem diligebat Iesus.

312. In *Prologo monarchiano* ad quartum evangelium (c.170) plura sunt de eius auctore, inter quae: *«Hic [secundum quem est quartum evangelium] est Ioannes evangelista unus ex discipulis Dei,* qui virgo electus a Deo est, quem de nuptiis volentem nubere vocavit Deus. Cui virginitatis in hoc duplex testimonium in evangelio datur, quod et prae ceteris dilectus a Deo dicitur, et huic matrem suam iens ad crucem commendavit Deus, ut virginem virgo servaret. Denique manifestans in evangelio quod erat ipse incorruptibilis, Verbi opus inchoans solus Verbum caro factum esse nec lumen a tenebris comprehensum fuisse testatur...» 30.

313. Tandem S.Papias referebat eandem originem quarti evangelii ex Ioanne, auctore Apocalypseos, cuius fuerat discipulus; referebat scilicet quartum evangelium Ioanni Apostolo. Hoc Papiae testimonium legitur, indirecte, in codice saeculi X, Matriti conservato:

«...Ioannes apostolus, quem Dominus Iesus amavit plurimum, novissimus omnium scripsit hoc evangelium... Hoc igitur evangelium, post Apocalypsim scriptum, manifestum et datum est ecclesiis in Asia a Ioanne adhuc in corpore constituto, *sicut Papias nomine, Hierapolitanus episcopus, discipulus Ioannis et carus, in exotericis* [in exegeticis] suis, i.e. in *extremis quinque libris retulit,* qui hoc evangelium Ioanne sub dictante conscripsit...» 31.

314. Summa dictorum. Constat ergo ex supra dictis *universalis et solemnis traditio,* affirmans quartum evangelium habere Ioannem apostolum ut auctorem. Atque ex his testimoniis elucet illa *ab Irenaeo et Fragmenti Muratoriani,* eiusdem fere temporis, atque aliud *Clementis Alexandrini, inter sese independentia esse.*

Aliud quoque testimonium independens esse videtur, scili-

29 Versus 9-34: EB 2; R 268.

30 P.Corssen, *Monarchianiiche Prologe zu den vier Evangelien:* TU 15 p.6.

31 Jo.Wordsworth-H.I. White, *Novum Testamentum D.N.Iesu Christi latine secundum editionem S.Hieronymi* (Oxonii 1889-1895) 490.

cet a *Ptolomaeo haeretico,* qui tribuit *Apostolo* (loanni) verba (Io 3,1) quarti evangelii 32.

315. Probatur *2.°* argumentis internis, *a) Auctor quarti evangelii est discipulus ille quem diligebat lesus... qui et recubuit in coena super pectus eius* (Io 21,20); *hic* enim *est discipulus ille qui testimonium perhibet de his et scripsit haec* (21,24) 33. Atque etiam 34 *qui vidit et testimonium perhibet (19,35)* est *discipulus quem lesus diligebat, stans iuxta crucem* (19,26).

Iam vero, quis est hic discipulus quem diligebat lesus et recubuit super pectus eius? Debet esse *apostolus,* quia in coena Domini erant apostoli duodecim (Mt 26,20; Mc 14,17; Lc 22,14), nec de aliis discipulis fit mentio.

Inter apostolos autem praedilectos (Petrum, lacobum, loannem) Petrus nequit significari, quia is qui apud Io vocatur «ille quem diligebat lesus, qui et recubuit super pectus eius» contradistinguitur a Petro in narratione coenae (Io 13,23-25) et alibi35. Neque lacobus esse potest, cum is mortuus fuisset sub Herode Agrippa I anno c.43 (Act 12,2), quartum autem evangelium nondum fuerat conscriptum. Ergo reliquum est ut fuerit loannes 36.

Quod et *confirmatur ex eo* quod auctor quarti evangelii nunquam nominat loannem hoc suo proprio nomine, sed semper sub formula «ille quem amabat lesus» 37.

316. *b)* Auctor etiam huius libri, praescindendo ab eius propriis testimoniis supra allatis, *necessario debet esse testis oculatus rerum multarum, quas narrat, simul et peculiariter dilectus a Domino.* Nam illa quae narrantur in quarto evangelio tam minuta tamque accurata narratione narrantur (tunc praesertim cum inducitur «discipulus quem amabat lesus»), quae necessario produnt testem oculatum et experimentalem.

32 «... quibus verbis [Io 1,3] *Apostolus* mcndacissimorum hominum minime sapientiam refellit . apud S.Epiphaniu m, *Adversus haereses* 1,33,3s: MG 41,557s.

33 Haec verba, sicut ct sequentia *ct scimus quia verum est testimonium eius,* quae sunt a loannc loquente in plurali maiestatico, non inusitato ab eo (1 Io 1,14: 2,1-12: 3 Io 12), qui tamen et postea loquitur in singulari (v.25: arbitror ..): non sunt verba quasi attestatio alicuius ecclesiae, sed *pertinent omnino ad ipsum evangelium.* Etenim *a)* inveniuntur in omnibus codicibus ct versionibus; *b)* incongrue finiret evangelium per verba Si *cum volo manere... quid ad te?; c)* lingua et stylus eadem substantialiter sunt ac in rqliquo evangelio; *d)* verba haec claudunt non solum c.21, sed totum evangelium; sic enim melius intelligitur hyperbole finalis...

34 Si quis nondum vult admittere testimonium praecedens ex c.21, de quo in superiore nota.

35 Cf. Io 20,2; 21,7 ubi contradistinguitur pariter a Petro.

36 Qui certe non fuit occisus cum lacobo, ut aliqui leviter autumant; dixisset enim auctor. Act. Sed vivebat loannes tempore Concilii lerosolymitani anno c.49-50 (cf. Gal 2,9 ct traditio).

37 Nisi dixeris iam ita nomen indicari, siquidem Iohannes sonat «ille cui lahvch favet».

Sic in narratione 1,35-40 de colloquio cum Iesu: *Rabbi, ubi habitas?;* ubi nota etiam accuratam chronologiam: *altera die... hora quasi decima,* in re quae ad doctrinam exponendam nihil confert.

Item in determinatione temporis nuptiarum in Cana: tertia die (2,1), et in quae refert de *Iesu fatigato ex itinere,* qui *sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta... et discipuli mirabantur quia cum muliere loquebatur* (4,6.27).

Similiter in curatione caeci nati (9,1-40); in resuscitatione Lazari: *lacrymatus est Iesus, ...iam foetet,* etc. (11,4-45); in lotione pedum ante institutionem Eucharistiae (13,1-15.22-30); in comprehensione Iesu: *quem quaeritis... abierunt retrorsum et ceciderunt in terram...* (18,3-11); et in cruce *stans ...qui* vidit *testimonium perhibuit...* (19,26-35).

Sic quoque in c.20,2-10, cum Petrus et alius discipulus, quem amabat Iesus, currebant ad monumentum *simul, sed alius praecucurrit citius Petro...* Post resurrectionem in captura piscium ad Tiberiadem *iam non valebant rete trahere prae multitudine piscium... plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent non est scissum rete...* (21,2-13).

Haec, quae produnt testem oculatum et experimentalem, in memoriam revocant quod auctor in initio dicit: et *vidimus* gloriam Verbi incarnati (1,14); et plane consonant cum initio epistolae 1 Io, quae pariter eidem auctori tribuitur: «Quod fuit ab initio *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae... annuntiamus vobis» (r* Io 1,1-3).

317. c) *Auctor quarti evangelii erat iudaeus.* Primo quia saepe *citat V.T. ex textu hebraico,* non ex versione LXX (1,23; 6,45; 12,15.40; 13,18; 19,37); et insuper *saepius alludit ad V.T.* (sic agendo de proditione Iudae: 17,12: de pertinacia iudaeorum in non credendo: 12,37s; de sortitione vestimentorum Iesu: 19,24; de siti Iesu: 19,28; de transfixione lateris: 19,36s).

Dein quia auctor *cognoscit omnino festivitates publicas iudaeorum;* et inde statuit suam chronologiam et sic facta collocat in tempore: Pascha (2,13 etc.); et novissimum magnum diem festivitatis (7,37) cum caeremoniis aspersionis aquae ad quas alludit (7,37s); item encaeniae et hiems erat (10,22); parasceve (19,14.31.42).

Cognoscit quoque mores iudaeorum: exspectationem Messiae (1,19-51), quam etiam ex Flavio Iosepho novimus adfuisse, et quidem Messiae qui maneat in aeternum (12,34); de ablutionibus ritualibus (2,6); iudaeos non couti cum Samaritanis (4,9); sperare salutem ex Iudaea, non ex Galilaea (7,41.52); gloriari de Abraha, de Moyse (8,33; 9,28)...

318. d) *Auctor erat potius iudaeus palaestinensis, quam hellenista.*

Loca palaestinensia non raro accuratius determinat: Bethania [Bethabra] trans Iordanem (1,28); in Aennon, iuxta Salim, quia aquae multae erant illic (3,23); Sichar iuxta praedium quod dedit lacob loseph filio suo (4,5). *Immo et loca quasi mensurat interdum;* cum remigassent [supra Genezareth] quasi stadia viginti quinque aut triginta (6,19); Bethania iuxta lerosolymam quasi stadiis quindecim (11,18).

Auctor etiam novit verba aramaica interpretari: Messias, quod est interpretatum Christus (1,41; cf. 4,25); Cephas, quod interpretatur Petrus (1,42); Thomas qui dicitur Didymus (11,16; 20,24; 21,2); rabbonni, quod dicitur magister (20,16); *et verbis aramaicis utitur:* Amen, amen... (1,51; 3,5···); βηθζαδά (5,2).

Stylus auctoris non abundat vocabulis graecis (minor est in eo varietas quam in Mc); phrases 'construuntur simplicissimo modo, vel iuxtapositae (asyndeta) sine coniunctionibus, vel mere coordinatae (parataxis) cum repetitione particulae καί (v.gr. in prologo 1,1-18) tamquam vaw hebraeorum, et quadam monotonia vel vocabuli vel sententiae, praesertim in longis sermonibus 38.

e) *Auctor quarti evangelii est vir antiquus,* ut ostendent sequentes considerationes.

319. De tempore compositionis sive *de genuinitate temporis.*

1) *Quartum evangelium citatur iam in initio saeculi II.* Sic non modo Theophilus Antiochenus anno c.180 citabat verba prologi (Io 1,1) 39; et S.Iustinus anno c.150-155 referebat verba ex Io 3,3 40 et anno c.155 ex Io 1,20.23 41) ut alia taceam quae apud eum ex Io quoque videntur; sed etiam S.Polycarpus, paulo post a.107, videntur alludere ad Io 6,44: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die42; et* S.Ignatius Antiochenus allusionem facit ad Io 3,8: Spiritus scit unde veniat et quo vadat43. Etiam in *Epistola Barnabae* (anno c.90-100) verba videntur pertinentia et allusiones ad Io 3,14 44.

Similer et *haeretici* (in prima medietate saeculi II), ut *gnostici,* Ptolomaeus discipulus Valentini, Heracleon, Theodotus, Celsus, Basilides, Valentinus45.

58 De his, cf. Gaechter, n.167-175; Lagrange, *Evangile selon S.Jean* Introduction, c.2.
39 *Ad Autolycum 2,22* : R 182.
40 *Apologia* 1.61.4: MG 6,420.
41 *Dialog, cum Tryphone* 88: MG 6,688; R 139.
42 *Ad Philip.* 5,2: Funk 1,302.
43 *Ad Philad.* 7.1 : R 58.
44 *Epist.* 12,5-7: Funk 1,76.
43 Cf. Lagrange, Introduction, XLVIe; Rosadini, n.207.

Unde restat ut Io ad finem saeculi primi fuerit compositum, ut potuerit ita divulgari et citari...

320. 2) *Accedit et aliud:* anno 1935 editam fuisse *papyrum pertinentem ad initium saeculi* II, scilicet ad tempora Hadriani (117-138) vel etiam Traiani (98-117), in qua fragmentum habetur evangelii loannis (Io 18,31-33.37-38). Papyrus, scripta in Aegypto, erat pars libri; unde scimus tunc temporis etiam in Aegypto, nec tantum in Asia minore, Io fuisse divulgatum46. Quod postulat, ut paulo antea evangelium quartum fuerit conscriptum: pervenimus nimirum saltem ad finem saeculi I, ut ad tempus compositionis Io.

3) *Ex alia autem parte* evangelium Io *a)* ex traditione constat compositum esse post alia tria evangelia 47; atque *b)* editum fuisse dum loannes moraretur Ephesi48; *c)* loannes vero non videtur venisse Ephesum ad commorandum nisi post martyrium Pauli a.67, siquidem antea Paulus regebat illam ecclesiam per Timotheum (1 Tim 1,3); *d)* eius autem evangelium scriptum fuit contra Cerinthum illiusque sectatores49; *e)* Cerinthus venit Ephesum simul fere tempore ac loannes, et tempore indiguit ad disseminandos suos errores; *f)* Papias vero dum quaerebat traditiones seniorum (anno c.80-90) nihil habuit de evangelio Io nihilque de eo tunc dicit, quod insinuare videtur evangelium nondum fuisse scriptum. Ergo ex his omnibus elucere videtur evangelium Io scriptum fuisse vere ad finem saeculi I, scilicet a. circiter 90; quod et confirmatur ex iis quae in Io accusant scriptorem maturioris aetatis 50.

321. Obiectiones.5I. 1. Cum Keim, Harnack: Quartum evangelium non loanni apostolo, sed *loanni presbytero tribuendum,* quem commemorat Papias; inde confusio et posterior attributio loanni apostolo.

Resp. 1) Iam demonstravimus (n.271) hunc loannem presbyterum probabilissime esse eundem loannem apostolum.

2) Papias in testimonio recensito tacet omnino de auctore quarti evangelii; unde nihil contra thesim ex hoc testimonio. Praeterea Irenaeus, Eusebius... cognoscentes testimonium Papiae uno ore cum reliqua traditione quartum evangelium tribuunt apostolo loanni.

2. Irenaeus, cum esset puer, dum *audiebat Polycarpum* (R 212) ac proinde res facile non intelligeret, ipse induxit confusionem loannis presbyteri eum loanne apostolo.

Pro pertinentibus ad hanc papyrum, cf. C.H.Roberts, An *unpublished fragment of the Fourth Gospel in the John Rylands Library* (Manchester 1935). Cf. Gaechter. n.13.15.198 B; Simôn-Dorado, *Nov. Test.* 1 n.100.2. Est alia *papyrus lÉgerton,* 2] cum fragmentis ex Io ›uius tempus est ante *medium saec.ll.*

Supra, Clemens Alexandrinus, n.310.

Ji Supra, Irenaeus, n.311.

Supra, n.311. testimonium S.Irenaei; et n.309 (S.Hieronymus).

50 Cf. pro his considerationibus evolvendis Gaechter, n.200-203' Cf. Rosadini, n.22os.

Resp. i) Iterum apparet suppositum gratuitum et probabilissime falsum, fuisse duos Ioannes et non unum.

2) *Gratis dicitur* Irenaeus habuisse unum fontem Polycarpum *et non plures alios;* aut ipse errasse in recipiendo a Polycarpo huius testimonii traditionem, quae non erat sane difficilis intellectu.

Etiamsi Irenaeus tunc temporis habuisset 15 circiter annos, cum natus fuisset (ut terminus post quem non) anno c. 140, et Polycarpus martyrium subierit anno 155: bene sane memoriae mandare potuit Irenaeus *loannem apostolum scripsisse quartum evangelium;* praesertim cum ipse ad fidelitatem suae memoriae iunioris appellet52.

3. Irenaeus errayit in aliis, v.gr. admittendo fabulas de millenarismo53, de aetate Domini protracta ad 40-50 annos54, de morte proditoris ludae... Ergo et errare potuit circa auctorem quarti evangelii.

Resp. Aliud esset errare in *transmittendis* nomine et persona alicuius libri celebrioris, quod est difficile et improbabile in casu; et aliud est errare circa *interpretationem* rerum, ut est facile si agatur, quoad millenarismum, de interpretamentis allegoriarum et symbolorum quae sunt in Apoc 20,2-7; ve' si evangelium ansam praebet ut quis cogitet Dominum praedicasse aetate c.40-50 annorum, ut iudaei aiebant: «Quinquaginta annos nondum habes et Abraham vidisti» (Io 8,57); vel si fabulae de morte ludae exortae sunt...

4. Auctor quarti evangelii videtur, potius quam iudaeus palaestinensis, alexandrinus imbutus philosophia alexandrins et philoniana.

Resp. Aliqua verba, λόγο , ζωή, φβ ... sunt communia apud Io et Philonem; sed conceptiones philosophicae, quae iis subiacent, sunt prorsus diversae. Auctor quarti evangelii vult scribere contra errores sparsos a Cerintho ex Alexandria; nihil igitur mirum si aliqua *vocabula* sunt communia cum philosophia alexandrina, etc.

5. Martyrologium Syriacum ponit martyrium loannis Apostoli cum lacobo Apostolo.

Resp. Sed hoc martyrologium est saec.IV-V, et traditio procedens ab Irenaeo est sine ullo dubio potior55.

Alia placita gratuita, procedentia ab adversariis et facilia ad solutionem, vide sis apud *Rosadini56.*

32 Cf. Fragmentum 2 epist. *ad FUrinum,* apud Eusebium, Hist, cedes. 5,20: R 264.
55 Adversus *haereses* 5,33,3s: R 261.
54 Adxvrsus haereses 2.22.5: MG 7,785.
55 Rosadini, n.224.
54 N.22OS.224.

ARTICULUS III

De integritate Evangeliorum et Actuum

Thesis 21. Evangelia et Actus Apostolorum integra et incorrupta, saltem substantialiter, ad nos usque pervenerunt.

Cornely-Merk, diss.2 c.2 § 5: De N.T. gracci auctoritate; Hoepfl-Gut, Introductio, §45: De textus graeci N.T. integritate et auctoritate; Rosadini, n.84-87; Vaccari, *Instit. biblicae* Iô l.3 c.2 n.54.

322. Notiones. Integer dicitur liber qui talis perseverat, qualis ab auctore compositus fuit. Vocari etiam solet incorruptus, quatenus excludit mutationes et interpolationes introductas ab aliis.

Si concordantia cum textu auctoris omnino in omnibus, etiam in prorsus accidentalibus habetur, tunc habetur *integritas totalis, absoluta.* Si vero haec conformitas habetur cum aliquali discrepantia in vocabulis et in rebus minimis prorsus accidentalibus, tunc habetur *integritas substantialis vel relativa.*

323. Status quaestionis. Explicite affirmamus de evangeliis et Actibus substantialem integritatem vel incorruptionem; id quod possumus extendere ad totum N.T., cum argumenta valeant etiam pro aliis libris. Minime vero excludimus accidentalem etiam integritatem vel incorruptionem, quam in N.T. haberi plerumque constat.

324. Adversarii. In genere nominandi veniunt, inter recentiores, *modernistae,* iuxta quos «evangelia usque ad definitum constitutumque canonem continuis additionibus et correctionibus aucta fuerunt; in ipsis proinde doctrinae Christi non remansit nisi tenue et incertum vestigium» (D 2015).

Ideo etiam dicebant libros sacros et nominatim prima tria evangelia, «ex brevi quadam primigenia narratione, *crevisse gradatim accessionibus, interpositionibus nempe in modum interpretationis sive theologicae sive allegoricae, vel etiam iniectis ad diversa solummodo inter se iungenda.* Nimirum, ut paucis clariusque dicamus, admittenda est vitalis evolutio Librorum Sacrorum, nata ex evolutione fidei eidemque respondens...» [1]

1 *Encyclica «Pascendi»:* EB 278 (271].

325. In specie adversantur *qui impugnabant vel impugnant determinatas pericopas* evangeliorum quasi non pertinentes ad ipsa evangelia primitiva. Sunt autem Mt 1-2 *(evangelium infantiae lesu);* Mt 14,33 *(confessio divinitatis Christi a discipulis);* Mt 16,17-19 *(promissio primatus);* Mt 28,19 *(formula trinitaria).*—Item Mc 16,9-20 *(finis euangelii).*—Et Lc 1,11-52 *(de infantia lesu);* Lc 1,46 *(attributio cantici «Magnificat» ad Mariam);* 22,43-44 *(de sudore sanguineo et agonia Domini),*—In Io 5,3-4 *(de angelo descendente et movente aquam ad Bethsatha);* 7,53—8,11 *(de adultera);* 21 *(caput ultimum, de collatione primatus)* 2.

Ex his pericopis disputatis, serio tantum dubitari potuit de paucis, videlicet de Io 7,53—8,11 (de adultera); de Le 22,43s (de sudore sanguineo); de Io 5,3s (de angelo movente aquam); de Mc 16,9-20. Sed et de his authentia vindicatur a catholicis 3.

326. Doctrina Ecclesiae. *Praeter damnationem modernistarum,* de qua supra (D 2015; EB 271), Ecclesia *defendit integritatem evangeliorum quoad aliqua disputata.* A fortiori ergo quoad alia de quibus nullum movetur dubium.

Sic sunt *responsiones Commissionis de re biblica* (a.1911): Mt graecum identicum esse cum Mt aramaico (D 2152) et carere solido fundamento dubia de pericopis disputatis de Mt supra recensitis (D 2154).

Item responsiones eiusdem Commissionis Biblicae (a.1912) quoad ultimos versus Mc admittendos (D 2156); et quoad narrationes Lc de infantia lesu et de sudore sanguineo (D 2157); et de attributione cantici Magnificat ad B.V.Mariam (D 2158).

In *Encyclica «Spiritus Paraclitus»* Benedictus XV expresse defendebat integritatem evangeliorum:

«Iam—dicebat—quid de iis sentiendum, qui in ipsis Evangeliis exponendis, fidem illis debitam humanam miniiunt, divinam evertunt? Quae enim Dominus Noster Iesus Christus dixit, quae egit, non ea censent ad nos integra atque immutata pervenisse, iis testibus, qui quae ipsi vidissent atque audivissent, religiose perscripserint; sed—praesertim ad quartum Evangelium quod attinet—partim ex Evangelistis prodiisse, qui multa ipsimet excogitarint atque addiderint, partim e narratione fidelium alterius aetatis esse congesta; ob eamque causam aquas e duobus fontibus manantes uno eodemque alveo sic hodie contineri, ut nulla iam certa nota distingui inter se possint» (EB 462 [475]).

2 Quoad argumenta allata ab adversariis, saepissime gratuita et aprioristica, cf. v.gr. RoSADiNt, cum explicat incorruptionem singulorum evangeliorum, ed. 1938. n.128-130.149.168-170.229-231-

3 Postea et commodius, datu *occasione,* vindicabimus etiam authentiam illarum pericoparum, quae necessariae vel opportunae erunt ad probationes stabiliendas. Cf. v.gr. n.554 nota 24.

Praeterea *in declaratione authentiae Vulgatae* a Concilio Tridentino, «quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est» (D 784s), continetur implicita declaratio conformitatis saltem substantialis cum originali textu. Item in declaratione simili Concilii Vaticani (D 1877).

327. Valor dogmaticus. *De fide est dari hanc conformitatem saltem substantialem* cum textu originali, ex definitione Tridentini (D 784) et Vaticani (D 1787) circa authentiam Vg. Item definitio adest quoad pericopas tunc disputatas et quoad partes saltem maioris momenti librorum sacrorum: siquidem hos libros debemus recipere «integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur» (D 784; cf. D 1787).

328. **Probatur** r.° ex concordantia substantiali codicum ET EX ACCURATA CUSTODIA ILLIUS «QUOD TRADITUM ERAT».

Λ. *a)* Actualia evangelia et Act concordant (in substantialibus) cum codicibus saeculi VII (v.gr. Codex Amiatinus), saeculi VI (v.gr. codex F Fuldensis), saeculi V (v.gr. A Alexandrinus, C Ephraem palimsepstus), et ipsius saeculi IV (B Vaticanus, S Sinaiticus).

b) Concordant insuper *cum textibus allegatis a Patribus* saeculorum IV et III; qui sane textus, si colligantur in unum, efformabunt fere nostra evangelia.

c) Concordant insuper *cum versionibus* bohairica (saeculi V), syriaca (saeculi II); itala vetere et afra (in prima medietate saeculi II, qua Tertullianus et S.Cyprianus sunt usi).

d) Hae versiones concordant inter se. *Ergo etiam iam in initio saeculi II concordabant inter se manuscripta, ex quibus illae versiones* in diversis regionibus factae sunt.

e) Insuper *allegationes factae a PP. saeculi II et saeculi I, et Diatessaron Tatiani,* quin et allegationes factae ab aliquibus haereticis... concordant cum nostris evangeliis.

f) Ergo nostra evangelia et Act concordant substantialiter cum evangeliis et Act, *prout haec exstabant initio saeculi II;* et praesupponunt manuscrita vel ipsa originalia vel coaetanea fere ipsis auctoribus; certe haec manuscripta orta sunt non longe post scriptionem eorum.

Atqui in hac brevi periodo temporis et in hoc brevi transitu ab ipsa scriptione nulla fuit corruptio evangeliorum. Etenim:

B. Evangelia *a)* servabantur summa reverentia et *b)* maxime cognoscebantur a pastoribus et fidelibus; et *c)* maxima

diligentia retinebantur integra alia scripta etiam non sacra; et *d)* maxime repugnabant christiani libris adulteratis4; et *e)* studiosissime appellabant ad traditionem, habebantque sanctam regulam custodiendi traditionem «neque addens neque demens» 5.

Ergo nostra evangelia et Act coincidunt substantialiter cum evangeliis et Act prout ab apostolis et ab apostolicis (Lc, Mc) conscripta sunt.

329. **Probatur 2.**0 ex examine lectionum variantium 6.

Probatio fieri potest pro toto N.T.; a fortiori valebit pro Evangeliis et Actibus.

Lectiones variantes ex tot codicibus et lectionariis, de quibus supra (n.223), censentur c.250.000 7; verba autem N.T. aestimantur c. 150.000. Sed non ideo debet dici textum corruptum ad nos usque pervenisse. Etenim:

1) Variantes maximam partem non attingunt substantiam et sensum textus, sed accidentia leviora: ut puta ordinem verborum, voces synonimas, menda scribarum dignoscibilia, aut pure grammaticales, non autem sensus genuini, differentias.

2) Variantes saepius exspectant ad easdem voces aut locutiones, adeo ut ex octo partibus textus septem partes tradantur ab omnibus uniformiter et sint extra omne dubium.

3) Variantes quae spectant ad sensum sunt c.200, magni autem momenti sunt tantum 15 8.

4) Sed neque hae variantes tales sunt ut introducant novam veritatem doctrinalem, quae non aliunde tradatur; neque sunt causa ut pereat aliqua veritas.

5) Per artem criticam in multis locis genuinam lectionem

4 S.Spyridon, episcopus in Cypro, reprehendit eum publice, qui ausus fuerat mutare verbum κράββατον in elegantius σκίμποδα (cf. quae narrat Sozomenos, *Hist. eccles.* i,n: MG 67.889).

Christiani bene seligebant genuina, reiciebant apocrypha. Sic *Tertullianus* narrat reiectionem *Act. Pauli;* sic *Serapion,* innixus non nisi secundario rationibus doctrinalibus dogmaticis, scripsit ex Antiochia ad Ciliciam ut relinquerent evangelium Petri tamquam non genuinum. Apocrypha, pompa verborum, exaggeratione, non simplicitate apostolica, et dissonantia insuper cum primis fontibus, reiciebantur: in qua quidem reiectione sensum criticum Ecclesiae christiani ostendebant. Regula ad scripta admittenda erat traditio apostolica, illamque sectabantur.

5 «Ne derelinquas mandata Domini; custodies vero quae accepisti, neque addens neque demens» *(Didache* 4,13 : R 2). Cf. verba *Ircnaei* apud Eusebium, *Hist, eccles.* 5,22: MG 20,483s.

6 Cf. Vaccari, *Institut, biblicae* I6 I.3 c.2 n.54. Simili modo argumentatur etiam T.Ayuso. *El gran problema de la critica textual y los Evangelios:* Arbor 1 (1944) 165-183·

7 Alii ponunt c. 150.000.

8 Vaccari, *Instit. biblicae* I61.3 c.2 n.54, in nota, recenset praecipuas (praeter Mc 16,9-20; Le 22,43s; Io 7,53—8,11) sequentes: Mc 1,1 (filii Dei); Le 22,19s (ordo actionis in Coena Domini); Io 5,3s (de angelo descendente in piscinam); Act 16,17 (± Iesu); Rom 5.14 (il*A); i Cor 15,51 (de morientibus et resurgentibus); 1 Tim 3,16 (θεός, ὁ , ὁ).

eruere valemus; dubiae lectiones manent paucae; eaeque in rebus non fundamentalibus.

6) Loci ubi dubium manere potest dicebantur 9 esse i /60 totius textus; loci autem dubii quoad sensum i/1000 totius textus... Atque arte critica sperare licet ut etiam hi loci minuantur, cum etiam ex diversis principiis editores N.T. perveniant ad eundem fere textum.

7) Ideo nullus liber classicae antiquitatis tantam certitudinem textus ostendere potest, quantam evangelia et Act, et N.T. integrum, extra omne dubium ostentant. «Omnes enim alii libri tum profani tum ecclesiastici, paucis codicibus iisque iunioribus, nullis versionibus antiquis (si paucos excipias), vix ullis antiquorum citationibus traditi sunt» 10.

Hinc textum 'primigenium habemus, non tantum substantialiter incorruptum, sed etiam maximam (moraliter omnem) partem accidentaliter certum.

330. Probatur 3.0 Loca praecipua, de quibus serio dubitari posset an non essent genuina et authentica, supra retulimus (n.325: Mc 16,9-20; Lc 22,43.44; 1° 5>3-4i 7>53 8,11)· Sed nemo est qui non videat haec loca nec tot esse nec tanti momenti ut infirment substantialem integritatem evangeliorum. Quin etiam de his ipsis locis propria authentia demonstratur.

331. Obiectiones. 1. Si tantum habemus relativam certitudinem, sed non absolutam, non poterimus postea uno verbo innixi cum certitudine argumentari.

Resp. 1) In aliis libris historicis profanis et religiosis, quorum authentia et incorruptio multo minus luculenter evincuntur (sicut pro evangeliis et Act invicte demonstrantur), argumenta fiunt saepe ex ipsis, etiam premendo singula verba, quia authentia eorum supponitur et *est in possessione;* nisi dubium contrarium *positive* ostendatur.

2) Si verbum aliquod N.T. revera manet dubium, etiam post examen criticum textus, tunc certe non licet illud verbum premere quasi esset certum.

3) Argumenta quae fient in Apologetica saepe non tam verbo innitentur, quam integra sententia expressa per plura verba; quin etiam saepius argumenta conficiuntur ex congerie textuum aut indiciorum ex diversis locis Sacrae Scripturae; unde possibilitas erroris ex eo quod quis *fortasse* innitatur verbis dubiis minuitur omnino, quin et moraliter certo destruitur.

4) Supposita, post probationes de infallibili magisterio Ecclesiae (infra in alio tractatu), declaratione dogmatica *de authentia Vg prout longo saeculorum usu* in *Ecclesia probata est,* licebit in Theologia dogmatica Vg adhibere pro rebus fidei et morum, et nemo iure illam respuere poterit (cf. de hac authentia, dogmatice cognita, tractatum *De Sacra Scriptura* n.148-165).

2. *Historia Vg ostendit magnam corruptionem* in codicibus sacrorum librorum. Ita S.Hieronymus dicebat: «Si enim latinis exemplaribus fides

9 Westcott-Hort, *The Netu Testament in Greek* Introduction, 2.
10 Vaccari, l.c., n.54.

est adhibenda, respondeant quibus: tot enim sunt exemplaria pene quot codices...» ››; et paulo postea: «Magnus siquidem hic in nostris codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius evangelista plus dixit, in alio quia minus putaverint addiderunt. Vel dum eundem sensum alius aliter expressit, ille qui unum e quatuor primum legerat, ad eius exemplum ceteros quoque aestimaverit emendandos. Unde accidit ut apud nos mixta sint omnia, et in Marco plura Lucae atque Matthaei, et in ceteris reliquorum quae aliis propria sunt inveniantur» ,2.

Resp. Praeterquam quod *emphasi aliqua* utitur S.Hieronymus, corruptio illa, de qua agit quamque nos attigimus in historia Vg (n.228). non erat corruptio, saltem generatim, *substantialis;* neque spectabat ad codices graecos, quos S.Hieronymus magni faciebat, et quibus est usus: «cur non—dicebat- ad Graecam originem revertentes, ea quae vel a vitiosis interpretibus male edita sunt, vel a praesumptoribus imperitis emendata perversius, vel a librariis dormitantibus addita sunt, corrigimus?»

3. Iuxta Origenem *Celsus haereticus impetebat chiristianos:* «Postea ex fidelibus ait esse qui, similes illis quos eo impellit ebrietas ut sibi manus inferant, primum Evangelii contextum ter, quater, pluries mutant, pervertuntque ut habeant quo res sibi obiectas inficientur» ■L Ergo christiani non accurate servabant textum sacrum.

Ad responsionem audiantur immediata verba Origenis: «Equidem non alios novi, qui Evangelii contextum immutaverint, quam Marcionis, Valentini, fortasse et Lucani sectatores. Id vero criminis nostrae doctrinae non imputandum est: in *culpa sunt qui evangelia depravare audent.* Nam quemadmodum in philosophiam male conferres, quae a sophistis, epicureis, peripateticis aliisve falsae excogitatae sunt opiniones: sic, quia nonnulli evangelia corruperunt, novasque sectas a lesu doctrina alienas induxerunt, non continuo in crimen vocari oportet verum christianismum» l5. Unde ex contextu apparet quomodo illa accusatio corrumpendi evangelia *non ad veros Christianos spectat, sed ad haereticos,* quos Celsus ethnicus non discernit a veris fidelibus.

4. S.Dionysius episcopus Corinthiorum scribebat: «Epistolas scripsi rogatus a fratribus. Sed illas ministri quidam diaboli, zizaniis compleverunt: quaedam ex illis expungentes, quaedam adicientes. Quos certe manet feralis illa sententia: Vae vobis. *Non mirum igitur videri debet, si sacrosancta Domini scripta quidam adulterare aggressi sunt,* quando quidem in longe inferioribus scriptis idem ausi fuisse deprehenduntur» ,‹s. Ergo evangelia non accurato studio servabantur.

Resp. Haec verba et alia, quae citari possent ›7, *spectant vel ad haereticos qui scripta ad suos sensus contorquebant vel ad corruptionem alicuius textus particularis;* nullo modo probari potest Ecclesiam admisisse scripta sacra deturpata, quin et ex iis contrarium omnino probatur, et sollicita vigilantia pastorum demonstratur.

*| *Praefatio in quatuor evangelia,* Damaso Papae: ML 29,558.
12 *Ibid.:* ML 29,560.
13 *Ibid.:* ML 29,559.
14 *Contra Celsum* 2,27: MG 11,847s.
Ibid.
16 Apud Eusebium, *Hist. eccles. 4,23:* MG 20,387-390.
*7 Apud Eusebium, *Hist, eccles.* 5,28: MG 20,515-518.

ARTICULUS IV

De historicitate Evangeljorum et Actuum

Thesis 22. Evangelia synoptica plenam sibi fidem historicam iure vindicant.

Rosadini, n.191-203; Gaechter, n.164; E.Mancenot. *Les Evangiles synoptiques* (Paris 1911).

332. Agimus primum de historicitate synopticorum, dein de illa Io; tum propter similitudinem quae inter evangelia synoptica (Mt, Me, Lc) intercedit, tum propter dissimilitudinem quae inter synoptica et Io manifesto adest; accedit et evangelium Io habere peculiares impugnatores.

333. Status quaestionis. Historicitas est proprietas librorum qua eis fides historica debetur. Haec fides ideo eis tribuenda est, si

1) scriptum pertinet ad genus *stricte et proprie historicum.*

Non ergo tunc agitur de poeticis fictionibus aut meris allegoriis, aut de legendis et fabulis romanensibus *(novelas),* neque de scriptis mere didacticis; sed tunc agitur *de historia eaque stricta* (non sunt «novelae historicae»).

Genus autem stricte et proprie historicum bene componi potest cum line doctrinali vel apologetico, scilicet ad aliquid doctrinale docendum vel ad aliquid defendendum.

2) Fides historica tribuenda est scriptis, si *constat a) de scientia* et *b) de veracitate auctorum.* Tunc enim testimonium humanum aptum est gignere certitudinem.

334. Adversarii. Praeter illos quos, in genere male sentientes de evangeliis, supra n.2485s retulimus; recentiores adversarii contra historicitatem Mt, Mc, Lc melius declarantur ex sequenti doctrina Ecclesiae.

335. Doctrina Ecclesiae. *In genere* quoad evangelia invenimus damnatas *sequentes propositiones modernistarum:* Parabolas evangelicas ab ipsis evangelistis atque a christianis secundae et tertiae generationis artificiose esse digestas (D 2013); atque evangelistas in pluribus narrationibus retulisse non tam quae vera sunt, quam quae lectoribus, etsi falsa, censuerunt esse magis proficua (D 2014). Cf. D 2015 circa additiones et correctiones, quibus dicebant evangelia aucta fuisse.

In specie de evangeliis synopticis: quoad historicitatem Mt Commissio de re biblica (19 iunii 1911) defendebat illam, declarans quod non *ex eo quod auctor primi evangelii scopum prosequitur praecipue dogmaticum et apologeticum, demonstrandi nempe iudaeis lesum esse Messiam a prophetis praenuntiatum... deduci inde liceat ea quae narrat non esse ut vera recipienda;* nec affirmari potest narrationes gestorum et sermonum Christi alterationem subiisse sub influxu prophetiarum V.T. et status adultioris Ecclesiae (D 2153).

Quod spectat ad Mc et Lc, iuxta eandem Commissionem (26 iunii 1912) in dubium prudenter vocari nequit sententia quae tenet *Marcum iuxta praedicationem Petri, Lucam vero iuxta praedicationem Pauli scripsisse,* simulque asserit iisdem evangelistis praesto fuisse alios quoque fontes fide dignos, sive orales sive etiam iam scriptis consignatos (D 2162); atque *plenam sibi eam fidem historicam iure vindicant quam eisdem semper praestitit Ecclesia, nec* refert quod scriptores non fuerint testes oculares vel quod defectus ordinis ac discrepantiae in successione factorum haud raro deprehendatur, sive quod tardius venerint et scripserint... (D 2163).

336. Valor dogmaticus. Historicités evangeliorum est res non modo critice certissima, sed etiam *de fide divina et catholica;* siquidem character historicus evangeliorum facile invenitur in verbo Dei scripto, et per traditionem talem characterem recepimus; Ecclesia vero historicum characterem evangeliorum ut traditum et inclusum in revelatione, saltem magisterio suo ordinario et quotidiana praxi, proponit.

337. Probatio. Evangelia synoptica iure sibi vindicant plenam fidem historicam, 1) si *pertinent ad genus litterarium stricte et proprie historicum;* 2) si *constat de scientia et veracitate auctorum.*

Atqui ita est. Ergo...

Prob. min. 1) Evangelia synoptica pertinent ad genus LITTERARIUM STRICTE ET PROPRIE HISTORICUM.

a) In his evangeliis *bene distingui potest id quod habet indolem allegoricam,* ut parabolae, *et id quod habet indolem poeticam,* ut cantica (Benedictus, Magnificat, Nunc dimittis), *a narrationibus de vita et dictis Domini.* Haec enim proponuntur in hisce evangeliis stylo consueto in narratione et in sermone de re historica. Unde pari iure negari posset aut in dubium

revocari valor historicus cuiuslibet libri ut talis habiti, ita ut sic plenus scepticismus historicus vigeret.

b) Modus vero narrandi in his evangeliis talis est, ut appareat sobrietas, etiam in factis sublimibus exponendis, obiectivitas, ingenuitas et simplicitas...; non inveniuntur in eis mythi insani aut exaggerationes ridiculae et phantasticae, sicut statim apparent legenti v.gr. legendas aliquas vel evangelia apocrypha, quae certe pertinent ad hoc genus litteraturae popularis non stricte historicae. Haec apocrypha, quae aderant ad dimidium iam saeculi II, inserviunt ad verificandam legem de mythis circa summos viros post eorum mortem.

c) Character obiectivus et stricte historicus evangeliorum adeo est manifestus ut *antiquiores plane historica illa intellexerint,* tam catholici (ut Clemens Alexandrinus, Origenes, Irenaeus... etsi proni ad allegorias inveniendas), quam inimici (Celsus, Porphyrius...), qui inde ex evangeliis arguebant, v.gr. supponendo facta esse miracula narrata (cf. n.474); immo recentiores Ecclesiae inimici non totalem de hisce evangeliis reiciunt historicitatem.

338. 2) Constat de scientia et de veracitate auctorum. A) *Constat de scientia, a)* Erant enim *testes immediati, vel commercium et familiaritatem habentes cum aliis testibus primi ordinis* (B.Maria Virgo, Apostoli, discipuli). Ita Matthaeus, ita et Petrus de rebus quas praedicabant. Vel auctores evangeliorum a testibus immediatis et fontibus genuinis maximam rerum segetem receperunt, *cum studio magno et* possibilitate inveniendi verum; ita ex eorum fervore, et quia agebatur de re magni momenti. Marcus quae praedicabat Petrus *diligenter perscripsit* (R 95); Lucas quae a Paulo et aliis accepit, expresse loquitur quod *omnia assecutus fuerit a principio diligenter,* ακριβώ (1,3), *sicut tradiderunt qui ab initio viderunt vel ministri fuerunt sermonis* (1,2).

b) Hi auctores scripserunt non *tempore remotissimo ab eventibus,* sed paulo post eos: Matthaeus anno c.45, Marcus anno c.53-58, Lucas anno c.58-62. Ergo haec evangelia composita sunt inter annos c.45-62.

c) Illa quae auctores scripserunt erant *simplicissima narratu et attentionem percellentia;* inde facile tradi poterant. Dicta autem facile per traditionem oralem et scriptam conservari potuerunt ex eorum forma, quasi apotegmata vel parabolae; praesertim apud orientales, ubi haec traditio oralis maxime llorebat, et iuvamine fontium scriptorum.

d) Tendentia traditionis oralis, cui auctores innitebantur, erat *conservare et repetere* quae audiebant.

e) Leviora discrimina inter hos evangelistas, minime incompossibilia et dissonantia inter se, probant ex una parte evangelia non esse composita ex praestabilita voluntate decipiendi (fuissent enim omnino concordia inter se); et ex alia parte prodit evangelistas esse magnae fidelitatis in narrando.

339. B) *Constat de veracitate auctorum. a)* Fraus erat impossibilis *interne:* Nemo gratis mendax; et auctores evangeliorum nullum potuerunt habere motivum ad mentiendum: spernebant divitias, vitae commoditates, honores; nullum omnino commodum exspectare poterant de sua fraude, nisi persecutionem et mortem cum ignominia. Si commoda illa temporalia ex suo animo glorificandi Christum intendissent, aliis fraudibus et alio modo depingendi imaginem Christi intendenda fuissent; nimirum describendo Messiam eiusque regnum et doctrinam, qualem populares et primates populi exspectabant.

Si has fictiones similesque fecissent auctores evangeliorum> commisissent crimen gravissimum contra Deum et religionem, adhibendo fraudem blasphemam, et fuissent sceleratissimi· Iam vero haec crimina in eis debent omnino excludi, quia eorum moralitas pura apparet ex doctrina et, quod maius est, ex vita et ex morte eorum.

340. *b)* Fraus erat impossibilis *externe:* quia facile potuisset cognosci, et facile potuissent redargui de falsitate ab aliis testibus coaetaneis et adhuc superstitibus. Cogita Matthaeum scribentem paulo post eventus ad ipsos iudaeos coaetaneos. Unde facile, sive inimici novae religionis sive illi qui Christum sincere amabant, potuissent respuere quae in evangeliis falsa dicerentur; illi nimirum qui contrarium viderant ut testes immediati, vel qui contrarium audierant ex testibus immediatis. Ceterum Mt concordat multum cum Mc et Lc.

Quin et *respuissent amici vel inimici,* si evangelia falsa narrassent, tum propter odium novae religionis constringentis illos et proprias tendentias naturales, tum propter amorem veritatis in aliis qui pollebant sensu religioso. At vero nihil de hac reiectione constat quoad historicam veritatem rerum narratarum (ad summum circa interpretationem supernaturalem factorum!); constat e contrario *agnitio et veneratio,* quas a primis christianis haec evangelia sunt consecuta, adeo ut citarentur

in scriptis primaevis (Didache, Epistola Barnabae, S.Clemens Romanus, S.Ignatius, S.Polycarpus...). Atque *ipsi haeretici* (Cerinthus, Valentinus, Marcion...) non ut falsa illa habuerunt, sed illas in genere receperunt; etsi aliqua mutilaverunt ob subiectivam rationem quod non concordarent cum suis theoriis.

341. *c) Examen internum* horum evangeliorum ostendit hanc veracitatem auctorum. Scribunt enim *obiective,* non interserendo proprium iudicium et propriam impressionem circa facta; scribunt *ingenue, sine amplificatione oratoria,* etiam dum narrant sublimiora et magna (ibi non invenies imagines orientales, v.gr. in narratione de Incarnatione!); *nec de se* scribunt, ut sua extollant; sed si aliquando de se aut de suis sociis dicendum sit, id *candide* fit, non autem ut se efferant, sed ut se deprimant: stultitiam, ignaviam, ambitionem, ingenue et aperte fatendo.

Quae synoptici narrant *concordant omnino non modo cum geographia, sed et cum iis eorum temporum,* quae *ex historia profana novimus;* ita, v.gr. Le 2,1s de censu universali Quirini anno c.8 ante Christum h de auctoritatibus in Palaestina et ludaea (Mt 2,155.19.22; 14,3-12; 26,57; 27,2s; Lc 1,5; 3,1; 23>7S) 1; item de factionibus et sectis politicis et religiosis et socialibus (pharisaei, sadducaei, scribae...); item de consuetudinibus et moribus iudaeorum 3. Atque hic illa omnia recole, quae superius in argumentis internis evolvendis diximus pro genuinitate evangeliorum.

Characterem personarum haec evangelia breviter quidem, sed accuratius et consonis notis describunt; praesertim in imagine lesu depingenda. In quo omnes concorditer eum ut exemplar perfectissimum, humanum sane, proponunt; at simul exemplar elevatum supra ideas messianicas temporis, exemplar mirabile perfectionis in eo connaturalis et suavis... adeo ut unica ratio sufficiens descriptionis huius figurae sit obiectiva et historica realitas personae et rerum narratarum; conficta enim tandem aliquando cognoscuntur et evanescunt4.

Item *doctrina tam sublimis,* quae in synopticis invenitur tamque concorditer, nequit esse fructus intellectus rudium piscatorum, sed ex obiectiva praedicatione desumi.

1 Cf. M.J.Lagrange, *Evangile selon Saint Luc*2 (Paris 1921) in hunc locum, c.2.
2 Cf. Flavius Iosephus, *Antiquitates* I7,iss; *Bellum iudaicum* 2,9ss; Tacitus, *Annal.* 6,iss.
' Cf. de hac re H.Strack-P.Billerbeck, *Kommentar zum Neucn Testament aus Talmud •nul Midrasch* vol. 1-4 (München 1922-1928).
4 Cf. L.Hertling, S.I., *Das litcrarischc Portrat in den Evangelicn als Echtheitskritcrium:* ZkathTh 52 (1928) 40-52.

342. Obiectiones. 1. Evangelia synoptica tendebant ad fovendum cultum lesu ut Domini et Messiae. Ergo non continent strictam historiam.

Dist. *antec.* Tendebant ad talem cultum fovendum cum *stricta atque historica veritate* rerum narratarum, *conc. antec.;* cum mythis et legendis, *nego antec.* Neque enim talis cultus foveretur erroribus et enthousiasme irrationabili ab iis qui praevident martyrium ex ea causa.

2. Amor caece omnia transfigurat quae sunt de persona amata. Ergo et amor christianorum erga lesum.

Dist. *antec.* Amor mundi, *trans, antec.;* amor *fortis usque ad mortem, et sub oculis inimicorum, sc.* testium quoque qui res narratas impugnare poterant, *nego antec.*

3. Magnis viris post eorum mortem solent adseribi legendaria et mythica. Ergo et simile quid in evangeliis accidit relate ad lesum.

Dist. *cons.* Simile quid accidit in *evangeliis apocryphis,* quae sane inserviunt ad hanc, legem verificandam, *conc. cons.;* «in nobis traditis quatuor evangeliis», quae sunt omni exceptione maiora, *ex demonstratis, et ex studio christianorum non fabulosa sed omnino authentica conservandi, nego cons.*

4. Haec evangelia pertinent ad genus legendae, non ad historiam criticam.

Resp. Non pertinent ad illam historiam *criticam, sicut hodie saepefit,* cum magno apparatu notarum et citationum, id facile concedimus; non pertinent ad veram et *obiectivam et strictam historiam,* negamus ex probatis. Lucas profecto aperte profitetur se agere ἀκριβώ$ *(diligenter);* et evangelia non pertinere ad legendas sanctorum, etc., iam ex eo patet quod huiusmodi legendae sunt anonymae nec habent, sicut evangelia, auctores cognitos et testes rerum, scribentes intra certum tempus.

5. Scripta historica tanto maiore pondere ut authentica sunt demonstranda, quanto graviora (miracula, res supernaturales) narrant. Atqui evangelia narrant res gravissimas... et authentia evangeliprum non multo pondere demonstratur. Ergo evangelia non sunt ut authentica demonstrata.

Trans, mai. Nego secundum membrum min. Authentia evangeliorum *firmissime et graviter omnino* demonstratur; vere proportionate gravitati rerum narratarum. Ceterum non necessario debet dari proportio inter rem narratam et argumentum quo eius exsistentia demonstratur, modo sit argumentum sufficiens et non narretur res impossibilis.

6. Atqui miracula narrata in evangeliis sunt impossibilia. Ergo...

Dist. *antec.* Et hoc *aprioristice* et falso dicitur, *conc.;* hoc dicitur scientifice et vere, *nego.* Haec tandem est ratio *a priori* (!) et praeiudicata, minime scientifica, cur reiciantur ab adversariis evangelia.

7. Transmissio oralis corrumpit narrationem factorum et dictorum.

Dist. antec. Hoc facile accidit in longa serie transmissionum, *conc.;* accidit semper *necessario,* praesertim si *testes sunt immediati* vel recipiunt res a testibus immediatis, *nego.* Mt procedit a teste immediato; Mc a Petro per unum Marcum; Le a diligenti exquisitione eorum qui ab initio ipsi viderunt vel, ministri fuerunt sermonis. Cf. praeterea alia argumenta quibus haec corruptio substantialiter excluditur.

8. *Impossibile est nos verba Domini nunc exacte possidere: a)* lesus enim aramaice loquebatur, nos habemus versionem graecam per translatores; *b)* impossibile erat longam praedicationem lesu et discipulos intellexisse accuraic et memoriter retinuisse fideliter.

Resp. ad *a)* Non dicimus verba graeca fuisse pronuntiata a Domino, sedi *sententias* (1), quas ut verterent ex aramaico, bene translatores Mt praestare potuerunt (cf. D 2152); et Marcus et Lucas identidem facere ex praedicatio·! ne Petri et Pauli, vel etiam interdum ex documentis scriptis.

Ad *b)* Dicta lesu non erant *difficilia intellectu,* quia bene accommodabantur indoli semiticae: erant enim sententiae breves, rhythmicae, vividae, antitheses, paradoxa, repetitiones...· et erant de doctrinis percellentibus circa caritatem, circa misericordiam... Quod si aliquando non fuerunt intellecta ab apostolis, constat eos interrogasse ipsum Dominum (cf. Mc 4,ioss; 7,i7ss; etc.).—Nec difficile erat orientalibus has sententias et phrases memoriae commendare, cum hic fuerit praecise mos et modus retinendi quem rabbini discipulos docebant. Cf. n.35os.

9. Mos erat historiographis (Thucidides. Tacitus, Titus Livius...) conciones rhetorice factas interserendi suis historiis, quasi dictas a ducibus, etc... Ergo et evangelistae sese huic mori accommodarunt relate ad verba lesu.

Resp. Est quidem talis mos *in historia classica erudita,* etsi inde non falsitas eruenda est eorum quae dicuntur; nam auctores conabantur vera et vere narrare quanta possent obiectivitate ex documentis, etc. At in evangeliis non haec eruditio rhetorica et ars, sed simplex ingenuitas, quam vocant, et obiectiva simplicitas elucet; atque *mira concordantia inter euangelistas* ex studio conservandi omnino ipsissimas *sententias* Domini, et frequentius ipsa verba.

343. Contra *historicitatem Mt.* 10. Cur Matthaeus non dicit; ego vidi, interfui..., sed semper narrat in tertia persona?

Resp. Non raro antiqui impersonaliter scribebant de rebus a se gestis vel quibus interfuerant (v.gr. Caesar in suis Commentariis). Apud Mt valet insuper ratio humilitatis auctoris; vel etiam ex eo quod ipse ut auctor iam erat notus legentibus; vel quia non omnibus eventibus interfuit.

11. Deest apud Mt color vividus temporis, locorum, personarum, ad concretum omnia referens; sed dicit vago inodo: in *illo tempore (11,25...), tunc* (9,14...), *in montem* (5,1)... Unde non fuit testis ocularis.

Resp. Si Matthaeus intendisset scribere opus narrativum *mere delectabile,* lortasse plus colori indulsisset (si facultatem et ingenium ad hoc habuisset, unusquisque enim operatur prout potest); si vero intendebat scribere opus Iristorico-apologeticum sive historico-dogmaticum, tunc ille color non adeo requirebatur. Sic Mt hac monotonia accedit ad artem et stylum rabbinorum in compositione litteraria.

12. Testis oculatus non facile deficit in ordine chronologico rerum narrandarum, sicut accidit in Mt.

Dist. antec. Id accidit in Mt saepius, *nego;* aliquando ob finem doctrinalem expositivum, sibi praefixum, et quia tunc primario non intendebat proponere consecutionem factorum, *conc.* Cf. Resp. Commissionis Biblicae, I' 2>53·

13. Mt habet verba graeca identica cum Mc et multas cum eo similitudines. Ergo pendet a Mc et non habet auctorem testem oculatum.

Nego consequentiam : vel Mc pendet a Mt, vel utrumque a fonte communi.

14. Unde constare potuit conformitas versionis graecae Mt cum eius originali aramaico? Etenim et Papias videtur indicasse unumquemque inii rpretatum esse Mt prout potuit (R 95).

Resp. Conformitas illa constat ex eo quod «Patres et ecclesiastici scriptori . · mines, irnmo Ecclesia ipsa iam a suis incunabulis unice usi sunt, tamquam ‹ rinonico, graeco textu Evangelii sub Matthaei nomine cogniti, ne iis quidem ‹ . I ptis qui Matthaeum Apostolum patrio scripsisse sermone expresse trajtnk runt» (Resp. Commissionis Biblicae, D 2152).

144. *Contra historicitatem Lc.* 15. Lucas deficit et revera non dicit «ex iii.lrnc», sicut promiserat (1,3). Ergo non servat historicitatem.

1 *Dist. antec.* Non dicit «ex ordine», καθιξής, sive logico sive chronologico,

ita ample vocem accipiendo, prout vox significat, nego *antec.;* non dicit ex ordine praecise chronologico, subdist,: aliquando, *conc.;* generatim, nego.

16. Lucas deficit in narrandis circumstantiis temporis, loci et quoad sermones Domini magni momenti (qui sunt in quarto evangelio); quos sine dubio cognovisset et scripsisset, si egisset cum testibus immediatis.

Resp. Cognovisset et scripsisset, si diu cum his testibus versatus fuisset, *trans.;* cognovisset et scripsisset, si obvie cum his versatus est, et ei maxime cordi erat substantiam facti vel dicti cognoscere et narrare, *nego.*

345. Scholion. Quaestio synoptica.

L.Méchineau, *l vangeli di S.Marco, di S.Luca c la Questione sinottica* (Roma 1913): L.Murillo, EI *problema sinoptico:* EstEcl 7 (1928) 42-59.432-449: 8 (1929) 173-192; Gaechter, 0.146-163; Rosadini, n.172-190; J.M.Bover, *Bernabé iclave de la solution del problema sinoptico?:* EstBibl 3 (1944) 55-77: Cornelv-Merk, diss.7 c.5; A.G.da Fonseca, *Quaestio synôptica*[3] (Romae 1952); C.B.Butler, *The originality of St.Matthew* (Cambridge 1951); Λ. Wikenhauser, *Einleilung in das Neue Testament* (Freiburg 1953) § 26; L.Vacanay, *Le problème synoptique* (Paris-Toumai 1954): J.Levie, S.I., *L'évangile araméen de S.Matthieu est-il la source de l'évangile de S.Marc?:* NouvRevTh 76 (1954) 680-715.812-843.

Evangelia synoptica sunt Mt, Mc et Lc, quae propter similitudinem narrationis facile offerunt quasi eandem σύνοψιν, sive eundem *conspectum* factorum et dictorum Domini [1].

Problemata inde derivata et allatae solutiones, quae spectant ad originem huius similitudinis simul et dissimilitudinis, dicuntur *quaestio synoptica.*

Momentum quaestionis, tam pro re apologetica quam exegetica, in eo est, ut ex studio huius quaestionis fontes evangeliorum cognoscantur, sive orales sive manuscript! sive inter se dependentes; atque inde non modo ipsa genuinitas et historicitas evangeliorum confirmetur, sed etiam illa omnia confirmentur quae per traditionem et per examen internum de singulis evangeliis novimus et diximus.

346. Doctrina Ecclesiae. luxta responsiones Commissionis de re biblica, die 26 iunii 1912 datas, in quaestione synoptica enodanda debent servari alia statuta Commissionis Biblicae iam antea (1911) stabilita (cf. D 2148-2163), praesertim de authenticitate et integritate trium evangeliorum Mt, Mc et Lc; item de identitate substantiali evangelii graeci Mt cum eius originali primitivo; necnon de ordine temporum quo eadem evangelia scripta fuerunt. Sed *ad explicandam eorum evangeliorum ad invicem similitudines aut dissimilitudines, inter tot varias*

[1] Huiusmodi *synopses* offerunt v.gr. F.X.Patritius, *Evangelium* Διατεσσαρών seu Quatuor *evangeliorum contextus* (Friburgi Brisgoviae 1852); A.Brassac, Nova *evangeliorum synopsis-* (Parisiis 1922); A.Huck. *Synopse der drei ersten Èvangelien* (Tubingen 1922); Io.Prado, *Synopsis evangclica* (Matriti 1943); A.StEFiNi, *Synopsis evangeliorum et vaticinia de Christo* (Marictti 1954); J Leal, *Sinopsis concordada de los cuatro evangelios* (Madrid T954).

oppositasque auctorum sententias, licet exegetis libere disputare et ad hypotheses traditionis sive scriptae sive oralis vel etiam dependentiae unius a praecedenti seu a praecedentibus appellare (D 2164).

Quod si aliqui, nullo fulti traditionis testimonio nec historico argumento, facile amplectuntur hypothesim vulgo «duorum fontium» nuncupatam, quae compositionem evangelii graeci Mt et evangelii Lc ex eorum potissimum dependentia ab evangelio Mc et a collectione sic dicta sermonum Domini contendit explicare: *ii non satis censentur servare superius statuta ac proinde non valent hanc sententiam libere propugnare* (D 2165).

347. Tentamina solutionis. A) Systema mutuae dependentiae. *a)* Alii explicant quaestionem'synopticam affirmando mutuam dependentiam evangelistarum, ut antiquitus S.Augustinus 2 et Grotius 3; et iuxta omnes fere catholicos dependentia eo ordine habetur quo supra diximus evangelia fuisse composita: Mt, Mc, Lc.

Sic S.Augustinus ait: «Et quamvis singuli [evangelistae] suum quemdam narrandi ordinem tenuisse videantur, non tamen unusquisque eorum velut alterius praecedentis ignarus voluisse scribere reperitur, vel ignorata praetermisisse quae scripsisse alius invenitur; sed sicut unicuique inspiratum est, non superfluam cooperationem sui laboris adiunxit...»4.

b) Alii, defendentes hoc systema, malunt hunc ordinem: Mt, Lc, Mc.

c) Alii autem recentiores, omnes fere acatholici qui defendunt hoc systema, ponunt primum Mc, dein Mt, tandem Lc.

Sed contra est: hoc systema, quoad b) et *c), non concordat cum traditione* de ordine quo scripta fuerunt evangelia (supra, passim); nec cum illa quae tenet Mc continere praedicationem Petri, Lc vero praedicationem Pauli.

Hoc systema tantum fundatur in aliquo supposito examine interno. At ex examine interno aliud quoque significatur: quia si *evangelistae pendent ex praecedentibus, unde desumunt id quod est sibi proprium?*

348. B) Systema dependentiae ex documentis scriptis. Alii rem explicare volunt per hypothesim vel cuiusdam pristini documenti aramaice scripti (Lessing, anno 1778); vel

2 *De consensu euangelistarum* 1,2,4: ML 34,1044.
5 *Annotationes'in Novum Testamentum* (Halle 1870) in titulum Mt.
* *De consensu evangelistarum* 1,2,4: ML 34.1044·

duplicis documenti hebraici (A.Resch, a. 1898), licet cum diversis redactionibus ad differentias evangeliorum explicandas; vel tandem ex pluribus pristinis fragmentis et documentis coaluisse existimant singula evangelia synoptica.

Attamen ita certe non explicatur unitas litteraria auctoris et generatim styli, quae animadvertitur in singulis evangeliis; *neque haec theoria concordat cum traditione,* iuxta quam Matthaeus et Marcus et Lucas propria composuerunt evangelia.

349. C) Hypothesis «duorum fontium». Hypothesis «duorum fontium» *('ZweiquellenhypothesisJ* celebrior facta est. Contendit duos invenire fontes synopticorum: *Primus fons* esset quaedam collectio sermonum Domini, τὰ λόγια (L vel Q= *Quelle,* fons), de qua Papias loqueretur (supra n.268); *alter fons* esset evangelium Me, de quo agit idem Papias (supra n.267). Et cf. n. 257.

Atque hoc modo rem evolvunt: Cum modus narrandi Mc sit magis popularis et primitivus, lingua quoque rudior et stylus abundet semitismis, oportet -aiunt—ut evangelium Mc sit ceteris antiquius.

Accedit et illud: Mc vix habere aliquid proprium (68 versiculos), sed omnia fere illius contineri in Mt.et Lc. Haec evangelia, Mt et Lc, vitant quoque illa quae ex Mc possunt scandalum gignere, v.gr. «[lesus] circumspiciens eos *cum ira»* (Mc 3,5). Praeterea Mc non extollit nimis divinitatem lesu 5.

Ex alia parte, cum in Mt et Lc sint plures sermones Domini communes, qui non reperiantur apud Mc, oportet ut sit alius fons communis, sed diversus a Mc: hic ergo alter fons est «collectio sermonum Domini».

Sed contra est: Haec theoria, ut patet,

a) non concordat cum traditione optime fundata, statuente alium ordinem in compositione evangeliorum, scilicet: Mt, Mc, Lc.

b) Nec consona est traditioni, pariter optime fundatae, quae in verbis Papiae, τὰ λόγια, videt integrum evangelium Mt.

c) Nec per merum recursum ad fontem communem evangeliorum Mt et Lc explicantur discrimina adeo magna inter haec duo evangelia, cum Lc habeat plura sibi propria (praesertim c.io-18), et alia communia habet ordine sibi peculiari.

d) Neque explicatur, si Mc est fons communis, cur Mt

5 Sic apud Mc fratres lesu (sui, οἱ παρ'αὐτου] dicunt eum insanire (3,21); concives Nazarethani scandalum dc eo patiuntur (6,3); non potuit miracula apud eos patrare, nisi paucos infirmos curavit (6,5): lesu» recusat titulum Magistri boni (10,18); nescit diem ultimi iudicii (13,32); derelinquitur a Deo in cruce (15,34)·

et Le omiserint illa quae Mc sunt propria, et opportuna essent pro Mt et Lc. Hinc adversarii iam coguntur ponere plures ,reclactiones Mc et Q.

350. D) Systema traditionis oralis. Quidam defendunt sic dictum *systema traditionis oralis6,* quo similitudines inter synoptica explicant *ex transmissione orali primitivae catecheseos apostolicae.* Haec consistebant praecipue in narratione vitae Domini (cf. Act i,2iss; 2,22ss; 10,375s; Lc 1,1...) 7; et inter facta et dicta Domini narranda, *illa galilaica,* quae uptote ante plebem, non ante principes iudaeorum et pharisaeos, magis accommodabatur neophytis popularibus...

Ex hac repetitione debuerunt ille ordo et illa verba memoriter inhaerere, eoque magis quod intéressé psychologicum conferebat ut menti figerentur.

Sed ex accommodatione, sive iudaeis palaestinensibus sive gentilibus romanis sive iudaeis simul et ethnicis christianis, orta sunt respective evangelia Mt, Mc, Lc.

Attamen per *meram* traditionem oralem non explicari videtur cur evangelia cohaereant in rebus minutis et differant in *Pater noster,* in beatitudinibus, in institutione Eucharistiae... quae maiore cura transmittenda erant; insuper cur Lc tam pulchra et nova afferat, quae ab aliis praetermissa sunt. Ideo haec theoria complenda videtur per recursum ad documenta scripta sive aramaica sive graeca, quae evangelistis praesto erant, *vel antea exstiterant;* id quod et Lc, adfuisse fontes scriptos, insinuare videtur.

351. P.Gaechter recentius hoc systema defendit. «Formarum enim differentiae quaedam quidem e ratione litteraria evangelistarum explicari possunt, pleraeque autem ad intellectum humanum unam formam prae alia seligentem reduci nequeunt. *Evangelia synoptica enim continent vestigia innumera alicuius facultatis, quae a vocabulorum sono, ab accentu loquentis, a numero et rhythmo dependet, quaeque alia esse non potest ac memoria (sensitiva sive mechanica)* n8.

Fontes vero scripti explicant quidem similitudinem ordinis et dispositionis materiae; erant autem fontes ut plurimum non immediati (ita enim non explicaretur dissimilitudo formarum in evangeliis, habentibus, ut supponitur, eosdem fontes immediatos); sed *erant fontes scripti mediati, qui per traditionem oralem transmittebantur.*

6 Cf. Cornely-Merk, diss.7 § 32 P.703SS.

r Cf. et R 264, ubi fragmentum S.Irenaei ex epistola *ad Florinum,* exponens praedicationem apostolorum.

3 Summa *introductionis in N.T.* n.153 p.i22s. De psychologia linguistica plura scripsit M.Jousse, S.I., *Etudes de psychologie linguistique. Lc style orale rythmique et mnémotechnique chez les Verbo-moteurs:* ArchPh 2 (1924) 435-67S. Contra exaggerationes in hac re relate ad evangelia scripsit Félix Puzo, S.I., *El rilmo oral en la exegesis evangiOca:* EstBibl 6 (1947) 133-186.

Neque mirum: Etenim «sunt inter brahmanes hodiernos, qui 420.000 syllabas poematis Rigvedae e memoria repetere possunt—totum N.T. circiter 132.000 vocabula continet—. Immo tota litteratura indica, quae multorum voluminum molem constituit, a brahmanis (Vedae) et a sacerdotibus et citharoedis (Puranae et Sutrae) colligi posset memoria tradita...» 9.

352. E) Hypothesis probabilior. Potest admitti sequens hypothesis, ex iis quae magis verisimilia et consona cum traditione habentur:

Catechesis primitiva apostolorum Matthaei et Petri invenitur respective in evangeliis Mt et Mc. Haec catechesis consistebat praecipue in narratione vitae Iesu et dictorum Domini, praesertim quae dixit ad turbas in ministerio galilaico. Haec catechesis potuit habere *communem fontem scriptum,* mediatum praesertim (Mt aramaicum? 10) et oraliter traditum.

Hunc fontem cognovit postea Lucas, praeter aliquos fontes scriptos. *Lucas ergo, praeter fontes scriptos, recepit hunc fontem oraliter traditum;* nam et aegre concipitur quomodo Lucas Mc fuerit usus, cum Marcus longe distans evangelium suum composuisset...

Hic fons oraliter traditus sive haec traditio oralis, orta annis c.40, bene potuit conservari per aliqua decennia... ita ut evangelia certissime scriberentur ante annum 70.

Thesis 23. Liber Actuum Apostolorum est fide historica dignus.

Cornely-Merk, diss.7 c.6 § 37-38; E.Jacquier, *Les Actes des Apôtres* (Paris 1926) Introduction c.13; Gaechter, n. 134-136.

353. Adversarii sunt *critici exaggerati et aprioristici,* qui librum respuunt, eo quod contineat miracula, vel contradictionem cum aliunde notis et narratis invenire contendunt.

Quidam partes determinatas Act peculiari modo impugnant, ut E.Norden, qui impetit sermonem Pauli Athenis (Act 17, 22) ut non genuinum; alii epistolas (Act 15,23-29; 23,25-30).

354. Doctrina Ecclesiae. Iuxta doctrinam Ecclesiae *certo teneri debet Lucam fontes omni fide dignos prae manibus habuisse eosque accurate, probe et fideliter adhibuisse, adeo ut plenam auc-*

9 P.Gaechter, *Summa introductionis* 11.157 P-127, qui citat pro hac rc M.Vinternitz, *A History of Indian Literature* | (Calcutta 1927) 34·

10 P.J.M.Bover existimat Bamabam auctorem probabilem versionis graecae Mt: *Bernabe iclavc de la solución del problema linôptico?:* EstBibl 3 (1944) 55-77·

toritatem historicam sibi iure vindicet (D 2170); nec quaedam difficultates quae passim obici solent (sermones, miracula) tales sunt ut auctoritatem Actuum historicam in dubium revocare vel saltem aliquomodo minuere possint (D 2171).

Valor dogmaticus. Etiam huic thesi, et libro Act, videtur applicari posse, quae supra de historicitate evangeliorum synopticorum diximus; ac proinde thesis videtur etiam esse *de fide divina et catholica* (cf. n.336).

355. Probatio. Admittendo historicitatem evangelii Lc et eundem Lucam medicum esse auctorem libri Act, sine negotio probatur stricta historicitas huius libri:

1) *Pertinet enim liber Act ad genus litterarium stricte et proprie historicum,* ut legenti per se patet.

2) *Constat de scientia et de veracitate auctoris:* non modo sicut in Lc, sed a fortiori; siquidem auctor est testis immediatus multarum rerum quas narrat.

Auctor Act *optime novit res geographicas,* loca, etc. de quibus narrat; item *personas historicas* (v.gr. Caiphas: 4,6; Gamaliel: 5,34ss; Sergius Paulus: 1.3,7···); earumque *chronologiam* et circumstantias temporis (etsi pro prima parte, Act 1-12, non adeo abundans et concretus, sicut pro secunda sectione libri, ubi refert res quibus ipse interfuit); item novit *res sociales* regionis (v.gr. de sadducaeis et pharisaeis: 5,17; 23,6-9; de Gamaliele: 5,34-36...). Atque in his omnibus aliisque plane concordat cum his quae ex scientia historiaque profana novimus.

Ideo «si simul considerentur tum frequens ac facile commercium, quod procul dubio habuit Lucas cum primis et praecipuis ecclesiae palaestinensis fundatoribus necnon cum Paulo, gentium Apostolo, cuius et in evangelica praedicatione adiutor et in itineribus comes fuit, tum solita eius industria et diligentia in exquirendis testibus rebusque suis oculis observandis, tum denique plerumque evidens et mirabilis consensus libri Actuum cum ipsis Pauli epistolis et cum sincerioribus historiae monumentis» (D 2170), tunc certo constabit de scientia et de veracitate auctoris.

356. Objectiones[1]. 1. Liber Act continet 18 orationes sive sermones, sicut apud historiographos v.gr. Thucididem vel Titum Livium, tamquam modum exornandi librum. Ergo in sermonibus liber Act non est liber stricte historicus.

Resp. Non ex eo quod in hac rc sit similitudo cum libris profanis, ideo falso in Act scribuntur ct referuntur tales sermones. Quin etiam sunt qui

[1] Cf. D 3171; Gaechter, n.136.

censeant conciones apucl Thucididem non esse confictas. Ceterum sermones longiores primae praesertim partis Act (v.gr. Petri, Stephani) non redolent artem graecam rhetoricam.

2. Act 15,7 ubi Petrus dicit: *Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum evangelii et credere...,* non concordat cum Gal 2,8 ubi Paulus dicit: *qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter Gentes...*

Resp. Paulus non negat Petro cognitam esse electionem gentilium ad Ecclesiam, quam electionem et praedicavit Petrus; sed Paulus efferre vult peculiarem sibi missionem circa Gentes concreditam esse.

3. Iuxta Gal 2,6 nihil in concilio ierosolymitano circa observantiam legis mosaicae pro gentibus impositum est; e contra iuxta Act 15,28-29.

Resp. Praecepta imposita in concilio non spectant ad substantiam legis mosaicae (de circumcisione, etc.), quae agnoscitur innecessaria; sed spectant ad quaedam particularia in ordine disciplinae, ut promoveretur sociabilitas inter iudaeo-christianos et ethnico-christianos.

4. Act continent miracula. Ergo non est liber stricte historicus.

Resp. Tale ratiocinium est praeiudicium aprioristicum et nullo modo procedit scientifice.

Thesis 24. Quartum evangelium plena historicitate gaudet.

M.J.Lagrange, *Evangile selon Saint Jean*[3] (Paris 1927) Intoduction c.2-3; M.Lepïn, *L'origine du quatrième évangile* (Paris 1910); Rosadini, n.232-243: Gaechter, n.iôsss; Cornely-Merk, diss.8 c.i § 7; Simôn-Dorado, Novum *Testamentum I* ŋ.123-130; Hoepfl-Metzinger, *Introductio in N.T.* n.271-303.

357. Adversarii [1]. i) Quidam negant rotunde historicitatem Io atque *hoc evangelium non nisi elucubrationes ab ipso auctore et fictiones ab eo compositas continere dicunt,* quibus intendebat proprias ideas theologicas divulgare. Ita Baur (1867), Strauss (1874), Réville (1890), Jülicher (1906), H.J.Holtzmann (1908), Harnack (1902), Loisy...

2) Alii concedunt *aliquem nucleum* sive in Io narrationibus sive in eius sermonibus esse historicum; non tamen totalem historicitatem concedunt.

3) Quidam catholici tribuebant *sermonibus Domini apud Io non strictum valorem historicum,* sed interpretationes et ampliationes auctoris illos habebant. Ita Calmes, Batiffol...

358. Doctrina Ecclesiae. Iuxta *responsiones Commissionis de re biblica* die 29 maii 1907 datas, facta narrata in quarto evangelio nullo modo nec totaliter nec ex parte sunt conficta ad hoc ut sint allegoriae vel symbola doctrinalia; neque dici potest sermones Domini in hoc evangelio non proprie et vere

1 Cf. Rosadini, 11.133.

esse ipsius Domini sermones, sed compositiones theologicas scriptoris (D 2112).

Item Ecclesia in decreto *Lamentabili* (3 iulii 1907) damnavit aliquas similes propositiones, oppositas stricto valori historico huius evangelii: Narrationes loannis non esse proprie historiam, sed mysticam evangelii contemplationem (D 2016); quartum evangelium miracula exaggerasse (D 2017); loannem sibi vindicare rationem testis de Christo, re tamen vera non esse nisi eximium testem vitae christianae seu vitae Christi in Ecclesia exeunte primo saeculo (D 2018).

Encyclica «Spiritus Paraclitus» (15 septembris 1920) agebat etiam de impugnatoribus veritatis historicae evangeliorum, *praesertim ad quartum evangelium quod attinet:*

«...Quae enim Dominus Noster lesus Christus dixit, quae egit, non ea censent ad nos integra atque immutata pervenisse, iis testibus, qui quae ipsi vidissent atque audivissent, religiose perscripserint; sed—*praesertim ad quartum evangelium quod attinet*—partim ex evangelistis prodiisse, qui multa ipsimet excogitarint atque addiderint, partim e narratione fidelium alterius aetatis esse congesta; ob eamque causam aquas e duobus fontibus manantes uno eodemque alveo sic hodie contineri, ut nulla iam certa nota distingui inter se possint» (EB 462 [475]; D 2188).

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica·,* confer enim quae supra diximus de valore dogmatico historicitatis synopticorum (n.336).

359. Probatio. Quartum evangelium plena historicitate gaudet, si 1) pertinet ad genus litterarium stricte historicum; 2) si constat de scientia et de veracitate auctoris. Atqui ita est. Ergo...

Probo min. 1) *Pertinet ad genus litterarium stricte historicum.*

Narrationes quarti evangelii non sunt narrationes parabolicae aut phantasticae, aut purae allegoriae; sed sunt narrationes stricte historicae, quae interdum symbolismum simul habere possunt et optime inservire ad finem doctrinalem intentum ab auctore.

a) In primis *auctor appellat ad suum proprium testimonium testis oculati vel auriculati,* quod indicat eum intendere narrationem stricte historicam. Aliter enim supervacanea esset haec invocatio proprii testimonii nec intelligeretur illa constans et repetita appellatio: *Et qui vidit, testimonium perhibuit...* (I9>35); *est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec; et scimus quia verum est testimonium eius* (21,24).

Similiter in prologo i Io, eiusdem auctoris, ut constat ex traditione.

b) Character stricte historicus narrationum apparet *ex accurata determinatione temporis, loci, et circumstantiarum personarum...* in quibus res narratae vel dictae collocantur; et omnia congrue ad topographiam, geographiam, chronologiam... Atque ad hoc comprobandum sufficit legere Io v.gr., c.i (post prologum) circa baptismum loannis et primam vocationem discipulorum; c.2, de nuptiis in Cana Galilaeae; c.4, de Samaritana; c.6, de multiplicatione panum; c.9, de sanatione caeci nati; c.ii, de resuscitatione Lazari...

Et confer quae supra retulimus, n.316, quaeque comprobant loannem fuisse *testem oculatum et expertmentalem.*

c) Quae vero inter narrandum interdum ut parabolae dictae referuntur, haec *ut tales satis cognoscuntur,* ut de pastore bono (10,1-15), de vite et palmitibus (15,1-6).

d) Nemo antiquorum, qui supra de loanne auctore testati sunt, haereticis non exceptis, indolem stricte historicam Io unquam in dubium vocavit.

360. 2) *Constat de scientia et de veracitate auctoris.* A) *Constat de scientia.* Erat enim *testis immediatus,* atque ex eius etiam modo narrandi cognoscitur *testis oculatus et experimentalis* multarum rerum quas narrat (supra n.316).

Et nemo coaetaneus aut in primaeva periodo posterior auctorem de inscitia accusavit; quin immo evangelium hoc, sicuti alia, non multo post citatur et adhibetur.

B) *Constat de veracitate. a)* loannes *expresse protestatur hanc veracitatem* (19,35; 21,24) et intentionem movendi ad fidem (20,31): *ut credatis quia lesus est Christus Filius Dei;* unde patet eius *intentio religiosa.*

Quod si auctor mentitus esset, crimen commisisset maximum, fraudis in re religiosa et contra honorem Dei blasphemiae, in iis falsis quae volebat persuadere...

b) Sibi auctor *nihil ita procedendo exspectare poterat,* nisi carceres, mortem...; unde miserabilior esset omnibus hominibus...

c) loannes, sicut ceteri apostoli, ex sua agendi ratione et martyrio, *probatur sincerus.*

d) Confer etiam quae hic valent de *examine interno* evangelii, iuxta dicta pro syhopticis n.341.

361. Obiectioncs. i. Quae de lesu narrantur in Io adeo *differunt a narratione synopticorum,* ut, si hisce concedimus valorem historicum, illi sit haec, historicitas deneganda.

Dist. antec. Narratio ioannea dfe lesu differt ab ea synopticorum in *substantialibus, nego; in accidentalibus, subdist. : propter diversitatem personae narrantis et J* nis intenti, *conc.;* ita ut contradicat synopticis, *nego.*

loannes vult supplere quae desunt in synopticis, vult extollere divinitatem lesu non vago quolibet modo, sed adeo ut efferat generationem eius aeternam; vult chiistianos iam excultos in fide magis magisque docere et confiimare; vult haereticis temporis contradicere... Hinc et narratio extensior sermonum Domini lerosolymis coram iudaeis et apostolis, et narratio aliquorum miraculorum ibi tunc gestorum. Atque inde explicari possunt aliq jae differentiae quae, minime irreconciliabiles, interdum proponuntur, ut in sequentibus obiectionibus.

2. lesus synopticorum est popularis et condonator populi, affectus habens humanos; *apud Io est theologus, vitat contactum cum peccatoribus (Loi-.-.y).*

Resp. Etiam ap id Io lesus depingitur humanus et turbis sese immiscens. Lege -narrationes omnes et videbis quomodo etiam apud Io sese immisceat pop ilo et habeat affectus humanos: *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omn-s eieut de templo...* (Io 2,15-18); vitat pericula pharisaeorum et prneipum (4,1-4; 7,1; etc.); clamat in templo (7,28.37); diligit amicos *Martim et soro'em eius et Lazarum* (11,5), discipulum loannem (passim); lacryinatus est lesus (u,35ss).

Apud synopticos autem etiam exponitur eius divinitas (cf. n.434-443). Ceterum aliquod discrimen in narratione inter Io et synopticos ex supra dictis satis explicati r.

3. In synopt ci; lesus profitetur suam messianitatem ad finem vitae suae publicae (Mt 16,16; Mc 14,62); in *Io iam ab initio,* coram discipulis (c.i) et coram samaritana (c.4).

Re.p. *Etiam in synopticis* non modo apparet manifestatio messianitatis in infantia lesu (Mt l-2; I.c 1-2), sed etiam in initio vitae publicae, dum narrant ministerium loannis Baptistae et lesu, qui provocat ad adimpletionem vaticiniorum isaiae (Mt 11,2-6 de Is 35,5s) et in synagoga nazarethana (Lc 4, 16-21 de Is 61,is).

4. *Miracula Io* sunt *splendidiora quam miracula synopticorum:* conversio aquae in vinum (c.2), curatio caeci nati (c.9), resuscitatio Lazari (c.n). Ergo Io ostendit tendentium non historicam, sed mere ad efferendam divinitatem Christi.

Dist. antec. Miracula apud Io narrantur valde accurate et si vis dramatismo singulari, quae prodant testem oculatum, conc. *antec.;* haec miracula sunt in se petiora quam miracula synopticorum, nego *antec.* Etenim eadem prorsus vis requiritur ad convertendam aquam in vinum atque ad multiplicandos panes, de quo synoptici sicut et Io; eadem vis ad mortuam suscitandam modo defunctim (Mt 9,23-25; Mc 5,22-43; Lc 8,41-56) et iuvenem qui portetur ad sepeliendum (Lc 7,11-17), atque ad suscitandum mortuum quatriduanum (Io 11.39); eadem vis ad sanandum paralyticum 38 annorum (Io 5,6) atque ad s mandam mulierem annis decem et octo inclinatam (Lc 13, uss); nec m-nor vis requiritur ad piscandos 153 magnos pisces (Io 21,11) quam ad implendis piscatione miraculosa duas naviculas ita ut pene mergerentur (Lc 5.7); etc.

5. *Io abundat symbolisme :* v.gr. samaritani (inimici iudaeis) credunt in lesum (0.4); multiplicatio panum ante sermonem eucharisticum (c.6); sanatio caeci nati (c.9); gentiles desiderant videre lesum (c.12,21); lotio

pedum discipulorum... ita ut dicat lesus: *exemplum dedi vobis...* (13,1-15); ludas egrediens de coenaculo... *erat autem nox* (13,30); Maria ad crucem (19,25-27); exivit sanguis et aqua de latere lesu (19,34); videbunt in quem transfixerunt (19,37). Ergo evangelium Io non est stricte historicum.

Dist. *antec.* Evangelium Io abundat tali symbolismo cuius fundamentum sit omnino historicum, *conc.;* cuius fundamentum sit mere fictum, *nego.* Quin et ad rationem plenam symboli pertinet ut habeat reale fundamentum, v.gr. ficus maledicta

6. *Io aliquas narrationes non finit,* v.gr. c.1 quid postea de loanne Baptista factum sit; c.3 quid de Nicodemo post colloquium cum lesu; c. 12,23 quid de gentilibus qui voluerunt videre lesum; c.21 quid de Petro et de discipulo qui sequebatur Dominum... Ergo Io non intendebat finem historicum.

Resp. Nec necessario debebat omnia dicere, sed attendere ad illa quae spectant *ad substantialem finem intentum,* qui apud Io est historico-doctrinalis «ut credatis quia lesus est Christus Filius Dei» 3.

7. loannes non narrat aliqua suprema miracula lesu, ut resuscitationem filiae lairi et filii viduae Nairn, et transfigurationem... quae valde essent opportuna ad finem suum extollendi divinitatem lesu. Ergo in eo apparet tendentia non historica.

Resp. Gratis id dicitur. Neque *debuit* illa narrare, sicut et Mt et Mc nihil dicunt, nec debebant dicere, de resuscitatione filii viduae Nairn; et Io poterat haec supponere cognita, et praesertim apparet eum velle narrare ministerium lesu in ludaea potius quam in Galilaea.

8. *Tendentia* narrationis in Io iam ex eo animadvertitur quod miracula ab eo narrata non tendunt ad iuvandos homines, sed ad dogma messianitatis ct divinitatis lesu probandum.

Resp. Etiam in Io apparet lesus patrans miracula ad iuvandos homines, ut videre est singula recensendo.

9. Ministerium lesu in ludaea, de quo Io, contradicit synopticis, qui tantum ponunt ministerium lesu in Galilaea per annum et *postea* ascendit lesus in lerusalem ad finem vitae.

Resp. Tale ministerium lesu in ludaea nullo modo contradicit synoplicis, sed hi supponunt duo saltem Paschata (Mt 12,1-8 dum discipuli vellunt spicas et manducant; item Mc 6,39 dum discumbunt super viride foenum, collatum cum Io 6,4 agente de multiplicatione panum: erat aulem *proximum Pascha);* praeter tertium Pascha durante Passione... Et in his successio chronologica certe servatur apud synopticos.

Praeterea multa alia in synopticis non bene explicantur, nisi supposito ministerio lesu iudaico (v.gr. Lc 10,38-42; Mt 21,8; 23,3753...).

10. Aliae difficultates proponuntur ad conciliationem cum narratione synopticorum: *de diecoenae in Bethania (Io* 12,1 coli. cum Mt 26,2.6 et Mc 14, 1.3); *de die mensis Nisan in quo celebrata coena paschalis (Io 13,1* coli, cum Mt 26,17; Mc 14,12; Lc 22,7); *item de hora mortis Domini* (Io 19,14 coli, cum Mc 15,25).

Resp. Hae difficultates nullo modo exspectant ad substantialem rem; sed neque sunt insolubiles, et in exegesi locorum aptas solutiones inveniunt.

2 De symbolismo. cf. A.Durand, Evangile selon S.Jeun23 (1938) p.XLU-XLVII.-loannes, cx septem miraculis narratis, quatuor habet (in nuptiis Cana, sanatio filii reguli, item paralytici ad piscinam, deambulatio super aquas) in quibus nihil dicit de eorum significatione symbolical alia adeo minutatim describuntur, ut de realitate facti historici mens non praeoccupata minime dubitet. Sed nihil impedii, ut dicimus, quominus et *simul* induant characterem symbolicum.

2 De hac intentione auctoris *docendi* simul dum narrat res *historicas,* cf. v.gr. Gaechter. 0.185.

11. Verba posita in ore lesn a synopticis et a loanne, cum illum inducunt loquentem, non semper coincidunt. Ergo hisce verbis non est adhibenda fides historica.

Dist. *antec.* Verba haec non coincidunt in *substantialibus, nego antec.;* in accidentalibus, subdist.: ita ut *invicem contradicant, nego;* ita ut mutuo se *compleant, conc.* Possunt autem duo qui narrant, referre alium aliquid idem dixisse, sed diversis verbis illud idem referre, et praesertim in stylo indirecto aliquid omittere vel partem tantum sententiarum referre. Et nota scriptoribus semitis non esse familiare adhibere stylum indirectum, sed dicere solent in sermone directo inducendo alios directe loquentes.

12. In sermonibus lesu apud Io non invenitur color ille synopticiss proprius cum narrant verba lesu. Ita apud Io non invenies *a) parabola_ tam amoenas et abundantes* sicut in synopticis, sed in Io abundant ideae abs tractae (indicium, vita, caritas...) potius quam concreti casus; *b)* apud Io adest *rhythmus locutionis,* quasi imitaretur parallelismum poëseos hebraicae [4], ad similitudinem librorum didacticorum V.T. et scriptorum rabbinorum; *c) verba sermonum lesu non sunt eadem* atque in synopticis; insuper apud Io adest *quaedam repetitio et monotonia in ideis* (v.gr. de caritate in ultima coena) simul *cum solemnitate in dicendo: Sic sermones lesu apud Io sunt potius meditationes theologicae auctoris quam ipsa verba lesu.*

Resp. ad *a)* Etsi apud Io non inveniatur color proprius synopticis, differentiae sunt tales quae possint explicari propter *diversitatem auctoris et finis* intenti, conc.; datur contradictio cum synopticis aut sermones non sunt stricte historici, nego. Synoptici volunt extollere ministerium I esu galilaicum apud populares; loannes vero ministerium in ludaea apud principes.

Ad *b) Rhythmus sermonum apud Io egregie confirmat indolem semiticam auctoris.* Neque vero rhythmus et modi loquendi «ioannei» desunt apud synopticos, ut illud Mt 11,25-27 (Lc 10,21-22); cf. n.437s.

Ad *c) In sermonibus apud Io lesus loquitur iisdem fere vocibus atque in synopticis;* cum, ex alia parte, narrationes Io abundent aliis vocabulis, quae non reperiantur apud synopticos, et ideo loanni scriptori tribuenda sint. *Sermones ergo Io, in quibus indoles semitica apparet, bene assumuntur* ut *dicta lesu* et per *traditionem christianam transmissa.*

Insuper, cum loannes loquitur, v.gr. in prologo, exprimit ideas circa divinitatem lesu clarioribus etiam verbis ac lesus ipse eandem divinitatem indirecto quodam modo proponit vel insinuat (v.gr. Io 5,17-32), sicut accidit in synopticis; hinc et audientes dicunt: *quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam (Io* 10,24). Hoc autem indicat scriptorem Io potius conservasse formam originariam verborum lesu, quam in iis referendis propria cogitata adhibuisse [5][6]

Sic in sermonibus lesu non apparent aliqua verba quae sunt evangelistae propria, ut λόγο;, μονογενή;, πστεύειν εἰ; τὸ ὄνομα, ττοιεῖν τὴν αλήθειαν, vel aliqua quae leguntur in i Io, apta sane quae exprimerent ideas lesu ut αντίχριστο;, ἀγγελία, ἐτταγγελία, ἴρχεσθαι ἐν σαρκί, Ιλασμό; 6.

Ad d) Repetitio autem et si vis interdum monotonia idearum et quaedam solemnitas, quae adsunt apud Io, certe non obstant strictae historicitati sententiarum; et, praesertim cum loannes loquitur, bene arguit pro aetate provecta et auctoritate summa auctoris, qui ita assuefactus erat dicere; notum

4 Apud Gaechter, n.175 invenies articulos citatos de hac re.
5 Cf. Gaechter, n.192.
6 Cf. Cornely-Merk'0 (1929) diss.8 c.t § 8 n.2 p.761; Gaechter, n.192 p.160.

est enim quomodo senes ament repetere et omnia ad paucas ideas, easque abstractas, reducere; et, salva historicitate sermonum lesu, respondet ingenio loannis.

Sic *potuit loannes sententias Domini, servatis saepius iisdem Domini verbis* (cf. quae dicimus ad *c) proponere et distribuere eo rhythmo qui magis aptus et sibi et auditoribus videretur* 7.

7 Apud Gaechter, n.194 P.163S invenies relatas diversas formulas auctorum ad hanc rem explicandam. Cf. etiam circa sermones Domini doctrinam breviter propositam a Sîmôn-Dorado, *Novum Testamentum* l n.i28s.

LIBER IU

De facto revelationis christianae comprobando sive de lesu legato divino

362. Nexus tractationis et divisio libri. Post considerationem fontium historicorum, unde probationes erunt desumendae, ipsum iam factum historicum revelationis divinae factae per lesum Christum possumus comprobare. Atque si potissima et generaliora spectes, haec erunt in hoc libro praestanda:

1) Exsistentia historica lesu Nazareni inconcussa ex fontibus erit demonstranda (caput I).

2) lesum sese Legatum divinum testatum esse, qui nos veritates doceret, probandum erit (caput II).

3) Hanc ipsam Legationem divinam comprobatam fuisse sive criteriis primariis sive secundariis, erit demonstrandum (caput III).

Sic lesus apparebit *testis fidelis* (Apoc 1,5) earum veritatum quas a Patre audivit (Io 15,15); sic nos Ei dicere poterimus: *Scimus* [scientifice] *quia ex Deo venisti Magister* (Io 3,2).

CAPUT I

De exsistentia historica lesu Nazareni

363. Quamquam haec quaestio est evidentissima et ab ipsis Ecclesiae hostibus plane conceditur ›, oportet nihilominus ut pertractetur, tam debitae eruditionis causa, quam propter adversarios qui hinc inde recentius surrexerunt.

Thesis 25. Exsistentia historica lesu Nazareni, quae constat invicte ex evangeliis et ex facto religionis Christianae (I), probatur etiam ex epistolis Sancti Pauli (II) et ex auctoribus profanis (III).

F.M.Braun, O.P., Où *en est le problème de Jésus* (Bruxelles-Paris 1932) 159-211 *(La lutte autour de l'existence de Jésus);* Dieckmann, *De revelatione* n.538-574; L.de Grandmaison, *Jésus dans l'histoire et dans le mystère* (Paris 1925); L.Cl.Fillion, *Les étapes du rationalisme dans ses attaques contre les Evangiles et la vie de Jésus-Christ* (Paris 1911) c.8; H.Pinard de la Boullaye, S.I., *Jésus et l'Histoire,* Confér. de Notre-Dame de Paris (1929) confér.2-4; M.Lepin, Le *Christ Jésus* (Paris 1929) 11-135.

364. Adversarii, *sive evolutio in negatione exsistentiae lesu.* Haec negatio provenit ab ultimis annis saeculi XVIII habuitque Voltaire (1694-1778) praecursorem, pro quo lesus fuerat iudaeus ignotus et crucifixus.

Primi adversarii appellandi sunt *mythologistae,* quod voluerint exsistentiam lesu quasi *mythum* explicare.

Sic C.F.Volney (1757-1820), philosophia rationalistica imbutus et falsae methodo incumbens historiae religionum, in suo scripto anni 1791 [2] habet lesum ut mythum astralem seu originem ducentem ex fabulis astronomicis.

Similiter secundum Ch.F.Dupuis (1742-1809), scribentem paulo post, anno 1794 [3], lesus est mythus solaris et personifica-

1 Sic, inter alios, sequentes auctores, quos citat F.M.Braun, O.P., Oii *en est le problème de Jésus* 209s in nota: A.Bauer, C. Clemen, A.Jûlicher, E.KIostermann, H.v.Soden, J. Veiss, A.Jeremias, H. Vindisch, Th.Reinach, Ch.Guignebert, M.Goguel, A.Loisy, L.Salvatorelli. Ipsius *Loisy* referuntur ab eoderri *P.Braun* sequentia verba: «Libre aux mythologues d'opposer au témoignage substantiel des premières générations chrétiennes l'hypothèse nébuleuse d'un mythe qui, vers la fin du régne de Tibère se serait mis tout seul et tout à coup à conquérir les esprits crédules; libre à eux d'entasser par-dessus cette première hypothèse mille autres conjectures pour écarter le sens naturel des textes qui ne la favorisent pas. Leur méthode n'est pas la nôtre» (A.Loisy, *De la méthode en histoire des religions* in Revue d'histoire et de littérature religieuse 8 [1922] 37).

2 *Les ruines ou méditations sur les révolutions des empires* (Paris 1791).

3 *Origine de tous les cultes ou la religion universelle* (Paris 1794): *Abrégé de l'origine de tous les cultes* (Paris 1798). Adversus ha-, theorias citatur Fr.José de Jesus Munoz, *Tratado del verdadero origen de la religion y mis principales épocax* 2 t. (Madrid 1828).

tio solis...; sicut enim sol in suo egressu ex hiberna statione sub signo Agni reparat malum introductum praecedente frigore, sic Deus Christianorum sub symbolo Agni reparatoris peccatorum resuscitat ad vitam novam ingrediente vere. Apostoli duodecim sunt duodecim signa Zodiachi; Petrus, cum clavibus et navicula, est vetus lanus in capite duodecim deorum, qui sunt duodecim menses anni... 4. Eandem methodum adhibens, ingeniose hunc auctorem refutavit *J.L.Pérès* scribens anno 1836 et negando exsistentiam Napoleonis56

365. Ad finem saeculi transacti et ad initium saeculi praesentis alii proposuerunt exsistentiam lesu ut *personificationem factam ex diversis tendentiis sive philosophicis sive socialibus.*

Ita Bruno Bauer (1809-1882), volens explicare originem christianismi ex hellenismo romano, edebat anno 1877 suum de hac re opus0; in quo sequebatur scholam criticam tübingensem: pro eo lesus est personificatio ideae christianae, quam ait ortam fuisse ex elemento graeco-romano (stoico-platonico) et elemento iudaico (losephus, Philo).

A.Kalthoff (1850-1906) volebat ex tendentiis socialibus et oeconomicis historiam explicare 7: pro eo lesus est personificatio cuiusdam tendentiae socialis communisticae, quae fuit in exspectatione messiano-apocalyptica iudaeorum.

366. In initiis praesentis saeculi iterum recurrunt *mythologistae,* propter inventiones *(descubrimientos, hallazgos) ex* Aegypto. Sic in fervore suo orientalistico viri periti in sua arte, sed nimia pollentes phantasia, nova ratione mythos inveniebant in humanisatione alicuius divinitatis sectae iudaicae:

J.M.Robertson (natus 1856) 8 recurrit ad *losue* et explicare vult evangelia supponens inveniri cultum ad *«lesum»* sub symbolo agni inter cultus polytheisticos israeliticos, cohaerere hunc cultum cum cultu divinitatis aegyptiacae Osiris-•Tammuz.

4 Cf. Braun, *Où en est le problème de Jésus* 162s; H.Pinard de la Boullaye, *L'élude comparée des religions4* (Paris 1929) 1.l § 112 p.227.

5 *Comme quoi Napoleôn n'a jamais éxisté.* «En usant habilement *des rapprochements et des ressemblances,* il établit que Napoleôn est le soleil, que sa mort prétendue à Sainte-Hélène symbolise le coucher de cet astre à l'occident, que ses quatre frères sont les quatre saisons, ses douze maréchaux les douze signes du Zodiaque... Parmi les nombreuses réfutations que suscita *rOrigine de tous les cultes* celle-ci était peut-être la moins laborieuse; ce n'était pas la moins efficace» (Pinard de la Boullaye, *L'étude comparée des religions* t.i § 112 p.228; in versione hispana t.i [1940] 221s).

6 *Christus und die Caesaren. Der Ursprung des Chrislentums aus dem romischen Gnechenlum* (Berlin 1877).

7 *Das Christusproblem. Grundlinien zu einer Sozialtheologie* (Leipzig 1902); *Die Entstehung des Chrislentums. Neue Beitrdge zum Chrislus-problem* (Leipzig 1904).

8 *Christianity and Mythology* (London 1900*, 1910*).

Pro W.B.Smith [9] secta Christianorum est identica cum secta Nazaraeorum, quae aliquem deum, Iesum, venerabatur.

P.Jensen (n.1861) [10] affirmavit Iesum esse novam editionem numinis babylonici Gilgamesch, in se divina et humana coniungentis, sicut etiam Moyses et S.Paulus et alii ex V. et N. Testamento, et esse ut personificationem solis; sic evangelium proveniret ex legenda quadam solari.

A.Drews (n. 1865) anno 1909 et sequentibus magnam commotionem excitavit ob securitatem dicendi et eruditionem [11] at syncretistice congerit dicta praecedentia ex diversis scholis: ex hypothesi astrali et de cultu israelitico praechristiano, et ex parsismo, agnosticismo, bellenismo...; nec procedit methodo scientifica. Omnia in eo sunt cumulus coniecturarum et hypothesium [12].

Iuxta Drews Iesus deberet esse *Iosue;* hic vero non est historicus vir, sed divinitas quaedam solaris, tribus Ephraim, assimilatus Messiae iudaeorum.

Post bellum primum europacum. ab anno 1921, repetita non raro sunt quae a Drews dicta sunt et a suis asseclis [13].

P.L.Couchoud, medicus, historiator religionum, anno 1924 in suo libro *Le mystère de Jésus,* omnia eleganti stylo et derelinquendo mythos et theorias praecedentes, reicit liberales et eschatologistas [14], dicit insufficientes probationes de exsistentia Iesu, et ponit suam explicationem; praefert enim explicationem non mythologicam, sed symbolicam: Iesum esse in continuo fieri et habere tantum realitatem idealem in mente credentium [15].

Alfaric [16] contendit explicare factum christianismi ex conflatione messianismi iudaici cum mythis paganis deorum qui salvant (Osiris, Attis, Mithra); sed haec etiam ab ipsis rationalises criticis et radicalibus severe reiciuntur [17].

9 *Der vorchristliche Jesus nebst uniteren Vorstudien zur Entwicklungigeschichti des Urchristentums* (Jena 1906); *Ecce Deus. Die urchristliche Lehre des reingottlichen Jesu* (Jena 1911).

10 *Das Gilgamesch-epos in der Weltliteratur...* (Strassburg 1906); *Hat Jesus der Evangelien wirklich gelebt?* (Francfort a.M. 1910).

11 Scripsit *Christusmythe* (Jena 1909-1911).

12 *Una cascada de hipôtesis.* Iuxta Couchoud opus a Drews *Christusmythe* in sua mythologia astrali nihil aliud est nisi «fantasmagorie»: Mercure de France 221 (1929) 193; cf. Braun, *Où en est le problème de Jésus* 205.

13 Editiones praecipuas indicat Braun, *Où en est le problème de Jésus* 165 in nota.

14 Hoc enim esset *evhemerismus; ex* philosopho graeco, qui saeculo III ante Christum dicebat deos esse homines elevatos ad ordinem divinum.

15 Contra Couchoud scripsit L.de Grandmaison, S.I., *Jésus dans l'histoire et dans le mystère* (Paris 1925).

16 *Le problème de Jésus* (1932).

17 In notis praecedentibus indicavimus opera eorumque editiones praecipuas illorum auctorum qui contra exsistentiam Iesu historicam scripserunt; pro ceteris, etiam recentioribus cf. Braun, *o.c.*

367. Doctrina Ecclesiae non est cur nunc speciali modo commemoretur, cum satis constet *ex symbolis et ex magisterio ordinario* ipsam exsistentiam lesu historicam doceri omnino ab Ecclesia, et pertinere ad fidem divinam et catholicam.

In Syllabo Pii IX proscribitur propositio: «Ipse lesus Christus est mythica fictio» (D 1707).

368. Valor dogmaticus quantum ad ipsam exsistentiam historicam lesu: *de fide divina et catholica,* ut modo diximus. Quantum ad diversas partes et enuntiationes theseos: constare ex evangeliis hanc exsistentiam lesu historicam, pariter de fide divina et catholica; probari quoque ex epistolis Sancti Pauli, est saltem de fide divina, cum clare in his scripturis contineatur; probari vero ex auctoribus profanis est critice certum.

Si *mere critice et historice* examinatur ipsa exsistentia historica lesu, est res per reductionem *metaphysice certa.*

369. Probatio primae partis non eget speciali declaratione, quia *ipsa evangelia et Actus,* quorum historicitas sine ullo dubio'probata et admittenda iam est, si quid minimum continent verum est ipsa exsistentia historica lesu.

Insuper ipsa *exsistentia et indoles religionis christianae est argumentum virtuale* inconcussum pro hac re: christianis enim persuasum erat se esse conditos ab homine historico lesu, quem Messiam, Christum, fuisse credebant; sic et hoc nomen Antiochiae primum acceperunt (Act 11,26), et dicebantur secta Nazarenorum (Act 24,5); sic et symboli antiquiores profitentur naturam humanam lesu; sic et eum habebant ut victimam realem immolatam pro redemptione hominum; sic eius praesentiam in Eucharistia realem tenebant... I8.

Et nos possumus *spatium et tempus, terram et momentum historicum in quibus lesus vixit accurate determinare:* imperitante Tiberio Caesare, procurante Pontio Pilato ludaeam, tetrarcha autem Galilaeae Herode... (Lc 3,1); et cetera bene multa quae de momento et de historia vitae lesu dici possunt. Multa loca ab eo peragrata in Palaestina certo et indubitanter demonstrantur; et vitae eius chronologia inter certos limites determinatur 19. Non manet igitur eius exsistentia in obscuritate, sicut

• 1" Omnino absurde et gratuito et nimia phantasia Couchoud vult invenire initium motus religiosi christiani circa lesum in *visionibus Petri,* postea *duodecim,* postea 500 *fratrum, de* quibus i Cor 15, et inde efficere *duplicatum ex* lahveh... ubi congererentur notae Messiae exspectati: filius hominis, servus lahveh, iustus quem alii persequuntur, etc. Sic ex phantasia pauperis piscatoris orientalis orta esset religio. Cf. Braun, *Où en est le problème de Jésus* 205s.

i0 Cf. U.Holzmeister, S.I., *Chronologia vitae Christi* (Romac 1933); J.Llamas, *La cronologia de Jesùs* (Turin-Roma JÇ35)·

de Homeri exsistentia dubia moveri potuerunt: res prorsus aliter se habet ac de Homeri fabulis, de Aenea, de Calypso et Ulisse...

Tanta est vis ex evangeliis et ex facto religionis christianae pro exsistentia Iesu historica, ut haec veritas, licet constet certitudine morali, haec sit *reductive metaphysica.*

370. Probatio secundae partis desumenda est ex epistolis Sancti Pauli quarum authentia ab omnibus admittatur [20]. Ideo facienda est haec probatio propter recentes invectationes a Couchoud; simul vero *testimonia historica antiquissima habebimus de exsistentia historica Iesu* et de transformatione mortalis in Deum paulo post eius mortem et ab ipsis monotheistis iudaeis (!), *casus unicus in historia,* anno c.55, non post longam evolutionem quam requirebat pro suis mythis Strauss (n.252) [21].

371. Iuvat autem rem ita proponere ut sequamur ordinem chronologicum vitae Iesu:

Iesus habebat matrem ex hebraeis, et huic genti eorumque religioni erat addictus, siquidem est «factus ex muliere, factus sub lege...» (Gal 4,4).

Cognatos («fratres») habebat (1 Cor 9,5); *et ipse ex antiquis patribus iudaeorum procedebat,* siquidem Paulus de propriis cognatis secundum carnem, sc. de iudaeis, ait: «...quorum patres et ex quibus est Christus secundum carnem» (Rom 9.3-5).

Erat autem *Filius David* (Rom 1,3; 9,5; cf. 2 Tim 2,8) *et filius Abrahae,* «cui dictae sunt promissiones et semini eius... quasi in uno: et semini tuo, qui est Christus» (Gal 3,16).

Vixit autem pauper, «quoniam propter vos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis» (2 Cor 8,9; cf. Phil 2.7).

Supponitur *miracula fecisse,* quod Paulus ei tribuat propria signa et prodigia (Rom 15,18s; cf. i Cor 1,22-25; 2 Cor 12,12; Gal 3,5).

Apostolos constituit et quidem in *collegio duodecim (t* Cor 15,5; 9,5).

Instituit Eucharistiam, sicut Paulus accepit—ut dicit—ab ipso Domino (1 Cor 11,23-26);

in qua nocte tradebatur (1 Cor 11,23); traditus propter delicta nostra (Rom 4,25).

Et immolatus fuit (i Cor 5,7; Gal 2,20)

crucifixione (1 Cor 1,17.23; 2,2.8; 2 Cor 13,4; Gal 3,13; cf. Rom 6,5-8).

Et mortuus fuit (Rom 5,6s; 6,3-10; 8,34; 14,9; 1 Cor 15,3; 1 Thess 4,14); *et quidem a iudaeis* (1 Thess 2,15).

20 Nimirum *Rom, i et 2 Cor, Gal, 1 Thess, Phil, Philem.*

21 *Prima epistola ad Thessalonicensis* scripta fuit anno 50-51 ; epistola *ad Galatas* anno 54 *1 ad Cor* anno 55; *ad Rom* vero brevi ante festum Paschae anni 58. Ita ex P.Gaechter, *Summa introductionis in Novum Testamentum* (Oeniponte 1938) n.239.245.255.

Ergo intra a.50 et 60, brevi post mortem Iesu, de eo scribebatur ut de homine et de Deo simul; signum eum revera utrumque esse et hominem et Deum, pro eo qui consideret israelitas tam acriter monothéistes esse, et christianos aliter fecisse ac mahumetani et israelitae cum suis fundatoribus, Mahomet et Moyses, qui non sunt elevati ad ordinem divinum. Cf. Braun, o.c., 167-171. Haec concedit Couchoud esse gravia, sed ex praeiudicio aprioristico non vult admittere divinitatem Iesu; cf. Braun, p.t74s.

Sepultus est (i Cor 15,4; Rom 6,4).
Et *resurrexit* (1 Cor 15,4s; Rom 1,4; 4,25; 8,34; 1 Thess 1,10; 4,14).
Et *visus est a discipulis post resurrectionem* (i Cor 15,5-7).
Et *ab ipso Paulo* (i Cor 15,8; 9,1).

Ut ergo constat ex praecedentibus, S.Paulus non historia continua describit vitam lesu, quia eius epistolae sunt occasionales et non intendunt systematicam tradere doctrinam. At vero continent *schema et lineas potiores de vita lesu idque fixo modo et definito,* non nebuloso aut obscuro; adeo ut exsistentia historica et humana lesu supponatur omnino.

372. Praeterea, S.Paulus proponit *exempla virtutum lesu* (passim), nominat eius discipulos, et *doctrina quam tradit de redemptione* supponit exsistentiam humanam lesu.

In concionibus autem Sancti Pauli, quales habemus in Actibus Apostolorum, factas iudaeis vel etiam et paganis, ita proponit messianitatem lesu ut rem omnino historicam (Act 13,24-41; 17,3.18.31; 19,4; 26,23).

373. *De scientia et de veracitate Pauli* in his omnibus affirmandis ideo iam constat, quod se miserabiliorem habet omnibus hominibus si ipse deceptus fuisset (cf. 1 Cor 15,19). Et bene talia facta noscere poterat, sicut alia quaelibet facta historica coaetanea notabilia; et haec quidem ab eo narrata concordant omnino cum evangeliis, et ex alia parte redargui poterat a testibus viventibus; scribit enim Paulus inter annos 50-60.

374. Objectiones *ex mente Couchoud 1.* In epistolis Sancti Pauli non invenitur nisi imago quaedam idealis lesu Nazareni, efformata per internas experientias et visiones Pauli (cf. Rom r,2ss; 1 Cor is,3ss; Gal 4,4).

Nego prorsus, ex probationibus factis.

2. *Inst.* Iuxta 1 Cor 2,8 Paulus praedicabat Dei sapientiam in mysterio *quam nemo principum huius saeculi cognovit; si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Unde principes huius saeculi non cognoverunt Dominum, et entia «mythica» crucifixerunt eum.

Resp. Conclusio est omnino arbitraria. Ex eo enim quod in praedicatione et in persona lesu sunt mysteria, non ideo iam desinit utraque esse historica; neque ex eo quod principes huius saeculi non cognoverunt Dei *sapientiam, non* ideo iam non cognoverunt *Dominum.*

3. In epist. ad Phil 2,5-11 inveniuntur elementa idealizationis in imagine lesu: descensus atque mors entis divini et ascensus cum glorificatione. Ergo exsistentia lesu non est nisi partus ideae christianae.

Nego antec. et consequentiam. Quam gratis haec dicantur nemo est qui non videat. In loco citato invenitur quidem mysterium propositum duplicis naturae in persona lesu Christi, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam-servi accipiens... obediens usque ad mortem, mortem autem crucis...* Cum hoc autem

mysterio bene componitur historicitas eiusdem Iesu Christi, ut ex hoc eodem loco constat et ex S.Paulo abunde demonstravimus.

4. In antiquissimis documentis Christianorum, in epistolis Sancti Pauli, Iesus inducitur Deus. Ita vocatur *Kyrios,* quod nomen LXX reservant Deo; in nomine Iesu omne genuflectatur (Phil 2,10-11; cf. Is 45,24 ubi haec expressio de Deo dicitur); quicumque invocaverit nomen eius salvus erit (Rom 10,13; cf- Ioel 2,32); omnia condita sunt in ipso, sive in terra sive in caelo (Coi 1,153.19). Atqui absonum est pro iudaeo monotheista Iesum hominem esse Deum. Ergo Iesus non est nisi heros alicuius apocalypseos, obiectum experientiae mysticae, Deus mysterii.

Cone. niai. Verum quidem est in epistolis S.Pauli Iesum induci et haberi Deum. Dist. *min.* Absonum est pro iudaeo aliquem hominem inducere ut Deum, nisi praecessissent summe efficaces probationes, *cone. niin.;* si praecesserunt tales efficaces probationes, *nego min.;* quin immo hoc signum est iudaeos tales efficaces probationes habuisse. Et *nego cons, et consequentiam.*

5. Scripta Pauli, prout nunc sunt, sunt editio secunda post Marcionem retractata, saeculo post Paulum; prima enim editio seu corpus paulinum fuit *Apostolicon* Marcionis (anno c. 140); sed Marcion, utpote gnosticus, negabat realitatem camis Christi.

Resp. Haec omnia *gratuito omnino* dicuntur et falso; constat enim apertissime, et confirmant etiam inimici Ecclesiae, antiquam et primaevam vetustatem illarum epistolarum Pauli ex quibus fecimus argumenta. Cf. n.370.

375. Scholion. Poterit interrogari *utrum scripta christiana extracanonica aliam valeant efficere efficacem probationem* pro exsistentia Iesu historica.

Sine dubio ex his fontibus christianis deduci potest certissime exsistentia Iesu Nazareni; sed, quoniam multa ex talibus scriptis pendent ex Novo Testamento, critice nequeunt vim priorum argumentorum ex N.T. roborare. Possunt tamen aliqua indicari quae independentia a N.T. videri possunt.

Sic Hegesippus anno c. 180 loquitur de cognatis quibusdam Iesu (nepotes Iudae, fratris Iesu) qui erant tempore Domitiani Origenes dicit speluncam nativitatis Iesu Bethlehem monstrari, et in spelunca praesepe ubi fuit fasciis obvolutus[22]. Et Quadratus in sua *Apologia* (c.124) loquitur de sanatis et suscitatis a Domino, qui ad sua usque tempora pervenerunt (R 109).

376. Probatio tertiae partis fiet considerando: A) testimonia iudaica; B) testimonia gentilia.

A) Testimonia iloaica. i) Flavius Iosephus (c.37-105) e familia iudaica sacerdotali, interfuit bello iudaeorum adversus romanos, transiit vero ad partes romanorum, et inter annos 75-79 scripsit aramaice *De bello iudaico,* postea translatum in graecum. Sunt etiam quaedam *Additamenta ex vetere*

22 Apud Eusebium, *Hisl. cedes.* 3,20; cf. Kch 67-69.
23 *Contra Celsum* 1,51: MG 11.756.

versione slavica, quae desunt in versione graeca, et edita sunt a Berendts (anno 1906) et a Grass (anno 1924); in his additamentis nonnulla reperiuntur de Iesu eiusque factis 24. Recentiores habent versionem slavicam ut interpolatam 25; sed valet pro persuasione historica de exsistentia Iesu ut personae historicae.

377. 2) Idem *Flavius Iosephus* scripsit opus *Antiquitates iudaeorum* perfectum c.annum 93 post Christum, in quo duo reperiuntur testimonia de Iesu:

«Eo *etiam tempore fuit Iesus,* vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui verum cum voluptate accipiunt, multosque iudaeos, multos item gentiles ad se pellexit. *Ille erat Christus.* Quem cum Pilatus, ab hominum nostrorum primis delatum, crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt qui primum amaverant. Apparuit enim iis tertio die redivivus, divinis vatibus et haec et] mille] alia de eo miranda effatis. Atque ab eo denominata Christianorum natio durat usque ad hunc diem»26.

«Interea Ananus iunior, quem pontificatum accepisse iam diximus, ferox erat ingenio et insigniter audax, sectam etiam sadducaeorum sequebatur, qui prae ceteris iudaeis in iudiciis sunt acerbi et immites, quemadmodum antea indicavimus. Talis igitur cum esset Ananus, oportunum sibi tempus adesse ratus, eo quod Festus, quidem vita cessisset, Albinus vero adhuc in itinere esset, concilium iudicum cogit; *inductoque in indicium fratre Iesu qui dicitur Christus, Iacobus ei nomen,* et cum eo quibusdam aliis, in eos ut legis violatae reos cum accusationem instituisset, lapidandos tradidit...»27.

378. *Hoc secundum testimonium,* ubi de martyrio Iacobi fratris Iesu qui dicitur Christus, quamquam directe agit de martyrio Apostoli, bonum est argumentum pro exsistentia historica Iesu.

De *priore praeclaro testimonio tres* sententiae feruntur circa genuinitatem textus:

a) Multi de ea dubitant vel eam negant, quod auctores antiquiores ecclesiastici, qui ceteroquin norunt Iosephum, de hoc eius testimonio taceant (argumentum ex silentio), praeter Eusebium 28; vel dubitant ex eo quod mirantur quod Flavius Iosephus, incredulus, possit Iesum vocare Messiam.

b) Alii respondent—et merito, ut videtur—scriptores ecclesiasticos de hoc testimonio non necessario loqui debere; Iosephum autem illam dignitatem messianicam ceteraque de

24 Cf. sis versionem germanicam horum additamentorum apud Dieckmann, *De revelatione* n.567.569s; compendium vero dictorum, *ibid.,* n.558.

25 Cf. Lercher-Schlagf.nhaufen, *Theolog. fundam,* n.144.

26 *Antiquitates* 1.18,3,3: Kch 7.

27 *Antiquitates* 1.20,0.1 : Kch 9.

28 *Denwnslr. evangel.* 3,5: MG 20,221; *Hist. cales.* 1.11: MG 20,117.

lesu dicere potuisse, quin necessario ei munus messianum adscribat, sicut postea loquitur de Iacobo «fratre lesu *qui dicitur* Christus».

c} Alii alio gradu admittunt interpolationem in testimonio losephi; v.gr. ad illa verba: «Hic erat Christus».

379· 3) Alii fontes iudaici sunt *a)* Mishna sive collectio legum et consuetudinum traditionalium ex scholis pharisaeorum, opus scriptum ad finem saeculi II [29]; *b)* insuper Talmud seu commentarius ad Mishna, alius *palaestinensis* lingua aramaica conscriptus initio saeculi V, alius *babylonensis* spectans ad saeculum V et VI lingua aramaico-babylonica conscriptus, uterque tradit hebraice dicta antiquorum doctorum [30].

Hi fontes aliqua referunt de lesu et profitentur eius exsistentiam historicam. *Traditiones vero doctorum Amoraim* (saeculo III) non independenter ab evangeliorum narratione; cum ortae sint ex desiderio calumniandi et desumant ex fontibus christianis ad odium. Aliter, id est, etiam independenter ab evangeliorum narratione, *quoad traditiones doctorum Tannaim,* qui erant lamniae post destructionem templi a.70. Sic iuxta acatholicum iudaeum J.Klausner dantur in his scriptis rabbinicis notitiae historicae fide dignae circa lesum Nazarenum: «Appellabatur lesus Nazarenus; excercebat magiam (id est, operabatur miracula, sicut multi alii tunc temporis) [!], et decipiebat et seducebat Israelem; spernebat verba doctorum; commentabatur Scripturam ad modum pharisaeorum; habebat quinque discipulos; declaravit se non venisse ad addendum aut auferendum quidquam ad legem; fuit suspensus (crucifixus) in vigilia Paschatis, quod veniebat in die sabbati, eo quod esset «seductor»; et eius discipuli curabant infirmos in nomine eius» [31].

Quantum ad *Toledoth leshua* (historia lesu), hic liber teste ipso acatholico iudaeo J.Klausner caret valore historico [32]; nisi dixeris ad summum esse confirmationem persuasionis, universalis de historica exsistentia lesu.

380. B) Testimonia gentilia.

Testimonia ethnica de lesu alia sunt *polemica* adversus christianos, ut illa quae Celsus aliique dixerunt; alia sunt *non polemica.* Priora praetermittimus,

29 De *Mishna,* cf. H.Lesf.tre: DB 4,1127-1130.
30 De *Talmud, cf.* H.Lesetre: DB 5,1977s; uberius vero apud H.L.Strack, *Einleitung in Talmud und Midrash** (München 1030).
31 J.Klausner. *Jésus dr Nazareth. Son temps. Sa vie. Sa doctrine* (Paris 1933) (versio gallica ex textu hcbraico originali révisa ab auctore) 53.
32 Ibid., 65.

utpote quae pendeant ex fontibus christianis; cetera non polemica nunc considerabimus.

1) Plinius Secundus Minor, proconsul Bithyniae, consulebat a.ni-113 Traianum imperatorem propter propagationem christianismi; dum vero narrat modum agendi Christianorum, dicit inter alia: se eos obligasse ut «maledicerent Christo» et eos «ante lucem convenire carmenque Christo quasi deo dicere» 33.

De hoc praeclaro testimonio pro celerrima propagatione christianae religionis potest moveri quaestio utrum sit directa affirmatio historicae exsistentiae lesu, quod et congruentius dicitur, an tantum sit affirmatio alicuius divinitatis.

2) Cornelius Tacitus, discipulus Plinii senioris, qui et in ludaea versatus fuerat sub Tito, in suis *Annalibus* scriptis inter a.69-117 scribens de incendio urbis Romae sub Nerone, dicit rumorem derivatum esse in *chrestianos,* nomenque explicat a *Christo:* «...Auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat...» 34.

Atque hoc solemne est testimonium praeclari historiographi pro historica exsistentia lesu.

3) C.Suetonius Tranquillus anno c.i20 scribens *Vitam Claudii* imperatoris haec de eo ait: «[Claudius] ludaeos, impulsore *Chresto* 3536ssidue tumultuantes Roma expulit»30. In *Vita* autem *Neronis* invenitur: «...afflicti suppliciis christiani, genus hominum superstitionis novae ac maleficae...» 37.

Ergo primum testimonium ex *Vita Claudii* agit de aliquo homine, scilicet de Christo, cuius exsistentia affirmatur, unde tumultus et disceptationes atque expulsiones iudaeorum ortae sunt (de quibus cf. Act 18,2); quamquam hoc testimonium videtur supponere Christum Romae fuisse.

4) *Acta referentia res gestas sub Pilato* videntur Romae fuisse asservata, ut relationes publicae et authenticae. Ad haec enim -Acta videtur alludere *S.Iustinus,* cum refert miracula lesu et addit: «Quae quidem ab eo [lesu Christo] facta esse,

»3 Kch 28-31.
34 Annales 15.44· Kch 34·
35 Id est *Christo,* quia eodem modo pronuntiabatur: «Christianus, quantum interpretatio est, de unctione deducitur. Sed et cum perperam *chrestianus* pronuntiatur a vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos) de suavitate et benignitate compositum est» (Tertullianus, *Apologeticum* 3: ML 1,331).
36 Vita Claudii 25,4: Kch 39.
37 Vita Neronis 16,2: Kch 40.

ex confectis sub Pontio Pilato Actis discere potestis»Et fortasse ad eadem alludat *Tertullianus* in *Apologetico 39.*

381. Testimonia profana circa Christianismum, quae non sint spuria, collecta habentur apud Kch: 8.9 (testimonium Flavii Iosephi de morte Ioannis Baptistae et Iacobi minoris); 39 (de eiectione iudaeorum Roma sub Claudio a.circ.49-52); 32 (de accusatione Pomponiae Graecinae, a.56-57); 39.40 (de incendio urbis el persecutione Neronis, a.64); 42.45 (dc futuro regno iudaeorum); 43.44.226 (de persecutione Domitiani a.81-96); 28-31 (consultatio Plinii ad Traianum circa Christianos et rescriptum imperatoris Plinio a.i 11-1 13); 36.38 (rescripta Hadriani de Christianis a.125 et 132-134); 64 (rescripta Antonini Pii a.138-161)... 41).

382. Obiectiones. 1. Si Iesus revera exstitit et tam egregia fuit figura historica, non explicatur silentium de eo in documentis profanis saeculi 1.

Resp. Ex hoc *silentio nihil deduci potest.* quia tales historiographi coaevi Iesu tunc deerant, neque ipse imperator Caesar Augustus invenit biographum coaevum; neque ex illo tempore historia exstat provinciarum imperii, nominatim Syriae et Palaestinae.

Flaviuç Ioscphus autem scribens volebat placere Romanis, et multa tacet de Palaestina, nominatin'! multa de motibus messianicis et de nascente christianismo.

Praeterea silentium de Iesu non est absolutum in documentis profanis huius saeculi, ut supra ostendimus.

2. Sed figura thaumaturgi, qualis Iesus' fuisse asseritur, debuit prae omnibus imperatoribus innotescere.

Resp. Debuit innotescere iis *qui in Palaestina vivebant* vel facilem communicationem cum ea habebant, *cone.;* debuit innotescere ubique terrarum, nego. Difficultas videtur supponere tunc temporis exstitisse hodiernam facilitatem in diffundendis nuntiis eodem fere momento ac accidunt. Sed neque nunc diffunduntur multa re vera mira, cum elementum diffusionis sit ipsum interesse et dispositio psychologica respectu personae vel loci unde notitia quaedam venit. Intererat autem Romanorum et ethnicorum non multum id quod apud iudaeos accidebat; quin et ipsi iudaei degentes in diaspora non videntur notitiam Iesu ante apostolorum praedicationem habuisse (cf. Act 2, 5-12; 13,13-41; 28,17-28).

Praeterea motus religiosus christianismi primaevi non habebat apud Romanos illud momentum quod postea apud nos erat habiturus. Omnis enim nova tendentia generatim non excitat attentionem coaevorum antequam gignat periculum pro institutionibus vigentibus. Ideo primum ignoraiur, dein inipugnalur α vulgo, tandem ab intellectualibus et philosophis quasi *scientifice impetitur.* Ita fecere Celsus, Porphyrins... adversus christianismum 41.

3. Cur possibiles tales errores circa Iesu exsistentiam in re adeo evidenti?

Resp. Praeter *dispositionem voluntatis,* quae facit ut illa quae sunt luce clariora habeantur obtenebrata, hic valuit tendentia *hypercritica* exaggera-

ns S.Iustinus, *Apolog.* 1,48: MG 6,400. Similiter referendo mortem Iesu: *Apolog.* 1.35: MG 6.384.

J» *Apolog.* 21: ML t.450.

41l Circa fontes antiquos profanos, cf. I.B.Avfhavser, Antihe*Jesus-Zeugnisse* (Bonn 1925); item L de Grasdmaison, 7Âur *Christ* i c.i; Le *Christ* (Bloud et Gay) 115-124.

41 Dc resistentia pavana adversus christianismum, cf. sis P.de Ladriolle, *La reaction païenne. Etude* sur lu ;xdAniqiir unHdirdtienne du Ier au Vf" *siècle* (Paris 1934).

tissima et ad extremum deducta; et apud aliquos *logica consequentia ex falsis principiis,* nimirum ex eo quod non historica habuerint ipsa evangelia, unde factum est ut ex falso sequeretur quodlibet, scilicet ipsa negatio rei evidentissimae et per reductionem metaphysics certae.

CAPUT 11

De testimonio quod lesus dedit de se Ipse

383. Ut propositum nostrum aggrediamur comprobandi factum revelationis divinae factae per lesum qui dicitur Christus, primum ostendere nos oportet *lesum dixisse se Legatum Dei in sensu magistri religiosi authentici* qui veritates revelaret. Affirmatio autem huius legationis divinae potuit inveniri non explicite in dictis lesu, sed *involucrata in aliis affirmationibus illius (de eius messianitate d divinitate),* quas nunc examinare oportebit.

ARTICULUS I

De affirmatione messianica Iesu

Djeckmann, *De revelatione lr.2* c.i q.i praesertim n.618-667; Grandmaison, *Jésus Christ* 2 c.i § 2s; M.Lepin. *Lc Christ Jésus,* deuxième partie, c.ts; Pinard de la Boulaye, *Jésus Messie,* Conférences de Notre-Dame de Paris (1930) confer.3.

Thesis 26. lesus Nazarenus testatus est se esse Messiam.

384. Notio Messiae magni sane est momenti, siquidem ex ea constat nomen quod saecula tribuunt lesu *Christo; ex* ea quoque originem habet nomen nostrae religionis *Christianae.*

Messias est forma graecizata vocis aramaicae xçfç'k (meshiha'), ex hebraico Π'⁇ *(mashicih),* graece ὁ χριστὸ *(o Christos),* latine *unctus.*

In V.T. ungebantur et vocabantur uncti, sive christi Dei, *reges.* Sic Dominus dicit Samueli: «Unges eum [Saulem] ducem super populum meum» (i Reg 9,16); Samuel vero tulit lenticulam olei et effudit super caput eius (1 Reg 10,1). Saul autem vocatur a Davide *christus Domini* (2 Reg 1,14); et ipse David conqueritur de occisione illius «quasi non esset unctus oleô» (2 Reg 1,21...)

Ungebantur quoque *prophetae.* Sic Eliae dicitur: «Eliseum... unges prophetam pro te» (3 Reg 19,16)...

Sacerdotes denique ungebantur, ut constat ex dictis ad

Moysen: «Oleum unctionis fundes super caput eius [Aaronis] atque hoc ritu consecrabitur» (Ex 29,7); Moyses vero ait Aaroni et filiis: «Oleum sanctae unctionis est super vos» (Lev 10,7; cf. 21,10)...

Hoc nomen *Christi* ut postea data opera, agentes de vaticiniis messianicis, considerabimus — applicatur venturo Duci et Liberatori afferenti salutem, tribus in locis: in cantico Annae, matris Samuelis, quae extollebat Dominum qui sublimaturus erat cornu *Christi sui* (1 Reg 2,10): item in psalmo Davidis praevidentis reges convenientes adversus Dominum et *adversus Christum eius* (Ps 2,2); tandem a propheta Daniele, dum designat tempus *usque ad Christum ducem* (Dan 9,25). Et hoc nomen iam ultimis saeculis ante Ch. quasi nomen proprium huius futuri regis evasit.

Haec denominatio illius, *quasi esset unctus per antonomasiam,* ideo ei tribuebatur, quia ex vaticiniis quae de eo ferebantur—quaeque suo loco fusius exponentur [1] —triplex ei dignitas propria erat: regis (v.gr. Ps 2,6-8), *prophetae* (Deut 18, r 5s), *sacerdotis* (Ps 109,4).

385. Alia nomina, quibus Messias designabatur in V.T., erant *Emmanuel* (Is 7,14). *servus lahveh* (Is 42,1s), germen ex *David* (1er 23,5), *David* (1er 30,9), *filius hominis* (Dan 7.13s) [2].

386. Proprietates regni messianici ex V.T. Quoniam Messias futurus erat Rex, eius qualitates seu praerogativae apparent considerando proprietates quibus in V.T. regnum messianicum seu regimen et potestas Messiae insignitur. Regnum igitur Messiae praedicabatur:

Aeternum *(2* Reg 7,13.16 [cf. Ps 88.29s.37s]; Ps 71,5-7; Is 9,7; Dan 7, 14.27...).

Universale (Gen 12,3; 18,18; 22,18; 26,4; 28,14; 49,10; Num 24,17-23; Ps 2,8s; 21,28s; 71,8-11; Is 2,2-4; 66,i9ss; Mich 4,1-3; Dan 7,14.27; Mal ï,ıı...).

Externum et visibile (Is 2,2s; 11,10; Mich 4,1s; Mal 1,1t...).

Novum, cum novo sacrificio et cultu (Mal ı,ı is), cum novo sacerdocio (Is 66,20s), cum nova lege (1er 31,31-33).

[1] Cf. n.5825s, ubi agimus de vaticiniis messianicis, argumentantes pro legatione divina Iesu eamque confirmantes.

Pro idea autem messianica evolvenda cf. Dieckmann, *De revelatione* n.578-617; *Le Christ* (Bloud et Gay, Paris 1932) 92-112: Le Messie annoncé dans l'Ancien Testament; Ed.Kalt. artic. *Messias:* Biblisches Real-Lexikon 2,157-183 pro evolutione huius ideae in V.T.; et eiusdem auctoris, *ibid.,* 1,893-898 pro messianitate Iesu; Pinard de la Boullaye, *Jésus Messie* confér.4. Hi omnes agunt in universum de messianismo; cf. praeterea quae postea citabimus pro singulis vaticiniis.

[2] Pro exspectatione messianica, quae erat tempore Iesu, cf. J.Bonsirven. Le *judaïsme palestinien au temps de Jésus-Christ* (1935) 1.341-467 (editio habetur abbreviata huius libri: Paris 1950); MJ.Lagrange. *Le judaïsme avant Jésus-Christ* (Paris 1931): Kch 35 (ex Tacito), 42 (ex Suetonio); Lercher-Schlagenhaufen. *Thcolog. Jundam.* n.148.

Doctrinale, sc. doctrinam annuntians (Dent 18,18; Is 2,3; Ps 2,6; 21,23...). *Spirituale et gratiose conferens bona* (Is 11,1-9; Ier 31.34! 50,20...).

387. Adversarii 3 sunt in primis *rationalistae quidam antiquiores* negantes auctoritatem fontium, ut F.Strauss, Bruno Bauer, G.Volkmar 4.

Item *pauci recentiores,* qui dicunt lesum non manifestasse se Messiam, discipulos postea induxisse hanc ideam messianitatis lesu, cum sibi persuaserunt eum resurrexisse et iterum venturum. Ita W.Wrede5, qui, negando publicam manifestationem lesu ut Messiam, dubium habet insolubile utrum lesus se ipse Messiam habuerit; ad quem accedunt K.Wellhausen, A.Merx *et alii.*

R.Bultmann profitetur pariter similem scepticismum nec certo sciri posse de conscientia messiana lesu 6.

A.v.Gall contendit lesum recusasse dignitatem messianicam, sed non titulum «Filii hominis» et «Filii Dei» 7.

Inter propositiones damnatas *modernistarum* invenitur illa (D 2028): lesum non eo fine locutum fuisse ut doceret se esse Messiam neque miracula illius eo spectare ut id demonstraret.

388. Doctrina Ecclesiae. Clare constat doctrinam theseos proponi per magisterium ordinarium Ecclesiae saepiusque praedicari, et quidem ut revelatam. Insuper damnata est propositio modernistarum (D 2028), de qua supra.

Valor dogmaticus. Thesis est *de fide divina et catholica.*

389. Probatur i.° Ex eo quod apostoli hanc dignitatem ET HOC NOMEN TRIBUANT IeSU CONTINUO. Hoc faciunt *in eorum evangeliis:* finis enim Mt est ostendere lesum esse Messiam praenuntiatum a prophetis, quod abunde declarat inducendo saepenumero fata lesu *«ut adimpleretur quod dictum est per prophetam...»* (passim); Ioannes vero scripsit ut crederent *«quia lesus est Christus»* (Io 20,31). Hoc faciunt etiam Apostoli *in eorum praedicatione* (Act 2,36; 3,18; 4,10...). Atqui ratio sufficiens id faciendi nequit esse in talibus testibus tam veracibus, usque ad mortem, qui cum ipso lesu tam saepe sunt conversati, nisi ipsum verum factum: lesum habuisse se et dixisse Messiam. Ergo lesus revera se habuit et dixit Messiam.

3 Cf. Dieckmann, *De revelatione n.628.631.*

4 De quibus antea egimus, n.252ss.

5 *Das Messiasgheimnis in den Evangelien. Zugleich ein Beitrag zunt Verstadnnis des Markuseuangeliums* (Gottingen 1901); cf. Dieckmann, *De revelatione* n.628.

6 *Die Erforschung der synoptischcn Evangelien* (Giessen 1925) 33SS; *Jesus* (Berlin 1926) 12; cf. Dieckmann, *De revelatione* p.462 nota 3.

7 Βασιλεία του θεού, c.io; cf. Dieckmann, *Dc revelatione* n.631 et p.462 nota 6.

390. 2.° Iesus, interrogatus expresse et publice an esset Messias, id affirmavit. Sic, cum per discipulos loannis Baptistae interrogatur an esset (Messias) qui venturus erat, provocat omnino ad illa quae de Messia exspectabantur, sc. ad miracula patrata (Lc 7,18-23; Mt 11,1-6; collatum cum Is 35, 6; 61,1). Item expresse interrogatus a Caipha pontifice (Mt 26,63-64).

391. 3.0 Iesus imponit sibi et acceptat titulos messianicos: A) Diversi tituli acceptati vel sibi impositi a Iesu, quibus Messias tunc temporis designabatur. *Messias sive Christus:* Aperte Iesus fatetur id esse, cum loquitur cum samaritana (Io 4,25-27: *Ego sum qui loquor tecum).* Atque antea, ab. initio vitae publicae, ita eum Andreas loquens ad Simonem nominaverat: *Invenimus Messiam* (Io 1,41). Expresse acceptat et laudat confessionem Petri, nomine factam omnium apostolorum, *Tu es Christus, Filius Dei vivi(Mt* 16,16s; cf. Mc 8, 29; Lc 9,20). Ipse sibi hunc titulum appropriât: *Magister vester unus est, Christus* (Mt 23,10) et laudat misericordiam factam apostolis in nomine eius *quia Christi estis (Mc* 9,41); aliis vero qui dixerint: *Ecce, hic est Christus,* nolint credere, quia surgent pseudoprophetae (Mt 24,23s). Atque vita aeterna est cognoscere Deum et quem misit lesum Christum (Io 17,3). Solemniter tandem coram synedrio suam messianitatem affirmavit (Mt 26,63s; Me 14,61s); et inducitur post resurrectionem suam vindicans sibi hanc dignitatem, cum loqueretur cum discipulis in itinere Emmaus (Lc 24,26) et cum aliis discipulis (Lc 24,46).

392. *Rex Israel* vocatur a Nathanaele (lo 1,49); proclamatur a populo in die palmarum (Io 12,13; cf. Mt 21,is; Mc 11,10; Lc 19,38), a latrone in cruce (Lc 23,42); atque ipse acceptat, hunc titulum, licet aliquando fugerit tumultum populi volentis eum facere regem post multiplicationem panum (Io 6,15). Ipse loquitur *de regno suo* (Mt 13,41 explicando parabolam zizaniorum; Mt 25,34.40 cum loquitur rex iis qui a dextris eius erunt); et affirmat se regem esse cum interrogatur a praeside Pilato (Mt 27,11s; lo 18,33-37; cf. Mt 27,27-29; Mc 15, 16; Le 23,2s de opprobriis militum propter hunc titulum; et similiter imprecationes turbae et sacerdotum ad crucem, quod dixerit sc regem Israel: Mt 27,42; Mc 15,32; Lc 23,37; quod et inscriptione crucis confirmatur: Mt 27,37; Mc 15,26; Lc 23,38; Io 19,19.21).

393. *Filius David.* Hic erat etiam titulus Messiae, utpote qui ex Davide oriundus erat (cf. 0.5955.610; et Mt 12,23; 2Ω2,42.. Sic eum caeci acclamant (Mt 9,27; 20,30-34) et mulier Chananaea (Mt 15,22); tandem apostoli et populus ingredientem lerusalem (Mt 21,9.15s).

Qui venturus est (ὁ ερχόμενο , cum articulo, significans personam determinatam exspectatam) cum interrogatur a discipulis loannis Baptistae (Mt 11,3-5).

Propheta (ὁ προφήτη , item cum articulo, nomen significans prophetam determinatum, quem scripsit Moyses Deut 18,15-18; cf. Io 5,46). Ita vocant eum turbae post multiplica tionem panum (Io 6,14), et quidam in novissimo die festivita tis disputantes de eo (Io 7,40); Iesus vero hanc denominationem acceptat dum dicit Moysen de se scripsisse (Io 5,46).

Habens Eliam praecursorem (Mt 17,10-13).

394. B) Titulus Filii hominis§. *Iesus imponit sibi titulum «Filii hominis». Atqui titulus «Filii hominis» est titulus messianicus.* Ergo Iesus imponit sibi titulum messianicum.

Maior constat ex lectione evangeliorum, unde apparet lesum sibi hoc nomen imponere inde ab initio vitae publicae; et tale nomen adhiberi de solo lesu et non de alio; et occurrere in solo ore lesu (exceptis Lc 24,7; Io 12,34 quae tamen referunt ipsa verba lesu):

Mt 8,20; 9,6; 10,23; 1139; 12,8.32.40; 13,37.41; 16,13.27s; 17,9.12.22; [18,11] 9; 19,28; 20,18.28; 24,27.30 [de *adventu Filii hominis in nubibus caeli cum virtute inulta et maiestate];* 37.39.44; 25,31 [de *adventu Filii hominis* in *maiestate sua ad* iudicium]; 26,2.24.45.64 [coram Caipha nuntiat *Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli].*

Mc 2,10.28; 8,31.38; 9,9.12.31; 10,33.45; 13,26; 14,21.41.62.

Lc 5,24; 6,5.22; 7,34; 9,22.26.44.[56].s§; 11,30; 12,8.10.40; 17,22.24. 26.30; 18,8.31; 19,io; 21,27.36; 22,22.48.69; 24,7.

Io 1,51; 3,13.14; 5,27 [Pater dedit Filio *potestatem indicium facere, quia Filius hominis est* ><·]; 6,27.53.62; 8,28; 12,23 [venit *hora ut clarificetur Filius hominis;* v.32.33: «Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum» (hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus)]. 34 [turba miratur quod, cum *Christus manent in aeternum, oporteat exaltari Filium hominis];* 13,31 **n**.

§ F.TnXMUtN, *Der Menxhcnsohn. Jesuselbstzeugnis für seine messianixhc Würde* (l·T<·i burg 1907); J.Linder, S.I., Commentarius in *librum Daniel* (Parisiis 1939) in hunc locum; Dieckmann, De *revelatione* n.640-653.662. Vide sis tamen Cl.M.Henzb, C.SS.R.. Quis *lit genuinus sensus locutionis «6* ulàs τοῦ ανθρώπου»; DivThom (Pi) 24 (1947) 69-80.

5 Hic textus [18,11] et postea [Lc 9,56] possunt dici critice dubii.

l» Hic tamen habetur graece sine articulo; cf. obicctionem 5.

l⁸ Pro aliis locis in N T., cf. Act 7,56; Apoc 1,13; 14,14·

395. Minor: *Sensus messianicus huius titulil213)* In primis haec denominatio in ore lesu habet sensum specialem, singularem et determinatum, siquidem adhibetur forma determinata et nova: ὁ υἱὸ τοϋ ἀνθρώιτου, *ille* (determinatus) filius hominis; cui formae, attendendo ad linguam aramaicam qua lesus utebatur, respondet aramaice *bar-'enasha'* cum ad designandos homines determinatos usu venisset 'enasha' 14. Ergo aliquid peculiare et aliquem singularem vult lesus hoc nomine significare.

b) In hoc nomine, in locis praesertim supra exscriptis (Mt 24,30; 26,64; Io 5,27...) habetur allusio manifesta ad vaticinium messianicum Dan 7,13.14.

396. Expositio Dan 7,13s15. Postquam propheta videt potestatem contrariam Deo destructam (v.ns: usque dum interficeretur bestia et aliarum bestiarum ablata esset potestas), correlative videt postea constitutionem regni Dei per Filium hominis (V.13S).

v.13: *Adspiciebam ergo in visione noctis* [propheta Daniel, qui loquitur] et *ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum pervenit. Et in conspectu eius obtulerunt eum, v.14 et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae* ipsi *servient: potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur.*

Per nomen *Filii hominis* (LXX: ὡ vlôj ανθρώπου; aramaice, TM: VIN "IJS, *kebar 'enashj* significatur in hoc loco persona *individua,* quae venit et praesentatur ante «antiquum dierum»; qui, utpote supremus Dominator, tradit ei regnum et honorem. Nomen */ilii hominis* connotât quidem apud Ez 2,1; 4,1; 5,1 et passim (v.gr. Dan 8,17) fragilitatem naturae humanae.

Si dicitur *quasi* filius hominis, id refertur ad id quod visu apparet, sicut antea (v.4: quasi leo; v.6: quasi pardus), et respondet formae aramaicae *ke bar.*

Ex eo quod huic homini tradatur regnum aeternum *et universale,* ut dicitur v.14, sequitur agi *hic de Messia;* quia soli Messiae, praeter lahveh, populi omnes dantur in hereditatem et Messias habet potestatem aeternam et universalem, iuxta dicta prophetarum praecedentium(cf. n.597s.6o6s, etcetera; et Gen 49,10; Ps 2,8; 44,588; 71; Is 11,10; 49,6; 53,11; 1er 23,5; 30,21; Ez 34,23; Mich 5,4ss).

Venire cum nubibus *caeli* est expressio qua Deus in S.Scriptura apparere dicebatur: sic descendit Deus in montem Sion, sic in tabernaculo ostendit praesentiam suam, sic in templo se manifestavit, et sic in psalmis describitur ut iudex et Dominus (Ps 17,10; 96,2; 103,3s...). Ergo hoc attributum tribuitur divinitati. Quod et confirmatur ex eo quod Caiphas (Mt 26,64),

12 *Aliae sententiae* sunt eorum qui dicunt hoc nomine indicari tantum *veram naturam humanam* lesu; vel, praescindendo a significatione messianica vocis, efferri specialiter eius naturam humanam consideratam ut *miseram,* vel ut *idealiter spectatam.*

Patres intellexerunt sub hoc nomine veram naturam humanam ab ipso lesu affirmatam; et *expositores medii aevi* considerant humilitatem huius naturae humanae. Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.644.

13 Non *bar'enash,* forma indeterminata, quae est poetica expressio ad imitandam expressionem hebraicam *ben-adam.*

14 Cf. G.Dalman, *Die Worlc Jcsu* (Leipzig 1898) 1,195; Dieckmann, *De revelatione* n.643; Zorell, *Lexikon graecum N.T.* ad vocem vlôç, 2,3.

15 Cf. J. Linder, Commentarius *in librum Daniel 309-312.*

audiens responsum lesu desumptum ex hoc loco, intellexit messianitatem illius et divinitatem, quia et damnavit eum de blasphemia.

Quod si regnum dicitur tunc tradi Messiae, non sequitur eum antea regem non fuisse, sed fuisse regni militantis, nondum regni *ubi pacifice regnaret adversariis devictis;* regnare autem dicitur quis plene, cum omnia et de iure et *de facto* ei plene subiecta sunt.

397. *c)* Hic sensus messianicus, ad quem lesus alludebat, erat etiam agnitus tempore Christi. Sic constat, non modo quia Caiphas responsum lesu plane intellexit (Mt 26,64-66; Me 14,62s), sed etiam turba aequiparat *Filium hominis* cum *Christo qui manet in aeternum* (Io 12,34).

398. Scholion. Ergo hoc nomen *Filii hominis* non tantum effert sensum messianicum, sed etiam indicat divinitatem Messiae, eo quod involvat praeexsistentiam et originem caelestem illius (venit enim cum nubibus caeli; et cf. Io 3,13: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo).*

Sic hoc nomen vitat ex una parte imagines terrenas, mundanas et politicas de Messia; et ex alia parte duplicem naturam illius, *humanam,* fragilem, amabilem, simul et *divinam* et potentem indicat. Atque hae possunt esse *rationes cur lesus sibi hoc nomen elegerit.*

399. Obiectioncs. 1. lesus interdum *non acceptasse videtur dignitatem et honores messianicos.* Sic fugit in montem solus, cum turbae agnoscunt eum esse vere illum prophetam qui venturus est in mundum, et cum volunt eum facere regem (Io 6,14s); similiter post patrata miracula Capharnaum abiit in desertum locum, cum tamen turbae quaererent eum (Mc 1,35-38). Item prohibet divulgari miracula quibus ut Messias facile agnosceretur (Me 1,43s; 5,43; 7,36; 8,26; Mt 9,30).

Resp. In his non denegat lesus suam messianitatem et testimonia a se de ea prolata; sed certe cautio *quaedam* indicatur in modo procedendi, videlicet ad vitandas commotiones populi politicas, et ne approbare videretur ideas terrenas quas de Messia habebant. Sic quoque *gradatim* procedebat donec sensus circumscriberetur quo volebat ut Messias agnosci; simul et ad vitandas aemulationes adversariorum. Sed si haec pericula non erant timenda, ipse interdum hortabatur ut miraculum nuntiaretur (Mc 5,19) et agnosceretur (Lc 17,18).

2. lesus *etiam daemones non sinebat loqui se* esse Christum (Mc 1,25. 34: 3.12)·

Resp. Facile suspicio de commercio cum illis sic apparere potuit; et de facto calumniae ortae sunt quod in Beelzebub eiceret daemones (cf. Mc 3,22-30), idque non multo post. Praeterea indecorum videri poterat nuntiari Messiam ab ipsis daemonibus.

3. lesus *etiam discipulis praecepit* «ut nemini dicerent quia ipse esset lesus Christus» (Mt 16,20; Mc 8,30; Lc 9,21).

Resp. Haec prohibitio non est definitiva, sed *donec Filius hominis a inor-*

fuis *resurgat,* cum sermo erat, de visione transfigurationis (Mt 17.9). Et haec prohibitio facta fuit cum iam messianitas illius et populo proposita abunde et reiecta fuit; volebat autem Dominus odium procerum non ulterius excitare neque inutilem atque extemporaneum populi clamorem provocare 16.

4. Nomen Filii *hominis* mirum videri potest, quod frequenter non occurrat in aliis libris N.T., praeter in evangeliis.

Resp. Evangelia sunt fontes omnino historici, idque multo magis apparet in hoc nomine adhibito a Iesu, quod tam frequenter in eis recurrat. Si vero alii libri N.T. non illud adhibent, ideo esse poterat quia ethnici non adeo noverant vaticinium Danielis, ad quod alludebat; insuper quia per nomen *Filii Dei* melius inculcabatur filiatio divina Messiae, quae gentibus erat maxime proponenda. Praeterea illud nomen, potius quam formam graecam, redolebat formam et indolem linguae aramaicam.

5. Apud Io 5,27. *Filius hominis* invenitur in textu graeco sine articulo determinante individuum.

Resp. Verum quidem est, sed ex complexu omnium textuum et ex re de qua agitur in Io 5,27 satis constat agi de persona omnino determinata; sic *indicium* quod datur ei, non est quia simpliciter est *homo* (generice vel poetice dictum), sed quia talis et determinatus homo est, sc. Messias.

6. Induci etiam possunt aliae obiectiones, quibus ostendatur Iesus non ideo patrasse miracula ut agnosceretur Messias (cf. infra n.499, ubi de veritate relativa miraculorum Iesu).

Thesis 27. Iesus Nazarenus iam ab initio vitae suae publicae noverat et affirmavit se esse Messiam.

400. Haec thesis ideo proponitur propter modernos adversarios, qui, non negantes Iesum dixisse se Messiam, id tantum concedunt de fine suae vitae, cum fere prorupisset in amentiam. Hinc plena conscientia messianica Iesu, ab initio suae vitae publicae, vindicanda nobis est.

401. Adversarii in genere statuunt originem lentam et evolutionem pure naturalem in conscientia quam Iesus habuit de sua messianitate et in manifestationibus quas de ipsa dedit.

Ita sentiunt rationalistae priores (E.Renan aliique) et recentiores (A.Harnack, J.Weiss, H.H.Wendt, A.Jülicher, P.WiSCHMiEDEL, W.Bousset, O.Holtzmann...) [1]. Atque sic rem generatim concipiunt:

«Initium et quasi fundamentum conscientiae messianicae Iesu erat sensus quidam religiosus quo Iesus Deum experiebatur tamquam patrem, seque ut eius filium, modo quodam peculiari. In baptismo deinde vocem de caelo audisse se sibi videbatur et sub influxu Ioannis et eius praedicationis messianicae certam sibi acquirit persuasionem, se ipsum esse Messiam. Sequuntur dubia quaedam («tentationes»), sed postquam seria consideratio-

16 J.M.Bover, S.I. *El evangelio de S.Mateo* (Barcelona 1946) 332.
1 Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.629.

ne et reflexione ea vicit, manet omnimoda securitas de munere suo messianico. Natura huius muneris a conscientia lesu paulatim cognoscebatur, mutabatur, determinabatur, evolutione quadam psychologica quae subdita erat variis influxibus externis. Initio vitae publicae, acclamante sibi populo, spem fovebat fore ut auditores perducere posset ad suas ideas religiosas et puras de Messia eiusque regno; progrediente vero tempore in dies clarius vidit reluctantiam adversariorum praevalere, populum sequi duces pharisaeos, ipsum vero derelinquere, sibi imminere gravia pericula et ipsam mortem. Hinc explicatur cur ideas universalisticas missionemque universalem enuntiaverit; cur de passione sua et morte futura locutus sit; cur se a populo retraxerit. Agonia in monte Oliveti indicat, aiunt, summam animae lesu depressionem quam passus sit sub influxu huius persuasionis» 2.

Atque inter propositiones *modernistarum* invenitur sequens: «Christus non semper habuit conscientiam suae dignitatis messianicae» (D 2035).

402. Doctrina Ecclesiae. Ecclesia proponit, et quidem *ut aliquid revelatum et quod continetur in sacra Scriptura,* plenam conscientiam evolutam lesu circa suum munus; et «ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti... Tunc dixi: ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam» (Hebr 10,5-7). Pariter de puero duodenni manente in templo, et omnes manifestationes et affirmationes lesu messianicas, quas Ecclesia celebrat de suo initio vitae publicae. Et cf. insuper Io 1, in prologo evangelii, et probationes quas inducemus ex sacris litteris.

Insuper damnata est *propositio modernistarum* (D 2035), de qua supra.

Valor dogmaticus. Thesis est *de fide divina et catholica.*

403. Animadverte, iuxta doctrinam theologorum, Christum habuisse triplicem speciem scientiae in sua intelligentia humana: alia erat *scientia visionis,* qua habebat visionem beatificam et intuitivam Dei, ratione cuius cognoscebat omnia quae sua intererant; atque haec scientia erat in eo ab initio eique debita erat. Alia erat *scientia infusa,* quam habebat pariter ab initio suae exsistentiae, et ratione cuius cognoscebat etiam illa omnia quae spectabant ad suum munus regale et messianicum in sensu pleno rite et digne adimplendum. Alia erat scientia *experimentalis,* quae in eo crescebat et evolvebatur sicut in aliis hominibus.

Non admittimus augmentum et evolutionem in ipsa conscientia messianica lesu; sed admittimus evolutionem in *manifestationibus* suae messianitatis, quas lesus fecit *ad extra et publice.*

Neque fieri potuit ut lesus per scientiam suam humanam experimentalem, aut per externas experientias suas pure naturales, aut per succes-3

3 Dieckmann. *De revelatione n.tag* p.429 Dc sententia dubia D.A.Fsvevte, *Das Smdungsbarusstscin Jesu und der Cast* (GOtcrslnb 1024); cf. Diecxmann, *De revelatione* n.629 P4Ï».

sum praedicationis, aut per adhortationes naturales loannis Baptistae, adduceretur ad ideam Messiae aut ad hoc munus suscipiendum. Vocatio enim messianica et munus erant *supernaturalia.*

404. **Probatur i.**a pars: Iesus ab initio noverat, i.e. habuit conscientiam se esse Messiam. a) *Ante vitam publicam* lesus duodennis vocat se *Filium Dei,* quia in his quae sunt sui Patris oportet eum esse (Lc 2,49); quod quidem significationem messianicam, quin et filiationem Dei naturalem facile redolet, collatum cum Ps 2,7 (ubi Messias praedicatur a Deo «Filius meus es tu...») et cum aliis locis N.T. ubi lesus se dixit Filium Dei sensu naturali (cf. n.4345s).

b) *In periodo praeparationis vitae publicae* plura sunt facta ex quibus apparet lesum iam novisse suam dignitatem messianicam.

Sic Baptista sciens Messiam baptizaturum «in Spiritu Sancto et igni» (Mt 3,11) prohibebat lesum quominus baptizaretur: «Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?» (v. 14). At lesus hoc testimonium *non recusavit, sed bene conscius suae dignitatis ait:* «Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam» (v.15)·

In baptismate *ipse lesus* vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, *et ipse* audivit vocem qua vocabatur *Filius Dei* (Mt 3,16s; Mc i,ios; Lc 3,22); unde bene conscius erat suae dignitatis.

In tentationibus in deserto bis vocatur a diabolo Filius Dei et provocatur ut mira opera faciat quae de Messia exspectabantur (Mt 4,1-12; Lc 4,1-13). lesus vero *non reprehendit daemonem propter hunc titulum sibi tributum,* et sua victoria confirmat se revera conscium esse suae dignitatis.

Testimonium Baptistae quo lesus aperte vocabatur Agnus Dei, Filius Dei (Io 1,29-35), et Quo ducuntur ad lesum primi discipuli 3, *sine dubio non ignorabatur a lesu; nec illud recusavit,* sed discipulos statim in sua fide explicite confirmavit, ut statim videbimus.

Ergo lesus iam ab initio vitae suae publicae conscientiam habuit suae dignitatis messianicae.

405. **Probatur** 2.a pars: Iesus ab initio vitae suae publicae affirmavit se esse Messiam, a) *Sic, persequendo a capite* i.° *evangelium loannis,* Andreas post colloquium cum lesu

3 Testimonium loannis Baptistae magnum sane habet momentum: non tantum propter auctoritatem praecursoris, quam tot gentes agnoscebant; nec tantum quia ab initio datum est; sed etiam quia habuit longum influxum in mente iudaeorum. Cf. Mt 21.24-27; Act 18,24-28; 19,1-5·

scit se invenisse Messiam (Io 1,41), deinde idem norunt Philippus (v.45) et Nathanael (v.49); et Iesus illos confirmat et, ut compendium omnium, *expresse sese manifestat ut Filium hominis* (v.51).

In colloquio cum Nicodemo (Io 3,13-18) eadem manifestatio aperta.

Similiter in *colloquio cum Samaritana* (Io 4,25s) et postea *cum discipulis* (Io 4,34) et *ante Samaritanos,* qui eum proclamant Salvatorem mundi (Io 4,42).

Ineunte vero secundo anno manifestatio solemnis (Io 5,17-47).

b) *Ex synopticis,* in praedicatione per Galilaeam, Iesus apparet habens conscientiam suae missionis, ideoque eum evangelizare regnum Dei, *quia ideo missus est* (Lc 4,43; Mc 1,38).

406. Scholion. Iesus voluit agnosci Messias in sensu prophetarum V.T.

Multiplex interpretatio circa Messiam eiusque regnum vigebat tempore lesu Nazareni[4].

In illa ruina populi israelitici, quae erat tempore lesu, aderat sane simul *spes liberationis et exspectatio liberationis per Messiam,* iamiam adventurum, ut elucet etiam ex evangeliis in interrogationibus magorum (Mt 2,1-12), in praedicatione loannis Baptistae (Mt 3,1-17; Me 1,1-11; Lc 3,1-23; Io 1,19-34), in dictis popularium (v.gr. Io 1,41.49) atque etiam Samaritanorum (Io 4.25).

At non omnes eandem ideam iisdemque lineamentis imaginem sibi Messiae efformabant.

407. 1) Iuxta *explicationem vulgarem et terrenam* Messias allaturus erat prosperitatem materialem cum abundantia bonorum temporalium nullo periculo et labore; venturus autem erat cum magna pompa mundana et instauraturus regnum politicum, quod in aeternum durare debebat.

Sic apparet in evangeliis turbas post multiplicationem panum velle lesum regem facere (Io 6,15); sic non intelligunt exaltationem Filii hominis (Io 12,34); sic tentationes lesu (Mt 4, 1-11) respondent ideis vulgi. Atque ipsi discipuli lesu non nisi cum difficultate potuerunt has ideas derelinquere (cf. Mt 14,22; 16,22; Lc 24,21...).

Hanc explicationem regni messianici Iesus reiecit, quan-

4 Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.619-625.654-659.

doquidem adversus hanc exaggeratam exspectationem bonorum temporalium (prosperitatis terrenae et politicae) *praedicavit regnum religiosum «quod non est de hoc mundo»* (Io 18,36), *regnum scilicet primario spirituale et internum, licet sit etiam externum et visibile.* Vide thesim in tractatu *de Ecclesia.*

408. 2) Iuxta *explicationem rabbinicam,* quam rabbini et duces populi praesertim fovebant, Messias venturus erat cum apparitione gloriosa; ideo postulabant signum (Mt 12,38; 16,1) quod posset observari (cf. Lc 17,20); Messias quoque debebat observare «legem», quod ipsa tantae esset perfectionis ut melius quid a Deo hominibus dari non posset (Mt 12,1-16; 15,1-14; 26,1- 36). Insuper debebat liberare populum ab hostibus externis (cf. Mt 22,15-22) efformans regnum nationale ceteris populis dominaturum.

Iesus vero *a)* adversus ideam rabbinicam de perfectione absoluta *Legis (Thora) et* de valore traditionum rabbinorum, opponit praedicationem cuiusdam *regni gratiosi,* communicantis dona divina, galutem lahveh, redemptionem a peccato per sanguinem et vitam Redemptoris (Mt i8;i4; 20,28; 26,28; Lc 19,10); non quod cooperatio hominis non postuletur, sed ita tamen ut sola opera legis, opera scilicet naturalia, incapacia sint ad salutem (cf. Io 15,4-6). Traditiones autem rabbinicas ut humanas Iesus non tantum reicit (Mt 15,1-20; 23,1-36), sed et ipsam Legem significavit abrogatum iri (quoad praecepta iudicialia et caeremonialia) per mortem suam et *constitutionem novi et aeterni foederis* (Mt 21,43; 26,28; Io 4,21).

b) Contra despectum «gentium» ignorantium Legem, Iesus praedicavit regnum primo quidem iudaeis offerendum (cf. Mt 21,43...), dein extendendum ad omnes gentes, *regnum scilicet universale.* Vide thesim in tractatu *de Ecclesia.*

409. 3) Erat etiam *explicatio quaedam eschatologica vel apocalyptica* de regno messianico, eorum nimirum explicatio qui, desperantes de possibilitate regni messianici instaurandi in hoc saeculo, cogitabant eius erectionem pro fine mundi et pro ultimo iudicio iamiam instante. Atque in litteratura apocalyptica illius temporis fundamenta habentur pro hac explicatione.

Iesus vero praedicavit sane *regnum messianicum eschatologicum* et apocalypticum cum adventu suo glorioso (cf. Mt 25, 3iss; 24,29-31); at non *mere eschatologicum, sed exsistens iam*

in hoc mundo (Mt 11,12; 12,28; i3,iss; cf. Mc 16,15). Vide thesim in tractatu *de Ecclesia.*

410. 4) Erat denique alia *explicatio iustorum,* qui introducuntur in evangeliis, quaeque ex lectione V.T. efformata, *prophetica dici potest.*

Sic Messiam exspectabant afferentem salutem primario spiritualem -Messiam religiosum et patientem—regnum universale instauraturum. Ita apparet praesertim ex duobus primis capitibus Lc (1,15-17.68.75.77.79; 2,14.30-32.38), et ex praedicatione paenitentiae loannis Baptistae (Mt 3,2-12...), qui Messiam ostendebat ut Agnum Dei tollentem peccatum mundi (Io 1,29). Ipsi quoque Samaritani exspectabant doctorem et Salvatorem mundi (Io. 4,25.42).

411. *lesus vero Messiam intelligi volebat in hoc sensu prophetico.* Quod iam ex eo liquet, quod lesus *alias explicationes, quae supra praecesserunt, reiecerat.* Insuper

aJ lesus, cum de suo munere loquitur, *provocat ad praedictiones prophetarum, quae sunt in V.T.;* idque *explicite* cum dicit Is 61, is esse scripturam de se impletam, quam legerat in synagoga (Lc 4,16-21), et cum affirmat Moysen de se scripsisse (Io 5,46); vel *aequivalenter* cum, interrogatus de sua messianitate (Mt 11,2-6), enuntiat illa signa quae Isaias (35,5s; 61,1) vaticinaverat; vel *in universum* cum hortatur iudaeos ut scripturas scrutentur, quia ipsae sunt quae testimonium perhibent de se (Io 5,39).

412. b) *lesus, in dictis messianicis quae ad se spectant, saepius appellat ad V.T.* Sic in Mt 21,41-43 (de lapide quem reprobaverunt aedificantes: Is 28,16); Mt 22,41-46 (de Davide vocante Messiam Dominum suum: Ps 109,1); Mt 26,31 (scriptum est: percutiam pastorem et dispergentur oves gregis: Zach 13,7); Mt 26,64 (de Filio hominis veniente in nubibus caeli: Dan 7,13); Lc 22,37 (quod scriptum est oportet impleri: Et cum iniquis deputatus est: Is 53,12).

413. c) *lesus in aliis quoque rebus messianicis, quae ad alios spectant, provocat ad V.T.* Sic in Mt 11,10 (de angelo qui praeparabit vitam ante eum, cf. Ex 23,20); Mt 13,14s (de obstinatione iudaeorum, cf. Is 6,9s); Mt 15,7-9 (de cultu mere externo iudaeorum, cf. Is 29,13); Mt 21,16 (ex ore infantium et lactentium, cf. Ps 8,3); Mt 24,15 (de abominatione desolationis

stante in loco sancto, cf. Dan 9.27); Iθ 7-37'39 (flumina de ventre eius fluent, cf. Is 44,3; 55,1; 58,11...); Io 13,18 (qui manducat mecum panem, cf. Ps 40,10); Io 15,25 (odio habuerunt me gratis, cf. Ps 34,19; 68,5).

414. *Ergo lesus acceptat illa omnia quae de Messia apud prophetas praenuntiabantur,* et quidem *in tota sua integritate.* Atque sic quoque intelligit *Messiam patientem,* id quod maxime abhorrebat a sensu humano et terreno; et *servum lahveh* (Mt 20,28; Lc 17,25; Io 10,11-21; 13,1-15), *qui debebat afferre salutem primario religiosam* (Mt 26,28).

ARTICULUS II

De affirmatione legationis doctrinalis Iesu

Dieckmann. *De revelatione* 11.709-723; Tromf, *De revelatione* 1.2 prop.3.

415. Ut sequela, praesertim ex his quae constant ex praecedentibus, eruendum est utrum lesus se existimaverit *Legatum Dei et Magistrum* cum iure imponendi assensum suis dictis. Atque sic illa notio legati, unde hic tractatus saepius insignitur, declaranda est.

Thesis 28. lesus testatus est se esse Legatum divinum, Magistrum religiosum.

416. Notiones. Legatus dicitur qui *mittitur* ab alio habente auctoritatem, ut fungatur eius vicibus tamquam minister.

Legatus divinus est ille qui mittitur a Deo. *Proprie dictus si* habet a Deo loquente mandatum expressum; sic Moyses, prophetae, loannes Baptista, apostoli N.T., habentur legati Dei sensu proprio. *Improprie dictus,* sive sensu lato, legatus habetur etiam vir eximiis dotibus exornatus, ut S.Bonifacius, S.Franciscus Xaverius..., qui peculiari industria et efficacia causam Dei agit, non tamen habet *immediate a Deo loquente* missionem expressam; quamquam ad illud munus internam *vocationem per influxum gratiae habere potest.*

De formali est in notione legati *missio.* Omnis quidem legatus est missus; *sed non omnis missus est legatus.*

Missio inter personas divinas latius patet quam legatio. Missio enim importat processionem personae divinae a suo principio cum habitudine ad

terminum temporalem. Sic Verbum, procedens a Patre, cum habitudine ad terminum temporalem propter Incarnationem, dicitur missus a Patre; et Spiritus Sanctus, procedens a Patre et Filio, cum habitudine ad manifestationes suae gratiae in tempore, dicitur missus a Patre et Filio, sed non dicitur legatus eorum, non enim habet ad hoc ullum mandatum expressum ab eis.

Legatio autem lesu competit ei secundum naturam humanam. Ideo et de hac eius legatione doctrinali malumus tractare antequam agamus de eius filiatione divina.

417. Status quaestionis. Legatio sive missio potest concipi *sacerdotalis, doctrinalis, regalis,* pro ratione muneris quod legato commendetur: sacerdotalis, doctrinalis, iurisdictionalis. Haec triplex legatio fuit propria lesu, siquidem includebatur in eius munere messianico.

Hic vero intelligitur legatio lesu doctrinalis, in sensu veterum *prophetarum,* qui nomine Dei *loquebantur,* quique nuntiabant Magistrum religiosum qui nomine Dei loqueretur.

418. Adversarii, praeter illos qui negant conscientiam messianicam lesu quique proinde neque admittent conscientiam huius strictae legationis a Deo, nunc veniunt considerandi *illi rationalistae qui dicunt lesum fuisse legatum Dei sensu improprio,* quatenus per experientias suas religiosas vividiores causam Dei promovit in modum omnino peculiarem.

Ita A.Harnack scripsit: «lesus Christus nullam novam doctrinam attulit, sed tantum quamdam sanctam vitam cum Deo et ante Deum in sua persona expressit, et se ipsum, virtute huius vitae, in servitium tradidit fratrum suorum, ut eos acquireret pro regno Dei; i.e. ut eos ex egoismo et servitio Mammonae atque ex curis terrenis Deo conduceret, atque ex carentia amoris mutui ad unionem in caritate; atque ita eos praepararet pro regno Dei aeterno et pro vita aeterna» [1].

Modernistae contendebant lesum determinatum doctrinae corpus omnibus temporibus cunctisque hominibus applicable non docuisse, sed potius inchoasse motum quemdam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum et adaptandum (D 2059).

[1] «Jésus Christus hat keine neue Lehre gebracht, sondem er hat ein heiliges Leben mit Gott und vor Gott in seiner Person vorgestellt, und er hat sich in Kraft dieses Lebens in dcn Dienst seiner Brüder begeben, um sie für das Reich Gottis zu wcrben, d.h. sie aus der Eigensucht, dem Mammonsdienst und der irdischen Sorge zu Gott, aus der Lieblosigkeit zu einer Verbindung in der Liebc zu führen und sic für cin ewiges Reich und ein ewiges Leben zu bereiten» (*Lehrbuch der Dogmengeschichte4* [Tübingen 1909-1910] t.1 *Die Voraussetzungcn der Dogmengcschichte* § 3 n.2 p.48).

419· Doctrina Ecclesiae refert continuo in magisterio suo ordinario hos titulos Legati Dei et Magistri religiosi, quos habet Iesus, et quidem ut testatos ab ipso Iesu.

Valor dogmaticus. Thesis est *de fide divina et catholica,* quandoquidem clare continetur in verbo Dei scripto et ab Ecclesia ut talis proponitur.

420. **Probatur i.°** Ut sequela propriae dignitatis messianicae. Iesus testatus est se esse Messiam. Atqui in hoc munere messianico intelligebatur munus doctrinale exercendum nomine Dei. Ergo Iesus testatus est se esse Magistrum religiosum legatum Dei.

Maior constat ex articulo praecedenti.

Proh, minorem: Messias intelligebatur propheta Dei et magister religiosus. *Annuntiabatur enim ut propheta* (a Moyse in Deut 18,18; cf. n.591-593); et *exspectabatur* ut *propheta:* sic Nicodemus, consideratis signis quae Iesus fecerat, agnoscit eum ut Magistrum qui a Deo venit (Io 3,2); Samaritana exspectabat Messiam qui annuntiaret doctrinalia (Io 4,24s); turbae facile coniungebant ideam Messiae cum adventu alicuius magni Prophetae: sic, post multiplicationem panum, dicebant Iesum esse illum prophetam qui venturus erat in mundum (Io 6,14); similiter alia occasione in novissimo magno die festivitatis (Io 7, 40-53); cf. etiam Lc 7,16.

Messias quoque *annuntiabatur in V.T. ut doctor gentium* et concionator qui praedicaret praecepta Iahveh: sic in Ps 2,6 inducitur annuntians decretum Iahveh (cf. n.598); in Ps 21,23 dicitur narraturus nomen Domini fratribus suis, atque in medio coetu Dominum laudaturus (cf. n.601); apud Is 2,3 praedicitur pro novissimis diebus character doctrinalis regni messianici, siquidem Dominus *docebit nos vias suas... quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem (cf.* n.6n).

421. 2.° IeSUS *a)* EXPLICITE ET IMPLICITE SE EXHIBET MAGISTRUM ET DOCTOREM RELIGIOSUM, *b)* ET QUIDEM UT MISSUM a Patre.

a) *Iesus se exhibet magistrum religiosum.* Etenim *vocat se magistrum* post lotionem pedum discipulorum (Io 13,13), et cum vetat discipulos suos vocari magistros, quia unus est magister eorum Christus (Mt 23,10) -. Item in sermonibus ad dis-

2 «Nec vocemini magistri (graecc καθηγηταί; quia Magibter (καθηγητή) vester unus est, -Christus· (Mt 23,10) Καθηγητή idem valet ac magister, praereptor (Zorb11, Lexicon

cipulos (Mt 10,24), et ad discipulos ac turbas (Mt 23,1-10).

Acceptat etiam appellationem magistri, a Nicodemo (Io 3,2), a discipulis (Io ῒ3>13), ab aliis (Mt 8,19; 17.24; ῒ9> ι6; Io n,28; 20,16), ab ipsis pharisaeis (Mt 9,11; 12,38; 22,16.24.36); *vel etiam acceptat appellationem prophetae* (v.gr. Io 4,19.44; Lc 7,39; 24,19).

lesus insuper incumbit doctrinae et praedicationi religiosae, cuius obiectum est «regnum Dei», et discipulos instruit in hac doctrina eosque mittit ad praedicandum. Ipse quoque lesus a se dicitur *lux mundi* (Io 8,12), et *via, veritas et vita* (Io 14,6), et *loquens verba a Patre* (Io 14,10).

422. *lesus etiam proposuit dogmata,* et quidem auctoritative, ut explicite negemus quod Harnack et modernistae affirmarunt, nullam novam doctrinam allatam esse a lesu, nec adesse substantiam fixam doctrinalem in sua praedicatione, praeter sentimentum religiosum in sensu filiationis erga Patrem '.

Sic lesus docuit mysterium S.Trinitatis (Mt 28,19; cf. n.438); processionem Verbi a Patre, et Spiritus Sancti a Patre et Filio (Io 8,42; 15,26...); divinitatem suam (Mt 11,27; cf. 11.437s); redemptionem (Mt 20,28); iudicium universale (Mt 25,31-46); exsistentiam inferni (Mc 9,43-49) et angelorum (Mt 18,10). Praeterea exsistentiam rituum (sacramentorum) conferentium gratiam (Io 3,3-11; Mt 28.19; Mc 16,16; Mt 26,26-28; Io 6,55-59).

423. b) *lesus ostendit se ut missum a Patre ad suum munus doctrinale.*

Sic lesus expresse dicit se ad praedicandum *missum* fuisse (Lc 4,43: ideo enim missus fuerat; cf. Mc 1,38; Mt 15,24); quod et in parabola de vinitoribus recurrit (Mt 21,37; I2>6; Lc 20,13) sub forma quidem missionis generalis, non ad doctrinalia restricta. Loquendo autem lesus discipulis, sermonem facit de eo qui *misit se,* unde et ipse quoque alios mittit *quasi prophetas* (Mt 10,40s).

In evangelio loannis pluries recurrit sermo *de missione Filii a Patre* (Io 3,16-19), ita ut lesus dicat: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me* (7,16). Ipse enim lesus quae audivit ab eo qui misit eum, haec loquitur in mundo (8,26-29). Quod et ulterius apertissime declaravit: *Ego ex me ipso non sum locutus, sed' qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar* (12,49s; cf. 14,10; 15,15).

gtaccum N.'T. ad vocem); si qua differentia sensus inter voces διδάσκαλο ct καθηγητή deprehendi potest, fortasse hacc sit: ut secunda vox significet caput alicuius scholae, quales habebantur tunc temporis inter rabbinos et scribas (Dieckmann, *De rcuelalionc* 11.7x9

3 «In dem Gefuhl: Gott der Vater, die Vorsehung, die Kindschaft, der unendlichc W»-| der Mcnschenseele, spricht sich das ganze Evangelium aus» (.A-Harnack. *Das* Wcjtii dr-. *Christentum: 91;* cf. Lercher, *Thcolog. fundament* n.158).

Sic lesus propriam missionem, plenam et messianicam, ergo et ad docendum, transmittet apostolis (Mt 28,18-20; Me 16,15s; Io 20,21; 17,18.205.25).

Ergo lesus multifariam ostendit se *ut missum* a Patre *pro munere doctrinali religioso.*

Thesis 29. lesus voluit ut omnes homines obligatorie et sub discrimine salutis acceptarent suam doctrinam.

424. Ex praecedentibus constat lesum dixisse se Magistrum religiosum, sed non ideo sequeretur obligatio omnium hominum eum audiendi et sequendi, nisi accederent aliae demonstrationes, sive haec quam hac thesi statuere volumus, sive subsequens de eius divinitate. Ex hac ergo thesi magis clarescere cupimus indolem missionis auctoritativae et universalis, quam lesus sibi tribuit.

425. Adversarii sunt in genere *indifferentistae religiosi,* quatenus negant lesum voluisse determinatam doctrinam et religionem ab omnibus esse acceptandam. De indifferentismo cf. supra n.26ss.36ss.

Critici rationalistae, ut A.Harnack, contendebant lesum non propugnasse universalismum in sua doctrina praedicanda, sed hunc universalismum per evolutionem temporis posterioris fuisse inductum. A. Harnack concedit quidem ideas religiosas lesu aptas fuisse quae omnibus hominibus applicari possent, atque ita factam fuisse tempore christianismi primaevi retroproiectionem doctrinae coaetaneae ad tempora Christi; sic Harnack verba Christi, quae favent et docent universalismum suae doctrinae, ut non authentica gratis proclamat '.

Modernistae pariter loquuntur quidem de motu religioso incepto a lesu, non.ita tamen ut lesus docuerit corpus doctrinae omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile (D 2059); quin et «alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam» (D 2052).

426. Doctrina Ecclesiae circa hanc praedicationem universalem et obligatoriam Christi constat *ex necessitate pertinendi ad Ecclesiam pro salute obtinenda; cf.* thesim de hac re in tractatu *de Ecclesia.* Ipsa enim fundat hanc necessitatem ex mandato praedicationis universalis et pro omnibus obligatoriae dato a Christo.

| A.Harnack, *Dic Mission und Ausbrcitung dei Christentuins4* (Leipzig 1924) t.r l.i c

Praeterea *Concilium Tridentinum* definivit solemniter Christum lesum datum esse hominibus a Deo *ut legislatorem cui oboediant* (D 831); et *in Encyclica «Quas primas» de principatu universali Christi supra omnes nationes et gentes* vindicatur eius omnimoda potestas, unde clare eruitur eius potestas et voluntas docendi omnes homines res religiosas (cf. D 2194-2197).

Reprobati sunt quoque errores *indifferentismi* (cf. n.20ss. 365s) et *modernisait* (D 2052 2059; cf. D 2094), de quibus supra.

In *Encyclica «Mit brennender Sorge»,* ubi sermo recurrit de genuina fide in Christum, exponitur necessitas ex voluntate Christi ipsum audiendi 2.

Valor dogmaticus. Thesis est *de fide divina et catholica,* quia, praeterquam quod clare in Scriptura continetur, ab Ecclesia in suo magisterio ordinario et universali docetur ut dictum Christi.

427. Probatio. lesus in potestate omnimoda sibi data *dat mandatum suis discipulis praedicandi in mundum universum* et sibi devinciendi ut discipulos omnes gentes (Mt 28,18); evangelium praedicandum esse ab ipsis omni creaturae (Mc 16,15), et quidem *sub discrimine salutis* (Mc 16,16), *qui enim non crediderit condemnabitur 3.*

Ex aliis verbis lesu constat etiam eius voluntas praedicationis universalis, quae per discipulos facienda erat. Quia oportet—ait—«praedicari in nomine eius paenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab lerosolyma» (Lc 24,47); et discipuli debebant esse testes eius «usque ad ultimum terrae» (Act 1,8). Atque ipse evangelium praenuntiabat fore praedicandum in toto mundo (Mt 26,13), in testimonium omnibus gentibus (Mt 24,14). Apostoli enim sunt lux *mundi* (Mt 5,14). Atque *lesus praedicavit regnum caelorum universale* (cf. thesim de hac re in tractatu *de Ecclesia).*

Sunt etiam *aliae comminationes quas lesus universaliter fecit* pro iis qui non crederent suis dictis. Etenim «qui credit in eum —ut ipse probabiliter de se dicebat4—non iudicatur, qui autem non credit iam indicatus est: quia non credit in nomine

2 «Es darf also niemand sagen: Ich bin gottgläubig, das ist mir Religion genug. Des Heilands Wort hat für Ausflüchtc dieser Art keinen Platz. «Ver den Sohn leugnet, hat ausch nicht den Vater; wer den Sohn bekennt, hat auch den Vater* (ı lo 2,23)»: AAS 29 (1937) 150 (p.173 italice).

2 De authentia Mc 16,15s, cf. n.554 nota 24.

4 Cf. I.Knabenbauer, *Commentarius* in *Evangelium secundum loannem2* (Parisiis 1906) in h.l., qui tribuit haec verba ipsi lesu. Contra tamen MJ.Lagrange, O.P., *Evangile scion Saint Jean* (Paris 1925) 86, qui verba a versu 16 tribuit cvangelistac.

unigeniti Filii Dei>> (Io 3,18). Et «qui me confusus fuerit et verba mea... et Filius hominis confundetur eum cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis» (Mc 8,38).

A R *TIC UL US III*

De affirmatione propriae divinitatis facta a Iesu

428. Post examen testimonii lesu de sua messianitate, aliud est etiam testimonium quod examinare debemus; videlicet eius testimonium de sua filiatione divina naturali, quod nobis lesum inducet Verbum Dei. Sic probationes, quae postea fient in favorem suae messianitatis et legationis divinae, ostendentur etiam probationes in favorem suae divinitatis; ideoque eius doctrina apparebit ut revelatio immediate divina.

Etsi in Theologia fundamentali *a)* sufficit demonstrare characterem messianicum lesu nec requiritur demonstratio suae conscientiae divinae; et *b)* etiamsi coniunctio naturae divinae cum natura humana in unitatem personae divinae sit mysterium stricte dictum, quod dogmaticis speculandum relinquere oportet: nihilominus inquirenti historice in evangelia—quod apologetae faciunt—non minora et numero et claritate occurrunt testimonia lesu asserentia suam dignitatem divinam, quam illa quae affirmant suam dignitatem messianicam.

Unde, quo coniunctior et plenior fiat postea probatio apologetica de diversis testimoniis quae Iesus de se ipse dedit, atque ut multa etiam apologetica illustrentur plena luce et pleno pondere considerentur, oportere videtur ut sequentem thesim *apologeticum* statuamus, relictis consideratione dogmatica et perscrutatione mysterii ad alios tractatus theologicos 1.

Thesis 30. Iesus affirmavit se esse Filium Dei sensu naturali et proprio.

Dirckmann, *De revelatione* n.668-708; Wilmers, *De religione revelata prop.Qop.410-425;* Lercher, *Instit. Theolog.* t.3 (retract, a professoribus Facult. Canisianae) n.12-24; Ottiger, *Theolog. fundam,* pars 1 s.2 c.3 a.2 § 43 p.707-715: L.Koesters, S.I., *Unser Christusglaube* (Freiburg im Breisgau 1939) 128-137; Van Laak, *Repetitorium Theolog.fundam,* tr.3 prop.4 p.105-117; Garrigou-Lagrange, *De revelatione* t.2 1.2 c.4 a.2; *Lumière et Vie,* n.IX (Avril 1953); praesertim P.Benoît, O.P., *La divinité de Jésus dans les Evangiles synoptiques:* ibid. P.43-74.

1 Inter auctores qui ita procedunt, praeter illos Theologiae fundamentalis in Bibliographia post carmen thescos citandos, numerantur J.Brunsmann, *Lchrbuch der Apologetik* 1,306s (Das selbstzeugnis Christi); H.Felder, *Apologetica 1 s.2* c.2; J.M.Ponce de Leôn, *Jesus, Legado divino* (Buenos Aires 1935) c.8 a.2; A.Cotter, *Theologia fundamentalis2,* theses 14-16; *aliique.*

429. Notiones. Filius Dei sensu naturali et proprio, vel—ut aliqui vocant—«sensu metaphysico», contraponitur *sensui ethico,* quatenus diceretur filius Dei sensu morali, sc. vel per puram *adoptionem* (quae accidit cum persona extranea assumitur in iura filiorum), vel si quis *similitudine quadam* et sentimentis atque indole reproducit alterius modum sese gerendi 2.

Filius sensu naturali est ille qui per generationem originem ducit a vivente in similitudinem naturae; habet nimirum eandem naturam ac pater. In casu, quem thesis considerat, natura non esset numero diversa et specifice eadem, sicut accidit in humanis generationibus, sed esset numero eadem, quia natura divina unica esse debet.

430. Adversarii, i) Omnes qui negant divinitatem Iesu (ut *ariani, sociniani et rationalistae);* vel etiam suam conscientiam messianicam (cf. n.387.401).

2) *Illi qui sensu morali intelligunt* conscientiam Iesu de sua filiatione divina, ut D.A.Froevig 3 et A.Schlatter 4.

3) Qui ut *interpolationes tribuunt Ecclesiae posteriori verba quae exprimunt in Iesu conscientiam divihitatis.*

Sic W.Bousset 5, investigando in nomen *Kyrios,* vult invenire gradus in evolutione circa divinitatem Iesu. Primum «Filius hominis», deiecta ob mortem Iesu spe regni politici, exspectatur a iudaeis propter ideas apocalypticas tunc vigentes ut venturus in gloria, et «exaltatus» habetur; atque habetur ut vivens propter «visiones» paschales Petri aliorumque. At «servus Dei» moriens in sacrificio (Is 53) non poterat pro iudaeis esse «filius Dei»; hoc enim fuisset contradictio.

Sed ex influxu hellenistico nomen imperatoris, Kyrios (ex Syria et Aegypto) tribuitur Iesu, et sic ei datur nomen quod LXX in V.T. tribuunt lahveh, Adonai: ita Iesus fit obiectum cultus.

Ex S.Paulo Iesus identificatur cum «spiritu» (sic sunt formulae «esse in Christo», et «corpus Christi» mysticum); et ex S.Paulo Iesus est filius Dei, sed ei subiectus. Ita mystica Iesu paulina fit ab Ecclesia primaeva mystica Dei, et accipitur dogma divinitatis Iesu, quod Ioannes exprimit iam in prologo evangelii sui loquendo de Verbo incarnato.

Alii in has interpolationes admittendas conveniunt *ex schola liberali inquirente informas traditionis (Formgeschichte, Tradititmsgeschichte),* ut sunt R.Bultmann, M.Dibelius 6.

2 *Sensu morali* in V.T. vocantur 'filii Dei» *angeli* (Iob 1,6; 2,1) et *populus Israel* (Ex 4,22) vel israclitae singuli (Sap a.rjss; Eccii 4.11).

3 *Das Sendungsbeunisstsein Jcsu und der Geist* (Gütersloh 1924); cf. Dieckmann, *De revelatione* n.629 p.429.

4 *Die Geschichte des Christus* (Stuttgart 1920); cf. Dieckma?4N, *De revelatione* n.533 p.356.

s Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.512.676s ubi exponitur eius theoria ex eius opere *Kyrios Christos fGeschichte des Christusglaubcns von den Anfangen des Christcntums bis Irenaeus* (Gottingen 1913; 19212).

6 R.Bultmann, *Die Geschichte der synoptischen* Tradition (Berlin 1921); *Jesus (Die Unslcr-*

431. *Modernistae* asserunt divinitatem Iesu Christi ex evangeliis non probari (D 2027); item, cum Iesus ministerium suum exerceret, non modo non docuisse suam divinitatem, sed ne intendisse quidem probare suam messianitatem (D 2028). Hinc nihil mirum si modernistae asserunt Christum historicum multo inferiorem esse Christo qui est obiectum fidei (D 2029). Cf. D 2030-2032.

432. Doctrina Ecclesiae. Divinitas Iesu Christi apertissime continetur in doctrina Ecclesiae, tam *in symbolis* (D 2 6 9 13SS 40) quam in *Conciliis:* in Nicaeno (D 54), in Constantinopolitano I (D 86), in Ephesino (D 111SS), in Chalcedonensi (D 148), in Constantinopolitano II (D 2135s), in Constantinopolitano III (D 290).

Item invenitur in symbolo Concilii Toletani XI a.675 (D 282-285); et contra unitarios sive *socinianos* a. 1555 (D 993).

Hoc autem dogma ideo confitetur ab Ecclesia, quia Iesus Nazarenus de eo testatus est; unde *fides Ecclesiae reducitur ultimo et praesertim ad hanc affirmationem Iesu de se ipso: se esse* Filium Dei, secundam personam Trinitatis divinae, Filium scilicet Dei in sensu naturali, non mere morali.

Recentius sunt aliqua documenta quae impetunt *errores modernistarum* de hac re, contra ipsam conscientiam Iesu divinam (D 2027-2031 2088 2096SS).

433. Valor dogmaticus. Sine dubio continetur in S.Scriptura (et in Traditione), et ideo in revelatione divina, Iesum habuisse talem conscientiam suae divinitatis et manifestasse verbis suam filiationem divinam naturalem; ut videbimus in argumentis faciendis. Neque dubium est hanc veritatem sive explicite in damnationibus praesertim modernistarum, sive in magisterio ordinario et per Sacram Liturgiam proponi ab Ecclesia ut in Scriptura seu in revelatione contentam. Thesis ergo est *de fide divina et catholica.*

434. Probatur 1. *ex synopticis,* ut videamus etiam prima evangelia exhibere hanc persuasionem Iesu de sua divinitate.

A) Iesus sibi assignat attributa divina, a) *Iesus praefert se primatibus Israelis* («plus quam Salomon hic»: Mt 12,42; «plus quam Ionas hic»: Mt 12,41); *item templo et legi lahveh*

blichen 1) (Berlin 1926); M.Dibklius, *Die Formgeschichte des Evangeliums* (Tübingen 1919); *Geschfchtliche und übcrgeschichtlichc Religion in Chrüttcntum* (Gôttingen T025). Cf. Dieckmann. *De revelatione* n.(»7H.

(«templo maior est hic»: Mt 12,6; «Dominus est Filius hominis etiam sabbati»: Mt 12,8).

Inducitur ut Dominus superior angelis: Mt 13,41; 16,27; Mc 13,32.

b) Iesus ita patrat miracula ut *potestatem illimitatam et omnino propriam et absolutam sibi vindicet, quae et tunc temporis uni Deo tribuebatur.* Sic sola voluntate sanat leprosum (Mt 8,3); et distans servum centurionis (Mt 8,7); et etiam mortuam filiam lairi scit se illam suscitaturum (Me 5,235s); et tranquille verbo sedat tempestatem (Mc 4,39); et daemones eicit ut dominus idque ab initio vitae publicae (Mc 1,25)...

Has potestates communicat absolute discipulis (Mt 10,8); et discipuli in nomine eius illas exercent (Mc 6,13; Lc 10,17-19); atque alii etiam in nomine Iesu daemones eiciunt (Le 9,49s).

435. B) Iesus dignitatem divinam aequalem Patris aequivalenter sibi attribuit, a) *Sibi attribuit potestatem legislativam aequalem ac Patris.* Ideo legem divinam, quae a lahveh dicta est antiquis, sc. Moysi et Patribus Israel (Mt 5,21. 27-31·33·38·43), *ipse* complet ac perficit (Mt 5,22.28.34.39.44); ipse revocat (Mt 5,32) indultum divinum de libello repudii (Deut 24,1); legem alterat de iure talionis «oculum pro oculo et dentem pro dente» (Mt 5,38.42; Lev 24,19.20). Haec autem in lege divina facit propria potestate, non mere vicaria: «Ego autem dico vobis...»; agitur enim de eo qui etiam est «dominus sabbati» (Mt 12,8; cf. Io 7,23).

b) Item Iesus sibi *vindicat indicium vitae, moralis absolutorium,* quod uni Deo proprium est, atque ita intelligebatur in Israel (cf. Mt 9,3); nec mere.exercet potestate delegata et vicaria: sic affirmat ante paralyticum sanatum se habere potestatem dimittendi peccata (Mt 9,6); et dimittit peccata mulieri peccatrici (Lc 7,48-50); et hanc potestatem communicat discipulis (Io 20,23 et probabiliter apud Mt 16,19; 18,18).

Ipse quoque Iesus *iudicium supra omnes hqmines universale* exercebit in fine mundi, ita ut ipse sit missurus angelos suos (Mt 13,41...); ita ut damnati *ab eo* ut poenam habeant *discedere ab eo* (Mt 7,23; cf. Mt 24,29-31; 25,31-46; 26,64).

c) Iesus constituit se centrum omnium cordium et obiectum vitae religiosae.

Iesus sibi vindicat *amorem super omnia,* scilicet supra patrem et matrem et filios (Mt 10,37); *ipsa vita* tradenda est propter eum (Mt 10,39; 16,25); ipsum sequi debemus abnegando omnino nostra et nosmetipsos, etsi crucem quotidie ferre

debeamus (Mt 10,38: 16,24; Lc 9,23); si quis malediciturpropier *eum,* beatus erit (Mt 5,11); et *fides in eum* omnino tenenda est sub poena damnationis (Mt 10,33).

436. C.) Argumenta praecedentia roborantur et confirmantur ex apertis effatis quibus Iesus se profitetur Filium Dei in sensu naturali.

a) Iesus non negat quidem alios homines esse filios Dei; et ideo affirmat Deum esse patrem *eorum* (Mt 13,43) vel dicit: Pater *tuus* (Mt 6,4.6.18), loquens de aliis hominibus, aut *pater vester* (Lc 12,30.32). Sed huic modo loquendi contraponit modum loquendi de Patre *suo:* Pater *meus* (Lc 2,49; Mt 7,21; 10,32s; 11,27; 12,50; 15,13; 16,17; 18,10.35; 20,23; 25,34; 26,29.53; Lc 10,22; 22,29; 24,49). Datur nimirum in hoc modo vocandi Patrem relate ad se et relate ad alios homines non *paritas aut connumeratio,* quae occurrit cum pluies sub eadem ratione comprehenduntur, sed habetur illa differentia in sensu quae apertius significatur apud Io 20,17: «Ascendo ad Patrem *meum et* Patrem *vestrum,* Deum *meum* et Deum *vestrum*».

b) Sunt etiam aliqui textus diserti:

437. Mt 11,23-30 cum Lc 10,21.22 7.

Post missionem septuaginta discipulorum eorumqiie reditum Iesus exsultans Spiritu Sancto (Lc 10,1-21) confitetur Patri, quia aliquid magnum, mysteriosum, occultum sapientibus, revelavit parvulis (Mt 11,25; Lc 10,21). Et addit (Mt 11,27): *Omnia mihi tradita sunt* (παρεδόθη)8 *a Patre meo. El nemo norit* (ἐπιγινώσκει)9 *Filium* (Lc 10,22: nemo scit quis sit Filius) nisi *Pater; neque Patrem quis novit* (Lc: et quis sit Pater) nisi *Filius et* [ille] cui *voluerit Filius revelare.* Postea Iesus hortatur homines ut ad eum accedant et tollant suum iugum (legislatoris) suave et fiant eius discipuli (v.28-30).

De hoc textu *constat genuinitas omnino,* cum receptum fuerit universaliter nec de eo disceptatum sit in traditione Christiana; item bene cohaeret cum indole et cum aliis locis Mt (i6,t6ss; 28,i6ss), neque est effatum adeo singulare et extraneum in libris N.T. ut fidem historicam non mereatur. Paulus habet similia.

7 Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.691-696; IKnabenuauer. *Commentarius in Evangelium secundum Matthaeum** (Parisiis 1922) 1.511-523; M.J.Lagrange, *Evangile selon Saint Matthieu** (Paris 1923) 226-231; A.Durand, *Evangile selon Saint Matthieu* (Verbum Salutis 1)17 (Paris 1929) p.213-216: P.Dauscii, *Die drei altered Evangclien* (Bonn 1932) 186-189; J.M.Bover, *El Euangelio de S.Mateo* (Barcelona 1946) 255-257.

8 Lectio aliquorum, facilior, πσραδέδοται, in perfecto: *habeo tradita,* etsi opportunior pro argumento faciendo, non tamen debet praevalere ex normis criticis (supra n.243). Cf. et Dieckmann, *De revelatione* n.691 p.486; qui citat II.Schumacher, *Die Selbstoffenbaruna Jesu bci Matth.* 11,27 (Freiburg IQIJS).

9 Lectio in *aoristu,* Cyvco quam Harnack dicit praeferendam loco praesentis, quasi inducta uerit conlra abusum haereticorum, secundum pondus et numerum testium non est admittenda; neque, si admitteretur, haberet talem sensum historicum praeteritum *(novi aliquando)* ut excluderet permanentiam talis cognitionis. Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.691 p.486. Hic de hac re citat L.Kopler, *Dic Joanneische Stelle bei don Synnptikern und dit· Gotteuohnschafl Jesu Christi:* ThPraltQschr 66 (1913); 67 (1914).

Hic textus vocatus est ioonneus propter similitudinem cum aliis textibus evangelii Io (cf. Io 3,35; 6,46; 10,15; 13.31 17.2-?).

438. Argumentum ex hoc loco fit triplici gressu:

a) luxta hunc textum *cognitio Filii* (quis sit Filius, sc. quis sit Iesus) *talis est ut sit reservata et exclusive propria Patri.* Sed de filiatione mere morali id dici nequit. *Ergo agitur de filiatione naturali* tali, quae nequeat *intelligi et penetrari* ab ulla creatura neque cognosci ante revelationem.

b) Neque Patrem (quis sit Pater) quis novit nisi Filius. Ergo si *Filius id novit exclusive, et solus intelligit et penetrat quis sit Pater,* non agitur de mera cognitione abstractiva Dei, quam habent homines, neque de mera cognitione intuitiva Dei, quam iuxta doctrinam revelationis possent habere creaturae rationales; sed agitur de aliqua cognitione non habenda ab intellectu mere creato et finito, sed *reservata intellectui infinito, quem Filius possidet.* Et ipse poterit aliis idipsum revelare: in Deo esse *personam* divinam Patris I(1.

c) luxta hunc textum adest etiam *coordinatio Filii cum Patre,* quia ex parallelismo membrorum Filius se habet ut Pater ratione potentiae cognoscitivae et ratione obiecti cogniti. Ergo sicut Pater intelligitur Deus, ita et Filius.

Hinc clarius elucent verba: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo,* scilicet per generationem *etiam natura divina; et* sicut hoc parvulis revelatum est a Patre (v.25.26), ita et Filius poterit correlativa de Patre revelare (v.27).

Confirmatur ex parallelismo cum Mt 28,18-20 ubi Iesus, accedens discipulis, pariter ait: «Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra» [Omnia mihi tradita sunt a Patre meo]; et iubet eos facere discipulos (μαθητεύσατε) [discite a me]; et sese connumerat cum persona divina Patris, ita ut homines omnes sint baptizandi et consecrandi in nomen (εἰ τὸ ὄνομα) sive maiestatem et dignitatem Dei unius, scilicet Patris *et Filii et* Spiritus Sancti.

439. Mt 16,13-20 n.

Iesus, cum esset extra Palaestinam, in partibus Caesareae Philippi, interrogat discipulos, tunc liberos a metu et pressione pharisaeorum; ea sane intentione ut mente reflecterent et aperte faterentur quid de se suoque opere sentirent:

1 Hic sensus expositus melior et magis immediatus videtur, quam si diceretur de visione beatifica Patris habenda a Filio.

n Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.697-699; Knabenbwer, *Commentarius in Evangelium see. Matthaeum** 2,48-72; Lagrange, *Evangile selon S.Matthieu1* 318-329; A.Durani», *Evangile selon S.Matthieu η* 304-314; P.Dausch, *Diedrei iiltcrcn Evangclien* 238-243; BOVER, *El Euangelio de S.Mateo* 328-332.

V. 13: *Quem dicunt homines esse Filium hominis* (Mc 8,27: quem *me* dicunt esse homines; Lc 9,18: quem *me* dicunt esse turbae). Iesus ergo primum interrogat quid ceteri, scilicet turbae, credant eum esse. Denominatio *Filii hominis,* uti supra diximus n.394, in N.T. est nomen proprium Iesu, quod praedicatur non ut nomen commune sed de solo Iesu, et adhibetur a solo Iesu, ab aliis tantum citando verba Iesu vel V.T.—Hoc nomen iam continet messianitatem sui subiecti, propter illa quae supra diximus 11.395s, ex allusione ad Dan 7,13s.

V. 14 respondent discipuli referendo opiniones populi. Alii eum habent ut Ioannerû Baptistam (resuscitatum, cf. Mt 14,2), alii vero ut Eliam qui iterum venire debebat (cf. Mt 17,10), vel ut Ieremiam resuscitatum, aut alium ex prophetis missum ut auxilium praestaret populo (cf. 2 Mac 15.14; 2,1-21; 4 Esdr 2,18).

V.15 hisce opinionibus vulgi contraponendam vult Iesus sententiam discipulorum: *Vos autem quem mc esse dicitis.* Non ergo interrogat tantam de sua dignitate messianica, quae *supponenda erat iam nota discipulis quaeque in nomine «Filii hominis» apertius iam continebatur,* atque ipsi discipuli de hac dignitate persuasi erant, ut supponendum est; sed Iesus interrogat praesertim de sua *natura interna.*

V. 16: *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus* (ὁ χριστός, Messias), *Filius Dei vitii (i* ulo; τον θεόν τον ζώντο;).

V.17: Iesus acceptat hanc appellationem: *Beatus es, Simon, Bar Iona* [filius Ionae, sicut ego Filius Dei]: *quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater* meus, qui in *caelis est.* Ergo Petro, quasi parvulo in spiritu, facta est revelatio de qua antea Mt 11,25 circa internam naturam Iesu.

V. 18-20 sequitur Iesus loquendo cum Petro auctoritate omnino propria et absoluta: «Et *ego* dico tibi...; et super hanc petram aedificabo ecclesiam *meam...».* Sic loquitur de suo *opere* post professionem suae internae naturae, parallelo modo ac in Mt 11,25-30 post manifestationem suae divinitatis loquebatur de suo *iugo et discipulatu;* et identidem apud Mt 28,18-20 («Data est mihi omnis potestas... baptizantes in nomine... Filii... docentes eos servare [facite discipulos]...»).

De genuinitate perjeopae Mt 16,13-20 non est ambigendum neque de his quae magis fuerunt impugnata respicientia primatum Petri (v.17-19), ut fusius dicetur in tractatu *de Ecclesia* 12.

440. Argumentum. Iesus acceptat et laudat responsum Petri de se. Atqui in hac responsione affirmatur filiatio divina Iesu naturalis.

Prob. minorem: a) *Iesus non interrogat tantum de sua dignitate messianica,* quae iam erat nota discipulis et ab ipsis acceptata.

b) Iesus laudat responsum Petri et tribuit non cognitioni naturali (caro et sanguis non revelavit tibi 13); sed *tribuit revelationi peculiari a Patre.* Atqui pro sola messianitate Iesu cognoscenda vel pro filiatione eius in sensu morali non opus erat revelatione peculiari. Ergo *Iesus laudat cognitionem de sua filiatione naturali,* quae habita est per revelationem a Patre *suo.*

12 Cf. et Rosadini, *Institutiones introductoriae in libros N.T.5* n.129: Dieckmann, *De Ecclesia 1* n.344-361. Primus brevius, alter fusius rem pertractant.
13 Cf. i Cor 15,50.

c) Id *concordat cum revelatione de divina filiatione naturali Iesu, quae a Patre fit parvulis iuxta* Mt 11,25-27; nunc is parvulus in spiritu est Petrus. Ergo et nunc agitur de revelatione filiationis naturalis.

d) *Confirmatur ex* sequenti modo loquendi Iesu absoluto et ex propria auctoritate circa promissionem primatus (et *ego dico* tibi...) et circa ecclesiam *suam,* et prophetando ut a se (non sicut veteres prophetae: Haec dicit Dominus...). Item confirmatur ex forma solemni in Petro: *Filius Dei vivi,* et omnino determinata, cum articulo: ὁ υἱος τοὐ θεὀϋ.

441. Mt 21,33-46: Mc 12,1-12; Lc 20,9-19.

Iesus quoque proposuit principibus sacerdotum et senioribus populi *parabolam de perfidis vinitoribus,* quibus, post occisos servos, Dominus misit filium suum: «verebuntur filium meum» (Mt 21,37); in qua parabola allusio est aperta ad prophetas V.T. in servis, et ad se in filio. Sed prophetae V.T. erant filii Dei in sensu morali; *ergo et nunc filius congruentius intelligitur in sensu naturali.*

Mt 22,41-46; Mc 12,35-37; Lc 20,41-44.

Et pharisaeos interrogavit Iesus quomodo David in Spiritu vocaret filium suum (Messiam) *Dominum,* alludens ad Ps 109,1; ubi Messiae Sacerdoti et Domino dicit lahveh (item Dominus); «Sede a dextris meis...», in quo exprimitur dignitas divina.

442. Mt 26,62-66; Mc 14,60-64; Lc 22,66-71.

In occasione solemnissima, ad finem vitae publicae et in facie mortis, coram synedrio solemniter constituto, et interrogatus a Summo Pontifice pro sua suprema auctoritate, Iesus suam divinitatem aperte professus est.

Mt 26,63: *Et princeps sucerdotum ait illi; Adiuro te per Deum vivum ut dicas nobis si tu es Christus, filius Dei vivi* (Mc 14,61: Tu es Christus, filius Dei benedicti?). Lc loquens de altero conventu synedrii mane facto distinguit duos modos interrogandi; v.66: Si tu es Christus (Messias) dic nobis; v. 70: Tu ergo es filius Dei?

Ad has interrogationes noctu Iesus plenissimo sensu affirmat se esse Filium Dei: Mt 26.64: *Dicit illi Iesus: Tu dixisti, verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli.*

Et mane Lc 22,70: Ego *sum.*

Quod omnes ut blasphemiam habuerunt; et ideo eum damnarunt morti.

443. Argumentum. Iesus coram synedrio affirmat se esse Filium Dei, non in sensu morali aut tantum quod sit Messias, sed in sensu proprio et naturali. Etenim

a) denominatio filii Dei in sacra Scriptura, si de angelis et hominibus adhibetur, *nunquam fit forma singulari;* nisi fiat indefinite aut de collectione plurium (v.gr. Israel, filius Dei), ita ut evidenter tunc sermo sit tropologicus [14] Unde *interrogatio facta a Pontifice non habet nisi sensum filiationis naturalis.*

b) Iesus, affirmans hanc denominationem, *simul affirmat se venturum ita ut sedeat a dextris Dei,* quo et dignitas divina intelligebatur; confer enim Ps 109,1 ubi lahveh dicit Domino Davidis (cum tamen esset filius Davidis): Sede a dextris meis... [15].

c) Haec affirmatio auditur ut blasphemia et summo horrore (scidit enim vestimenta sua summus sacerdos), et omnes dixerunt: «Reus est mortis...». Profecto non talis blasphemia esset, si tantum filiationem moralem seu munus messianicum sibi tribuisset Iesus [16].

d) In conviciis eorum qui Iesum in cruce blasphemabant, id effertur: St *filius Dei es, descende de cruce* (Mt 27,40), «dixit enim: quia *filius Dei* sum» (Mt 27,43); quod sane non ita videretur efferendum, si tantum ageretur de filiatione morali sive de messianitate.

444. **Probatur 2.**[0] *In evangelio Ioannis* multa sunt loca ubi Iesus vel aperte se dicit Filium Dei, vel talia sibi attribuit ut eius filiatio divina naturalis intelligenda sit.

Inter textus potissimi veniunt recensendi sequentes: Iesus se vocat Filium Dei; Io 5,17.25; 8,35ss; 11,4.27; 20,17.—Affirmat suam praeexsistendam: 3,13; 6,32; 8,58; 17,5; «exivit» enim a Patre: 6,33.38.46.5088.62; 7,16. 28ss; 8,18.23.42; 11,42; 16,27; 17,8; «vidit» Patrem: 3,11; 6,46; 8,38.—Affirmat aequalitatem cum Deo; et quidem in operando: 5,1758.30; 8,18; 14,10; in cognoscendo: 10,15 (cf. Mt n,25ss); in essendo: 5,18; 10,30.33.36; 12, 44ss; 14,7.10.20; 16,15; 17,10.21.—Acceptat testimonium aliorum: 11,27; 20,28 ",

Hanc denominationem *Filii Dei* intelligendam esse sensu naturali et proprio iam ex eo constat

1) *quod ipse loannes ita rem intellexit.* Sic in evangelio suo hanc divinam filiationem Iesu apertissime docet, ut eo tendat

14 Tantum *Salomon* dicitur filius Dei, in 2 Reg 7,14; 1 Par 1733· Sed simul id dicitur de posteris, successoribus in regno, et maxime de Christo; cui S.Paulus applicat illum v.14 (cf. Hebr 1,5, et infra n.595, ad v.14). Unde de Salomone dicitur filius Dei *quasi typice* de Messia.

Cf. n.610. Adverte etiam illud «venire in nubibus caeli» esse attributum divinum; cf. supra n.396.

10 Mera affirmatio propriae messianitatis, quae ab ipso Messia debebat fieri, non considerabatur blasphemia. Cf. H.Strack-P.Billerbeck, *Kommentar zum Netum Testament aus Talmud und Midrasch* 1.1017.

17 Dieckmann, *l.)<· revelatione* 11.705. Cf. *ibid,* distributionem horum locorum a H.J.Clapper confectam.

totum evangelium suum, sicut dicit in fine, «ut credatis quia Iesus est Christus, *Filius Dei,* et ut credentes vitam habeatis in nomine eius» (20,31); atque agi de filiatione naturali solemniter declarat in prologo, cum Verbum quod erat in principio, erat—dicit—apud Deum, et Deus erat Verbum (1,1); et Verbum carnem factum dicit habere gloriam quasi Unigeniti a Patre (1,14), i.e. vere gloriam quae propria est Unigeniti Patris.

2) Cum Iesus se vocat *Filium Dei* (v.gr. Io 5,17: «Pater meus usque modo operatur et ego operor...»), *iudaei intelligunt de filiatione naturali:* «Propterea ergo magis quaerebant eum iudaei interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo» (v.18). *Quod Iesus nullo modo corrigit, sed confirmat* affirmando unitatem operationis (atque adeo naturae) cum Patre (v.19); item iudicium sibi traditum et communitatem honoris cum Patre, «ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem» (v.22s).

3) Hoc idem affirmatur apud Io 10,30: *Ego et Pater unum sumus.* Etenim Iesu, conquerenti de lapidantibus iudaeis, respondent illi: «De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, *facis teipsum Deum»* (v.33).

445. **Probatur** 3.° Testimonia apostolorum circa divinitatem Iesu confirmant Iesum habuisse hanc persuasionem et conscientiam suae divinitatis; et ad hoc testimonium Iesu de se ipso referri debent ut ad fontem.

Inter testimonia plurima apostolorum, implicita vel explicita, eminent in Act *verba S.Petri* applicando ad Iesum psalmum 109,1 *de Messia Domino Davidis* (Act 2,34 coll, cum Mt 22,43-45); item vocando Iesum *auctorem vitae* (Act 3,15).

Atque *apud S.Paulum,* praeter denominationem *Kyrios* Iesu applicatam, quo quidem nomine apud LXX Iahveh (Adonai) designatur, celebriores sunt sequentes loci:

Philip 2,5-7 agens de Christo Iesu «qui *cum in forma Dei esset* [naturam Dei haberet], non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi [naturam hominis] accipiens...»

Tit 2,13 in quo agit de exspectatione beatae spei et *adventu gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi.*

Rom 9,5 ubi dicitur Christus esse ex genere Israel secundum carnem *qui est super omnia Deus benedictus in saecula.*

Hebr 1.iss dicitur Deus locutus fuisse nobis in *Filio, quem* Apostolus contraponit prophetis (qui erant filii Dei sensu morali) et inducit superiorem angelis.

446. **Obiectiones.** 1. Iesus dicit se eicere daemones «in spiritu Dei» (Mt 12,28) vel «in digito Dei» (Lc 11,20). Ergo non agit propria virtute divina.

Dist. *antec.* Iesus dicit hanc virtutem divinam qua agit (in spiritu, in digito Dei) esse alienam, nego antec.; dicit et constat esse propriam illius, *conc. antec.*

2. lesus refert miracula ad Deum, et vult ut ei honor tribuatur: sic post ficum aridam factam (habete fidem in Deum: Mc 11,22); et in casu daemoniaci Geraseni (Mc 5,19) et in illo leprosi redeuntis ad gratias agendum (Lc 17,18). Ergo non vult ut miracula sibi tribuantur.

Conc. antec. Dist. cons. Non vult ut sibi *tamquam puro homini* miracula tribuantur, *conc. cons.;* tamquam ut Deo, nego *cons.*

3. lesus aliquando in patrando miraculo manifestat suam dependentiam a Patre; v.gr. in suscitando Lazaro: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me* (Io 11,41). Ergo non profitetur se Deum.

Conc. antec. Nego cons. Aperte apud loannem inducitur divinitas lesu et ipsa manifestatio conscientiae divinae lesu: Ego et *Pater unum sumus* (Io 10,30) et *quaecumque enim illefecerit, haec et Filius similiterfacit* (Io 5,19). Unde si aliquando dependentia lesu exprimitur, tunc sermo est de lesu considerato secundum naturam humanam.

4. Obicitur dependentia textus Mt n,25ss ab Ecclesiastico 51,1s: *Confitebor tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum Salvatorem meum...* (Loisy).

Resp. Dependentia nulla est neque solida similitudo; etenim in Ecclesiastico agitur de *salvatione per Deum,* hic agitur de *revelatione* cognitionis Dei [18].

5. Responsum Petri circa *Filium Dei vivi* invenitur tantum apud Mt; sed Mc 8,28 habet: *Tu es Christus;* et Lc 9,20: *Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei.*

Resp. Silentium Mc et Lc non indicat *falsitatem* Mt, sicut et Mc et Lc omittunt pericopam de primatu. Sed de genuinitate Mt constat omnino. Narrationes Mc et Lc sunt abbreviatae.

6. lesus non se clare ab initio dixit Filium Dei.

Resp. Si manifestatio suae dignitatis messianicae debuit cum cautela fieri ex dictis n.399,1, multo magis manifestatio suae conscientiae de propria divinitate; quae quidem manifestatio apta erat excitare mirationem et persecutiones, cum non facile intelligeretur a iudaeis profitentibus strictum monotheismum. *Peropportuna autem paedagogia id suadebat,* ne iudaeis in tali monotheismo educatis statim aliquis diceret: ego quoque sum Deus; sed paulatim edocerentur, donec venirent ad plenam cognitionem mysterii Trinitatis personarum in unitate naturae.

7. «In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* aequivalet tantum nomini *Messias.* minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium» (D 2030).

Nego ex probatis.

8. Inst. Tempore lesu iudaei utebantur indifferenter nominibus Messiae et Filii Dei.

Nego. Turbae enim et populares nunquam loquuntur de Filio Dei, cum sermo est de Messia; sed dicunt; Rex Israel, Christus, Messias. Filius David: quin immo distinguebant inter accusationem de Messia et de rege: *dicentem se Christum regem esse* (Lc 23,2) quae fuit prima accusatio apud Pilatum (Io 18,33; Mt 27,11: Mc 15,2), et aliam accusationem: «secundum legem debet mori, quia *filium Dei se fecit»* (Io 19,7)· Habebant enim ultimum ut blasphemiam et intelligebant de filiatione naturali; *propterea ergo magis quaerebant eum iudaei interficere, quia... et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo* (Io 5,18).

9. Nomen *filii Dei* in litteratura V.T. tribuitur multis aliis, qui certe non sunt Deus (v.gr. *de Israele* Ex 4,22; *Haec dicit Dominus: Filius meus primogenitus Israel,* vel *de Salomone* 2 Reg 7,14: Ego *ero ei in Patrem et ipse*

[18] Cf. DtECKMVNS, *Dj revelatione* n.693.

erit mihi in filium). Ergo hoc nomen non debet intelligi de filiatione naturali.

Dist. coni. Hoc nomen non debet intelligi de filiatione naturali, si non sunt rationes ad hoc cogentes, *conc. cons.;* si sunt huiusmodi rationes, quales ostendimus in argumentis factis pro affirmatione Iesu, nego *cons.*

Indeterminate vocantur filii Dei in Scriptura sive angeli sive homines, quin aliquis determinetur (v.gr. Eccli 4,11); vel *tropologice,* cum sermo est de Israele in loco allato (Ex 4,22) in quo agitur de tota collectivitate populi; item tropologice et *quasi typice,* cum sermo est de Salomone (cf. supra, nota 14, et n.595 ad v.14).—Ubi vero Iesus Christus dicitur Filius Dei, agitur *determinate* ὁ υἱὸ$ του θεοὐ, cum articulo; et sunt rationes cogentes ad sensum metaphysicum et proprium naturalem huius nominis.

CAPUT III

De probatione testimonii quod Iesus dedit de se Ipse

ARTICULUS 1

De ipsa indole personali Iesu considerandа

447. Post, expositum testimonium quo Iesus Nazarenus suam Messianitatem, Legationem doctrinalem atque Divinitatem affirmavit, venit iam probanda veritas tanti testimonii. Sic elucescet Iesum Nazarenum revera fuisse Magistrum religiosum missum a Patre, Legatum divinum, quin etiam Filium Dei sensu omnino proprio et naturali, cum iure imponendi assensum veritatibus quas Ipse revelaret.

Critérium autem revelationis publicae primarium constituunt miracula, ut dicebamus in libro primo; probationem igitur oportet facere primum demonstrando miracula patrata esse in confirmationem huius legationis divinae et revelationis.

Attamen ut adiunctum et circumstantiam ad dignoscendum ipsum miraculum oportet saepe considerare personam thaumaturgi *. Ideo incipiemus considerando nunc naturam humanam et indolem et characterem Iesu, quo facilior pateat postea consideratio miraculorum eius. Sed in hac ipsa consideratione naturae et indolis humanae Iesu Nazareni apparebit iam argumentum pro veritate sui testimonii 2.

1 Supra n.173.

2 Hoc argumentum duplex erit, aliud ex necessitate logica pro veritate sui testimonii spectata Iesu veracitate et sapientia; aliud vero erit ex miraculo quod est in eius sanctitate

Thesis 31. lesus in suo testimonio affirmando nec deceptor fuit (I), nec deceptus (II); immo eius sanctitas est miraculum morale confirmans (III).

Dieckmann. *De revelatione* n.725-745-784-794: L.de Grandmaison, *Jésus Christ* 2 l.4 c.2 *(La personne de Jésus);* L.Koesters, Unser *Christusglaube* 151-156; Lercher, *Theolvg. fundatu.* n.164-170: H.Felder, *Jesus Christas* 2 (Paderborn 1924) c.1-3.

448. Considerando psychologiam et indolem personalem lesu volumus ostendere eius testimonium de rebus non vulgaribus nec parvi momenti, videlicet de eius Messianitate, Legatione doctrinali et Divinitate, *erroneum esse non posse.*

Hoc testimonium esset erroneum a) vel quia *lesus voluisset alios decipere;* vel b) *quia ipse deceptus esset.* Primum esset contra veracitatem et sanctitatem illius, et faceret illum *portentum malitiae;* alterum esset contra eius sapientiam et sanam constitutionem psychicam, quod errorem passus fuisset in rebus tanti momenti, et faceret illum *portentum insaniae.*

Ad excludendas has duas hypotheses ordinantur duae primae partes theseos; atque hoc modo argumentum fit efficax in favorem testimonii lesu. Sed hoc argumentum ita consideratum, ex ratione psychologica indolis humanae alicuius personae, manet argumentum humanum. Tertia vero pars theseos exhibet characterem miraculosum, qui adest in indole morali lesu; atque hoc modo *novum* inducit argufnentum, divinum, in favorem sui testimonii.

449. Adversarii, i) *lesum fuisse deceptorem* tenent defensores theoriae fraudis, quae iam tempore Christi primos asseclas nacta est.

Sic *iudaei* miracula lesu tribuebant pactui cum daemone (Mt 9,34; 12,24).

Posteriores iudaei in *Talmud* tribuebant ea magicis artibus quas in Aegypto didicisset 3.

Similiter medio aevo apparent collectae pristinae calumniae in *Toledoth leshua* (historia lesu) 4; unde recentius *E.Haeckel* suas deprompsit 5.

H.S.Reimarus (1694-1768) theoriam fraudis coluit in suo fragmento «circa scopum lesu et suorum discipulorum»6.

Sed ipsi iam rationalistae hanc theoriam relinquunt quae lesum inducit apertum deceptorem.

450. 2) *lesum deceptum esse* tenent alii diverso gradu et diversa theoria 7.

3 Cf. J.Klausnek, J0U5 *de Nazareth* 53; supra n.379.
4 Etiam id agnoscit iudacus scriptor J.Klausner, *Jesus de Nazareth* 64.
5 Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.525.729.
6 *Vom Zwecke J'esu* und *seiner Jünger; cf.* supra n.250; Dieckmann, *De revelatione* n.507.
7 Cf. Dieckmann, *De m>elationc* n.729-732.

a) Nonnulli *(schola psychiatrica)* affirmant lesum fuisse paranoicum et delirantem et epilepticum, idque apparere ex eius modo agendi: elatione mentis, ideis fixis timoris et horroris, inconstantia, anormalitate sexuali; *ita ut eius dicta et facta per psychiatriam et iuxta normas pathologiae sint examinanda.*

Sic E.Rasnussen (danicus) lesum habet ut epilepticum 8.

W.Hirsch lesum habet ut paranoicum 9.

Binet-Sanglé lesum habet ut paranoicum religiosum 10.11

Dr.de Loosten (pseudonimum G.Lomer) affirmavit lesum propter morbidam aestimationem sui prorupisse in insaniam coram synedrio 12.

451. *b)* Alii non affirmant amentiam, sed anormalitatem *(schola psychopathica)* et errorem in experientia interna lesu: lesum dicunt turbatum fuisse hallucinationibus ex phantasiis effrenatis et summa excitatione nervorum, cum fanatica dispositione ad commotiones turbidas 12.13

Sic O.Holtzmann dicebat lesum fuisse exstaticum qui agebat ut instrumentum alieni spiritus (qualis?) *.

J.Baumann lesum laborasse hallucinationibus 14.

Item ut fanaticum eum tenet Joh.Weiss 15, Rudolf Otto 16 aliique.

452. *c) Critici liberales et modernistae* (ut B.Weiss, A.Harnack, H.Holtzmann, Pfleiderer) haec habent in hac re 17: lesus noluit decipere, neque deceptus est morbose; nam *probe distinguendum est inter lesum historicum et lesum idealizatum* quem habemus in evangeliis; huic lesu idealizato sunt errores tribuendi, sed in lesu historico unus tantum error invenitur: suum adventum (parousiam) proxime eventurum credidisse. At recte observabis hunc errorem in re fundamentali, relate ad suam missionem, sat gravem esse, adeo ut homini sano nequeat tribui. Quare et critici huiusmodi incidunt in praecedentes categorias eorum qui negant perfectam sanitatem psychicam lesu.

8 Versio gcrmanica: *Jesus. Eine vergleichende psychopathologische Studie* (Leipzig 1905).
9 Versio germanica: *Religion und Civilisation iom Standpunkt des Psychiaters* (München) 87-164.
10 *La folie de Jésus* 1-3 (1910-1912).
11 *Jesus Christus vom Standpunkt des Psychiaters* (Bamberg 1905).
12 *Schwârmerei* sive tendentiam dixeris ad morbida somnia et ad phantasticas cogitationes.
13 *War Jesus Ekstatiker?* (Tubingen-Leipzig 1903).
14 *Die Gemütsart Jesu...* (Leipzig 1908).
15 *Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes* (Gottingen 1900); cf. Lercher, *Theolog. fundam.* n.165.
16 *Leben Jesu nach hist.-kritischer Auffassung*;* cf. Lercher, *Theolog. fundam.* n.165.
17 Cf. Lercher, *Theolog. fundam.* n.166.

453. Doctrina Ecclesiae. Pius IX, recensens motiva multa pro religione Christiana in *Encyclica «Qui pluribus»* (a. 1846), loquitur de hac fide... *divini sui auctoris et consummatoris Christi lesu... vita, morte..., sapientia... confirmata* (D 1638).

454. Valor theologicus. Sine dubio est *de fide divina et catholica* lesum non fuisse deceptorem **fi**.a *pars),* cum ex revelatione divina et ex propositione Ecclesiae satis constet in eo non fuisse inventum dolum (1 Petr 2,22) nec inveniri potuisse. Item lesum non fuisse deceptum (2.a *pars),* quia pariter hoc est in revelatione divina et in propositione Ecclesiae, summam scilicet fuisse sapientiam Filii Dei. Ab Ecclesia autem hae duae propositiones proponuntur ut revelatae.

Probari autem ex examine indolis lesu (in 1." et 2.n parte) et ex examine sanctitatis illius (3." pars) suam legationem suumque testimonium, invenitur quidem in verbis modo citatis Pu IX; sed quoniam in hoc documento non satis innuitur utrum hoc *solo argumento* illa legatio illudque testimonium comprobetur, an *complexive cum ceteris* quae ibidem recensentur ex resurrectione, *prodigiis, vaticinationibus...* lesu (D 1638), non valemus ex hoc documento certum valorem theologicum pro hac thesi eruere, in quantum vult valorem apologeticum huius argumenti ex indole personali lesu osten dere.

Ceterum hoc argumentupr *critice et apologetice validum* est.

455. Probatur **i**.a pars: Iesus non fuit deceptor. *Etenim fraus non erat possibilis* a) *neque interne,* b) *neque externe.*

a) Noti *interne,* quia cum homo agat propter motiva et valores rerum, *deerant in lesu motiva* ad talem fraudem: bona temporalia non quaerebat, sed spernebat; honores mundanos et quaelibet commoda temporalia contemnebat, nec voluit vulgaribus ideis messianicis sese accommodare (cf. n.399,1) quibus plausum clamoremque populi esset consecutus. Affirmatio suae messianitatis et divinitatis odia et accusationes blasphemiae ei attulit.

Quod si Iesus talem fraudem commisisset, *fuisset quidem sceleratissimus et portentum malitiae,* cum ageretur de crimine contra religionem, virtutem moralem praecipuam: in re tam gravi et fundamentali, sibi tribuens divinam legationem ad omnes homines divinamque filiationem naturalem; et sic inducerel homines in errorem pessimum. Iam vero in eo homine qui procedebat sanctitate non modo mediocri, ut omnes admittunt sensati, sed et sanctitate eximia (ut explicite dicetur in 3.“ parte), quaerebatque tam aperte et sincere Dei volun-

tatem, tantaque caritate inexhausta bonum hominum requirebat, haec mens blasphema et hoc crimen debent omnino excludi.

b) *Sed etiam externe* apparet fraus impossibilis *ex indole publica vitae Iesu:* docebat enim publice populum, vel omnia discipulis manifestans (qui et indole et suo posteriore martyrio sinceri probantur). Ipsi inimici sedulo volentes eum capere in sermone (Mt 22,155s) non potuerunt invenire fundatam accusationem fraudis.

456. Probatur 2.a pars: Iesus non fuit deceptus. *Etenim constat* A) *eius ingenium extraordinarium,* B) *una cum aequilibrio in sua sapientia et intelligentia, —simul et eius sana constitutio psychica.*

Non sufficeret probare ingenium extraordinarium alicuius, ut inde erueremus eum non fuisse deceptum, cum sint homines summe ingeniosi, simul et anormales et illusi in sua sapientia; nisi accedat—quod erit etiam ostendendum—aequilibrium mentis et sana constitutio psychica. Hoc enim excludit quominus quis decipiatur in testimonio *de re tam gravi.*

457· A) *Ingenium extraordinarium Iesu, simul et harmonicum,* apparebit considerando praecipuas formas intelligentiae quae in hominibus inveniuntur: sive sit *intelligentia quae dicitur abstracta* seu philosophica, quaeque importat copiam et facilitatem ad res abstractas clare atque profunde considerandas (estque propria philosophi, theologi, mathematici...); sive sit *intelligentia quae dicitur verbalis,* quae supponit aptitudinem ad eloquendum et movendum (propria oratoris, advocati...); sive sit *intelligentia quae vocari potest socialis;* quae includit peritiam ad homines cognoscendos et conducendos (propria gubernatoris...); sive sit *intelligentia quae dicitur spatiolis* seu mechanica et dicit aptitudinem ad res in spatio et in figura sua considerandas et saepius quoque ad agibilia mechanica; sive sit denique *intelligentia artistica* in aptitudine scilicet ad captationem pulchri et creationem artisticam |8.

458. *a)* Quantum ad intelligentiam abstractam, *nihil contradictorium vel contra rationem* inveniri potuit in veritatibus quas Iesus docuit; ne saeculis quidem posterioribus summo ardore eius doctrinae studentibus, neque in ipsis mysteriis. Quin immo *tantae connexionis logicae* huiusmodi veritates sese ostendunt, ut theologi scholastici, earum studio incumbentes, harmonicum pulchrumque systema efformare potuerint (cf. n.653-666).

Veritates quas Iesus de rebus temporalibus et mundanis, de homine, de Deo, docuit, *totam philosophiam gentilium su-*

18 Conceptus aliquantulum vagus et multiplex «intelligentiae» diversimode accipi solet. Praecedentes formae intelligentiae respondent diversis momentis quae, praesertim pro sic dicta orientatione professionali, in huiusmodi officinis considerari solent.

perant, ita ut ablata sollicitudine rei transitoriae oculos ad Patrem qui est in caelis, in communitate fraternitatis, homines levare debeant. Atque *vetus Foedus perficiunt* hae veritates: sic Deo iusto, terribili, Veteris Testamenti, Deus misericors, Pater accurrens ad collum filii deperditi superdemonstratur... In iis autem veritatibus et in ceteris *mira unitas* elucet in referendis omnibus ad Deum ut Patrem (cf. Mt 22,36-40). Haec eo magis sunt mira, quod lesus scholas rabbinorum non frequentavit (cf. Io 7,15; Mc 6,2).

Sed et sunt *effata extraordinaria* in quibus summa capita et mysteria suae doctrinae breviter, simul et lucide ac profunde, comprehenduntur; sicque patefaciunt ingenium extraordinarium: Mt 11,25-30 19; 16,17-19; 28,18-20; Io c.13-17. Cum hoc autem coniungitur *certitudo et securitas* in dicendo (cf. Mt. 24,35); ita ut nunquam dicta priora corrigat.

Ingenium hoc extraordinarium apparet *subtile, polemicum in controversiis* cum pharisaeis et sadducaeis qui volebant eum capere in sermone (cf. Mt 22,15-46 20).

459· W Quantum ad intelligentiam verbalem, cum hoc ingenio extraordinario et intelligentia philosophica cohaeret gradu vere insigni *modus dicendi simplex et perspicuus,* accommodando veritates maxime profundas captui populari, utendo parabolis vere amoenis. «Una est omnium laus parabolarum Domini in universo mundo. Mores hominum et gustus mutabuntur, parabolae et similitudines Domini a corde et ore hominum numquam recedent. Sub hoc respectu quoque verus est sermo Domini (Mc 13,31): Verba mea non transibunt»21.

Erat in eius forma dicendi *summa oppositorum,* gratia et gravitas, profunditas et claritas, simplicitas condescendens et «potestas»; erat enim docens eos sicut potestatem habens... (Mt 7,29).

460. *c)* Motus vero quos sua dicendi ratio provocabat non erant turbulenti, quasi amentis seu paranoid, sed erant *motus admirationis et suavitatis;* adeo ut, cum esset duodennis,

19 Haec conclusio capitis 11 Mt dicta est «la perla de las palabras de Jesûs»; cf. A. Durand, *Evangile selon S.Matthieu* (Verbum Salutis, i) in hunc locum.

20 Ibi bene adverte quomodo possit lesus in polemica *distinguere: Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari; et quae* sunt *Dei, Deo* (v.21); item *negare suppositum: In resurrectione enim neque nubent neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in caelo* (v.30); et *vicissim interrogare: Si ergo David vocat cum* (Messiam) *Dominum, quomodo filius eius est?* (v.45)... Ideo *nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare* (v.46).

21 Lercher, *Theolog. fundam,* n.167 *af* Cf. etiam J.M.Bover, *La palabra de Jesucristo desde el punto de vista literario:* EstEcl 16 (1942) 375-3971 et eiusdem auctoris circa conceptum parabolarum modumque eas interpretandi. *Las pardbolas dei Euangelio:* EstBibl 3 (1944) 229-257·

stuperent omnes qui eum audiebant super prudentia et responsis eius (Lc 2,47); et mirabantur omnes in synagoga nazarethana in verbis gratiae quae procedebant de ore eius (Lc 4,22; cf. Mc 6,2); ministri vero qui debebant eum lerosolymis apprehendere dixerunt: «Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo» (Io 7,46).

In eo igitur erat intelligentia «verbalis» simul et «socialis». Quod etiam constat ex sua mira arte homines tractandi; noverat etiam turbas attrahere, non quidem mulcendo affectus aut vitiis connivendo... (cf. Mc 8,33 ubi Petrum increpat).

Noverat sane homines, atque etiam ipsis qui crediderunt videntes signa quae faciebat, cum esset lerosolymis in Pascha in die festo, «lesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine» (Io 2,24s).

461. d) *Alia forma intelligentiae, mechanicae seu spatialis,* ex natura sua non adeo elucere potest ex lectione evangeliorum, neque adeo videretur necessaria ad plenum aequilibrium intellectuale. Sed ex professione manuali quam diu exercuit Dominus (cf. Mc 6,3), et ex comparationibus quae ab eo sunt in evangelio, quaeque supponunt visualem imaginationem, ne haec quidem forma intelligentiae defuisse in lesu censenda est.

462. *e)* Ut sequela ex his formis intelligentiae supra dictis, et ex qualitatibus imaginationis et sentimenti (cf. n.461.464), quae erant in lesu, erui etiam posse videtur eius *intelligentia artistica* seu aptitudo ad perceptionem pulchritudinis et ad realizationem illius per formas pulchras; quamquam et haec forma intelligentiae, in realizatione praesertim pulchritudinis, non videtur necessaria ad plenum aequilibrium mentis.

Haec igitur aptitudo plures facultates supponit, quas in lesu fuisse constat: intellectum, cuius est apprehendere seu captare splendorem ordinis sive pulchritudinem; *sentimentum* ut accurate et delicate, profunde simul atque intense, ideae et formae pulchrae concipiantur; *imaginationem* ut formis sensibilibus, generatim visualibus (praeterquam in artibus musicalibus), ideae earumque splendor exprimantur.

Iam vero, non novimus in lesu Nazareno creationes plasticas aut visuales pulchras; novimus certe conciones suas, verba sua. Sed etiam ex his possumus eruere eius qualitates artisticas; intelligentiam certe demonstrant summam et subtilem atque accuratam, uti supra vidimus n.458; eius modus et color in loquendo (v.gr. videte lilia campi... etc.), et imagines visuales frequentes ex rerum natura, supponunt eius imaginationem visualem (cf. n.461); observationem naturae et sentimentum naturae fortia in eo fuisse ostendunt pariter evangelia; cor et sentimentum sociale etiam supra n.460 ostensa sunt, ad quandam pulchritudinem moralem facile percipiendam (cf. et infra n.464).

Sed certe, ita apparent in eo imaginatio et sentimentum, ut videantur nunquam emergere independenter ab intellectu, sed constituta sub potestate omnimoda voluntatis; adeo ut ex illis imaginationis et sentiment! facultatibus nullum periculum deceptionis oriretur; quod certe periculum in non

paucis pulchritudinem colentibus adesse est manifestum propter nimiam imaginationis et sentimenti praevalentiam.

463. B) *Aequilibrium mentis et sana constitutio psychica in Iesu.* Illa quae supra modo disceptavimus ostendunt in Iesu magnum sane et extraordinarium ingenium, magnamque sapientiam; formas etiam diversas intelligentiae bene aequilibratas. Unde et sua doctrina et suum vitae exemplum *exaggerationes peregrinas non habent.*

Tetrica rerum mundanarum despicientia... re vera longe aliena est ab eius doctrina. Cum eius doctrina bene componi potest animus serenus, nitor vitae quotidianae, sociabilitas urbana, honesta animi et corporis oblectatio, ut Iesus ipse exemplo suo praemonstravit (Io 2,iss; Le 5,295s; 7,365s; io,28ss; Mc 6,31; 7,155s; 10,135s; Mt 11,19; 18,2) [22].

Insuper *modus eius agendi sanctus:* caritate erga Deum summa, tam affectiva quam effectiva, eaque constanti per vitam totam; caritate erga proximos universali, operosa, tenera et affabili; *modus eius agendi perfectus* cum hac caritate regina virtutum, cui sociabantur ceterae omnes virtutes: religionis (Io 2,i4ss), iustitiae et prudentiae (Mt 22,21), abstinentiae (Mt 4,4), mansuetudinis et humilitatis (Mt 11,29; 26,50; Lc 22,61; Io i3,4ss), magnanimitatis (Lc 12,30; Io 14,31), misericordiae (Mt 9,36; 11,28), longanimitatis (Mt 23,37), veracitatis (Mt 22, 16); *modus eius agendi fortis et constans* mediis in difficultatibus, coniungendo virtutes oppositas (ut misericordiam in peccatores et zelum gloriae divinae) *sine dolo et violentia:* haec omnia ostendunt talem hominem gaudere *systemate nervorum sanissimo,* quod cito dictamini rationis subicitur; ac proinde talis homo nullo modo amens dici potest, sed ne dispositus quidem minime ad affectiones morbidas hallucinationis et fanatismi. Quare sana constitutio psychica Iesu constat omnino [23].

Quae cum ita sint, *per hoc ingenium extraordinarium magnamque sapientiam Iesu* (A), *et per aequilibrium mentis et vitae sanamque constitutionem psychicam illius* (B), verum omnino esse debet quod Iesus de se ipse affirmavit: seu *Iesum in sua legatione et divinitate affirmandis non fuisse deceptum.*

464. Scholion. De charactere Iesu seu de nota permanenti praedominanti in eius indole personali.

Quantum ad eius vitam intellectualem iam notavimus aequilibrium mentis et gradum extraordinarium et harmonicum in diversis manifestationibus ingenii et intelligentiae.

22 Lekcher. *Theolog. fundam. n.tôj a)* (ed. 1927 p.179).
23 Cf. Lercher. *Thcolog. fundam.* n.168.

In eius vita morali certe caritas erga Patrem praevaluit per vitam totam; et haec virtus quae iam natura sua apta est alias virtutes regere quaeque inspirat comitatum ceterarum virtutum, re vera in Iesu erat sociata cum complexu ceterarum virtutum—una exclusa paenitentia—; unde in hac re aequilibrium et vera harmonia non deerant in Iesu.

Sed haec harmonia et aequilibrium in summa qualitatum vere insignium non tantum facultatibus cognoscitivis et voluntate concludebantur; etiam *facultatibus sentiment!* et corde continebantur; siquidem de eius Corde et sentimentis evangelia testantur: sic v.gr. de eius lacrimis (ob mortem Lazari et poenam sororum: Io 11,35; de malis civitatis eiusque ruina: Lc 19,41); pariter de eius nobili et tenera amicitia (Io 13,33; 15.15! n.SS-Sô).

Accedit et *constitutionem physicam optimam omnino fuisse,* si credimus imagini expressae in sindone taurinensi, in qua eius corpus mortuum involutum fuit 24, et si cetera consideramus quae evangelia referunt, itinera pedestria per dies, magnam vocem qua clamare valebat...

Unde re vera, si quae nota characteristica indicanda in eo est, /iarmontd *summa et aequilibrium in complexu qualitatum extraordinariarum* indicanda esse videtur.

Erat proinde certus character, sicut erat certae nationis, certae matris et complexionis—at seclusa omni imperfectione et gradu extraordinario pollens perfectione. Ad eius igitur indolem intellectualem et moralem cognoscendam *via negativa et elativa procedendum est:* sic habebitur harmonicus complexus oppositorum et exemplar perfectionis summum.

Sed accedemus ad mysterium Iesu, ad indolem mysteriosam suae personae, ita ut descriptio imaginis Iesu debeat fieri sicut Fra Angelico imagines dicitur depinxisse suas: flexis genibus—ut gloriam contemplemur illius quasi Unigeniti a Patre, pleni gratiae et veritatis 25.

465. **Probatur** 3.ll pars: Sanctitas Iesu est miraculum morale confirmans suum testimonium. Sanctitas Iesu, non modo heroica, sed vere eximia ostenditur:

1) *negative* probando absentiam peccati in eo; et
2) *positive* conando delineare ipsam eius sanctitatem 26.

466. 1) *lesum fuisse expertem peccati constat:* a) *ex testimonio ipsius Iesu,* quod testimonium ideo valet quia nemo ho-

24 De historia et authentia huius Sanctae Sindonis, cf. recentius M.de Iriarte, S.I., *Sobre el llamado Santo lienzo de Turin* RazFe 131 (1945) 517-541; ibi etiam selecta bibliographia. Item eiusdem auctoris *Un gran enigma cient(fico: La imagcn de Cristo en el llamado •Santo lienzo de Turin* Arbor 10 (1948) 201-224; W.Bulst, S.I., *Das Grabtuch von Turin* (Frankfurt 1955).

De figura corporali lesu Nazareni, vide, v.gr., F.Prat, *Jésus Christ4* 1,529-532; et A.Mj-CHEL, *Jésus-Christ:* DTC 8,1153-1154-1272.—*De imagine lesu Christi in arte,* cf. G.Maillet, *Le Christ dans l'art* in encyclopedia *Le Christ* (Bloud et Gay) 879-975; Ch.Broussole, *Lr Crucifix, ibid.,* 976-1048; G.de Jerphanion, *L'image de Jésus-Christ dans Vart chrétien:* Nouv RevTh 65 (1938) 257-283.

25 Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.786. Circa hanc imaginem spiritualem et moralem lesu, praeter auctores supra relatos in bibliographia initiali qui tractant hanc thesim, cf. etiam K.Adam, *Jesus Christus* (versio hispana: Barcelona 1945) c.4 (La fisonomia moral y espiritual de Cristo) p.92-139. Item plures «vitae» seu biographiae lesu, de quibus in Apendice, n.709ss. J.Castjello, S.I. *(A Humane Psychology of Education* .[versio hispana, México 1947J p.3 c.2), considerat etiam lesum ut exemplar ideale 'personalitatis», tam in eius intelligentia intuitiva, analytics, synthetics et creatrice, quam in eius figura herois simul et humana atque benigna.

26 Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.788-794.

minum auderet id dicere, et quia non timebat periculum redargutionis. Sic illud celebre affirmat: Quis *ex vobis arguet me de peccato?* (Io 8,46), et diabolum dicit in se non habere quidquam (Io 14,30) atque signum veracitatis suae in eo esse quod non quaerat gloriam suam (Io 7,18). De aliis hominibus aperte dicit *cum sitis mali* (Mt 7,11); de se autem tradi in sacrificium ut hostiam placationis pro peccato (Mt 26,28.45; 20,28), atque hoc sacrificium Patri acceptum esse proclamat (Io 10,17).

467. *b)* Innocentia lesu constat pariter *ex testimonio coaevorum,* quibus tamen persuasum erat omnes homines esse infectos fomite peccati (Gen 8,21; 3 Reg 8,46; Ps 50,7; Rom 3,9ss). Sic *amici,* ut loannes Baptista qui vocat eum «Agnum Dei tollentem peccatum mundi» (Io 1,29 [coli, cum Io 3,27]); sic *discipuli,* comites continui, qui dicunt peccatum in eo non esse (1 Io 3,5) et eum peccatum non fecisse nec inventum fuisse dolum in ore eius (1 Petr 2,21-25); atque hanc eandem traditionem refert S.*Paulus* de eo «qui non noverat peccatum» (2 Cor 5,21), tentato per omnia absque peccato (Hebr 4,15), qui fuit Pontifex vere sanctus, impollutus, segregatus a peccatoribus (Hebr 7,26-28). Atque ipsi *inimici,* sedulo spéculantes ut eum caperent, nihil invenire possunt nisi accusationes futiles, quae ostendunt pravam ipsorum voluntatem pravumque sensum quo res innocuas volunt intellectas: quod blasphemet (Mt 9,3) quod eiciat daemones in principe daemoniorum (Mt 9,34), quod sit vorax et amicus peccatorum (Mt 11,19), quod discipuli transgrediantur traditiones seniorum (Mt 15,2)... Clarissime apparuit eius innocentia in processu passionis, siquidem nihil aliud inveniri potuit nisi fecisse se Filium Dei (Io 19,7); ceterae accusationes (fecisse se regem, esse rebellem...) nihil valent: Pilatus, eius uxor, ludas, latro... proclamant innocentiam lesu (Io 18,38:19,4; Mt 27,19.3s; Lc. 23,41),

468. 2) *Positive constat eius sanctitas eximia* in agendo considerando *finem* quem in suis actionibus prosequebatur, siquidem bonitas moralis actionum pendet ex circumstantiis, praesertim ex fine. Hic autem finis erat *Deus eiusque beneplacitum ex filiali amore adimplendum;* et quidem *summa intensitate,* tamquam cibus (Io 4,34; cf. Lc 2,49) et *superando magnas difficultates,* scilicet per sacrificia, etiam in agonia (Le 22,423s) et in morte (Io 19,30; Lc 23,46). Et notum est *quanta caritate,* tam intensiva quam extensiva, homines omnes sibi devinciret; item quomodo huic caritati reginae virtutum *ceterae virtutes*

omnes coniungerentur, quae in eius charactere elucebant gradu vere eximio: prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia... una excepta paenitentia; siquidem ubi peccatum non est, nec paenitentia esse potest.

469. Quod si haec sanctitas, non iam absolute, sed relative consideretur, est *vere incomparabilis.* Etenim *vita aliorum philosophorum et fundatorum* non fuit religiosa sensu stricto, cum non haberent in suis systematibus conceptum veri Dei, ut fundamentalem (Budda 27, Confucius 2829), vel non fuit moraliter sancta (Mahomet...). Ipsi iam *sancti,* qui in religione christiana exstant et superant communem virtutem hominum per gradum heroicum, ab ipso Iesu recipiunt lumen et colorem suntque *eius imitatores,* nunquam tamen adaequant exemplar.

470. Quae cum ita sint, ipsa sanctitas Iesu apparet vere insignis, adeo ut etiam *ipsam imaginem talis hominis idealis* difficile dixeris esse inventam ab hominibus; multoque magis dixeris *realizationem illius* superare omnino communem cursum virtutis in hominibus, atque esse *miraculum psychologicum, morale, indicans interventum Dei extraordinarium.*

Nam verum est difficile designari critérium quo dimetiamur quid valeat voluntas humana propriis viribus derelicta; multum certe valet in re religiosa (fanatismus, apathia, tolerantia dolorum) et in re profana pro labore industrial! et scientifico. At sunt quidam actus virtutum naturaliter impossibiles, praesertim *in serie-constanti-intensa-vitae sanctae-ad rectum finem* (non ad adipiscenda bona temporalia, sed ad renuntiandum hisce bonis et ad perfecte adimplendam Dei voluntatem) - idque *mediis in difficultatibus, summis sacrificiis.* Ad hoc certe requiritur interventus Dei extraordinarius - et datur *miraculum morale.*

Iam vero si Deus hoc suo interventu designat hominem,

27 Budda idem valet ac «illuminatus», vixit saec.V aut VI ante Christum. In eius systemate philosophico (systema enim populare eiusque praxis nihil aliud sunt nisi idololatria absurda) datur *atheismus,* quia non agnoscit causam primam aut saltem de ea non cogitat, neque enim occupatur sicut brahmanismus in metaphysicis investigationibus. Habet quidem systema morale sat purum, sed non potest cum christiano comparari: abnegatio christiana est virtus activa tendens ad perfectionem moralem hominis eiusque beatitudinem; abnegatio buddistica tendit ad destructionem activitatis; benevolentia erga proximum, quam buddismushinc inde commendat non est illa caritas christiana propter Deum, nulloconquisito proprio commodo, quam christianismus doctrinam fundamentalem habet; ascetica buddistica tendit ad destructionem «desiderii», ut sic effugias dolorem atque obtineas «nirvana». De buddismo et de Budda, cf. L. de la Vallée Poussin in *Christus* (J.Huby) c.8; G. Schulemann et J. Lippl, *Budda, Buddhismus:* LTK 2,612-620; H. Heras, S.I., *La naturaleza del budismo:* RevFilos 10 (1951) 119-164.

29 *Kong-fu-tse* (saec.VI ante Christum) habet *systema morale* sine speculationibus metaphysicis systematicis circa Deum. De eo, cf. L. Wieger, in *Christus* (J.Huby) c-5 ; vel eiusdem auctoris art. *Chine:* DAFC 1,513-516.527-330.

cuius omnia dicta et facta in hoc unum contendant ut se Dei legatum et Filium exhibeat, Deus suo sigillo miraculi confirmat veritatem huius testimonii.

Ergo sanctitas Iesu est miraculum morale confirmans suum testimonium.

471. Obiectiones. Contra primam partem. 1. Iesus *non semper veritatem dixit.* Ita apud Io 7,8-11: Ego *non ascendo ad diem festum istum... Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.*

Resp. 1) Etiamsi adesset falsitas in casu particulari, non inde logice sequeretur eum verum non dixisse in testimonio dando tam gravi. Sed falsitas nullo modo habetur, neque inconstantia in illo dicto.

2) Sensus negationis in Iesu est: Ego non ascendo «scilicet *vobiscum aut cum commeatu festivo neque eo modo quo vos vultis ut ascendam,* scilicet ut me manifestem mundo, ut cum pompa et solemni comitatu ingrediar urbem» 29, nimirum *quia meum tempus nondum impletum est* (Io 7,8); postea vero ascendit *non manifeste, sed quasi in occulto* (v.io) 3°.

2. Audiens Iesus infirmitatem Lazari dixit: *Infirmitas haec non est ad mortem* (Io 11,4), cum tamen Lazarus brevi mortuus erat futurus (v. 17).

Resp. Iesus dixit infirmitatem Lazari non esse ad mortem, *sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam* (v.4); ideo, ut eruitur ex toto facto, illa infirmitas non erat ad mortem *permanentem,* sed resurrectione infirmus erat vivificandus.

472. Contra secundam partem, *ad mentem criticorum 31.* 3. Iesus facile deceptus fuit neque habuit sanam constitutionem psychicam. Nam inveniuntur in eo *ideae fixae,* v.gr., circa possibilitatem locutionis cum Deo, a quo se credebat aliqua accipere; pariter circa possibilitatem interventus extraordinarii Dei in mundum (miraculum), et praedictionis futuri.

Resp. Tales ideae fixae non sunt nisi *ideae communes* admissae apud coterraneos et coaevos Iesu circa revelationem, miraculum et prophetiam. Non erant igitur quid anormale. Quam immerito autem tales ideae existimentur ideae absurdae constat ex factis; modus vero adversariorum quo procedunt in hac re est plane aprioristicus et a-scientificus.

4. Iesus habuit quoque plures *hallucinationes:*

a) in baptismo credidit se videre *spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se,* similiter audire vocem de caelis dicentem: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (Mt 3,16s; cf. Me i,ios; Le 3,21s);

b) credidit quoque se *lentatum fuisse a diabolo* modo sane miro (Mt 4,1-11; Mc i,i2s; Lc 4,1-13);

c) et credidit se *transfiguratum in monte* (Mt 17,1-9; Mc 9,1-8; Lc 9, 28-36); et videre *tSantanam sicut fulgur* de caelo cadentem» (Lc 10,18); atque in *agonia* confortatum se existimavit ab angelo quodam (Lc 22,43).

Resp. Haec omnia facile et *optime explicantur per interventum supernaturalem,* quem non licet a limine et a priori reicere, sicut faciunt adversarii. Atque haec solutio non vitiose praesupponit thesim et mentalem sanitatem Iesu, nam haec post factam probationem theseos est omnino in possessione. Nota insuper *a)* in baptismo etiam alios vidisse eadem, saltem Ioannem

2' I.Knabenbauer, Commentarius in *Evangelium secundum Ioannem*2 (Parisiis 1906) 262.

30 Cf. I.Knabenbauer, *ibid.,* 261s; M.-J.Lagrange, *Evangile selon Saint Jean*2 (Paris 1925) zoos.

31 Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.737-745.

Baptistam (Io 1,32); *b)* tentationes bene potuisse narrari discipulis ab ipso Iesu, utpote quae «programmaticae» essent atque in eis falsae ideae de Messia venturo reicerentur; *c)* transfigurationem, in hypothesi adversariorum, debuisse converti in collectivam hallucinationem discipulorum etiam adstantium; videre autem Satanam cadentem de caelo, dum discipuli eum eiciunt de hominibus, minime repugnare in eo qui ostenditur inimicus Satanae, legatus Dei; in agonia denique hallucinationem excludi, quia timor et tremor permanserunt, bene vero intelligitur cur Iesus per angeli confortationem forti animo agoniam sudore sanguineo superare potuerit.

Aliae obiectiones, quod deceptus fuisset cogitando finem mundi proxime eventurum, solventur in tractatu *de Ecclesia.*

Contra tertiam et secundam partem. 5. Opponuntur quoque *affectus* Iesu, quos adversarii vocant *inordinatos et morbidos:* eiectio vendentium e templo (Io 2,14-17; Mt 21,12s; Mc 11,15-17; Le 19,45s), maledictio ficus infructuosae (Mt 21,18-22; Mc 11,12-14.20-26); et simul defectum dicunt adfuisse in Iesu quoad sentimentum familiare et pietatem erga cognatos (Lc 2,41-50; Mt 8,2is [Lc 9,59s]; 10,37 [Lc 14,26]; 12,46-50 [Mc 3,31-35; Lc 8,19-21]); defectum quoque sensus sexualis (Mt 19,12).

Resp. Haec omnia facile et recte explicantur, si attenditur respective ad sequentia: nimirum ad *zelum domus Domini* qui comedit Iesum (Io 2,17) in eiciendo vendentes e domo orationis; ad momentum *symbolicum* quod erat in ficu infructuosa, quae gerebat typum synagogae maledicendae, simul et ut efficacia orationis doceretur; in invocandis vero *turibus Dei et legati divini* supra sensus familiares nihil inordinatum in verbis Iesu apparere potest; in commendanda autem voluntaria continentia et virginitate propter regnum caelorum valet illud effatum Iesu: Qui *potest capere, capiat* (Mt 19,12).

6. Erant actiones in Iesu quae a rectitudine morali deflectere videbantur, ut mittere daemones in porcos, qui perituri praecipitantur in mare (Mt 8, 30-34; Mc 5,11-17; Lc 8,33s) cum damno dominorum; similiter exhibere se exemplum'virtutum (Mt 11,29) ei iactare propriam innocentiam (Io 8,46).

Resp. Ad primum quod attinet, Iesus si sua agendi ratione ostenditur et *probatur Dominus supremus* omnium illud facere poterat ad finem opportunum, nimirum ut actione demonstraretur foeditas spirituum immundorum, a quorum tyrannide homines essent per Christum liberandi. Atque etiam, cum essent apud israelitas illa animalia vetita pro manducatione, eorum destructio bene intelligeretur, si nimirum per illa animalia lex aliqua contemneretur.—Quod si Iesus exemplar se mansuetudinis et humilitatis praebet, id facit ut audientes inducat in eius discipulatum ingredi, quod non durus aut superbus, sed mitis et humilis sit Magister.—lactantia vero in verbis Iesu nulla fuit, ut abunde constat aliunde; sed ipse ad propriam innocentiam provocavit ut inimici, saltem silentio eorum, faterentur nullum in eo peccatum inveniri.

7. Obicitur testimonium coaevorum Iesu, qui dicebant eum in *principe daemoniorum eicere daemones* (Mt 9,34; Mc 3,22; Lc 11,15; cf. Mt 12,24) et *daemonium habere* seu res insanae mentis proferre (Io 7,20; 8,48.52; 10,20).

Resp. Si inimici id dicunt, hoc non probat nisi eorum malam voluntatem et invidiam. Iesus vero bene redarguit et ostendit cur non eiciat daemones in principe daemoniorum, quia «si *Satanas satanam eicit, adversus se divisus est:* quomodo ergo stabit regnum eius?» (Mt 12,26s). Verba autem Iesu, quae turba vel «iudaei» non intelligunt, provocant eos ut dicant Iesum insanire seu loqui quasi ex motione diaboli. At tales assertiones Iesu re quidem vera inveniuntur habere legitimum *sensum et sanum;* nota quoque non omnes in eandem sententiam convenisse, quia *alii dicebant: Haec verba non sunt*

daemonium habentis; numquid daemonium potest caecorum oculos aperire? (Io 10,21).

8. Ipsi cognati lesu aiunt adversarii—habuerunt eum ut insanum; dicunt enim: *quoniam in furorem versus est* (Mc 3,21).

Resp. Alia est interpretatio quae pro hoc loco commendatur 32; videlicet, iuxta Mc 3.20: Veniunt, *ad domum* [lesus et discipuli]: et *convenit iterum turba ita ut non possent neque panem manducare. Et cum* [hoc: non posse neque panem manducare] *audissent sui* [ol τταρ' αὐτοϋ, fortasse galilaei qui prope eum erant, vel aliqui discipuli], exierunt tenere *eum; dicebant* enim; *quoniam in furorem versus est* [ἐξέστη, id est, tanto zelo laborat ut vulgo imprudentissime agere videatur 33; vel *extra se est ductus zelo* et enthusiasmo (cf. Mc 2,12; 5,42; 6,51 in textu graeco, ubi apparet vox ἐξΙστημι). Ideo viribus penitus destitutus est, quia non manducat, et ipsi volunt eum cogere ut manducet34]. Tandem *veniunt mater eius et fratres* (v.31), quod indicat hos, vere cognatos, non esse eosdem suos ac antea v.21; fratres vero lesu eum non habere pro insano constat ex Io 7,3s.

ARTICULUS II

De operibus λ Iesu patratis

473. Thaumaturgo iam cognito, commodius facta eiusdem in trutinam revocare possumus, miracula scilicet examinare, quae primarium revelationis critérium haberi debent. Ipse quoque lesus ad miracula suum testimonium suamque missionem confirmantia provocavit. Ideo aiebat: «Si mihi non vultis credere, operibus credite» (Io 10,38); atque «ipsa opera quae ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me» (Io 5,36). Cf. et Mt 11,4s [Lc 7,22]; Io 5,31-36; 14,10-13.

Inter miracula vero, quae testimonium lesu demonstrant, sunt miracula *in lesu,* miracula *a lesu,* miracula denique *in lesum* patrata. In articulo praecedenti fuit miraculum in lesu examinatum; nunc *miracula a lesu* facta examinantur.

Thesis 32. lesus divinum suum testimonium multis miraculis physicis egregie comprobavit.

S.Th., 3 q.43s; Suarez, *De mysteriis vilae Christi* comment, in praec. quaest. et d.31 (Opera 19,466-498); Dieckmann, *De revelatione* n.796-841; L.Fonck. *Die Wunder des Herrn im Evangelium* t2 (Innsbruck 1907); eiusdem versio Hispana a M.Carceller, *Los milagros dei Seùor en el Evangelio* (Madrid 1929); E.Ucarte de Ercilla, *Los milagros dei Evangelio*2 (Madrid 1917); L.Cl.Fillion, *Les miracles de N.S.Jesus-Christ* 2 t. (Paris 1909-1910); H.Pinard de la Boullaye, *Conf. de Notre-Dame* (1931) 3; A.Due, *El poder de Dios y la ciencia* (Granada 1942) conf.9.

474. Adversarii. Multae explicationes falsae circa miracula lesu numerari possunt: signum evidens inefficaciae earum.

32 Cf. M.-J.Lagrange, *Evangile selon Saint Marc*3 (Paris 1929) 69s; I.Knabenbauer, *Commentarius in evangelium secundum Marcum*2 (Parisiis 1907) 105-108.

33 Cf. Zorell, *Lexicon graecum N.T.* ad vocem ἐξ-ιστημι.

34 Cf. 4 Reg 4,8 ubi inveniens similia: Cum Eliseus transiret per Sunam, erat ibi mulier magna *quae tenuit cum,* ιι(*manducaret panem.*

Pharisaei illa adscribebant daemoniis: Mt 9,34; Mc 3,22; Lc 11,15; Mt 12,24. Similiter *posteriores iudaei* et *talmudistae* volentes per magiam illa explicare (cf. n.379.449.483c).

Celsus (saec.II, scripsit probab. c.178), ethnicus rationalista, et alii, artibus praestigiatorum et nigris illa adscribebant. Sic Origenes, scribens *Contra Celsum,* inducit illum loquentem et concedentem fecisse lesum mira, sed sicut «ea quae praestigiatores faciunt, maiora semper ac maiora pollicentes, et quae faciunt qui sunt aegyptiacis artibus eruditi...» L

Porphyrius, ethnicus neoplatonicus (232 /3-C.303), more rationalistico conabatur universum opus lesu explicare 1.

475. Recensendi sunt quoque illi qui, sicut de persona lesu et de evangeliis perperam sentiunt, sic cohaerenter cum suis theoriis miracula explanant.

Sic H.S.Reimarus (1694-1768) proposuit *theoriam fraudis:* post mortem desperatam lesu, discipulos finxisse eius resurrectionem et miracula ut commode viverent3. Hodie haec theoria exploditur.

G. ottlob Paulus (1761-1851) cogitavit *theoriam naturalisticam:* miracula, narrata quidem exaggeratione orientali, explicari possunt naturaliter; sic multiplicatio panum non est nisi exemplum cuiusdam hospitalitatis a Christo datum, quod alii sunt imitati4.

D.. Strauss (1808-1874) coluit *theoriam mythicam;* non contentus explicationibus praecedentibus ait miracula esse opus imaginationis, quae alicui personae historicae illa adiungit5.

476. Recentiores profitentur *ecclecticismum et criticismum* in hac re. Explicant vero miracula *a)* vel ut eventus naturales exaggeratos (v.gr. interdum O.Holtzmann 6); *b)* vel ut allegorias et symbola; *c)* vel ut mythos propter imaginem idealizatam lesu; *d)* vel ut influxus psychico-therapeuticos suggestionis.

Sic E.Renan tribuit miracula evangelica opinioni populari sive durante vita lesu sive post eius mortem efformatae; vel considerat tantum sanationes in quibus lesus active se habere

1 *Contra Celsum* 1,68: R 517.

2 Cf. S.Hieronymus, *Liber hebraicarum quaestionum in Genesim* 1 *v.io:* LM 23,988; L.Vaganay, *Porphyre: DTC* 12,2570-2575; L.de Grandmaison, *Jésus Christ.* 2,135-138.

3 Ita in fragmento edito a G.E.Lessing, *Von Zwecke Jesu und seiner Jüngcr;* cf. supra, n.250.449; Dieckmann, *De revelatione* n.507.

4 *Das Leben Jesu ais Crundlage einer reinen Geschichte des Urchristentums* (Heidelbeg 1828); cf. de eo Dieckmann, *De revelatione* n.510.

* *Das Leben Jesu kritisch bearbeitet;* cf. supra n.252.

û *Das Leben Jesu* (Tubingen 1901); cf. Dieckmann, *De revelatione* n.508.

voluit: in his autem curationem sufficienter per suggestionem explicari posse dicit[7].

477. A.Harnack habet sequentia principia ad diiudicandas relationes evangelicas de miraculis:

1) miraculum tunc temporis fuisse quid quotidianum ob ignorantiam legum naturae;

2) miracula affigi personis eminentibus non longe post earum mortem.

[Haec duo principia, *ad ordinem historicum* pertinentia, consulunt sane cautelam in examinanda historicitate fontium; at nullo pacto evincunt nihil nos de illis factis historicis cum certitudine cognoscere posse];

3) «firmissime tenemus» [sed et falsissime, et a priori, ut praeiudicium] miraculum ut exceptionem in legibus naturae esse impossibile;

4) nondum perspicimus vires naturae [sed scimus quosque interdum non se protendant].

[Haec duo ultima principia pertinent *ad ordinem metaphysicum et* continent duo praeiudicia iam antea reiecta; cf. n. 167s. 173].

Sic Harnack distinguit miracula evangelica in qujnque classes:

a) Facta naturalia mira, exaggerata per traditionem;

b) relationes parabolarum et sermonum male intellectae, vel proiectio experientiae internae ad extra;

c) relationes ex tendentia inveniendi impletionem vaticiniorum V.T.;

d) sanationes patratae per virtutem lesu spiritualem (suggestionis) extraordinariam;

e) inexplicabilia.

Quae igitur videntur explicari posse per vires psychologicas suggestionis, haec retinentur; cetera ut legendaria (!) reiciuntur[8].

478. *Modernistae* negant historicitatem miraculorum narratorum in evangeliis: evangelistas scripsisse non quae historica, sed quae ad aedificationem essent (D 2014); quartum evangelium miracula exaggerasse (D 2017). Insuper miracula lesu non spectasse ut demonstraret se esse Messiam (D 2028), contra eorum veritatem relativam.

Pro R.Otto lesus habuit vires sanandi magnas (solum enim sanationes inter miracula critice admitti posse autumat); at tales vires habent plurimi

7 *Vie de Jesusl** c.16 *(Miracles):* «... La médicine scientifique, fondée despuis cinq siècles par la Grèce, était, à l'époque de Jésus, à peu près inconnue aux juifs de Palestine. Dans un tel état de connaissances, la présence d'un homme supérieur, traitant le malade avec douceur, et lui donnant par quelques signes sensibles l'assurance de son rétablissement, est souvent un remède décisif [IJ. Qui oserait dire que dans beaucoup de cas, et en dehors des lésions tout à fait caractérisées, le contact d'une personne exquise ne vaut pas les ressources de la pharmacie? Le plaisir de la voir guérit. Elle donne ce qu'elle peut, un sourire, une espérance, et cela n'est pas vain...» *(ibid.* 270s).

8 *Das Wesen des Christcnlums.* Akademische Ausgabe (Leipzig 1902) t6ss; cf. Dieckmann, *De revelatione* n.799.

homines ad instar germinis..., sicut prophetae V.T. habebant vim divinationis 9.

479. Doctrina Ecclesiae. Veritas *historica et philosophica* miraculorum Christi aperte affirmatur in Concilio Vaticano (D 1790), ubi dicitur *ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula edidisse;* atque pro veritate *relativa* eorundem miraculorum nota illud *quare,* i.e. ea de causa miracula edidisse ut haberemus externa revelationis suae argumenta (D 1790). Insuper ex eodem Concilio (D 1813) *miraculis certo cognosci potest origo divina religionis christianae;* sensus vero obvius spectat sine dubio ad miracula facta a Iesu, de quibus maxime egerat in capite respondenti (D 1790).

Praeterea pro veritate relativa horum miraculorum, seu pro hac thesi probanda, cf. etiam D 2145 (iuramentum antimodernisticum), D 1638.

Pro veritate historica cf. quoque D 1707 (Syllabus), D 1624 (Bautain); atque pro veritate philosophica D 121.

480. Valor dogmaticus. Ex verbo Dei scripto et tradito constat Iesum Christum multa miracula physica fecisse in comprobationem sui testimonii (cf. n.495); atque constat idipsum proponi ab Ecclesia, saltem magisterio ordinario, ut aliqua res revelata (cf. et D 1790 1813). Thesis ergo est *de fide divina et catholica.*

481. Probatio. Iesus divinum suum testimonium multis miraculis physicis comprobavit, si constat de eorum veritate historica, philosophica et relativa. Atqui constat.

1) Constat de veritate historica. Ad hoc autem probandum: A) *consideretur in primis conspectus miraculorum Christi,* sive in individuo sive in communi narratorum; dein ad ostendendam strictam historicitatem eorum B) *demonstretur haec omnia pertinere ad substantialia evangeliorum;* atque C) idipsum constare *ex testimonio aliorum fontium historicorum;* et *D) criteria interno ex* ipsis narrationibus; atque E) *ex influxu et opere Iesu.* Quod quidem ad abundantiam fit probationis.

A) Consideretur conspectus miraculorum Iesu. a) ***Miracula in individuo narrata:***

9 *Leben und Wirken Jesu nach hislorisch-krilischer Auffassung* (Gottingen 1902); et *Aufsatze das Numinose betreffend* (Gotha 1923): *Milfolgende Zeichen* 154-158. Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.800.840.

Haec sunt miracula narrata in individuo, spectato ordine quo in evangeliis Mt, Me, Lc et Io successive inveniuntur.

b) Sunt etiam *alia miracula narrata in communi, acervatim* in multitudine: Mt 4,23; 8,16; 9,35; 11,4s; 12,15; 14,1s; 14,35s; 15,30; 19,2; 21,14;
Mc 1,32-34.39; 3,10; 6,54-56; 7,37;
Lc 4,40s; 5,15.17; 6,17-19; 7,21s: 9,11;
Io 2,23; 6,2; 7,31; 12,37.

c) Alii, etiam *adversarii lesu agnoscunt multitudinem miraculorum patratorum:* Io 3,2 *(Nicodemus:* Nemo potest haec signa facere...); Mc 6,14; Lc 9,7 *(Herodes:* Virtutes operantur in illo. sc. quasi esset loannes Baptista...); Io 11,47 *(Pharisaei et Pontifices:* Hic homo multa signa facit); Io 12,10s (Multi propter Lazarum abibant ex iudaeis...); Mt 27,42; Mc 15,31; Lc 23,35 *(Sacerdotes:* Alios salvos fecit...).

d) *lesus ipse provocat ad multa miracula facta:* Mt 11,5; Lc 7,22 (Euntes renuntiate loanni...); Lc 13,32 (Dicite vulpi illi [Herodi]: ecce eicio daemonia et sanitates perficio...)...; cf. n.495.

482. B) Haec omnia pertinent ad substantialia evangeliorum, quorum historicitas iam supra constat (cf. thesim 22 et 24). Ideo vero tanta multitudine miracula congerere oportet, ut neque effugium illud valeat: fuisse in uno alterove miraculo interpolationem posteriorem; demonstrare autem oportet miracula narrata in evangeliis esse in iis aliquid substantiale. Quod probatur

a) *ex magno numero versuum* supra relatorum; quos si tollas, evangelia (Mc, Lc) evadent fragmenta et eorum sensus obscurabitur.

b) *Etiam multa alia toli deberent,* quae intime connectuntur cum narratione miraculorum; praesertim apud Mt et Io quae maiorem unitatem et artem compositionis prae se ferunt.

Sic, v.gr., apud Mt miracula intime connectuntur cum praedicatione supra exposita (c.5-7), ut illam confirmantia. Dicta lesu (Mt 11,4-6 [Lc 7, 22s] et sermo sequens de loanne Baptista; item Mt 11,20-24 [Lc 10,13-15] de exprobatione civitatum) sine miraculis non cohaerenter intelliguntur. Similiter quaestiones de curatione in sabbato (Mt 12,9-14), de vi qua eicit daemonia (Mt 12,23-37) et de signo quod petunt iudaei (Mt 12,38-42)...

Apud Io colloquium cum Nicodemo (c.3) occasione signorum a lesu factorum (v.2); sermo de Eucharistia (c.6) occasione multiplicationis panum et deambulationis supra aquas (V.25S); curatio caeci nati supponitur in tota

narratione c.io (cf. v.21); resurrectio Lazari fuit occasio odii et mortis pro Iesu (11,46); ingressus pariter in Ierusalem (c.i2) cohaeret cum resurrectione Lazari...

483. C) Historicitas horum miraculorum constat ETIAM EX TESTIMONIO ALIORUM FONTIUM HISTORICORUM.

a) *Ex aliis fontibus canonicis:* Sic *S.Petrus* in suis sermonibus in Act 2, 22; 3,12; 10,37s; et in 2 Petr 1.16 n. *S.Paulus,* indirecte quidem, eo quod Iesum agnoscat ut Messiam, et provocet ad propria miracula ut signum apostolatus sui (2 Cor 12,12; Rom 15,18s; cf. Hebr 2,4)[11].

b) *Ex auctoribus posterioribus christianis.* Sic S.Quadratus, scribens circa annum 124, dicebat *nonnullos* ex sanatis et resuscitatis a Iesu *ad sua usque tempora pervenisse* [13]; S.Melito Sardensis (ante a. 194-5) aiebat Dominum *patefecisse nobis suam divinitatem per miracula triennio post baptismum patrata* [14]; S.Irenaeus (C.140-C.202) recordatur quomodo beatus Polycarpus referebat, ex Ioanne et ex reliquis qui Dominum viderant, *quae de Domino ex ipsis audiverat, de miraculis illius etiam IS;* Arnobius (c.305) interrogat num possit designari «ex omnibus illis magis, qui unquam fuere per saecula, *consimile aliquid Christo millesima ex parte qui fecerit»* [16], atque historicitatem horum miraculorum defendit[17]. Similiter alii Patres, et adde eos mox citandos qui inducunt adversarios concedentes facta miracula a Iesu, qui omnes non admisissent miracula nisi de eorum historicitate constaret: sic S.Ephraem [18], S.Gregorius Nyssenus [19], S.Epiphanius [20], S.Augustinus [21]...

c) *Ex ipsis infidelibus et adversariis christianismi.* Sic Flavius Iosephus vocabat Iesum *mirabilium operum effectorem* [22]; sic *posteriores iudaei* [23] et *talmudistae* [24] agnoscebant facta miracula, etsi per magiam illa explicare volebant. Similiter gentiles, ut illos quos inducit S.Iustinus concedentes arte magica Christum miracula edidisse [25]; et nominatim Celsus, inductus ab Origene ut miracula Iesu admittens, sed tamquam illa «quae faciunt qui sunt aegyptiacis artibus eruditi...»[26], vel similia Aesculapio tribuens[27]; pariter Hierocles existimans similia tribui posse Apollonio Tyanensi[28].

484. D) Adest criterium internum pro historicitate miraculorum Iesu: a) *ex cohaerentia* eorum quae narrantur,

11 De authentia Act, supra n.297ss.353ss; de authentia 2 Petr, infra, in tractatu *De sacra Scriptura* n.32 nota t8.
12 De authentia 2 Cor et Rom. cf. quae supra diximus n.370.
13 *Apologia,* apud Eusebium, *Hist, eccles.* 4,3: R 109.
14 *Fragmen. 7:* R 189.
15 *Fragmen.* 2: R 264.
16 *Adversus nationes* 1,43: R 618.
17 *Adversus nationes* 1,54: R 619.
18 *Hymni dispersi* 15,1: R 716.
19 *Oratio calhcchetica* ns: R 1031s.
20 *Adversus haereses* 51.30: R 1094.
21 *Sermones* 126,4.5: R 1506; *De civitate Dei* 22,8.1: R 1784; *In loannem 24.1:* R 1819.
22 *Antiquitates iudaeorum* 18,3,3: Kch 7.
23 Cf. Origenes, *Contra Celsum* 1,28.38: MG 11,713.733; S.Iustinus, *Dialog, cum Tryphone* 17 et 108: MG 6,512.725; Eusebius Caesariensis, *Demonst. evangel.* 3,6: MG 22, 224SS: Tertullianus, *Adversus ludaeos* 9: ML 2,664.
24 Cf. J.Klausner, *Jfcus de Nazareth* 53: cf. supra, n.379.449.474.
25 *Apolog.* 1,30: R 122.
26 *Contra Celsum 1,68:* R 517.
27 *Contra Celsum* 3,24: MG 11,948. Cf. *ibid.,* 3,27: R 524.
28 Cf. Eusebius Caesariensis, *Contra Hieroclem:* MG 22,796-868.

tam de vita illorum hominum quam de institutionibus et de charactere nationali 29; b) narrantur *modo obiectivo et ingenuo,* ita ut res plenam historicitatem redoleant30; c) *nec valor miraculorum exaggeratur,* quia miracula non sunt evincens argumentum virtutis (Mt 7,21-23), nec iis gaudere oportet, sed quod nomina scripta sunt in caelis (Lc 10,20), atque alii futuri maiora miracula facient (Io 14,12).

Ex hoc criterio interno est quoque ingens discrimen inter miracula lesu evangelica et *miracula ex apocryphis*31 et ex ethnicis quae feruntur (cf. Scholion n.48653).

485. E) Influxus etiam et opus Iesu, motus religiosus qui eius mortem secutus est, *sine miraculis non valet intelligi;* scilicet adhaesio quae fuit populi ad eum (non tantum per eloquentiam explicanda) et adhaesio amicorum (apostolorum et discipulorum) inter contradictiones gravissimas et perpessiones tormentorum: haec adhaesio non satis fundata ostenditur sine veritate historica miraculorum Christi, praesertim si attendas ad potentiam et vires et odium inimicorum... M.

486. Scholion. *De falsis miraculis quae feruntur et de miraculis falsarum religionum 33.* Apollonius de Tyana 34 fuit philosophus pytagoricus qui vivit tempore Neronis, annis 3-97 post Christum, ut creditur. Eius vita, optante et petente imperatrice lulia Domna, muliere imperatoris Severi, saeculo III, circa annum 220 conscripta fuit a *Philostrato.* Hic voluit in hac vita imaginem philosophi idealis depingere, ex syncretica collatione multorum; ita ut vita illius iam perantiqui philosophi sive magi, quem nec Tacitus nec Suetonius commemorant, romanensi fabula circumvolvatur: apparet autem ut itinerans et patrans miracula... non tamen determinate, sicut miracula evangelica, sed vago quodam modo; mentio vero de christianismo nulla habetur.

29 Cf. supra, n.337-341.359.

Specieminis gratia examina, si placet, quamlibet ex narrationibus Io (v.gr. *c.g, de curatione caeci nati)* vel miracula quae tam dramatice ct vivide (v.gr. *de eiectionibus daemoniorum)* habentur apud Mc.

31 Sic v.gr. ex apocrypho *Ps.Matthaei c.26-29,* puerilia quae habet de ludis pueri lesu et illa tam mirabilia (1) et minime cohaerentia quae habet. *Los evangelios apôcrifos* (ed. E.Gonzâlez-Blanco, Madrid) 1.1,386-389.

32 Uberius de his Dieckmann, *De revelatione* n.8n. Cf. S.Augustinus, *De civitate Dei 22,5:* ML 41,757; et infra, n.S7o.

33 In genere de his agunt, v.gr., Dieckmann, De *revelatione* n.8içs; Fonck, *Los milagros dei Senor en el Evangelio* p.47-52; J.de Bonniot, S.I., *Les miracles et ses contrefaçons4* (Paris 1888, 5.“ ed. 1895); Marîn Negueruela, *Lecciones de Apologetica* n.184; adde etiam auctores quos statim citabimus, pro casibus particularibus.

34 Cf. Grandmaison, *Jésus Christ* 2,1335.219-222 (note A,); et artic. *Apollonius v. Tyana* in LTK 1,549s.

Haec autem *Vita* caret historicitate; quod constat ex elementis legendariis quae continet, et eo quod conscripta sit quoque adeo longe a vita herois, atque etiam ex eo quod abundet erroribus tam historicis quam geographicis. Haec *Vita,* quae probabiliter scripta fuit animo innocuo contra christianismum, adhibita fuit primum a *Hierocle* ethnico (f post a.308), ut miracula Christianorum impeteret. Contra quem *Eusebius* scripsit35.

487. Idem defectus historicitatis affirmari debet quoad narrationes sanationum quae tribuuntur *Apollini, Isidi, Aesculapio* ad eorum invocationem 36. Praesertim Aesculapio multae sanationes tribuuntur, et miracula feruntur *Epidauri,* in urbe graeca, facta. Hic aderat templum in loco salutari et amoeno; atque post ieiunia, preces et vigilias, *incubationes* fiebant, in quibus per somnia deus revelabat quid esset faciendum aut curabat... In aliquibus tabellis quae asservantur, sacerdotes, non testes oculati, narrant stylo uniformi aliquas sanationes quae olim dicuntur accidisse: aliae ridiculae, aliae obscoenae, aliae innocuae... Quare historicitas earum deest omnino, nec comparari possunt cum narrationibus evangelicis; quaedam vero sanationes bene suggestioni loci, somnii... tribui possent.

488. Quaedam miracula *aliquibus regibus (Adriano, Vespasiano}* tribuuntur 37. Praesertim Vespasiano, ut narrant Tacitus et Suetonius. De Vespasiano duo feruntur «miracula», in quibus iudicio medicorum non erat impossibilitas sanandi, atque in comitibus imperatoris sensus adulationis describitur, in imperatore autem mira cunctatio...; quae omnia toto caelo differunt a narrationibus evangelicis:

«Per eos menses quibus, Vespasianus Alexandriae statos, aestivis flatibus dies et certa maris [sc. a 15-27 maii usque ad 14 Septembris, cum certa, non incerta, est navigatio] opperiebatur, multa miracula evenere quis [quibus] caeli favor et quaedam in Vespasianum inclinatio Numinum ostenderetur. Ex plebe alexandrina quidam, oculorum tabe notus, genua eius advolvitur, remedium caecitatis exposcens gemitu; monitu Serapidis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit: precabaturque Principem, ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manum aeger, eodem deo auctore, ut pede ac vestigio Caesaris calcaretur, orabat. Vespasianus primo irridere, aspernari: atque illis instantibus, modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum et vocibus adulantium in spem induci: postremo existimari a medicis iubet, an talis caecitas ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici varie disserere: Huic non exesam vim luminis et redditurum, si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur posse integrari; id fortasse cordi deis et divino ministerio Principem electum [id posse]; denique patrati remedii gloriam penes Caesarem, irriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespa-

35 Animadversiones in Philostrati de Apollonio Tyanensi commentarios, ob institutam cum illo ab Hierocle Christi comparationem, adornatae: MG 22,706-868.

36 Cf. H.Leclerq, Incubation: DACL 7.511-517; Herzog. *Die Wunderheilungen* van *Epidauros* (Leipzig 1931).

3' Cf. infra. Tacitum et Suetonium; insuper Dieckmann. De revelatione n.819; Grandmaison, *Jésus Christ* 2,474-479 (note Ij).

sianus, cuncta fortunae suae patere ratus, nec quicquam ultra incredibile, laeto ipse vultu, erecta quae astabat multitudine, iussa exsequitur. Statim conversa ad usum manus, ac caeco reluxit dies. Utrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium» 38. Haec Tacitus.

Suetonius vero eadem facta hoc modo non dissimili narrat: «Auctoritas et quasi maiestas quaedam, ut scilicet inopinato et adhuc novo Principi, deerat: haec quoque accessit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudini, demonstratam a Serapide per quietem: restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cum vix fides esset rem ullo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet, extremo hortantibus amicis palam pro concione [sc. ante multitudinem] utrumque tentavit, nec eventus defuit. Per idem tempus Tegeae in Arcadia, instinctu vaticinantium, effosa sunt sacrato loco vasa operis antiqui, atque in iis assimilis Vespasiano imago» 39.

Nimis clara apparet in his narrationibus tendentia exornandi heroem, sive ab auctoribus historiographis sive a comitibus adulantibus; nimis obscura in Vespasiano et ipsi inconscia potentia mira patrandi; nimis incerta infirmitas qua suppositi aegroti afficiebantur, nec insanabilis iudicio medicorum... Quare haec vel ad fabulam vel ad superstitionem... pertinere censenda sunt.

489. Multo minoris momenti et nullam fidem historicam merentia sunt quae de Adriano refert Spartianus: ipsum Adrianum restituisse visum mulieri caecae; item quemdam Pannonium, natum caecum, contigisse Adrianum febricitantem, quo peracto et febris reliquit Adrianum et caecus vidit... «quamvis Marius Maximus—ut addit Spartianus—haec per simulationem facta commemoret» 40.

Ad fabulas vero omnino amandanda sunt quae interdum leguntur, v.gr. *de* PiRRO, *Epirotarum rege,* qui simul atque spleneticos pede presserat, morbus decedebat41; item de regibus francis 42.

Defectu quoque historicitatis reicienda sunt quae de Budda *et de Buddhismo* 43, atque de Mahomet 44 feruntur miracula. Haec ne minimum quidem cum evangelicis comparari possunt, sed maxime phantasia et orientali imaginatione exornari conspiciuntur.

490. Quoad aliqua quae interdum affirmantur de *ascetis* in India *(fakires)* vel nominatim de Sadhu Sundar Singh 45, ne facile credas quae dicun-

38. C.Cornelius Tacitus, *Hist.* 1.4,81.

39 C.SuETONius Tranquillus, *Vespasianus* 7.

40 Hist. *Augusti (Adriamis* 23); cf. Grandmaison, *Jésus Christ* 2,477; Taciti, *Opera in usum Delphini* v.6 (Londini 1821) 3154.

41 Cf. Taciti *Opera in usum Delphini* v.6 (Londini 1-821) 3154.

42 «Franci reges, saliva tantum pollice in decussem allita, strumis medentur» *(Lupanus)* cf. *ibid.,* 3155: Grandmaison, Jésus *Christ* 2,478s.

43 Cf. Pesch, *Praelectiones dogmaticae* i4 p.9050.132; Grandmaison. *Jésus Christ* 2,447s (note B;).

44 Cf. Fonck, Los *milagros de! Seüor* 51; Grandmaison, *Jésus Christ* 2.448s.

45 Cf. L.de Grandmaison, Le *Sadhu Sundar Singh et le problème de la sainteté hors de VEglise catholique:* RcchScRel 12 (1922) 1-29 lAgitur de quodam asceta Hindu, nato a.1889, et in christianismum converso, qui miracula patrasse ferebatur. Huius miracula, si quae

tur; sed in his maxime probatio historica exigenda est, sicut illam fecimus pro miraculis evangelicis. Idem, si quae essent miracula in sectis haereticis aut schismaticis. Neque enim repugnarent; nam, ut ait S.Thomas, «a malis, qui falsam doctrinam enuntiant, nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem suae doctrinae; quamvis quandoque fieri possint ad commendationem nominis Christi, quod invocant, et in virtute sacramentorum quae exhibent» [46].

491. 2) Constat de veritate philosophica miraculorum Christi, si constat re vera fuisse miracula seu adimpleri in illis definitionem philosophicam miraculi (opus sensibile—superans vires naturae—divinitus factum). Cf. n.160-163.170.

Miracula vero Iesu physica distribuere possumus secundum conspectum sequentem:

1) *Miracula* in *anorganica* (v.gr. sedatio tempestatis) *vel* in *irrationalia* (v.gr. captura piscium).

2) *Resurrectiones mortuorum.*

3) *Sanationes* ....
- *morborum organicorum (v.gr.* caecitas a nativitate).
- *morborum functionalium*
  - *eiciendo spiritus malos.*
  - *non eiciendo spiritus malos.*

492. Iam vero in his omnibus constat: A) *fuisse opera sensibilia* et omnibus visibilia et apta ad comprobationem;

B) *superari in his cursum naturae,* sive ratione substantiae rei quae fiebat, sive ratione subiecti in quo fiebat, sive ratione modi quo fiebat.

Difficultas moveri potest *quoad morbos functionales,* utrum per meram suggestionem naturalem explicari valeant, an in eorum curatione superatae sint vires naturae. Dicendum est has sanationes factas esse a Iesu praeter ordinem naturae. Nam therapeutica naturalis per suggestionem valet tantum in levioribus morbis, lento modo procedit et exitu incerto [47]; sanationes

fuissent, tenderent ad homines a superstitione retrahendos; sed existimata miracula erant vel falsa vel magnam partem legendaria]. Cf. etiam O.Pfister, *Die Legende Sundar Singhs* (Leipzig 1926): L.de Grandmaison, *Bulletin de Littérature religieuse:* RechScRel 26 (1926) 83-85; A. Waeth, S.I.. *Dos Leben Sundar Singhs in historisch-kritischer Beleuchtung: Stimm* 111 (1926) 118-136; pro bibliographia Tromp, *De revelatione*6 473s.

46 2.2 q.178 a.2 ad 3.

47 Psychiatria hodierna habet delectum in aegrotis, non enim omnes suscipit curandos; in morbis etiam, cum tantum nerveos, non organicos, attendat; et tempus adhibet longum.—Curationes vero per coueùmum, a *E.Coué* (1857-1926), intendunt vires imaginationis et autosuggestionem adhibere ad processus vitales sanationis stimulandos; quanta autem limitatione haec fiant per se patet. De *coucismo,* cf. v.gr. I.Froebes, S.I., *Tratado de psicologia empirica y experimental.* Versio hispana3, t.2 (Madrid 1944) 694-696.

vero lesu fiebant *subito, magna securitate, exitu semper certissimo, nec tantum limitibus restrictis.*—Praeterea in eius modo agendi apparet has curationes fieri eadem virtute qua ipse alias sanationes et alia prodigia maiora faciebat; i.e. omnia erant pariter praeter communem cursum naturae.

Nec valet dicere haec miracula lesu, tam manifeste facta, per vires occultas naturales vel per scientiam occultam explicari posse, nisi iam in hac mira scientia aut vi miraculum intellectuale statuere malis.—Insuper non explicaretur quomodo haec potestas apostolis communicari valuit (Mt 10,8; Mc 6,13; Lc 10,17-19; cf. Le 9,49s), et post patrata ab eis multa miracula quomodo haec tam mira vis maneret secreta; et quomodo *unice in Palaestina, tempore lesu,* oblata fuerit et cognita.

493. C) *Erant divinitus facta* vel constat etiam de veritate theologica miraculorum lesu.

a) Et primo quidem facta erant divinitus *efficienter.*

Ita sine dubio accidebat in iis mirabilibus (miracula *maiora, absoluta)* quae *a solo Deo* patrari possunt physice, aut moraliter, positive volendo ut creatura illa miracula exsequatur. Talia sunt, quoad substantiam rei quae fiebat, *resurrectiones mortuorum;* et, quoad modum quo fiebant, in magno complexu ita operari ut solo nutu voluntatis peragerentur, quin requireretur subiectum praesuppositum, adeo ut ostenderetur in leges naturae *potestas illimitata.* lesus talia fecit: sola voluntate, sine praeparatione subiecti materialis aut applicatione virium naturalium; praesens et loco valde distans (v.gr. sanatio servi centurionis); in omni genere entium, anorganicorum (tempestas sedata) vel viventium (ficus arida); in entibus irrationalibus vel in hominibus vel in spiritibus; in infirmitatibus generis cuiuscumque; in omni specie legum, sive naturalium stricte dictarum, i.e. physicarum, sive biologicarum...; atque haec omnia securitate ac certitudine eventus summa, atque stabilitate effectuum (cf. v.gr. Mt 8,6s; Mc 4,39; Io 5,8s; 11,43s).

Quaedam vero mirabilia, quae absolute concipi possent ut patrata a causa supermundana non praecise divina, ut v.gr. captura piscium, eiectio daemonum..., in casibus evangelicis erant etiam divinitus facta, sicut miracula praecedentia. Nam lesus illa praebebat ut vera miracula (v.gr. eiectiones daemonum; Mt 12,28: «in spiritu Dei eicio daemones...») et tribui debent eidem virtuti miraculosae qua lesus alia miracula operabatur (cf. Mt 11,5 ubi expresse cum resurrectionibus alia prodigia minora conjunguntur).

Idipsum, fuisse divinitus patrata prodigia Christi, constat etiam *ex consideratione personae thaumaturgi et ex eius modo operandi.*

Nam thaumaturgus erat *vir summe sanctus et sapiens* (cf. thesim 31); erat etiam vir *a Deo publice approbatus* in baptismo (Mt 3,16s), in transfiguratione (Mt 17,1-5), in voce de caelo (Io 12,27s), in terraemotu post crucifixionem (Mt 27,51-54).

Modus eius agendi erat omnino sanctus, honestus, gravis, non levis aut curiosus aut ridiculus; reverentiam redolebat erga Deum et homines; Deus invocabatur in testimonium, nihil in eo erat superstitionis aut singularitatis.

494. *b)* Erant etiam divinitus facta *finaliter.* Quod ostendunt finis intentus a lesu et effectus qui secuti sunt.

Quoad finem intentum a lesu, eius opera tendebant ad praedicandum et instaurandum regnum Dei in terris, et eiciendum foras principem huius mundi (Io 12,31). Inimicitiae cum spiritu malo iam ab initio vitae suae publicae manifestantur, in tentationibus reiectis (Lc 4,1-13); sequuntur pugnae cum eis: in spiritu Dei illos eicit; et si Satanas satanam eicit, adversus se divisus est, quomodo ergo stabit regnum eius (cf. Mt 12,24-30; Mc 1,25.32; 3,11; 5,1-16; 7,25-30; 9,16-29; Lc 11,14-26; cf. Mt 9,32-34). lesus communicavit apostolis hanc potestatem eiciendi daemones (Mt 10,8; Mc 3,15; 6,7); et illi de facto illam exercuerunt (Mc 6,13; Lc 10,17-19); sicut etiam illam exercuerunt et exercebunt asseclae lesu (Mc 16,17). Ergo ex fine miraculorum Christi *excluditur interventus spiritus supermundani mali.* Quod si haec expulsio spirituum fiat ab homine, debet tribui potestati divinae homini concessae, siquidem creatura inferior nequit naturaliter habere potestatem in creaturam superiorem.

Effectus quoque qui secuti sunt ex miraculis lesu, nimirum moraliter boni et salutares, probant etiam illa miracula fuisse divinitus patrata.

Ergo in miraculis lesu adimplentur omnia elementa definitionis miraculi, seu constat de eorum veritate philosophica.

495· 3) Constat de veritate relativa eorundem miraculorum, si constat illa miracula ordinari a Deo ad testimonium lesu sigillandum et comprobandum. Atqui constat.

Nam A) *lesus explicite invocabat* illa miracula in signum suae missionis. Sic *in genere* de omnibus suis miraculis, loquitur *de operibus quae facit, quae testimonium perhibent de se* (Io 5,36;

10,25.37.38; 14,10-12; 15,24; Mt 11,20s).—*In specie* de aliquibus miraculis: in curatione paralytici (Mt 9,6; Mc 2,10; Lc 5,24); in sanatione leprosi, cui iubet ut ostendat se sacerdoti, sic enim ei constabit de facto miraculo (Mt 8,4; Mc 1,44; Lc 5,14); item interrogantibus discipulis Baptistae an esset Messias (Mt 11,2-6; Lc 7,19-22); in curatione caeci nati ut manifestarentur opera Dei in illo (Io 9,3); in resuscitatione Lazari (Io 11,42).

Vel saltem aequivalenter et implicite invocabat Iesus miracula in favorem sui testimonii. Etenim affirmabat se esse Messiam; ex Vetere autem Testamento bene cognoscebatur operatio miraculosa tamquam signum messianicum (cf. Is 35,4-6 cum Mt 11,4-6).

B) Insuper in adiunctis quibus fiebant miracula *non erat ratio suspicandi ea a Deo ad alios occultos fines ordinari vel esse mere* permissos; repugnaret enim sapientiae et bonitati divinae hominem ornari *tali* potestate miraculosa, qua uteretur invocando Deum in testimonium falsitatis: error enim in hoc casu aliter vitari non posset (cf. 0.170,3,0; 173,3).

496. Scholion. De fine miraculorum Iesu [48]. Non obstat *finis principalis* miraculorum Iesu, sc. ipsa comprobatio sui testimonii et manifestatio suae messianitatis, ad alios fines etiam obtinendos et obtentos. Huiusmodi fines sunt: *a)* manifestatio bonitatis et divitiarum Cordis Iesu (cf. Act 10,38; Tit 3,4; 2,11), qui pertransiit benefaciendo, benignus et humanus; *b)* manifestatio dominii Christi absoluti in creaturas, ut Redemptoris, cui omnia sunt subicienda (cf. Rom 8,20-22; I Cor 15,24s); *c)* ostendere tamquam symbolo alia mysteria Christiana, ut v.gr. Eucharistiam per multiplicationem panum, caecitatem spiritualem quam aliquibus sanat Christus, aliis vero non, per curationem caeci nati (cf. Io 9,39) [49], quamquam interdum aliqui Patres nimis premere videntur aliqua symbola.

Sic in miraculis Christi, *in quantum sunt signa,* plura sunt momenta consideranda: sunt enim signa revelationis divinae

48 Cf. Fonck, Los *milagros del Senor* 0.50-59.

40 Sic S.Augustinus haec ait: 'Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo: habent enim si intelligantur linguam suam. Nam quia Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi, verbum nobis est. Hoc ergo miraculum [multiplicatio panum: Io 6], sicut audivimus quam magnum sit, quaeramus etiam quam profundum sit: non tantum eius superficie delectemur, sed etiam altitudinem perscrutemur. Habet enim aliquid intus, hoc quod miramur foris...» *(Tract. 24 in Io* n.2: ML 35.1593)· Atque idem S.Augustinus: «... Dominus enim noster Iesus Christus ea quae faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi. Neque enim tantum miracula propter miracula faciebat: sed ut illa quae faciebat, mira essent videntibus, vera essent intelligcntibus. Quemadmodum qui videt litteras in codice optime scripto, et non novit legere, laudat quidem antiquarii manum admirans apicum pulchritudinem; sed quid sibi velint, quid indicent illi apices nescit; et est oculis laudator, mente non cognitor: alius autem et laudat artificium et capit intellectum... Ita qui viderunt Christi miracula et non intellexerunt quid sibi vellent, et quid intelligcntibus quodam modo innuerent, mirati sunt tantum quia facta sunt: alii vero et facta mirati, et intellecta assecuti. Tales nos in schola Christi esse debemus...» *(Sermo* 98,3: ML 38,592; cf. et *Sermo* 88,1.3: ML 38,539s)· Item cf. Lactantius: »Quaecumque enim passus est [Christus], non fuerunt inania, sed habuerunt figuram et significantiam magnam, sicut etiam divina illa opera quae fecit: quorum vis et potentia valebat quidem in praesens, sed declarabat aliquid in futurum» *(Divin, fnstit.* 1.4,26: CSEL 19,377-38°)· Similiter Eusebius Caesabiensis, *Demonstr. evangel. 9:* MG 22,705 A.

et pro nobis critérium apologeticum; sunt signum bonitatis Cordis Iesu; sunt signum Redemptionis Christi; possunt etiam esse signum aliorum mysteriorum fidei.

497. Obiectiones[50]. Contra veritatem historicam, 1. Erat tempore Iesu nimia credulitas, et viris illustribus passim adscribebantur miracula.

Resp. Hoc in universum dici potest, quantum ad facta mira illius temporis, quae referuntur: *Quaedam* facta videntur *praeternaturalia,* licet non divinitus patrata; sed potius *praestigia diabolica,* et ideo Iesus monuit ut a falsis prophetis caverent (Mt 24,24). Alia facta, praesertim sanationes, merito saepe *suggestioni* tribui possunt.—Alia denique ex modo quo narrantur, vel ex dubia aut suspecta origine, *excludunt veritatem historicam,* vel iudicium certum quousque contineant nucleum historicum. At in narrationibus evangelicis res prorsus diverso modo se habet, et disparitas est ingens cum miraculis sic existimatis antiquitatis (Apollonius de Tyana, Vespasianus, Asclepius, Budda, Mohamet...). Cf. Scholion 11.48635.

2. De aliquibus miraculis narratis in evangeliis proponuntur aliquae difficultates contra eorum veritatem historicam, propter *discrepantiam ex modo narrandi* in diversis evangelistis.

Sic in *resuscitatione fdiae lairi:* Secundum Mt 9,18 iam erat defuncta, cum archisynagogus petit vitam filiae suae; secundum vero Mc 5,23 erat in extremis, et mox in via ad domum (v.35) nuntiatur patri mors filiae; idem l.c 8,42.49.

Resp. Discrepantiae huiusmodi, re vera *accidentales,* non obstant ad veritatem substantialem factorum, quae sufficeret pro thesi. Sed tales discrepantiae egregie confirmant fidem historicam evangeliorum et evincunt non adfuisse inter evangelistas praestabilitam harmoniam ad decipiendum; aliter enim fecissent. Sed et tales discrepantiae non sunt nisi apparentes. In praesenti casu provenit ex diverso modo narrandi; Mc *enim narrat extense, Mt vero vult substantiam facti extollere, referens per quondam anticipationem* verba quae postea nuntii archisynagogo in via retulerunt (Mc 5,35).

3. Secundum Mt 20,29-34 duo caeci sanantur egredientibus Domino et discipulis a Iericho; secundum Mc 10,46-52 proficiscente eo de Iericho unus caecus, Bartimaeus, sanatur; secundum Lc 18,35-43 unus etiam caecus sanatur, sed cum appropinquaret *Iericho.*

Resp. Secundum Mt et Mc non *est contradictio,* quia Mc non negat quod dicit Mt, sed unum tantum caecum commemorat et nominat, fortasse quia eum specialiter noverat. Quantum ad narrationem Lc, res non caret solutione probabili: vel quod caecus petivit curationem ad ingressum in urbem et obtinuit ad egressum; vel quod caecus de quo Lc sit diversus a caecis de quibus Mt et Mc; vel (difficilius) quod verbum appropinquare, *ἐγγίζειν,* referatur sensu indeterminato: prope Iericho.

4. Alia difficultas proponitur ex tendentia, quam existimant detegere in narratione ioannea suscitationis Lazari (Io 11,1-57). Esset enim quasi poema didacticum: haec suscitatio—de qua synoptica silent—esset quasi gradus supremus post resuscitationem filiae lairi (modo defunctae), et invenis viduae Nairn (qui iam efferebatur in tumulum): Lazarus (qui quatuor dies manserat in sepulchro); et narratio haberet indolem symbolicam, ut ostenderetur Iesum esse vitam. Et dicunt esse praeterea difficultates psycho-

50 Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.816-818, pro difficultatibus contra veritatem historicam.

logicas in narratione ioannea, videlicet lesum orare demonstrative et non curasse dolorem sororum.

Resp. Ad infirmandam historicitatem narrationis ioanneae deberet probari synoptica *debuisse* afferre hanc suscitationem Lazari; id quod non probabitur: fortasse illam non afferunt quia iam erat in traditione orali primitiva et res erat magis nota.—Gratis fingitur illa gradatio in resuscitationibus, praesertim cum loannes non nisi unam narret Lazari.—Et licet habet symbolismum, sed est etiam factum omnino historicum, et immerito supponeretur contrarium. Difficultates enim quae ultimo proponuntur prorsus sunt futiles et gratuitae.

498. Contra veritatem philosophicam. 5. Miracula quae dicuntur patrata a Christo *nequeunt hodie post tot saecula scientifice examinari* ut cognoscatur num re vera superent communem cursum naturae.

Nego prorsus. Eventus enim evangelici sunt maximam partem omnino simplices et faciles relatu: sanatio subitanea leprae, suscitatio subitanea mortui...; ita ut quoad substantiam certo ad nos usque pervenerint, et ingentes progressus scientiarum naturalium ne minimam quidem partem miraculorum Christi explicare valuerint.

6. Multa, v.gr. *sanationes daemoniacorum, explicari hodie possunt per sanationem morborum nervosorum vel psychicorum* (epilepsia, histeria...), ita ut lesus vel participaverit vulgarem opinionem, vel sese accommodaverit ideis vulgi, qui haec tribuebat possessioni diabolicae.

Resp. Etsi descriptio mere historica harum possessionum, prout nunc exstat, fortasse non sat completa et adaequata esset ut iudicium certum talis verae possessionis per diabolum affirmari posset; at extra dubium est agi de veris possessionibus et de veris sanationibus praeternaturalibus in iis quae narrant evangelistae patrata a lesu. Id sane *constat ex verbis lesu, cuius legatio et divinitas iam ex aliis miraculis probantur;* et indignum esset supponere in eo, pleno sapientiae et veritatis, turpes ideas vulgi sua agendi ratione confirmasse et propagasse. *Atque ex ipsa historia evangelica constat etiam realitas possessionum:* cum facta relata postulent causam intelligentem, Deo contrariam, et supermundanam in suis viribus (Mc 1,24.26; 5,7.l2ss); et liberatio daemonis interdum acta est etiam in *distans* (Mc 7,24-30 de filia Chananaeae), et *sanationes erant completae et subitaneae* (cf. Lc 4,35).—E contra accidit in sanationibus similium morborum psychicorum: tales enim aegroti non produnt illam scientiam quam daemoniaci ostendebant; nec in eorum curatione sunt illa phaenomena (discerpi: Mc 1,26; 9,26; in medium proici: Lc 4,35; mitti in porcos: Mc 5,i2ss) quae in narratione evangelica observantur; nec per suggestionem unam, subitaneam, sanantur complete, sêd iteranda est exitu problematico 51.

lesus igitur, liberando a daemonibus, sese Dominum etiam entium superiorum extramundanorum manifestavit; simul et liberatorem ab illa lue possessionum per diabolum, quae, sicut hodie non raro in regionibus paganis animadverti etiam potest, ad eius adventum grassabatur.

7. Aliae sanationes morborum confirmant lesum egisse per suggestionem vel per vim psychotherapeuticam. Sic lesus adhibuit *imperium* in sanando (cf. Lc. 4,35), et certas *manipulationes (cf.* Io 9,6), et volebat *fidem seu fiduciam* tn *se.*

5 Fuse de daemoniacis eorumque curatione Iohannes Smit, *De daemoniacis in historia evangelica.* Dissertatio exegetico-apologetica (Romae IQ13); F.M.Chaterinet, *Les démoniaques dans l'Evangile,* in *Satan:* EtCarm (1948) 315-327: exponit facta ct problemata quae daemoniaci suscitant, atque solutiones ad haec; in universum per totum volumen de re agitur.

Resp. Hoc modo nequeunt explicari miracula Iesu. Etenim primum psychotherapia naturalis *restringitur* ad miracula sanantia, non vero ad miracula in *natura inanimata,* vel *ad resuscitationes mortuorum,* vel etiam *ad sanationes absentium*.—Dein psychotherapia nequit attingere directe et subitaneo sanationem *morborum organicorum;* operatur enim per influxum nervosum ope phantasiae et suggestionis.—In morbis demum functionalibus, id est, in iis morbis in quibus sano integroque organo datur impedimentum pro eius functione, quod est removendum ope influxus psychici, tunc applicatur sane suggestio vel psychotherapia: at sanatio plerumque *incerta et instabilis* est; requirit etiam saepe *diuturnam* applicationem suggestionis; et *plena non obtinetur,* nisi raro et in casibus levioribus.—Iesus autem non tantum patravit miracula sanantia, sed etiam in natura inanimata; nec tantum curavit morbos functionales, sed etiam organicos; nec modus sanandi reduci potest ad meram psychotherapiam: operabatur enim solo imperio voluntatis, in omni genere infirmitatum, exitu semper certo et efficacissimo.

Quodsi Iesus *fidem* exegisse dicitur, *a)* id de omnibus miraculis dici nequit (v.gr. de illis in natura inanimata, in sanatione Malchi et absentium); *b)* interdum vero fidem postulat non *aegroti, sed aliorum* (v.gr. Mt 15,28: in matre Chananaea; Mc 5,36: in patre puellae suscitandae; Mc 9,22: in patre possessi; Lc 7,9: in centurione); *c)* aliquando illam fidem postulat *post sanationem* (ut in caeco nato: Io 9,35); *d)* fides autem interdum postulata non est sola fiducia, sed persuasio, legitima et aliunde debita, eum posse talia patrare ut Legatum Dei; non enim illam postulat ut psychice praedisponat aegrotum ad curationem, sed ob finem religiosum quem intendit. Ideo Nazareth non potuit patrare multa miracula: Me 6,5s.

8. Miracula Iesu *per vires occultas naturales explicari possunt.* Quaedam, v.gr. ambulare super aquas, possunt assimilari levitationibus quae accidere dicuntur in occultisme; alia per vires mysteriosas animae (telepathia, «clara visio»...) explicari posse dicenda sunt.

Resp. Miracula Iesu plurima sunt evidentes exceptiones a *certis* legibus naturae, ut illa quae secundum substantiam vel secundum modum miracula Iesus patrabat.—Discrimina cum iis quae narrantur ex sessionibus spiritisticis sunt ingentia: Iesus nullatenus fuit medium quod in «trance» agit; nec eius miracula *ad paucas* tantum species revocantur (telecinesis, teleplastia, clamores, percussiones...; cf. n.182, nota 15); *nec fraus* unquam ulla aut error in eo detecta sunt, sicut in pluribus «médiums», quae apparuerunt aliquid fingentes et agentes, et fraudis convictae sunt; neque *modus agendi* Iesu redolebat frivolitatem sive fugam a luce, aut inconvenientiam quae sessionibus spiritisticis sunt propria: ubi omnia (sive per vires naturales et per fraudes explices, sive interdum per interventus supramundanos) certe Deo tribui nequeunt, tam propter modum quo fiunt et propter personam a qua fiunt, quam *propter finem* ad quem fiunt; videlicet tales «animae» infestas religioni sese manifestant.

Suppositio vero virium occultarum naturalium non valet, cum ex modo agendi Iesu sit in comperto agi de exceptionibus in certis legibus physicis, quae unice erant applicandae.—Quod si Iesus has occultas vires novisset et ad libitum adhibuisset, hoc fuisset pro eo tempore miraculum intellectuale; sin autem illas non novisset, et iuxta illas tamen operatus esset, esset homo plane incomprehensibilis: quod ex eius modo agendi excluditur omnino.

499. Contra veritatem relativam. 9. Iesus non considerat miracula ut *signa divina.* Nam dicit etiam pseudoprophetas facturos talia (Mt 24,24; Mc 13,22), et non omnes qui prophetaverint, daemonia eiecerint et tales virtutes fecerint, iri salvatum (Mt 7,22s).

Resp. Sed ipse Iesus, dum iubet cavere a pseudoprophetis et dat modum illos dignoscendi, implicite saltem dicit vera miracula esse signa divina (Mt 24,25s); Deus autem permittere potest prodigia praetematuralia, quae non necessario agnosci debent ut divina.—Ex alia parte et ipsum patrare vera miracula «in nomine Christi», licet sit gratia gratis data, non necessario coniungitur cum dono perseverantiae 52.

10. Iesus noluit *agnosci Messias ex miraculis* (Mc 1.44; 5,43; 7,36; 8,26; Mt 9,30; 12,16; Io 6,15). Ergo illa non adducebat in signum suae legationis.

Resp. Iam egimus (n.399,1) cur Iesus interdum declinaret *agnitionem popularem et clamorosam* suae dignitatis regiae messianicae, videlicet ne approbare videretur ideas erroneas populi circa Messiam; et ut *gradatim* procederet, donec sensus circumscriberetur quo volebat Messias agnosci; et ad vitandas populi commotiones...

11. At Iesus *reprehendit fidem praestitam propter miracula* (Io 4,48: ad regulum; Io 20,29: ad Thomam apostolum); et *reprehendit pharisaeos qui exspectabant miracula* (Mt 12,39).

Resp. Id *interdum,* scilicet si iam propter alia miracula credere debebant (cf. Io 4,45); et reprehendit pharisaeos *ob malam dispositionem,* quasi ipsi deberent ad suum arbitrium signum eligere.

12. Iesus *exigit fidem ante miracula* (Mc 9,22: «Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti»). Ergo miraculum nequit esse critérium pro hac fide amplectenda.

Dist. antec. Iesus exigit fidem in *suam legationem pro* priori ad miraculum, *nego antec.;* interdum homini dubitanti proponit valorem fidei et fiduciae, conc. antec.

13. Ex Io 12.37, miraculis non obstantibus, iudaei non credebant in lesum. Ergo miracula non erant apta ad probandum testimonium lesu.

Dist. *cons.* Non erant apta per se et ex intentione lesu, nego *cons.;* per accidens et ob malam dispositionem iudacorum, *subdist. cons. :* non fuerunt apta pro ullis iudaeis, nego *cons,* (multi enim ex principibus crediderunt in eum: Io 12,42); non fuerunt apta pro multis iudaeis cohibentibus de facto veritatem Dei in iniustitia sua (cf. Rom 1,18), *conc. cons.*

14. Atqui Iesus provocat non tam ad miracula intellectuali via moventia, quam ad actionem Dei in anima et ad internam experientiam (Io 6,44; 7,17; 10,26; cf. 8,42s). Ergo miracula non probant, per se sola, eius testimonium.

Dist. antec. Iesus provocat ad plenam sublectionem voluntati divinae, *ut ad dispositionem moralem animi* pro fide amplectenda, et provocat ad actionem internam gratiae pro hac eadem dispositione et *pro fide actu amplectenda, conc. antec.;* provocat ad haec, quasi argumenta ex miraculis via intellectuali non habeant de se vim persuadendi intellectum, *nego antec.*

St Cf. S.TI!.. 2.2 9.178 1 2.

Thesis 33. Iesus divinum suum testimonium multis prophetiis impletis comprobavit.

J.Muller, *De vera religione* th..μ 1x452-499: Grandmaison. Jesus *Christ 2* I.5 c.2 *(Jésus Prophète);* Wilmers, *De religione revelata* prop.82: F.Schmid. *Christus als Prophet nach den Evatgelien dargestellt* (Brixcn 1892); Ottiger, *Theologia fundamentalis* 1,749-757: Dorsch, *Thcolcg. fundam.* 1,718-731; Tromp, *De revelatione6* I.2 prop.7: Pinard de la Boullaye, *Conférences de Notre-Dame* (1931) V-VI: Hettinger, *Lehrbuch der Apologetik* 326-329.

500. Sicut miracula constituunt primarium revelationis critérium, ita et prophetiae; quae quidem species miraculorum psychicorum sunt. Ideo, post miracula physica Iesu, de prophetiis ab ipso editis eventuque comprobatis agendum esse videtur; seorsim vero a miraculis, quia prophetiae de se vim habent demonstrandi testimonium Iesu: sic melius apparebit quot sunt species argumentorum apologeticorum.

Iesus autem, dum esset in mundo, «miracula edit, et quaedam praedicit longis postea temporibus eventura, ac per ea quae tunc fiebant, iis quae diu postea futura erant auditoribus praesentibus fidem faciens; futuris quoque ex eventu praedictionum credibilia reddens miracula illo tempore edita: atque ex hac duplici demonstratione fidem faciens iis quae ad regnum pertinebant» '.

501. Adversarii. *Rationalistae rigidiores* habent prophetias Iesu ut falsificationes vel interpolationes post eventum. Sic Strauss, Gottlob Paulus, W.Wrede, R.Bultmann aliique illas maxime considerantes ut creationes communitatis christianae posterioris, quo facilius gloriam Iesu extollerent 2.

Rationalistae moderatiores, hodie plerique, aliqualem historicitatem non denegant vaticiniis Iesu; sed illam reducunt ad praesentimenta aut praevisiones naturales, ad divinationes vagas aut fortuitas aut geniales... 3.

Modernistae cogitant praesertim existimatas prophetias Christi ortas esse ex idea paulina de morte piaculari Christi, ideo et in evangeliis dici debuit Iesum talia praevidisse... (D 2038). Modernistae quoque tenent Iesum errasse quantum ad adventum suum iamiam adventantem. (Cf. thesim in tractatu *de Ecclesia.)*

' S.Chrysostomus, Quod *Christus sit Deus* i1: MG 48,829.

2 Strauss, *Leben Jcsu* 2,341371 (cf. Hettinger. 328); Gottlob Paulus, *Exeg. Handbuch* 2.417 (cf. Wilmers. 352); W.Wrede, *Das Messiasgeheimnis in den Evangelien^* (Gottingen 1913) 92.85s (cf. Grandmaison, 2,260). R.Bultmann, *Die Geschichte der synoptischcn Tradition* (Gottingen 1921) ρ·93= '4ch verwcilc jedoch nicht bei den Leidens- und Auferstehungswcissagungcn. dic l.ingst als sekundàrc Gemeindcbildungen erkannt sind» (cf. Grandmaison. 2,260).

-' V.gr. etiam Gottlob Paulus. *Exeg. Handbuch* 3.340 (cf. Wilmers, 354); Pfleiderer, *Religionsphilosophic* 2 (Berlin 1884) 194s (cf. Ottiger p.752); etc.

502. Doctrina Ecclesiae. In *Concilio Vaticano* apertissime docetur Christum Dominum multas prophetias edidisse, et quidem in argumentum externum revelationis divinae, quam ipse attulit (D 1790). In canone autem respondenti (D 1813) mentio de prophetiis non fit, quia censebatur in capite iam satis provisum fuisse, et quia miracula physica sunt illa quae potissimum impetebantur ab adversariis, et etiam quia prophetiae sunt quoque miracula (infinitae scientiae divinae, sicut illa sunt omnipotentiae divinae). Ita relator Rdmus.Conradus Martin 4.

Similis doctrina ac in Vaticano in *luramento antimodernistico* (D 2145).

Pius IX, recensens in *Encyclica «Qui pluribus»* diversa motiva credibilitatis, meminit *vaticinationes lesu,* quod primario spectare videtur ad vaticinationes a lesu et per lesum factas, non de lesu aut super lesu, propter connumerationem cum aliis: *morte, resurrectione... lesu* (D 1638).

In Syllabo (D 1707), reicitur prophetias... esse poetarum commenta.

503. Valor dogmaticus. Praeter documentum Vaticani (D 1790), ubi thesis nostra cum probatione ex miraculis proponitur, sat clarum est contineri in verbo Dei scripto et tradito lesum edidisse vaticinia eaque multa in confirmationem suae missionis suique testimonii (cf. infra, ubi de veritate relativa vaticiniorum agemus, n.530). Praeterea Ecclesia proponit hoc ut cognitum ex sacra Scriptura seu ex revelatione divina. Thesis ergo est *de fide divina et catholica.*

504. Probatio. Iesus divinum suum testimonium multis prophetiis demonstravit, si *constat de earum veritate historica, philosophica et relativa.* Atqui constat.

1) Constat de veritate historica. Ad hoc autem probandum (similiter ac antea, in n.48iss): A) *exhibeatur conspectus prophetiarum lesu simulque adimpletio earum; et* B) *ostendatur hunc complexum pertinere ad substantialia evangeliorum.*

A) Exhibeatur conspectus prophetiarum Iesu, simulque ADIMPLETIO EARUM.

4 CL 7,187, ad emendationem 107.

a) Prophetiae circa seipsum seu de eius passione et morte.

dicum, lumen in vobis est..

In tanta copia vaticiniorum considera, v.gr. n.6 *(Mt 20, 19),* ubi paucis multa invenies accurate determinata; itemque pro aliis circumstantiis *n. 10-13 (Mt 26,2.12.21.29).*

De adimpletione clare constat; nominatim de illusione a gentibus: Mt 27 28-31; Lc 23,11.

505. *b)* Prophetiae circa discipulos suos. *De luda* proditore: Io 6,65-71; Mt 26,21-25 (Mc 14,18-21; Lc 22,21-23; Io 13,21-30).

De Petro: Simon vocabitur Cephas (Io 1,42); eius vocatio piscatoris hominum (Lc 5,10); eius primatus (Mt 16,18s); triplex eius negatio (Mt 26,30-35; Mc 14,27-31; Lc 22,31-34; Io 13,38); eius martyrium (Io 21,18s).

De Magdalena: eius factum ubique praedicandum (Mt 26,13; Mc 14,9).

De filiis Zebedaei: bibituri sunt calicem Domini (Mt 20,23; Mc 10,39).

De adimpletione horum omnium facile constat. Quoad martyrium Iacobi testantur Act 12,2. Quoad passiones Ioannis Act 5,40s; Apoc 1,9; ad portam latinam, Tertullianus[5]; de Ioannis morte non violenta cf. Io 21,18-23

De fuga discipulorum in passione Domini: Mt 26,31; Mc 14,27.

De adimpletione Mt 26,56; Mc 14.50 (discipuli relicto eo fugerunt).

De adventu Spiritus Sancti supra discipulos: Io 14,16.S.26; Lc 24,49; Act 1,8.

De adimpletione Act 2, iss.[1]

De persecutionibus discipulorum: Mt 10,17-23; Mc 13,9-13; Lc 10,3; 12,iis; 21,12-19.

De adimpletione agunt Act c-4-8.12.16.22ss; et cf. thesim 40 de martyribus, et Suetonium aliosque historicos 6.

De miraculis patrandis a discipulis: Mc 16,17.

De adimpletione Mc 16,20; Act 2,43; 3,6-10; 6,8; 9,32-42; 14,8-11; 16, 16-19; 19,11s; Rom 15,19; i Cor 12,10; 2 Cor 12,12; Gal 3,5. Insuper historia tota.

5 *Dc praescriptione haer.* 36,3: Kch 194· Ibi quoque testimonium de martyrio Petri.
* C.Tacitus, *Annales* 15,44.4-9 (De persecutione Neronis): Kch 34; Suetonius, *Vita Claudii* 25; *Vita Neronis* 16: Kch 99s: Pliuius Minor *ad Traianum epist.:* Kch 28.3 η

De conversione gentium et de praedicatione universali Evangelii: Mt 8,n (Lc 13,29: *multi ab Oriente et Occidente venient...);* Mt 21,43 *(auferetur a vobis regnum et dabitur genti facienti fructus eius);* Mt 24,14 (Mc 13,10: *praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe...);* Mt 26,13 (Mc 14,9: de Magdalena, praedicabitur evangelium in universo mundo); Le 24,46s *(oportebat praedicari... remissionem peccatorum in omnes gentes...);* Act 1,8 *(eritis mihi testes ... usque ad ultimum terrae).* Cf. Io 3,16 *(ut omnis qui credit in me...);* 10,16 *(et alias oves habeo...);* 12,32 *(omnia traham...);* 17,20 *(rogo ... pro eis qui crediturі sunt per verbum eorum in me...).*

Pro adimpletione cf. Mc 16,20; Act per totum; thesim 38, de propagatione christianismi.

Sic *habebitur exsistentia Ecclesiae* per orbem, cui Dominus conferet auxilia et assistentiam: Mt 16,18s; 28,20.

Erit tamen in ea contradictio interna et haereticalis: Mt 13, 37-49 (erunt enim zizania et mali); Mt 7,15.22 (erunt falsi prophetae).

De adimpletione constat ex historia nimis manifesta; et cf. thesim 39 de conservatione Ecclesiae, inter obstacula.

506. *c)* Prophetiae de destructione urbis et templi. Hoc vaticinium refertur a tribus synopticis, non autem a Io, quia, cum scripsit, iam res illa eventu comprobata fuerat. In synopticis nonnulla permiscentur quae spectant ad adventum ultimum Domini. Illa vero quae ad primum adventum Domini in virtute per destructionem urbis referri videntur, ita possunt ordinari:

Calamitatem signa praecedent (ex quibus aliqua, etsi videri possunt generalia et propria *etiam* temporum futurorum, *magis* tamen indicare videntur tempus anle *excidium* urbis lerusalem): *Consurgent pseudochristi, qui multos seducent* (Mt 24,4s; Me 13,5s; Lc 21,8); *bella quoque et seditiones, cum audieritis proelia et bella et opiniones bellorum et seditiones* (Mt 24,6-8; Me 13,7s; Le 21,9s); itemque *terraemotus magni erunt per loca et pestilentiae et fames terroresque de caelo et signa magna erunt* (Lc 21,11; Mt 24,7; Mc 13 8). Sed *ante haec omnia iniicient vobis manus suas et persequentur, tradentes* in *synagogas et custodias et trahentes ad reges et praesides...* (Lc 21,12; Mt 24,9.17.18s; Mc 13,9).

Obsidio urbis excidium praecedet: *Cum autem videritis circumdari ab exercitu lerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio eius (Lc* 21,20).

Talis autem erit haec obsidio ut tempus suppetat ut *qui in Judaea sunt fugiant ad montes, et qui in medio eius discedant...* (Lc 2i,2is; Mt 24,16s; Mc 13,14-16); *erit enim tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet (Mt* 24,19-21; Mc 13,17-19; Lc 21,22s).

Haec omnia accident, *cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta* [Dan 9,27], *stantem in loco sancto* (Mt 24,15; Mc 13,14).—Ideo *venient dies in te: et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique; et ad terram prosternent te et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem* (Le 19,43s; cf. Mt 24,2). *Et cadent in ore gladii et captivi ducentur in omnes gentes. Et lerusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum* (Lc 21,24; cf. Mt 23,38; Lc 13,35: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta).*

507. De adimpletione huius vaticinii, quod *non est mera descriptio communis et topica* de modo quo expugnabantur urbes antiquae (cf. Is 29,1-4), ut patet consideranti omnes circumstantias determinatas quae praedicuntur, constat ex historicis, et cognovisse iuvat:

Ac primo quidem *de pseudo-christis,* qui surrexerunt, testantur Act 5,36; 21,38; praesertim vero Flavius Iosephus, qui loquitur de quodam praestigiatore, nomine Theudas, qui «ingenti hominum multitudini persuasit ut asportatis opibus se ad Iordanem usque fluvium sequerentur; quippe se prophetam esse aiebat, diremptisque imperio suo aquis fluminis, facile se transitum ipsis praestiturum esse dicebat; et huiusmodi sermonibus plurimos decepit...» [7] Item de alio qui «ex Aegypto venit lerosolyma, se vatem esse simulans, suadensque plebeiae turbae ut secum montem Olivarum ascenderet... inde enim ipsis se monstrare velle dicebat quomodo suo iussu corruerent lerosolymorum muri, per quos ipsis aditum se patefacturum esse promittebat...» [8] Atque Tito urbem obsidente, templo ardente, periit «plurima multitudo promiscua, ad sex hominum millia... His causa interitus erat falsus propheta quidam, qui illo tempore praedicaverat populo in civitate iubere Deum eos in templum ascendere, signa salutis accepturos... Multi autem a tyrannis subornati erant ad populum prophetae, denuntiantes esse auxilium a Deo exspectandum, ut populus minus transfugeret, et eos, qui supra metum erant et custodes, spes retineret... Miserandam igitur plebem seductores seque a Deo missos mentientes tum suadendo decipiebant; evidentibus autem prodigiis et futuram solitudinem praenuntiantibus neque advertebant animos neque credebant...» [9].

508. *Quantum ad bella et seditiones* intra imperium romanum, sulficiat legisse historicos, qui de eo tempore agunt; vel etiam audiatur Tacitus, qui

[7] *Antiquitates iudaeorwn* 20.5.1: Flavii losephi Operated. F.Didot, Parisiis 1865) 1.777
[8] *Antiquit, iudaeorum* 20.8.6: Opera 1,783.
[9] *Bellum iud.* 6,5,2s: Opera 2,292.

Historiarum libros aggrediens, «Opus aggredior—inquit—opimum casibus, atrox praeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevum. Quatuor principes ferro interempti [Nero, Galba, Otho, Vitellius]. Trina bella civilia, plura externa ac plerumque permixta. Prosperae in Oriente [Asia minor, Armenia...], adversae in Occidente res. Turbatum Illyricum; Galliae nutantes; perdomita Britannia et statim missa; coortae in nos Sarmatarum ac Suevorum gentes; nobilitatus cladibus mutuis Dacus. Mota etiam prope Parthorum arma, falsi Neronis ludibrio. Iam vero Italia novis cladibus, vel post longam saeculorum seriem repetitis, afflicta...» 10. Tempore autem Vespasiani bellum contra iudaeos commotum.

509. *Quantum ad terraemotus et fames et pestilentias* quae praecesserunt, si res ad litteram recipis et non meram communem descriptionem apocalypticam, confirmari potest ex historicis: hi enim loquuntur de duplici fame, quae fuit tempore Claudii. De prima a.42-44 post Christum11. De altera anno c.51 post Christum (anno 11 Claudii) ita loquitur Tacitus: «Multa eo anno prodigia evenere... crebris terraemotibus prorutae domus; ac, dum latius metuitur, trepidatione vulgi, invalidus quisque obtritus. Frugum quoque egestas, et orta ex eo fames in prodigium accipiebatur...»Suetonius vero loquitur «de caritate annonae» et de aliqua «publica fame» quae fuit tempore Neronis 13. Atque maerendam imaginem de eo tempore iterum Tacitus describit: «Tot facinoribus foedum annum etiam dii tempestatibus et morbis insignivere. Vastata Campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges passim disiecit; pertulitque violentiam ad vicina urbi, in qua omne mortalium genus vis pestilentiae depopulabatur, nulla caeli intemperie quae occurreret oculis. Sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur; non sexus, non aetas periculo vacua; servitia perinde et ingenua plebes raptim exstingui inter coniugum et liberorum lamenta; qui, dum assident, dum deflent, saepe eodem rogo cremabantur. Equitum Senatorumque interitus, quamvis promiscui, minus flebiles erant; tamquam communi mortalitate saevitiam Principis praevenirent...» 14. De tempore ipsius obsidionis urbis Ierusalem Flavius Iosephus meminit magnum eorum numerum qui e tota regione ad Azymorum festum convenerant et derepente circumdati sunt «adeo ut primo quidem ex loci angustia in illos invaderet pestis, ac deinde citius fames...» 15.

510. *De terroribus in caelo et signis* haec habet Tacitus, loquens de bello iam iudaico: «Evenerant prodigia quae neque hostiis neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. Visae per caelum concurrere acies, rutilantia arma, et subito nubium igne collecere templum. Expassae repente delubri fores et audita maior humana vox «excedere deos», simul ingens motus excedentium...» 16. Atque Flavius Iosephus similiter, tractans de eodem bello: «... supra civitatem stetit sidus simile gladio, et anni spatio ardere perseverabat cometes; deinde quum ante defectionem primosque belli motus, populo ad festum diem Azymorum congregato, die octavo mensis Xanthici, hora noctis nona, tanta lux circa altare templumque circumfusa est, ut dies clarus esse videretur, atque hoc horae dimidiae spatio

8. *Hist.* 1.1,2.
11 Cf. Suetonius, *Vita Claudii* 18; Eusebius Caesariensis, Hist, *cedes.* 2,8: MG 20,156; Flavius Iosephus, *Antiq. iud.* 20,5,2: Opera 1,777
12 Annales 12,43.
13 Vita *Neronis* 45.
14 Annales 16,13; cf. Annales 14,27.
15 *Bellutn iud.* 6,9,3 : Opera 2,301
16 *Hist.* 5,13; cf. Annales 15,47.

duravit; quod ab imperitis quidem pro bono omine habebatur, sed sacrorum scribae ea quae post haec evenerunt portendi statim iudicarunt... Paucis deinde post festivitatem diebus, vicesimo primo mensis Artemisii die, prodigiosum quoddam spectrum apparuit fidem omnem superans. Ac profecto id quod dicturus sum fabula, ut opinor, esse videretur, nisi ab iis qui illud spectarunt proditum esset et subsequutae clades eiusmodi signis haudquaquam impares exstitissent. Etenim ante solis occasum per universam regionem currus in aeres sublimes ferri, et armatae phalanges per nubes discurrere urbesque circumvallare sunt visae. Festo autem die qui Pentecoste appellatur, sacerdotes noctu templum ingressi ad obeunda ex more ministeria, primum quidem motum ac strepitum se exaudisse dixerunt, tum deinde vocem quasi confertae multitudinis simul clamantis: migremus hinc» 17.

511. *De persecutionibus discipulorum in synagogis et ante reges et praesides...* testantur unanimiter Act et historiae profanae per Flavium Iosephum, Tacitum, Suetonium 18. f

Neque dubium est tunc temporis revera *abundasse iniquitatem, refriguisse vero caritatem multorum* (Mt 24,12), ut aperte ostenditur ex corruptione imperante in mundo romano et graeco (cf. n.674); itemque ad tempus obsidionis et interitus urbis *praedicatum fuisse evangelium regni in universo mundo* (Mt 24,14), in mundo nimirum tunc noto; sicuti Paulus.laudat fidem Romanorum, quae adnuntiatur—inquit—in *universo mundo* (Rom 1,8), vel etiam evangelium «quod praedicatum est in *universa creatura* quae sub caelo est» (Coi 1,23) 19.

512. *Obsidio Jerusalem* duplex fuit, teste historia: alia anno 66 post Christum, cum Cestius Gallus commotionem iudaeorum contra Romanos comprimere volebat; sed praeter exspectationem, urbe ad partem iam intercepta, exercitum reduxit 20. Altera obsidio fuit ab anno 68, cum Vespasianus et, cum hic fuisset imperator factus, Titus eius filius urbem obsidebant. Sunt qui de utraque obsidione referant verba Lucae: «et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te et coangustabunt te undique [bis]» (Lc 19,43). Certe Christiani post primam obsidionem, memores verbi Domini, ad montes Peraeae, ad oppidum Pellae migraverunt 21. Atque templum, a Zelotis occupatum una cum caede et abominationibus, fuerat quoque defoedatum 22.

17 *Bellum iud.* 6,5,3: Opera 2,2925.

18 Cf. Actc.4-25; Flavius Iosephus, *Antiq.* 20,9: Opera 1,786; Kch 9; Tacitus, *Annal.* 15,44,4-9: Kch 34; Suetonius, *Vita Claudii* 25, Vita *Neronis 16:* Kch 39s.

19 Cf. etiam Tacitus, *Annal.* 15,44: Kch 34.

20 *Bellum iud.* 2,19: Opera 2,131-135.

21 «... cum universa plebs fidelium Ecclesiae Hierosolymitanae, ex oraculo quod viris quibusdam sanctissimis divinitus editum fuerat, ante initium belli ex civitate migrare et oppidum quoddam trans Iordanem, Pellam nomine, incolere iussa fuisset; iamque omnes qui in Christum crediderant, relictis Hierosolymis, sedes suas Pellam transtulissent: ita et regia urbe quae totius gentis caput est, et universa ludaea viris sanctis destituta, tum demum divina illos ultio ob tot admissa tum in Christum, tum in eius apostolos scelera corripuit, totamque illam impiorum sobolem funditus delevit» (Eusebius, *Hist, eccles.* 3,5: MG 20,221-224). Et S.Epiphanius haec habet: «... post illam a Hierosolymis secessionem... cum Pellae discipuli omnes habitarent, a Christo de relinquenda Hierosolymorum urbe migrandoque praemoniti, quod eius immineret obsidio...» *(Adversus haereses,* Nazaraeorum, 9 vel 29: MG 7,401-404).

22 *Bellum iud. 4,3,4:* Opera 2,19135.

513. *De tribulatione vero illorum dierum* apud eos qui remanserant Ierosolymis, abunde tractat ac testatur historiographus belli iudaici (lib.5-6): In obsidione illa secunda, brevi tempore, intra quatriduum coaequatum est intervallum omne usque ad muros 21; iudaei inclusi. Atque iuxta compulum Flavii Iosephi. «virorum erant purorum et mundorum [ad sacrificium manducandum], ut denos epulatores singulis victimis [pro sacrificio] demus, vicies septies centena millia... [2.700.00o]»24. Atque «fames ingravescens per domos et populum depascebatur. Ac tecta quidem plena erant mulieribus et infantibus fame enectis, angiportus vero senibus mortuis referti. Pueri autem et iuvenes intumescentes veluti simulacra quaedam per fora oberrabant, et ubicumque quis labe correptus fuerat, procidebat. Porro propinquorum cadavera sepelire neque valebant aegri et qui adhuc integris viribus erant, tum multitudine mortuorum, tum quod de vita sua incerti essent, absterrebantur... » 2S.

514. «Eorum autem qui per civitatem fame perierunt infinita quidem cecidit multitudo; calamitates vero quas passi sunt enarrari non possunt. Per singulas quippe domos, sicubi vel umbra apparuisset cibi, bellum gerebatur, et amicissimi quique inter se dimicabant, sibi invicem misera vitae subsidia eripientes. Nec mors ipsa fidem penuriae faciebat, sed eos etiam qui extremum spiritum exhalabant, perscrutabantur latrones, ne quis forte cibum in sinu abditum gerens se mori simularet... Porro omnia necessitas mandere cogebat... Et quid opus est impudentiam famis ex rebus inanimatis ostendere? nam facinus dicturus sum quale nec apud Graecos nec barbaros memoratur, et quod dictu quidem horrendum, auditu vero incredibile videbitur. Atque libens hanc calamitatem ipse praeterifcsem, ne posteris portenta loqui existimer, nisi ex nostrae aetatis hominibus testes haberem innumeros...» 26. Hic narratur *de muliere, quae proprium filium prae fame iugulavit,* ac «coctum deinde ipsa quidem dimidium comedit, adopertum vero reliquum servabat», donec detecta reliquis comedendum offerebat... 27

ludaeorum templum igne et assultibus Romanorum destructum fuit, invito etiam Tito28; falsi prophetae populo occasio fuerunt ruinae adhuc maioris 29.

515. Post captam vero urbem «quandoquidem milites caedibus quidem defatigati erant, ingens vero multitudo superesse visa est, eos solos qui in armis essent manibusque resisterent occidi iubet Caesar, reliquam vero multitudinem vivam capi. Illi autem, cum his quos interficere iussi erant, etiam senes ac debiles trucidabant... totius autem obsidionis tempore undecies centena millia perierunt [t. 100.000]. Horum maior pars eiusdem quidem gentis erat, non vero eiusdem regionis. Nam qui e tota regione ad Azymorum festum convenerant, derepente bello circumdati erant: adeo ut primo quidem ex loci angustia in illos invaderet pestis, ac deinde citius fames...» 30. Re quidem vera, *tribulatio tanta fuit, ut vix maior concipi possit.* Et merito Flavius Iosephus: «... ex omnibus civitatibus, quae Romanorum iugum subierunt, nostrae sane contigit ad summum felicitatis pervenisse, ac deinde in extremam calamitatem incidisse. Neque omnium ab omnis

21 *Bellum iud. 5,3.5:* Opera 2.237
24 *Bellum iud.* 6,9,3: Opera 2.301.
25 *Bellum iud.* 5,12,3: Opera 2.265.
26 Bellum iud. 6,3,3: Opera 2,285s.
27 Bellum iud. 6,3,4: Opera 2,286s.
28 *Bellum iud.* 6,4.5: Opera 2,288-291·
24 *Bellum iud.* 6,5,4: Opera 2.292s.
JO Bellum *iud.* 6,9,2s: Opera 2,301.

aevi memoria res adversae, si cum iis conferantur quae ludaeis acciderunt, longe ab illis superari mihi videntur» 31.

516. Et illi quidem in ore *gladii maximam partem ceciderunt.* De ceteris vero, iudaeos illos «aetate florentes ac usui idoneos, in templum compulsos, in destinatum mulieribus ambitum incluserunt; et custodem quidem his apposuit Caesar unum ex libertis, Frontonem vero ex amicis, qui fortunam quam quisque meritus esset decerneret. Ille vero seditiosos omnes atque latrones, mutuo indicio damnatos, occidit; iuvenes autem lectos, qui proceritate et forma ceteris praestarent, triumpho servabat. Ex reliqua autem multitudine annis septemdecim maiores vinctos ad metalla exercenda in Aegyptum misit; plurimos etiam per provincias distribuit Titus, in theatris ferro et bestiis consumendos. Quicumque vero infra septem decimum annum erant venditi sunt. Iis autem diebus, dum a Frontone secernebantur, ex inedia perierunt undecim millia... Et captivorum quidem omnium, qui totius belli tempore capti sunt, numerus erat ad nonaginta septem millia» 32. *Sic captivi ducebantur in omnes gentes...* In ludis autem Caesareae habitis, ex iudaeis «numerus eorum qui cum bestiis depugnarunt, quique ignibus cremati sunt, et inter se digladiantes periere, supra duo millia erat et quingentos». Similiter et Beryti33.

517. Calamitatibus belli, caedibus et sanguine, necnon et insigniis deorum gentilium, quae milites Romani attulerant, pergebat *templum abominationibus defoedari* 34, quod ante expugnationem urbis Zelotae et Idumaei, illud occupantes, intestinis in urbe pugnis defoedaverant et abominationibus impleverant35.

518. Atque *urbs destructa,* ita ut sensu obvio impleretur illud «et *non relinquent* in te *lapidem super lapidem, qui* non *destruatur».* Etenim «postquam neque quos occiderent neque quod raperent habebat exercitus... iubet eos Caesar totam funditus iam evertere civitatem et templum, relictis quidem turribus quae praeter alias eminebant, Phasaelo, Hippico, Mariamne; eaque tantummodo muri parte, quae civitatem ab occidente cingeret: illam quidem ut castra essent militibus illic praesidii causa relinquendis; turres autem ut posteris indicarent qualem civitatem et qualiter munitam Romanorum virtus obtinuerat. *Totum vero reliquum civitatis ambitum ita solo aequavere qui eum diruebant,* ut *ne unquam quidem habitatam fuisse fidem amplius faceret eo accedentibus.* Et hic quidem, ex illorum dementia qui res novas moliti sunt, finis erat Hierosolymorum, splendidae civitatis summaeque apud omnes homines celebritatis» 36.

519. Plenissimo quodam ac perfectiore quidem sensu vaticinium de destructione templi impletum est in temporibus luliani (a.363), volentis pristinum iudaeorum templum instaurare. In qua quidem re iuvat audire gentilem Ammianum Marcellinum, imperatoris comitem et familiarem, qui haec testatur: «Ambitiosum quondam apud Hierosolyma templum, quod post multa et internecina certamina, obsidente Vespasiano posteaque Tito, aegre est oppugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias cu-

31 *Bellum iud.* prooem.4: Opera 2,5.
52 *Bellum iud.* 6.9,2s: Opera 2,301.
12 *Bellum iud. 7.3.1:* Opera 2,307.
4 *Bellum iud.* 6,4.5: Opera 2.287s:
35 *Bellum iud. 4,3.4: Opera 2,19m*
'* *Bellum iud.* 7,1.1 : Opera 2.301

raverat pro praefectis. Cum itaque rei idem instaret Alypius iuvaretque provinciae rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum, hocque modo elemento destinatius repellente cessavit inceptum» 3738 Atque de his eventibus alii quoque scriptores testantur 38.

520. Sic *Ierusalem calcabitur a gentibus,* donec impleantur tempora nationum (Lc 21-24). Quod ex eo tempore viginti ferme saecula obtinuit nec urbs iudaeis reddita fuit. Atque huc in primis refert quod temporibus Hadriani iudaeis accidit. Volens enim imperator ut in ruinis templi ierosolymitani templum aliud lovi aedificaretur novaque urbs loco pristinae instauraretur, quae Aelia Capitolina diceretur, commoti sunt iudaei in seditionem; atque duce *Bar-Cochba (filius stellae),* qui se Messiam esse dictitavit, Romanis pro furore restiterunt iudaei, donec seditio sanguine et interfectione plurimorum iudaeorum suppressa est, numero quinquies centenorum octoginta millium [580.000] 39. Ceteri vero in servitutem venditi sunt ac dispersi; prohibiti quoque ne urbem ingrederentur, nisi in anno semel, die interitus urbis, pecunia ingressum obtinerent ad lugendam publicam populi et urbis calamitatem40. Ruina vero anno 134-135 post Christum accidit.

Inde videris populum per orbem dispersum, extorrem; «quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari et sine ephod et sine theraphim; et post haec revertentur filii Israel et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum, et pavebunt ad Dominum et ad bonum eius in novissimo dierum»41: *donec impleantur tempora nationum;* scilicet, vel donec impleantur tempora in quibus gentes dominabuntur, vel—iuxta alios et verius—donec impleantur tempora ut gentes cognoscant Evangelium et ingrediantur regnum Dei. Sic etiam cohaeret cum verbo S.Pauli, «quia caecitas ex parte contingit in Israel, *donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret»* (Rom 11,25s)42.

521. *d)* Alia quoque sunt vaticinia praedicta a Iesu, quae simul coniunguntur *cum eius penetratione rerum occultarum;* ut de pullo solvendo et ad se adducendum (Mt 21,1-6; Mc 11,1-6; Lc 19,29-34); et de coenaculo ubi parandum erat Pascha (Mt 26,17-19; Mc 14,12-16; Lc 22,7-13)...

522, B) In praecedenti conspectu vaticiniorum Iesu facile est agnoscere quanta sit multitudo locorum ex evangeliis, itemque multitudo versuum, qui vaticinia exponunt, adeo ut

37 *Hist.* 23,1; cf. Müller, *De vera religione* 483.

38 Gregorius Nazianzenus, Or<it. *in Julianum* 2,4: MG 35,668s: S.Chrysostomus, *Quod Christus sit Deus* 16: MG 48,835: *Horn. 76 in Mt:* MG 58,695s; S.Ambrosius, *Epist.* 40 (ad Theodosium) 12: ML 16,1105; Socrates, *Hist, eccles. 3,20:* MG 67,428-432; Sozomenus, *Hist, eccles.* 5,22: MG 67,1281-1285. De morte Iuliani in Perside, Theodoretus, *Hist. eccles.* 3,20: MG 82,1117-1120.

De destructione templi agit etiam Basmagius, referens verba chronologistac Rabbi Gedaliab *(Hist. lud.* 1.6 c.i8s); cf. Müller, 483.

39 Cf. Müller, *De vera religione* 480s.

1(0 Cf. S.Hieronymus, *In Sophoniam* 1,15.

41 Os 3,4s. Non pauci iique graves auctores explicant v.4 et 5 non de babylonico exsilio et de instauratione messianica, sed de Iudaeorum conditione tempore messianico et de eorum ad Christum conversione in consummatione sacculi: I.Knabensauer, *Comment, in propheto* minores, pars prior* (Parisiis 1886) 52.

47 De munere populi Iudnici nunc temporis, cf. quae in *Corollario* dicimus n.535-530

hae narrationes in evangeliis sint *res omnino substantialis.* Hisce adde loca parallela, insuper loca illa quae intrinsece cum his coniunguntur propter connexionem narrationis, adeo ut concludat quilibet nunc non agi de interpolationibus aut falsificationibus, sed de rebus omnino historice pronuntiatis et pertinentibus ad substantialia evangeliorum. Quodsi prophetias reicias, ob supernaturalitatem rei; si pariter miracula evangeliis narrata recuses, ob eandem supernaturalitatem; si loca demas ex evangeliis cum utrisque connexa; si alia quoque loca repellas ubi miracula narrantur non facta a Iesu (v.gr. Lc c.1.2)... quid, quaeso, de evangeliis restat... quorum historicitas omnino constare demonstravimus?—Ergo *constat omnino de veritate historica prophetiarum a Iesu editarum; simul quoque*—ut vidimus—*de veritate adimpletionis.*

523. 2) Constat de veritate philosophica horum vaticiniorum Iesu, siquidem in iis implentur omnia quae requiruntur in vera et stricta prophetia.

Agitur enim, ut patet, a) *de eventibus liberis futuris;* b) qui praedicuntur *non verbis flexiloquis,* sed saltem in complexu *modo satis determinato;* adeo ut *probabilis coniectura aut temeritas excludatur.*

524. Sic evidenter apparet, cum res *multis adiunctis minimis et concretis praedicitur,* ut est in vaticiniis de passione: Filius hominis *tradetur*—non aliis quibuscumque, sed *principibus sacerdotum et scribis;*—et condemnabunt eum non ad exsilium aut simile quid, sed *morte;*—ita tamen ut ipsi sententiam non per populum lapidantem aut per se ipsi sint perfecturi,—sed *tradent eum—gentibus;*—*nec* tantum ut sententiam exerceant capitalem,—sed *ad illudendum—et flagellandum—et conspuant eum—et crucifigant* et occidant,—et *tertia die resurgat.* Item praevisioni naturali passionis et mortis obstabat favor populi et ingressus triumphalis in urbem (Mt 21,8s) adeo ut principes timerent *ne forte tumultus fieret* in *populo* (Mt 26,5); neque procurator romanorum, qui debebat ex lege mandare sententiam, Iesu infensus erat; ut postea eventus confirmarunt.

525. *Similiter quoad vaticinia discipulos spectantia,* probabilis coniectura excluditur: Sic de Iuda, *qua proditore* et de *tempore determinato* suae proditionis. Item de triplici Petri negatione, *dum tanto ardore contrarium profitebatur;* et quidem

praedicitur: *pro ea ipsa nocte* — antequam gallus *bis cantet* — *ter* est negaturus. — De Maria autem Magdalena prudentia dementaris vetabat lesum ne loqueretur tam asseveranter de mulieris fama per totum mundum *(amen dico vobis...);* pariter non erat ex coniectura loquendum de adventu Spiritus Sancti (Dei liberum decretum), neque de miraculis patrandis ab apostolis...

526. *Conversio gentium et praedicatio universalis evangelii* (quae pluribus vaticiniis continetur) *et permanentia Ecclesiae mediis in difficultatibus,* haec omnia non erant exspectanda ex industria duodecim aliorumque discipulorum, qui ignorantia et timore tenebantur; quin immo in his miraculum morale adesse videbimus (theses 38.39), unde coniectura aut temeritas omnino est excludenda.

527. *Destructio urbis et ruina templi,* iis notis et signis quibus antea vidimus, certe non erat exspectanda pro illa celeberrima civitate temploque celeberrimo. Obstabat etiam politica ars Romanorum, volentium servare quae ad victos pertinerent; et destructio lerosolymis in templo facta per furentes milites fuit omnino contra Titi voluntatem 4-\

528. Quae cum ita sint, satis *constat de veritate philosophica plurimorum vaticiniorum lesu;* atque eidem virtuti propheticae tribuenda sunt cetera omnia, non praevisioni naturali aut temeritati aut coniecturae probabili.

529. *Veritas theologica* vaticiniorum, cum agitur de eventibus futuris liberis, semper adest, ut diximus (n.181,2); semper enim hi eventus cognoscuntur ex influxu scientiae divinae.

53°· 3) Constat etiam de veritate relativa vaticiniorum lesu: a) *si Iesus illa ordinavit in confirmationem sui testimonii;* atque b) si *hic nexus evidenter approbatur a Deo.*

a) *In universum* Iesus sua vaticinia, sicut universa sua opera et miracula physica, ordinavit, saltem implicite et aequivalenter, in confirmationem et probationem suae missionis divinae.

In specie Iesus provocat ad adimpletionem aliquorum vaticiniorum, *ut cum factum fuerit credatis* (Io 14,29).—Sic quoque aiebat (Io 13,19): *Amodo dico vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis quia ego sum,* scilicet, quia ego sum Christus

43 Cf. Flavius Iossphuk, *Bellum iud.* 6,4.5; Opera 2.288-291.

et Filius Dei (cf. Io 8,24 ubi loquitur de sua missione *divina,* et utitur voce *quia ego sum).*—Item Io 16,4: ... ut *cum venerit hora eorum* [persecutionum l *reminiscamini quia ego dixi vobis.*—Atque de pseudo-prophetis futuris (Mt 24,23-25): *Ecce praedixi vobis...*

531. b) *Nexus inter haec vaticinia et legationem ac divinitatem,* pro quibus intendunt dare testimonium, evidenter approbatur a Deo. Etenim nulla est ratio suspicandi de falsitate aut nequitia vaticinantis, aut Deum id mere permittere: excluditur enim ob sanctitatem personae et propter eius modum operandi; et propter finem bonum et sanctum quem intendebat, et propter effectus bonos, qui secuti sunt, et sanctissimos... Unde in his adiunctis esset certe contra Dei providentiam, sapientiam ac bonitatem, honorare falsarium adimpletione prophetiarum.

Constat igitur de veritate relativa vaticiniorum lesu, sicque Iesus divinum suum testimonium multis prophetiis impletis demonstravit.

532. Scholion 1. De vaticiniis nondum impletis. Probatio praecedens facta est ex vaticiniis iam impletis, quaeque comprobari valebant. Sed sunt etiam alia, quorum adimpletio exspectatur, ut illa quae sunt de ultimo adventu Filii hominis; vel plena exspectatur, ut illa quae ad perennitatem Ecclesiae referuntur. Huc autem valent verba S.Augustini:

«Omnia ergo haec, sicut tanto ante praedicta legimus, sic et facta cognoscimus; et quemadmodum primi Christiani, quia nondum ista provenisse videbant, miraculis movebantur ut crederent; sic et nos quia omnia ista ita completa sunt, sicut ea in libris legimus, qui longe antequam haec implerentur conscripti sunt, ubi omnia futura dicebantur, et praesentia iam videntur, aedificamur ad fidem, *ut etiam illa quae restant, sustinentes et perseverantes* in *Domino, sine dubitatione ventura credamus...»* [44].

533. Scholion 2. Alia miracula intellectualia. Vaticinia de eventibus liberis ostendunt divinam lesu scientiam. Hisce adiungi possunt aliae manifestationes scientiae admirabilis, sive *penetrationes rerum occultarum et cardiognosia,* quae in lesu vita publica continuo apparebant.

Ita factum est relate ad *Nathanael* (Io 1,48-51); sic de *Samaritana* (Io 4,18.29.39); sic de cogitationibus scribarum ante *curationem paralytici* (Mt 9,4; Mc 2,8; Le 5,21s); sic etiam in *eiectione daemonum* (Mt 12,25); sic cogitationes discipulorum *de*

44 *Dc catech. rudib.* 24 (45); ed. Christopher, 102.104: ML 40,541s.

fermento pharisaeorum (Mt 16,7s); sic *de statere* in *pisce* (Mt 17,27); sic cogitationes pharisaeorum *de sanatione in sabbato* (Lc 6,8); *cogitationes Simonis* contemnentis mulierem lacrymis rigantem pedes Iesu (Le 7,395s); cogitationes *pharisaei ante prandium (Lc* 11,38); atque Iesus *sciebat quid esse in homine* (Io 2,24s).

Iesus ergo maxima securitate ac certitudine, maxima quoque simplicitate ac facilitate, de rebus loquitur absconditis ac de rebus futuris, de omnibus quasi praesentibus, adeo ut merito dicas: Non est *ulla creatura invisibilis in conspectu eius; omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius...* (Hebr 4,13).

534. Obiectiones. 1. Iesus praedixit tres negationes Petri. Sed Petrus quinquies negavit. Ergo non determinate prophetia impleta est.

Dist. niai. Iesus praedixit tres negationes ut 1res *actus morales* vel tres occasiones, *conc. niai.;* ut tres actus physicos, excludendo positive alios, *nego mai.*

2. Praedictiones lesu non sunt univocae, nam dicit iuxta Io 13,38: *Non cantabit gallus donec ter me neges* (cf. et Mt 26,34; Lc 22,34); et iuxta Mc 14, 30: *priusquam gallus vocem* bis *dederit, ter me es negaturus.*

Resp. Notum est gallos cantare media nocte et sub aurora, cantus vero galli simpliciter dictus non finit nisi in secundo cantu; sic intelligitur quomodo cantus *galli (alekterophonia)* sit terminus technicus pro tertia vigilia noctis, ab hora scilicet 12 ad 3, et simpliciter dictus indicat finem huius vigiliae, «quippe cum galli in illis terris Orientis eirca horam tertiam cantare soleant»; et hoc est gallicinium secundum, si contraponitur gallicinio primo quod cum media nocte fere coincidit[45].

3. Erravit Iesus vaticinando adventum suum iamiam adventantem (Mt 4,17; 10,23; 16,28; 24,2455...),

Resp. Iesus praedicavit quidem regnum eschatologicum; at non *mere eschatologicum,* seu habens stadium in terris; adventus praenuntiatus ultimus et definitivus non erat immediatus. Cf. pro difficultatibus quae circa hoc obici possunt tractatum *de Ecclesia.*

4. Iesus identificavit suam parousiam futuram cum destructione proxima urbis.

Dist. antec. Quaedam manifestatio sua gloriosa, quae futura erat in destructione lerusalem, *conc.;* ultimus adventus, nego. Haec duo ideo coniunguntur, quia ob similitudinem eventuum *perspectiva quadam prophetica* uno intuitu videri poterant, licet diversis temporibus sive planis acciderent.

5. Praedictio destructionis urbis est descriptio interpolata post eventum[44].

Resp. a) Si ita fuisset, synoptici non permiscuissent illa quae referuntur ad urbis excidium cum iis quae referri debent ad ultimum adventum Domini. *b)* Sed et veracitas atque historicitas synopticorum, item haec evangelia scripta fuisse ante annum 70: haec sunt omnino in possessione (cf. n.275s. 285-287.304S.332SS). *c)* Testibus Eusebio et S.Epiphanie christiani, antequam lerusalem bis obsideretur, migraverunt in Peraeam, memores verbi Domini (Mt 24,16)[47].

45 Cf. Van Laar, Krpatitorium *Theulog.fundam.* (1921) 163
44 Ita Strauss, *Leben Jesu* a,341-371; cf. Hettinger. 328.
47 Cf. suttra. n stt nota *21.*

6. Iesus, non obtento successu praedicationis, poterat praevidere suam mortem.

Dist. *antec.* Cum omnibus adiunctis et circumstantiis quae vaticinavit, *nego;* aliter, *trans.* Iesus ab initio sciebat suam mortem futuram per exaltationem in crucem (Io 3,14), sed *nondum venerat hora eius.*

y. Iesus poterat conticere, ex characteribus ludae et Petri, proditionem illius et negationem huius.

Resp. Naturaliter et *cum certitudine* non poterat coniici adeo magna perversitas et tempus proditionis in luda, qui se gerebat ita ut alii nihil de re animadverterent (cf. Mt 26,22); Petrus vero, licet sanguineo temperamento inconstans, at fervens erat discipulus tenebaturque tunc fervore, nec eius negationes adeo determinate praevideri naturaliter poterant.

8. Iesus poterat suam mortem et circumstantias illius cognoscere ex prophetiis V.T.

Resp. a) Ergo *iam admittitur eius legatio* divina supernaturalis, de qua V.T. *bj* Illa vaticinia *non habebant adiuncta addita a lesu, nec* clara fuissent nisi pro lesu.

9. Iesus sibi persuasit se non posse agnosci Messiam quamdiu templum subsisteret, ideo et sibi persuasit Deum sublaturum hoc impedimentum per eversionem templi[48].

Resp. Gratis omnia confinguntur; neque praevisione naturali potuit Iesus praedicere destructionem templi, siquidem bene poterat Deus facere ut templo stante agnosceretur Messias; neque praedicere illam destructionem in adiunctis quibus vaticinata fuit.

10. Poterat Iesus praevidere illam desolationem et destructionem templi ex Dan 9.26.

Resp. Vaticinium Danielis non habebat illa omnia adiuncta, quae habebat vaticinium lesu.

535. Corollarium. De sorte populi iudaici ut argumentum apologeticum 49. Ex vaticinio lesu impleto constat iudaeos post urbis excidium *captivos ductos esse in omnes gentes,* atque *lerusalem calcari a gentibus,* quod viginti ferme saeculis iam accidisse constat ex historia pro eo qui consideret miseram quam habuit populus iudaicus conditionem, ut populus:

Fuit enim populus *de patria eiectus, et dispersus; et,* cum ab aliis populis non absorberetur, non tamen effecit rem publicam unam.

Neque habet hic populus sacerdotium legitimum, quod esset tale ex tribu Levi et ex familia Aaron; quia tribus diversae post destructionem urbis et dispersionem permixtae et confusae sunt. Habent rabbinos, sed non sacerdotes.

Neque habent sacrificium, cum templum ubi sacrificia offerri deberent fuerit destructum penitus. Hinc et cultus mosaicus et observatio illius legis magnam partem iudaeis impossibiles evaserunt.

48 Ita Gottlob Paulus, *Exeg. Handbuch* 3.34o; cf. Wilmers, *De religione revelata 354.* Cf. Müller, *De vera religione* 490-495; S.Chrysostomus. *Adversus Iudaeos orationes* VIII: MG 48,843-942; S.Hieronymus, *Epist.* 129 (Ad Dardanum, de terra promissionis); ML 22,1099-1107.

Inveniebantur quoque *sine felicitate illa temporali,* quam in propria patria olim habebant, quamque Deus illis promittebat dum observarent praecepta divina vel paenitentiam agerent, si quod delictum commisissent. Nunc vero saepe, diceres semper successive in diversis locis, *persecutionibus sunt subiecti.*

Haec omnia simul tam diuturna signum sunt eos a missione divina et a munere praedilectionis cecidisse, atque pristino pactui et Testamento cum Iahveh aliud esse suffectum.

De iudaeis dicebat Hugo Grotius (1583-1645): «Nunc ex quo semel patria eiecti sunt, manent extorres, contempti; nullus ad eos venit propheta; nulla futuri redditus significatio; magistri ipsorum quasi spiritu vertiginis afflati ad turpes fabulas et ridicula dogmata delapsi sunt, quibus scatent libri talmudici...» 50.

536. Si quis autem consideret fata populorum regi providentia divina, facile animadvertet hanc atrocem populi miseriam tam singularem, tam magnam ut longe excedat poenam captivitatis babylonicae, in poenam datam fuisse maximi quoque sceleris; atque aliud nimirum nullum invenitur respondens, nisi occisio Messiae Filii Dei: *ut qui a Deo ordinatus erat populus ad Messiam, Messia reiecto ab ipsis, reiciatur a Deo.*

Quare ex his iterum *confirmatur* Messiam iam venisse, atque Messiam alium non esse nisi Iesum Nazarenum, ab ipsis reiectum, lapidem angularem; at *qui ceciderit super lapidem istum confringetur; super quem vero ceciderit conteret eum* (Mt 21,44).

537. Atque ut ait S.Augustinus; «... per omnes gentes dispersi sunt Iudaei, testes iniquitatis suae et veritatis nostrae. Ipsi habent codices, de quibus prophetatus est Christus, et nos tenemus Christum. Et si quando forte aliquis paganus dubitaverit, cum ei dixerimus prophetias de Christo, quarum evidentiam obstupescit et admirans putaverit a nobis esse conscriptas, de codicibus Iudaeorum probamus quia hoc tanto ante praedictum est...»51.

538. Et iterum S.Augustinus: «Sed cum legunt, non mirentur quod ista illi quorum codices sunt, propter inimicitiarum tenebras non intelligunt. Nam eos non intellecturos ab eisdem Prophetis ante praedictum est; quod ut cetera oportebat impleri, et occulto iustoque iudicio Dei meritis eorum poenam debitam reddi. Ille quippe quem crucifixerunt, et cui fel et acetum dederunt, quamvis in ligno pendens, propter eos quos fuerat in lucem de tenebris educturus, dixerit Patri: *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Lc 23, 34); tamen propter ceteros, quos occultioribus causis fuerat deserturus, per

50 *De veritate religionis* chrislidiue I.5 c.16; cf. Muller, *De vera religione* 491.
51 *In Ps* 58 serm. 1,22: ML 36,705.

prophetam tanto ante praedixit: *Dederunt in escam meamfel et* in siti *mea potaverunt me aceto; fiat mensa eorum coram ipsis in muscipulam, et in retributionem et in scandalum; obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva* (Ps 68,22-24)... occis' non sunt, sed dispersi; ut quamvis in fide [fidem], unde salvi fierent, non haberent; tamen, unde nos adiuvaremur, memoria retinerent, in Libris suffragatores, in cordibus nostri hostes, in codicibus testes» 52.

539. Interim verbum Domini semper manet actuale: «Jerusalem, lerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti! Ecce relinquetur domus vestra deserta. Dico enim vobis, non *me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini»* (Mt 23,37-39).

Israelitarum enim *adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum et legislatio, et obsequium et promissa; quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula* (Rom 9,4s). Liceat vero de multis sperare ut cito Deus «auferat velamen de cordibus eorum» 5-\ et *inserantur suae olivae* (Rom 11,24), fructumque reportent generosum in salutem, donec integer Israel salvus fiat; sine *poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei* (Rom 11,29) 54.

Thesis 34. lesus, post praedictam suam resurrectionem (I), vere moriendo (II) et resurgendo(III) splendida probatione testimonium suum divinum confirmavit.

S.Th., 3 q.53-56; Dieckmann, *De revelatione* n.841-887; Grandmaison, *Jésus Christ 2* c.4 p.369-446; Müller, *De vera religione* th.40; Pinard de la Boullaye, *Conf, de N.Dame* (1930) V.VI; E.Mangenot, *La Résurrection de Jésus*4 (Paris 1910); Koesters, *Unser Christusglaube* 170-181 ; Tromp, *De revelatione*61.2 prop.6; H.Felder, *Jesus Christus 2,* pars 2 c.3.

540. Nexus. Quoniam resurrectio lesu participat rationem tum miraculi physici tum prophetiae impletae, congruen-

52 *De fide rerum quae non videntur* 6,9: ML 40,178s.

53 Liturgia feriae VI in Parasceve. Cf. etiam 2 Cor 3.14-16, ubi sermo est *de velamine posito super cor eorum;* et usque in hodiernum diem velamen in lectione V.T. manet non revelatum...

54 Recenter creatus est *status palaeslincnsis;* sed neque omnia omni ex parte definitiva, neque sufficienti temporis perspectiva historica sive chronologica, ut res diiudicari queat atque commentatio de ea institui. Vide quae supra diximus (n.506-520), praesertim n.520, de prophetiis Domini circa interitum urbis, ct dispersionem populi ct conculcationem urbis per gentes, atque de eius futura conversione, quam etiam modo dicebamus, ex doctrina evangelica et S.Pauli. Scripserunt quoque de his rebus J.Enciso, *La maldiciôn del pueblo judio:* Ecclesia 8 (1948) 121s.151s.261s; et criterio minimista A.Colunga, O.P., *El reino de Israel en los planes divinos:* CiencTum 76 (iQ49) 353-366. Scripserunt item J.M.Bover, S.I., *La reprobation de Israel en Rom 9-11:* EstEcl 25 (i95i) 63-82; J.M.GonzÀlez Ruiz, *La restauraciôn de Israel en los projetas:* EstBibl ri (1952) 157-187.

tius de illa agi videtur postquam in genere de miraculis et vaticiniis Iesu actum iam est.

Est insuper resurrectio Iesu Nazareni *corona quaedam et recapitulatio* omnium signorum ab ipso datorum; ideoque de ea tractandum esse videtur ad finem miraculorum *a Iesu* patratorum.

541. Momentum theseos. Accedimus proinde ad thesim dixeris praecipuam christianismi *ne sit inanis fides nostra, si Christus non resurrexit* (1 Cor 15,14); et certe ad nucleum venimus et cardinem tractatus. Fuit enim resurrectio Iesu *maximum miraculum:* non solum quod agatur de miraculo primae classis, aliquem a morte suscitare; sed etiam, quod adhuc magis eximium est, se ipsum suscitare, i.e. resurgere propria virtute; quamquam et hoc, Christum se ipsum propria virtute suscitasse, ad veritatem miraculi et ad confirmationem testimonii Iesu non est necessario probandum.

Nihil igitur mirum, si *Iesus* ad hoc miraculum speciali modo appellabat; nihil mirum si *apostoli* peculiari modo, vel *hodierni adversarii* religionis catholicae, hanc Iesu resurrectionem vel invocant vel impetunt [1].

542. Status quaestionis. Ut appareat vis prophetiae impletae quae est in resurrectione Iesu, et chronologice procedamus, primum exponenda erit praedictio resurrectionis ab ipso facta; dein constare debebit de morte; ut tandem de eius vera atque reali resurrectione constet. Unde thesis *in tres partes dividenda.*

Si de hisce tribus constabit veritas historica, facile constabit divinum Iesu testimonium. Nam *veritas philosophica et theologica huius rei mirae apparet sine negotio,* cum clare superet vires naturae, et unus Deus possit esse eius auctor (restitutio enim mortui rationalis >' vitam fit sine ullo dubio ab Auctore vitae supremo); quod praeterea constat ex iam dictis et consideratis circa personam thaumaturgi Iesu eiusque modum operandi, circa eius finem intentum et circa effectus ex eius actione qui secuti sunt. *Veritas autem relativa* constabit adducendo verba Iesu quibus, dum eventum praedicebat, illum invocabat in testimonium suae missionis. Atque hoc commodius in prima *parte, dum exponemus praedictiones, erit expresse notandum.*

543. Adversarii. Multae sunt theoriae propositae ad solutionem naturalem huius facti resurrectionis tentandam, invicem succedentes sicut undae maris mira instabilitate atque mo-

1 Apostoli saepius provocant ad resurrectionem Iesu: cf. Act 1,21s; 2,24-32; 3,15; 4,10.33; 5,30; 10,40s; 13,30-37; î7·3,3î; 26,23; i Cor 9,1; 15,is; i Pctr 1.21; Apoc ↟,5...

Allegationes Patrum circa resurrectionem Iesu collegit multas S.Tromp, *De revelatione6* 273 (1-2 prop.6, praenotanda, n.4). Cf. etiam R ad indicem theologicum n.27.

Circa opinionem criticorum recentiorum historicorum audiatur M.Goguel: «La critique historique... constate que c'est sur la base de la foi à la résurrection que s'est construit l'edifice du christianisme» *(Actes du Congrès international d'Histoire des Religions* [1923] [Paris 1925J 2,225; cf. Grandmaison, *Jésus Christ* 2,369 (I.4 c.4 § ij.—De historia recentiore circa hoc argumentum apologeticum P.de Haes, *La résurrection de Jésus dans l'apologétique d" cinquante dernières années* (Romae 1953).

bilitate singulari; quod, cum veritas sit immobilis, signum est evidentissimum inefficaciae harum theoriarum.

1) Inter antiquiores theoria fraudis propria fuit in primis *pharisaeorum,* qui discipulis noctu venientibus voluerunt tribui occultationem corporis Iesu (Mt 28,11-15).

Similiter *alii iudaei posteriores* 2; *et* Celsus, qui etiam vult hoc mendacium illusionibus sociare λ

Saeculo XVIII Reimarus eandem theoriam suscitavit: discipulos furatos esse corpus e sepulcro, apparitiones fuisse tantum inventiones eorundem 4.

Alii recentiores malunt corpus ablatum esse a iudaeis (Réville, Le Roy) 5; vel a Iosepho ab Arimathaea qui, recogitans ignominiam propriae familiae allatam per sepulturam crucifixi, clam alibi corpus sepeliendum curavit (O.Holtzmann) 6.

544. 2) Theoria mortis apparentis praesertim a Gottlob Paulus proposita fuit, consona cum explicationibus naturalisticis, de quibus antea (n.251.475): Mors Iesu fuit tantum apparens. Omnia miro modo effecerunt sanationem vulnerati: scilicet, ictus lanceae effuso sanguine fuit allevatio medicinalis, unctiones pro sepultura fuerunt confortatio corporis semivivi, terraemotus ministravit possibilitatem e sepulcro egrediendi; ac tandem Iesus induit se vestibus hortulani et inventus fuit a piis mulieribus atque ab illis curatus 7. Hanc miram explicationem facete irridet ipse Strauss 8.

Ad hanc theoriam recenter accedit F.Spitta, qui resurrectionem Iesu non admittens, vult tantum admittere *miraculum sanationis Iesu* a Deo, ad libitum et gratis fontibus admissis vel reiectis 9.

Alii ad theoriam mortis apparentis accurrentes sunt Herder, Venturini, De Régla, K.Otto, Streffe lo.

545. Theoriae historico-criticae vocari possunt sequentes (η.3-6), eo quod, adhibeant criticam historicam; sed ex suis principiis naturalismi et subiectivismi:

2 Cf. S.Iustinus, *Dialog, cum Tryphone* 17 ct 108: MG 6,5123.725.728.

3 Cf. Origenes. *Contra Celsum 2,55:* MG 11,8843.

Votn zivecke Jesu und seiner Jünger ed. G.E.Lessing (Brunswick 1778); cf. supra, n.250. •149.475.

5 A.Réville, *Jésus de Nazareth* (Paris 1907) i,46iss; cf. Grandmaison, 2,410; Dieckmann, n.845.

« *Leben Jesu* (Tubingen-Leipzig 1901) 392s; cf. Dieckmann, n.845·

7 *Leben Jesu* (Heidelberg 1928); Dieckmann, η.845.887·

8 *Das Leben Jesufiir das deutsche Volk bearbeitet3* (Leipzig 1874) 298; verba Strauss in gallicum conversa habet Grandmaison, 2,410; germanicc vero Muller, *De vera religione* 447.

y *Die Auferstehung Jesu* (Gôttingcn 1918); Dieckmann, n.846.887.

10 Cf Tromp. *De revelatione** p 274 II 2 prop.6. praenotanda. n.5,b).

3) Theoria mythica proposita a D.F.Strauss (cf. n.252. 475): resurrectio est mythus sub influxu vaticiniorum V.T. (Ps 15,8-11).

Alii autem (A.Meyer, P.W.Schmiedel, A.Loisy) pro determinatione 'tertia die» appellant ad Os 6,3; 4 Reg 20,5 H; quamquam in his locis nihil de resurrectione Messiae continetur ideoque nec citantur in N.T.

4) Theoria historico-comparativa religionum explicare vult resurrectionem ex influxu religionum orientalium: primas communitates Christianas desumpsisse ideam resurrectionis ex desiderio habendi deum suum gloriosum sicut aliae religiones ethnicae; ideam dei resurgentis fuisse valde diffusam in toto Oriente. Sic apud populos colentes deitates vegetativas, sicut hieme quasi moritur natura et vere adveniente quasi resurgit, ita et dii horum populorum resurgere dicebantur: Osiris, Attis, Adonis... 12.

5) Theoria historico-morphologica describit originem et evolutionem ideae resurrectionis ex influxu litteraturae popularis (folklore), dissolvendo narrationes historicas et relationes in sua elementa primitiva. Litteratura enim popularis solet adhibere duo motiva ad vitam heroum extollendam: aphanisfnum et theophaniam (non invenitur corpus herois et ideo inter deos assumitur; cf. Aeneas, Romulus...). Ita E.Bickermann 13.

6) Theoria symbolica, quam praesertim *Harnack et modernistae* excoluerunt: fides in resurrectionem non tam fuit de ipso facto historico, quam de resurrectione symbolica, sc. de vita immortali lesu apud Deum (D 2037; cf. D 2036 2084). Resurrectio enim intelligebatur a primitivis christianis non realis, sed idealis.

Secundum Harnack distinguendum est inter nuntium de sepulcro vacuo et de apparitionibus *(Osterbotschaft)* et fidem paschalem: crucifixum vicisse mortem *(Osterglaube);* S.Paulum de hac fide agere (1 Cor 15) 14.

546. Theoriae psychologicae. Multi sunt qui tenent non posse explicari mere symbolice vel evolutione quadam mythica aut litteraria persuasionem tam late diffusam de resurrectione lesu; sed aliquod factum historicum admittendum esse: apos-

') Cf. Mangenot, *La résurrection de Jésus* 74-82; Dieckmann, 11.850.
«2 Cf. Grandmaison, 2,369.428-434510-532 (note P2).
13 Cf. Grandmaison, 2,411.504s. Tromp, *De Revelatione 27e* (1.2 prop.6. praenotanda, n.s,i).
34 Das Wesen de\ Christentums. Akademische Ausgabe (Leipzig 1902) 101 ; DiECKMANb. n.849·

tolos lesum vidisse... at hoc explicandum *psychologice.* Hinc sequentes theorias *psychologicas* vocare possumus.

7) Explicatio pathologica per visiones subiectivas: apostolos, praesertim Petrum, qui in alios influit, vel Mariam Magdalenam ex vivida imaginatione et desiderio videndi lesum, hallucinatione pure subiectiva eum ad extra proicere... Sic suo lyrismo Renan 15; et recentius A.Meyer *6.

8) Explicatio per experientiam irrationalem vel pneumaticam (R.Otto): resurrectionem lesu innotuisse Paulo aliisque apostolis non via conceptual! et intellectuali, sed via altiore, scilicet mystica, qua experientia interna lesum «videbant» 17.

9) Explicatio per visiones obiectivas, quales in mysticis eveniunt: fidem resurrectionis originem ducere ex fundamento vere obiectivo ad stabiliendam realitatem apparitionum lesu, scilicet ex miraculosis apparitionibus lesu cum corpore pneumatico, simili corpori quod in mortali vita gestarat... Ita E.von Dobschütz, Th.Korff 18.

10) Sententia occultistica mira sane est: fuit materializatio corporis lesu ex materia extracta ex discipulis, sicut in sessionibus spiritisticis accidunt «ectoplasmata; postea, forte in nube quae suscepit eum ab oculis eorum (Act 1,9), fuit dematerializatio... Ita R.A.Hoffmann et similiter W.Kuhaupt

n) Aliqui, non contenti explicationibus praecedentibus, fatentur aliquid manere mysterii in resurrectione et in effectibus productis (H.Gunkel); vel sibi quaestionem ponunt quomodo experientiae psychicae evadant exordia religionis qualis christianae (K.G.Goetz) 2°.

15 «Dans quelles conditions l'enthousiasme, toujours crédule, fit-il éclore l'ensemble de récits par lequel on établit la foi en la résurrection? C'est ce que, faute de documents contradictoires, nous ignorerons à jamais. Disons cependant que la forte imagination de Marie de Magdala joua dans cette circonstance un rôle capital. Pouvoir divin de l'amour! moments sacrés ou la passion d'une hallucinée donne au monde un Dieu ressuscité» *(Vie de Jésus*l3 c.26 p.449s).

Atque alibi idem Renan describit illusionem apostolorum circa resurrectionem lesu: apostolos inducit ipse anxios in sua exspectatione, non obstante depressione et timore, de quibus evangelia *historice* testantur et non obstantibus remorsibus propriae conscientiae. Omnes simul adsunt: «Pendant un instant de silence, quelque léger souffle passa sur la face des assistants. A ces heures décisives, un courant d'air, une fenêtre qui crie, un murmure fortuit arrêtent la croyance des peuples pour siècles. En meme temps que le souffle se fit sentir, on crut entendre des sons. Quelques-uns dirent qu'ils àvaient discerné le mot *schalom,* «bonheur» ou «paix». C'était le salut ordinaire de Jésus et le mot par lequel il signalait sa présence... Ce fut donc une chose reçue que, le dimanche soir, Jésus était apparu devant ses disciples assemblés: quelques-uns prétendirent avoir distingué dans ses mains et ses pieds la marque des clous...» *(Les Apôtres* (Paris, sine anno] c.i p.22-23). Cf. Pinakd de la Boullaye, *L'étude comparce des religions*3 (Paris 1929) 2, § 381 P.148S.

16 Die Aufcrstehung Christi (Tübingen 1905); Dieckmann, n.855·

17 Aufsàtze das Numinose betreffend (Gottingen 1923) 159 Auferatehungserlebnis aïs pneumatische Erfahrung); Dieckmann, n.852.887.171.

18 E.v.Dobschütz, *Ostern und Pfingsten. Eine Studie ?u l Kor 15* (Leipzig 1903); Th. Korff, *Die Aufcrstehung Christi und die radikaïe Théologie* (Halle 1908). Cf. Dieckmann, n.853.887.

19 R.A.Hoffmann, *Das Gehcimnis der Aufcrstehung Jesu* (Leipzig 1921); W.Kuhaupt. *Die okkulten Erschcinungen und das wunderbare um die Person Jesu* (Braunschweig (1925) 125. Cf. Dieckmann, n.854887.

20 Cf. Dieckmann, n.8s4·

547. Doctrina Ecclesiae. *Quoad primam partem,* lesum praedixisse suam resurrectionem, res est aperte de fide, quod contineatur clare in sacra Scriptura; et insuper proponitur in praedicatione et in magisterio ordinario Ecclesiae ut dictum a Deo, tamquam aliquid expressum in sacris litteris.

Quoad secundam et tertiam partem, lesum vere mortuum esse et resurrexisse, res non tantum continetur in Scriptura et docetur ut talis ab Ecclesia; sed insuper definitur in symbolis (D 2ss 13 16 20 40 42a 54 86 286 344) et in professionibus fidei (D 255 422 429 462 709 994 1463). Praesertim explicatur de «vera corporis sui morte et resurrexit vera carnis suae resurrectione et vera animae ad corpus resumptione...» (D 422; cf. D 462) idque «virtute propria sua» (D 286); et comedit ad confirmandam resurrectionem (D 344).

Per resurrectionem ut verum factum historicum probari lesu testimonium et legationem continetur in revelatione divina scripta et proponitur per magisterium ordinarium Ecclesiae ut dictum in revelatione lesu et apostolorum; constat etiam ex D 1625 (Bautain), D 1638 («Qui pluribus»); et agi de vero facto historico ex D 2036s 2084 (Modernistae).

Valor dogmaticus. Thesis ergo ex dictis, sub omni aspectu et quoad omnes partes, est *de fide divina et catholica.*

548. Probatur x.a pars: Iesus praedixit suam resurrectionem, eamque invocabat in confirmationem sui testimonii.

a) Etenim Iesus saepius de hac re locutus est: Pharisaeis interrogantibus qua potestate faceret purgationem templi respondit: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (Io 2,13-22; cf. Mt 26,61; 27,40; Mc 14,58). Item scribis et pharisaeis volentibus ab eo signum videre promisit *signum lonae:* «sicut enim fuit lonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus» (Mt 12,38-40; Le 11,29s). Item alibi iterum *signum lonae* pro signum postulantibus (Mt 16,1-4; Mc 8,iis). Atque *post confessionem Petri,* dum praedicit suam passionem et mortem, addit *oportere hunc Messiam et Filium hominis post tres dies resurgere* (Mc 8,30-32; Mt 16,20-22; Lc 9,2is).

b) Eadem praedictio recurrit *post transfigurationem* prohibendo ut nemini dicant visionem *donec Filius hominis a mortuis resurgat* (Mt 17,9; Mc 9,9). Atque *conversantibus in Galilaea* de eo discipulis ait: *tertia die re-*

surget (Mt 17.23; Me 9,31); similiter *ascendentibus lerosolymam* (Mt 20,19; Mc 10,34; Lc 18,33). Cf. etiam Mt 26,32 (Mc 14,28): «*postquam autem resurrexero,* praecedam vos in Galilaeam...».

c) In euangelio Io *praedictio recurrit pariter saepius:* in disputatione cum iudaeis *(pono animam meam* ut *iterum sumam eam* [Io 10,17]; *cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum* [Io 8,28s]); et ad discipulos *(vado et venio ad vos* [Io 14,28]; *iterum autem videbo vos* [Io 16,22]).

549. Inter has tam multas praedictiones notentur quae inveniuntur sub *a),* in quibus resurrectio praedicitur ut *signum propriae missionis et confirmatio proprii testimonii* (cf. etiam et Lc 24,44-46).

Ex omnibus autem locis allatis constat praedictionem resurrectionis non *esse rem mere accidentalem* in evangeliis, sed omnino substantialem: non tantum *propter numerum versuum* ad hanc rem spectantium, *diversis in locis* et occasionibus, sed *etiam propter connexionem organicam cum aliis.* Sic quaestiones de resurrectione organice cohaerent in evangeliis cum iis quae de passione aliisque narrantur, et inter se, ut legenti patebit: iterantur enim praedictiones in eodem evangelio (v.gr. Mt 16, 20-22; 17,9; 17,23; 20,19; 26,32); ad resurrectionem alludit sermo non raro apud loannem; signum lonae bis datur; comparatio templi solvendi et reaedificandi recurrit per falsos testes in processu passionis (Mt 26,61; Mc 14,58); ad illud spectant convicia in cruce (Mt 27,40). Adde et cohaerentiam horum omnium cum narrationibus de lesu resuscitato in ipsis evangeliis et in Act et in epistolis S.Pauli. Ergo, cum agatur de re substantiali in evangeliis, excluditur huiusmodi praedictiones fuisse interpolatas post conscriptionem eorum.

Quodsi evangelistae ex stricta historicitate horum librorum semper merentur fidem historicam, multo magis id dici debet cum agitur de re in ipsis substantiali. Unica enim ratio non admittendi praedictionem fuisset supernaturalitas huius eventus; hoc autem valeret de omnibus miraculis et prophetiis quae sunt in evangeliis nihilque in his genuinum restaret. Insuper, si praedictio Christi fuisset ab ipsis conficta, clare expressa fuisset ab initio in sensu verae resurrectionis, nec diceretur tarditas discipulorum ad rem intelligendam, sed *addita esset interpretatio tendentiosa (cf.* Io 2,22; Lc 18,34; h4c 9,32).

Praedictio vero facta est non verbis aequivocis, sed apertis, *adeo ut intelligeretur ab ipsis inimicis,* petentibus custodiam sepulcri (Mt 27,63s), et tandem clare ab amicis (Io 2,22; 20,9). Res enim praedicebatur *multis,* amicis et inimicis, *saepe et constanter.*

Ergo constat lesum praedixisse suam resurrectionem, et quidem in confirmationem sui testimonii.

550. Obiectiones. 1. Discipuli «nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis et non intelligebant quae dicebantur» (Lc 18,34); item «ignorabant verbum [resurrectionis]» (Mc 9,32). Ergo resurrectio non fuit clare praedicta.

Dist. *antec.* Discipuli non intellexerunt agi de resurrectione *saltem post impletam prophetiam,* id quod sufficit ad veram prophetiam, *nego antec.* (cf. Io 2,22; 20,9); ante impletionem prophetiae, *subdist.:* non intelligebant verbum materiale et conceptum vulgarem rei, *nego;* non intelligebant quomodo resurrectio et passio [nihil *horum:* Lc 18,34] cum sPe messianica coniungeretur, *conc.;* ideo et *verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset: cum ‹| mortuis resurrexerit* (Mc 9,10).

Pariter dist. cons. Resurrectio non fuit clare praedicta quantum ad veram prophetiam requiritur, *nego cons.;* aliter, *trans, cons.*

2. Praedictio de templo destruendo erat aequivoca, et poterat intelligi materialiter de templo ierosolymitano, quia venturum erat tempus in quo veri adoratores adorarent non in lerosolymis, sed in spiritu et veritate (Io 4,21-23).

Resp. In vaticinio de templo destruendo et reaedificando nulla est allusio ad cessationem cultus mosaic!, sed ad destructionem materialem alicuius templi, non alicuius cultus; et lesus dicit se illud reaedificaturum. Ideo non datur aequivocum cum cessatione cultus. Ceterum, si quis id admittat, admittet etiam verum vaticinium.

551. Probatur 2.a pars: Iesus vere mortuus est, non apparenter nec ficte, ut contendit theoria naturalistica.

Etenim talis est convergentia tot argumentorum et testimoniorum in hac re, ut historice dubium possit esse nullum. Mortem lesu testantur

1) *Quatuor euangelistae* historice fidedigni illam asserentes: Mt 27,50; Mc 15,37; Lc 23,46; Io 19,30.

2) *Milites* ante crurifragium: Io 19,32-34.

3) *Centurio* (Mc 15,39) et *Pilatus* ex eius informatione (Me 15.44s)·

4) *Principes sacerdotum et pharisaei:* Mt 27,63. Odium enim inimicorum tale erat ut non quiescerent, nisi certissimi essent de morte illius 21.

5) *Mater lesu, Ioannes, et ceteri* ad crucem adstantes et venientes ex amicis, certe non permitterent corpus duci in sepulcrum, si vel minimam suspicionem habuissent lesum tantum apparenter fuisse mortuum vel syncope teneri...

21 Circa mortem k-su ita disserit Renan: «Λ vrai dire, la meilleure garantie que jjossède l'historien sur un point de cette nature (i.e. circa mortem lesu), c'est la haine soupçonneuse des ennemis de Jésus. U est très douteux que les Juifs fussent dès lors préoccupés de la crainte que Jésus ne passât pour réssuscité; mais, en tout cas, ils devaient veiller à ce qu'il fut bien mort...· *(Vie de Jésus*' › c.26 p.444).

6) *Populus,* qui tormenta spectaverat, postea acceptans praedicationem *Petri et apostolorum:* Act 2,23 *(...hunc... interemistis);* 3,15 *(auctorem vitae interfecistis);* 4,10...; cf. et 1 Petr 3,18.21.

7) *S.Paulus* (1 Cor 15,3) mortem Iesu praedicavit ut rem a se acceptam et vicissim traditam et acceptatam.

8) *In Actis Pilati* sermo erat de eius morte 22.

9) *Insuper ictus lanceae* (Io 19,34) fuisset causa mortis; similiter *tota passio et sepultura;* nec possibilis erat in sepulcro signato et custodito sanatio naturalis.

552. Obiectiones. 1. Pilatus mirabatur de morte (Mc 15.44). Ergo passio et dolores non erant apta producere mortem.

Resp. Pilatus «mirabatur si *iam* obiisset. Et accersito centurione interrogavit si *iam* mortuus esset. Et cum cognovisset a centurione...» (Me 15,44s).

2. Non est naturale immediate ante mortem emittere vocem magnam, ut dicunt evangelistae. Ergo Iesus non erat in extremis.

Conc. antec. Sane id non est naturale; sed *nego cons. et consequentiam,* quia poterat esse *supernaturalis* illa emissio vocis. Ita evincitur ex toto opere facto a Iesu, ut sic ostenderet mortem suam fuisse omnino voluntariam: *ego pono animam meam;* sed de morte nulla est possibilis rationalis dubitatio.

553. **Probatur** 3.ll pars: Iesus vere resurrexit.

Notio resurrectionis. Resurrectio, seu iterata surrectio, supponit vitam praecedentem et mortem; est igitur *mutatio alicuius corporis humant ex statu mortui in statum viventis per informationem eiusdem numerice animae ac antea.* Sed opus non est ut corpus invêniatur cum iisdem proprietatibus et qualitatibus ac antea.

Resurrectio potest ita esse ut homo resuscitatus iterum debeat mori (Lazarus); item potest habere eosdem defectus ac antea. Sed resurrectio intclligitur *perfecta* si homo resuscitatus iam non amplius debet mori, et habet in corpore dotes illas gloriosas, quales novimus habuisse Iesum Christum in suo corpore resuscitato.

Resurrectionem Iesu probamus tlon *in fieri,* quia nemo illam vidit ex testibus 2J; sed agimus de resurrectione *in facto esse.*

554. **Probatur** 1. Ex inductione testium apparitionum. Argumentum sic conficiemus ut: A) conspectu apparitionum Iesu proposito, B) testes earum examinemus in primis evangelistas, et C) praedicationem et acceptationem resurrectionis Iesu in Ecclesia primaeva comprobemus; dein

22 Cf. S.Iustinvs, *Apolog.* 1,35: MG 6,384; cf. supra, n.380, 4.0

25 De resurrectione in/ier» canitur illud in *Liturgia Sabbati Sancti: »O* vere beata nox, quae sola meruit scire tempus et horam, in qua Christus ab inferis resurrexit».

D) testimonium peculiare Sancti Pauli in i Cor 15 uberius exponamus; tandem E) fraudem excludamus in his testimoniis datis, et F) deceptionem subiectivam testium; ut denique G) non agi de aliqua visione mystica obiectiva demonstremus, sed H) de identitate reali lesu viventis cum lesu resuscitato.

Λ) *Apparitiones lesu, iuxta historiam desumptam ex evangeliis, Act et i Cor* 15, *fuerunt sequentes:*

Apparitiones Iesu resuscitati

555. B) Veram resurrectionem lesu *testantur in primis euangelistae rem narrantes et Act 1,3-12;* atque omnes quibus apparuit. Quodsi evangelistae et Act habent plenam auctoritatem historicam, multo magis in asserenda hac re, quae apud illos est *omnino substantialis* et *organice cohaeret* cum praedictionibus resurrectionis et cum tota doctrina Ecclesiae primaevae.

Insuper resurrectio lesu *narratur modo sincerissimo,* omittendo ipsum *fieri* resurrectionis, quod aptum erat ad descriptionem et phantasticam idealizationem. Praeterea non devitant apparentes contradictiones sive divergentias in narrando, nec intendunt harmoniam inter narrationes claram efficere; nec tenentur praeoccupatione defendendi factum relatum, quod extra controversiam censetur.

556. C) Atque *haec fuit praedicatio et acceptatio Ecclesiae primaevae.*

Sic *S.Petrus* peculiari modo resurrectionem testatur, de ea saepius tractans: Act 1,21s (dum quaeritur novus apostolus, testis resurrectionis); 2,22-36 (applicando lesu prophetiam Ps 13,8-11); 3,15 (post sanationem claudi loquendo ad populum: *auctorem vitae interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis...);* 4,2.8-10 (coram synedrio); 5,30 (ante concilium); 10.39 (in conversione Cornelii); 1 Petr 1,2 t.

Sic *omnes apostoli:* Act 4,33.

Sic *omnes qui recipiebant sermones Petri et apostolorum,* in re facili nihil redarguentes, quod sane fecissent, nisi factum resurrectionis evidentissimum fuisset: Ita 120 homines in coenaculo (Act 1,15); ita illi 3.000 et 5.000 fidem ingressi (Act 2,32.41; 4,2.4)...

Sic *S.Paulus* et ecclesiae ad quas scribit. Sed de testimonio Pauli, propter eius momentum peculiare speciatim est agendum.

557. D) *Testimonium S.Pauli in 1 Cor* 15 27. Momentum huius testimonii in eo est quod sit *independens a praecedentibus,* ut etiam adversarii admittunt; atque sic habeat peculiare signum authentiae. Insuper, cum epistola ad Cor scripta sit probabiliter anno 55, certe non multum postea 28, in ea habebimus *testimonium valde antiquum* resurrectionis praedicatae, et iam antea acceptatae.

27 Cf. *Saint Paul. Première èpitre aux Corinthiens* (Paris 1934) p.3$7s; F.Prat, *La Théologie de S.Paul* 1 »2 (paris 1924) p.157-167·

28 Paulus, iuxta î Cor 16,8 scripsit hanc epistolam Ephesi; ibi autem pervenerat autumno anni 54; et post apostolatum trium mensium et alias persecutiones (Act 19,8s), ad quas videtur alludere in 1 Cor 15.30-32; 16,9, debuit scribere epistolam vere adveniente. Cf. Gaechter, *Introductio in Novum Testamentum* n.250.

558. *Expositio loci.* In i Cor apparet status primaevae Ecclesiae, dum S.Paulus in c.i-6 loquitur de abusibus, et in ŒSS respondet consultationibus a Corinthiis propositis.

In c.15 respondet iis «sapientibus» qui ex praeiudiciis hellenisticis (cf. Act 17,32 cum Paulus irrideretur in Areopago, loquens de resurrectione), negabant corporalem hominum resurrectionem vel de ea dubitabant, vel existimabant spiritualismo quodam sufficere animae immortalitatem.—Hunc errorem debellat Paulus ex eo quod id esset, logice et retrogrediendo, negare ipsam Christi corporalem resurrectionem, fundamentum fidei christianae. Postea quoque insurget contra eundem errorem in Asia minore incrassantem (2 Tim 2,17s). Quodsi loquitur de resurrectione mortuorum electorum, et non de damnatis, non ideo resurrectio damnatorum negatur; sed praestat nunc erigere spem christianorum, non timorem.

Primum agit Paulus, v. 1-11, de facto resurrectionis Christi; *dein,* v. 12-34, arguit ex illo facto ad demonstrandum factum nostrae resurrectionis; *tandem,* v.35-58, de modo resurrectionis et de victoria Christi ultima.

V. i. *Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium quod praedicavi vobis* [ergo resurrectio Christi erat obiectum praedicationis suae], *quod et accepistis* [id respondet ad «tradidi vobis», de quo v.3; ergo praedicatio illa, quae fuit anno 49 vel 50, iam tunc acceptata fuit Corinthi, ut articulus fidei], in *quo et statis* [tenetis scilicet hanc fidem], v.2 *per quod et salvamini: qua ratione praedicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis* [ironice dictum].

V.3. *Tradidi enim vobis* [τταρέδωκα, παράδοσι;, terminus technicus pro traditione orali] in *primis* [primum quod dicebat, non quod primis id evangelizaretj *quod et accepi* [cf. I Cor 11,23: «Accepi a Domino quod et tradidi...»; technicismus pro traditione orali: ergo Paulus rem tradidit oraliter, sicut et accepit illam oraliter, etiamsi illam noverit quoque supernaturaliter; accepit autem in conversione, ante 20 annos, fortasse ab Anania (Act 9), postea confirmatus ex Cepha et Iacobo. Neque agitur de doctrina sua personali, sed de doctrina communi: *quod et accepi;* quod praeterea constat ex sequenti formula fixa seu symboli. Res ergo erat communiter acceptata, et supponitur omnino nota et extra controversiam, quia ex illa vult arguere ad corporalem resurrectionem futuram]: *quoniam* [δτι, explicativum, non causam exprimens] *Christus mortuus est* [realiter, ut patet] *pro peccatis nostris* (morte igitur piaculari] *secundum Scripturas* [v.gr. Is 53; non ergo est inventio paulina].

V.4. et quia *sepultus est* [cf. Is 53,9· Ergo realiter mortuus fuerat; et non habebat corpus apparens, sicut postea docetistae dixere; et S.Paulus novit argumentum de sepulcro. Dominus etiam «dormivit», sicut postea dicet de fidelibus], et *quia resurrexit tertia die secundum Scripturas* [cf Ps 15,10 (Act 2,27); non necessario determinatio «secundum Scripturas» affectat ad illud: «tertia die», sed ad «resurrexit»; ceterum cf. Ion 2,1 (Mt 12,38-40; 16, 1-4 et parall.)].

559. S.Paulus indicat in his *realem* resurrectionem Christi: *a)* quia vult inde deducere argumentum pro *reali* resurrectione

corporum; *b)* hanc *realem* resurrectionem praedicabat in Areopago, ideo irridebatur (Act 17,32); *c)* resurrectio Christi connumeratur cum eius morte et sepultura, quae *reales* fuerunt; *d)* determinatio «tertia die» spectat sine dubio ad *realem* eventum; *e)* verba ἐγείρω, ἀνίστημι sunt eadem atque adhibentur agendo de *reali* resurrectione apud Mt 9,25 et parall. (de filia lairi), et Lc 7,14 (de filio viduae) et Io 11,24 (de Lazaro); *f)* apparitiones de quibus statim agit S. Paulus et in sensu obvio et in re probantur omnino *reales.*

560. V.5 *et quia visus est Cephae* [primo loco propter auctoritatem primatialem. quam Paulus sic et vocando eum Cepham agnovit], et post *hoc undecim* [-rots δώδεκα, nomen collegiale; etsi tantum fuissent undecim vel decem in absentia Thomae].

V.6. Deinde [ἔπειτα, sicut antea εἶτα: sed per se non necessario successione chronologica; cf. 1 Cor 12,28] visus est *plus quam quingentis fratribus simul* [unus Paulus narrat hanc apparitionem, nisi identificetur cum illa in Galilaea, de qua Mt ad finem; sed verba tunc prolata refert Mt pro undecim discipulis. Paulus nunc loquendo de fratribus affert etiam testimonium «ecclesiae discentis»]; ex quibus *multi* [ol πλείονεi, plerique] *manent usque adhuc, quidam autem dormierunt* [tantum enim 25 anni ab illo facto peracti sunt].

V.7. *Deinde* [ἔπειτα, non successione chronologica] visus est *Jacobo:* [Minori, lerosolymitano, qui magni fiebat apud illos Christianos; unus Paulus id narrat; fusius tamen in evangelio Hebraeorum], *deinde* [εἶτα] *apostolis omnibus* [scilicet, cum Thomas inveniretur cum aliis; vel ante Ascensionem].

Ergo S.Paulus non intendit enumerare omnes apparitiones, cum sine dubio cognosceret apparitiones factas mulieribus; sed testimonia quaerebat authentica sive «officialia», et ideo tacuit apparitiones mulieribus factas; quae ex eo fortasse quod erant praeparatoriae ad illas apostolorum non censebantur ut «officiales».

V.8. *Novissime autem omnium tamquam abortivo* [ἐκτρωμα, foetus praemature editus et mortuus. S.Paulus enim improviso et sine praeparatione, repente ac violenter, ac ex mortua matre [synagoga) editus fuit in Ecclesia], *visus est* et mihi [ὠφθη, visus corporaliter].

Ergo S.Paulus aequiparat suam visionem visionibus apostolorum, est enim pariter ut illi testis officialis, authenticus, resurrectionis. Ideo et, post digressionem v.9-10, prosequitur.

V. 11. Sive enim ego, sive *illi: sic praedicamus, et sic credidistis* [est enim testimonium unanime totius collegii apostolorum].

561. S.Paulus ergo solemniter ac certo in his loquitur; et proponit facta obiectiva, cognita per traditionem, et antea iam praedicata et sine dubitatione acceptata; atque etiam ipsa forma narrandi (καὶ ὁτι... et quia...) videtur redolere ipsam formam symboli et ipsam catechesim universalem, i.e. generalem omnium apostolorum, qua tradebantur oraliter veritates christianae.

In parte altera, v.12-34, Paulus, supposita veritate inconcussa corporalis resurrectionis lesu, supra exposita, arguit *pro*

corporali electorum resurrectione. Si quis enim negat hanc hominum resurrectionem, debet et Christi resurrectionem negare. Resurrectio enim Christi est causa et pignus resurrectionis nostrae, propter unitatem Corporis mystici, cuius caput Christus: monstruum autem esset, si Caput viveret, membra vero essent mortua. Atque hoc est exemplum laboris theologici, quomodo ex dogmate notiore fiat argumentum ad minus notum.

562. *Ex aliis locis Sti.Pauli* evincitur quomodo haec doctrina resurrectionis lesu alte imbibita fuerit in eius praedicatione, atque ubique acceptata: r Thess 1,9s: 4,14; Rom 1,4; 8,11.34; 10,9, quod spectat ad epistolas ab omnibus ut genuinas admissas.

Sed res clare apparet etiam in aliis: cf. Hebr 13,20; Eph 1,20; Coi 1,18; 2,12; 3,1.

Atque etiam alias praedicabatur, prout constat etiam ex Act 13,29-31; Ï7.3-3I; 25,19; 26,23.

563. E) *Excluditur fraus in his testimoniis* datis ab apostolis. Etenim *nullam tendentiam habebant ad fingendum* in hac re: constat eos restitisse antequam factum acceptarent; nonnullum autem singulari pertinacia. Illa spes et ille metus, inter se fluctuantes, quibus apostoli tenebantur, respondent omnino psychologiae humanae.

Non *erat eis causa decipiendi:* finxissent enim narrationem ad defendendum deceptorem sui, a quo nihil sperare licebat; nihil quoque a Deo, propter mendacium; nihil ab hominibus (synedrium erat eis adversarium et plenum odii), nihil nisi persecutiones, flagella...

Erat impossibilitas decipiendi: metus non mediocris tenebat apostolos; metus vero psychologice depressionem, non audaciam mendacii producit. Sepulcrum fuerat custoditum a militibus et sigillatum. Post absentiam corporis custodia non fuit punita, nec discipuli sunt fraudis convicti, inventione et adductione corporis, immo nec puniti ob furtum. Haec omnia indicant nullam fuisse fraudem.

564. F) *Excluditur deceptio subiectiva testium.* Hallucinationes enim vel illusiones (illusiones vocantur si adest aliquale fundamentum obiectivum) non incipiunt pro omnibus eodem puncto temporis—et duratione fixa (a die tertio ad quadragesimum, et non aliter)—et ex inopinato—et in diversis locis.

Hallucinationes natura sua proiciuntur ad extra et, cum non datur contactus rei proiectae, evanescunt 29. Hic autem

29 *Las alucinaciones se proyectan a! exterior y tienen la contraprueba dei tacto.* De origine et modo hallucinationum egit J.Lhermitte, *Origine et méchanismes des hallucinations:* EtCarm 18 (1933) 109-132.

testes, non modo vident et audiunt, sed *etiam palpant, i.e.* non modo habent imagines visuales et auditivas, sed etiam tactiles sensationes: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet...* Et Iesus *manducat* cum eis (Lc 24,39-43).

Multi ex testibus, sua natura robusta et sobria, non erant proni ad hallucinationes: immo debuit Iesus reprehendere eorum incredulitatem (Mc 16,14; Lc 24,22-26). Et facile a iudaeis convicti fuissent de hysterismo. A talibus hallucinatis non incipit illa valida et firma praedicatio, unde mundus convertitur.

Neque Paulus, iter faciens ad persequendos christianos, pronus erat ad videndum Iesum, in quem non credebat, resuscitatum; neque ex hallucinate incipit praedicatio illa abnegata, constans et universalis.

565. G) *Neque agi potest de aliqua visione mystica obiectiva.*

Primum, si quis id admittit, admittit aliquod miraculum dum aliud vitare vult.

Dein talis error in apostolis redundaret in Deum id permittentem. Testes enim bene norunt distinguere inter visiones et corporales apparitiones: sic *S.Petrus* in visione ante conversionem Cornelii (Act 10,10ss), et adverte differentiam quam ipse statuit inter hunc *excessum mentis* (Act 11,5) et apparitiones Domini nobis, *qui manducavimus et bibimus cum i.lo postquam resurrexit a mortuis* (Act 10,41). Et *S.Paulus* similiter, dum aequiparat suam visionem visionibus apostolorum (i Cor 15,3-9); et aliter loquitur de apparitione Domini sibi facta in via Damasci (Act 9,17; 22,14-15; 26,16) ac de aliis visionibus quas habuit (Act 16,9s; 18,9s; 22,17-21; 2 Cor 12,1-4).

566. H) *De identitate Christi viventis cum Christo resuscitato.* Etenim ex testimonio omnium testium agitur de suscitatione eiusdem corporis Christi, et quidem cum eadem anima. Hoc indicat idem modus sese gerendi; atque illud: *Videte manus meas et pedes, quia* ego ipse sum (Lc 24,39).

Idipsum constat *ex absurdo:* In suppositione enim gratuita alicuius quasi-informationis corporis *similis* per eandem animam, vel eiusdem corporis per *alienam* animam, sive per angelum sive per spiritum malum, sive per aliam creaturam, tunc non haberetur nisi factum praetematurale; quod est exclusum. Deus enim id non permitteret, propter deceptionem fraudulentam quae in eo esset; in contradictione cum praedicationibus legati adeo probati ut erat Iesus, et in contradictione cum illa vera resurrectione, quam invocabant Iesus et Apostoli.

567. **Probatur** 2.° Ex sepulcro vacuo 30. *Corpus Iesu vere sepultum est,* ut constat absque ullo dubio, in sepulcro novo — exciso e petra — in loco propinquo, — et clauso lapide magno — et custodito industria iudaeorum atque militibus Pi-

30 Cf. Dieckmann, *De revelatione* n.878s; Lercher. *Theolog. fundam,* n.195.

lati. — Corpus quoque fuerat praeparatum ad sepulturam, cum aromatibus, et involutum sindone (Mt 27,57-60; Mc 15,42-46; Lc 23,50-55; Io 19,38-42; i Cor 15,4).

Atqui sepulcrum, ubi corpus sepultum fuerat, die tertio vacuum inventum est. Hoc pariter constat ex evangelistis, et ex modo agendi iudaeorum, qui dixerunt discipulos corpus furatos esse (Mt 28,i2ss).

Ergo aut corpus sublatum est, aut Iesus vere surrexit.

Atqui non sublatum. Non sublatum furto, propter metum discipulorum et propter custodiam. Non absorptione in petram post terraemotum, quia sudarium et linteamina non fuerunt absorpta (Io 20,5-7), et scissura in petra apparuisset corpusque iudaei quaesiissent. Non translatione a iudaeis vel a synedrio facta, quia facile refutarent affirmationem resurrectionis adducendo corpus 31. Nec translatione facta a losepho ab Arimathaea, quod timeret ne proprium sepulcrum macularetur ignominia; quia hoc non cohaeret cum nobili natura huius amici lesu, qui praeterea non punitur a iudaeis vel a Pilato 32.

Ergo Iesus vere surrexit.

568. **Probatur** 3.° Ex mutatione simul inducta in APOSTOLIS, IN TURBA IUDAEORUM, IN ADVERSARIIS CHRISTI, a tempore Passionis ad diem Pentecostes 33.

a) *Constat enim apostolos* ex ignavia et timiditate tempore Passionis, atque post mortem lesu ex desperatione, in quam verisimiliter debebant procumbere, transiisse in zelum ardentissimum et in praedicationem uberrimam resurrectionis lesu—usque ad mortem—non obstantibus summis difficultatibus et persecutionibus.

b) *Plebs, quae erat lerosolymis,* tempore Passionis indifferens pro lesu, vel etiam ignava aut inimica, post Pentecosten, i.e. post eius mortem, doctrinam lesu eiusque resurrectionem admittit; et statim convertuntur 3.000, 5.000...

c) *Adversarii lesu,* olim in Passione acerrimi inimici et omnipotentes..., post Pentecosten nequeunt apostolos fraudis convincere, aut eos a praedicatione lesu resuscitati arcere (Act 4,18-21; 5,28-33.40...); immo aliquis timet, Gamaliel, ne ita contra Deum agat (Act 5,34-39).

569. Haec omnia constant ut factum omnino historicum: ex Act et ex historia tota, conflata ex fontibus diversis et ex facto fundamentali praedicationis lesu resuscitati...; atque

31 Ironice Tertullianus: <Hic est (Iesus] quem clam discentes subripuerunt ut resurrexisse dicatur, vel hortulanus detraxit ne lactucae suae frequentia commeantium laederentur» *(De spectaculis* 30: ML 1,737).

32 Et nota edictum Caesaris prohibentis sepulcra violare, recenter editum, pertinens vero ad tempora Augusti ve! Tiberii; de hoc M.Cumont, *Un reserit impérial sur la violation de sépulture:* RevHist 163 (mars-avril 1930) 241-266; J.Lebreton, *La vie et l'enseignement de Jésus Christ* N.S.3 (Paris 1931) 2,439s.

33 Cf. Pinard de la Boullaye, *Conférences de Notre-Dame* (1930) V § 3.

effectus perdurant in toto christianismo. Idque eo magis est mirum, quod falsi pseudo-prophetae, ut Theodas (Act 5,36) et Bar-Cochba (cf. n.507.520) nullum influxum reliquerunt.

Ergo aut agitur de fraude apostolorum, aut de illusione eorum, aut de vera Iesu resurrectione.

Sed *fraus* non faceret apostolos tam constantes et fortes mediis in persecutionibus, ac martyres... 34.

Neque *illusio* perseveraret post tormenta et persecutiones, neque faceret homines tam credulos, neque adversarios tam debiles...

Ergo vera fuit resurrectio Iesu.

570. **Probatur 4.0** Veritas resurrectionis admissa fuit aut ex evidentia rei et ex miraculis, aut sine evidentia rei et sine miraculis. Si primum, vera est resurrectio, utpote talibus sigillis comprobata. Si alterum, non datur ratio sufficiens huius admissionis, et «hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit» 35.

571. **Obiectiones.** 1. S.Paulus aequiparat suae visioni visiones quas apostoli habuerunt de Iesu (1 Cor 15,5-8). Atqui visio quam Paulus habuit de Iesu non fuit obiectiva. Ergo nec visiones quas habuerunt apostoli.

Trans, mai.; licet proprie in loco indicato (1 Cor 15) non visiones apostolorum aequiparat propriae, sed vice versa: *propriam visionem aequiparat visionibus apostolorum. Nego min.*

2. Paulus volens probare resurrectionem Iesu non adducit argumentum ex sepulcro vacuo, neque nuntios et visiones quas mulieres habuerunt et narrant evangelistae agentes de reali resurrectione Iesu. Ergo non intelligit veram resurrectionem ex sepulcro, sed tantum sensu *spirituali.*

Nego consequentiam. Si Paulus non commemorat directe illud argumentum ex sepulcro et illos testes, ideo est quia affert alia in casu plus efficientia et convincentia; et vult afferre testimonia, ut ita dicam, «officialia», eorum scilicet qui habent auctoritatem publicam, vel copiam testium in 500 et plus fratribus. Sed etiam *indirecte* affert sepulcrum vacuum, cum dicat Iesum sepultum fuisse et surrexisse; et hanc resurrectionem intelligit realem, utpote quae connumeretur cum morte et sepultura Iesu, quae fuerunt sane reales, et omnia secundum Scripturas.

3. Atqui resurrectio intelligitur a Paulo sensu spirituali. *Prob.* Ex usu N.T. *resurgere* supponit esse «sicut angeli Dei» (Mt 22,30). Atqui hoc supponit resurrectionem sensu spirituali.

Resp. 1) Non semper in N.T. resuscitatio intelligitur de statu quodam spirituali: sed interdum narrantur reales et corporales resurrectiones: Mt 9,25 (filia lairi); Lc 7,14 (iuvenis Nairn); Io u,23ss; 12,1.9 (Lazarus).

2) «Esse sicut angeli Dei» supponit quidem quandam spiritualizationem, eo quod in resurrectione perfecta cessent functiones vegetativae et generativae; sed non ideo negatur realis resurrectio corporis.

4. Atqui negatur realis resurrectio corporis. Prob. Iuxta locum paralle-33

34 Cf. S.Chrysostomvs, *Homil.* 4 et 5 in i Cor: MG 61,36.43-48.

33 S.Augustinus, De civitate *Dei* 22,5: ML 41,757.

lum (Lc 20,36) resuscitati erunt «aequales angelis». Sed angeli non habent corpus. Ergo nec resuscitati.

Dist. mai. Erunt «aequales angelis» ratione absentiae vitae generativae, quae est in quaestione, *conc. mai.;* ratione carentiae corporis realis, quasi plena assimilatio naturae humanae et angelicae, *nego mai.* Textus enim evangeliorum intelligendi sunt cohaerenter cum aliis ubi quaestio de reali corporis resurrectione est evidentissima: cum veniat «hora in qua omnes *qui in monumentis sunt* audient vocem Filii Dei» (Io 5,28); et Paulus in Areopago irridebatur quod resurrectionem intelligeret realem (Act 17,31s). Atque argumentum Pauli in l Cor non valet, nisi resurrectio lesu sit realis, eiusdem scilicet speciei ac realis resurrectio corporum.

5. Paulus in l Cor 15 vult tantum efferre *immortalitatem,* quam maxime intendit probare (versibus 19.32.58).

Resp. Paulus vult quidem probare immortalitatem, sed simul id probat *adducendo realem corporum resurrectionem.*

6. Resurrectio corporum, de qua Paulus, est spiritualis. Nam dicit v.44: *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale; et* cf. v.42-50.

Resp. S.Paulus id dicit ratione qualitatum gloriosarum quas corpus electorum induet in resurrectione; sicut semen quod est germen novae vitae, quin ipsum in terra plene exstinguatur (V.37SS).

7. S.Paulus insistit in spirituali tantum resurrectione. Nam dicit v.45: *factus est... novissimus Adam in spiritum vivificantem;* et V.47S: *secundus homo de caelo, caelestis... et qualis caelestis, tales et cqelestes.*

Resp. Haec omnia referuntur, sicuti antea, ad corporis spiritualizationem et ad conformationem spiritualem cum Christo. Sed corporalis resurrectio constat omnino, ex dictis et v.53: oportet enim *corruptibile hoc induere incorruptionem; et mortale hoc induere immortalitatem.* Cf. 2 Cor 5,4.

8. S.Paulus ita loquitur de suis visionibus de lesu, ut hae videantur mere internae. *Prob. a)* Gai 1.15s: *Placuit ei... ut revelaret Filium suum in me* (non *mihi); b)* 2 *Cor* 4,6: *Deus ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi lesu; c)* 2 Cor I2,iss: Si *gloriari oportet... veniam auteni ad visiones et revelationes Domini.*

Dist. antec. S.Paulus vult in his locis negare realitatem obiectivam visionis quam habuit de lesu, nego; vult diversimode *alia afferre* et extollere, conc. Nimirum *ad a)* vult efferre, eo quod debeat evangelizare, internam illuminationem proprii spiritus; similiter *ad b)* vult indicare se non modo externe, sed etiam interne in corde illuminatum fuisse; *ad c)* Paulus loquitur de suis mysticis visionibus.

9. Resurrectio lesu ita praedicta erat ut esset «Filius hominis in corde terrae *tribus diebus et tribus noctibus»* (Mt 12,40). Atqui haec circumstantia non servata fuit. Ergo vaticinium non exacte impletum fuit.

Resp. Mirum quod ipsi evangelistae defectum prophetiae in hac re, si quis esset, non animadvertissent.

Sed notandum hanc temporis determinationem diversimode exprimi etiam ab eodem evangelista. Sic Mt ιὁ,2ἳ; 17,23; 20,19 habet *tertia die.* Idem Mt 27,40 habet in *tribus diebus* (graece; Vg habet in *triduoj.* Mt 27,63 dicit post *tres dies;* et inde pharisaei iuxta Mt 27,64: «lube ergo custodiri sepulchrum *usque in diem tertium».*

Difficultas evanescit omnino, si advertis partem dici posse in modo loquendi iudaeorum computari ut diem integrum (diem et noctem) et de facto ita computari 36.

10. Ex Mt 28,17 apostoli ad finem «dubitaverunt» de resurrectione lesu.

)» Cf. l Reg 30,12; Esth 4,16: Ion 2.1; A.vox Hoonacker, *Les douze petits prophètes* (Paris 1908) 330; NIancexot. *La* resurrection *de Jésus* 80.

Resp. Apostoli *evidentes eum adoraverunt,* ot St ἐδίστασαν»: «qui tamen dubitaverant»; vel «quidam dubitaverunt», cum esset Iesus a longe; ideo «et *accedens* Iesus...» (Mt 28,17s).

11. Narrationes evangelistarum sibi invicem contradicunt.

Dist. *antec.* In substantialibus, nego; in accidentalibus, *subdist.:* vera contradictio adest sive obiective sive quoad nos, *nego;* adest difficultas eos in harmoniam certam et apertam redigendi, *conc. Hoc* certe non est mirandum ubi diversi homines narrant eundem eventum, et audientes non omnes circumstantias noverunt; praesertim si illi referunt rem recentissimam, ubi non omnes circumstantiae et adiuncta describuntur.

12. Atqui fontes ostendunt duplicem recensionem mutuo non concordantem in narranda resurrectione: nimirum aliam *antiquiorem et galilaicam,* iuxta quam apparitiones ponuntur in Galilaea; aliam vero *recentiorem et iudaicam,* iuxta quam apparitiones ponuntur in ludaea.

Resp. In his apparitionibus narrandis nulla est contradictio. Etenim ponunt apparitiones in ludaea Mt 28,9s; Mc 16,9.12.14.19; Io 20,11-29; 1 Cor 15,5.7. *Udem vero* ponunt apparitiones in Galilaea: Mt 28,16-20; Me 16,15s: Io 21,1-23; i Cor 15,6s. Unde non est oppositio inter evangelistas et singuli sibi constant; nam licet Christus voluerit sese in Galilaea speciali modo manifestare, id non implicat sese lerosolymis non manifestatum esse.

13. Idea resurrectionis exorta est ex syncrétisme religioso tunc temporis grassante, et ex mythis deorum mortuorum et suscitatorum.

Resp. Id gratis dicitur, et *obstant argumenta facta.* Resurrectio lesu ut factum historicum, loco et tempore certis, praedicata statim et acceptata fuit; *non nebula mysterii aut fabulae obvolvitur,* sicut mythi deorum resuscitatorum obvolvuntur. Atque apostoli in hac re sunt testes veracissimi, si admittimus historicitatem evangeliorum et Act, atque epistolarum Pauli.

Praeterea obstant tot differentiae inter resurrectionem Christianam et resurrectionem horum deorum gentilium, ut *nullo modo dependentia comprobetur.* Etenim pro christianis resurrectio Christi est *pignus futurae hominum resurrectionis,* quam gentiles spernebant (Act 17,32; 26,23s); et impudicitiae gentilium in his religionibus naturalibus *nihil habent commune cum puritate Christiana.* Huiusmodi enim dii salvatores, mortui et resuscitati, non sunt generatim nisi dii vegetativi in resurrectione sua naturam foecundantes ut principium masculinum 37.

14. Idea resurrectionis procedebat ex exspectatione messianica iudaeorum; atque determinatio temporis «tertia die» orta est ex V.T. (Os 6,3; 4 Reg 20,5); ideo dicebatur Iesus resurrexisse secundum Scripturas.

Resp. Re vera resurrectio praedicta erat in V.T. (cf. n.599); sed non erat in plebe iudaeorum talis exspectatio quae supponitur. Etenim apostoli resurrectionem aegre intellexerunt, et plebs exspectabat Messiam gloriosum, at non per passionem et mortem.—Textus qui adducuntur pro «tertia die» nihil habent de Messia, ideoque neque citantur ab apostolis in N.T.

Sr Cf. Grandmaison. *Jésus Christ* 2,369.423-434.510-532 (note P2); Tromp, *De metatione6* 1.2 prop.6 pars 2 n.3.

15. Si Iesus voluit ut omnes admitterent suam resurrectionem *«oportuit utique ut se suis adversariis, suo iudici, omnibus omnino ostenderet» 38.*

Dist. antec. Oportuit ut ipsis adversariis et mundo universo copiam faceret comprobandi veritatem suae resurrectionis, saltem argumentis mediatis, conc.; debuit omnibus sese immediate aspiciendum et palpandum praebere, nego. Deus enim dedit eum *manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo* (Act 10,40s).

16. Anno 1931 existimavit quis probabiliter haberi inscriptionem sepulcralem Iesu ex communi fossa; quia inventa fuit *ostotheca* cum inscriptione hebraico-aramaica «Iesus, filius Ioseph».

Resp. Leviter existimatum est hanc inscriptionem esse temporis Domini; sed inscriptio potest pertinere ad annos 150 a.Ch. ad 150 post Ch.; et praeterea illa nomina recurrunt saepius in inscriptionibus 39.

17. Sicut interdum angeli, qui apparuerunt hominibus, loquebantur et comedebant ac si essent veri homines, v.gr. Gen 18,9 «cumque comedissent»; 19,3 «et comederunt·; ita similiter et Iesus post resurrectionem corpore apparenti.

Resp. Angeli in his circumstantiis non dicebant se esse «veros homines» et «vere comedere», sed potius (Tob 12,18): *«videbar* quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor». Iesus autem dixit expresse (Lc 24,37-39): «Videte manus et pedes, *quia ego ipse sunt;* palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habent, sicut me videtis habere». Unde error noster in hoc casu redundaret in Deum permittentem.

ARTICULUS III

De vaticiniis in Iesum editis

572. Post miracula *in Iesu* et *a Iesu* patrata, venit consideratio miraculorum in *Iesum* patratorum: sunt veluti radii ab extra collustrantes imaginem Iesu, de se iam mirifice resplendentem — aut veluti voces qui ab extra Eum Legatum divinum acclamant.

Talia miracula sunt:

a) illa quae occasione eius annuntiationis, vel nativitatis, vel transfigurationis vel mortis... narrantur in evangeliis ;

b) *vaticinia messianica in Iesum edita.* De hisce vaticiniis thesim sequentem statuimus.

38 Celsus, «apud Origenem, *Contra Celsum* 2,63: MG 11,896.

39 Cf. RevHistEcd 28 (1932) 930.

1 Cf. de his breviter Dieckmann, *De revelatione* n.760-763. Pariter considerari possunt, connexa cum opere Iesu Nazareni illudque promoventia, *miracula quae narrantur in Act.* Scripsit dc iis J./X.Hardon, S.I., *The Miracle Narratives* tn *the Acts of the Apostles:* CathBiblQuart 16 (1954) 303-318.—Similiter, inter vaticinia connexa cum opere Iesu Nazareni, considerari potest vaticinium *prolatum a Matre Domini, Maria,* in suo cantico *Magnificat* (Lc 1,48): «... *beatam me dicent omnes generationes*,* quod per saecula continuo impleri videmus, ostendens gratum esse Deo cultum Mariae tributum; quod quidem vaticinium impletum intime cohaeret cum veritate operis et testimonii Iesu Nazareni.

573. In his vaticiniis V.T. invenietur imago *Christi* pro priori ad eius vitam. In qua quidem re, nota de multis scribi vitam post eorum mortem; de aliquibus, paucis, dum vivunt, v.gr. de Summis Pontificibus; de quo autem scribitur vita, antequam nascatur?

Id de uno Christo dici potest. Singuli vero prophetae aliquod tantum delineamentum, vel aliqua tantum, contulerunt; sed ad finem exsurgit figura tota et aperta. Singula vaticinia sunt, si vis, veluti parvi rivuli, aut sicut aqua descendens e praerepto cacumine quae serpit per anfractus diversa... donec ex omnium confluentia fit rivus notus, amplus, profundus, colligens diversas ex diversis locis aquas per vallem. Sic ergo et vaticinia.de lesu: initio singularia videbantur nec undequaque clara... donec e concursu omnium visibilis fit prophetia. Neque mirum quod, prophetia impleta in Novo Testamento, vaticinia Veteris clarescant. Est enim adagium: Novum *Testamentum in Vetere latet, Vetus in Novo patet.*

Thesis 35. Vaticinia V.T. impleta probant divinam legationem et testimonium lesu Nazareni.

Praeter auctores infra citandos pro singulis vaticiniis, in universum memorentur Raymundus Martî,2 *Pugio fidei adversus Mauros et Judaeos* (1276-1278: edit. Lipsiae 1687): F.Ceuppens, *De prophetiis messianicis in Antiquo Testamento* (Romae 1935); et auctores Theologiae fundamentalis, ut Ottiger, *Theolog. fundament.* 1,640-748; Pesch, *Praelectiones dogmaticae* l pars l s.3 a.3; Tanqubrey, *Synopsis Theologiae fundam.22* n.299-342; Muncunill, *De vera religione* n.359-491 ; Dieckmann, *De revelation?* n.750-756; Tromp, *De revelatione6* l.2 prop.8; Lercher-Schlagenhaufen, *Theolog. fundam,* n.208-223: Pinard de la Boullaye, *Conférences de Notre-Dame* (1930) IV; L.Murillo, *EI cumplimiento de los vaticinios proféticos:* Bibi 5 (1924) 113-139259-295·

574. Ad hoc argumentum appellavit *Iesus Nazarenus* saepe; sic in genere cum invitaret pharisaeos in disputatione: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere, et illae sunt quae testimonium perhibent de me* (Io 5,39). Atque ad discipulos ad Emmaus *incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant* (Lc 24,27); ita ut illi discipuli, quasi hoc argumentum non fuisset difficile, a lesu vocati fuerint *stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae* (Lc 24,25). Quod et omnibus discipulis pariter aperuit, *quoniam necesse est*—inquit—*impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me;* et tunc *aperuit-illis sensum ut intelligerent Scripturas* (Le 24,44s) 3*.

2 Raymundus Mart!. natus Subirais (Câtalaunia), ingressus Ordinem Praedicatorum, ex Commissione Capituli facti Toleti a.1250, incubuit linguae arabicae et Tunisium transvertit ad convertendos saracenos. Calluit non modo arabicam, sed etiam Hebraicam et chaldaicam linguas; atque in Hebraica eruditionem sibi multam acquisivit. Inter diversa eius opera celeberrimum est *Pugio fidei,* scriptum latine et Hebraice, ad ostendendum verum Deum, et iam venisse Messiam; item fidem Christianorum eandem esse ac veterum Patriarcharum et Prophetarum... Etiam iudaica encyclopedia *(Jewish Encyclopedia* t.8, London 1907) agnoscit Raym. Marti fuisse accuratum in citandis doctrinis quas refutat. Cf. *Encyclopedia Espasa* ad vocem.

3 Etiam aliis in locis alludit ad prophetias de se: Mt 11,4 (cf. Is 35,5s); 26,64 (cf. Dan 7,13); Lc 4.17-21; 18,31.

575· Item *evangelistae,* ut Matthaeus et loannes, atque *alii apostoli* argumentum ex prophetiis V.T. extollebant. *S.Petrus,* inter alia, dicebat: *Huic* [lesu] *omnes prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum* (Act 10,43); et *habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco...* (2 Petr 1,19)4* S.*Paulus* vero, Romae comprehensus, ad plurimos iudaeos qui venerunt ad eum in hospitium *exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de lesu ex lege Moysi et prophetis a mane usque ad vesperam* (Act 28,23).

576. Neque mirum videri debet hoc argumentum, maxime in apologetica pro iudaeis, conservantibus et cognoscentibus Scripturas, valde in usu fuisse s, atque *solemne fuisse in traditione Patrum Ecclesiae primaevae6.* Ideo nec nobis hoc argumento supersedere licet.

577- Quoad modum procedendi, quem servabimus, exponemus vaticinia eo ordine quo inveniuntur in libris V.T.: sic ordo magis continuus erit clariusquc apparebit evolutio et quomodo decursu temporis imago Messiae clarescebat; postea poterunt per ordinem vitae Christi vel per capita quaestionum in unum redigi.

In his vaticiniis, *supposita historicitate librorum V.T.* (cf. n.215-219 et tractatus *Introductionis in V.T.),*

1) sensus verborum declarandus erit, id quod maxime praestabimus per glossam inter [] positam;

2) ostendi debet textus referri ad Messiam, idque constabit vel ex analysi contextus—vel ex analysi eorum mirabilium quae praedicuntur, quae nemini nisi Messiae applicari possunt—vel ex traditione iudaeorum, quam rabbini docuerunt et targumin, vel attestatur sensus popularis, prout invenitur in evangeliis, ut in libris historicis... Sic adhibendae erunt rationes *exegeseos naturalis,* praescindendo nunc a fontibus revelationis ut talis; siquidem in hac demonstratione messianitatis lesu ex rationibus apologeticis et pure historicis non possumus adhibere fontes qua revelatos sine petitione principii.

In his vero rationibus adhibendis non *vacat nunc longioribus explicationibus incumbere,* et omnes interpretationes, quae ad singulos textus datae sunt, proponere aut excutere; sed, hoc praetermisso, *illam interpretationem seligemus, quae vel certa est vel quam probabiliorem habeamus.* Illud certe non erit inutile, in hoc tractatu de *lesu Legato divino* integram imaginem lesu pro viribus contexere.

3) Debebit ostendi *impletio vaticiniorum* et quidem in *uno lesu;* id quod, praesupposita narratione evangelica, sine negotio fiet.

4 Cf. etiam Act 2,25-35; 3,18: 1 Petr 1,10-12.

s V.gr., in Scriptura, *S.Stephaniis* (Act 7,52); *Philippus* (Act 8,35).

6 De hoc argumento apud *Patres* longe tractat Tromp, *De revelatione6* p.303-306; et cf. A.Lukyn Williams, *Adversus Iudaeos. Christian <Apologiae> until the Renaissance* (Cambridge 1935); item R ad indicem theologicum η.24.

4) Praetermittemus multa quae induci possunt spectantia ad regnum Messianicum vel ad Ecclesiam, non ad eius Regem; vel quae typice tantum aut symbolice dicuntur de Messia.

578. Adversarii fere conveniunt cum iis qui impugnant vaticinia a lesu edita (cf. n.501). Et iuxta plures *protestantes recentiores et liberales,* prophetae, cum ederent sua vaticinia quae appellantur messianica, non cogitabant illos eventus historiae Christi vel Ecclesiae, ad quos scriptores N.T. vaticinia applicant tamquam impletionem eorum. Sic G.Rosekmuller, B.Weiss, A.Dillmann, C.Steuernagel, W.Sanday[7].

579. Doctrina Ecclesiae quoad indolem propheticam V.T. relate ad Christum proponitur diversis in locis: in Concilio Florentino (D 711), in Syllabo Pii IX (D 1707), in Concilio Vaticano (D 1790), in Responsionibus de indole libri Isaiae (D 2115-2119), et de prioribus capitibus Geneseos (D 2126), et de psalmis propheticis et messianicis (D 2136), atque de evangelic Mt (D 2153).

580. Valor dogmaticus. Probari divinam legationem et testimonium lesu ex prophetiis V.T. continetur in revelatione divina, v.gr. in locis supra allatis in quibus lesus et apostoli appellant ad hoc argumentum (n.574s). Ex hoc ergo *thesis est saltem de fide divina,* et dicit argumentum de se sufficiens, etsi fortasse aliquibus *nunc* non ea claritate proponi possit qua pristinis iudaeis. Ex alia autem parte Ecclesia docet tamquam rem *scriptam* habere nos «firmiorem propheticum sermonem» et simul dicit prophetas prophetias edidisse tamquam signa certissima in ordine ad revelationem divinam sigillandam (D 1790); unde facile thesis videri etiam potest *de fide divina et catholica.*

581. Probatio. In probatione efficienda 1) *exponemus vaticinia,* dum interim indicabimus adimpletionem eorum in N.T.; 2) ostendemus haec omnia vaticinia, ex quibus omnibus simul conficiemus argumentum, *referri ad unam personam determinatajn, i.e. ad Messiam;* 3) *veritatem historicam, philosophicam et relativam horum vaticiniorum ex professo tractabimus.*

1) Expositio vaticiniorum sive imaginis Christi adumbratio.

7 De his agit L.Murillo. S.I., *El cumplimiento de los vaticinios profeticos:* Bibi 5 (1924 115-128.

582. Protoevangelium sive prima annuntiatio Salvatoris s. Gen 3,1-7 describitur seductio mulieris per serpentem, hominis vero per mulierem; et, post excusationes de peccato datas Deo (v.8-13), ipse Deus inducitur iudicium dicens in serpentem, in mulierem et in virum: simul proferens primum oraculum de aliqua futura salute obtinenda de serpente nuper victore (v.iqs). Hoc autem oraculum solamen quoddam est inter pressuras et aerumnas quae mulieri et Adae praedicuntur (v.16-19). Singula consideremus:

V.14 Et *ait Dominus Deus ad serpentem...,* videlicet ad illud animal singulare de quo in v.i 8§; quod quidem apparet ut ens maxime rationale, quia loquitur, et dicitur «callidior cunctis animantibus terrae»; est autem ens rationale male agens et malum intendens, quia inducit ad inoboedientiam et ad ethicam independentem a Deo (v.4s: «nequaquam morte moriemini, ... eritis sicut dii [norma moralitatis] scientes bonum et malum»). Est scilicet «draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas» (Apoc 12,9), de quo passim in Scripturis iudaeorum, nunc probabiliter utens animali ad modum possessionis.

Iudicium in serpentem profertur subiciendo illum mulieri, sicut mulierem viro, quasi qui alium in peccatum induxerit debeat et ipse alii subici;

Quia *Jecisti hoc maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae : super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitae tuae,* scilicet serpens sit symbolum tuae subiectionis et humiliationis 10*

V. 15 *Inimicitias ponam inter te* [serpens, diabolus, de quo antea] et mulierem [scilicet «mulier» de qua antea, Eva, quam etiam alloquitur Deus v.16; et simul «mulier» sensu collectivo, ut videtur, quia poena aerumnarum et subiectionis (v.16) est poena generalis. Attamen *«quaedam* mulier» peculiariter vel eminenter designanda intenditur. Haec non est Eva, quia Eva non habuit inimicitias *peculiares* cum diabolo quae indicabuntur-—neque ipsa illum vicit—neque per futurum Redemptorem, quia id quod posteritas facit, more hebraeorum patri Adamo adscribendum esset, non feminae.—Peculiariter ergo designatur *quaedam mulier* unde victoria de diabolo reportabitur, quae inimicitias habebit peculiares cum eo, ipsissimas, easdem quae enuntiantur statim inter semen serpentis et semen mulieris], *et semen tuum* [semen serpentis, sc. daemones, qui malitia sunt cognati principi daemoniorum, et sensu metaphorico geniti ab eo] *et semen illius* [i.e. posteritas mulieris, sc. filius immediatus, cum 'non dicatur «ex semine»; et congruenter filius virginalis, cum non memoretur pater].

Ex hac muliere peculiariter designata (sensu litterali pleniore—ut videtur), quae habet ipsissimas inimicitias cum diabolo ac eius filius, scilicet absolutas et perpetuas H, oritur etiam victoria plena de diabolo.

Ipsa [TM habet pronomen 3»· personae masculinum, Nï‘‘, hu', sc. ille filius; LXX masculinum αὐτό$. Unde filius, semen mulieris obtinebit victo-

8 De protoevangclio et de Genesi vide, in respectiva loca, A.Bεα, *De Pentateucho2* (Romae 1933);.F.de Hummelauer, Commentarius in *Genesim* (Parisiis 1908); P.Heinisch, *Das Bush Genesis* (Bonn 1930): Simôn-Prado, *Praelectiones biblicae, Vetus Testamentum* i» (Taurini 1940) n.59-64 (d. auctor etiam sequentia vaticinia pertractat); A.Colunga, *Las promesas mesidnicas det Genesis:* EsfBibl 13-14(1927) 9-13.

De charactere historico primorum capitulorum Geneseos cf. D 2123; EB 338 [334)· Recentius vero *epistola Secretarii Commissionis de Re Biblica ad Emm.Archicpiscopum Parisiensem,* die 16 ianuarii 1948: EB 577-581; D 2302.

9 In versu l serpens, hannahash, cum articulo: iuxta sensum hebraicum dici deberet serpens quidum, singularis et determinatus, qui loquitur cum muliere (v.2), et super quem recidet maledictio divina (v.14). De his et de serpente recenter egit J.Hofbauer, S.I., *Die Paradiesesschlange (Gn 3):* ZkathTh 69 (1947) 228-231.

10 Verba super *pectus* tuum *gradieris* et *terram comedes* sunt modus loquendi orientalium ad significandam profundissimam humiliationem: cf. Ps 71,9; Is 49,23 Mich 7,17.

l› Hinc conceptio immaculata huius Mulieris.

riam de qua postea; nihil autem impedit quominus et ipsa mater per ipsum filium dicatur vincere: sic potuit praevalere in Vg lectio ipsa] *conteret caput tuum* [TM «shuf» — conterere; sc. obtinebit plenam victoriam de serpente, cuius caput subicitur et destruitur 12], non tamen sine aliquo detrimento victoris, quia et tu *insidiaberis calcaneo eius* [TM tu *conteres,* idem verbum ac antea, «shuf»; LXX σὺ τηρήσει αὐτοῦ -πτέρναν — observabis ad insidias *(acechar).* Unde victoria fuit cum aliqua passione et insidia orta ex serpente in partem inferiorem illius futuri Salvatoris].

Sic ex hoc loco patet *Salvatorem futurum, et quidem in pugna spirituali, contra semen diaboli;* atque mulieri *Matri Salvatoris* partes peculiares reservari.

583. Postea in verbis Noe, quibus maledicit Chanaan et benedicit Sem inter filios suos, ostenditur desiderium quod *Deus habitet* in *tabernaculis Sem* (Gen 9,25-27); sicut postea dicetur habitaturus in tabernaculo Israel.

584. Ad Abraham patriarcham plures sunt promissiones, quae ostendunt *universalitatem* in salute quadam futura.

Gen 12,2S continet septem membris (ut etiam numero significetur universitas bonorum) benedictionem Dei in Abraham: *Faciamque te in gentem magnam* [numerosam; cf. 22,17] — *et benedicam tibi* [faciam te divitem omni •divitia; cf. 30,27; 39,5]—et *magnificabo nomen tuum* [reddam illud gloriosum] — scilicet, *erisque benedictus. — Benedicam benedicentibus tibi* [ergo haec benedictio aliis benedicentibus dilatabitur] — *et maledicam maledicentibus tibi* [ergo contradicentibus erit maledictio] — *atque* in te [in semine tuo; cf. 22,18] *benedicentur universae cognationes terrae* [benedictio igitur et gratia erunt universales, licet aliquibus contradicentibus erunt occasio ruinae; cf. Lc 2,34].

In mutatione nominis Abraham dicitur «pater multarum gentium», et additur: Gen 17,6 *Faciamque te crescere vehementissime, et ponam te* in *gentibus* [in gentes] *regesque ex te egredientur;* atque benedictio filio Isaac promittitur, nascituro ex Sara: v.16. Et *benedicam ei et ex ifta dabo tibi filium cui benedicturus sum; eritque in nationes et reges populorum orientur ex eo.*

Gen 18,17s eadem universalitas salutis promittitur: Num *celare potero Abraham quae gesturus sum, cum* [TM «certissime»] *futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, et benedicendae sint* in *illo omnes nationes terrae?*

Solemniore autem modo Gen 22,16-18 post oboedientiam de filio immolando eadem repromissio Domini invenitur, distinctius confirmando praecedentes. Et «quoniam neminem habuit, per quem [more hominum] iuraret maiorem» (Hebr 6,13): Gen 22.16 Per *memetipsum iuravi, dicit Dominus: quia Jecisti hanc rem et non pepercisti filio* tuo unigenito *propter me,* v.17 *benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli et velut arenam quae est in littore maris; possidebit semen tuum portas inimicorum suorum* [sc. triumpho pleno]; v.18 *et benedicentur in semine tuo* [in tua posteritate et in eo qui maxime est semen et in posteritate extollitur: futurus Salvator] *omnes gentes terrae, quia oboedisti voci meae.*

Gen 26,4s repetitur Isaac promissio Abrahae facta, cum nota *universalitatis;* et similiter Gen 28,14 'n visione scalae: *et benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae.*

12 LXX habent: αυτό σου τηρήσει κεφαλήν, i.e. *insidiabitur capiti;* sed hoc ideo est ut tandem illud destruatur et conteratur.

Gen. 35,11 benedictio et promissio de futura progenie Iacobo, filio Isaaci, iteratur post mutationem nominis in Israel.

585. Vaticinium Iacobaeum [13] Sed ipse Iacob moriturus, more patrum antiquorum filiis benedicens, congregatis ut ipsis annuntiaret quae ventura essent illis in diebus novissimis (Gen 49,1), peculiare prorsus oraculum prae aliis filiis enuntiavit pro Iuda. Sic, praetermissis Ruben ob incestum (Gen 49,3s; cf. 35,22) et Simeon et Levi ob trucidatos Sichemitas (Gen 49, 5-7; cf. 34,25), ius primogeniti pro parte quae respicit promissiones futuri Salvatoris transit in Iudam:

Gen 49,8 *Iuda* [i.e. laus] *te laudabunt* [paranomasia ex significatione nominis] *fratres tui* [Peccaverat quidem Iuda, sed paenitentia luerat propria crimina; cf. Gen 37,26; 38,26; 44,18ss: ideo non mirum quod a patre benedicatur]; manus tua in *cervicibus inimicorum tuorum* [unde plenam victoriam de hostibus reportabis, et ideo] *adorabunt te* [in tribu tua] *filii patris tui* [Sic re vera tribus Iuda laudabitur propter bellicas laudes et propter principatum inter ceteras tribus. Semper enim tribus Iuda fortissima fuit et nobilissima: prima ingredi audebit Mare Rubrum; prima in ordine castrorum et offerentium; dux ceterarum tribuum post mortem Iosue; de hac denique tribu David, Salomon, reges usque ad Babylonicam captivitatem, et Zorobabel dux populi redeuntis; et Messias dicetur leo de tribu Iuda (Apoc 5,5)].

V.9 *Catulus leonis. Iuda* [assimilatur leoni, principi animalium; nunc catulus coram patre]. *Ad praedam* [a praeda; LXX ἐκ βλαστοῦ], *fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo* [quasi victor et redux a praeda: de Messia postea dicetur «Vicit leo de tribu Iuda» (Apoc 5,5)] *et quasi leaena* [haec, dum catulos lactat, saevior est leone atque fortior]: quis *suscitabit eum?*

V.10 Non *auferetur sceptrum* [i.e. principatus] *de Iuda et dux de femore eius* [i.e. scipio seu sceptrum ad instar baculi attingentis terram et inter genua positi, prout in monumentis Assyriorum aliorumque invenitur], *donec veniat qui mittendus est* [plures codices TM «Siloh», iuxta quod: «donec veniat ad Silo» (in occupatione Palaestinae); sed tunc in occupatione tempore Iosue usque ad Samuelem nullus principatus datus est Iudae.—S.Hieronymus: «donec veniat Shiloh (pax)»; probabiliter legens aliam litteram similem.—Sed probabilius vox oritur ex contractione aliarum duarum, et vertendum cum LXX: «donec veniat cuius sunt haec (sceptrum et regnum), ἑως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ (alia lectio: ᾧ ἀπόκειται, cui haec iacent, sunt); sic quoque ex Targumin; —et cohaerenter cum Ez 21,27 qui vaticinatur de pontificatu et throno auferendo ex urbe Iudaica Jerusalem, donec veniat ille cuius est regnum: «Iniquitatem ponam, et hoc non factum est, donec veniret cuius est iudicium (i.e. regnum), et tradam ei»], et ipse [ipsi] erit *exspectatio* [i.e. reverentia, oboedientia] gentium. Illi ergo, cuius est principatus, promittitur oboedientia populorum: nota *universalitatis* quae erit propria regni messianici.

586. Unde, compendio, hoc oraculum est messianicum: *a)* propter hanc notam regni universalis, quae clarius adhuc apparebit in oraculis posterioribus; b) propter persuasionem universalem iudaeorum de Messia futuro ex tribu Iuda (cf. Hebr 7,14; Apoc 5,5); *c)* propter concordandam cum vaticinio ex Ez 21,27; *d)* propter traditionem iudaeorum et Targumin interpretantes hoc oraculum.

13 Cf. auctores supra citatos pro Genesi. Non pauca ex dicendis in hoc et in vaticiniis proxime immediate sequentibus refero ad praelectiones R.P.Iosephi Linder, S.I. (†). Oeniponte traditas.

Impletio huius vaticinii, quoad principatum ludae, constat ex historia posteriore populi Israel, et habetur etiam in hegemonia relativa ludae durante captivitate Babylonica, ubi erant iudices iudaici; item cum Macchabaei, e tribu Levi, regebant populum: id enim praestabant nomine tribus ludae. At si sceptrum aufertur de luda per Herodem Idumaeum, qui regebat nomine romanorum, et praesertim si principatus religiosus perit in destructione templi: signum adest Messiam, cuius est regnum, iam venisse (tunc regnum materiale transit in spirituale).

587. V.11 *Ligans* [luda] *ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam* [sic indicatur abundantia vitis quae erit tempore Messiae, ut passim reperiatur, etiam ad ligandos asinos]. *Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvae pallium suum* [tanta erit abundantia vini ut hyperbolice dicatur futurum etiam ad lavandum, nec tantum ad bibendum; quidam vident allusionem ad Redemptorem, qui lavabit sanguine stolam suam]. V.12 *Pulchriores sunt oculi eius vino* [scintillantes sunt oculi eius vino] et *dentes eius lacte candidiores* [albescunt lacte]: Sic abundantia vini et lactis prosperitas futura describitur, quae erit in terra ludae, ut aliqui volunt; vel probabilius benedictiones messianicae describuntur.

Ergo ex hoc vaticinio *potentia futura et laus in tribu luda* extolluntur; *de qua leo victor futurus* praedicitur; in cuius imperio *universali* abundantia quoque bonorum promittitur.

588. **Oracula Balaami**[14][15] Num c.22-24 narrantur occasio historica et eventus oraculorum Balaami, quadraginta annis post egressum populi Israel ex Aegypto. Balac rex vult per ariolos et maledictiones superare Israel, et vocat Balaam ut id praestet; sed Deus ad hostes confundendos et ad erigendum Israel, memor sui foederis, noluit audire Balaam vertitque maledictionem eius in benedictionem, eo quod diligeret Israel (Deut 23,4s)[15].

In primo oraculo (Num 23,7-10) Balaam, Israel contemplatus, extollit segregationem huius populi ab aliis; solus enim habitat et gentibus sese non accenset (v.9); dein laudat eius foecundam posteritatem (pulverem), et quam vere desiderat mori morte iustorum tam vere exoptat habere exitum ad instar huius populi (v.io).

In *secundo oraculo* (v. 18-24), cum Dei decreta sint immutabilia, non potest revocare benedictionem (v.igs), et in Israel non est iniquitas et idololatria, et lahveh est rex Israel fortis: cornua bonasi sunt ei (taurus ferox notus ex picturis Babylonicis et Assyriacis) (v.21-23); ideo populus ut leaena assurgit et non recumbet donec devoraverit praedam (v.24), id quod minam continet pro Moab.

In tertio *oraculo* (24,3-9) protestatur Balaam se esse veri Dei vatem, cuius apertus est [TM; Vg autem: *obturatus]* oculus (v.3s); et ab eo castra Israelis comparantur silvae florenti, quasi arbores excelsae plantatae a lahveh (v.5-7); atque fortitudo Israelis celebratur: assurget enim prae Agag (totum regnum Amalecitarum tunc florentissimum) et devorabit hostes, et ossa eorum per medium confringet (v.ys).

14 F.de Hummelauer, *Commentarius in Numeros* (Parisiis 1899); P.Heinisch, *Das Buch Numeri* (Bonn 1936).

15 Balaam tunc egit verum prophetam, quia res praedictae impletae sunt, et traditio iudaica et Christiana cum habent ut prophetam. Videtur agnovisse verum Deum, sed amavit mercedem iniquitatis, pecuniam propositam; ideo prava intentione maledicendi pergebat, donec correptus est (Num 22,78s; 2 Petr 2,15s); oostea idololatria et fornicatione voluit perdere Israel (Num 31,16; lud v.iî).

In *quarto demum oraculo* (24,15-24) vaticinium editur de rege futuro, cuius splendor et potentia extolluntur:

589. V.15 *Dixit Balaam* .filius *Beor; dixit homo cuius obturatus est oculus* [i.e. dum in exstasi oculi clauduntur; sed congruentius cum TM: apertus est oculus; non obturatus, ut Vg legit], v.16 dixit *auditor sermonum Dei, qui nouit doctrinam Altissimi et visiones Omnipotentis videt, qui cadens* [ruens] *apertos habet oculos;* v.17 Videbo [video] *eum* [sc. verisimilius ille qui dicetur esse stella, non populus], *sed non modo* [ergo post longum tempus]; *intuebor* [intueor] *illum, sed non prope. Orietur stella ex lacob* [rex ille futurus praeditus splendore, oriturus ex Israel; non stella Magorum, ex Oriente, ut vult S.Hieronymus], et *consurget virga de Israel* [sceptrum potens ex Israel]; et percutiet *duces Moab* [TM «utrumque latus Moab», i.e. universam regionem; ergo victoria completa] *vastabitque omnes filios Seth* [alii legunt hebr.: et verticem filiorum tumultus; alii interpretantur de Ammonitis]. V.18 *Et erit Idumaea* [Edom] *possessio eius, hereditas* Seir [alii hostes Israelis] cedet *inimicis suis; Israel vero fortiter aget.* V.19 *De lacob erit qui dominetur et perdat reliquias civitatis* [alii: reliquias Seir].

In v.20-23 victoria nuntiatur de Amalecitis (gens tunc nobilissima; vel prima quae pugnavit contra Israel: *principium gentiumj,* cuius posteritas aeternum peribit: pariter nuntiatur destructio Cinaei (Madianitae) per Assur (Oriens: Assyrii, Babylonici, Persae); sed etiam de regione Occidentali (Graeci et Romani) egredientur et dominabuntur: ipsi tamen peribunt.

590. In hoc igitur oraculo quarto agitur *de futuro rege splendenti et potente,* qui est Messias: sic constat ex traditione iudaeorum (v.gr. Targum Onkelos, Ps.Ionathas...); et temporibus Adriani falsus Messias fuit sub nomine «filius stellae», Barchochba 16. Cum sententia vero communiore, unice et directe agitur de Messia, qui sensu spirituali vere triumphum definitivum reportavit de omnibus populis: Moab, Edom, Amalec, Graecia, Roma...; victoriae enim Davidis de Moab et Edom non fuerunt plenae; et postea quoque ipse Herodes Idumaeus regnavit in Israel.

591. Vaticinium de propheta suscitando 17. Moyses docet in Deuteronomio populum ea quae faciunt pro societate publica: sic agit de institutione et officio iudicis (16,18—17,13), de institutione et officio regis (17, 14-20), de officio sacerdotum (18,1-8); atque tandem, contra diversa genera superstitionum agit de promissione Dei circa prophetam suscitandum humanum (v. 15-17) de gente et de fratribus Israel, sicut Moyses:

V. 18 *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui* [Moysi] *et ponam verba mea in ore eius loqueturque ad eos omnia quae praecepero illi.* V.19 Qui *autem verba eius, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exsistam.*

592. Hunc textum referri debere ad Messiam tenuit traditio iudaeorum, prout satis manifestatur ex verbis N.T. Ex evangelio enim constat

16 Cf. Eusebius, *Hist, eccles.* 4,6: Kch 429.

i? F.de Hummelauer› *Commentarius in Deuteronomium* (Parisiis 1901); H.Junker, *Das Much Deuteronomium* (Bonn 1933)·

in primis exspectatio quae erat tempore lesu Nazareni de aliquo propheta peculiariter magno atque insigni, mittendo a Deo: sic Ioannes Baptista interrogatur (Io 1,19-21) utrum sit propheta ille singularis (ὁ προφήτη , cum articulo), qui exspectabatur; et alibi plebs, post panum multiplicationem, dicit quod lesus vere est ὁ προφήτη?, [singulariter et determinate] qui venturus erat in mundum (Io 6,14); atque post festum tabernaculorum dicunt: «Hic est vere à προφήτη » (Io 7,40). Ex alia autem parte traditio iudaica tenebat Moysen praenuntiasse de Messia venturo: sic sermo est de eo «quem scripsit Moyses *in lege et* prophetae» (Io 1,45). scilicet, exspectatus Messias dicitur a viro populari praenuntiatus fuisse in *lege* Moysi; Samaritana vero, tantum admittens cum gente sua Pentateuchum, loquitur de Messia venturo qui «docebit» (Io 4,25), i.e. qui aget ut propheta; lesus tandem appellat ut ad locum messianicum, nemine ex audientibus contradicente, ad illum ubi Moyses de se scripserit (Io 5,46). Atque praedicatio S.Petri in eundem sensum refert (Act 3,22; 7,37). nemine pariter ex audientibus contradicente. Hinc *vaticinium mosaicum de propheta refertur ad Messiam.*

593. Textus autem videtur referri debere non tantum ad unum Christum; sed, cum plerisque, ad totam institutionem prophetismi. Rationes sunt sequentes: *a)* sicut antea (Deut 16,18s) sermo fuit de institutione iudicum, regum, sacerdotum, sic et nunc de institutione prophetarum; *b)* atque pro falsis prophetis normae dantur in contextu (Deut 18,20-22), quae non uni Christo poterunt applicari; *c)* vox «propheta», nabi', licet singulariter dicatur, at sensum collectivum admittit, de omnibus prophetis futuris.

Igitur probabilior est sententia significari in hoc loco seriem prophetarum futuram una *cum aliquo peculiariter designato et exspectato, qui futurus erat omnium prophetarum culmen.*

594. In cantico Annae[18]. In *1 Reg (1 Sam)* 2,10 Anna, mater Samuelis, gratias agens Deo pro filio suscepto, sed assurgens ex beneficiis privatis ad altiora beneficia Dei *publica* et *publice* loquendo, ac proinde—ut videtur—spiritu prophetico inspirata, loquitur de futuro Messia. Hic locus primus est ubi apparet haec denominatio pro futuro Rege Salvatore: *Dominus iudicabit fines terrae, et dabit imperium regi suo et sublimabit cornu* [fortitudinem] *Christi sui;* quod quidem potest referri ad unctum Davidem et ad totum sceptrum ex luda, maxime vero ad futurum Messiam, cui haec denominatio propria evasit.

595. Vaticinium Nathan[19]. 2 Reg 7,4-17 (r *Par* 17,1-15.) Occasione propositi Davidis aedificandi templi Domino (cf. etiam Ps 131,1-5) Dominus ei per prophetam Nathan commemorat beneficia olim collata atque futura. Et ait: v.11 ... *praedicitque tibi Dominus quod domum faciat tibi Dominus* [i.e. progeniem dabit tibi Dominus; sensus huius promissionis in sequentibus enucleatur].

V.12 Cumque *completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis* [post mortem igitur Davidis] *suscitabo semen tuum post te, quod egredie-*

[18] Cf. F.de Hummelauer, *Commentarius in libros Samuetis* (Parisiis 1886); K.A.Leimbach, *Die Bûcher Samuel* (Bonn 1936).

[19] Cf. eosdem auctores ac in nota praecedenti.

tur de utero tuo [sc. filius David nondum natus, Salomon, de quo statim sermo; atque etiam omnes descendentes et reges post Davidem, siquidem de aeternitate regni statim dicetur et Ps 88,21-38; 131,11-13 ita intelliguntur; simul etiam inter descendentes et reges posteriores designatur peculiariter, ut caput et culmen, aliquis rex de domo David, cui peculiariter convenire debent quaedam quae promittuntur: cf. Act 2,30 ubi S.Petrus, interpres traditionis iudaeorum (et iudaeis non contradicentibus) aliqua verba ex hoc loco refert ad Messiam], *et firmabo regnum eius* [perpetuitas regni davidici innuitur, ut etiam in versibus sequentibus apertius dicitur].

V.13 *Ipse aedificabit domum nomini meo* [hoc de Salomone valet, qui postea templum aedificavit et dedicavit], *et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum* [praedicitur ergo regni salomonici *aeternitas,* sicut et postea V.16, eaque in sensu proprio, non tantum in sensu longae durationis sicut saepe sumitur aeternitas in V.T.: Aeternitas in sensu proprio suadetur ex emphasi gratiarum actionum Davidis, v.24-29; et quia sine conditione dicitur misericordia non fore auferenda, v. 15; insuper et constat ex modo quo posteriores rem intellexerunt: Ps 88.29s.37s *("thronus eius ut dies caeli),* et Le 1,32s concordans sine dubio cum traditione iudaeorum et alludens ad hoc vaticinium circa Messiam: *dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit* in *domo lacob* in *aeternum et* (negative atque apertius dictum) *regni eius non erit finis].*

V.14 Ego ero ei in *patrem, et ipse erit mihi in filium* [hoc valet de Salomone et de tota progenie Davidis regia, speciatim autem de Messia; siquidem et S.Paulus (Hebr 1,5) id applicat Christo, supponens sine dubio id acceptari ab hebraeis, ex eorum traditione, ad quos scribit]. Qui si *inique aliquid gesserit, arguam ei in virga virorum et in plagis filiorum hominum* [haec certe non applicabuntur Christo impeccabili; ergo sub nomine *filii* et *seminis* non unice Christus, uti diximus, designabatur].

V.15 *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea.* V.16 Et *fidelis* [stabilis] erit *domus tua et regnum tuum usque in aeternum ante faciem tuam* [TM meam] *et thronus tuus erit firmus iugiter* [cf. Lc 1,33].

596. Ergo ex hoc vaticinio, messianico procul dubio ex frequentibus allusionibus ad illud in S.Scriptura, *Messias erit filius David et heres regni davidici;* quod quidem *regnum absolute praedicitur aeternum,* aliquo certe sensu. Cum autem aliunde (ex Ps 131,12) custodia legis dicatur conditio ut filii Davidis sedeant super solium eius in sempiternum, signum est regnum temporale sempiternum esse conditionatum; regnum vero spirituale et messianicum, ut etiam ex aliis vaticiniis constat, esse absolute aeternum.

Gratiarum actiones Davidis vide in 2 Reg 23,1-7.

597. Ex libro Psalmorum20: Psalmus 2. Hic psalmus

Pro interpretatione psalmorum, inter multos qui rem tractaverunt, cf. sis J.Knabenbauer, S.I., *Commentarius in Psalmos* (Parisiis 1912); F.Zorell. S.I., *Psalterium ex hebraeo latinum2* (Romae 1939); A.Vaccari, *I salmi tradotti dclVcbraico* (Torino 1937); S.del Pâramo, *Los salmos traducidos det hebreo y anotados* (Santander 1941); J.Cales, *Le livre des Psaumes* (Paris 1936); A.vander Heeren, *Psalmi et cantica* (Brugis 1932); H.Herkenne, *Das Buch der Psalmen* (Bonn 1936); J.Prado, C.SS.R., *Nuevo Salterio latino-espaüol* (Madrid 1947)·

Pro psalmis adhibebimus *lectionem ex recenti versione Pontificii Instituti Biblici,* qua uti licet pro recitatione Breviarii.

certe est *davidicus* 21 et *messianicus,* ex testimoniis apostolorum et communitatis christianae (Act 4,24-28) significantibus traditionem iudaeorum, itemque ex comparatione cum Ps 109 certe davidico et messianico (cf. n.ôoçs).

Accedit pro messianitate psalmi, praeter interpretationem veteris Synagogae et Patrum, frequens illius citatio ut messianici et allusio ad illum ut talem in N.T. (Hebr 1,5; 5,5; Act 4, 24-28; 13,32s; Apoc 2,26-28; Io ı,49)·

Sunt etiam rationes internae in hoc psalmo ad statuendam hanc messianitatem; quia descriptio quae fit regni *universalis* et in omnes gentes nequit regno pure terreno convenire.

598. *In prima stropha* (v.1-3) describitur seditio gentium et populorum qui tumultuantur; et ita *consurgunt reges terrae et principes conspirant simul adversus Dominum et adversus Christum eius* [prima communitas ierosolymitana vidit id impletum in Herode et Pontio Pilato convenientibus cum gentibus et populo Israel adversus Iesum (Act 4,27s); atque in universum id dici debet de omnibus conspirantibus adversus opus et doctrinam Christi].

In secunda stropha (v.4-6) Deus, dramatica antithesi, ante inimicorum conatus *ridet, Dominus illudit eis* et enuntiat: *At ego constitui regem meum super Sion, montem sanctum meum* [sc. regem regni messianici, cuius exordium et typus Sion].

Atque hic rex promulgat in *tertia stropha* (v.7-9) decretum Iahveh: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* [ergo Deus est Pater huius regis Messiae, in quo summa Christi dignitas continetur, et simul ratio indicatur cur ei regnum universale tribuendum sit (v.8s)].

Agitur hic de filiatione Dei naturali an mere adoptiva?

Agi de filiatione Christi naturali intellexit S.Paulus; quia, applicans illa verba Christo, dicit neminem angelorum ita vocatum esse (Hebr 1,5); cum tamen et ipsi angeli sint filii Dei adoptivi.

Quantum ad illa verba *ego hodie genui te,* quidam tenent (S.Augustinus, S.Thomas) esse explicativa priorum: indicant enim rationem cur sit filius, scilicet non per creationem et adoptionem, sed per generationem; *hodie,* sc. in esse permanenti aeternitatis.

Alii (S.Athanasius, S.Chrysostomus, Theodoretus...) volunt in iis verbis agi de generatione Christi temporali in sinu Beatae Virginis Matris, ex eo quod psalmus agit de Filio Dei incarnato et Rege, et hodie significat tempus praesens: at opponi potest Messiam non describi ut infantem, sed ut regem potentem.

Ideo et alii, idque probabilius (S.Hilarius, S.Ambrosius, C.Ai.apide, VAzquez, Linder...) illa verba interpretantur hoc modo: «ego hodie *manifestavi* te esse a me genitum», et quidem non in die baptismi (quia tunc non fuit peculiariter rex constitutus), sed in die Resurrectionis Christi, quando Christi regia dignitas et potentia manifesta est evidentissime, et Christus quasi nascitur ad vitam gloriosam in qua oportet illum regnare. Sic quoque, et praesertim, ex interpretatione S.Pauli (Act 13,33), ubi diserte ait: «Deus... resuscitans Iesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es

21 Iuxta Responsum Commissionis de re biblica denegari nequit in specie origo davidica huius psalmi et aliorum: 15 17 31 68 109 (cf. D 2133).

tu, ego hodie genui te...»; itemquc ad Rom 1,4: «[Iesus Christus] praedestinatus [i.e. declaratus] est Filius Dei in virtute... ex resurrectione mortuorum...».

V.8 *Postula a me et dabo tibi ger.tes in hereditatem, et in possessionem tuam terminos terrae* [consequenter ad filiationem Dei naturalem, propriam Messiae, et ad omnimodam potestatem quae ei tribuitur in caelo et in terra (cf. Mt 28,18), promittitur ei hisce verbis regnum universale et dominatus in omnes gentes, quae ad suum regnum vocabuntur].

Quoad rebelles autem v.9 *Reges eas in virga ferrea, tamquam vas figuli confringes eas.*

599. Psalmus 15. Hic psalmus pariter *davidicus* est, sicut praecedens 22. Id constat ex titulo psalmi, et ex dictis S.Petri (Act 2,25) et S.Pauli (Act 13,35), acceptatis a iudaeis. Est etiam *messianicus,* propter allusiones messianicas quas de eo fecerunt S.Petrus (Act 2,25-28) et S.Paulus (Act 13, 34-38); et, ut videtur cum plerisque, directe est messianicus, non mere indirecte et typice, quasi directe esset de Davide vel de quolibet tribulato qui in Deo confidat; aliquid enim (v.io) nequit Davidi applicari.

600. David describit in psalmo *orationem viri positi in tribulatione,* ad Deum confugientis [sicut et de Iesu dicetur eius oratio ad Patrem ante passionem, ea fiducia et animi tranquillitate quae est in hoc psalmo: Io 12,27s; 17; Mt 26.36-45]. Sic dispositus faciet divinam voluntatem.

Etiam ad mortem pergit confidenter, est enim certus de sua futura resurrectione: V.8 Pono *Dominum*—ait—in *conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi, non commovebor. V.9 Propter hoc laetatur cor meum et exsultat anima mea, insuper et caro mea requiescet secura,* v.io *quia non relinques animam meam apud inferos, non sines sanctum tuum videre corruptionem* [TM «foveam», *she'ol,* idem atque corruptio.—S.Petrus rem interpretatus est de resurrectione Messiae praedicta: Act 2,25-28; itemque S.Paulus: Act 13,34-38. De Davide enim id non dicitur: *David enim... appositus est ad patres suos et vidit corruptionem* (Act 13,36)].

601. Psalmus 21. Psalmus est davidicus, ut titulus et traditio indicant. Est etiam directe messianicus, cum multa in eo nequeant de Davide ipso intelligi (v.2.17-20) et quaedam ad regnum messianicum universale spectent (v.28-30).

In *prima parte (v.2-12)* proponitur lugubris querela viri positi in tribulatione et ad Deum concurrentis: v.2 *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? Longe abes a precibus, a verbis clamoris mei* [Hoc postea Iesus Nazarenus recitavit in cruce, sibi hunc psalmum applicans: Mt 27,46]. Sequitur oratio fiducialis illius viri, qui tandem dicit: v.7 Ego *autem sum vermis et non homo* [cf. Is 53,4], *opprobrium hominum et despectio plebis* [atque re vera Iesus Nazarenus postea irrisioni traditus et, comparatus Barabbae, reiectus, inter latrones crucifixus fuit; cf. Mt 27,27-30].

V.8 *Omnes videntes me derident me, diducunt labia, agitant caput. V.9 Confidit in Domino: liberet eum, eripiat eum, si diligit eum* [sicut et illi qui *praetereuntes blasphemabant* Iesum Nazarenum in cruce elevatum, *moventes capita sua... Similiter et principes sacerdotum il udentes cum scribis et senioribus dice-*

22 D 2133. Insuper ex decreto Commissionis de re biblica, approbato r iulii 1933. non licet Ps rs.ios sic interpretari quasi auctor sacer non sit locutus de Resurrectione Domini; cf. D 2272.

bant: ... confidit in *Deo, liberet nunc, si vult eum; dixit enim quia filius Dei sum. Idipsum autem et latrones... improperabant ei* (Mt 27,39-44)].

In sequentibus versibus, v. 10 s, mentio fit de matre, nulla autem de patre, etiam alludendo ad morem quo pater filium agnoscebat: v. 11 r *Tibi traditus sum inde ab ortu, ab utero matris meae Deus meus es tu.*

In secunda parte (v.13-22) describitur imago dolorosa viri: V.13 *Circumstant me iuvenci multi, tauri Basan* [robusti] cingunt me. V.14 *Aperiunt contra me os suum, sicut leo rapax et rugiens* [ita populus Israel (iuvenci multi), ita principes (tauri robusti) qui clamaverant contra Iesum: «Crucifigatur...» (Mt 27,20-23), et postea: «Tolle, tolle, crucifige eum» (Io 19,15)].

V.15 *Sicut aqua effusus sum et disiuncta* [non confracta] omnia ossa *mea: Factum est cor meum tamquam cera, liquescit in visceribus meis* [imago interni doloris et timoris atque desolationis].

V.16 Aruit *tamquam testa guttur meum, et lingua mea adhaeret faucibus meis* [«Iesus... ut consummaretur Scriptura dixit: Sitio...» (Io 19,28s)] et in *pulverem mortis deduxisti me.*

Iterum descriptio adversariorum insultantium: V. 17 Etenim *circumstant me canes multi, caterva male agentium cingit me, foderunt manus meas et pedes meos* [sic aperte in crucifixione Iesu; id quod de Davide dici nequit]. V. 18 *Dinumerare possunt omnia ossa mea. Ipsi vero aspiciunt et videntes me laetantur* [cf. Lc 23,25: «Et stabat populus spectans et deridebant eum principes cum eis...»].

V.19 Dividunt sibi *indumenta mea et de veste mea mittunt sortem* [cf. Mt 27, 35; Mc 15,24; Lc 23,34; Io 19,23s].

In tertia parte (v.23-32) effectus salutares ex hac passione proponuntur.

V.23 *Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in medio coetu laudabo te* [sic iterum constat character doctoris qui erit proprius Messiae] et sequitur (v.26) laus Dei per Messiam in *coetu magno* (nimirum in societate universali; cf. v.28-30); atque *vota* sua [sacrificia eucharistica] reddet in *conspectu timentiunt eum;* ita ut edant pauperes et saturentur (v.27); in regno scilicet universali.

V.28 *Recordabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terrae* [quam quidem universalitatem repetunt sequentes stichi]: Et *procumbent in conspectu eius universae familiae gentium.* V.29 Quoniam *Domini est regnum, et ipse dominatur in gentibus; v.30 Eum solum adorabunt omnes qui dormiunt in terra, coram eo curvabuntur omnes qui descendunt in pulverem.*

Atque laetus prorsus exitus erit pro Messia: Et *anima mea ipsi vivet, v.31 semen meum serviet ei.* Hic fructus benedictionis pro semine eius, sc. pro iis quos passione acquisivit. Narrabit enim de *Domino generationi venturae et annuntiabunt iustitiam eius populo qui nascetur: rHaec fecit Dominus».*

602. Psalmus 44. Hic psalmus celebrat nuptias alicuius regis peculiaris cum regina pariter peculiari. Illa enim quae iam ab exordio dicuntur nequeunt Salomoni, nequeunt item reginae cuilibet applicari, sed tantum regi prorsus singulari et divino. Atque, iuxta traditionem Hebraeorum et Patrum, datur in hoc psalmo allegoria, sicut in Cantico Canticorum.

S.Paulus autem, scribens praecise ad Hebraeos (i,8s), refert Messiae aliqua ex hoc psalmo. Accedit concordantia huius psalmi describentis regiam dignitatem Messiae, cum aliis psalmis sine dubio messianicis (Ps 2 et 109). Unde reliquum est

ut praesens psalmus non de Salomone dictus, nec canticum profanum amoris, sed *directe messianicus* habeatur; non igitur mere indirecte (typice) de Messia et directe de Salomone (ut Bossuet volebat).

603. Post *introductionem* (v.i), in *prima parte* (v.3-10) describitur sponsus: V.3 *Speciosus es forma prae filiis hominum, diffusa est gratia super labia tua* [cf. Lc 4,22], *propterea* [cognosco quod] *benedixit tibi Deus in aeternum.*

In sequentibus v.4-6 describitur ut *heros fortis,* qui cingit gladium, et dextera sua victoriam reportat de inimicis, qui ei subduntur.

V.7-10 describitur ut *rex:* v.7 *Thronus tuus, Deus* [sc. in vocativo: o Deusi; ergo hic rex vocatur Deus] *in saeculum saeculi; sceptrum aequitatis, sceptrum regni tui* [cf. Ps 71 ubi iustitia regni messianici extollitur]. V.8 *Diligis iustitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus* [sc. in vocativo: o Deusi; cf. Hebr i,8s ubi S.Paulus haec citat ad probandam dignitatem Christi supra angelos], *Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis* [nimirum: prae aliis regibus; vel unxit te gratia et laetitia prae aliis qui (ut christiani) dicentur consortes divinae naturae (cf. 2 Petr 1,4)].

Nihil mirum si v.9 *myrra et aloe et cassia fragrant vestimenta* talis regis, eique v.io.filiae *regum obviam veniunt* [nationes scilicet gentiles] atque regina *adstat ad dexteram* [Ecclesia sua, quam dicetur Christus diligere (cf Eph 5, 25); itemque animae quae ipsi copulabuntur gratia, atque in primis eius Mater Virgo immaculata].

In secunda parte (v.11-18) sponsa describitur et comitatus nuptialis; atque foecunditas spiritualis huius matrimonii proponitur, cuius filii orbem implebunt: v.17 *Loco patrum tuorum*—ad sponsam dicitur—*erunt /ilii tui; constitues eos principes super omnem terram.* V.18 *... propterea populi celebrabunt te in saeculum saeculi.*

604. Psalmus 68. Psalmus continet deprecationem ad Deum, viri in mare tribulationum immersi. Auctor est David, ut titulus indicat 23, qui, agens de tribulatione iusti, ex plurimorum sententia assurgit ad describendam, saltem typice, summam angustiam iusti per antonomasiam, Messiae positi in tribulatione. Atque in N.T. nonnulla huius psalmi de Messia intellecta sunt: v.io (Io 2,17; 15,24-26; Act 1,20; Rom 15,3...).

605. Multa quae sunt in psalmo concordant cum iis quae de Iesu Nazareno evangelia testantur. Sic descriptio v.2-5, *quoniam venerunt aquae usque ad collum, immersus in limo profundo,* meminit tristitiae Iesu usque ad mortem (Mt 26,38s...); sic et odium multorum: v.5 *Plures sunt quam capilli capitis mei, qui oderunt me sine causa* (cf. Io 15.24-26). Atque delicta quae huic iusto imputantur num, quae non *rapui, il a reddam; v.6... et delicta mea a te non sunt abscondita:* haec bene respondent satisfactioni vicariae, quam aliunde constat a Messia fuisse praestandam (cf. Is 53,5...; n.623).

Nihil mirum si, ut dicit iustus, v.9 *Extraneus factus sum fratribus meis...* v.io *Nam zelus domus tuae comedit me* [quod et discipuli Iesu ei applicaverunt;

25 Cf. etiam Rom 11,9 et D 2133.

cf. Io 2,17] *et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* [quod S.Paulus ad Christum refert: Rom 15,3].

Omnia spirant dolorem summum atque ignominiam, et fidentem deprecationem (v.14-22), adeo ut iustus dicat: v.21 *Opprobrium fregit cor meum et defeci, et exspectavi commiserantem, sed non fuit, et consolantes, sed non inveni* [cf. Mt 26,40.43.56...].

V.22 *Et indiderunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* [cf. Io 19,28-30].

Psaltes postulat in sequentibus (v.23-29) punitionem pro iis qui tam mala patraverunt, ita ut v.26 *Habitatio eorum devastetur, et in tabernaculis eorum ne sit qui habitet* [quod S.Petrus (Act 1,18-20) applicat ad punitionem ludae]. V.27 Quoniam, *quem tu percussisti, persecuti sunt, et dolorem eius, quem vulnerasti, adauxerunt.* Atque S.Paulus (Rom 11,9s) refert nonnulla (v.23s) ad iudaeos incredulos.

Deprecatio et gratiarum actio fiunt Deo a iusto (v.30-35); versus autem finales (V.36S), quibus spes instaurationis lerusalem proponitur, videntur indicare additamentum posterioris temporis exsilii babylonici.

606. Psalmus 71. Sub forma deprecationis describitur in hoc psalmo regnum in quo *iustitia summa, duratio perpetua, universalitas et summa copia bonorum* continebuntur; ita ut haec non regno terreno, sed regno messianico convenire debeant. Rex igitur huius regni est Messias; non agitur proinde de inthronisatione cuiuspiam regis celebranda.

Sensus messianicus psalmi constat etiam, praeter ex traditione iudaeorum et Patrum, ex affinitate cum aliis psalmis messianicis, ut Ps 2 et 109; et ex aliis locis parallelis certe messianicis (v.17: Gen 12,3; 22,18.—v.4: Is 11,4.—v.8: Zach 9,10).

607. *In prima parte* (v.1-4) celebrantur bona huius regni.

V.i *Deus iudicium tuum* [regnum tuum] *regi da, et iustitiam tuam filio regis* [Messias erit rex (Ps 2,6...) et simul de stirpe dadivica regia (cf. n.595s): hinc erit etiam filius regis.—S.Bellarminus intelligit hanc primam partem de Salomone, et typice de Messia].

V.2 *Gubernet populum tuum cum iustitia et humiles tuos cum aequitate:* pax, iustitia, protectio humilium erunt in hoc regno (v.3s) [cf. Is 11,4; Lc 4,18].

In secunda parte (v.5-7) proponitur praesertim perpetuitas regni: v.5 *Et diu vivet ut sol, et sicut luna in omnes generationes;* et v.7 *Florebit in diebus eius iustitia et abundantia pacis donec deficiat luna.*

In tertia parte (v.8-11) universalitas regni diversimode extollitur: v.8 Et dominabitur a mari [Indico] *usque ad mare* [Mediterraneum], *et a flumine* [Euphrate] usque *ad terminos terrae* [cf. Ps 2,8; Zach 9,10]; v.9 *Coram illo procident inimici eius, et adversarii eius pulverem lingent.* V.io amplificat ideam universalitatis regni: Reges *Tharsis* [in extrema parte meridionali et occidentali Hispaniae] et *insularum* [in Mediterraneo] *munera offerent; reges Arabum* [in Arabia felici] et *Saba* [in extrema Arabia] *dona adducent* [signum agnitionis regis]. Sequitur parallelismus sive repetitio eiusdem: v.ii Et *adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei.*

Jn sequentibus (v.12-17) bona iustitiae, misericordiae in pauperes, abundantiae et prosperitatis in eo regno, compendio dicuntur; simul et perpe-

tuitas et universalitas repetuntur: v.17 Erit *nomen eius benedictum* in *saecula; dum lucebit sol, permanebit nomen eius. Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae, omnes gentes beatum praedicabunt eum* [cf. Gen 12,3; 22 18].

608. Psalmus 108, a Davide compositus, ut titulus refert, continet dolorem prophetae ob detractiones inimicorum. Atque David typus fuit Christi, quem etiam, loco eum amandi, accusaverunt inimici; *ipse autem orabat* (cf. Lc 23,34).

Verba imprecantis, si non ponantur in ore inimicorum Davidis contra ipsum Davidem 24, sed in ore ipsius Davidis, amplificant idque orientali quadam hyperbole iustam petitionem humiliationis peccatorum insurgentium contra Deum, simul et praedictio sunt futurae punitionis. Atque S.Petrus (Act 1,20) ludae applicavit vel accommodavit verba v.8 *Dies eius Jiant pauci, munus eius (episcopatus eius) accipiat alter* 25.

609. Psalmus 109. Psalmus pariter certe est *davidictts* 26 et *messianicus,* ex testimoniis lesu (Mt 22,41-46) et S.Petri (Act 2,34s), quae acceptantur a iudaeis et indicant bene fundatam traditionem eorum.

Praeterea in hoc psalmo celebratur Rex singularis, cuius proprietates nequeunt alii regi terreno convenire: est enim *rex universalis, simul rex et sacerdos.* Quod et concordat cum aliis psalmis certe messianicis, ut Ps 2 44 71.

Hinc nihil mirum si in N.T. frequens recurrat mentio huius psalmi in sensu messianico (1 Cor 15,25; Coi 3,1; Eph 1,20; Hebr 1,3.13; 5,6.10; 6,20; 7,i7ss; io,i2s; Apoc 3,21).

610. *In prima parte* (v.i-3) celebratur Messias ut *Rex.*

V.i Dixit *Dominus Domino meo* [David ergo, auctor psalmi, vocat Messiam Dominum suum, agnoscens in eo superiorem dignitatem, cum sit eius filius: Mt 22,43; Mc 12,35-37]: *Sede a dextris meis* [i.e. esto particeps potestatis meae regiae, in throno gloriae meae; cf. 3 Reg 2,19 de matre Salomonis sedente in throno a dextris filii. Apostoli vaticinium de lesu post Ascensionem glorificato intellexerunt: Mc 16,19; Act 2,34; Eph 1,20; Coi 3,1; Hebr 1,3.13], *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* [sc. donec perfecte tibi subiiciam inimicos tuos et, more orientalium, ad pedes deponantur: ita colla eorum calcabis (cf. Deut 33,29).—Nondum enim post ascensum Christi in caelo perfecte devicti sunt inimici; sed volentes aut nolentes tandem devincentur,—Neque tamen post completum triumphum Christi desinet Christus sedere ad dexteram Domini sed perget regnare; cf. modum loquendi similem cum particula «donec»: Mt 1,25; 1 Cor 15,25].

V.2 *Sceptrum potentiae tuae protendet Dominus ex Sion* [«quia de Sion exibit lex et verbum Domini de lerusalem»; Is 2,3. Ibi enim incipiet propagatio evangelii et novum bellum spirituale]. *Dominare in medio inimicorum tuorum.*

V.3 *Tecum principatus die ortus tui in splendore sanctitatis* [Messias igitur

2 Pro hac opinione attende ad v.5.20 et ad ea quae dicimus in tractatu *De sacra* Scriptura n.126.

25 De toto hoc psalmo vide quae dicimus in tractatu *De sacra Scriptura* n.126.

2« Cf. et D 2133. Recenter studebat huic psalmo Etofxo Nacar, *Rey y Sacerdote. Salmo* rto: EstBibI s (1946) 281-302.

iam propter suam originem est rex]: *ante luciferum* (ergo ante mundi constitutionem] *tamquam rorem* [LXX: «ex utero»; i.e. ex natura divina] genui *te* [Ergo indicatur generatio divina et aeterna personae Messiae. Hic textus est proinde eminenter dogmaticus; restat tamen dubium cur hic praecise versus non allegetur in N.T. ad probandam divinitatem Messiae, cum totiens citentur v.i et 4.—TM ita habet: «Populus tuus promptitudines (promptissimus erit) in die exercitus tui (in die quo exercitus congregabis) in splendoribus sanctis; (sicut) ex utero aurorae (profluit ros copiosus), ita tibi ros iuventutis tuae (armatae, quae veniet ad te)».—Sed praeferenda lectio LXX, quae legi potest cum iisdem scilicet litteris hebraicis, sed diversa vocalisatione ac TM].

In secunda parte (v.4) celebratur *sacerdotalis dignitas Messiae: luravit Dominus et* non *paenitebit eum* [decreto igitur stabili et immutabili decernit quod sequitur]: *«Tu es sacerdos in aeternum* [ex interpretatione christiana hoc est: *a)* quia Christus vivit in aetemum; *b)* quia effectus unius sacrificii in cruce manet in aeternum (Hebr 7,23-25; 10,14); c) Qu'a ipse Christus, sacerdos principalis, per ministros et vicarios suos repraesentabit suum sacrificium usque in finem mundi] *secundum ordinem Melchisedec»* (i.e. ad similitudinem Melchisedec (cf. Gen 14,18s): *a)* quia Melchisedec erat simul rex et sacerdos, sicut Messias; *b)* quia Melchisedec iuxta nominis significationem erat «rex justitiae», et erat rex Salem (pacis): ita et Christus (Hebr 7,2); *c)* Melchisedec exhibetur in Scriptura sine genealogia et sine initio et fine dierum (Hebr 7,3): ita et Christus nemini successit et nemo ei succedit, sed habet sempiternum sacerdotium (manet sacerdos principalis, alii sacerdotes christiani sunt vicarii et ministri); *d)* Melchisedec obtulit sacrificium panis et vini: ita et Christus; hanc similitudinem extulit traditio christiana 27.]

In v.5.6: bellum Messiae contra inimicos, etiam reges, quos conteret et devincet. V.7 *De torrente in via bibet* [aliqui: de torrente tribulationis et passionis], *propterea extollet caput* [cf. Phil 2,8-11].

611. Vaticinia ex Isaia-8.

Is 2,1-4. V.i *Verbum* [i.e. res] *quod vidit Isaias, filius Amos super luda et lerusalem* [quoniam idem oraculom apud Mich 4,1·:5 iisdem fere verbis invenitur, et Michaeas coaetaneus est Isaiae, quaestio movetur disputata num Isaias e Michaea sumpserit oraculum, an e converso; vel etiam ex fonte communi].

V.2. *Et erit in novissimis diebus* [frequens allusio ad tempora messianica, quae repraesentant ultimam oeconomiam salutis] *praeparatus* [i.e. firmiter constitutus] *mons domus Domini* [i.e. mons Moria, in quo templum Domini, symbolum

27 Addi etiam potest haec similitudo: sicut Melchisedec ut superior benedixit Abrahae et successoribus eius, sacerdotibus Levi; ita et sacerdotium Christi praestat sacerdotio levitico aaronitico. De traditione Patrum circa Melchisedec, R.Galdos, *Mclquisedec en la patristica:* EstEcl 19 (1945) 221-246.

28 Cf. I.Knabenbauer, *Commentarius in Isaiam Prophetam* 2 v. (Parisiis 1887): 2.ª ed. a F.Zorell (Parisiis 1923); J.Fischer, *Das Buch Isaias* 2 t. (Bonn 1937-1939); A.Condamin, *Le livre d'Isaïe* (Paris 1905).

De valore vaticiniorum auac leguntur in Isaia et passim in Scriptura, cf. *Responsa Commissionis Biblicae* (28 iunii 1908): D 2115SS; EB 291SS [287SS].

luturae Ecclesiae] *in vertice montium et elevabitur super colles* [sc. non materialiter supra Tabor et Carmelum, sed metaphorice propter conspicuitatem sublimem quam habebit regnum messianicum, ut sit vere visibile et possint gentes venire] *et fluent ad eum omnes gentes,* v.3 *et ibunt populi multi* [indicatur universalitas futuri regni, quod erit centrum unicum legitimi cultus] et *dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei lacob, et docebit nos vias suas* [indicatur character doctrinalis magisterii, qui futurus est in regno Messiae] *et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de lerusalem* [haec ratio exhibetur a propheta cur gentes ascendant ambulentque in semitis Domini; effertur igitur lex divina ut proditura e lerusalem, simul etiam et verbum Domini].

V.4 *Et iudicabit gentes* [erit igitur regnum universale] *et arguet populos multos* [i.e. dictabit leges eritque arbiter]; *et conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces* [describitur pax futura, in qua instrumenta belli in instrumenta agriculturae, aratra falcesque, convertentur; eadem pax describitur in sequenti sententia]: *Non levabit gens contra gentem gladium nec exercebuntur ultra ad praelium.*

612. Is 4,2-6. V.2 *In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria* [hoc germen Domini, sc. quod Dominus germinare faciet, vel quod germinabit ex Deo, non designat materialem et physicam abundantiam terrae, neque salutem generatim procuratam a Domino; sed indicat aliquem determinatum, qui contradistinguitur postea ab «his qui salvati fuerint de Israel», pro quibus est magnificentia et gloria], *et fructus terrae sublimis* [hoc idem significat ac «germen Domini», sed aliter, quasi etiam originem ex terra, quoad naturam humanam illius, indicaretur], et *exsultatio his qui salvati fuerint ex Israel* [sc. iis quibus non eveniet punitio divina praenuntiata in Israel].

V.3-6 describitur sanctitas et protectio quae erunt in regno messianico.

613. Is 7,14.1529. Commoto corde domus David et regis ludae, Achaz, propter duos reges Syriae et Israelis, qui ascendunt in lerusalem ad praeliandum contra eam (7,1s). Dominus per Isaiam vult firmare animum Achaz, praedicens «non stabit et non erit istud» (v.3-9); Dominus insuper signum benigne paratus est dare (v.ios). Sed Achaz diffidens simulat nolle se tentare Dominum (v.i2); quare Isaias insurgit contra iniuriam illatam Deo (v.13) et profert oraculum:

V.14 *Propter hoc* [i.e. quia tu recusas petere signum] dabit Dominus *ipse vobis* [domui David] signum: *Ecce* virgo *concipiet et pariet filium* [TM ha'almah, cum articulo: haec *puella innupta* 30—quae determinato

29' Cf. EB 74 (59]; Pius VI anno 1779 damnavit opinionem hoc vaticinium de divino Emmanuelis ortu ex virgine non esse messianicum.

30 Aquila in sua versione habet νεδνι , *adolescentula,* pro παρθένο , *virgo;* quam interpretationem facile iudaei secuti sunt, quod ipsis faveret: cf. A.Vaccari, Instit. *biblicae i* I.3 n.133·

modo designatur indicando personam singularem—et quae sine interventu viri inducitur concipiens, vere virgo, et virgo pariens, siquidem conceptionis et partus miraculum et signum indicantur, est Beata Mater Emmanuelis; cf. pro pristina interpretatione iudaeorum Mt 1,22s et targum] *et vocabitur nomen eius Emmanuel* [i.e. «nobiscum Deus». Hic Emmanuel est ipse Messias, quia ei soli conveniunt quae de Emmanuele in hoc libro dicuntur; sc. terra luda, quae est terra lahveh, dicitur terra Emmanuelis (8,8), et nomina quae ei aptantur (9,6s) tantum Messiae et regi divino convenire possunt; et pro interpretatione facta a iudaeis de Messia cf. et Mt 1,22s]: v.15 *butyrum et mei comedet* [escas pauperum; vel sic poetice describitur infantia Salvatoris] ut *sciat reprobare malum et eligere bonum* [i.e. donec veniat ad annos discretionis; vel, vita peracta in paupertate, ita sciet Emmanuel reprobare malum et eligere bonum; cf. Hebr 5,8].

Ergo nativitas miraculosa Emmanuelis est signum voluntatis Dei, qui vult salvare ludam. Viso autem per prophetam Emmanuele Salvatore ut praesente, perspectiva prophetica hanc visionem coniungit cum circumstantiis praesentibus: v.16 *quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum* [i.e. veniat ad annos discretionis] *derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum* [i.e. vel «desolabitur terra quam detestaris (Ephraim et Syria)», vel «antequam ille puer infantiam agat, desolabitur terra ludae, pro qua tu curas ducis a facie horum regum»].

Sequitur descriptio punitionis ludae per Assyrios (v. 17-25); sed salvatio erit per *Emmanuclem* (8,8-10; 9,1-7).

614. Is 9,1-7. V.i *Primo tempore* [i.e. antea, olim] *alleviata est* [levis facta est et ignobilis] *terra Zabulon et terra Nephtali,* sed nunc, *et novissimo aggravata est* [i.e. gravis facta est et glorificata] *via maris* [Galilaeae vel Mediterranei], *trans Iordanem* [Peraea], *Galilaea gentium* [cf. Mt 4,12-16].

Describitur postea effectus illuminationis, multiplicationis gentis, *et etiam* laetitiae (quam magnificavit; ita contextus postulat) atque iubilationis propter bona messianica (v.3). lugum enim onerosum et virgam applicandam super humeros luda et baculum dominatoris confregit Dominus (v.4) sicut in die Madiam (ludie 7). V.5 *Quia omnis violenta praedatio* [facta] *cum tumultu* [cessabit; TM: «omnis calceus strepitosus militis»] *et vestimentum* [i.e. pallium] *mixtum sanguine erit in combustionem et cibus ignis.*

V.6 *Parvulus enim natus est nobis et filius datus est nobis* [in perfecto prophetico; cf. Lc 2,11], *et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi* [i.e. aeternus], *Princeps pacis.* V.7 *Multiplicabitur eius imperium* [i.e. dilatabitur] *et pacis* non erit *finis; super solium David et super regnum eius se-*

debit [recole vaticinium Nathan, n.595s], *ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia amodo et usque in sempiternum* [ecce bona messianica pacis et sanctitatis in regno sempiterno. Hae qualitates regni, et praesertim nomina quibus antea rex designatus est, nequeunt nisi Messiae convenire. Cf. Lc 1, 32.33]. *Zelus Domini exercituum faciet hoc.*

Prosequitur (c.9,8—10,34) descriptio atque minatio poenarum quas luent Israel et Assyria. Sed erunt in bonum luda. Et in bonum omnium, erit Messias:

615. Is 11,1-10. V.i *Et egredietur virga* [surculus] *de radice lesse* [i.e. de trunco lesse sepulto in terra post excisam arborem, quasi de familia David oblivioni tradita], et *flos* [i.e. propago, *renuevo,* eadem virga sive surculus, qui de radice lesse procedit: sic propter parallelismum] *de radice eius ascendet,* v.2 et *requiescet super eum spiritus Domini* [iuxta A.Vaccari hoc est donum *centrale seu fundamentale* datum Messiae, sicut scapus in candelabro septem brachiorum 31], *spiritus sapientiae et intellectus* [dona speculativa], spiritus *consilii et fortitudinis* [dona practice], *spiritus scientiae et pietatis;* v.3 et *replebit eum spiritus timoris Domini* [haec dona spectant directe ad Deum per eius cognitionem et reverentiam.—Animadverte non inveniri in TM donum «pietatis»; quare numerus septenarius donorum non inveniretur in TM, nisi sumas modum quo rem considerat A.Vaccari, supra propositum. Quod si TM habendus esset originalis in hac re, et numerus septenarius donorum desideraretur, non immerito commendaretur explicatio a Knabenbauer, iuxta quem verba TM *yir'at lahveh* non exhaurirentur per «timorem Domini», et insuper «pietas» in iis includeretur].

In sequentibus describitur *perfecta iustitia et potentia et fidelitas* huius regis Messiae (v-3b-s); allegorice quoque indicatur *pax* quae erit in hoc regno (v.6-9).

Et prosequitur v.io *In die illa radix lesse* [i.e. ille surculus de quo antea fuit sermo] *qui stat* in *signum populorum* [quasi vexillum pro populis], *ipsum gentes deprecabuntur* [seu quaerent; nota universalitatem regni], et erit *sepulchrum eius* [i.e. mansio eius ubi habitat] gloriosum.

Liberatio et colligatio reliquiarum Israel depingitur in sequentibus versibus (v.11-16). Et post haec *canticum laudationis,* quod dicet in die illa: Cum enim Deus iratus fuisset, conversus est furor illius (c.12,1); ideo fiducialiter aget populus Domini (v.2) et hauriet aquas de fontibus Salvatoris (v.3; cf. Io 4,13s; 7,37-39), et haec omnia nuntiabit in universa terra (v.4-6).

616. Is 28,16. In capite 28 oraculum profertur, ubi vae contra Samariam, cuius modum agendi imitantur cives lerusalem; et innituntur mendacio in eoque spem collocant. Sed est alius in quo spem collocare oportebit: v.i6 *Idcirco haec dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem* [iri fundamento novae theocratiae quae orietur ex Sion], *lapidem probatum* [i.e. electum, aptum ad hoc], *angularem* [basis et unio et norma directiva totius aedificii], *praetiosum* [cuius natura longe superior est ceteris aedificii membris], in *fundamento fundatum* [i.e. immobilem, praebens certam stabilitatem]; qui *crediderit* [in eum] non *festinet* [i.e. non trepidabit].

31 Cf. *Spiritus septiformis ex Is 11,2:* VerDom 11 (1931) I29-I33-

617. Is 35,1-10. Descriptae vastationi terrae Edom (34, 17) opponitur repente liberatio et exsultatio quae erit in Israel. Poetice haec describuntur (35,155)... V.4... *Deus ipse veniet et salvabit vos.* V.5 *Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt;* v.6 *tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum* [cf. Mt 11,4s].

618. Is4O,iss. Iam in hoc initio partis consolatoriae, quae deinceps erit in prophetia Isaiae, exhortatio est ad fiduciam: V.i *Consolamini, consolamini, populе meus...* est enim finis malitiae pro lerusalem, v.2... *suscepit de manu Domini duplicia* [duplices poenas, per hyperbolem dictum] *pro omnibus peccatis suis.* Et erit v.3 *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini* [cf. Mt 3,3; Mc 1,3; Lc 3,4-6; Io 1,23; ubi vaticinium applicatur loanni Baptistae]... v.5 et *revelabitur gloria Domini et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est...*

619. Vaticinia de servo lahveh:

Is 42,iss. Servus lahveh inducitur, qui Salvator erit Israel: V.i *Ecce servus meus, suscipiam* [i.e. protegam] *eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet* [i.e. legem iustam dictabit etiam nationibus, sive dominatum et regnum exercebit in nationibus]. V.2 Non *clamabit* (Vg neque *accipiet personam) nec audietur vox eius foris* [i.e. modestia notus erit]. V.3 *Calamum quassatum non conteret et linum fumigans non exstinguet* [afflictis et peccatoribus auxilio erit; cf. Mt 12,18-21], *in veritate educet iudicium* [i.e. in realitate faciet iudicium]. V.4 Non *erit tristis neque turbulentus* [i.e. non infirmabitur in suo animo, nec perturbabitur; TM «non languescet nec confringetur»] *donec ponat in terra iudicium* [illam sc. legem iustam et regnum suum, de quibus antea]; et *legem eius insulae* [regiones remotiores] *exspectabunt.*

620. Is 49,iss. V.i Audite, *insulae* [regiones remotae ct maritimae], et *attendite populi de longe* [ergo res, quae nunc dicenda erit, non mere particularis, sed universalis est]: *Dominus ab utero vocavit me* [proponitur electio facta a Deo de hoc servo qui loquitur], *de ventre matris meae recordatus est nominis mei* [i.e. naturae meae et muneris mei; ergo habet vocationem valde electam ct determinatam et efficacem, quasi a Deo, ut exprimitur in sequentibus] v.2 *et posuit os meum* [verbum meum] quasi *gladium acutum* [cf. Is 11,4; Hebr 4,12], in *umbra manus suae protexit me* [quasi gladius qui sub protectione sinistrae manus absconditur; ideo in securitate et refrigerio

constitutus est], et posuit *me sicut sagittam electam* [ΓM «nitidam», tersam, qua eminus ferit, sicut gladius cominus sternit; cf. Ps 44,4.6], in *pharetra sua abscondit me* [ergo educetur cum Domino placuerit]; v.3 et *dixit mihi: Servus meus es tu* [ergo agitur de servo lahveh], *Israel* [si hoc verbum pertineat ad textum originalem, non agitur de toto populo, quia postea, v.5.6, dicitur hic populus esse congregandus; sed datur Capiti nomen totius corporis, praesertim cum sit nomen personae singularis, lacob, et hic novus «Israel» oratione etiam et patientia sit «pugnator Dei»], quia in *te gloriabor* [TM «in te me gloriosum exhibebo»].

Proposita sua electione tam sublimi, servus lahveh dolet quod suus labor frustra fuerit: V.4 Et ego *dixi: In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi* [cf. Io 12,37 pertinaciam posteriorem iudaeorum...]; ergo *iudicium meum cum Domino, et opus* meum cum Deo meo [TM «attamen ius meum est penes Dominum, et opus meum penes Deum meum»].

V.5 Et nunc dicit *Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam lacob ad eum* [nunc proponetur id quod Dominus dicet ad solandum et ad ostendendam efficaciam actionis illius qui vocatione tam nobili vocatus est ut reducat lacob] et *Israel non congregabitur* [et Israel non vult aggregari? -vel, quasi interrogando et admirando: qui enim fieri potest contrarium, sc. quod Israel non congregetur? - vel legendo 'S ipsi, pro s'? non; Israel ipsi congregabitur. Ideo] et *glorificatus sum in oculis Domini et Deus meus factus est fortitudo mea.*

V.6 Et *dixit* [Dominus mc consolans]: *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus lacob et faeces Israel* [residuos; TM servatos Israel] *convertendas;* [et ei proponitur gloria multo amplior, quae erit'ex suo labore] ecce dedi te in *lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremum terrae* [ergo agitur .de aliqua salute universali et spirituali, ab eo qui erit lux mundi (cf. Lc 2.32; Io 8,12), reducens gentes universas ex ignorantia et peccatis; id quod de nullo propheta, praeter Messiam, dici potest].

V.7 *Haec dicit Dominus redemptor Israel sanctus eius ad contemptibilem animam* [i.e. cum recentioribus: ad eum qui ex animo a multis contemnitur], *ad abominatam gentem* [i.e. ad eum qui genti est abominationi], *ad servum dominorum* [qui—ex interpretatione Christiana—egrediens ex populo sub dominatione posito adeo fuit humiliatus, ut staret coram Anna, Caipha, Pilato, Herode...]: Reges videbunt et consurgent principes *et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est. et sanctum Israel qui elegit te* [sic contraponitur gloria quae erit ex humiliatione].

V.8 *Haec dicit Dominus* [proponendo sc. quaedam magis particularia de exaltatione servi lahveh]: *In tempore placito exaudivi te* [unde aliqua commendatio et oratio facta a servo lahveh ad Dominum, quae est exaudita; cf. Io I7,iss; Hebr 5,7] et in die *salutis auxiliatus sum tui* [cf. Is 50,7; 49,7] et *servavi te et dedi te* in *foedus populi* [sc. in novum foedus instaurandum inter Deum et populum, quia vetus est violatum, cuius violationis signum est in ipsa iam abductione populi in exsilium. Circa novum foedus cf. 1er 31,31; Os 2,18; Mal 3,1] ut *suscitares terram et possideres hereditates dissipatas* [sic terra vastata denuo erigitur, et hereditates derelictae iterum distribuuntur, sc. meliore sorte et conditione omnia innovantur], v.9 ut *diceres his qui vincti sunt: Exite, et his qui in tenebris: Revelamini* [iis sc. qui opprimuntur carcere et gemunt in obscuritate. Sequitur descriptio poetica prosperitatis futurae]: *Super vias pascentur et in omnibus planis pascua eorum* [i.e. ubique, etiam in clivis antea nudis, pascua invenient neque habebunt molestos itineris labores]. V.10 *Non esurient neque sitient, et non percutiet eos aestus et sol, quia miserator eorum reget eos et ad fontes aquarum potabit eos* [melius: «portabit» cum TM, LXX; cf. Apoc 7,17.—Sic Dominus pastor describitur

dementia plenus atque sollicitudine. Eadem sollicitudo apparet in sequentibus]: V.ii Et *ponam omnes montes meos in viam* [erunt sc. aspera in vias planas] et *semitae meae exaltabuntur* [altae fient et erunt faciles et conspicuae, ut nullus erret].

V.I2 *Ecce isti de longe venient et ecce illi ab aquilone* [a Septentrione] et mari [ab Occidente] et *isti de terra australi* [ita S.Hieronymus interpretando hebr. *sinim,* quod mons Sinai sit in meridie; sed alii malunt interpretari, ex contextu, de regione remotiore, et contraponunt occidenti de quo antea, ita ut rem intelligant de regione orientali, sc. Sinarum].

V.13 *Laudate, caeli, et exsulta, terra, iubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum et pauperum suorum miserebitur* [sic omnes creaturae exsultant laude propter consolationem factam per servum lahveh].

Sequitur *consolatio pro Sion c.49,14-26* quae intime connectitur cum gloria et opere Messiae. Hoc solatium protenditur *usque ad* c.50,3

In sequentibus proponuntur qualitates servi lahveh:

621. Is 50,4-11. Servus lahveh (de eo enim agitur aperte v.6, qui nequit Isaias esse) proponit suam oboedientiam, per quam Deus (conquestus v.2 quod nemo audiret) possit salvare: V.4 *Dominus dedit mihi linguam eruditam* [TM «linguam discipulorum», ut audiat quasi discipulus, et sic edoceatur a Domino; cf. Is 11,2; 49,2], ut *sciam sustentare eum qui lassus est verbo [ergo* id erit opus Messiae]; *erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum* [ergo Dominus quovis mane ei loquitur, et doctrina, quam hic servus profert, est eius qui misit illum; cf. Io 7,16.46; 8,26.40; 12,50; 14,24; 15.15].

V.5 *Dominus Deus aperuit mihi aurem* [edocuit me], *ego autem non contradico, retrorsum non abii* [quia quae placita sunt ei, facit semper; cf. Io 8,29; 14,31... Adeo est oboediens ut ostendat magnam fortitudinem, prout ostenditur in sequentibus]. V.6 *Corpus meum dedi percudentibus et genas meas vellentibus* [sc. barbam depilantibus]; *faciem meam* non *averti ab increpantibus et conspuentibus in me* [quasi in locum despectissimum qui ad hoc eligitur, et contumelia extrema (cf. lob 30,10); cf. Ps 21,7; 68,8.—Pro impletione in lesu Nazareno cf. Mt 27,30; Mc 14,65; Lc 18,32; 22,64; 1° 18,22].

V.7 *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus, ideo posui faciem meam ut petram durissimam* [TM «silicem».—Haec etiam dicuntur a servo lahveh, utpote cohaerentia cum praecedentibus (c.49,1.2.6.8) de promisso auxilio divino] et scio *quoniam non confundar* [cf. Io 16,33 ubi Iesus dicitur obtinere victoriam de mundo.—Ideo prosequitur:] V.8 *luxta est qui iustificat me* [suscipit defensionem iustam mei], quis *contradicet mihi?* [cf. Io 8,46]. *Stemus simul, quis est adversarius meus? accedat ad me.* V.9 Ecce *Dominus Deus auxiliator meus, quis est qui condemnet me?* [plena igitur securitate et confidentia constitutus est in Domino]. Ecce omnes quasi *vestimentum conterentur, tinea* [parvum sane instrumentum] *comedet eos.*

Sequitur exhortatio ad similem fiduciam: V.io Quis ex *vobis timens Dominum, audiens vocem* serui sui? Qui *ambulavit in tenebris, et non est lumen ei,* [hic] *speret in nomine Domini et innitatur super Deum suum.*

E contra minatio sequitur pro adversariis: V.ii *Ecce vos omnes accendentes ignem accinti flammis* [i.e. TM malleolis sive sagittis ardentibus oppugnantes, lingua et impietate], *ambulate in lumine ignis vestri et in flammis quas succenditis* [ironice dictum, quia haec vertentur contra eos]: *de manu mea factum est hoc* vobis, [scilicet] in *doloribus dormietis.*

In c.51—52,12 Dominus solatur Sion spe salvationis; in capite autem 52,i3ss iterum est sermo de servo lahveh.

622. Is 52,135s. Iterum redit sermo ad servum Domini, de quo antea (49,1-13; 50,4-11), ita ut magis distincte eius humiliationem et, propter hanc, eius exaltationem proponat Isaias.

V.13 *Ecce intelliget* [sapiens erit (cf. 1er 23,5), cum habeat spiritum Domini (cf. Is 11,2; 42,1), et ideo sapienter aget; licet stultitia crucis res agatur] *servus meus* [idem sc. de quo antea 49,1-13; 50,4-11], *exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde.* V.14 Sicut *obstupuerunt super te* [i.e. super populum Israel, quem Deus alloquitur; vel super servum lahveh, legendo «super eum»] *multi* [videntes humilitatem et afflictionem populi], sic inglorius erit inter viros *aspectus eius* [sc. servi Domini] et *forma eius inter filios hominum* [ita afflictio et ignominia populi Israel est imago afflictionis servi Domini; sed postea surget in gloria].

V.15 Iste [TM, LXX: «sic»] *adsperget gentes multas* [aspersione qua expiantur et mundantur et consecrantur, iuxta sensum vocis passim in Lev et Num unice adhibitum (si hanc lectionem sequimur TM). Haec autem aspersio sacrificialis unice a sacerdote fiebat; unde servus Domini designatur sic ut *sacerdos,* et innuitur initiaturus foedus novum, amplius vetere praecedenti cum Moyses aspersit populum (Ex 24,8); quippe qui aspergat non unum populum, sed gentes *multas* (cf. Hebr 9,11-22; 12,24). Pretio enim sanguinis sui Messias saepe describitur in Novo Testamento ut redimens, expians et mundans omnes homines 32], *super ipsum continebunt* [compriment prae stupore et reverentia] reges os *suum, quia quibus* non est *narratum de eo viderunt* [quia sc. viderunt quod non est eis narratum], et qui non *audierunt contemplati sunt* [cf. Rom 15,21].

623. Is 53,iss. At vero, nuntiata illa futura exaltatione, difficile erit credere humiliationem servi Domini 33, nisi Dei potentia in ea agnoscatur. Ideo propheta ait:

V.i Quis *credidit auditui* [nuntio] *nostro?* [ergo pauci id credent], et *brachium Domini* [eius sc. potentia quae in hoc ostenditur et ad hoc credendum est necessaria] cui *revelatum est?* [cui innotescit?; sine dubio de iudaeis id dicit, quia antea reges dicebantur super ipsum continere os suum...]. V.2 *Et ascendet sicut virgultum coram eo* [crescet sicut surculus ex trunco abscondito (cf. Is **n,1**) et humili, coram Domino] *et sicut radix de terra sitienti* [de terra sc. arida et pariter humili, nimirum de populo humiliato et oppresso; alii intelligunt de terra foecunda non pluvia aut labore humano, scilicet de Virgine Matre: sed hoc videtur non ad humiliationem, sed ad gloriam spectare]. Non est species ei neque *decor, et vidimus eum,* et non erat *aspectus et desideravimus eum* [scilicet, non erat ei forma aspectabilis ut eum desideraremus; alii: non erat ei decor ut eum aspiceremus, et non erat aspectus ut eum desideraremus]; v.3 *despectum et novissimum* [vilissimum] virorum, virum *dolorum et scientem* [bene expertum] *infirmitatem* [vulnera et tormenta], et quasi *absconditus vultus eius et despectus* [quasi omnes faciem

33 Cf. Mt 20,28; 26,28; Mc 14.24; Lc 22,20; Act 20,28; Rom 3,25: 5.9; · Cor >1.25; Eph 1,7; 2,13; Coi 1,14.20; Hebr 9,12.14; 12,24: 13,12.20; t Petr 1,2.10; 1 Io 1,7; 5.6...

33 In hoc capite evidentissime apparet *servum lahveh* non esse *meram idealizationem,* quia de eo praedicuntur res omnino reales; *neque esse populum Israel,* ut contendunt quidam acatholici: innocentia enim quae de eo praedicatur (v.6) et expiatio iniquitatum gentium quae ab eo fit, haec nequeunt populo Israel applicari; qui et contradistinguitur ab hoc servo: c.49,s: so.to; 53.8.—Item servus *lahveh* nequit *esse complexus bonorum Israelitarum,* quia etiam hi. lique maxime, sunt populus Israel, et servus lahveh contradistinguitur a populo Israel; quin et ab hisce fidelibus contradistinguitur aperte (50,10). Praeterea hisce fidelibus praedicatio prophetica praenuntiabat bona, non expiationem peccatorum. Ideo servus lahveh, praetermissis etiam aliis gratuitis commentis, est tantum persona realis: Messias. Sic senserunt SS.Patres ex traditione accepta atque ex verbis N.T. (Mt 12,17; Lc 22,37; 1 Petr 2,21-25); sic catholici omnes, sic antiqui iudaei. Ideo in uno Iesu Nazareno, qui etiam aliunde Messias probatur, haec praedicta, apprime impleta videmus.

ab eo avertant cum horrore; alii: quasi abscondens vultum prae pudore], *unde nec reputavimus eum* [sc. populus Israel non aestimavimus eum].

V.4 *Vere languores nostros ipse tulit* [sc. hic profecto (cum emphasi) dolores nostros seu castigationes nostras, quas nos meruimus, in se assumpsit (melius quam *abstulit;* sic ex parallelismo cum sequenti sententia), et consequenter etiam abstulit sequelas peccati, infirmitates; cf. Mt 8,17; i Petr 2,24] et *dolores nostros ipse portavit* [sc. cum onere; ergo servus Domini praestabit satisfactionem vicariam pro nobis], et nos *putavimus eum quasi leprosum* [sc. plaga divinitus inflicta] et *percussum a Deo et humiliatum* [propter eius iniquitates, cum tamen pateretur pro nobis].

V.5 *Ipse autem vulneratus* [TM transfossus] *est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra* [sic diversis modis, usque quatuor, repetitur eadem sententia], *disciplina* [castigatio] *pacis nostrae super eum, et livore eius* [TM: vibicibus vel livoribus] *sanati sumus* [cf. 1 Petr 2,24].

Et dans rationem de nostris iniquitatibus: V.6 *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit* [sequens proprias concupiscentias aberrando a recto tramite], et posuit *Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.*

Ipse vero libere et voluntarie haec omnia patiebatur: V.7 *Oblatus est* [sacrificio et immolatione, vel sistendo se et offerendo se deprehendentibus et iudicibus] *quia ipse voluit* [cf. Io 18,4-11; TM habet: «oppressus est et ipse se submisit», seu tulit patienter] *et non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur* [TM «sicut agnus ad occisionem ducitur»] et, quasi *agnus coram tondente se, obmutescet et non aperiet os suum* [TM: «quasi ovis coram tonsoribus suis obmutescit et non aperuit os suum»].- -Atque in hoc summum exemplar mansuetudinis et patientiae Messiae effertur; cf. Is 50,5 et quae evangelistae de silentio Iesu in sua passione commendaverunt; Mt 26, 63; 27,14; Mc 14,61; 15,5; Lc 23,9.

V.8 *De angustia ei de iudicio sublatus est* [nimirum propter oppressionem et propter iudicium iniquum (causaliter) sublatus est e vita; sicuti statim dicetur: quia abscissus est de terra viventium]. *Generationem eius quis enarrabit?* [Non est constans explicatio huius sententiae. Praeter illos qui hic corrigunt TM inducendo diversam lectionem (viam eius, mortem eius, dolorem eius), multi recentiores intelligunt-generationem *(yrvvë) de complexu coaevorum,* quasi admirans vates malitiam et crudelitatem eorum. Inter alias interpretationes eminent: 1) «quis enumeravit semen illius longaevum?» (cf. v.io; Ps 21,31; 71,17); 2) quae commendatur ex SS.Patribus et antiquis: «quis enarrabit generationem eius vel aeternam in sinu Patris—vel (iuxta alios) temporalem in sinu B.Virginis Matris, et eius nativitatem—vel generationem gloriosam per eius resurrectionem? cf. diversas explicationes ad Ps 2,7; supra n.598], *quia abscissus est* [morte igitur violenta] *de terra viventium; propter scelus populi mei percussi eum* [TM percussio ei].

V.9 *Et dabit impios pro sepultura et divitem pro morte sua* [S.Hieronymus ita explicat: «pro eius sepultura sive morte obtinebit gentes (impios) et populum iudaicum (divitem) in acquisitionem». Verum TM ita habet: *et dant cum impiis sepulcrum eius, et [i.e. attamenj cum divite post mortem eius;* in quo apparet futura voluntas dandi sepulturam Messiae cum sceleratis, attamen sepultus fuit in sepulcro divitis; cf. Mt 27,57.60] 34 eo *quod* [TM «et tamen»] *iniquitatem non fecerit nec inventus est dolus in ore eius* [ergo etiam ex hoc apparet et elucet evidenter hunc servum lahveh non esse populum Israel, qui certe iniquitatem fecerat. Cf. et 1 Petr 2,22].

34 Recenter de re eait J.M.Gosz Âlez Rviz, L'n‹i *profecta de Iratas sobre la sepultura de Cristo (Is S3.9):* EstBibl 6 <I947> 225-232.

624. Praemium servi lahveh. Is 53,toss. V.io Et *Dominus voluit* [TM complacuit Domino] conterere eum in *infirmitate* [sine dubio propter bona quae inde oriunda essent, et propter glorificationem et commendationem sapientiae et virtutis Dei, quae sunt in passione servi lahveh].

Si posuerit pro *peccato* animam *suam* [i.e. si se in sacrificium piaculare pro delicto posuerit; cf. 2 Cor 5,21; Hebr 9,14; 1 Io 2,2] *videbit semen* [i.e. videbit posteros suos, qui inde vitam obtinebunt] *longaevum* [TM «prolongabit dies», i.e. vitam habebit perennem (cf. Apoc 1,18), quam et in posteros suos propagabit] et *voluntas Domini* [id sc. quod est beneplacitum Domino, redemptio et reinstauratio generis humani] in manu eius *dirigetur* [ope sc. illius recta ibunt].

V.11r Pro *eo quod laboravit anima eius* [propter labores exantlatos vel loco laborum] *videbit* [fructus sc. obtentos] et saturabitur [gaudio nimirum ex parta victoria et ex effectibus beatitudinis pro se et pro aliis]. In scientia sua [sc. per cognitionem quam ipse possidet et communicat; cf. Is 11,2; 42,6s; 49,2.8s; 50,4] *iustificabit ipse iustus servus meus multos* [siquidem—ex dicto lesu—«haec est vita aeterna ut cognoscant Te solum Deum verum et quem misisti lesum Christum» (Io 17,3); «ut sit ipse iustus ct iustificans eum qui est ex fide lesu Christi» (Rom 3,26); hinc etiam iustificabit per communicationem scientiae de se ipso] et *iniquitates eorum ipse portabit.*

V.12 *Ideo dispertiam ei plurimos* [cf. Ps 2,8: dabo tibi gentes in hereditatem...] et *fortium dividet spolia* [ut victor post praelium], pro eo quod tradidit in *mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est* [cf. Mc 15,28; Lc 22,37; Io 18,30] et ipse peccata multorum *tulit et pro transgressoribus rogavit* [cf. Lc 23,34]. Sic hisce quatuor membris compendium totius passionis habetur.

625. Fructus ex passione servi lahveh. Is 54ss. Post illa priora, uberius postea (c.54...) proponuntur fructus reportati, vere eminentes, ex humiliatione et ex doloribus servi lahveh: Nova Sion innumeros habebit filios et—ad illam dicitur—*semen tuum gentes hereditabit* (v. 1-3). Nihil timendum in posterum, quia *«dominabitur tui qui fecit te» «et in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus»* (v.4-10).

Securitas novae Sion (v. 11-17) et universalitas bonorum quae continebit proponuntur (c.55,iss); quia c.55,5 *Ecce gentem quam nesciebas vocabis, et gentes quae te* non cognoverunt ad te *current propter Dominum Deum tuutn et Sanctum Israel, quia glorificavit te.*

Post comminationes ad populum, iterum gloria lerusalem illustratur (c.6o): quia super illam orietur Dominus et gloria eius in ea videbitur (60,2); V.3 Et *ambulabunt gentes in lumine tuo*—dicitur ei—et reges in *splendore ortus tui* [nota iterum in hoc et in sequentibus universalitatem regni descripti].

Atque idem servus lahveh, de quo antea tam mira praedicata sunt, nunc (c.61) inducitur annuntians opus redemptionis suae:

c.61,1 *Spiritus Domini super me* [antea de eodem servo: Is 11,2; 42,1] *eo quod unxerit Dominus me* [notum est (cf. n.384) ungi solere in V.T. reges, sacerdotes, prophetas]; *ad annuntiandum* [sc. TM laetum nuntium] *mansuetis* [i.e. afflictis] misit me [ideo pauperes evangelizari erat signum messianicum cf. Mt 11,5], *ut mederer contritis corde et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem,*

v.2 ut *praedicarem annum placabilem Domino* [propter allatam expiationem culpae] et *diem ultionis Deo nostro* [pro iis qui perseverant inimici]...

Pro interpretatione messianica huius loci ex sensu iudaeorum. atque pro applicatione ad lesum Nazarenum, recole etiam verba lesu in synagoga

Nazarethana: «quia hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris» (Lc 4,21).

... *ut consolarer omnes gentes,* quod et in sequentibus amplificatur, simul etiam et de instauratione novae theocratiae agitur (v.4-9).

V.9 *Et scient in gentibus semen eorum et germen eorum in medio populorum* [nota catholicitatem regni futuri, et in sequentibus etiam sanctitatem bonorum in eo:] *Omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Ideo Jerusalem gaudens gaudebit in Domino et *Dominus Deus germinabit iustitiam et laudem coram universis gentibus* (v .io .ii).

Gloria Jerusalem et salus iterum ponderantur (c.62). Salvator illius venit (v.n). Atque imago Messiae victoris describitur:

c.63,1 Quis *est iste qui venit de Edom* [de inimicis Israel, edomitae], *tinctis vestibus de Basra, iste formosus* in *stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suae?* — Respondet vero Messias: *Ego qui loquor iustitiam et propugnator sum ad salvandum.* Fortitudo illius, a quo uno victoria obtenta est, pulcherrime in sequentibus extollitur (v.2-6).

626. Ergo ex vaticiniis Isaiae tam multa tamque mira de Messia praedicuntur, ut fere dixeris omnes illius qualitates et praerogativas, integram paene eius vitam, tam patientem quam gloriosam, in iis vaticiniis contineri...

627. Michaeas 5,2.3 3S* Hic propheta, temporis regum loathan, Achaz et Ezechiae, et coaetaneus Isaiae, nuntiat in prima parte suae prophetiae (1,1 —3,12) adventum Domini punituri Israel propter peccata, et ideo «Sion quasi ager arabitur et lerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum» (3,12) [agitur proinde de eversione urbis et templi; sed non videtur post adventum Christi].—Huic punitioni contraponitur exaltatio futura montis domus Domini in novissimo dierum (cf. Is 2,1-4), pax quoque et liberatio ab hostibus per *regem et consiliarium futurum* (4,1-13). De hoc dominatore in Israel sunt verba sequentia:

628. c.5,2 El lu, *Bethlehem Ephrata* [Ephrataeorum] *parvulus-* [sc. populus] es in *millibus luda* [inter oppida quae chiliadem recensent in luda]: at vero *ex te mihi egredietur* [originem ducet] qui sit *dominator in Israel, et egressus eius ab initio* [sc. ab antiquo], α *diebus aeternitatis* [i.e. antiquissimis; cum autem aliunde constet hunc Messiam esse Deum, merito locum de eius origine aeterna sensu proprio interpretamur, melius quam de eius origine ex familia antiqua, davidica].

V.3 *Propter hoc* [sc. quia Messias oriturus est ex loco obscuro] *dabit eos* [Israelites sc. dabit comprimendos; cf. 5,1] *usque ad tempus in quo parturiens pariet* [cf. Is 7,14], et *reliquiae fratrum eius convertentur ad filios Israel* [ergo fratres Messiae, secundum gentem, olim dispersi, revertentur ad verum Israel].

Descripto tandem iudicio Domini cum populo suo (6.1-16), paenitentia et pulchrae populi precationes describuntur (7,1-20).

629. Vaticinia leremiae 16. leremias propheta in anno quarto loakim filii losiae, regis luda, scripsit, mandante Domino et ope discipuli Baruch,

35 I.Knabenbauer, Gininientaiius *in Prophetas Minores* I (Parisiis 1886); A.van Hoonacker, *Les douze petits prophètes* (Paris 1008); J.Lippl-J.Theis, *Die zwolf kleinen Prophctcn* t.i (Bonn 1937); A.Clamek, *Michie:* DTC 10,1652-1668.

30 I.Knabenbauer, *Commentarius in lercmiam Prophetam* (Parisiis 1889); A.Condamin, *Le livre de Jérémie*3 (Paris 1936); F.Nôtscher, *Das Buch Jeremias* (Bonn 1034).,

verba quae Dominus ei locutus fuerat adversus Israel et ludam et adversus omnes gentes (1er 36,1-4); quod quidem volumen scriptum et lectum fuerat coram populo, atque a rege in ignem commissum (36,5-26). Sed iterum mandante Domino et ope Baruch scripti sunt «ex ore leremiae omnes sermones libri quem combussit loakim rex luda igni; et insuper additi sunt sermones multo plures quam antea fuerant» (36,27-32).

Inter haec oracula divina, ad resipiscentiam luda ordinata, inveniuntur aliqua consolatoria, quae tempora messianica spectant.

Itaque, post reprehensionem factam *pastoribus* [i.e. regibus] qui *disperdunt et dilacerànt gregem pascuae* Domini (1er 23,1s), Dominus promittit instaurationem sui populi, se congregaturum reliquias sui gregis de omnibus terris post dispersionem eisque daturum bonos pastores (V.3S): Sic reinstauratio in terra Israel post captivitatem praedicta videtur, simul cum alia reinstauratione universali, cuius illa figura fuit.

Praesertim vero loquitur Dominus de egregio pastore:V.5 *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum* [Messias erit e semine David; cf. 2 Rfeg 7,i4ss; Is 11,1... Cf. Zach 3,8; 6,12 ubi nomen *germen, Oriens,* Messiae proprium applicatur]; et *regnabit rex et sapiens erit et faciet indicium et iustitiam in terra.* V.6 *In diebus illis salvabitur luda et Israel habitabit confidenter* [Messias ergo erit rex, et iustitia atque pax erunt proprietates sui regni], *et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster* [quidam antiquiores, ut Maldonado, Mariana..., videbant hic expressam divinitatem Méssiae, quod ei incommunicabile nomen lahveh tribueretur; at recentiores multi, ut Knabenbauer, Condamin, hoc nomen compositum «lahveh nostra iustitia» ita interpretantur ut in diebus Messiae accidat ut. «opere et dono illius, lahveh sit nostra iustitia»; hinc opus iustificationis et sanctificationis per futurum Messiam exprimitur; atque adeo regnum eius spirituale].

Propter quod non tantum mirabilia in eductione de Aegypto, sed et nova mirabilia per novam reinstaurationem apparebunt (v.7s).

De reinstauratione iterum sermo est c.30,l 31,30; atque de bonis messianicis futuris. Et futurus Messias. utpote germen ex David, David vocatur; quare dicit Dominus: c.30,9 *sed servient Domino Deo suo et David regi suo, quem suscitabo eis.*

Dum sermo prosequitur de bonis futuris, legimus illud: c.31,22... Quia *creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum.* Hoc autem et S.Hieronymus, et alii, ut Knabenbauer, de conceptione virginali Messiae in utero B.Virginis Matris intellectum volunt[37].

Atque dum iterum sermo recurrit de instauratione novi foederis et de bonis messianicis futuris, repetitur (33,14-16) pristinum vaticinium (23,5s).

630. Messianitas textuum praecedentium, sicut in universum a cap.30 ad 33, videtur iam constare ex contextu, attentis aliis quae de regno messianico aliunde scimus. Propheta describit instaurationem theocratiae Israelis post exsilium; haec autem vel est regnum messianicum, vel ex Dei intentione tendit in regnum messianicum, estque figura illius.

631. Vaticinia Ezechielis[38]. Ezechiel prophetavit tempore captivitatis in terra Chaldaeorum (Ez 1,1-3); et symbolis atque visionibus proposuit populo comminationes Domini in ludam (c.3-24).

37 S.Hieronymus, *In lercmiam* 1.6 c.31 : ML 24,914s; I.Knabenbauer, *Comment, in terem.* 386. De hac re tractavit G.E.Closen, S.I., «Femina *circumdabit virum»;* VerDom 16 (1036) 205-304.

38 I.Knabenbauer, Commentarius in *Ezechielrm Prophetam* (Parisiis 1S90): P.Heinisch, *Das Buch Ezechiel* (Bonn 1923).

Inter haec calamitas luelae describitur allegoria gladii «occisionis magnae» (21,1-27); atque regnum - ut dicitur (v.25-27)—ibit in perditionem: c.21,27 *Iniquitatem, iniquitatem. iniquitatem ponant eam* [TM: «eversionem, eversionem, eversionem ponam illud»] et *hoc' non factum est* [sc. regnum non erit, non destruetur] *donec veniret* [venit] cuius est *iudicium* [ius ad regnum; regnum] *et tradam ei* [Messias antea saepe praenuntiatus ut rex (Gen 49.10; Ps 2,71,109; Is 11,4...) habebit ut sibi proprium regnum eique debebitur; cf. supra et vaticinium iacobaeum n.585].

Post has igitur comminationes in luda (c.3-24), atque etiam post oracula adversus gentes (c.25-32). consolationem etiam quae erit per futuram reinstaurationem lerusalem exponit propheta (c.33-39). Inter diversas Domini promissiones elucet in c.34 *promissio de bono pastore suscitando.*

Mala allata per malos pastores qui *pascebant semetipsos* ponderantur (34,1-10); ideo Dominus ait se ipsum requisiturum et visitaturum oves (v. 10-12): c.34, ’| ▮▮ *Ecce* ego ipse *requiram ores meas et visitabo eas:* v.12 *sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum.*

Officia boni, mitis atque solliciti pastoris divini amplificantur, reducentis oves de dispersione (v. 13-22), atque idem Dominus ait: v.23 et *suscitabo super eas pastorem unum qui pascat eas, servum meum David* [Messias scilicet, rex de domo David (2 Reg 7.14SS; 23,5 hebr.; Is 9,7; 11.l; Mich 5,2; 1er 23,5: 30,9; 33.>5; Os 3,5). Hic erit unus qui re vera rex et pastor, a quo salus petenda et in quo spes collocanda]; ipse *pascet eas* [oves] *et ipse erit eis in pastorem;*

v.24 ego *autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum* [in quo benevolentia lahveh in illas oves, atque munus pastoris proprium Messiae designatur; cf. Io 10,14 ubi lesus Nazarenus vocat se pastorem illum bonum]: ego *Dominus locutus sum* [verba quae ad solemnitatem vaticinii referunt].

V.25 *Et faciam cum eis pactum pacis el cessare jaciam bestias pessimas de terra, el qui habitant in deserto securi dormient in saltibus* [haec ad bona pacis et prosperitatis spectant, quae sunt bona messianica (cf. Ps 71; Is 9,6s...), sicuti et illa quae in sequentibus, v.26ss. continentur...].

Nova promissio circa restitutionem Israel ex dispersione proponitur in cap.37 allegoriis de dispersis ossibus vivificatis et de unione lignorum in unum. Salvator futurus iterum describitur: c.37,24 et *servus meus David rex super eos et pastor unus erit omnium eonim.* Atque, sicuti David iterum apparet typus Messiae, ita et lerusalem atque restitutio populi in urbem est typus novi regni messianici instaurandi.

Reliqua bona messianica, sanctificationis et pacis (bona scilicet summopere spiritualia) in v.24-28 referuntur; iis nimirum qui sanctificationem operabuntur et Messiae regi subicientur. Perpetuitas quoque regni Messiae praenuntiatur: v.25... e⁵ *David servus meus princeps eorum* in *perpetuum* [cf. Lc 1,33].

632. Vaticinium Danielis 9,24-27

Daniel propheta, post pulchram deprecationem ut Deus propter semetipsum

39 Sequor, ut plurimum, egregium commentarium P.Iosephi Linder, S.I., *Commentarius in librum Daniel* (Parisiis 1939) 352-425· Alia scripta de hac re: J.M.Sol X, S.I., *La profecia de Daniel* (Barcelona 1919): F.Ogara, *El libro de Daniel en lecciones sacras* (Madrid 1921); P.Cabal.lero Sanchez, C.M.. *La profecia de las setenta semanas de Daniel y los destinas del pueblo iudio* (Madrid 1946); J.Goettsberger, *Das Buch Daniel* (Bonn 1928); F.Borgonginj Duca, *Le LXX Settimanr ‹li Daniele r le date messianiche* (Padova 1050·

afferat salutem Ierusalem (Dan 9,1-19), post septuaginta scilicet annos desolationis praedictos a Ieremia 25,11-13; 29,10 (Dan 9,2), accipit a Gabriele in tempore sacrificii vespertini (v.20-23) sequens vaticinium non quidem de septuaginta annis, sed de septuaginta «hebdomadis».

633. Sensus messianicus vaticinii constat *a)* non modo ex antiquis rabbinis (teste Raymundo Marti),

sed etiam *b) ex* indole bonorum quae v.24 promittuntur, bona scilicet proprie messianica, ut constat ex aliis vaticiniis: sic consummatio praevaricationis, finis peccati, expiatio iniquitatis, adductio iustitiae sempiternae...

c) Mors violenta «uncti» (quod est nomen Messiae) consonat cum aliis oraculis passionalibus (Ps 21; Is 53).

d) Illa quae praedicuntur apparent bene impleta in Christo: sic (v.24) cessatio et impletio oraculorum V.T., «omnes enim prophetae et lex usque ad Ioannem prophetaverunt» (Mt 11,13); abolitio cultus V.T. et confirmatio novi foederis (v.27); excidium urbis et templi (v.26s); computatio hebdomadarum optime fit ad tempus Iesu Nazareni, atque sic explicatur exspectatio messianica quae erat tempore illius.

Nihil mirum si unanimi fere consensu interpretes catholici tale vaticinium habent messianicum 40, licet non conveniant in computatione hebdomadarum quoad terminum *a quo* computandae sint, et ex defectu certae cognitionis chronologiae.

634. Ait vero Gabriel Danieli «viro desideriorum», sc. viro qui est Deo desideratissimus, carissimus.

V.24 *Septuaginta hebdomades* [numero definito, non symbolico et indeterminato; quia statim dicentur esse *praecisae,* i.c. decretae et determinatae, atque postea subdividuntur per partes: 7 4- 62 4- 1.

Huiusmodi *hebdomades non sunt dierum,* siquidem angelus nuntiat destructionem Ierusalem (v.27) et, volens solari Danielem deprecantem pro urbe, nullum solatium afferret nuntiando immediatam destructionem urbis; neque tam angusto temporis spatio possibile erat tot facere quae v.25-27 indicantur.

Sunt ergo hebdomades annorum, seu agit de septuaginta annis sabbaticis; qui modus loquendi non erat alienus iudaeis (Lev 25,2.4.8; 26,34.43). Sic id respondet septuaginta annis quos Daniel v.2 cogitaverat pro captivitate absolvenda.

Prorsus gratuito diceret quis agi de hebdomadis iubilaeorum aut centenariorum...]

abbreviatae sunt [i.e. abscissae ex linea temporis: definitae, statutae; non quasi tempus citius adveniat] *super populum tuum* [pro quo Daniel preces fuderat] *et urbem sanctam tuam* [sancta quia Deus ibi templum et sedem posuit, et erat post instaurationem figura regni messianici], *ut consummetur*

40 Quidam recentiores (Lagrange, Ceuppens) dicunt solum v.24 habere sensum messianicum: c.f Linder, Commentarius in *lib. Daniel 37b.*

praevaricatio [i.e. finem accipiat praevaricatio, ut in sequentibus dicitur], et *finem accipiat peccatum* [i.e. obsignentur, impediantur, coerceantur peccata], *et deleatur iniquitas* [TM «ad expiandam iniquitatem».—Haec omnia esse bona messianica constat ex praecedentibus prophetis: Is 4,4; 53,4-12; 60,18; 1er 3,17; 31,34...], *et adducatur iustitia sempiterna* [pariter bonum messianicum, de quo Ps 71; Is 11,9; cf. et 1 Cor 1,30 ubi Christus dicitur factus nobis iustitia],

et impleatur visio et prophetia [TM «ad obsignandam visionem et prophetam»; scilicet vel impletione veterum visionum, vel eo quod cessent visiones more antiquo (non autem more novo, de quo loel 2,28 et Act 2,17) et Dominus loquatur nobis in Filio (Hebr 1,1); «omnes enim prophetae et lex usque ad loannem (Baptistam) prophetaverunt», ut refert Mt 11,13]

et ungatur sanclus sanctorum [TM «ad ungendum sanctum sanctorum». De qua autem unctione agitur? Omnia bona hucusque nuntiata sunt messianica, et in sequentibus sermo fit *de aliqua persona uncta.* Immerito igitur diceretur de dedicatione templi tempore posteriore, quia non fit mentio ullius unctionis neque in dedicatione templi secundi (Esdr- 6,14-17; 3,2s), neque in purificatione tempore Machabaeorum (1 Mac 4,52-58).

Recentiores (Palmieri) exponunt de unctione novi templi, sc. Ecclesiae, unctione mystica. Sed melius intelligitur, iuxta Patres et versiones, *de ipso Christo,* qui dicitur unctus Spiritu Sancto (Is 6u; Ps 44,8; Lc 4,18; Act 18, 38) et, divinitate sane unctus, publicatur unctus iuxta interpretationem Christianorum —in baptismo lesu Nazareni. Tunc incipit hebdomada septuagesima, in cuius medio Christus occidetur].

635. V.25 *Scito ergo et animadverte* [TM «et scies et intelliges»; tamquam ulteriorem explicationem]: *ab exitu sermonis* [sc. decreti] ut iterum *aedificetur Jerusalem* [hoc decretum quo mandatur aedificatio urbis est terminus a quo computandae sunt hebdomades. Agitur de decreto dando in tempore futuro, et potest applicari ad edictum Artaxerxis I in anno 7.° eius regni, sc. anno 458 datum, de quo Esdr 7,1-7.! 1-26. In hoc decreto potestas amplissima data est Esdrae scribae, unde sequi videtur potestas urbis aedificandae, cum muris; id quod etiam sequi videtur ex gestis et dictis de Esdra et Nehemia.

Nam potestas data est Esdrae res politicas ordinandi: *a)* et communitas illa contra aggressus hostiles in tuto collocanda erat, quod quidem sine muris et fossis non poterat fieri;—*b)* et Esdras quidem videtur murorum aedificationem incepisse, quod ex accusatione Samaritanorum ad Artaxerxem eruitur (Esdr 4,12-16); unde rex rescribit prohibendo aedificationem, i.e. ut sistatur «donec si forte a me iussum fuerit» (Esdr 4,21); quare, cum decretum regis non prohibeat severe, non licet inferre Esdram sine auctoritate regia urbis aedificationem incepisse, *c)* Haec autem aedificatio urbis incepta et impedita confirmatur ex ratione agendi Nehemiae (Neh 1,1-3; 2,iss), qui interrogat de lerusalem (quaestio otiosa, si nihil in ea inceptum fuerat), et lacrymas fundit cum audit murum dissipatum esse.

Sic non opus est applicare vaticinium ad edictum anni 20 regni Artaxerxis I. anno 445, de quo Neh 2,5-8 41]

usque ad Christum duceni, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt [ab anno ergo decreti Artaxerxis I, anno 458—iuxta datam interpre-

*1 P.Caballero Sanchez, *o.c.*, 32s censet terminum a quo computandae sint hebdomadae esse annum 20 regni Artaxerxis 1. in quo licentia Nehemiae data est; non vero anno 7.°, in quo Esdrae. In hac etiam hypothesi scripsit F.Borcongini Duca, *Le LXX Settimane di Danielle e le date niessianiclu·* (Padova tosti, qui credit verba Mt 2-1.15: «qui legit intelligat». posse alludere ad numerum verborum quae sunt in hac prophetia Danielis et ad mysterium numerorum absconditorum in numeris; lesum vero invitare ad capiendam hanc rem.

tationem—usque ad manifestationem Christi ducis in baptismo, anno 26 post Ch., numerantur 7 + 62 hebdomades].

Sic *et rursum aedificabitur* [lerosoiymis] *platea et muri* [fossa] in angustia *temporum* [i.e. inter multas molestias et vexationes, de quibus Esdr 4,12-16; Neh 1,3; 4,iss; 6,iss].

636. V.26 Et post *hebdomades sexaginta duas occidetur Christus* [TM «exscindetur», delebitur: vox solemnis pro gravibus delictis, cum poena nuntiatur; Christus est ille de quo antea V.24S, qui morte violenta morietur; ut etiam Isaias praedixerat et Ps 21.·—Hoc oraculum impletum est in lesu Nazareno post hebdomades 62 + 7 ab edicto Artaxerxis I, scilicet post annos 483 ab hoc edicto, nimirum post a.26 p.Ch.] *et non erit eius* [non erit ei] *populus qui eum negaturus est* [ita iuxta Vg, supplendo in TM vocem «populum»; scilicet tatis populus desinet esse populus Dei; sed plures interpretationes ad locum datae sunt]

et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo [est oraculum de urbe, immediate positum post praecedentia, quia nexu causali conjungitur talis eventus—iuxta interpretationem christianorum—cum occisione Christi; licet non necessario sequi debeat statim post mortem Christi, sed cum urbs occupetur ab exercitu Romanorum cum duce Tito.—Iuxta alias versiones: «et civitas et sanctuarium peribit cum duce qui venturus est», sc. cum ipso Christo, qui vocabatur ὁ ἐρχόμτνοί (cf. supra n.393), in quo apparet nexus moralis inter mortem ducis qui venturus est et destructionem urbis et sanctuarii],

et *finis eius* [urbis et templi] *vastitas* [TM in inundatione] et *post finem belli statuta desolatio* [TM: «et usque ad finem bellum, decretae vastationes»; cf. n.518-520].

637. V.27 *Confirmabit* [firmum reddet ille dux qui venturus est, Messias] *pactum* [foedus, quod saepe dicitur in Scripturis de futuro regno messianico instaurando, v.gr. 1er 31, 31s] *multis* [τοϊ$ πολλοι sc. omnibus; cf. talem modum loquendi universaliter in Mt 20,28. Atque erit regnum universale futurum] *hebdomada una* [sc. ultima hebdomada; ergo inter annos 26-33 confirmabitur novum foedus perpetuum] et *in dimidio hebdomadis* [probabilius ergo circ. annum 30, quando accidet mors Christi] *deficiet hostia et sacrificium* [TM: «sacrificium et fertum»; scilicet sacrificium cruentum et incruentum: et sic declaratur abolitus vetus cultus sacrificialis].

Relatione logica, licet non necessario successione immediate chronologica, venit oraculum de vastatione templi: *et erit in templo abominatio desolationis* [cf. supra, Flavium losephum, *De bello iudaico,* ubi dicit latrones seu zelotas templum occupasse ante obsidionem urbis, et constituisse illud arcem suae violentiae et rapinae42; atque insigniis deorum gentilium, allatis a militibus romanis, pergebat templum defoedari43; et cf. Mt 24, 15; Mc 13,14], *et usque ad consummationem et finem perseve-*

42 Flavius Iosephus. *De bello iudaico* 4,3s: Opera 2.19ISS; cf. supra n 512
43 Flavius Iosephus, *De bello iudaico* 6,4s: Opera 2,2875s; cf. supra n.514.

rabit desolatio [TM: «et usque ad eversionem eamque decretam quae se effundet super desolationem»; cf. n.518.520].

638. Aggacus 2,7-10 l'4. Aggaeus propheta dicit (1,1) factum esse verbum Domini in manu sua «in anno secundo Darii (I) regis», sc. anno 520; et, adhortatus ad aedificationem secundi templi ierosolymitani, videt gloriam futuram quae erit pro hoc templo: Et Dominus ait: c.2,6... et spiritus *meus erit in medio vestrum : nolite timere.*

V.7 Quia *haec dicit Dominus exercituum: Adhuc unum* [semel] *modicum est* [i.e. brevi] *et ego commovebo caelum et terram et mare et aridam,* v.8 et *movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus* [TM et LXX: «et venient selecta (pretiosa, exoptata, desiderium) omnium gentium»; quod melius intelligitur non tantum de metallis pretiosis afferendis, sed de aliis potioribus desideriis gentium, scilicet de Salvatore et de bonis messianicis quae exoptantur] *et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum...*

V.io Magna *erit gloria domus istius nouissimae plus quam primae dicit Dominus exercituum, et in loco isto dabo pacem* [bonum messianicum], dicit *Dominus exercituum* [haec spectant ad adventum Messiae stante secundo templo ierosolymitano...].

639. Vaticinia Zachariae 45. Zacharias propheta munus suum implevit ab anno secundo Darii I regis (Zach 1,1).

In visione gloriae futurae lerusalem (2,1-13) videt magnitudinem huius urbis non muris complendam (v.1-5): v.4 ... *Absque muro habitabitur lerusalem prae multitudine hominum et iumentorum in medio eius.* Meminit Dominus cuiusdam dispersionis populi (v.6-9), sed solatur illos adventu suo: v.io *Lauda et laetare, filia Sion, quia ecce ego venio et habitabo in medio tui, ait Dominus;* iisque annuntiat futuram conversionem gentium, quae erunt etiam populus Domini:

V.11 Et *applicabuntur gentes multae ad Dominum in die illa et erunt mihi in populum et habitabo in medio tui, et scies quia Dominus exercituum misit nie ad te.* V. 12 Et *possidebit Dominus ludam in terra sanctificato et eliget adhuc lerusalem...*

In visione losue summi sacerdotis (3,1-10) Dominus ait: v.8 ... Ecce enim ego *adducam servum meum Orientem* [TM «germen» t6; quod refertur vel ad Messiam, cum in sequentibus sermo sit de *peculiari* abundantia et prosperitate, vel saltem ad Zorobabel typum Messiae]...

In visione coronationis summi sacerdotis losue, filii losedec (6,9-15)..., v. 12 *Haec ait Dominus exercituum dicens: Ecce vir Oriens* [TM «germen»] nomen eius, et *subter eum orietur* [TM: «germinabit de subter eum»] et *aedificabit templum Domino* [potest intelligi de templo materiali aedificando a Zorobabel, vel de templo spirituali, cuius illud erat symbolum, aedificando a Messia]. V.13 Et ipse exstruet *templum Domino et ipse portabit gloriam ei sedebit et dominabitur super solio suo...*

In descriptione futuri regni messianici (c.9-14), post descriptas, quasi victoriam universalem, debellatas gentes vicinas inimicas Israelis: tunc ait propheta:

44 I.Knabenbauer, *Commentarius in Prophetas Minores* t.2 (Parisiis 1886); A.van Hoonacker, *Les douze petits prophètes* (Paris 1908;; H.Junker, *Die zwolf kleinen Prophcten t.2* (Bonn 1938).

*46 Vide loca respectiva apud auctores laudatefe in nota praecedenti. Insuper de transfixione Messiae, sicut in universum de oraculis passionalibus, agit R.Crïado, S.I., *La Sagrada Pasiôn en los Projetas* (Câdiz 1945).

46 Vide Fr.Luis de LkôN, *De los* nombres *de Cristo* l.i § 3 *(Pimpolio):* Obras (Rivadeneira) 74-80.

c.9,9 *Exsulta satis, filia Sion, iubila, filia lerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus et salvator; ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae* [rex vere pacificus47;* cf. Mt 21,5; Io 12,15]. Atque ita pacem omnibus proponit in regno universali: v.io ... et *loquetur pacem gentibus, et potestas eius a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terrae.*

640. Alludens in reliqua prophetia ad tempora novissima, proponit propheta protectionem Domini supra lerusalem (12,1-8); et prosequitur Dominus: c. 12,9 *Et erit in die illa quaeram conterere omnes gentes quae ueniunt contra lerusalem;* et proponitur spiritus gratiae diffusae super lerusalem, ita ut aspiciant ad ipsum Dominum «quem confixerunt»: v.io et *effundam super domum David et super habitatores lerusalem spiritum gratiae et precum et aspicient* [hebr. aspicient cum admiratione et reverentia...] *ad me quem confixerunt*[adimpletio spectat ad tempora ultima; sed iam inde sequitur habitatores lerusalem *confixisse* Dominum; quod et Io 19,37 applicat ad mortem lesu Nazareni, qui et lancea transfixus fuit. Idem loannes in Apoc 1,7 alludit ad hunc locum (Zach iz.ioss) cum loquitur de Domino venturo «cum nubibus et videbit eum omnis oculus (omnes ergo gentes regni universalis) et qui eum pupugerunt (sc. habitatores lerusalem qui Dominum interfecerunt); et plangent se super eum omnes tribus terrae»: quod et in Zacharia in sequentibus dicitur]: *et plangent eum planctu quasi super unigenitum et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti...* Sequitur descriptio huius planctus per familias [haec conversio populi Israel nondum, ut patet, impleta est].

C.13,1 *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus lerusalem* in *ablutionem peccatoris et menstruatae.* Neque erunt idololatria et pseudoprophetae in terra (v.2-6).

Mentio quoque fit de aliquo pastore v.7: *Percute pastorem et dispergentur oves* [quod ex Mt 26,31 saltem in symbolo et typice de Christo intelligi oportet].

641. Mal 1,11. De sacrificio mundo ubique offerendo 49. Malachias egit prophetam temporibus Esdrae et Nehemiae. In prima parte suae prophetiae, propositis peccatis sacerdotum qui *despiciunt nomen Domini* et offerunt *panem pollutum* et victimas vitiatas (1,6-9), a't Dominus: c.1,10 Quis est in *vobis qui claudat ostia et* [non] *incendat altare meum* [sacrificia] gratuito? [frustra; i.e. melius esset si clauderetis et nihil offerretis]. Non est *mihi voluntas in* vobis, *dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra* [atque proponit novum sacrificium ubique terrarum offerendum, in loco praecedentium]: v.11 ab *ortu enim solis usque ad occasum magnum est* [LXX: digne glorificatur] nomen meum in gentibus, et in omni loco *sacrificatur* [TM «suffitur», offertur] *nomini meo oblatio* [TM *minhah,* sacrificium incruentum] *munda* [ergo hic intelligitur sacrificium proprie dictum, tam ex vocibus adhibitis, quam ex oppositione quae indicatur ad sacrificia reicienda sacerdotum hebraeorum; quare sacrificium futurum debet esse multo excellentius sacrificiis hebraeorum; nec valec intelligi sensu metaphorico, v.gr. de sacrificio laudis, precum... quia etiam hebraei habebant talia sacrificia], quia *magnum est nomen meum im gentibus, dicit Dominus exercituum.*

Hoc sacrificium (incruentum), quod ubique terrarum offertur et quo Deus maxime honoratur, nequit aliud intelligi quam sacrificium catholicorum, quod lesus Nazarenus in coena ultima instituit (Mt 26,26-28; Mc 14,

4' A.Skriniar, Messias *Rex pacificus (Zach* 9,9-10): VerDom 12 (1932) 248-253.

<» Cf. A.Skrinjar, «Aspicicnl *ad* me quem confxcrunt* *(Zach n.ioj:* VerDom 11 (1931) ;-242.

4' Pro hoc propheta vide auctores citatos in nota 44.

22s; Le 22,19s), significans discipulis ut id facerent in sui commemorationem (1 Cor 11,24-26).

642. De praecursore Messiae. In secunda parte propheta loquitur de iudicio et punitione peccatorum. Ad hoc autem inducit Dominum loquentem: Mal 3,1 *Ecce ego* [Dominus] *mitto angelum meum* [cf. Is 40,3] *et praeparabit viam antefaciem meam* [lesus Nazarenus id de loanne Baptista, praecursore sui, interpretatus est; cf. Mt 11,10] *et statim veniet ad templum suum Dominator* [TM «ha'adon», ille (per antonomasiam) Dominus; ergo et Deus] *quem vos quaeritis* [siquidem interrogatis (2,17): ubi est Deus iudicii?] et *angelus testamenti* [sc. ille qui mittitur (hoc et de notione est angeli) ad foedus instaurandum] quem vos *vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.*

In sequentibus describitur opus purificationis per hunc Angelum testamenti; et tandem ad finem prophetiae iterum recurrit sermo de adventu praecursoris:

Mal 4.5 *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* V.6 *Et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum...* [quod lesus Nazarenus de loanne Baptista est interpretatus (Mt 11,14; 17,n-13); siquidem et Ioannes Baptista—ut dictum fuerat—«multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum; et ipse praecedet ante illum in *spiritu et virtute Eliae:* ut convertat corda patrum in filios et incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam» (Le 1,16s). Unde Ioannes Baptista inducitur quasi typus Eliae venturi in novissima tempora 50.

643. *Ex praecedentibus vero vaticiniis facile iam erit ordinem eorum per cursum chronologicum vitae Messiae contexere, aliarumque proprietatum, quae ipsi conveniunt, synopsim conficere.*

644. 2) Haec omnia vaticinia referuntur ad unam personam determinatam, i.e. efficiunt unam grandem prophetiam de Messia, ut de persona individua, non ergo generatim de aliqua spe vaga et nebulosa status cuiusdam melioris pro populo Israel. Sic constat

a) quia illa tam particularia et minuta quae de Messia in praecedentibus vaticiniis exposuimus saepe luce clarius personam determinatissimam designant.

b) Persuasio firmissima iudaeroum tempore lesu, prout apparet in evangeliis, idipsum evincit: Sic exspectabant *quem scripsit Moyses et prophetae* (Io 1,45), et *Christum qui maneret in aeternum* (Io 12,34); et lesus provocavit, non contradicentibus iudaeis, ad testimonium Scripturarum *de persona singulari* (Io 5,39; Lc 18,31; 24,27.44), i.e. de se ipso; erexerat enim Dominus *cornu salutis in domo David pueri sui, sicut locutus fuerat per os sanctorum, qui a saeculo sunt prophetarum eius* (Lc 1,70).

50 Cf. sis A.Skrinjar. S.I.. *«Elias quidem venturus est»:* VerDom 14 (1934) 361-367; F.Durrwell, C.SS.R·. *«Elias cum venerit primo»:* VerDom 19 (1939) 269-278.

c) Atque Samaritani idipsum, cum exspectarent Messiam qui eos doceret (Io 4,25), sentiebant.

d) Res apertissime confirmari potest ex analysi documentorum quae testantur, post vitam Iesu, eandem persuasionem iudaeorum: sic ex Act et ex epistolis Sti.Pauli; atque etiam *Talmud* et *Maimonides 51.*

645. 3) Constat de veritate historica, philosophica et relativa horum vaticiniorum. De veritate historica constat ex iam probata (vel probanda) historicitate librorum Novi et Veteris Testamenti, tam pro historica prolatione vaticiniorum, quam pro historica adimpletione eorundem.

De veritate philosophica talium vaticiniorum constat:

a) quia praedictiones referuntur ad *eventus futuros liberos* vel ad *libera decreta Dei* spectantia ad res futuras:

b) et verbis quibus res praedicuntur *non exprimuntur mera desideria coaevorum:* gratis enim et inepte id dicitur, ubi sermo est de rebus concretis et prima facie indifferentibus, ut de loco et de tempore nativitatis Messiae, vel de aliis rebus minutis — vel ubi agitur de Messia vocaturo omnes gentes ad regnum suum — vel de desolatione aut vastatione templi et urbis — vel si proponitur passio et occisio Messiae;

c) hae praedictiones *non sunt merae coniecturae* fortuito impletae, quia multa et minuta praedicuntur.

Ergo vaticinia facta sunt ex scientia divinitus communicata prophetis, et adimplent omnia quae requiruntur ad veram prophetiam.

De veritate relativa horum vaticiniorum, seu haec vaticinia referri ad legationem et ad testimonium Iesu sigillanda, constat non tantum ex ipsis prophetis praedicentibus, sed etiam ex ipso Iesu provocante ad prophetias de se emissas (Io 5,39; Mt 11,4; Lc 4,17-21; 18,31; 24,27.44), quasi testimonium perhibentes suae missionis. Nec ulla ratio apparet (consideratis persona Iesu eiusque modo agendi, fine intento et fructibus qui promanarunt) suspicandi nexum inter has prophetias et missionem testimoniumque Iesu a Deo non probari.

Ergo vaticinia V.T. impleta probant divinam legationem et testimonium Iesu Nazareni.

646. Obiectiones. 1. Quaedam ex vaticiniis messianicis non sunt impleta, v.gr. perfecta pax et iustitia (Ps 71,2.7.12-14; Is 11,6-9...).

Resp. 1) Vaticinia messianica respiciunt integram oeconomiam usque.

SI Cf. Lercher, *Theolos· fundam.* (3.1927) 0.220.

ad gloriam finalem Christi (cf. Dan 7,13s; 12,1-3; loel 3,i4ss): unde quaedam nondum impleta possunt impletum iri.

2) Multa allegoriis et symbolis, et quaedam non raro hyperbolice praedici possunt, et de facto praedicuntur; quia inspiratio prophetica sese accommodat indoli prophetae et eorum in quorum gratiam vaticinia eduntur. Unde pax promissa, praesertim spirituali modo est intelligenda.

2. In vaticiniis messianicis promittitur restitutio regni Israel, una cum temporali prosperitate (Is 11,12: «Et levabit signum in nationes et *congregabit profugos Israel et dispersos luda colliget a quatuor plagis terrae»;* Am 9,12: «... ut possideant reliquias Idumaeae et omnes *nationes...»;* v.i5; «et plantabo eos super humum suam et non evellam eos ultra de terra sua»).

Resp. 1) Licet quaedam vaticinia videantur respicere bona materialia promissa, at complexus vaticiniorum dare et abundanter agit de salute primario *spirituali et universali* omnibus gentibus afferenda, quae praevalere omnino debet aliis bonis materialibus et nationalibus 52.—Praeterea etiam ad regnum Christi pertinet, saltem quadam exigentia, felicitas temporalis ratione ordinis spiritualis in societate et in individuis promovendi.

2) Vaticinia de bonis temporalibus diversimode interdum exponuntur. Sunt qui ament illa explicare *sensu spirituali;* alii vero *in sensu temporali, ita ut cum adventu Christi successive acquirant significationem spiritualem;* alii denique amant illa exponere *sensu temporali, de bonis promissis temporalibus, sed conditionate,* dependenter ab adimpletione legis et foederis ex parte iudacorum, quae quidem conditio non fuit impleta.—Ex his solutionibus eae praeferendae et adhibendae erunt quae singulis locis magis aptentur.

3) Ad loca in obiectionc proposita animadverte illos textus *proponi posse sensu spirituali5J;* et praesertim cf. Act 15,15s (quod attinet ad Am 9,1 iss), et Rom 11,25s (quod spectat ad dispersos luda colligendos, «quia caecitas ex parte contigit in Israel, *donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret...»).*

4) Difficultates quae in universum proveniunt ex stylo prophetico ex eo praesertim pendent: *a)* quod prophetae saepe eventus tempore distantes in eodem plano quasi collocant sine prospectiva; ideo «optica prophetica non est sicut optica historica»; *b)* prophetae noscunt ct exprimunt fragmenta tantum vel lineas, non totam imaginem et integram figuram, quae ad finem tantum plene clarescit; *c)* atque hoc non raro fit sub imaginibus et symbolis; *d) et* sub formulis factis, quae nobis minus sunt notae; *e)* accedit quod prophetae loquuntur in medio historico concreto, quod pariter nobis incognitum vel minus patens evasit... 54.

32 Cf Fr .Luis de Leon, *De los nombres de Cristo* 1.2 § i *(Brazo):* Obras (Rivadendra) rr.|s («Pues en qué juicios de hombre cabe...»).

55 Cf. Knabenbauer in haec loca.

5,1 Cf. J.Coppens, *Les particularités du style prophétique:* NouvRevTh 59 (1932) 673-693: Tobac-Coppens, *Le prophétisme en Israel* (Malines 1932); L.de Grandmaison, *Prophète et Prophétie,* in opere *Jésus* Christ 2 (Paris 1928) 246-255.

CAPUT IV

De aliis criteriis pro testimonio lesu comprobando

647. Hucusque egimus de criteriis externis, de miraculis scilicet et prophetiis, quae dicebamus criteria primaria et per se sola sufficientia ad revelationem aliquam comprobandam. Nunc agendum de aliis criteriis, *internis* scilicet, quae confirment divinum testimonium lesu, ac proinde originem divinam revelationis ab eo allatae atque religionis christianae inde promanantis.

Criteria interna revelationi respiciunt doctrinam revelatam *in se ipsam* (cf. n. 132,5; 142-144) —et in *suis effectibus* apud illos qui illam susceperunt (cf. n. 132,5; I46,d). Igitur haec criteria interna respicere possunt 1). *doctrinam praedicatam* a lesu èt ab eius legatis —et 2) *motum religiosum inde derivatum,* scilicet ipsum opus lesu Nazareni: in quo quidem opere *a)* fructus sanctitatis considerari possunt manantes ex doctrina lesu, et *b)* modus admirabilis quo talis doctrina propagata et *c)* conservata est; denique *d)* quomodo sectatores illius testimonium pro illa praebuerunt. Ex his tot alia argumenta conficiemus ·.

Atque hic argumentandi modus, ab opere lesu ad ipsum lesum, ab Ecclesia ad eius Caput Christum, modus est argumentandi *ascendens,* qui dicitur, vel *regressivus* (cf. *Introductio* n.59).

1 Potest esse diversitas in modo considerandi haec argumenta, utrum tamquam criteria interna doctrinae per examen effectuum considerari debeant, an aliter. Neque auctores con; veniunt. Sic Lercher-Schlagenhafen adnumerat ea criteriis subiectivis, etsi agnoscit vocari posse critérium internum, aptitudinem religionis ut indigentiis hominum satisfaciat: *Theolog. fundam,* n.102: et vocat *partim externa partim interna* illa criteria quae cum religione coniunguntur *ut effectus* (mirabilis propagatio, conversio morum, sanctitas fidelium, constantia martyrum...); *ibid,* n.too.

ARTICULUS I

De doctrina Iesu Nazareni

Thesis 36. Interna excellentia doctrinae christianae confirmat eius revelationem divinam.

Tromp. *De revelatione6* 1.2 s.2; Lercher, *Theolog. fundamentalis* (1927) n.226-235; Muncunill, *De vera religione* 343-353; Otticer, *Theolog. fundament.* 1,608-628; Dorsch, *Theolog. fundament,* i2,732-742; Pinard de la Boullaye, *Confer, de Notre Dame* (1934) V; A.M.Weiss. *Apologia del cristianismo* tom.4.5 (Barcelona 1905, 1906); J.Balmes, *El protestantismo comparado con el catolicismo en sus relationes con la civilization europea* (a. 1841-1844); I.Soueen, *L'esthétique du dogme chrétien* (Paris 1898); J.Zaragüeta, *El cristianismo como doctrina de vida y como vida* (Madrid 1939).

648. Hoc argumentum apologeticum apud Patres solemne fuit 2; atque theologi saec.XVI et XVII sunt eo usi, agentes de fide divina 3. Saeculo transacto, tempore praesertim influxus romantismi, multi in criteriis huiusmodi sunt immorati. Illa evolverunt, inter alios, J.Balmes, Donoso Cortes, Chateaubriand, Lacordaire, Monsabré. P.Félix, A.M.Weiss... 4; sicut etiam recentiores bene multi, ut Karl Adam 5 6 aliique.

Neque mirum, cum hoc argumentum, vigore intellectuali et calore propositum, maxime aptum sit ad animos disponendos erga religionem catholicam, cuius pulchritudo, cuius sanctitas et puritas doctrinalis, cuius utilitas pro individuo, pro familia et pro societate universa, cuius valores pro vita, eminenter inde collucent 6.

649. Adversarii videntur nominandi illi *rationalistae* qui contendebant dari oppositionem inter scientiam et fidem (cf. D 1797) aut non expedire ut homo per doctrinam revelatam edoceretur de Deo cultuque ei exhibendo (D 1807).

650. Doctrina Ecclesiae. Valor huius argumenti indicatur in litteris Pu IX «Qui *pluribus*» (D 1638), ubi eius vis effertur una cum aliis argumentis quae dari possunt in favorem fidei catholicae: «Haec scilicet fides vitae magistra, salutis index, ... divini sui auctoris et consummatoris Christi Iesu ... sapientia... confirmata, supernae doctrinae luce undique refulgens ac

2 Testimoma collegit Tromp, *De revelatione6* 1.2 s.2 n.2 (p.20$s\
3 Vide supra, in Schemate historico Apologeticae, *Introductio in Theologiam* n.77.
4 Vide supra, *Introductio in Theologiam 0.82-85.*
5 *Das Wesen des Katholizismus12* (Düsseldorf 1949); versio hispana2 (Buenos Aires 1940).
6 Cf. n. 154-159. Atque adversarii bene multi ex ceteris religionibus id optime sentiunt, atque argumenti efficaciam fatentur, dum tendunt promovere et extollere excellentiam propriae religionis comparando illam cum christianismo ut termino comparationis *superiore,* absque ullo dubio.

caelestium divitiarum ditata thesauris, ... salutares proferens Christi leges... omnes populos, gentes, nationes, utcumque immanitate barbaras ac indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinae cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi iugo subiecit, annuntians omnibus pacem, annuntians bona» (D 1638).

651. Valor theseos. In encvclica praecedenti non dicitur utrum argumentum seorsim sumptum evincat cum certitudine credibilitatem fidei catholicae. Ex probationibus infra faciendis nobis videtur hoc argumentum *moraliter certo esse* efficax ad comprobationem revelationis christianae 7.

652. Probatio. In doctrina Christiana invenitur 1) *veritas comprobata sive conformitas absoluta cum sana ratione;* 2) *sublimitas ac perfectio complementaria religionis naturalis;* 3)*aptitude singularis ut satisfaciat iustis aspirationibus individui, familiae et societatis.*

Atqui inventio horum omnium, adaequate sumptorum, non explicatur per meram industriam et per solum ingenium hominum.

Ergo doctrina Christiana habita est per interventum supernaturalem, confirmantem divinam legationem et testimonium sui auctoris Christi.

653. Prob. maiorem. 1) In doctrina Christiana invenitur VERITAS COMPROBATA.

Quoad veritates ordinis naturalis. Omnia quae in religione Christiana de Deo, de actibus humanis, de mundo et de psychologia humana asseruntur, concordant omnino cum religione naturali, nimirum cum ethica naturali et cum theologia naturali, atque cum ceteris disciplinis naturalibus; quin et ratione

7 Auctores de valore huius theseos non uno modo loquuntur. Sic Lercher, *Theolog. fundam.* (1927) n.226, dicit *suadere; Ottiger, Theolog. fundam. 1,620,* dicit «istam Christi doctrinam divinam suam originem *valde prohabiliter saltem* indicare»; Muncunill, *De vera religione* 346: «Ex ipsa doctrina Christiana eius veritas *valde suadetur»;* Dieckmann, *De revelatione* n.768: argumentum ex sapientia lesu, seorsim ab eius sanctitate, «aliquibus non videtur eundem gradum certitudinis praebere», sicut «argumentum fortius, vere moraliter certum», ex sanctitate lesu; Tromp, *De revelatione6* 209 dicit: examen doctrinae lesu *eius divinam originem suadet,* et 217: «Doctrina Christi pro omni anima, quae sincere quaerit bonum, sanctum et verum, stupendum est miraculum ordinis intellectualis et moralis»; Dorsch, *Theolog. fundam.* 13» 739: «argumentatio cum in se considerata tum sub providentia divina spectata *ad certitudinem nos adducere incipit... demum cum plena certitudine ad supernaturalitatem atque divinitatem* eiusdem doctrinae agnoscendam perveniemus», nimirum si spectatur doctrina tam excellens et modus quo proponitur tam extraordinarius, ex simplicitate, efficacia et «certitudine ex miraculorum approbatione summa». Lercher-Schlagenhaufen, *Theolog. fundam.* n.227 ait: «doctrina Ecclesiae in se spectata non est miraculum morale; ex comparatione tamen cum aliis doctrinis religiosis posset probari quod sit miraculum morale; sed haec via nimis difficilis videtur...»

demonstrantur vera omnino esse in Philosophia christiana, ubi doctrinae oppositae errores esse ostenduntur 8.

654. In omnibus veritatibus, tam naturalibus quam in mysteriis suprarationalibus, invenitur *conformitas absoluta cum sana ratione:* nulla est oppositio inter scientiam et fidem. Et nemo est qui hodie loquatur de duplici veritate mutuo opposita, alia in plano naturali, alia in plano supernatural! 9; aut qui timeat serio dari talem oppositionem, cum ex antiquis et recentibus impugnationibus fidei ex campo scientifico, semper fides triumphaverit invicta. «Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur» (D 1797).

655. *Mysteria vero,* non modo nequeunt ostendi repugnare cum ratione, sed et *inter se harmonice connectuntur* ad systema unum completum, omnium ingenio accommodatum, simplex ac simul profundissimum: adeo ut ipsi pueri et rudiores de symbolo edocti magna promptitudine de gravissimis valeant respondere quaestionibus, melius et certius quam philosophi ethnici qui in arena instabili conclusiones aedificaverunt suas. Theologi autem speculari valent internam dogmatis harmoniam, obtinentes fructuosissimam mysteriorum intelligentiam (D 1796). Atque haec omnia (considera v.gr. mysterium Sanctissimae Trinitatis, ubi tot sunt connexiones adeo sublimes et concordantes) merito dixeris non potuisse esse fructum inventionis humanae.

656. Quodsi, ut pulchre ait Suarez !0, ubi est admixtio falsitatis, signum est doctrinam illam non esse ex Deo: in religione catholica, ubi nulla falsitas demonstratur, signum est, etiam de aliis quae de Deo demonstrari nequeunt, recte in illa sentiri de eo.

657. 2) In doctrina Christiana invenitur sublime complementum REDGiONis naturalis. Hoc accidit in primis in iis quaestionibus, quas, etsi rationi perviae sunt, tamen nonnisi dificillime ratio individui inveniret; cum ex alia parte ab omnibus habentibus doctrinam christianam expedite, firma cer-

8 De exsistentia et munere Philosophiae christianae egit J.Iriarte, S.I., *La realidad de un pensamiento filosófico cristiann:* RazFe 125 (1942) 533-544; *La fey la razôn quefilosofa:* RazFe 127 (1943) 35-47.

9 Cf. D 738 *(Concilium Lateranense V).*

10 De fide d.4 5.3 n.2.

titudine et nullo admixto errore cognosci possint (D 1786). Sed praesertim hoc est ponderandum, cum doctrina Christiana det solutionem simplicem et securam ad multas quaestiones, quas sibi ponit Philosophia «quomodo Deus colendus sit, [quomodo sacrificium faciendum]; num et quomodo peccatorum remissio a Deo obtineri queat; unde sint tot mala physica et moralia in mundo; num morte irrevocabiliter finiatur tempus probationis; num sint spiritus puri creati, qui fatis hominum sese intermisceant; num et qualis sit finis historiae generis humani; num sit futura resurrectio carnis; num homines, nunc in rebus prosperis et adversis inter se conversantes, post obitum in alia vita rursus se inveniant et videant. Ad has aliasque quaestiones fides christiana incunctanter dat responsa, quae a ratione ut approbatione digna agnosci debeant»11.

658. *Sublimitas auteni doctrinalis* religionis christianae magnopere elucet considerando quomodo *extrema opposita* mirifice coniungantur simplici, secura ac congruenti connexione.

Sic inter veritates de Deo : Deus origo omnium, Deus finis omnium. Deus immutabilis, at in se vivens. Deus unicus, sed in personis trinus, vita foecundissima vivens per intellectionem et amorem. Deus transcendens, sed intime praesens homini atque inhabitans. Deus hominem servum sibi devinciens, at simul hominem filium adoptans. Deus sese glorificans, at simul hominem beatificans, per creationem et per adoptionem. Deus iuste puniens, sed misericorditer redimens. Deus infinite sanctus, iustissime iratus peccatis hominum, at condigne sibi satisfactionem excogitans: vere iustitia et pax osculatae sunt (Ps 84,11). Deus dominator hominum, sed etiam Deus-homo, primogenitus in multis fratribus (Rom 8,29).

Inter veritates de Christo: Christus perfectus Deus, Christus perfectus homo. Deus aeternus, in tempore nascens. In forma Dei est, et semetipsum exinanivit formam servi accipiens (Phil 2,6s). Rex omnium et omnia in ipso constant; et factus est oboediens usque ad mortem (Coi 1,17; Phil 2,8). Et cum esset dives, egenus factus est, ut illius inopia nos divites essemus (2 Cor 8,9). «Foeno iacere pertulit; praesepe non abhorruit; et lacte modico pastus est, per quem nec ales esurit» ›2. Moriens in cruce, at triumphans per crucem. Traditus, desolatus; at omnes universos redimens et populum acquisitionis sibi coniungens.

Eius *Mater:* filia Adami, at sine peccato Adami. Mater et simul Virgo. Mater dolorosissima, at beatam illam dicent omnes generationes (Lc 1,48). Mortua, sed non vidit corruptionem sepulcri, in caelos assumpta. Mater Dei et Mater hominum: facies illius plena est gratiarum.

Regnum Christi est sociale et externum, at primario internum: non est de hoc mundo (Io 18,36). Est universale, at singulis populis mirifice aptabile. Est eschatologicum, sed non mere eschatologicum, habens stadium terrenum. Patitur persecutiones, at triumphat. Est monarchicum, sed ex

11 Lercher, *Thcolog. Jundam.* (1927) n.229.
12 Hymnus ad laudes Nativitatis Domini.

plebe omnia sunt membra Christi et sunt, vel saltem possunt esse, consortes divinae naturae.

Ideale perfectionis christianae: ut homo vivat, moriatur sibi, abneget semetipsum; ut resurgat cum Christo, moriatur cum Christo; relinquat se, ut inveniat se,—Inter multas curas, quasi sine cura transeat; non more torpentis, sed praerogativa quadam liberae mentis, nulli creaturae inordinata affectione adhaerendo 13.14-Si actioni traditur, sit contemplativus in actione >4; si contemplationi incumbit, zelo animarum aestuet.—Sit puer in simplicitate et puritate; sit senex in prudentia et consilio: simplices sicut columbae, prudentes sicut serpentes (Mt io,16).—Sit industrius in agendo, et simul docilis patiatur regi a Spiritu. Faciat quae sunt in se, sed diffidat de se et speret in Eo qui est supra se.—Sit servus Dei, et simul filius Dei. Amet Deum in omnibus, unice timeat offendere Deum in aliquo.

659. 3) In doctrina Christiana est aptitudo ut satisfiat iustis optatis hominum, a) *Pro individuo.* Id testantur in primis multi homines ex omni genere et conditione, qui affirmant se in hac religione satisfactionem et pacem ineffabilem invenisse; atque id *historia conversionum* abunde ostendit 15.

Insuper «homo *angitur* multis problematibus et aporiis, harmonice in doctrina Christi solutis; puta: problema passionis et humanae miseriae; malitiae moralis et pugnae internae; inaequalitatis et iniustitiae socialis; mortis et vitae aeternae; separationis ab amicis et sanguine iunctis; discordiae populorum et nationum».

«In homine vivunt multa et sancta desideria in Christianismo impleta. Desiderium *amoris* impletur communicatione supernatural! Dei, nativitate Christi, maternitate immaculatae Virginis; desiderium *cognitionis Dei intimioris* revelatione mysteriorum; desiderium *certitudinis religiosae et moralis* visibili Dei magisterio et imperio, desiderium *beatitudinis* conformitate Dei hac in terra, visione beatifica in caelis; desiderium *idealis* exemplo Christi pueri et hominis perfecti, exemplo Mariae matris et virginis; desiderium *activitatis et contemplationis* vita religiosa activa et mystica; desiderium *mediatoris et adiutorii moralis* persona Christi et auxilio sacramentali; desiderium *pulchri* liturgia, arte christiana pulcherrima simul et castissima, tamdem aliquando visione Dei beatifica; desiderium *vitae et perennitatis* vita immortali et gloria caelesti»16.

Hisce vero dubiis, hisce desideriis occurritur in christianismo non per fluctuantes opiniones hominum, sed ex certissima revelatione Dei mirifice secura, quae rationabilis omnino atque credibilis et acceptanda demonstratur. Hinc firmitas in

13 *Imitat. Christi* I.3 c.26 n.i.

14 Ex imagine Sancti Ignatii a Hieronymo Nadal, S.I., *In examen annotationes:* Monum. Hist. S.I., *Epist. Nadal* 4,651.

15 pro historia conversionum, cf. S.Lamping, O.F.M., *Menschen dic zur Kirche kamen* (München 1935); versio hispana: *Hombres que vuelven a la Iglesia* (Madrid 1945); item conferri possunt Th.Mainage, O.P., *La Psychologie de la conversion* (Paris 1915); M.Nicolau, *Valores teolôgicos en la psicologla de la conversion* (Granada 1943).

16 Tromp, *De revelatione6* 215·

assensu et *firmitas principiorum* vitae moralis, quae habentur per fidem. Ex hoc cognitio exemplaris sublimis, Christi, B.Virginis...; ex hoc impulsio ad virtutes etiam heroicas. Inde autem *spes et erectio animi in confidentia,* securitas remissionis peccatorum et auxilii divini per gratiam et sacramenta. Inde tandem *exercitium amicitiae Dei* et fruitio illius communicationis... ut inde homo regrediatur ad annuntiandam pacem, ad annuntianda bona...

Atque *haec pax, hi thesauri, qui in cruce maxime cognoscuntur,* non tetrica mundi fuga, sed intima hilaritate atque jucunditate componi omnino possunt (cf. Phil 4,4-9). Neque id tantum divitibus, aut doctioribus; quin immo *pauperibus et humilibus atque simplicibus* maxime conveniunt et destinantur.

660. b) *Pro familia* praebet doctrina Christiana exemplum Familiae Nazarethanae «divinitus constitutae, in qua omnes homines absolutissimum domesticae societatis, omnisque virtutis ac sanctitatis intuerentur exemplar...». In ea habent normam actionis patresfamilias, in ea matres, in ea filii, in ea qui nobiles nati sunt, in ea operarii et ii omnes qui familiarium angustiis ac tenuiore conditione tam acriter irritantur... *7.—Contra peccata egoismi coniugalis atque ineducationis filiorum, item contra tyrannidem herorum relate ad servos et operarios, praebet religio christiana purissimam atque altissimam doctrinam 187

661. c) *Pro societate autem civili atque politica,* doctrina christiana summa securitate indicat radices profundissimas cur perturbationibus agitetur res publica nec inter se quiescant aut pacem habeant nationes 19; eo quod authentico, atque in Deo fundato, iure internationali posthabito, et sinceritate publica derelicta, ea quae sua sunt materialia ac temporalia immoderate conquirant populi eorumque rectores, neque de spiritualibus et fini ultimo consentaneis occupentur, sive in re politica internationali sive in re publica et sociali cuiuscumque nationis; quo fit ut, recto ordine amisso, neque pax, quae ex ordine affulget, adesse possit.

17 Leo XIII, *Breve «Neminem fugit»* (12 iunii 1892), in lectione *secundi Nocturni Breviari* pro festo Sanctae Familiae.

18 Vide encyclicas circa haec problemata respective *«Casti connubii»* (31 decembris 1930). •Divini *illius Magistri»* (31 decembris 1929), *«Quadragesimo anno»* (15 maii 1931)·. .

i' Cf. Encyclicam Pu XII «Summi Pontificatus» (20 octobris 1939) circa spirituales, sociales et politicas necessitates temporis hodierni; itemque alias frequentes allocutiones Pontificis. Pro iusta autem concordia inter iura status et individui, quam tuetur doctrina catholica, cf. praesertim Leo XIII, *«Immortale Dei» (2* novembres 1885); *«Libertas· (20* iunii 1888); et Pu XI «Mit *brennender Sorge·* (14 martii 1937)·

Pro omnibus autem, tam pro individuis quam pro familiis atque nationibus,, valent verba Magistri Divini: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Mt 11,28).

662. d) *Cultura* autem, quae est nobilis aspiratio individui et societatis, fovetur splendide, historia teste, per religionem christianam. Et «tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur immo eas, quemadmodum a Deo scientiarum Domino profectae sunt, ita, si rite pertractentur, ad Deum iuvante eius gratia perducere...» (D 1799).

663. Ex dictis igitur constat omnino interna excellentia doctrinae christianae eiusque sublimitas transcendens, tam in comparatione aliarum religionum *(transcendentia relativa)* quam in se ipsa considerata *(transcendentia absoluta).*

664. Prob. minorem. Talis doctrina, adaequate SUMPTA, NON POTUIT INVENIRI PER SOLUM INGENIUM AUT INDUSTRIAM humanam. Etenim ex historia generis humani constat id habere moralem impotentiam ut inveniat, sine revelatione divina, in praesenti conditione qua versatur, congruam cognitionem religionis naturalis, multo minus cognitionem religionis adeo sublimis et purae et sibi adaptatae 20. Congruum quoque est credere talem complexum doctrinae, totalem, non potuisse oriri ex aliquo individuo etiam magni ingenii; hoc enim ex iudicio prudenti efformato ex historia est etiam moraliter impossibile, licet impossibilitate morali lata, ut videtur (cf. n.78). Quod si quis consideret *auctorem huius doctrinae fuisse Iesum, qui litteras non didicit* (Io 7,15) nec scholas rabbinorum frequentavit, tunc maxime concludet disproportionem inter effectum et causas pure naturales; atque probabilitate maxima, quin et certitudine morali apparebit interventus Dei supernaturalis in favorem huius doctrinae.

665. Iesus enim non recepit haec ex iudaismo; sed doctrinae iudaicae multa addidit; multa quoque perfecit ex doctrina et ex vaticiniis V.T. vel illustrando illa vel explicando; et quidem certitudine summa et tamquam *potestatem habens* (cf. n.459s). Iesus multo minus accepit haec ex aliis religioni-

20 Vide thesim in theoria de revelatione, n.?6ss.

bus aut ex philosophia tunc vigente, quae evidentissime non habebant neque nunc habent tantam sublimitatem aut puritatem. Ergo debuit illa accipere ex interventu supernatural! Dei; quare et dicere potuit: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me* (Io 7,16) 21.

666. Obiectiones. 1. Religio Christiana non satisfacit iustis aspirationibus mentis, quia in *ea non intelligitur, sed creditur.*

Nego antec.; dist. rationem additani. In ea non intelligitur, sed creditur: in statu termini, nego; in statu viae, *subdist. :* quoad omnes veritates, nego; quoad mysteria, iterum *subdist.:* non intelligitur quid sibi velint et aliquatenus quomodo cohaereant inter se, nego; non plene intelliguntur quoad rationes internas, iterum *subdist. :* ita ut hoc sit obsequium rationabile et valde conveniens, ut in statu probationis possimus Deo loquenti subicere intellectum nostrum, cone.; ita ut hoc sit aliquid irrationabile, nego.

2. Doctrina Christiana repraesentat evolutionem naturalem ex statu imperfectiore ad statum perfectiorem.

Nego antec. Evolutio enim naturalis, i.e. spectatis legibus historicis quae in evolutione generis humani animadvertuntur, in re religiosa est depravatio in peius, non evolutio in melius. Cf. n.18.

Praeterea Christus Dominus non frequentavit scholas rabbinicas, ergo nec potuit doctrinam rabbinorum, praeter illam popularem iudaicam, evolvere; huic autem tot tamque mira addidit atque tam sublimiter explicavit, ut id nequeat cogitari prudenter mera evolutio naturalis.

3. Praesens doctrina Christiana non est nisi evolutio doctrinae imperfectioris quae erat tempore Christi.

Resp. Ita dicunt modernistae. Sed adverte Christum praedicasse doctrinam fixam et dogmaticam, ut supra exposuimus (n.422), neque hodiernam doctrinam religionis catholicae ab illa pristina doctrina discrepare, aut illi et doctrinae apostolorum, legatorum lesu, quidquam substantialiter addere, cum progressus dogmaticus obiectivus in christianismo sit exclusus (vide de hac re thesim in tractatu *de Ecclesia).* Ergo tantum evolutio potuit esse in nostra *cognitione pleniore et magis explicita* pristinae praedicationis apostolicae.

4. Doctrina Christiana *nimis severa* est nec ideo aptatur exigentiis cordis humani.

Resp. Doctrina Christiana *non gratis severa, sed purissima et sublimis est,* omnino congrua ethicae naturali et tendentiis nobilioribus hominis. Atque hoc in doctrina religiosa merito est exspectandum; non ut conniveat passionibus inferioribus et foveat depravationem cordis, non sublimationem tendendarum.

5. Doctrina christiana parvi pendet *affectus naturales* patriae et familiae, non multum aestimat res temporales industriae et mercaturae, bellicas laudes contemnit; verbo, docet orare: fac nos terrena cuncta despicere... Ergo doctrina christiana non fovet culturam et progressum.

Resp. Doctrina christiana docet haec omnia non ut finem in se considerare, quod verissimum est, sed omnia subordinanda esse fini ultimo altiori supernatural!; hunc finem amandum prae ceteris, alia nonnisi rationem mediorum habere, quibus utendum *tantum quantum.* Neque infitiari debemus

2* Hoc argumentum uberius evolvit Ottioer, *Theolog. fundam.* 1,620-628. Item quoad independentiam doctrinae Christianae relate ad alias religiones, cf. Pinard de la Boullaye, *Confér. de Notre-Dame* (1934) V.VI; Grandmaison, *Jésus Christ* 2 1.6 P-535SS; Dieckmann. *De revelatione* 0.779-782.

aliquando finem altiorem obtineri per sacrificium rei vilioris. Omnia autem docet *aestimanda esse in Deo et propter Deum*.—Ceterum quid religio Christiana praestiterit pro institutione familiari et patria populorum, quid eius monachi et missionarii pro institutionibus etiam temporalibus, quid ordines militares et populi ab infidelibus expugnati gloriose nimis in bello gesserunt... historia docet.

667. Scholion 1. Valor huius criterii. Hoc critérium internum, ex examine doctrinae Iesu, *non est tantum negativum* (quod obtineret, si doctrina tantum esset conformis cum religione naturali et cum veritate); sed est etiam critérium *positivum,* quia positive concludit doctrinam habitam fuisse per interventum Dei. Sed *non est critérium primarium,* quia non modo expedito et omnibus accommodato rem demonstrat, siquidem postulat longiora studia, et per Theologiam totam et per comparationem cum doctrinis ceterarum religionum evolvi possit indefinite.—Habet tamen valorem maximum, *ut dispositivum* ad considerationem ceterorum criteriorum, et *ut confirmatorium*.

668. Scholion 2. In quo differt argumentum immanentisticum, REIECTUM N. 138-140, AB HOC EXAMINE INTERNO DOCTRINAE, IN QUANTUM EST APTA SATISFACERE ASPIRATIONIBUS CORDIS.

In primis iuxta immanentistas critérium immanentisticum *solum,* sine auxilio aliorum, potest inservire et sufficit ad demonstrandum factum revelationis divinae. Hic autem consideratio aspirationum cordis et pariter aptitudinis doctrinae ad illas satisfaciendas, *non unice adhibetur* ut argumentum, sed praeterea considerantur veritas et sublimitas doctrinae. Neque excluduntur alia argumenta et aliae probationes.

Insuper iuxta immanentistas examen tendentiarum cordis quasi fit in recto, et quasi in obliquo examinatur doctrina quae eis respondet; hic vero hoc examen tendentiarum fit in obliquo, *in recto autem examinatur ipsa doctrina,* ex qua concluditur ad interventum miraculosum Dei. Unde methodus traditionalis ex miraculis non negligitur.

ARTICULUS II

De opere Iesu Nazareni

Thesis 37. Fructus sanctitatis ex doctrina Christiana dimanantes probant eius revelationem divinam.

OrriOER, *Theolog. fundam.* 1.869-877; Hurter, Compendium *Theolog.* i>> (1903) th.10 P 98-IO2; Müller, *De vera ₱eligione* th.44 p.566-593; Dorsch, *Theolog. fundam.* P,787-800: Lercher, *Theolog. fundam.* (1927) n.236-240; Fr Luis de Granada, *Inlroducciôn del stmbolo de la fe* p 2 c.10 (cd. Cuervo) Obras t.6 p.82-90; A.Ehrhard, *Die Kirche dm Mdrtyrer* (München 1932) 338-352.

669. Post critérium internum in examine ipsius doctrinae in se, venit etiam ut critérium internum, examen doctrinae prout aliquos fructus seu effectus producit in iis qui illam acceptaverunt.

Hi fructus sanctitatis, de quibus agendum erit, non considerantur nunc ut impletio prophetiarum Christi (Io 4,23; Mt 13,33), sed ut *miraculum morale,* i.e. ut factum superans leges psychologicas quibus mores hominum eorumque activitas reguntur.

Sic habebimus validum critérium pro legatione et pro religione lesu comprobandis; et quamquam haec criteria interna generatim non sunt primaria, nihil impedit quominus aliquando, sc. cum miraculum externum manifeste se prodit, *per accidens* (ut dicebamus n.i$7,b) primaria et sufficientia habeantur.

In hoc miraculo comprobando adest vis praesentis argumenti in favorem doctrinae et religionis Christianae, nimirum catholicae; atque *in hoc discriminatur a demonstratione religionis catholicae per notam sanctitatis recognoscendam* (in tractatu de *Ecclesia);* ibi enim non ad miraculum appellatur, sed contra novatores saeculi XVI ostenditur Ecclesiae verae convenire debere notam sanctitatis (aliasque unitatis, catholicitatis et apostolicitatis), quae tantum in Romana Ecclesia reperiuntur.

670. Adversarii nominari debent qui emendationem morum, et foecunditatem bonorum inductam per doctrinam Christianam, naturaliter contendunt explicare.

671. Doctrina Ecclesiae. Concilium Vaticanum considerat Ecclesiae *«eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem»* ut motivum credibilitatis et testimonium suae legationis (D 1794); sed, ut videtur, tale motivum, de quo loquitur Vaticanum, constituitur ex propagatione, sanctitate, foecunditate, stabilitate et unitate Ecclesiae *simul sumptis,* videlicet *ex facto Ecclesiae* 1.

1 Hoc erat argumentum propositum a *Cardinali Dechamps,* quod fuit acceptatum in *Concilio Vaticano.* Emendatio 71, proposita ad schema praevium, continebat verba illa: «ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis

Et Pius IX, recensens motiva credibilitatis fidei meminit quomodo haec fides *«vitae magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix ac virtutum foecunda parens et altrix... tot Sanctorum gloria vel maxime clara et insignis... idolorum profligata fallacia... omnes populos... divinae cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi iugo subiecit...»* (D 1638).

Patres saepius appellaverunt ad hoc argumentum (cf. R ad Indicem theologicum, in fine, n.ags; et infra n.6755s).

672. Valor theologicus. Haec thesis *simul sumpta* cum illis de propagatione, unitate et stabilitate Ecclesiae, ex Vaticano (D 1794) considerari debet argumentum irrefragabile et continet *saltem doctrinam catholicam. Saltem,* inquam, si cuipiam non omnino certo videretur constare de intentione definiendi in Vaticano *rationes* cur Ecclesia per se ipsa sit magnum et perpetuum motivum credibilitatis (cf. n.65 in nota). Si vero thesis *singillatim* consideretur, eius valor theologicus non satis liquet (ex D 1794 1638); sed est *apologetice certa.*

673. Probatio. Ex doctrina christiana eximii fructus sanctitatis et magna emendatio morum dimanaverunt a) *in individuis,* b) *in societate domestica,* c) *in societate civili.*

Atqui hoc arguit causam proportionatam—supernaturalem—quae a Deo nequit praestari ad confirmandam doctrinam quae falso diceretur revelata.

Ergo fructus sanctitatis dimanantes ex doctrina christiana probant eius revelationem divinam.

674. Prob. maiorem, a) Emendatio morum: in individuis. i) Considerentur in primis vitia paganorum illius temporis seu *terminus a quo* illa mutatio inducta est.

De corruptione morum in paganismo loquuntur *scriptores christiani.*

Legatur quid *S.Paulus* dicat (Rom 1,21-32) de vitiis nefandis eorum qui, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt 2; ibi quoque (v.29-31) texuit catalogum peccatorum apud paganos; sicuti et postea similiter, dicens aliquos ex Corinthiis ita fuisse ante eorum conversionem: 1 Cor 6,9-11.

foecunditatcm, ob catholicam unitatem iuvictamque stabilitatem» tamquam addenda ad illud: «Ecclesia per sc ipsa magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis...»— Hanc emendationem deputatio de fide censuit admittendam «ut pulchram *expositionem* motivi credibilitatis quod in Ecclesia continetur» (CL 7,161.180).

2 De vitiis paganorum scribunt historici. Nominatim de paederastia, cf. Io. Doellinger, *Heidenthum und ludenthum* (Regensburg 1857) I.9, 1,2 η.323s; et 1.9,11,4 n.86ss(apud graccos et romanos); versio gallica: *Paganisme et judaïsme* (Bruxelles 1858) t.4,36ss.86ss.

Patres quoque in hac re, utpote in re evidentissima, frequentiores opponunt vitia gentilica virtutibus Christianorum, ut Tertullianus3, Cyprianus4, Minucius Felix5, Augustinus6. Si placet, audiatur unus Eusebius Caesariensis, recensens crimina pristina gentilia diversis in locis:

«... ex quo ipsius doctrinae [Servatoris nostri] per universum orbem diffusae verbis et concionibus hominum aures afflari coepere, continuo factum sit, ut qui ferini prius ac barbari nationum omnium mores fuerant, iidem lenioribus et humanioribus institutis mansuescerent. Itaque nec *Persae,* qui semel eius disciplinae nomen dederunt, nuptias amplius cum matribus ineunt. Nec *Scythae,* quod in eorum quoque regionem Christi sermo pénétrant, humana iam came pascuntur; nec alia barbarorum genera incesto filiarum ac sororum concubitu polluuntur; nec ad mares furioso libidinis aestu mares ipsi rapiuntur, nec ceteras, quae naturae leges violant, corporis voluptates persequuntur, nec canibus atque volucribus necessariorum ac propinquorum suorum cadavera, quibus id quondam in more fuerat, obiciunt; nec senio iam confectis, ut antea, laqueos iniiciunt; nec sibi amicissimorum carne post obitum antiquo ritu saginantur; nec maiorum instituto daemonibus tamquam diis homines immolant, nec sibi carissimos iugulant falsa pietatis opinione delusi. Haec nimirum illa sunt, aliaque id genus propemodum infinita, quibus infesta quondam hominum vita habebatur... [Sequitur quid *Massagetae,* quid *Derbices,* quid *Tibareni,* quid *Hircani, Caspii, Bactrii* quoque fecissent immoralia]»7.

Sed non tantum christiani, utpote adversarii; *ipsi quoque pagani* evidentissimam morum relaxationem agnoscunt:

Sic Tacitus, narrans quid Romae temporibus Neronis circa mores esset: «Ceterum abolitos paulatim patrios mores, funditus everti per accitam lasciviam, ut quod unquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque studiis externis iuventus, gymnasia et otia et turpes amores exercendo, principe et senatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant»8.

Ita fuit, ea potissimum de causa quod luxus atque divitiae, ex politica prosperitate manantes, corruptionem induxerunt. Ut Iuvenalis notavit: «Nunc patimur longae pacis mala. Saevior armis—-Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem; —Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo—Paupertas romana perit...—Prima peregrinos obscena pecunia mores—Intulit, et turpi fregerunt saecula luxu—Divitiae molles...» 9.

Atque Seneca: «Omnia sceleribus ac vitiis plena sunt: plus committitur quam quod possit coercitione sanari. Certatur ingenti quodam nequitiae certamine: maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris aequiorisque respectu, quocumque visum est, libido se impingit. Nec furtiva iam scelera sunt: praeter oculos eunt; adeoque in publicum missa

3 *Apolog.* 9.15.46: ML i,366ss.412Ss.s66ss.
F *Epist.* i,6ss: ML 4,2o8ss.
5 *Octav.* 28: ML 3,3405$.
« *De civitate Dei* 4,23: ML 41,1299$.
r *Praepar. evangel.* 1,4: MG 21,40s.
» Cf. de his profanis Tanquerey, Synopsi:· *Theolng. fundum.22* n.484. Uberius apud Dofllinc.hr, O.C., et apud historiographos.
» *Satir.* 6,292-300.

nequitia est, et in omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, sed nulla sit» [10].

675. 2) *De termino ad quem* conversio facta est testantur in primis scriptores ecclesiastici, qui non tam fiducialiter ad has virtutes Christianorum appellassent, nisi manifestissimae essent, adeo ut etiam in propria causa fidem facerent.

Act 4,32 testantur de concordia et paupertate voluntaria Christianorum primae ecclesiae.

S.Paulus extollit bona allata christianis per conversionem: i Cor 6,11; Eph 2,1-10.

Inter ceteros scriptores ecclesiasticos audiatur in primis compendio quod *Epistola ad Diognetum* (saec.II) continet, per pulchras antitheses extollendo virtutes Christianorum:

«Christiani... patrias habitant proprias, sed tamquam inquilini; omnia cum aliis habent communia tamquam cives, et omnia patiuntur tamquam peregrini; omnis peregrina regio eorum est patria, et omnis patria peregrina. Uxores ducunt ut omnes, liberos procreant; sed non abiciunt fetus. Mensam communem habent, non lectum. In carne sunt, sed non secundum carnem vivunt. In terra degunt, sed in caelo civitatem suam habent. Obsequuntur legibus constitutis, et suo vitae genere superant leges. Amant omnes, et omnes eos persequuntur. Ignorantur et condemnantur; morte afficiuntur, et vivificantur. Mendici sunt, et ditant multos; omnibus rebus indigent, et omnia illis redundant. Dedecorantur, et inter dedecora afficiuntur gloria; fama eorum laceratur, et iustitiae eorum testimonium perhibetur. Objurgantur et benedicunt; contumeliose tractantur, et honorem deferunt. Cum bonum faciunt, tamquam improbi puniuntur; dum puniuntur gaudent, tamquam vivificentur; adversus eos tamquam alienigenas iudaei bellum gerunt, et graeci eos persequuntur; et osores eorum causam inimicitiarum dicere nequeunt. Atque ut semel omnia complectar, quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo christiani. Anima dispersa est per omnia corporis membra, et christiani per mundi civitates. Habitat quidem anima in corpore, sed non est e corpore; sic et christiani in mundo habitant, sed e mundo non sunt...» [11].

S.Iustinus quoque eandem morum mirabilem mutationem extollit:

«Qui olim stupris gaudebamus, nunc castimoniam unice amplectimur; qui magicis etiam artibus utebamur, bono et ingenito nos consecravimus Deo; qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea quae possidemus in commune conferimus et cum indigentibus quibusque communicamus; qui mutuis odiis et caedibus pugnabamus et cum iis qui tribules nostri non essent communem focum ob diversa instituta non habebamus, nunc, postquam Christus apparuit, convictores sumus, et pro inimicis oramus...»,[12].

10 De ira 2,8
11 Epist. ad Diognelum c.gs: MG 2,1173-1176: R 97.
12 Apolog. 1,(4: R i 18. Cf. ct *ibid., c.15:* R 119.

676. Item multa alia testimonia induci possent, quae alii scriptores tradiderunt, ut S.Clemens Romanus 13, Athenagoras 14, Tertullianus 15, Minucius Felix 16, Lactantius 17, S.Cyprianus 18, S.Augustinus 19.

677. Similiter ex profanis, ut Plinius Minor, qui scribens ad Traianum dabat causam cur christiani convenirent ante lucem: «carmen Christo quasi deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent» 20. Lucianus quoque, agens de morte Peregrini, narrat Christianorum caritatem 21. Itemque Iulianus Apostata; cum enim «existimaret Christianorum religionem ex vita et moribus eorum qui illam sectarentur maxime commendari», volens similem effectum obtinere, scripsit ad Arsacium, gentilem sacerdotem Galatiae, cur non attenderent «quid Christianorum religio potissimum auxerit: humanitas scilicet in peregrinos, et in sepeliendis mortuis sollicita diligentia, et simulata [1] morum gravitas. Quorum singula vere a nobis exercenda esse existimo... Turpe enim fuerit ex Iudaeis quidem neminem mendicare; impios vero *Galilaeos, praeter suos pauperes, etiam nostros alere...»*22.

678. 3) *Inter virtutes peculiares,* quae in illis tenebris corruptionis emicuerunt, quaeque ut olim ignotae splendebant luce fulgidiore, numerari possunt: *amor proximorum in fraternitate et in dilectione inimicorum, amor Dei, castitas et virginitas...*

De hisce virtutibus peculiaria documenta atque manifestationes singulares induci possunt.

De caritate Christianorum scribebat S.Augustinus: «Caritas praecipue custoditur; caritati victus, caritati sermo, caritati habitus, caritati vultus aptatur; coitur in unam conspiraturque caritatem: hanc violare tamquam Deum nefas ducitur; huic si quid resistit, expugnatur atque eicitur; hanc si quid offendit, unum diem durare non sinitur. Sciunt ita commendatam esse a Christo et Apostolis, ut si haec una desit, inania; si haec adsit, plena sint omnia» 23.

De fraternitate inter christianos in operibus misericordiae

13 *Epist. i ad Car* c. 1.2.45: MG 1,208-212.320.
14 *Legatio pro Christianis* n 11.12: MG 6,912-916.
15 *Apolog.* 44: ML 1,560-563.
16 *Octav.* 31: ML 3,349-353· Et alibi, c.38: «... philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus et tyrannos: et semper adversus sua vitia facundos. Nos non habitu sapientiam, sed mente, praeferimus. Non eloquimur magna, sed vivimus. Gloriamur nos consecutos, quod illi summa intentione quaesiverunt nec invenire potuerunt· (ML 3,372s).
17 *Instil. divin.* 3,26: ML 6,431-433.
18 *Epist.* 60,3: ML 4,371s; *Epist. 61,2:* ML 4,373s.
19 *De moribus Ecclesiae catholicae c.30-33* (belle): ML 32,13365s.
20 *Epist.* I.1096: Kch 30.
2* *Ludani opera* ed. Dindorf (Didot) (Parisiis 1840) n.i2s p.691.
22 Apud Zozomenon, *Hist. eccles.* 5.26: MG 67,1261-1264.
22 *De moribus Ecclesiae catholicae* c.33 n.73: ML 32,1341. Atque Tertullianus haec: «Sed eiusmodi vel maxime dilectionis operat o notam nobis inurit penes quosdam. *Vide, inquiunt, ut invicem se diligant...» fApolog. 39:* ML 1,534.)

'exercendis, in eleemosynis comparandis et distribuendis, in hospitalitate sectanda, in communitatibus etiam remotis auxiliandis, in relationibus vere fraternis fovendis... scribunt historici remque vere mirandam quis proclamet 24.

679. *De dilectione inimicorum recte* observabat *Athenagoras:* «Quaenam sunt igitur illa placita, in quibus enutrimur? *Dico vobis: Diligite inimicos vestros, benedicite maledicentibus, orate pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est...* (Mt 5,44). Per vos hoc loco mihi liceat ut, apud reges philosophos causam dicenti, in sermonem magno clamore exaudiendum liberius erumpere. Quinam enim ex iis qui syllogismos resolvunt et ambigue dicta dissolvunt, et voces unde dicta sint explanant; vel ex iis qui homonyma et synonyma, ac praedicamenta et axiomata, et quid sit subiectum, quid praedicatum docent, atque his et aliis eiusmodi sermonibus beatum auditorem facturos pollicentur; quinam, inquam, ex eis ita puri et insontes vivunt, ut inimicos non modo non oderint, sed etiam diligant, ac iis qui priores maledixerunt, non modo non maledicant, quod tamen moderatissimum videretur. sed etiam benedicant ac pro iis precentur qui ipsorum vitae insidiantur?... Apud nos autem reperietis imperitos homines et opifices et anus, si minus verbis praestare possint eam, quae ex doctrina nostra percipitur, utilitatem, at factis eam, quae ex animi inductione proficiscitur, demonstrare. Neque enim verba declamitant, sed recte facta exhibent; percudentem non repercutere, rapienti litem non scribere, petentibus dare, proximum ut seipsum diligere» 25.

680. Talis autem amor proximi, id quod sublimius est, oriebatur ex amore Dei.

Amor Dei adeo erat ignotus apud gentiles, ut Aristoteles scripserit: «Alienum namque fuerit, si quispiam dixerit se amare Iovem»26. Item Cotta apud Ciceronem: «Num quis, quod bonus vir esset, gratias diis egit unquam» 27.28Illa vero quae christiani, ex hoc purissimo amore praestiterunt, testantur martyres effuso sanguine, de quibus postea dicturi sumus (n.74oss), siquidem martyrium ut imitatio Christi, ut unio cum Christo, ut ideale perfectionis concipiebatur 2S. Testantur quoque virgines, de quibus iam est dicendum.

681. *Virginitas atque castitas* magno pretio apud Christianos semper sunt habitae. Recte dicebat Tertullianus: «Nam, et proxime, ad lenonem damnando christianam, potius quam

24 Cf. Harnack, *Dic Mission und Ausbreitung des Christenlums4* (Leipzig 1924) | 1.2; P.Batiffol, *La Iglesia primitiva y el catolicismo* (venio ex gallico a Ph.Robies Dégano, Friburgo de Brisg. 1912) c i, III, p.238.

25 *Legatio pro Christianis 2:* MG 6,912s.

26 *Magn. Mural.* 2.11,6.

27 *De natura deorum* 3.36.

28 Cf. M.Viller-K.Rahner, *Aszese und Mystik in der Vdterzeil* (Freiburg im Breisgau 1939) c. 2; J.Maooz, *El amor* u *Jesucristo en la Iglesia de los mdrtires:* EstEc 12 (1933) 313-344-

ad leonem, confessi estis labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena et omni morte reputari» 29.

In virginitate visum est quasi ideale et quasi status perfectionis 3°.—Triumphum per christianismum reportatum ex passione universaliore et vehementi, atque adeo mediis in illecebris saeculi, quod quidem pergit et hodie verificari, lux est in tenebris, puritas maxima in medio nationis pravae et perversae...

682. 4) Nec *vero cogitandum est haec omnia pristina fuisse atque remota tantum, minime autem hodierna et coaetanea.* Nam historia integra Ecclesiae romanae et catholicae nullo non tempore ostendit praeclarissima exempla sanctitatis. Cogita *monachismum* longe lateque per Ecclesiam diffusum31; cogita *sacerdotium catholicum* celibatui addictum, ut quaerant Deum partem suam atque hereditatem suam, in iisque quae sunt Christi et Ecclesiae insistant; cogita *ordines militares* qui fortiter et pie rem ecclesiasticam gerebant; cogita ordines *mendicantes* qui exemplo paupertatis praedicationem confovebant; cogita *ceteros ordines religiosos* in diversa munera et opera misericordiae distributos, sive curae infirmorum, sive educationis pauperum et rudium, sive aliorum laborum pro Dei gloria in patria vel in exteris regionibus, atqùe adeô in missionibus, leprocomiis... versantes. Quin etiam adde *congregationes religiosas,* adde *instituta saecularia...:* haec omnia vigentem vim sanctificatricem Ecclesiae ac doctrinae consiliorum evangelicae ostendent. ..

Adde viros et virgines contemplationi quoque et paenitentiae incumbentes, pauperibus et derelictis inservientes, zelum animarum vel etiam in remotis oris terrae cogitantes... Adde laicos hierarchico apostolatui collaborantes in abnegatione et labore... Et ex omni genere et conditione vide sanctos canonizatos, etiam recenti tempore ex temporibus recentioribus... 32.

Haec qui secum reputet, sanctitatem mirificam et prorsus extraordinariam ex doctrina Christi dimanantem profecto fatebitur.

29 *Apolog.* 50: ML 1.603.

30 Cf. M.Viller-K.Rahner. Aszese *und Mystik in der Vaterzcit* c.3; et pulchra quae habet F.Vizmanos, S.I., *Las virgenes cristianas de la Iglesia primitiva* (Madrid 1949) per totum librum; pro valorc autem apologetico ex hoc facto virginitatis tam late extensum, cf. speciatim p.47-84.

JI Cf. M.Viller-K.Rahner, *A'zcse und Mystik in der Vaterzeit* c.5-8.

32 Cf. C.Kempf, S.T., *Die Heiligkcit der Kirche im 19. Jahrhundert* (et versio ex 7.· editione germana) (Einsiedeln 1927) ubi ostenditur multitudo sanctorum, beatorum et servorum Dei... Sanctitas charismatica. in quantum est indicium *ordinarium* alius sanctitatis moralis, semper adfuit ct adest in Ecclesia. Cf. de hac re thesim *de Ecclesia* et Batiffol, *o. c., c.i* III, p.21S.

683. b) Emendatio morum in societate domestica 33. *De filiis, terminus a quo* mutatio est facta constat ex dictis antiquorum. Sic Aristoteles statuebat: «Abolendis autem alendisque fetibus esto lex, ut nihil alatur mancum et debile. Propter multitudinem autem liberorum (quosdam) fetus abolere oportet, nisi gentis instituta id prohibeant: definitum enim oportet procreandorum liberorum numerum. Quod si quibus fuerit aliquid praeterea genitum, abortionem facere conveniet, antequam sensus et vita foetui accesserit» 34. Quod et *Lycurgus* induxit apud Graecos.

Apud Romanos vero *Lex duodecim tabularum* habebat: «Pater insignem ad deformitatem puerum cito necato»35. Atque Seneca: «Portentosos fetus exstinguimus, liberos quoque, si debiles monstruosique editi sint, mergimus: non ira, sed ratio est, a sanis inutilia secernere»36.

684. *Terminus vero ad quem* conversio facta est per christianismum, praeluditur ex dictis lesu circa diligentiam et exemplum quibus filiifamilias tractandi sunt. Atque lesus exemplum dedit singulare: Mc 10,14; Mt 18,5-15... et parall. Qua autem abnegatione sororum et religiosorum Ecclesia catholica *pueris educandis,* in regionibus catholicorum et in missionibus, incumbat; qua vero sollicitudine ea quae ad educationem baptizatorum spectant Ecclesia catholica invigilet; qua demum efficacia etiam *in tenera aetate maturae sanctitatis gratia* conspiciatur apud catholicos: sine ullo'negotio quispiam monstrabit.

685. *Circa uxores vero* firmior *perpetuitas vinculo matrimoniali per* christianismum est data, *polygamia est ablata,* sicque dignitati mulieris copiosius est provisum.,

Quoad servos autem nota est pristina macula ethnicorum. Religio vero christiana primum rem temperare; humanitatem in tractandis servis, liberationem eorum per dominos consulere; tandem servitutem exstinguere 37. Hodie famuli considerantur ut pars familiae.

33 Cf. Tanquerey, *Synopsis Theolog. fundam. 22* n.485.
34 Politic. 7,14,10.
33 Tab.IV.
36 De ira 1,1$.
37 Historiam servitutis et quomodo Ecclesia illam paulatim aboluit, amplissime tractat P.Allard, *Esclavage:* DAFC 1,1457-1522. Eiusdem auctoris, Los *esclavos cristianos,* versio ex 4.® editione gallica (Madrid).
De influxu Ecclesiae in «quaestione sociali» nota est *Encyclica* Leonis XIII, ·*Rerum novarum*· (i5 maii 1891); et Pu XI. •*Quadragesimo anno*· (15 maii 1931). Et cf. Pius XI: AAS 29 (1937) 84.193.

Ecclesia ad sacerdotium, quin et ad supremum pontificatum (S.Callixtum), pristinos servos evexit; laborem vero manualem nobilitavit.

686. c) De emendatione morum in societate civili. Notum est quomodo religio christiana *civitati civili abundantius profuit* 38; item quomodo promovit libertatem genuinam subditorum contra tyrannidem et despotismum; quomodo caritatem induxit *contra crudelitatem hominum sine misericordia* qui in ludis et circensibus de hominibus spectaculum desumebant; quomodo verum atque genuinum *ius gentium,* sane internationale, fundamentum in doctrina atque philosophia christianis desumpsit, adversus barbaras relationes; quomodo etiam Ecclesia *opera beneficentiae atque opera socialia* promovere nunquam destitit...

687. Prob. minorem. Haec omnia supponunt auxilium Dei superans communem cursum naturae, auxilium supernaturale. Enimvero philosophia et ceterae religiones talia tam sublimia nunquam praestiterunt. Neque mirum. Nam si auxilium supernaturale requiritur in praesenti providentia pro magna saltem multitudine ad *cognitionem* congruam religionis naturalis, multo magis huiusmodi auxilium requiretur ad *praxim* religionis naturalis; multoque magis ad *praxim tam sublimem,* quae fuit et est in numero tam amplo eorum qui doctrinam christianam sunt amplexi.

In qua praxi sublimi doctrinae christianae et in fructibus sanctitatis per eam productis *considera aequilibrium et harmoniam in sociandis virtutibus diversis et quodammodo inter se oppositis.* Quod sane sublimius est ac difficilius: quomodo scilicet austeritas vitae coniungeretur cum hilaritate, prudentia cum simplicitate, oboedientia cum dignitate, humilitas cum magnanimitate, firmitas cum suavitate, bonitas cum efficacitate...

Huiusmodi fructus sanctitatis, non obstantibus desideriis et conatibus 39, minime inveniuntur ubi doctrina christiana non colitur (quando enim philosophia aut ceterae religiones fructus tam sublimes praestiterunt?). Hinc merito arguimus ad

·'8 De hac re Leo XIII. *«Imnun iule Dei» (2* novembres 1885).

i 9 Notum est illud *Medeae* in *Metamorph.* I.7 v. 18-21 : «Si possem, sanior essem, sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido, mens aliud suadet. *Video meliora proboque, deteriora sequor...»*

impotentiam moralem magnae multitudinis sibi relictae ut ad hanc sanctitatem perveniat40.

Quin etiam consideratio unius tantum virtutis christianae, ut est *castitas et virginitas tot hominum atque mulierum,* qui quasi exercitus triumphantium se ipsi atque mundum positum in maligno vicerunt et continuo devincunt, ut sacrificium perpetuum amore quodam ideali amplecterentur, certe non ex solis viribus naturalibus explicari valebit.

Ergo si tales fructus sanctitatis alicubi reperiantur, ibi supponendum est auxilium supernaturale Dei. Hoc autem auxilium nequit praestari in confirmationem doctrinae quae falso diceretur revelata. Merito ergo Origenes: «Quis dixerit deceptione effici ut emendetur vita et malitia quotidie magis ac magis minuatur?»41; atque iterum: «Divinitatis [Christi] testes sunt tot ecclesiae hominum, qui a vitiorum colluvie aversi, Conditori se totos addicunt, et in omnibus illi placere student» 42.

688. Obiectiones. **i**. Sunt qui negent factum sanctitatis in religione catholica, praesertim in quibusdam individuis vel societatibus, vel in aliquibus temporibus.

Trans, nunc: Neque habemus defendendum Ecclesiam esse sanctam, id quod fiet postea (in alio tractatu); sed explicandum *factum alicuius sanctitatis,* quae arguit auxilium supernaturale.

Respondeo quoque cum Tertulliano: ii qui male agunt, agunt non secundum doctrinam christianam, sed contra praecepta christiana. Et «necesse est in corpore, quantum velis integro aut puro, ut naevus aliquis effruticet, aut verrucula exsurgat, aut lentigo sordescat. Caelum ipsum serenitas tam colata purgat, ut non alicuius nubeculae flocculo resignetur...»43.

2. Factum alicuius sanctitatis non arguit auxilium supernaturale, v.gr. ex virginitate multorum; nam ethnici etiam habuerunt *virgines vestales.*

Resp. «Ne opponantur virginibus christianis virgines vestales; nam 1) hae fuerunt paucae (primum 4, dein 6), illae innumerae; 2) harum virginitas fuit honoribus et commodis compensata, illarum vero iniuriis et martyrio exposita; 3) harum virginitas non fuit perpetua; poterant post certum exactum' tempus (post annum 30) inire matrimonium; illarum fuit perpetua; 4) harum virginitas fuit coacta ac poenis custodita, illarum vero plane spontanea omnique seductioni exposita» 44.

Atque illis sex, oppone sodes exercitum tot sacerdotum et religiosorum, viros et feminas, qui voluntariam atque perpetuam castitatem servant...

Revera, etiam in singulis individuis, mutatio fit per auxilium supernaturale gratiae internae. Sed ad hanc appellare ordinarie non possumus, quia apologctice nescimus cius exsistentiam; ergo tantum ad illam recurrere pro apologetica licet, quantum *externe se prodat* auxilium divinum supernaturale. Sed hoc ordinarie *pro magna multitudine* fit manifestum, non si de singulis individuis agitur.

41 *Contra Celsum* 2,50: MG 11,876 C.

42 *Contra Celsum* 1,47: MG 11,748 B. cf. etiam de tota hac re verba Eph 2,1 -to.

43 Tertullianus, *Adversus nationes* 1,5: ML 1,635.

44 Con,r«-nd»unt *Theolog. dogmat.* l‹› n.87,3 P-99- Cf. et F.Vizmanos, *Las vfrgencs ensttanas* 68-84.

Thesis 38. Admirabilis propagatio religionis christianae confirmat eius originem divinam.

S.Th., Contra *gentes* 1,6; Wilmers, *De vera religione* 1.4 C.2 a.2; Ottiger, *Theolog. fundam.* 1,850-869; Müller, *De vera religione* th.43; Dorsch, *Theolog. fundam.* i3,773-787i Tromp, *De revelatione6* 1.2 prop.9; Garrigou-Lagrange, *De revelatione5* 2.256-264; Dieckmann, *De Ecclesia* 2.611-617; Muncunill, *De vera religione* n.518-534; J.Riviere, *La propagation du Christianisme dans les trois premiers siècles* (Paris 1907;; Pinard de la Boullaye, *Conférences de Notre-Dame* (1932) V.

689. *Haec propagatio* hic non intelligitur *a)* ut adimpletio prophetiarum Christi [1]; nec bj ut testimonium magnae multitudinis circa facta historica, cuius ratio sufficiens nequeat esse nisi ipsa obiectiva veritas rerum quas attestantur; sed *c)* consideratur ut *miraculum morale,* quatenus sine mediis naturalibus proportionalis datur factum superans leges morum psychologicas, quibus regitur activitas hominum. Ac praesertim tria *priora saecula* consideramus, usque ad pacem Constantini (anno 314), quia obstacula tunc vigentia et paene carentia iuvaminis externi humani evidentius ostendunt necessitatem auxilii divini supernaturalis.

Hoc argumentum classicum et solemne est apud apologetas pristinos, qui tria momenta quae in eo sunt consideraverunt, nimirum prophetiae impletae, testimonii veritatis, et miraculi [2].

Hoc critérium, quale nos nunc desumimus, ad probandam divinam legationem Iesu, *videtur cohaerere cum criteria interno doctrinae per* examen effectuum illius, quod nuper erat in consideratione fructuum sanctitatis per ipsam doctrinam productorum; haec videlicet admirabilis propagatio doctrinae christianae, eius nimirum acceptatio theorica et practica, ut *modus quidam concipi potest fructuum et effectuum* qui per ipsam doctrinam sunt orti.

690. Adversarii sunt *rationalistae,* qui hoc factum extraordinariae diffusionis, quod luce clarius negari non potest, naturaliter contendunt explicare. Ita E.Gibbon, Lecky, E..Baur ... 3, et sequentes: Renan, Harnack.

E.Renan affirmat potius mirandum esse quod religio christiana tanto tempore et non antea vicerit imperium romanum [4].

Harnack diffusionem contendebat explicare per diversa elementa huius doctrinae religiosae, scilicet, *a)* per monotheismum; *b)* per bonum nuntium sive per evangelium Iesu, evangelium amoris et beneficentiae; *c)* per multiformes aspectus quibus illa religio considerari poterat; *d)* per eius miram adaptationis capacitatem. Ita erat religio pro simplicibus et rudibus simplex; pro sapientibus intellectualis et admiranda; pro omnibus benevolentia et

1 Cf. Mt8.ii; 13,32; 28,18-20; Io 12.32...

2 Dc hoc argumento apud Patres, cf. Tromp, *De revelatione6* 1.2 prop.9 praenot. n.2 (ρ·330). Vide sis S.Chrysostomum, Quod *Christus sit Deus* n.i2ss: MG 48,8295s.

In genere de propagatione Evangelii decursu temporum omnium agit A.Brou, *Propagation de l'Evangile:* DAFC 4.362-386.

3 E.Gibbon, *The history of the Decline and Fall of the Roman empire* t.2 (Paris 1840) c.15; Wilmers, n.499 p.506. Lecky, *History of European Morals* t.i c.3 p.386s; Tanquerey 22, 307; F.C.Baur, *Das Christentum und die Kirche dcr drei ersten christlichcn Jahrhundertc* 449; Wilmers, 0.508.517, p-515-525-

4 Cf. *Les apôtre** c.t9 p.366ss; *Marc-Aurèle c.25* P-585: Wilmers, 0.515-528.

caritate omnes attrahens... Hinc deducere vult christianismum fuisse *syncretismum* qui omnes vires mundi et praeparationem factam per alias religiones in commodum proprium adhibuerit: ita, deserendo nationalismum iudaicum, populos diversissimos ad se attrahebat; ita elementa cultus ex ceteris religionibus, ita philosophiam hcllenicam sibi appropriavit 5*. Problema igitur non est ponendum: quomodo christianismus tot graecos et romanos corPWiisicrit ut numerosior et potentior religio fieret; sed alio modo: quomodo stSW efformavit et evolvit ut religio fieret universalis atque exclusive; idque scthent historia dogmatum et cultus, nec tantum historia missionum illius tempori»..® '

691. Doctrina Ecclesiae. *Concilium Vaticanum* considerat «admirabilem propagationem» Ecclesiae ut *magnum et perpetuum motivum credibilitatis* (D 1794); sed, ut videtur, tale motivum conflatur ex propagatione, sanctitate, foecunditate, stabilitate, unitate Ecclesiae, *simul sumptis;* videlicet *ex facto Ecclesiae 7.*

Pius IX, pulchram enumerationem instituens argumentorum quibus probatur *christianam fidem Dei opus esse,* hoc habet: «Haec fides... maiores in dies... vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno Crucis vexillo pervasit...» (D 1638).

692. Valor theologicus. Si thesis haec sumitur una cum aliis de sanctitate et stabilitate... Ecclesiae, est *saltem doctrina catholica 8.*

Thesis vero singillatim sumpta est *apologetice certa* et venerabilis in traditione apologetica.

693. Probatio. Religio Christiana propagata est a) *magna diffusione geographica, simul et numerica;* b) *in omni classi sociali,* c) *celerrime,* d) *inter gravissima obstacula.*

Atqui hoc arguit causam proportionatam supernaturalem, quae nequit praestari a Deo in confirmationem religionis falso revelatae.

Ergo admirabilis propagatio religionis christianae confirmat eius originem divinam.

694. Prob. maior: a) .Diffusio geographica simul et numerica 9. *Tempore apostolorum,* Ex Act constat diffusio re-

5 *Die Mission und Ausbreitung des Christentums*4 (Leipzig 1924) t-2 1-4 c.4 *(Ergebnisse)* p.957; U 1-2 *Schlussbctrachtung* 324-33»·

f *Ibid., t,i* 1.3 *ScMussbetrachtun·* 527. *Cf.* L.de Grandmaison, *L'expansion du Christia* nisme d'après M.Harnack:* Et 96 (1903) 300-3.29.45»-476.

1 Cf. quae supra diximus n.671.

» Cf. quae dicimus in 11.672, agentes *de valore theologico.*

9 Uberius de hac diffusione agit H.Leclerq, Expansion *du Christianisme:* DACL 5,978-1014. De numero Christianorum ad initium saeculi IV tractat L.Hertling, S.I., *Die ZaH der Christen zu Bcyinn des vierten Jahrhunderts:* ^katb'J'b 58 (1934) 243-253

ligionis christianae *lerosolymis et per Samariam, Damascum, Antiochiam,* ubi primum cognominati sunt discipuli christiani (Act 11,26); item *per Asiam...;* et narrantur *itinera S.Pauli,* ita ut dicere posset: *ab lerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim evangelium Christi* (Rom 15,19). Et scribens ad Romanos aiebat: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo...* (Rom 1,8; cf. eandem sententiam Coi 1,6.23) iisdemque Romanis propositum pandit proficiscendi in Hispaniam (Rom 15, 28) ibique praedicandi. Ipse quoque scribebat litteras ad communitates christianas geographice valde remotas, nimirum ad *Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses;* item ad Titum episcopum in *insula Creta;* atque etiam meminit communitatum in *Macedonia et in Achaia* (1 Thess 1,7s).

S.Petrus vero scribebat «electis advenis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae» (1 Petr 1,1).

S.loannes «septem ecclesiis quae sunt in Asia» dirigebat Apocalypsim, scilicet «Epheso, et Smyrnae, et Pergamo, et Thyatirae, et Sardis, et Philadelphiae, et Laodiciae» (Apoc 1, 4.11).

Dispersio apostolorum constat ex *Historia* Eusebii: «Thomas, sicut nobis traditum est, sortitus est Parthos, Matthaeus Aethiopiam, Bartholomaeus Indiam citeriorem, Andreas Scythiam, loannes Asiam, unde apud Ephesum commoratus est et defunctus. Petrus Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam ceterasque confines provincias...» 10.*

Cum hac diffusione geographica aderat *eximium incrementum numericum:* Ita *lerosolymis* erant initio 120 (Act 1,15), 3.000 (Act 2,41), 5.000 *virorum* (Act 4,4); postea augebatur etiam numerus virorum et mulierum credentium in Domino (Act 5,14) ... Et seniores dicebant Paulo: «Vides, frater, quot *millia* (graece μυριάδε) sunt in iudaeis qui crediderunt» (Act 21,20).

Romae vero erat «ingens multitudo» Christianorum, de qua loquitur Tacitus, ubi de martyriis tempore Neronis H; atque ut ait S.Clemens Romanus, Petro et Paulo «sancte vitam instituentibus magna electorum multitudo aggregata est, qui supliciis multis et tormentis, propter zelum passi, exemplar optimum inter nos exstiterunt» 12.

695. *Tempore subapostolico* (saeculo II) apparet magna difusio ex modo loquendi auctorum:

i° *Hist. eccles.* 3,1: Kch 428. Cf. *Hist. eccles.* 5,10,3: R 660.

›| «igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud proinde m crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt...» *(Annal.* 15.44: Kch 34),

12 Epist. 1 *ad Cor* 6.1: R 11.

Sic in *Bythinia* circa a.m-113 maxima pars erat Christiana, cum *Plinius* Traianum consuleret de christiania «maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque civitates tantum,' sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est...»1?.

Jn *Epistola ad Diognetum* (saeculo II) compendio dicebatur: «Quod est in corpore anima, hoc sunt *in mundo* christiani...» 14.

S.Iustinus anno c.155, affirmabat: «Neminem esse qui nos in lesum *per totuni orbem terrarum credentes* exterreat et in servitutem redigat, in promptu est...» I?. Atque iterum, applicando Christianis *prophetiam Malachiae, de omni loco* quo offerenda sit oblatio munda (Mal 1,11): «Nullum enim omnino genus est sive barbarorum, sive Graecorum, sive quolibet nomine appellentur, vel hamaxobiorum qui in plaustris degunt, vel nomadum qui domibus carent, vel scenitarum qui pecora pascentes habitant in tentoriis, nullum, inquam, eiusmodi genus est, in quo non per nomen crucifixi lesu preces et gratiarum actiones Patri et Creatori universorum fiant...» 16.

Atque S.Irenaeus extollebat eodem saeculo unitatem piaedicationis et traditionis Ecclesiae in toto mundo: «Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae quae in Germania sunt fundatae ecclesiae aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hae quae in Hiberis sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Lybia, neque hae quae in medio mundi constitutae: sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedicatio veritatis, *ubique lucet,* et illuminat omnes homines qui volunt ad cognitionem veritatis venire...» 17.

Ex *Actisvero martyrii Carpi, Papyli, Agathonices (probabiliter* inter a.161-180), Papylus interrogatur: «Proconsul dixit: Liberosne habes? Papylus respondit: Et quidem multos per Deum. Unus tum aliquis e vulgo clamavit et dixit: Secundum fidem suam Christianam se dicit multos liberos habere... Proconsul dixit: Quare mentiris ac dicis te liberos habere? Papylus dixit Visne cognoscere me non mentiri, sed vera dicere? *In* omni *provincia et urbe sunt mihi* liberi per Deum...» ,s.

Ex controversia demum ad finem saeculi II *de tempore Paschatis celebrandi* constat fuisse 5 synodos provinciales l9.

Tertullianus denique, anno 197, in *Apologetico* scribere eloquenter poterat: «Hesterni sumus et orbem iam et vestra omnia implevimus, urbes, insula, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum: sola vobis reliquimus templa. Possumus dinumerare exercitus vestros: unius provinciae plures erimus. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis...? ... Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum et stuporem quemdam quasi

›' *Epistularum liber* 10,06: Kch 30: cf.supra n.380, 1.
14 *Epist. ad Diognetum* 6,1 : R 97: Kch 07: supra n.675.
15 Dialog, cum Tryphone (post a.150-155) 110: R 144.
›» *Ibid., 117.0:* Kch 50·
›' *Adversus haereres* 1,10.2· R 102: Kch 104s. Cf. ibid., 1,10.1 : R 101
•3 Kch 83s.
›» Cf. Kch 91 -101.

mortui orbis; quaesissetis quibus imperaretis. Plures hostes quam cives vobis remansissent» 20. Atque idem Tertullianus: «... et sunt tanti [christiani], quanti et denotamur. Obsessam vociferantur civitatem, in agris, in castellis, in insulis Christianos...» 21.

696. *Saeculo III,* idem Tertullianus, scribens *Adversus iudaeos* (anno '200-206), commemorabat praedicationem apostolorum, ita ut in universa terra exierit sonus eorum, et usque ad ultimos terrae verba eorum (Ps 18,5; cf. Rom 10,18), atque «ut iam Getulorum varietates et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini et Galliarum diversae nationes et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita, et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytharum et abditarum multarum gentium, et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum» in Christum credidissent 22.

Atque anno 212 in Africa maior pars erat christiana: «Tanta hominum multitudo, pars paene maior civitatis cuiusque, in silentio et modestia agimus...» 23.

Rem item mirabilem Origeni videbatur, scribenti ad dimidium saeculi III, *Contra Celsum*: «An Iesus suam disseminare doctrinam volens, sine Deo potuit paucis his annis tantum perficere, ut in multis huiusce nostri orbis locis multos Graecos et barbaros, multos sapientes et ignaros ad suam doctrinam alliceret et ita persuaderet, ut quod de alia religione nunquam auditum est, ad mortem certare pro christianismo quam illum eiurare mallent?...» 24.

Magnam diffusionem christianismi in saeculo III probat ipse Harnack, qui, tamquam conclusiones sui studii, distinguit pro initio saeculi IV, diversas categorias regionum in extensione christianizationis:

1) Regiones ubi religio christiana fere *dimidium populationis habebat et maiorem extensionem atque influxum:* tales tota Asia minor, paucissimis exceptis; Thracia, Armenia, Cyprus probabiliter, Edessa.

2) Regiones ubi *notabilis pars civium erat christiana, atque influxum exercebat in directione et in vita culturali communitatis,* simul et aliis religionibus optime opponi poterat; Antiochia et Coelesyria, Alexandria cum Aegypto et Thebaida, Roma et partes aliquae Italiae meridionalis et centralis, Africa proconsularis et Numidia (nisi pertineant ad primam categoriam), Hispania meridionalis, ora Achaiae, Thessaliae, Macedoniae atque insulae; item maritima Galliae cum valle Rhodani.

3) Provinciae in quibus christianismus parum, quantum novimus, propagatus fuerat: Palaestina in agris, Phoenicia, Arabia, aliquae partes Mesopotamiae; partes interiores Achaiae, Thessaliae, Macedoniae; Epirus, Dardania, Dalmatia, Moesia, Pannonia; partes septentrionales et interiores Italiae centralis, atque Italia superior orientalis; Gallia meridionalis, et regiones prope vias Romanorum atque in magnis urbibus eorum usque ad Belgium, Germaniam et Rhetiam; Mauritania et Tripolitania; partes aliquae Hispaniae, non pertinentes ad categoriam praecedentem.

20 Apolog. 37: R 279.
21 Apolog. 1: Kch 165s.
22 Adversus iudaeos 7,4-7: Kch 207.
23 Ad Scapulam 2: R 369.
24 Contra Celsum (anno 248) 1,26: R 5:6. De numero clericorum in Ecclesia Romana ad dimidium saeculi, cf. Eusebius, *Hist, eccles.* 6,43,rtss: Kch 255. Atque de statu Ecclesiae ante persecutionem Diocletiani (a.303) idem Eusebius, Hist, *eccles.* 8 t: Kch 444.

4) Ad quartam categoriam pertinent illae regiones in quibus, quantum notum est [ex investigatione tutissima et minimali], pauci erant christiani: ita urbes Philisteae, orae septentrionales Maris Nigri; occidentalis pars Italiae superioris; Gallia septentrionalis et centralis; Belgium, Germania. Rhetia, exceptis quae ex his veniunt in categoria tertia.—Item extra provincias romanas Persia, India, Scythia; et Persia quidem occidentalis probabiliter ad tertiam categoriam accensenda est[25].

697. *b)* Diffusio socialis. Iam supra Tertullianus, Origenes... rem suis testimoniis indicaverunt.

In specie vero memorantur aulici iam a S.Paulo: *Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Caesaris domo sunt* (Phil 4,22); atque ad Rom (i6,ioss) multos recenset nobiles. Memorantur *Acilius Glabrio et Flavius Clemens* [26], cuius uxor *Domitilla* et ipsa consanguinea erat Domitiani [27]. Memorantur et alii, ut *Carpophorus,* vir fidelis e familia Caesaris, cuius servus, *Callixtus,* postea fuit Pontifex[28].

Pauperes, sine dubio multi, fuerunt evangelizati; sed etiam divites et nobiles, praeter illos supra citatos, proconsul *Sergius Paulus* (Act 13,7-12); atque ex iudaeis «multa turba sacerdotum» (Act 6,7), ut *Crispus* (Act 18,8); item *Apollo* (Act 18, 24ss)... Ex graecis *Dionysius Areopagita (Act* 17,34),.. Item *Pomponia Graeciha* [29] multique alii·, ut inscriptiones funerariae in coemeterio Callixti satis indicant [3,].

Inter milites recensentur, praeter *Cornelium* (Act 10,iss), *Legio fulminatrix* [31], *Marinus* centurio [32],· *Nereus et Achilleus* [3-\ *Marcellus, Maximilianus, Theodorus, martyres Sebastae* 40, *lulianus, Sebastianus...*

Nec defuerunt sapientes, ut *Dionysius Areopagita, Clemens Romanus, Quadratus, Aristides, lustinus, Athenagoras, Irenaeus, Tertullianus... omnesque apologetae.* Ideo S.Hieronymus scribere potuit: «Discant ergo Celsus, Porphyrius, lulianus, rabidi adversus Christum canes, discant eorum sectatores (qui putant Ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores) quanti et quales viri eam fundaverint, exstruxerint et adornaverint; et desinant fidem nostram rusticae tantum simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam agnoscant» [34].

25 *Die Mission und Ausbreitung des Christentums*[4] t.2 i.4 c.4 *(Ergebnisse)* 949-953·
26 Suetonius, Vito *Domitiani* 10,2: 15,1: Kch 43s.
27 Dio Cassius, *Histnria Romano* 67,14: Kch 226.
28 Cf. Hippolytus Romanus, *Philosophumena* 9,12: Kch 228.
29 Cf. Tacitus, *Annal.* 13,32: Kch 32.
30 Cf. P.Allard, *Histoire des persécutions* 191; Dorsch, 777.
31 Cf. Tertullianus, Apolog. 5,8-12: Kch 177.
32 Cf. Eusebius, *Hist. eccles. 7,15:* Kch 441.
33 Cf. *Epigramma Damasi:* Kch 585.
34 *De viris illustribus Prolog.·* ML 23,634·

698. *c)* Haec omnia celerrime seu brevi tempore. *Quod constat ex iam citatis testimoniis pluribus,* ut Origenis 35, et ex tota historia christiana primaeva. Ideo et celebratur ab apologetis, dum recurrunt ad hoc nostrum argumentum praesens.

Sic Arnobius (mortuus c.a.327) celebrabat hocce credibilitatis motivum: «Nonne vel haec saltem vobis fidem faciunt argumenta credendi, quod *iam per omnes terras in tam brevi temporis spatio* immensi nominis huius sacramenta diffusa sunt; quod nulla iam natio est tam barbari moris et mansuetudinem nesciens, quae non eius amore versa molliverit asperitatem suam et in placidos sensus assumpta tranquillitate migraverit; quod tam magnis ingeniis praediti oratores, grammatici, rhetores, consulti iuris ac medici, philosophiae etiam secreta rimantes magisteria haec expetunt, spretis quibus antea fidebant?» 36.

Quare et S.Hieronymus, exsultans, triumphum Christianum canebat: «Solitudinem patitur et in urbe gentilitas. Dii quondam nationum cum bubonibus et noctuis in solis culminibus remanserunt. Vexilla militum, crucis insignia sunt. Regum purpuras et ardentes diadematum gemmas, patibuli salutaris pictura condecorat. Iam Aegyptius Serapis factus est Christianus. Mamas Gazae luget inclusus, et eversionem templi iugiter pertimescit. De India, Perside, Aethiopia, monachorum quotidie turbas suscipimus. Deposuit pharetras Armenius, Hunni discunt Psalterium, Scythiae frigora fervent calore fidei: Getularum rutilus et flavus exercitus, Ecclesiarum circumfert tentoria; et ideo forsitan contra nos aequa pugnant acie, quia pari religione confidunt» 37.

699. *d)* Inter gravissima obstacula. Obstacula erant ex parte doctrinae, ex parte evangelizantium, ex parte evangelizatorum, et ex parte medii seu atmosphaerae in qua praedicatio evolvebatur.

Auctor doctrinae: iudaeus («despectissima pars servientium», Tacitus 38), et supplicio crucis affectus, ignominiosissimo, «et nomen ipsum crucis absit non modo a corpore civium romanorum, sed etiam a cogitatione, oculis, auribus..,»39; et ideo «iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitia» (i Cor 1,23).

Doctrina theoretica: hic crucifixus adorandus ut Deus; alia et potissima capita doctrinae, mysteria superantia captum rationis; doctrina exclusivista. Non raro haereses et divisiones inter modos doctrinam proponendi.

Doctrina practica: ardua, repugnans cupiditatibus; vitiis perpetuo esse resistendum; voluptates deserendas; castitatem

35 Contra *Celsum* 1,26: R 516; supra n.696.
36 *Adversus nationes* (c.305) 2,5: R 621.
37 *Epist.* 107 (ad Laetam) n.2: ML 22.870.
38 *Hist.* 5,8. Difficultates christianismo provenientes ex iudaeis ct quid de eis sentirent romani, collegit Wilmers, p.507-509.
30 Cicero, *Pro Rabirio* 5,16.

colendam; iniuriis condonandum; inimicos diligendos; honores spernendos...; a solemnibus et spectaculis ludisque esse abstinendum.

Evangelizantes: obscuri, timidi, iudaei exosi, rudes maxima apostolorum pars.

Evangelizati: Iudaei exspectabant Messiam politicum, nationalisticum; abhorrebant a communitate cum gentibus; tenaciter adhaerebant praescriptis caeremonialibus cultus et religionis Moysis; calumniis adversus Iesum impediebantur quam maxime; ideo et synagogae iudaeorum appellatae sunt a Tertulliano «fontes persecutionum»40.

Ethnici vero debebant amplecti legem difficilem, puritatem matrimonii, castitatem etiam internam, dilectionem inimicorum, martyrium... quae omnia ipsis peculiariter erant difficilia.

Medium sociale erat maxime adversum: *imperatores* necessario inimici et christianis infensi, siquidem e summa dignitate et e supremo pontificatu eici debebant; *imperium, magistratura...* contraria, quandoquidem in, religione innitebantur, quae a christiana impetebatur; inde a tempore Neronis religio christiana invisa ut crimen sociale atque prohibita. *Sacerdotes* avari et cupidi, necessario novae religioni adversarii. *Populus* inde, ex opinione primatum sibi gregariam animadversionem efformans, christianis infensissimus. Ideo existimabant «omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi christianos esse in causa. Si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva, si caelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim *christianos ad leonem»41.*

Tota cultura: si apud *barbaros* eorum feritas in difficultatem fuit christianismo, apud *excultos* et sapientes eorum philosophia erat incommodo; neque enim philosophi fuerunt primi conversi. Immutanda fuit omnino cultura: iurisprudentia, ars, religio, philosophia... atque oeconomia saepe (cf. Act 19,235s).

Syncretismus vigens, et gnosticismus ceteraeque sectae philosophicae, ingens obstaculum pro religione exclusivista4243 magnum quoque periculum pro dogmate et pro institutionibus novae religionis, ne deficeret in sua puritate et interna vi 4J.

40 Advers. Gnosticos scorpiace io: ML 2,166.

41 Tertullianus, *Apolog.* 40: ML 1,542s.

42 Religionem Christianam esse exclusivistam magnum est iam signum veritatis illius: nam veritas est exclusive. Sed unica religio exclusivista est religio catholica. Ergo ipsa est vera.

43 Cf. de modo praedicationis christianismi Batiffol, *La Iglesia primitiva y el catolicismo c.2* P-478S.

700. **Prob, minor.** Haec propagatio postulat causam PROPORTiONATAM, sc. supernaturalem 44 Etenim causae proportionatae quae explicent talem propagationem, aut sunt externae doctrinae aut internae doctrinae. Sed neutrae possunt esse naturales. Ergo requiruntur causae proportionatae supernaturales.

Causae enim externae naturales, ut essent illae quae cogitari possunt, synagogae dispersae per mundum romanum, unitas linguae (etsi constat interpretibus opus fuisse 45), unitas imperii... haec *communes* erant, et etiam pro adversariis inserviebant, et valde apta erant ad persecutionem Christianorum.

Aliae causae externae, ut eloquentia, arma, nobilitas et divitiae, quae certe saepe multum valent ad persuadendum; item nûmerus et organizatio, potentia...: haec *multo potiora erant in adversariis.*

Ergo huiusmodi causae, sicuti etiam philosophia vigens et contemptus superstitionis gentilicae aliaeque quae excogitari possunt, certe non dant rationem sufficientem illius propagationis: sunt quidem causae favorabiles pro praedicatione aut *occasiones* illius propagationis, vel etiam ad summum *causae disponentes,* minime vero et adaequate causae efficientes illius acceptationis.

701. *Sed neque causae internae doctrinae,* ut esset eius sublimitas, harmonia cum ratione, satisfactio tendentiarum superiorum, valent explicare acceptationem illius. Sic enim non explicatur pro tot conversis—tam brevi tempore; si quae rationes allegatae speciem pro paucis conversis habere videantur, certe non dant rationem sufficientem *acceptationis* illius religionis—habentis *mysteria firmiter et constanter credenda*—et quoad doctrinam practicam exigentis *legem difficilem—cum praevisione martyrii. Acceptatio* ergo *constans* doctrinae tam repugnantis passionibus, *celerrima et apud multos* certe est contra leges psychologicas quibus regitur activitas hominum. Ergo opus est recurrere ad interventum *supernaturalem* Dei, extraordinarium, qui nequit ab eo praestari in confirmationem doctrinae quae falso diceretur revelata.

702. Neque dixeris illam acceptationem *explicari per miracula concomitantia* praedicationem primaevam. Si enim tenes vera illa miracula, tunc iam admittis opus supernaturale con-

44 Pulchre et oratorie hoc argumentum extollit Fr. Luis de Leon, *De los nombres de Cristo l.2* § i *fBrazoJ* versus finem: ed. Rivadcncira (Madrid 1872) 121-123.

45 Vide supra n.Ï78ss, de Sancto Marco interprete Petri.

firmans divinam religionem lesu; sin autem falsa esse affirmes, tunc certe non intelligitur quomodo mundus illam religionem sine signis credibilibus admiserit, et prodigium grande debes explicare46. Sed, etiam miraculis suppositis, non datur in hac re sufficiens ratio *acceptationis per fidem* doctrinae theoretice et practice adeo repugnantis cupiditatibus hominum47.

Ideo S.Augustinus ad hoc argumentum *Ecclesiae praesentis* appellabat: «Me attendite, vobis dicit Ecclesia, me attendite, quam videtis, etiamsi videre nolitis. Qui enim temporibus illis in iudaea terra fideles fuerunt, ex Virgine nativitatem mirabilem, ac passionem, resurrectionem, ascensionem Christi, omnia divina dicta eius et facta praesentes praesentia'didicerunt. Haec vos non vidistis, propterea credere recusatis. Ergo haec adspicite, in haec intendite, haec quae cernitis cogitate, quae vobis non praeterita narrantur, nec futura praenuntiantur, sed praesentia demonstrantur. *An vobis inane vel leve videtur et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum?"*48.

703. Scholion. In quo consistebat auxilium extraordinarium, SUPERNATURALE, A DEO PRAESTITUM IN PROPAGATIONEM christianismi 49. In primis *providentia Dei supernaturalis* ordinabat circumstantias favorabiles ad praedicationem et adiuncta mundi externa ut conferrent (etsi inadaequate tantum) ad illam propagationem. Praeterea *diversa facta supernaturalia in se* immediate ordinabantur ad confirmationem sermonis: talia erant *conversio mirabilis apostolorum,* nominatim Pauli, *charismata ipsis et primaevis christianis concessa, excellentia doctrinae vere ut miraculum intellectuale,* alia signa et virtutes et *miracula ab apostolis et christianis patrata;* in christianis bene multis et praesertim in martyribus *virtus heroica et constans;* omnes virtutes christianae, nominatim *in caritate mutua* et *in exemplis ad aedificationem.*

Sed praeter haec, requirebatur *gratia interna supernaturalis pro fide amplectenda,* nimirum pro ipso actu fidei et pro praecedenti imperio voluntatis libero, atque pro iudiciiscredibilitatiset credenditatis saltem proxime ultimis. Haec ex Theologia dogmatica constant.

Quod si hoc auxilium pro fide est necessarium, multo magis erit *pro exercitio practice fervidae vitae religiosae.*

46 Cf. S.Augustinus, *De civitate Dei 22,5:* ML 41,75635; supra n.570. S.Th., | CG 6.

47 Insuper, dogmatice procedendo, animadverte fidem haberi, etiam supposita certa cognitione credibilitatis, per liberum imperium voluntatis; quod quidem, sicut iudicia ultima credibilitatis et credenditatis, habetur per gratiam elevantem supematuralem.

48 De *fide rerum quae non videntur* 4,7: R 1614. Cf. eiusdem S.Augustini, *De vera religione* 3: ML 34.123-125.

49 De rc agunt MCi.ler, th.43 n.35; Tromp6, 343-346; Lercher-Schlagenhaufen n.246.

704. Obiectiones. I. Haec mira propagatio explicari potest per zelum apostolorum, nominatim per fervorem Pauli.

Dist. antec. Ita explicari potest formalis *acceptatio* talis doctrinae, nego; ita explicari potest praedicatio doctrinae, *subdist. :* quasi haec sit causa totalis, nego *antec.;* ut causa partialis, iterum *subdist. :* ut causa naturalis, nego; ut causa supernaturalis, *conc.* Praedicatores enim apostolici erant initio pauci, postea certe multi; sed hic zelus ardens sine commodis humanis, immo multis cum incommodis apud multos, hic zelus, inquam, pro *hac* religione promovenda, naturalis non est.

2. Haec propagatio explicatur per favorem imperatorum, nominatim per favorem Constantini.

Dist. antec. In tribus primis saeculis, e quibus potissimum arguimus, nego; in aliis saeculis, *subdist. :* ut causa partialis *interdum* (non semper) favens praedicationi, *conc.;* ut causa explicans *acceptationem* religionis, nego.

3. Haec acceptatio explicatur per pruritum credendi et amorem superstitionis.

Nego. Erant enim tunc temporis multi sceptici, athei...; nec facile quis credit religioni adversanti passionibus.

4. Res explicatur eo quod haec religio magis conformetur cum veritatibus rationalibus.

Nego. Nam, etsi verum sit religionem Christianam habere sublimem conformitatem cum ratione, cum aspirationibus cordis..., sed aliud est rem aliquam theoretice considerare, et aliud *acceptare* id quod, cum sit difficilius, deducendum est in praxim: «Video meliora proboque; deteriora sequor» 50.

5. Dispersio iudaeorum et unitas imperii romani explicat propagationem hanc.

Resp. Diffusio christianismi inter iudaeos non fuit facilis; et praeterea christiani iam ab anno c.64 distinguebantur a iudaeis. Ceterum tam dispersio iudaeorum quam unitas imperii romani explicant, ad summum, ut dictum est. occasiones vel causas favorabiles pro praedicatione, minime vero dant rationem sufficientem *acceptationis* huius religionis apud tot Christianos tam brevi tempore.

6. Hierarchia et organizatio imperii romani fuit causa exemplaris organizationis et propagationis christianismi, quae inde debet explicari.

Dist. *antec.* In accidentalibus, *trans.;* in essentialibus, nego; probatur enim haec esse a Christo et iam lerosolymis et in Asia viguisse.

7. Unitas Dei, quae praedicabatur, favit propagationi.

Dist. *antec.* Apud aliquos sani iudicii, ut causa favorabilis, *conc.;* apud multos, nego; nam oberat polytheismus vigens.

8. Mutua caritas primorum Christianorum explicat illam propagationem.

Dist. antec. Ut occasio considerandi illam religionem, pro aliquibus sanioris cordis atque iudicii, *conc.;* ut causa sufficiens illam *acceptandi, nego;* siquidem haec religio non tantum actus caritatis et amoris vult acceptandos, sed etiam exercendos, et postulat totalem abnegationem sui et naturaliter non acceptatur.

9. Sanctitas primorum Christianorum simul cum caritate et beneficentia mutua et erga pauperes explicat propagationem.

Dist. *antec.* Ut *occasio* religionem considerandi et amandi, vel etiam ut *causa favorabilis* partialis, trans.; ut explicatio adaequata, *nego.* Nota insuper illam sanctitatem non fuisse naturalem, ut ex thesi praecedenti constat, neque etiam illam tam miram caritatem mutuam et beneficentiam. Praeterea.

50 Cf quae supra dicimus, n 687

etiam suppositis exemplis sanctioribus, natura humana non movetur *efficaciter* ad virtutem sine auxilio divino.

10. Spes redemptionis ex iniustitia et ex peccatis simul cum spe felicitatis aeternae explicat illam propagationem.

Resp. Illa spes redemptionis et illa spes aeternae felicitatis, quae adsunt in corde humano, iam antea notae fuerant, ut constat ex scriptoribus et philosophis antiquis, nec tamen compotes fuerunt tantam multitudinem efficaciter ad se attrahendi. Insuper illae spes in specifico sensu religionis Christianae non poterant naturaliter tot indoctis persuaderi, nisi certissime constaret de auctoritate illius religionis; ad summum pauci philosophi possent naturaliter ad approximationem aliquam doctrinae christianae adduci; sed hi nullam habuissent auctoritatem ut illam toti mundo imponerent credendam et affirmandam.

11. Syncretismus tunc vigens et modus agendi syncretistice, sc. assimilando elementa ex omni religione et omnes tendentias favorabiles, faverunt diffusioni novae religionis et diffusionem explicant.

Resp. Syncretismus vigens non favit, sed potius oberat religioni adeo exclusivae, cuius erant principia unitatis et integritatis: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus....* (Eph 4,5s); et christiani praecavere debebant ne desererent quod ipsis traditum erat: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum* (Coi 2,8); atque iterum: *Itaque, fratres, state; et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram* (2 Thess 2,15).

Nota insuper hanc *religionem Christianam prohibitam* fuisse ut crimen iam a tempore Neronis; syncretismum vero omnes reformatores religiosos fecisse aequalis auctoritatis et permisisse observantiam praxis antiquae[51].

Quod si *analogiae rituales* dantur inter religiones antiquas et christianam, primum probe dignoscendum est ubi inveniatur analogatum principale; dein notare iuvat huiusmodi analogias non esse univocas, sed specie differre, nimirum ex diversa intentione diversoque dogmate quibus informantur[52]*

12. Omnes causae praecedentes (ex difficultatibus propositis) simul sumptae dant rationem sufficientem huius mirae propagationis.

Nego. Etenim si causae singulae *nihil ponderis* habent ut dent rationem sufficientem *acceptationis constantis* huius religionis, neque omnes simul id explicabunt. Et animadverte multo potentiora fuisse obstacula ex parte doctrinae et ex parte evangelizantium et evangelizatorum, atque ex parte medii socialis et culturae... (ut constat ex probatione), quam illa omnia quae favere poterant.

13. Mahomedismus et aliae sectae, ut Buddismus, Protestantismus, Arianismus, Mithracismus... celerrime quoque propagata sunt.

Dist. *antec.* Mediis et modo supernaturalibus, nego; mediis naturalibus, conc. Ideo propagatio non est mirabilis sicut in christianismo.

Mahomedismus propagatus fuit vi armorum—et promittendo temporalia emolumenta—et indulgendo passionibus[55].

Buddismus obtinuit favorem principum ut systema philosophicum; insuper nullum fere fixum dogma habet. Sustulit quoque differentiam classium, contra doctrinam brahmanismi. Promittit felicitatem in abstinentia laboris

51 Cf. Pinard db LA Boullaye, *L'étude comparée des religions* t.i4 § 28 p.53.

52 Cf. Pinard de la Boullaye, *Conférences de Notre-Dame* (1934) V nota 13; eiusdem *L'étude comparée des religions* t.t4 § 40 (p.70-72) 5 St (p.88s) § 52 (p.90).

De mysteriis ct de syncrétisme vide Tromp6, Excursus, 388-417; atque eiusdem copiosam bibliographiam. *ibid.*. 480-492. Nota praesertim pro hisce*quaestionibus K-Prümm. *Der christliche Glaube und dic altheidnische Wetl 2* t. (Leipzig 1935).

Cf. *Contra Gentes* 1.6: Müller, th-43 n.39-42

«t tand:m nirwana... Atque tempore labente divisus est in plures sectas valde diversas, magis quam christianae inter se[54].

Protestantismus obtinuit ab initio favorem principum temporalium eorumque commendationem, siquidem cuius regio, eius et religio; nec habet illud corpus doctrinae compactum et exclusivum, sicut habet religio catholica.—Propagatus vero fuit ex politica et cupiditatibus principum, ex ignorantia populi et ex calumniis contra Ecclesiam[55][56] quibus adde et corruptionem morum apud multos ecclesiasticos et monachos.

Arianismus obtinuit favorem principum. Quodsi Hieronymus dicit: «Ingemuit *totus orbis,* et Arianum se esse miratus est»[5]e, nihil aliud vult dicere, et quidem per hyperbolem, quam multos episcopos fraude inductos fuisse ad subscribendam formulam cui sensus haereticus suberat.

Mithracismus non potest dici adeo propagatus, siquidem tantum milites et magistratus romani, non populus neque regiones hellenisticae illum exercuerunt. Ratio vero cur illi eum admittebant erat, praeter dispersionem militum in Oriente, et mercatorum orientalium, favor imperatorum simul cum indole religionis adaptata virtutibus et vitiis militaribus[57].

14. Sicut cpmmunismus actualis, ita et communismus primitivae Ecclesiae inter pauperes (Act 4,34;. I Cor 1,20.26) naturaliter propagatus.

Dist. *antec.* Communismus primitivae Ecclesiae naturaliter propagatus est inter divites qui relinquebant suas possessiones, *nego;* propagatus est inter pauperes et plebem, ita ut hi exspectarent mortificationem passionum et martyrium, non praecise commoda temporalia sicut communistae hodierni, *subdist. :* et hoc naturaliter fiebat, nego; supematuraliter fiebat, *conc.*

Doctrinae aliquae (cogita communismum, et saeculo transacto alias doctrinas politicas et sociales) celerrime aliquando propagantur, quia spectato medio sociali, atmosphaeram, quam vocant, propitiam inveniunt; favent insuper, ut plurimum, multis, eorum scilicet cupiditatibus, praeiudiciis, alicui denique sectae aut classi... Hinc excipiuntur cum ardore et quasi scintilla electrica currunt; quibus adde non semper media omni ex parte licita adhiberi... donec labente tempore reflexio et consideratio crisim instituunt doctrinae eiusque defectus animadvertuntur.—Nihil omnino de his in religione Christiana propaganda, sed contraria obtinent.

705. De conversionibus ut argumentum apologeticum. *Conversionem* intelligimus non meram mutationem ad vitam meliorem per transformationem partialem internam vitae moralis aut psychicae, v.gr. per emendationem alicuius vitii (cogita fumandi, bibendi...) aut per accessum ad meliorem ideologiam politicam, etc.; conversionem intelligimus, si verbo abuti nolumus, illam *transformationem profundam et radicalem* totius *vitae moralis circa nucleum novum,* tamquam mutationem quae commovet integrum hominem. Ita loquimur de conversione Sancti Pauli, Sancti Augustini, Sancti Ignatii...

Conversiones si authenticae sunt, dignoscuntur in *amplitudine* transformationis factae, quae coniungitur cum *profunditate* earum in vita psychica; unde facile sequitur *permanentia mutationis factae.*

54 Cf. auctores supra citatos n.469: breviter Muller, *ibid.,* ŋ.46.

55 Cf. dictum historiographi germani A.Menzel agentis de propagatione protestantismi: «Den grôssten Tei! an seiner Vcrbrcitung hatte die Politik, Habgier und Gewalt der Fursten, die Unwissenheit des Volkes und die Verleumdungen der alien Kirchc durch die Führer der Bewegung» *(Neucre Geschichte der Deutschen* 2,86). Atque acute Fridericus II *(Mémoires de Brandcnbourg):* «Si on veut réduire les causes du progrès de la reforme à des principes simples, on verra qu'en Allemagne ce fut l'ouvrage de l'intérêt, en Angleterre celui de l'amour, et en France celui de la nouvauté». Ex Muller, 565.

56 *Dialog, contra Lucifrifinos* iq: ML 23,181.

ST Cf- A-d'Ales *Mithra (la religion de):* DAFC 3 578-591 ; TrÔMP6. 346:.'

Conversiones possunt esse *conversiones ad fidem,* cum novum substratum intellectuale, sc. fidei, accedit ad complexum psychologicum; *conversiones ad vitam moraliter bonam,* sive ad caritatem, cum mutatio fit e vita peccaminosa atque vitiosa; denique *conversiones ad perfectionem,* sive ad caritatem ferventem.

Ratione modi quo fiunt et iuxta id quod primario *apparet* ut causa motiva, conversiones possunt esse *intellectuales* eaeque vel *discursivae* vel *intuitivae,* prout ope discursus vel intuitionis repentinae maxime evenerint; item *volitivae* aut *affectivae,* si primario apparent opus voluntatis aut affectus[58].

Sunt etiam aliae divisiones conversionum, prout sit causa vel occasio, quàe *apparenter* primarias habet partes in transformatione peracta. Sic conversiones erunt *exogenae* vel *endogenae,* prout id quod movit ad conversionem sit extrinsecum vel intrinsecum individuo converso. Item *lentae* aut *rapidae; pathologicae* aut norznales... 5^.

706. De earum valore apologetico. Conversiones quae decursu saeculorum in Ecclesia catholica factae sunt, nominatim rapidissima *propagatio chistianismi* primis tribus saeculis, atque *mutatio morum tam profunda* inducta per religionem christianam, sine ullo dubio sunt validissima argumenta apologetica, uti vidimus. Sunt enim miracula moralia, et quidem exterhe se prodentia, et modo accommodato omnibus. Ergo et sunt *criteria primaria.*

707. Quaeritur de valore conversionum *prout sunt experientiae religiosae internae* in individuis. Multi enim conversi dicuntur sentire in se quasi dualismum: scilicet, praeter propriam activitatem, vim aliam internam, quae illos movet ad ingrediendam Ecclesiam...; in quo tandem pacem inveniunt. Hinc *Th.Mainage* voluit invenire novum argumentum, apologeticum, quod non supponeret demonstrationem facti revelationis, neque appellaret ad miraculum proprie tale, sed consisteret in examinanda hac nova vi, secreta et interna, quae impellit conversos, quin confundatur cum eorum activitate propria, erga religionem catholicam. Hinc enim facile concluderetur ad causalitatem divinam huius elementi novi transcendentis... [60]

708. Si haec experientia religiosa consideratur *prout est in singulis individuis,* non collective in omnibus, non negabimus immo affirmabimus dari casus conversionis, in quibus facta

58 Cf. de his M.Nicolau, S.I.. *Valores teolôgicos cn la psicologia de la conversion* (Granada 1943) 4ss.

59 Divisiones et *tytwlogiam conversionum* considerat L.Penido, *La conscience religieuse. Essai systématique suivi d'illustrations* (Pans 1935) 4i-n5· Cf. M.Nicolau, *o.c.,* p.7-ĭ4· In genere de conVersionc ciusque probematibus agunt H.Pinard de la Boullaye, SJ.» artic. *Conversion:* DictSpir.t. 2,2224-2265; D.Grasso, S.I., in diversis artic.: Civ Catt 104(1953)·

60 Th.Mainage, *La Psychologie de la conversion,* Leçons données a l'institut Catholique de Paris (Paris 1915) 368

est experientia ititerna vere *extraordinaria atque adeo miraculosa,* ubi lux fuit tam fulgida atque impulsus tam praepotens,· ut pro eo qui haec experitur nullum maneat dubium de veritate rei de qua agitur, aut de origine divina huius motionis. Ita, v.gr. in conversione S.Pauli aliorumque. Sed haec evidentia *immediate est pro eo qui talia experitur.* Pro ceteris in tantum •evincet, in quantum ipsis constet de scientia et de veracitate testis narrantis, i.e., si constat illum non duci illusione aut fraude. Ut plurimum autem haec non certo constare poterunt multis, et ideo huiusmodi experientiae neque constituent criteriologiam validam quae certo et expedite possit omnibus accommodari.

709. Neque negabimus valorem *experientiae religiosae quasi ordinariae,* scilicet ex motionibus divinis quasi ordinariis in iis qui vitae vacant spirituali, per consolationes et desolationes, atque per discretionem variorum spirituum61. In his enim, sin minus ex conscientia immediata, certe ex reflexione antecedentium, concomitantium et subsequentium actuum psychicorum, poterit quis, debitis adhibitis cautelis, venire ad notitiam originis divinae rei quam experitur et tendentiae ad quam movetur. Sed haec postulant considerationem et spirituale magisterium, ne quis illusioni succumbat. Ideo nec critérium pro omnibus inservire potest ut primarium.

710. Age iam, quid si experientiae considerantur non singulae in individuis, sed *collective* in multis conversis, prout credunt experiri actionem impellentem erga religionem catholicam?

Inter has omnes conversiones sunt quidem aliquae, bene probatae, omnino extraordinariae, quae nullo modo explicari possunt in aliqua hypothesi naturali; sed in his *a ratione miraculi non praescinditur,* ut patet.

Diversae hypotheses quae fieri possunt ad explicandum naturaliter omnes •conversiones et illam activitatem internam transcendentem, quam conversi existimant experiri; v.gr., quod dicatur provenire ex proprio labore intellectuali conversi, aut ex eius voluntate, aut ex eius sentimentis, aut ex atmosphaera qua involvitur, aut ex aegrotatione mentali, aut ex subconscientia...; *singulae* hae hypotheses certe non inservient ut *omnes* conversiones explicent 62; nimirum in singulis hypothesibus semper erunt casus qui in ea non explicentur, sed contra praetergrediantur illam hypothesim.

Ut autem hoc argumentum valeret in Apologetica, opus esset (nostro quidem iudicio) ut in multitudine conversionum bene comprobatarum quoad hanc experientiam internam moventem ad religionem catholicam, non modo non possent explicari in aliqua hypothesi causalitatis naturalis, *sed in nulla* ■*earum;* ita ut, agnita transcendentia horum factorum, ipsi inimici Ecclesiae cogerentur actionem divinam fateri. Atque opus quoque esset discrimen

61 De his, cf. *Exercitia spiritualia* S.Ignath, Regulae ad discernendos spiritus et ad •eFgendum; *Exercitia* n.t7$s.3l6s.329ss.

*2 Ita ostendit Th.Mainage in septem primis lectionibus sui libri.

indicare inter has appellationes Conversorum catholicorum ad proprias internas experientias (quas nos dogmatice scimus provenire ex gratia divina) et similes appellationes heterodoxorum ad phaenomena quae ipsi dicant experiri. Ergo hoc argumentum non caret difficultate63.

Thesis 39. Invicta stabilitas in catholica unitate religionis christianae confirmat eius originem divinam.

Hurter, *Compendium"* th.18 n.83; Wilmers, *De religione rete ala* n.649-652; Müller, *De vera religione* th.45; Dorsch, *Theolog. fundam.i*3,800-807; Muncunill, *De vera religione* n.553-566; Van Noort, *De vera religione*2 (1907) n.123-127; Dieckmann. *De Ecclesia* I n.618-623: Perrone, *De vera religione* n.391-410.

711. Notiones. Stabilitas dicit *permanentiam sive conservationem* alicuius rei. Invicta autem hic dicitur connotando difficultates et impugnationes, tam externas quam internas, quas religio christiana passa est.

Haec stabilitas sive conservatio ita asseveratur, non qualiscumque in dissolutione aut disgregatione qualibet vel in evolutione multiformi, sed intelligitur in catholica unitate, scilicet: cum haec religio comprehenderit plures homines, nationes, tempora... diversa (ideoque *catholica sit),* conservatur tamen *una et eadem in sua essentia interna.*

Argumentum non ita fit, ut consideretur prophetia impleta h sed *miraculum morale* quod in *tali* stabilitate invenitur 2.

712. Adversarii in genere numerandi sunt *protestantes et schismatici,* qui iactitant mutationem factam fuisse in Ecclesia catholica; atque, inter protestantes liberales, Harnack, pro quo Ecclesia actualis non eadem est atque primaeva.

713. Doctrina Ecclesiae proponitur in *Concilio Vaticano* cum adducitur argumentum ex facto Ecclesiae: «... ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem» (D 1794).

Etiam indicatur a Pio IX in *Encyclica* «Qui *pluribus»* inter alia argumenta pro fide catholica, quae «maiores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique a solis ortu usque ad occasum, uno Crucis vexillo pervasit... triumphatisque cuiusque generis

03 Cf. M.Nicolau, V'dlores *teolôgicos en la pstcologîa de la conversion* 25-29·

1 Cf. Ps 88,34-38; Dan 2,44; Le 1,32s; Mt 16,18; 28,18-20...

2 Propagat o christianismi ut miraculum morale maxime elucet in propagatione facta tribus primis saeculis; sed conservatio huius religionis ut miraculum morale tunc potius elucet, si non ad prima saecula restringitur consideratio, sed dilatatur ad saecula viginti Avibus tot persecutiones et procellas sustinuit.

hostibus, omnes populos, gentes, nationes, utcumque immanitate barbaras ac indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinae cognitionis lumine illustravit...» (D 1638).

714. Valor theologicus. Si thesis sumitur cum praecedentibus, ad quas alludit Concilium Vaticanum, est *saltem doctrina catholica;* sumpta vero singillatim *invenitur apud Patres* 3 et *certa* videtur, ut argumentum apologeticum (cf. n.ôyis. 691s).

715. Probatio. Religio Christi stabilis perseveravit a) eadem *per viginti iam saecula,* b) *in toto quidem mundo magna diffusione,* c) non *obstantibus gravissimis procellis externis,* d) *et difficultatibus internis.*

Atqui haec postulant causam extraordinariam non naturalem, sed supernaturalem, quae nequit a Deo praestari in confirmationem religionis quae falso diceretur revelata.

Ergo invicta stabilitas religionis christianae in catholica unitate confirmat eius originem divinam.

716. Prob. maior, a) Religio christiana eadem per viginti iam saecula perseveravit. Haec identitas religionis actualis, cum ea quae erat in initio, magni momenti est pro argumento stabiliendo; quia talis identitas sive unitas tam raro invenitur, aut vix invenitur, in rebus humanis, quae quidem natura sua labiles sunt.

Religio vero christiana eadem est atque in initio quoad res substantiales, nimirum:

1) *In doctrina,* quae in libris apostolorum in eorumque praedicatione, item in symbolis et in declarationibus conciliorum et in definitionibus Summorum Pontificum proposita est. Quod nunc credimus, hoc crediderunt pristini; quod hic credimus, hoc et in extremo mundo creditur, a diversissimis mundi incolis.

2) *In fine sanctificationis et in mediis* ad eam obtinendam:

3 Sic iam Chrysostomus: «Nihil Ecclesiae par est. Ne mihi commemores muros et arma: muri enim tempore deteruntur, Ecclesia vero nunquam senescit. Muros barbari demoliuntur. Ecclesiam ne daemones quidem vincunt. Quod haec non sint jactantia verba, res ipsae testantur. Quot Ecclesiam oppugnarunt, ipsique perierunt? Ecclesia vero caelos transcendit. Talis est Ecclesiae magnitudo: vincit impugnata; insidiis appetita superat; contumeliis affecta splendidior evadit; vulnera excipit, nec ulceribus cadit; agitata fluctibus non demergitur; procellis impetita naufragium non patitur; iactatur nec prosternitur; pugilatu certat, nec vincitur. Cur ergo bellum permisit? Ut illa splendidius trophaeum erigeret.. » *(Homitia de capto Eutropio:* MG 52,397s). Idem Chrysostojîus evolvit ideam triumphi Ecclesiae ex persecutionibus: *Quod Christus sit Deus* n.12-15: MG 48,829-835· S.Augustinus loquitur de stabilitate fundamenti Ecclesiae: *In Ps 103* scrm.2 n.5 : ML 37» 1353· Iam antea S.Hippolytus pulcherrime utitur comparatione navis fluctibus iactatae: *Demonstratio de Christo et Antichrist*© n.59: MG 10,777-7^0.

eodem scilicet sacrificio, iisdem septem sacramentis, iisdem ritibus substantialibus.

3) /n *regimine et hierarchica organizatione,* scilicet apud Primatum Romanum, cui omnes subduntur, et apud episcopos qui monarchice praesunt ecclesiis particularibus.

.717. *b)* In TOTO QUIDEM MUNDO MAGNA DIFFUSIONE. Neque enim illa unitas et identitas, de qua antea, in una tantum regione aut apud paucos tantum homines selectos invenitur; sed ideo mirabilior apparet, si consideretur penetratio socialis in omnem classem, idque in omni mundi plaga, eaque numerositate ut hodie plus minus 410.000.000 fidelium recenseat.

718. *c)* Non obstantibus gravissimis procellis externis. i) *Hostes externi aperti* causabant has procellas: Cogita tempus persecutionum a iudaeis et ab ethnicis tribus primis saeculis, ut clarius elucebit cum agamus de martyribus (th.40). Cogita ex Historia ecclesiastica conatus luliani ut restitueret pristinam superstitionem; verum incassum, ut ipse moriens —uti fertur—dixerit: Vicisti Galilaee!—Cogita conatus barbarorum contra religionem in occupatione imperii romani. Cogita conatus islamitarum contra christianos in Asia, in Africa, in Hispania et in Europa occidentali, in Europa orientali et in occupatione Constantinopoleos et per mare Mediterraneum... At simul cum his diruptionibus novae gentes atque nationes, eaeque postea florentes vel florentissimae, aperiebantur evangelio: gentes nimirum anglicae, germanicae, slavicae... atque transmarinae in America, in India, in laponia...; recenter in Africa centrali et meridionali; in missionibus denique per universum integrum...

2) *Caesaropapistnus* magnus Ecclesiae hostis fuit, intendens ut religio principibus eorumque commodis subordinaretur: Ita, ut paucos inter hos principes memoremus, Fridericus Barbarrossa, Henricus IV, Napoleo I, Iosephus II... Atque cum hac principum politica errores accedentes, ut gallicanismus, iosephinismus...

3) *Societates secretae* quarum influxus in gubernatione statuum adeo magnus fuit, ut propugnarent purum naturalismum et, per separationem Ecclesiae et status, novum paganismum... Atque legibus allatis contra educationem religiosam, contra matrimonium canonicum et sanctitatem familiae, contra ministros Ecclesiae eorumque libertatem, totis viribus conati sunt religionem debellare.

4) *Cogita arma quibus isti adversarii sunt usi* vel etiam utuntur, ut fines consequantur suos: potentiam scilicet et vim, pecuniam, fraudes, calumnias, seductiones, secretas machinationes, falsam scientiam..., maxime inter arma recentia: *typographiam* 4. Adde *mysterium odii in Christum eiusque religionem,* de quo statim dicemus (n.727).

5) Accedunt *impugnationes ex parte scientiae, ex* falsa utique scientia: ex gnosticismo, manichaeismo, pelagianismo...; ex averroismo, ex pantheismo medii aevi...; ex humanismo temporis renascentiae; ex encyclopedismo et erroribus adiunctis...; ex rationalismo et scepticismo...; ex idealismo et ex falsis doctrinis socialibus, oeconomicis, politicis...

719. *d)* Inter gravissimas difficultates internas.

1) *Erant enim haereses internae atque divisiones:* arianismus, nestorianismus, monophysitismus, monotheletismus... Item diuturna scissio Orientalium; exsilium Avenionense et prolongata confusio et difficultas agnoscendi legitimum Ecclesiae pastorem supremum... Postea protestantismus violentus cum favore principum in Germania, Gallia, Anglia...

2) Fuerunt quoque *inclinationes corruptae naturae,* contra quas religio tota debuit et debet continuo pugnare; quibus accedit aliquando pastores suo muneri sanctificationis non pares fuisse; et, vel dormientes vel semetipsos pascentes, gregem dilapidarunt aut dilapidari permiserunt. Non raro scandala, etiam publica; disciplina corrupta aliquibus temporibus; item mores ex mollitie, ut v.gr. tempore renascentiae, vel hodiernis temporibus cum progressu culturae materialis et technicae. At continuo, etiam tempore maioris corruptionis, quae est vis sanctificativa religionis christianae, sancti et reformatores exstiterunt et exsistunt...

720. Prob. minor. Haec omnia postulant causam extraordinariam, supernaturalem 5. Etenim *ordinarie* institutiones humanae, si quam stabilitatem adipiscuntur, conservantur vel armis et vi sive coactione, quibus extorquent submissionem; vel voluptatibus connivendo aut illas promittendo, vel pecuniis aliisque..., aliquamdiu (certe non diu) eloquentia... At hisce mediis non utitur religio christiana; sed per abnega-

4 «In sola Gallia ab anno 1817 ad annum 1824, omissis 600.000 voluminibus bibliothecae saeculi XVIII, iam numerabantur 2.741.400 volumina impressa operum Voltaire, Rousseau, Helvetii, Diderot, etc.; anno 1827 numerabantur 5.000.000». Ioannes Perrone, S.I., *Praelectiones theologicae* i (Parisiis 1897); *De vera religione* ŋ.395 p.103.

5 De hoc argumento, cf. oratorie Luis de Granada, O·P., *Introducciôn del* dmteto *de la fe* 2 * p. C-8· ed. Cuervo t 6 p.ôsss.

tionem, per eloquentiam non humanam... triumphat in Christo Iesu.

Adde et hoc: Etiamsi institutiones humanae talibus mediis obtinuerint aliquam conservationem, non *diu illam retinent.*

Imperia, etiam florentissima, corruunt; aliae societates humanae senescunt et evanescunt...; accommodationibus non modo colorem pristinum, sed constitutionem primitivam deperdunt... et mutantur. Systemata philosophica invicem succedunt et dilabuntur... Persecutores transeunt eorumque potentia evanescit...; adeo ut quis, de iis quos vidimus Ecclesiae hostibus, dicere potuerit: «Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat; et quaesivi eum, et non est inventus locus eius» (Ps 36,35s).

Quodsi aliquas societates in Asia videris diu sustineri sive imperia..., illa immutabilitas non ea est *stabilitas vitalis,* sed dixeris esse immutabilitatem cadaverum *momificatorum.*

721. *At religio Christiana,* et quidem prout illam in catholicismo agnovimus (de qua facimus argumentum) *immutata manet per viginti iam saecula* in fine, in mediis sanctificationis, in doctrina, in organizatione et hierarchia, in serie ininterrupta Romanorum Pontificum 6; quod adeo est mirum et extraordinarium praeterea, cum tot nationes, culturae, gentes, mores... constituant difficultatem pro unitate, et debeant se submittere

6 Pulchre etiam protestons Thomas B.Macaulay scribebat de stabilitate Ecclesiae Romanae: «There is not, and there never was on this earth, a work of human policy so well deserving of examination as the Roman Catholic Church. The history of that Church joins together the two great ages of human civilization. No other institution is left standing which carries the mind back to the times when the smoke of sacrifice rose from the Pantheon, and when camelopards and tigers bounded in the Flavian amphitheatre. *The proudest royal houses are but of yesterday, when compared with the line of the Supreme Pontiffs.* That line we trace back in an unbroken series from the Pope who crowned Napoleon in the nineteenth century to the Pope who crowned Pepin in the eighth: and far beyond the time of Pepin the august dinasty extends, till it is lost in the twilight of fable fl]. The republic of Venice came next in antiquity. But the republic of Venice was modern, when compared with the Papacy; and the republic of Venice is gone, and the Papacy remains. *The Papacy remains, not in decay, not a mere antique, but full of life, and youthful vigour.* The Catholic Church is still sending forth to the farthest ends of the world missionaries as zealous as those who landed in Kent with Augustin, and still confront ng hostile kings, with the same spirit, with which she confronted Attila. The number of her children is greater than in any former age. *Her acquisitions in the New World have more than compensated her for what she has lost in the Old...* Nor do we see any sign, which indicates that the term of her long dominion is approaching. She saw the commencement of all the governments and of all the ecclesiastical establishments that now exist in the world; and we feel no assurance that she is not destined to see the end of them all. She was great and respected before the Saxon had set foot on Britain, before the Frank had passed the Rhine, when Grecian eloquence still flourished in Antioch, when idols were still worshipped in the temple of Mecca. And she may still exist in undiminished vigour when some traveller from New-Zealand shall, in the midst of a vast solitude, take his stand on a broken arch of London Bridge to sketch the ruins of St.Paul's.

We often hear it said that the world is constantly becoming more and more enlightened, and that his enlightening must be favorable to Protestantism, and unfavourable to Catholicism. We wish that we [Protestantes] could think so. But *we see great reason to doubt whether this be a well-founded expectation...» Critical and Historical Essays (Von* Ranke, October 1840), cd. B.Tauchnitz (Leipzig 1850) 4,98s.

De machinationibus *Iuliani,* ut specimine malitiae et industriae adversus Christianos, vide S.Gbegorivm Nazianzenum. *Contra Julianum* l c.57-112: MG 35.580-640.

ad eandem doctrinam... et ad eandem organizationem..., et ad eundem pastorem..., et in hac institutione submissio debeatur etiam pro internis rebus et particularibus...

Ex persecutionibus vero religio christiana *reviviscit eadem et reflorescit;* adeo ut ei applicari possit: «succisa virescit»; et aliud; «salus ex inimicis nostris» (cf. Lc 1,71) 7.

Nec tantum immutata et vegetior, *etiam foecundior* in dies ex persecutionibus et procellis apparet, ut merito de ea non senectutem, non fatigationem, sed iuvenilem aetatem una cum maturitate continuo miremur: novos sanctos, nova opera, novas missiones, novam amplioremque diffusionem...

722. Quae cum ita sint, constat omnino stabilitatem invictam religionis christianae in unitate stricta simul et catholice diffusa, *esse factum extra ordinem communem naturae,* ad quod requiritur interventus Dei extraordinarius, qui nequit praestari in favorem religionis quae falso diceretur revelata 8.

723. Obiectiones. i. Religio christiana usa est brachio saeculari ad conservationem sui.

Resp. Hoc auxilium illi defuit in plurimis adiunctis, iisque difficillimis, nominatim tempore persecutionum primis saeculis, et postea successive diversis in locis, dixeris per integram eius historiam.—Sed etiam hoc auxilio supposito, *quaeritur explicatio adaequata* cur religio hoc auxilium obtinuerit et talem influxum exercuerit apud principes et gubernia, quae ipsam iuverunt.

2. Ecclesia evolutioni subiçitur nec manet una eadem.

Dist. *antec.* In accidentalibus, *conc.;* in substantialibus, *nego.* Atque ipsi adversarii fatentur Ecclesiam hodiernam esse eandem ac tempore S.Clementis Romani (ad finem saeculi I), quin et tempore S.Pauli. Et etiamsi si quis dicat Ecclesiam tantum a saeculo III manere eandem: hoc est etiam explicandum, quomodo tanto tempore inter tot procellas mansit eadem et una.

3. Ecclesia servavit unitatem eo quod absciderit membra protestantia et dissidentia.

Resp. Verum id quidem est. Sed *adhuc restat explicandum* quomodo, etiam tot et plurimis dissidentibus, eamque impugnantibus, mansit tamen religio non mere nationalis, sed universalis et una.

4. Hoc explicatur propter organizationem et constitutionem socialem Ecclesiae, nominatim per principium auctoritatis.

Resp. Sed *adhuc desideratur explicatio* naturalis cur potuerit habere talem' organizationem, et *conservare* illam, cum tot sint passiones internae hominum ambientes libertatem, et tot sint et fuerint expugnationes externae illam organizationem impetentes.

5. Etiam mahomedismus et buddismus conservantur diu naturaliter.

7 Pulchre S.Hilarius: *Hoc enim Ecclesiae proprium est, ut tunc vincat cum laeditur, tunc intelligatur cum arguitur, tunc obtineat cum deseritur» (De *Trinitate* 7,4: ML 10,202).

8 Ideo et originem habere dicenda est ab illo *apud quem* non *est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* (lac t.i7>: qui ct Petro dixit· super hanc *petram aedificabo Ecclesiam meam.* et portae in/cri non praevalebunt advcrsuscam (Mt t6,:8); et iterum discipuhs: *Eccc ego vobiscum* sum omnibus *diebus. uSque ad consummationem saeculi* (Mt 28,20).

Resp. Non arguimus ex mera conservatione, neque ex diuturna conservatione, sed *ex modo quo religio christiana conservata est;* scilicet unitate catholica et stabilitate invicta non obstantibus difficultatibus internis et expugnationibus externis. Ex alia parte notum est quomodo mahomedismus et buddismus ceteraeque celeriter propagatae religiones mediis plane naturalibus usae fuerint. Cf. n.704,13.14.

6. Etiam iudaismus vehementer expugnatus et per orbem dispersus adhuc pergit conservari.

Dist. *antec.* Atque hoc *respondet apprime vaticiniis* in favorem religionis christianae editis (cf. n.512-520.535-539), quae proinde confirmatur ex hac adimpletione, *conc.;* hoc indicat auxilium speciale Dei in favorem religionis iudaicae, quasi confirmans illam, *nego.* Et nota iudaismum conservari ut *populum;* sed ut religionem amisisse templum in quo ipsos adorare oportebat, item sacerdotes (etsi habeant rabbinos), item sacrificium, item praecepta ritualia et caeremonialia legis mosaicae ipsis evasisse impossibilia. Iam vero haec pertinentia ad religionem sat substantialia sunt, adeo ut religio illa nequeat dici conservari in elementis essentialibus 9.

7. Si religio christiana auxilio Dei speciali stabilis consistit et consistet, non opus erit ut christiani illam propugnent tempore persecutionum, neque leges civiles et gubemia illam protegant.

Resp. 1) *Suum quisque faciat officium.* Neque enim illud auxilium Dei speciale excludit, immo supponit, gratias Dei iuvantes ut officia Christianorum erga religionem socialia et publica adimpleantur; atque haec adimpletio subicitur divinae providentiae curanti protectionem pro religione.

2) Illud auxilium speciale pro religione christiana non affirmatur pro religione ut hic *vel illic* stabilis provehatur, sed in universum; unde prosperitas religionis in hac vel in illa mundi plaga potest conditionari ad cooperationem hominum in religione promovenda et defendenda.

724. Scholion. De mysterio amoris et odii in Iesum 10. 1) Factum amoris in Iesum. De ceteris hominibus historia et vita praestantibus habemus memoriam, habemus admirationem...; de Iesu habemus amorem, sensu quidem vero, verissimo, immo plenissimo.

Homines contenti sunt si a paucis amentur, ipsis praesentibus et viventibus; a futuris extraneis, non cognatis, multoque magis ab universo mundo non postulant amorem post propriam mortem. Iesus vero hunc amorem postulavit *fecitque se centrum universale omnium cordium* 11.

Atque hunc amorem excandescentem et extremum Iesus *de facto est consecutus.* Amatus est enim vehementer, ut omittamus Mariam Magdalenam, Ioannem Evangelistam 12 et Petrum Apostolum 13,14 ab ardentissimo Paulo Apostolo W, ab Ignatio Martyre et ab ecclesia tota martyrum cupien-

9 Vide supra n.53588.

10 De re tractant Hurter, *Compendium* 11 n.88; Müller, *De vera religione* th.46; Dorsch, *Theolog. fundam.* 13 807-810; Lercher-Schlagenhaufen, *Theolog. fundam.* n.250.

11 Cf. Mt 10,37; 16,24s; Lc 14.26; Io 12,32; 14,15.21-24; 15.10; 17»3·20·26.

12 i Io 1,1-3; 2,is; 4.16...; Apoc 22,20.

13 i Petr 2,3.21-25.

14 Rom 8,35-39: 1 Cor 16,22; Eph 3.8-19; Phil 1,21

tium vitam, sanguinem, facultates... pro eius amore effundere15* amatus est fortiter a discipulis ipsi fideliter et fortiter servientibus eiusque regnum dilatantibus ultra fines; amatus est a virginibus innumeris, ab Agnete, a Caecilia (lege earum officium >6), a Telesia a lesu, a Magdalena de Pazzis, a Margarita Maria de Alacoque, a Teresia a lesu Infante17...; a iuvenibus, a senibus, a doctis, ab indoctis et rudibus... >819Prodigia amoris in lesum fusius quidem et in infinitum narrari possunt; sed neque est opus, cum res sit evidentissima pro scopo nostro. Et tamen: 'Nec lingua valet dicere, nec littera exprimere: expertus potest credere quid sit lesum diligere...» 19.

Hic vero amor *non ex morbosa sive infirma dispositione* oriri censendus est, maxime apud eximios lesu amatores, cum effectus habeat fortes, pacificantes, in multo robore ad magna aggredienda...

725. Cur hic amor?—In hoc amore explicando *plura argumenta apologetica confici possunt.*

Atque in primis postulasse lesum talem amorem, cum certissime non fuerit amens (cf. n.456ss), *signum est eum esse non tantum Legatum Dei, sed etiam Deum* (cf. n.435, c). Nemo enim cordatus se audet constituere centrum universale omnium cordium.

Dein in hoc facto amoris datur *adimpletio vaticinii emissi a lesu 20.*

Tandem ratio sufficiens huius amoris non invenitur nisi in *facto aliquo praeter communem cursum naturae,* confirmante religionem in qua talis amor invenitur:

Etenim homines amant loco praesentes vel coaetaneos, ceteros loco distantes vel iam defunctos minuunt tandem certissime in amore. Iesus vero *post eius mortem potissimum amatur.*

Homines amant cognatos, amicos... invicem et limitibus restrictis. Iesus vero *amatur universaliter.*

Homines amant praesertim propter commoda obtenta vel obtinenda, praesertim ubi sensibilia haec sunt. Iesus autem *postulat abnegationem propriam et mortem, nec maxime sensibilia bona sed insensibilia promittit et praestat.*

15 Cf. J.Madoz, S.I., *El amor a Jesucristo* en *la Iglesia de los mdrtires:* EstEcI *12* (1933) 313-344.

In antiphonis et responsoriis *officii Sanctae Annetis* pulcherrima invenies exprimentia eius in Deum et in lesum amorem; ut v.gr. «Cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, ipsi soli servo fidem·... «Ecce quod concupivi iam video; quod speravi iam teneo: ipsi sum iuncta in caelis, quem in terris posita tota devotione dilexi»...

17 Lege v.gr. ex Sancta Teresia a Iesu Infante, *Histoire d'une âme àrrite par eHe-m^me* c.ii et 12.

18 Valde eloquenter et uberius de hac re tota disserit Fr. Luis de Leôn, *De los nombres de Cristo* 1.3 § 3 *(Amado):* cd. Rivadencira p.189-197.

19 Rhythmus in festo Sanctissimi Nominis. lesu, ad vesperas. Lege integrum carmen per totum festum distributum, est enim expressio pulcherrima amoris in lesum.

20 Io 12,32; Lc 12,49; Io 17.20-26...

Amor humanus decrescit, etsi perpetuus promittatur, «non raro paucis diebus arescit vel in odium convertitur; *Amor autem Christi continuo potius crescit, atque speciem aeterni praebet» 21.*

Ergo amor in lesum *tantus—tenerrimus—universalis—constans—et heroicus* est supernaturalis et postulans peculiare auxilium divinum.

726. Quod et confirmatur considerando *fructus productos ex hoc aniore,* miros et optimos et nobilissimos... Item considerando *effectus mirabiles provenientes ex hoc amore in anima 22.* Ergo hic amor erat et est bonus, et conformis et respondens suo obiecto, ut vero. Ergo Christus erat Deus; quia secus ex amore vitiato, falso et perverso, fructus orti essent boni et optimi, in vera sapientia et sanctitate. Quod esset contra principium causalitatis et contra ordinem providentiae divinae 2'.

727. 2) De odio contra lesum eiusque religionem. *Mysterium odii* dici solet 24, quia re vera non intelligitur cur ita procedant homines, et aegre aut vix solis legibus naturalibus psychologicis explicari valet2S.

Hoc enim odium *a)* est *iniustum* nec habet rationem sufficientem; re vera *gratis* odio habuerunt et habent lesum, *qui pertransiit benefaciendo* (Act 10, 38). Similiter odium in Ecclesiam, quae opus lesu prosequitur, et bona attulit innumera pro vita privata et publica hominum, pro scientia et cultura, pro arte, pro miseris et derelictis...

b) Hoc odium est *perpetuum* atque implacabile; cum etiam monstra generis humani, ut Nero aliique romani imperatores..., post mortem despiciantur.

c) Hoc odium est singulare. Non enim dirigitur contra alios fundatores religionum, ut Budda, Mahomet...

d) Hoc odium est *efficax et intensum,* scilicet non tantum theoretics quadam et platonica displicentia atque aversione continetur, sed machinationibus et industriis omnimodis conatur effectum obtinere.

728. Quid ex hoc odio eruatur. In primis datur *adimpletio prophetiarum 26,* Christusque fit in *signum cui contradicatur* (Lc 2,34). Dein, cum *effectus huius odii non sint boni, sed pravi,* nec ducant ad perfectionem moralem et ad sanctitatem, sicut amor Christi, ducant vero ad corruptionem moralem et ruinam populorum et individuorum: signum est *hoc odium non esse conforme ordini obiectivo rerum,* seu re vera Christum non odio, sed amore dignum esse.

Auctores vero huius odii non sunt homines virtuosi aut sancti, sed contra sunt homines corrupti, superbi et voluptatibus dediti. Quoniam vero Ecs

21 Müller, th.46 n.8.

22 Lege v.gr. *De imitatione Christi* I.3 c.s: De mirabili effectu divini amoris...

23 Cf. Müller, th.46 n.to.

24 Müller, th.46 n.tt-16; Lercher-Schlacenhaüfen, *Theolog. fundam,* n.250...

25 Stentrup, *Apolog.* th.32, vult concludere ex hoc odio perpetuo, universali et furiali, ad causam extra hominem, in eo nempe principio quod vero ac bono, qua tali, contrarium est et adversatur Deo omnique ei quod a Deo originem habet. Müller, th.46 n.16 opponit inde naturaliter diaboli exsistentiam posse demonstrari, et praeterea illud odium satis probabiliter psychologice explicari [ex vitiis et passionibus hominum, quia Christus eiusque Ecclesia hisce resistunt casque debellant efficaciterl. Sed concludit Mulier, quod et nos libenter admittimus: 'Ceterum concedi potest, supposita diaboli exsistentia eiusque hominum insectatione ex revelatione praesertim cognita, odium illud ex eius *instigatione quoque partim* explicari, si tamen causae eiusdem supra productae non excludantur».

20 Mt s,ne> 10,173e; Le 2,34s; 21,173; Io 15,t8ss; t Petr 2,73...

clesia hisce passionibus resistit et restitit, hinc apparet cur odio habeatur. Discrimen autem in eo quod religio catholica odio habeatur, ceterae vero religiones non: signum est ceteras religiones vel passionibus indulgere vel saltem eas non efficaciter debellare.

Thesis 40. Martyrium tot Christianorum probat originem divinam revelationis christianae.

S.Th., 2.2 q.124: Orness, *Theolog. fundam.* 1,877-902: Tromp, *De revelatione6* 1.2 prop.10; Wilmers, *De religione revelata* I.4 c.2 a.3; Müller, *De vera religione* th.42; Munc u n i l l, *De vera religione* 0.541-552: Paul Allard, *Dix leçons sur le martyre6* (Paris 1921) versio hispana2 *El martirio* (Madrid 1943); eiusdem auctoris artic. *Martyre:* DAFC 3,331-492.

729. Hoc novum critérium ad confirmandam divinam revelationem doctrinae per lesum propositae videtur reduci posse ad *critérium internum ut examen doctrinae in effectibus productis,* quatenus martyrium est fructus doctrinae confortantis usque ad sanguinis effusionem.

730. Notio martyrii h Martyr dicit *testem.* Discipuli lesu debebant esse *testes illius* (Lc 24,48; Act 1,8.22; 2,32...). Cum christiani ob religionem suam accusarentur, generatim interrogabantur; et ipsi respondebant dando *testimonium* pro lesu eiusque doctrina. Propter hoc testimonium apostoli multique alii fuerunt occisi, sicque attestabantur non modo verbis, sed etiam factis, scilicet morte. Hoc erat et est *testimonium perfectum.*

Quid attestantur martyres?—Martyres erant et sunt testes veritatum Christianarum quas profitentur, nimirum testes *veritatum fidei et factorum omnium, quae ipsa fides supponat,* sive haec facta ipsi viderint (testes immediati et testimonium stricte historicum), sive mere audierint aut acceperint (testes mediati), sive de iis persuasionem quomodocumque habeant.

731. Conditiones martyrii. Martyrium de quo agimus, et de quo in Theologia agitur 2 est a) *perpessio voluntaria,* b) *supplicii mortalis,* c) *patienter et firmiter tolerati,* d) *propter odium fidei vel legis christianae.*

a) Est *perpessio voluntaria,* siquidem est actus virtutis, ad quem voluntarietas requiritur. Haec voluntarietas debet esse saltem habitualis, ex dispositione scilicet habitualiter concepta

1 De conceptu et evolutione sensus in voce *martyrii* egit E.Hocedez, S.I., *Le concepi dc martyr:* NouvRevTh 55 (1928) 81-99198-208. Item D.Ruiz Bueno, *Actas 'de los rndrtires* (Madrid 1951), Introducciôn general, p.3-67; et nominatim apud S.Cyprianum E.L.Hummel, *The concept of martyrdom according St.Cyprian of Cartage* (Washington 1946).

2 Haec notio iterum recurret in tractatu de baptismo, ubi dicetur cur martyrium suppleat baptismum, nimirum, quia ex privilegio stabiliter constituto iustificat quasi ex opere operato, et delet omnem reatum culpae et poenae; iuxta illud Domini: *Qui perdiderit animam suam propter mc, inveniet eam* (Mt 10,39; 16.25).—De martyrio, maxime in aspectu theologico et canonico, agit R.Hedde, *Martyre:* DTC 10,220-223. Item de conditionibus martyrii tractat Benedictus XIV, *De servorum Dei beatificatione et canonizatione* I.3 c.i 1-20.

mortem perferendi in testimonium Christi; ideo qui vel inopinato vel in somno talia pateretur, censeretur martyr. Sed voluntaria perpessio melius apparet et constat, si detur facultas deliberandi aut sese liberandi per negationem fidei.

In infantibus, in quibus nequit dari haec ratio voluntarii, potest dari tamen verum martyrium, ut accidit *in Innocentibus* ab Herode occisis.

732. b) *Supplicii mortalis,* ut testimonium sit perfectum et re maxime pretiosa, scilicet vita, comprobatum. Sed mors immediate seu in ipsis tormentis sequi potest, vel mediate consequenter ad tormenta; ita possunt esse martyres qui non effuso sanguine decesserunt, sed tantum consequenter ad vulnera, dolores, immanitatem... ex tormentis. Si tantum passionem sustinebant, et mors non sequebatur, *confessores* dicuntur (cf. Mt 10,32).

733· c) *Patienter et firmiter tolerati,* i.e. *inspirata patientia* (cf. n.746), ad similitudinem Christi, qui ut agnus passus est (cf. Is 53,7); non igitur reluctando et contradicendot neque ut stolidus quis, aut stoicus, aut temerarius, qui per excessum audaciae et incuriae videretur vitam contemnere... Martyrium pertinet formaliter ad actum et ad virtutem fortitudinis, quia fortitudo est motivum illius *per modum virtutis elicientis,* sed ad illud «inclinat quidem caritas sicut primum et principale motivum, *per modum virtutis imperantis*... Et inde est quod martyrium est actus caritatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis. Inde etiam est quod utramque virtutem manifestat. Quod autem sit meritorium, hoc habet ex caritate, sicut et quilibet virtutis actus. Et ideo sine caritate non valet» 3. Haec ex doctrina Sancti Thomae aliorumque, licet non omnium, theologorum.

Requiritur ex his ad martyrium status gratiae et caritas quomodoiibet procurata. Et ipsum «martyrium inter ceteros actus humanos est perfectius secundum suum genus, *quasi maximae caritatis signum»,* quandoquidem in martyrio homo dat id quod inter bona praesentis vitae maxime amat, ipsam vitam; et acceptat id quod maxime odit, ipsam mortem, et praecipue cum doloribus corporalium tormentorum... ⁴

734. d) *Propter odium fidei vel legis christianae,* in iis qui supplicii sunt causa, saltem moralis, iubentes, suadentes... Et licet a persecutoribus *alia motiva simulentur (v.gr.* ratio politica), — vel *formula aliqua iuridica praetextetur* (v.gr. crimen laesae maiestatis imperatoris, vel superstitio magiae...) —vel

3 S.Th., 2.2 q.124 n.2 ad 2
4 S.Th, 2.2 <|.I24 « 3 v.

etiamsi habeatur *aliud motivum remotum* (v.gr. cupiditas divitiarum...): semper tamen *motivum proximum persecutoris debet esse hoc odium fidei.* Fidem vero profitemur vel explicite in ore, vel etiam implicite in opere, cum quis tenet et non vult deserere legem christianam. Ideo et sunt martyres qui moriuntur propter observantiam virtutis et legis (v.gr. Santa Maria Goretti, S.Ioannes Nepomucenus...)5; semper tamen professio fidei explicite vel implicite debet adesse.

Non ergo est martyr, si quis occiditur propter opiniones philosophicas vel propter motiva politica. Sed potest esse causa martyrii defensio alicuius veritatis scientiarum, ne quis dicat mendacium, «in quantum mendacium est divinae legi contrarium»; atque etiam defensio boni reipublicae, «quia bonum humanum potest effici divinum, ut si referatur in Deum»6.

Haeretici possunt haberi martyres coram Deo, si motivum occisionis eorum est odium *verae* fidei christianae, quam partialiter retinent; et debent praeterea bona fide in suis specificis erroribus versari et gratiam et caritatem habere, si sequimur doctrinam Sancti Thomae de martyrio, superius (n. 733) expositam. Sed Ecclesia eos non colit ut martyres, quia extra unionem sunt mortui 7.

735· Apposite S.Augustinus conditiones veri martyrii comprehendit: «... ipsi martyres huius fidei martyres, id est, huius fidei testes fuerunt, huic fidei testimonium perhibentes mundum inimicissimum et crudelissimum pertulerunt; eumque non repugnando, sed moriendo vicerunt...·8.

736. Status quaestionis. Martyrium, sive haec constantia et fortitudo in testimonio dando pro fide, potest considerari 1) ut *adimpletio prophetiarum Christi* de persecutionibus discipulorum et de assistentia divina in illis (Mt 10,17SS; Lc 2i,i2ss; Io 16,2.13; Act 1,8); 2) potest considerari sicut hic illud considerabimus, ut miraculum *morale* patratum a Deo in

5 Sic ait S.Thomas: »... omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quaedam protestationes fidei, per quam nobis innotescit quod Deus huiusmodi opera a nobis requirit, et nos pro eis remunerat: et secundum hoc possunt esse martyrii causa» *(2.2* q.124 a.5 c). Cf. etiam Suàrez, *Defensio fidei catholicae* 1.6 c.n praesertim n. 10-15: Opera (Vives) 24,72-2ss.

6 «S.Th., 2.2 q.124 a.5 ad 2 et 3.

7 Cf. S.Cyprianus: «Esse martyr non potest qui in Ecclesia non est; ad regnum pervenire non poterit qui eam quae regnatura est derelinquit...» *(De unitate Ecclesiae* 14: ML 4.526). Idem Cyprianus: «Neque enim persequitur et impugnat Christi adversarius nisi castra et milites Christi. Haereticas prostratos semel et ipsos suos factos, contemnit et praeterit; cos quaerit deicere, quos videt stare» *(Epist.* 58 [alias 61], ad Lucium Papam: ML 3.1005)· In idem S.Augustinus, *Epist.* 108 n.9 et n.14: ML 33.410.413; *In Ps 14,* 2,13: «Martyres non facit poena, sed causa»: R 1465.

Uberius de *catholicisme* martyrum Suarez, *Defensio fidei catholicae* 1.i c.20: Opera 24, 99-102. Item Benedictus XIV, *De servorum Dei beatificatione...* 3 c.i9s; P.Ai.lard, *Martyre:* DAFC 3.337-342.

8 *De civitate Dei* 22,9: ML 41,771.

confirmationem doctrinae Christi; 3) considerari item potest *ut testimonium validissimum persuasionis multorum* de veritate doctrinae christianae, datum quidem in facie mortis; secundum hunc etiam aspectum considerabitur a nobis (n.759). Sic habebimus ex hoc ultimo *argumentum logicum* pro credibilitate factorum historicorum quae supponuntur in religione Christiana et, in genere, pro veritate huius religionis; sicut ex consideratione miraculi moralis, quod est in martyrio tot Christianorum, habebimus *argumentum divinum 9*[9]*10*

737. Adversarii. Henricus Dodwell inter *Dissertationes Cyprianicas* scripsit «De paucitate martyrum» (Oxford 1684) contendendo numerum eorum non ita magnum fuisse; cuius doctrina iam refutata fuit a Th.Ruinart in sua editione *Actorum martyrum* [10].

Postea Eduardus Gibbon (saeculo XVIII) et Ernestus Havet (saeculo XIX) idem affirmaverunt. Et recenter (1951), minimum numerum martyrum affirmans, H.Grégoire [11].

Theodorus Mommsen et Harnack dixerunt interfectos esse ob motiva politica; sic hi auctores non distinguunt inter veram causam martyrii et formulam iuridicam [12].

G.Boissier agnoscit quidem magnum numerum martyrum sed ait testimonium eorum esse signum subiectivae convictionis eorum, non obiectivae veritatis religionis [13].

738. Doctrina Ecclesiae. Pius IX enumerans diversa motiva credibilitatis dixit probari, aut saltem confirmari cum aliis argumentis, Christianam fidem Dei opus esse «tot *martyrum constantia*» (D 1638).

9 Martyrium potest etiam considerari *ascetice* prout est *imitatio Christi* et unio cum *Christo* patiente per crucem; et ideo haberi potest, sicuti antiquitus habebatur, tanquam «ideale» perfçctionis practicum; cui poterat per crucem quotidianam suffici. Cf. Viller-Rahner. *Aszese und Mystik in der Vdterzeit* c.2 p.29-40; ibi quoque copiosa bibliographia moderna de martyrio.

Lyrice et oratorie disseruit dc martyrio Chateaubriand, *Les Martyrs.*

10 Theodoricus Ruinart, O.S.B., *Acta primorum martyrum sincera et selecta* (Parisiis 1689; Amstelodami 1713). Versio hispana: *Las actas verdaderas de los martires* 3 t. (Madrid 1844)

*[11] E.Gibbon, *The decline and fall of the Roman empire* (1776) c.16: DTC 16,237; DACL 10,2476· Ernest Havet, *Le christianisme et ses origines* (Paris 1884) c.4: DTC 10.237; DACL 10,2477. H.Grégoire, *Les persécutions dans l'empire romain,* fasci. [1] in «Mémoires de l'Académie Royale de Belgique», p.161-163; cf. E.de Moreau, S.I.: NouvRevTh 73 (1951) 814s (H.Grégoire dicit ante saeculum IV nonnulla tantum centena, in saeculo autem IV summum 2.500 vel 3.000 fuisse martyrum); et E.Griffe, *Les persécutions dans l'Empire romain de Néron à Dèce:* BullLittEccl 53 (1952) 129-160.

12 Cf. C.A.Kneller, *liât der romische Staat das Christentum verfolgt?:* Stimm 55 (1898) 1-12.122-131; eiusdem auctoris *Theodor Mommsen über die Christenvervolgungen.* ibid, p.276-291 ; item *Die Mdrtyrer und das romische Recht* ibid., 349-367; cf. DAFC 3,375. A Harnack. *Die Mission und Ausbreitung des Christentums4* 1.3 c.5 p.501-504.

13 Cf. Gaston Boissier, *La fin du paganisme* (Paris 1891) 1. Appendice, 399-459; Tromp, *De revelatione6* [1],2 prop. 10 praenot. n.8 c.

Inter argumenta allata ex *Concilio Vaticano* (D 1794) martyrium tot Christianorum implicite continetur in *invicta stabilitate* Ecclesiae 14; sed ibi non fit argumentum *diversum.*

739. Valor theseos. Haec thesis *traditionalis et solemnis* est in litteratura patristica 15 et apud auctores. Est enim *apologetice certa.*

740. Probatur 1. Martyrium ut miraculum morale. *Factum martyrii multorum in Ecclesia catholica abunde constat,* tam in primis temporibus, quam in aliis recentioribus.

Atqui *hoc arguit auxilium Dei extraordinarium, miraculum morale,* quod nequit a Deo praestari in favorem falsae doctrinae.

Ergo martyrium tot christianorum probat originem divinam revelationis christianae.

Prob. maior. A) Factum martyrii multorum abunde constat 16; in primis durantibus persecutionibus duodecim ab anno 64 (sub Nerone) ad annum 363 (sub luliano Apostata) 17.

a) *Martyrum fuit multitudo magna in omni provincia romani imperii;* etsi mathematice nequeat determinari 18.

In primis *libri sacri* praebent *indicia persecutionum diversarum,* praesertim ex parte iudaeorum: Act 6,8ss (de Stephano); 8,iss (persecutio magna in ecclesia lerosolymis); 12,2 (occisio Iacobi...); cf. 14,18; 21,30s. Item 1 Petr 4,i2ss (... communicantes Christi passionibus...); Apoc 20,4 (vidi... animas decollatorum propter testimonium Iesu...).

14 Explicite dicebatur in explicatione primi schematis Constitutionis de doctrina catholica adnot. ip, II: «in martyriorum modo ac multitudine», ut argumentum; CL 7,532 d.

15 Cf. R 11 144 243 279 285 516 640 1465; Tromp, *De revelatione6* 1.2 prop. 10 praenot. n.6s; Ottiger, 894-897.

16 Pro historia martyriorum in persecutionibus tam romana quam persica, donatistica et ariana, item tempore reformationis et revolutionis gallicae, et apud mahumetanos et schismaticos, atque in missionibus, cf. P.Allard, *Martyre:* D/\FC 3,342-492. Item Luis de Granada, *Introduction del simbolo de la fc* p.2 c. 19-23. Breviter *Martyre:* DTC 10,233-246; *Christenverfolgungen:* LTC 2,912-917.

De Actibus martyriorum, cf. Bollandistas, *Acta Sanctorum;* Th.Ruinart, *Acta primorum martyrum sincera et selecta...* (supra nota 10); J.Zameza, *La Roma pagana y el Cristianismo* (Roma 1941); D.Ruiz Bueno, *Actas de los mdrtires. Texto bilingue* (Madrid 1950·.

17 De his primaevis persecutionibus romanis, cf. P.Allard, *Histoire des persecutions4* 3 v. (Paris 1911-1924); eiusdem, *Le christianisme et l'empire romain de Néron* d *Théodoset0* (Paris 1925); praeter articulum eiusdem *Martyre:* DAFC 3,342-375· Item A.Ehrhard, *Die Kirche der Mdrtyrer* (München 1932) p.8-121.

18 Computum conatur facere L.Hertling, S.I., *Die Zahl der Mdrtyrer bis 313:* Greg 25 (1944) 103-129; dicit: adesse c. millia nomina nobis nota, et inquirendo pro ratione numeri ecclesiarum quae persecutionem passae sunt, numerus «verisimiliter est longe inferior numero 200.000»; non parum esset, si fuissent 100.000 (p.128). Obiectiones contra determinationes statisticas proponit E.de Moreau, S.I., *Le nombre des martyrs des persécutions romaines:* NouvRevTh 73 <IQ5») 812-832.

741. *Auctores gentiles* loquuntur de magno numero interfectorum. Tacitus, loquens de persecutione Neronis Romae, ait: «Igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum *multitudo ingens* haud proinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt» 19. Dio Cassius vero, referens de persecutione Domitiani, aiebat: «Eodem anno Domitianus cum alios multos, tum vero Flavium Clementem consulem, etsi is consobrinus eius erat ac Flaviam Domitillam, et ipsam Domitiani consanguineam, uxorem habebat, morte affecit, illato ambobus crimine impietatis in deos; *quo crimine et plures alii, qui ad mores iudaeorum aberraverant, damnati sunt. Quorum pars occisa est,* pars spoliata facultatibus»20. Et Plinius Minor anno c.m consulebat Traianum quid de christianis faceret «*maxime propter periclitantium numerum.* Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est...»21.

742. *Auctores ecclesiastici* extollunt clarius magnum numerum martyrum; quod, etsi oratorie interdum faciant, rem evidentissimam supponit. Ita Clemens Romanus loquitur de *magna electorum multitudine* quae aggregata est Petro et Paulo martyribus 22. Atque Irenaeus in idipsum convenit, simul universalitatem et exclusivitatem pro Ecclesia in martyriis commemorans: «... Ecclesia *omni in loco,* ob eam quam habet erga Deum dilectionem, *multitudinem martyrum in omni tempore* praemittit ad Patrem, reliquis autem omnibus non tantum non habentibus hanc rem ostendere apud se, sed nec quidem necessarium esse dicentibus tale martyrium» 2'. Ideo et Clemens Alexandrinus dicere poterat comparando martyres Christianos cum aliquibus fanaticis indis: «Nobis autem sunt *quotidie redundantes martyrum fontes,* qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, torquentur, et capite truncantur. Eos omnes legis metus, qui veluti paedagogus ad Christum deduxit, exercuit, ut pietatem vel per sanguinem ostenderent» 24.

743. Eusebius vero Caesariensis diversa refert de diversis persecutionibus...: inter quae haec habet de persecutione Diocletiani: Martyri Antimo, episcopo ecclesiae Nicomediensis, *adiuncta est ingens martyrum multitudo;* paulo post in Melitina, Armenia regione, et in Syria carceres comple-

19 *Annal.* 15,44: Kch 34.
20 *Hist. Roman.* 67,14: Kch *226.*
21 Epist. 1.10,96: Kch 30.
22 Epist. ad Cor f,6: R 11: Kch 11.
23 Adversus haereses 4,33.9: R 243.
24 Strom. 2,20: MG K.ioôo B.

bantur episcopis, presbyteris, diaconis, lectoribus atque exorcistis, adeo ut iis qui ob crimina condemnati fuerant, nullus iam locus superesset 25. Et cum tertium edictum Diocletiani datum fuerit, «vix *iam iniri numerus potest omnium qui deinceps in singulis provinciis passi sunt martyrium,* ac praesertim eorum qui per Africam et Mauretaniam, per Thebaidem et Aegyptum sunt interfecti...» 26. Atque de iis qui in Aegypto passi sunt (in persecutione Diocletiani): «Illic decem millia (μυρίοι τὸν ἀριθμόν) hominum cum mulieribus et liberis pro Servatoris nostri doctrina vitam temporalem aspernati varia mortis genera sustinuerunt...»27. «Verum omnem dicendi copiam superant cruciatus ac dolores quos *apud Thebaidem* martyres pertulerunt... Atque haec omnia non paucis diebus nec exiguo temporis spatio, sed *prolixo aliquot annorum curriculo continue perpetrata sunt: cum* nunc *deni, interdum viceni et amplius, nonnunquam cui triginta usque et sexaginta, quandoque et centeni viri simul et mulieres cum parvulis uno die interficerentur, variis ac per vices alternatis suppliciis addicti·) 28.* Atque «urbem *quondam Christianorum in Phrygia,* milites armati obsidione cinxerunt, iniectoque igne *totam una* cum *viris et mulieribus ac parvulis* Christum omnium Deum invocantibus concremarunt. Hanc scilicet ob causam, quod universi eius urbis incolae et curator ipse ac magistratus cum honoratis omnibus ac plebeiis, christianos se esse professi, sacrificare iubentibus nullo modo obtemperabant» 29.—Renovata vero persecutione postea, in urbe *Caesariensi in Palaestina,* «tota circum undique civitas visceribus et ossa constrata erat; adeo ut nihil unquam crudelius, nihil horribilius, vel iis ipsis qui antea nobis erant infesti, visum fuerit...» 30.

744. Nihil mirum si Theoderetus in sequentia profert verba: «... quis Diocletiani, et Maximiani, Maxentii, Maximini Liciniique contra Christianam pietatem furor fuerit, quis ignorat? Neque enim singulos isti binosve aut ternos e christianis impetebant, sed *plurimos gregatim, et millenos simul et decies millenos trucidabant.* Quibusdam etiam in urbibus plenas viris et feminis et pueris ecclesias incenderunt» 31.

Inscriptiones 32, martyrologia, verba quibus scriptores utuntur, in idem referunt: martyres innumeros fuisse

745. Atque martyres non in una tantum provincia erant, sed, ut ex praecedentibus elucet, in multis; immo de omnibus provinciis martyria Christianorum Patres praedicare poterant.

25 *Hist, eccles.* 8,6: Kch 448s.
26 *Hist, eccles.* 8,6: Kch 450.
27 *Hist. eccles.* 8,8: MG 20,757.
28 *Hist, eccles.* 8,9: Kch 451.
20 *Hist, eccles.* 8,11 : MG 20,767.
30 De *martyr. Palaest.* 9: MG 20.1496 A.
31 *Graecarum affect, curalio* 9: MG 83.1041 C.
32 Ita inventum *in Catacumbis:* «Marcella et Christi martyres CCCCCL [550]»; «CL [150] martyres Christi». Cf. P.Allard, *Rome souterraine* (Paris 1877) 2t6ss; Tanquerey 22, 218.
33 Quod et Prudentius eleganter cecinit: *'Innumeros cineres sanctorum* Romula in urbe— Vidimus, o Christi Valeriane sacer. — Incisos tumulis titulos, et singula quaeris — Nomina? difficile est ut replicare queam. — Tantos iustorum populos furor impius hausit —Cum coleret patrios Troia Roma deos. — Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur — Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod. — Sunt et muta tamen tacitas claudentia tumbas –- Marmora, quae solum significant numerum. — Quanta virum iaceant congestis corpora acervis — Nosse licet, quorum nomina nulla legas? — Sexaginta illic, defossas mole sub una, — Reliquias memini me didicisse hominum: — Quorum solus habet comperta vocabula Christus, — Utpote quos propriae iunxit amicitiae» *(Peristephanon* hymn.ii: ML 60,530-534). Recenter Prudentii hymnos ediderunt M.J.Bayo, *Himnos a los martires* (Madrid 1946) et J.Guilléni.Rodrîguez, Q.F.M., *Obras completas de Aurelio Prudencfo. Èdiciôn bilingue* (Madrid 1950).

Sic Irenaeus: «Ecclesia omni in loco...»34; Iustinus: «Neminem esse qui nos in *Iesum per totum orbem terrarum credentes* exterreat et in servitutem redigat, in promptu est. Dum enim gladio percutimur, dum crucifigimur, dum feris tradimur et vinculis et igni et omnibus aliis tormentis, a confessione, ut manifestum est, non discedimus...»35 36*Iuxta edictum autem quartum Diocletiani* «generali praecepto iubebatur ut *omnes ubique locorum ac gentium,* publice idolis sacrificia ac libationes offerrent» 3(5. Atque *«edicta Maximini* contra christianos *quoquoversus per singulas sunt missa provincias» 37.*

Ideo de persecutione tempore Diocletiani scribere potuit Lactantius; *«Vexabatur ergo universa terra* [Romanum scilicet imperium], et praeter Gallias, ab Oriente usque ad occasum tres acerbissimae bestiae saeviebant» 38. Atque S.Hilarius, loquendo de persecutionibus ob confessionem veritatis, ait: «Hinc enim sunt in *toto orbe terrarum* beata fidelium confessorum et sancta martyria. Hinc plures patrimoniis expoliati, exsiliis dispersi, vincti, caesi, usti, necati...» 39.

746. b) *Martyres erant omnis aetatis, sexus, conditionis 40.* Ad hoc comprobandum sufficiat legisse martyrologium; in eo omnis gradus, omnis conditio socialis, omnis aetas et sexus de martyribus legitur: erant nobiles et plebeii, docti et vulgares, pueri et'puellae, viri et mulieres, iuvenes et senes... Lactantius hanc rem consideraverat: «Latrones et robusti corporis viri eiusmodi lacerationes perferre non queunt, exclamant et gemitus edunt, vincuntur enim dolore, quia deest illis *inspirata patientia;* nostri autem, *ut de viris taceam, pueri et mulierculae* tortores suos taciti vincunt, et exprimere illis gemitum nec ignis potest... Ecce *sexus infirmus'et fragilis aetas* dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, quia licet vitare si velint, sed voluntate, quia confidunt Deo»41.

747. c) *Tormenta martyrum fuerunt saevissima, tam illa physica quam illa moralia* 42. Haec severitas dolorum ex supra dictis iam evincitur 43. Iam Tacitus de martyribus tempore Neronis ita proferebat: «Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, multi cru-

34 Vide integrum textum supra, n.742.
35 *Dialog, cum Tryphone* no: R 144·
36 Eusebius, *De martyr. Palacst.* 3,1 : Kch 468.
37 Eusebius, *Dc martyr. Palaest.* 9,2: Kch 469.
38 *De mori, persecui.* 16: ML 7.217· φ
39 *In Ps 118,* 18.9: ML 9.624.
40 Cf. P.Allard, *Dix leçons sur le marlire,* leç.5.
41 *Div. Instit.* 5,13: R 640.
42 De tormentis martyrum H.Leclerq, *Martyr* § X1II-XXIX: DACL 10,2387-2430. Item cum appendice illustrationum. D.Galonïo, *Libro de los tormentos de los mdrtires,* in versione hispana opcris Th.Ruinart. *Las actas verdaderas de los mdrtircs* (Madrid 1844) t.3 p. 179-447·
43 Cf. n.74iss; dc Iustino: R 144·

cibus affixi aut flamma usti, aliique, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens»44. De saevitia persecutionis Diocletiani in Thebaide ita Eusebius: «Omnem dicendi copiam superant cruciatus ac dolores quos apud Thebaidem martyres pertulerunt, acutis testis vice ungularum adhibitis toto corpore ad mortem usque lacerati. Mulieres vero altero pede religatae sublimes capite deorsum vergente, machinis quibusdam in altum sublatae, nudisque ac prorsus intectis corporibus, foedissimum simul atque inhumanissimum spectaculum cunctis intuentibus praebuerunt. Alii rursus ad arbores et ramos alligati interiere. Nam cum robustissimos ramos inflexos machinamentis quibusdam in unum coire fecissent, martyrum cruribus utrimque ad eos religatis, ramos in proprium et naturalem situm reverti sinebant, ut membra eorum adversus quos haec excogitaverant, uno simul impetu discerperentur... Nos quoque, cum in illis partibus degeremus, quam plurimus acervatim uno die, alios quidem capite truncatos, alios vero flammis traditos vidimus, adeo ut gladii ipsi hebetarentur, et caedere amplius non valentes frangerentur ipsique carnifices viribus fatiscentes, sibi invicem succederent...»45.*

748. Inter has aliasque innumeras crudelitates memoranda est *diuturna saepe duratio tormentorum* et mors tarda. Ut Lactantius de Donato ait, «Novies enim tormentis cruciatibusque variis subiectus, novies adversariorum gloriosa confessione vicisti. Novem praeliis zabulum cum satellitibus suis debellasti; novem victoriis saeculum cum suis terroribus triumphasti...»48.

749. Adde saepe magis dolorosa *tormenta moralia.* Damnando, ut ait Tertullianus, *ad lenonem potius quam ad leonem47.*—Et aspectus et preces et lacrymae cognatorum; de quo S.Augustinus pulchre: «... quid eis [martyribus] fecerunt tentationes saevientium? Maiorem violentiam habuerunt oculi flentium suorum, quam persecutiones insectantium. Quam multos enim tenebant filii ne paterentur! quam multorum genibus provolvebantur uxores, ne viduae relinquerentur! quam multos parentes filii prohibebant mori, sicut novimus et legimus in passione beatae Perpetuae! Facta sunt ista. Sed lacrymae quantaelibet et quantolibet impetu fluerent, quando ardorem caritatis exstinguerent?...»48.

750. d) *Martyres sublime fortitudine ac constantia patiebantur* ideoque magna voluntarietate. Dicebat enim id modo Lactantius (supra n.746), ubi nota illos tam horribilia pati «non necessitate, quia licet vitare si velint, sed voluntate, quia confidunt Deo».

Atque expressius de martyribus in Thebaide sub Diocletiano, Eusebius refert, postquam tormenta descripsit (ubi supra, n.747): «Quo quidem tempore mirabilem in primis animi ardorem, vereque divinam virtutem et alacritatem eorum qui in Christum Dei crediderant, oculis nostris conspeximus. Etenim vixdum adversus primos lata erat sententia, cum alii aliunde ad tribunal iudicis prosilierunt, christianos sese confessi. Et pericula quidem

Annal. 15,44: Kch 34.
"s *Hist, axles.* 8,9: Kch 451s.
4« *De mort, persccut.* 16: ML 7,218.
«7 Apolog. 50: R 285.
«« In *Ps* 47, 13: ML 36,541. Similiter S.Hilarius, *In* Ps *118,* 15,3: ML 9,600.

cunctaque multiformium tormentorum genera parvi ducebant: supremi vero omnium Numinis cultum libera voce absque ullo metu profitebantur; et cum gaudio atque hilaritate, ridentes capitalem sententiam excipiebant: adeo ut in laudem conditoris omnium Dei psalmos hymnosque et gratiarum actiones ad extremum usque spiritum concinerent»49.*

751. Exempla multiplicari possunt. Sic in *passione sanctorum Scilitanorum* (anno 180) iuxta Acta proconsularia, post damnationem Sperati et aliorum, *universi dixerunt: Deo gratias so.* Eadem fortitudo et voluntarietas in *martyrio Carpi, Papyli, Agathonices* sub Marco Aurelio vel sub Decio 51. Similiter *S.Cyprianus,* post sententiam: *Cyprianus episcopus dixit: Deo gratias 52.* Deliberate quoque *Marinus centurio* sub Gallieno malens eligere codicem evangeliorum quam gladium militarem, martyrio coronatus 53. Atque *S.Laurentius* «cum videret Xystum episcopum suum ad martyrium duci, flere coepit, non passionem illius, sed suam remansionem. Itaque his verbis appellare coepit: Quo progrederis sine filio, pater; quo, sacerdos sancte, sine diacono properas tuo? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras; quid in me ergo displicuit, pater? Num degenerem probasti? Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris...» Atque Xystus: «Non ego te, fili, relinquo ac desero; sed maiora tibi debentur certamina. Nos quasi senes levioris pugnae cursum recipimus; te quasi iuvenem manet gloriosior de tyranno triumphus...» Et Laurentius «post triduum, cum, illuso tyranno, impositus super craticulam exureretur: Assum est, inquit, *versa et manduca.* Ita animi virtute vincebat ignis naturam» H

752. e) *Haec omnia patiebantur martyres propter fidem, in testimonium illius 55.* Iam id de tempore persecutionis Neronis indicat Suetonius: afflictos suppliciis christianos, *genus hominum superstitionis novae ac maleficae56.* Atque Plinius Minor non damnabat eos «qui negabant esse se christianos aut fuisse, cum praeeunte me deos appellarent et imagini tuae [Traiani imperatoris] ... ture ac vino supplicarent, praeterea male dicerent Christo...»57; quod Traianus respondens Plinio confirmat: «ut qui negaverit se christianum esse idque re ipsa manifestum fecerit, id est supplicando dis nostris, quamvis suspectus in praeteritum, veniam ex paenitentia impetret»58. Eadem causa fidei christianae apparet in supra memoratis *Actis passionis martyrum Scilitanorum, et Carpi, Papyli, Agathonices,* et aliorum59. Idque erat in conscientia tam Christianorum quam gentilium. Ideo et Iustinus scribere potuit: «dum feris tradi-

4' Hist, *eccles.* 8.9: Kch 452. Cf. *ibid.* 8,6: Kch 448.
'O Kch 71-76.
51 *Acta proconsularia:* Kch 78-90.
52 *Acta proconsularia* 4: Kch 304. De confessione S.Cypriani, *ibid.:* Kch 301-306.
53 Eusebius, *Hist, eccles.* 7,15: Kch 442.
54 S.Ambrosius, *De officiis ministrorum* 1,41,204-206: ML 16,84-86. Alia de hac fortitudine et voluntarietate martyrum apud Ottiger, 884-886.
55 Uberius de hoc puncto Wilmers per integram propositionem 113 p.540-547.
56 *Vita Neronis* 16,2: Kch 40.
57 *Epist.* 1.10,96: Kch 29.
58 *Ibid.,* 97: Kch 31.
59 Cf. Kch 71-76.78-90...

mur et vinculis et igni et omnibus aliis tormentis, *a confessione, ut manifestum est, non discedimus» 60.*

Tertullianus vero ita compendio rem comprehendit: «Deos, inquitis, non colitis, et pro imperatoribus sacrificia non impenditis... Itaque sacrilegii et maiestatis rei convenimur. *Summa haec causa, imo tota* est...»61.

753· Quapropter, etsi *formulae iuridicae damnationis* fuissent sacrilegium ipsis impositum, vel magia, vel crimen laesae maiestatis, vel impietatis...; atque, etsi *alia motiva remota* fuissent interdum politicae rationes, avaritia (v.gr. in martyrio Sti.Laurentii) odium religionis christianae...: martyres moriebantur re vera *propter fidem et testimonium illius.*

754. B) Palmae martyrum numquam defuerunt in Ecclesia; nec tantum primis tribus saeculis rubescit Ecclesia sanguine eorum decorata. Memorentur hic celebriores persecutiones posteriores et martyria numerosiora: ante medium saeculum IV in Perside sub Sapore II, saeculo V in Africa persecutio vandalorum; sequentibus saeculis propter irruptionem barbarorum multi martyres in Europa; in Hispania multi propter mahumetanos invadentes et occupantes atque etiam saeculo XVI in rebellione ad Alpujarras; pseudoreformationis tempore martyres numerosi in Anglia, in Germania, in Gallia, in Hibernia...; propter dilatationem evangelii martyres constantes in laponia, in India, in Sinis, in America...; tempore revolutionis saeculi XVIII iterum martyres in Gallia; saeculo XIX iterum martyria multa eaque conspicua in missionibus assiaticis... Nostris quoque temporibus martyres in Russia, in Mexico, in Hispania, in Sinis... iique sat multi, quorum computum difficile faciemus... 62 Quin et etiam recentissimi canonizantur, ut Maria Goretti: *Sicut et lilia virginum numquam Ecclesiae, defuere, ita et rosae martyrum atque palmae.*

755. Prob. minor. Atqui haec facta omnia arguunt auxilium Dei extraordinarium. Haec enim complexive sumpta evidenter et aperte nequeunt tribui:

1) *naturae in se consideratae* quasi capaci tantae fortitudinis; quia sponte refugit tormenta et imaginem eorum; praesertim si quis mere passive in iis se habere debet: «sustinere est difficilius quam aggredi» (S.Thomas) 63. Aliqui tamen, pauci,

60 Dialog, cam Tryphone no: R 144; supra n.745.

61 Apolog. 10: ML 1,380s.

62 De martyribus post persecutiones romanas, vide Allard, *Martyre:* DAFC 3»375-492. De martyribus ad Alpujarras, F.A.Hrros, *Mdrtires de la Alpujarra en la rebeliôn de los moriscos* (Madrid 1935). De confessoribus fidei in laponia saeculo transacto (a.1868-1874) inter primos christianos, vide A.Villion, *Cincuenta anos por el Japdn* edit, hispana (Madrid) c.5-10 p.35-88 (erant c.4.000 christiani, qui exsulare cogebantur).

2.2 q.123 a.6 c et ad 1.

tamquam *exceptiones regulae generalis,* virtute naturali possunt pro peculiari eorum «ideali», sive persuasione subiectiva, mortem oppetere; sed res huiusmodi *rarae* habentur et *raro fiunt* et heroicae celebrantur, tamquam superantes communem modum agendi: sic v.gr. omnes habent ut heroicos actus Mucii Scaevolae et Reguli, qui aliqua pro «ideali» patriae passi sunt Ergo actus huiusmodi debentur naturae non soli, sed *cum magno ideali,* quod communius in magna multitudine non datur naturaliter; martyres vero erant innumeri.

756. 2) Neque debentur *naturae internis passionibus excitatae*

a) *superbiae Stoicae,* contemnentis despective dolores, volendo sic fatum superare aut adversarium humiliare: martyres enim cum mansuetudine et humilitate patiebantur. Nec talis superbia stoica potest esse multorum, sed est paucorum philosophorum vel aliquorum militia praesertim et duritie educatorum: christiani vero erant senes, pueri, puellae, mulieres..., ex omni denique conditione.

b) *Neque excitabantur martyres passionibus pertinaciae aut fanatismi:* etenim ex actis constat eorum serenitas et prudentia in respondendo; minime ex violentia, arrogantia et imprudentia fanaticorum... adeo ut huiusmodi Acta ab ipsis gentilibus interdum fuerint destructa, ne ipsi, ex martyrum mira serenitate et prudentia in respondendo, devicti apparerent[64]. Praeterea talis fanatismus in tot hominibus non esset possibilis. Neque martyres, ut inducit pertinacia, vi vim repellebant, sed amore heroico et mansueto inimicos amplectebantur[65][66][67].

c) *Neque passionibus temeritatis imprudentis sive intimiditatis[61],* seu propter vacuitatem iusti timoris; neque propter audaciam sive excessum in audendo 6»: saepe enim illi *voluntarii* non sunt adepti coronam; multi vero alii fugam arripuerunt vel latebant[69]; et saepe decreta episcoporum prohibuerunt quominus christiani ultro se gentibus offerrent[70].

64 Caius Mucius Scaevola in bello adversus Porsenam, ingressus partes inimici, voluit occidere Porsenam; sed, manifestus, combussit manum in igne *(en un brasero).—Marcus Atilius Regulus,* dux Romanus, a Carthaginensibus captus, missus fuit Romam ad pacem exquirendam, sub conditione redeundi in custodiam. Ille vero non pacem, sed bellum continuandum suasit Romanis, seseque iterum in custodiam Carthaginensium constituit, qui eum tormentis affecerunt.

65 Cf. Ruinart, *Acta martyrum* praefat. c.i n.4; Müller, n.20.

66 Cf. v.gr. Eusebius, *De martyr. Palaest.* 8: MG 20,1489 B.

67 S.Th., *2.2* q.126.

68 S.Th., 2.2 q.127.

69 De voluntariis, cf. *Martyrium Polycarpi* 4: Funk, *Patres apostolici* i2,3i8. De fuga in persecutionibus, cf. S.Athanasius, *Apologia de fuga sua* 17.22: MG 25,665.673.

70 Cf. S.Cyprianus, *Epist.* 81: Kch 300.4· Cf. etiam Kch 301,10. Concilium Iliberitanum (anno 300) cn.60, ita habet: «Si quis idola fregerit et ibidem fuerit occisus... placuit in numerum eum non recipi martyrum» (Kch 342).

d) *Nequc id faciebant martyres propter brutam stoliditatem:* multi enim erant sapientes, omnes vero sapienter et sobrie respondebant.

757. 3) Neque haec omnia tribui possunt *naturae extrinsects motivis commotae:*

a) *lucri temporalis:* evidenter non erat;

b) *studii gloriae:* multi ignoti et acervatim moriebantur 71, alii pueri vel senes; omnes vere probi ostendebantur nec vani, sed de se diffidendo, in Deo unice confidebant eumque sincere requirebant.

c) Motiva *spei aeternitatis beatae in Deo, et obligationis adimplendae propter caritatem Dei,* haec certe aderant. At erant cum extraordinaria et supernatulari illustratione atque confortatione. Nam spectata communi fragilitate haec motiva vim non exserunt sine auxilio supernatural!; natura enim non multum commovetur bonis insensibilibus—aut futuris—; multi ne ordinarias quidem tentationes et difficultates ita superant.

758. Ergo martyrium tot Christianorum arguit auxilium extraordinarium et supematurale 72(*miraculum morale,* a Deo praestitum in confirmationem revelationis christianae73.

759. Probatur 2.0 Martyrium ut testimonium magnae multitudinis. Testimonium tantae — et tam diversae — multitudinis, — virorum etiam prudentissimorum, — serene praestitum — in facie tormentorum — et mortis crudelissimae, — indicat firmissimam persuasionem veritatis doctrinae christianae—; neque ullum factum historicum est, aut ulla doctrina, de quibus tot millia hominum testati fuerint.

Atqui ratio sufficiens huius persuasionis et huius attestationis nequit esse in ignorantia, in praecipitatione, in pertinacia, in fanatismo...; sed tantum in obiectiva veritate motivorum quae illam multitudinem alliciebant in facie mortis. Nisi dicas

71 Sic illi confessores qui, per litteras aut in familiari colloquio *martyres* compellati, «obiurgabant graviter atque increpabant. Martyris enim appellationem libentissime concedebant Christo, utpote fido veroque testi, et primogenito mortuorum, vitaeque caelestis principi et auctori. Eos quoque, qui iam ex hac vita migraverant martyres, nobis commemorabant aiebantque: Hi iam sunt martyres, quos in ipsa confessione Christus assumi voluit, professionem ipsorum morte tamquam annulo obsignans; nos *vero viles atque obtecti confessores.* Simul pro? fusis lacrymis obsecrabant fratres, ut continue ad Deum preces fierent, quo tandem ipsi perfectum finem adipisci mererentur... Ipsam vero martyrum appellationem a fratribus sibi oblatam, utpote timore Dei constricti, refugiebant». Apud Eusebius, *Hist, eccles.* 5,2: MG 20, 433-436.

72 Martyres non raro habuerunt hanc persuasionem de auxilio divino extraordinario pro tormentis sufferendis, ut *S.Polycarpus;* et S.Felicitas: «alius erit in me qui patietur pro me»; aliique. Cf. Ottiger, p.8938.

73 Alia miracula, patrata inter tormenta martyrum, sunt etiam *alia argumenta* in favorem rei pro qua dabant testimonium.

oriri ex auxilio supernatural! Dei, quod nequit dari pro falso. Ergo martyrium tot martyrum est validissimum testimonium veritatis christianae.

760. Pulchre ad rem *S.Hieronvmus:* «Triumphus Dei est passio martyrum; et pro Christi nomine cruoris effusio, et inter tormenta laetitia. Cum enim quis viderit tanta perseverantia stare martyres, atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriari, odor notitiae Dei disseminatur in gentes, et subit *tacita cogitatio quod, nisi verum esset Evangelium, numquam sanguine defenderetur.* Neque enim delicata et divitiis studens ac secura confessio est; sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in-nuditate et siti. Hic triumphus est Dei Apostolorumque victoria» 74.

761. Obiectiones. 1. Multi pro patria vel pro errore fortiter pugnant et moriuntur. Ergo...

Dist. *antec.* Multi pugnant *active,* non passive, et pugnant qualicumque modo, scilicet saepe ira furiati, et coactione mutua, et ad fugiendas poenas acerbissimas vel ignominiam, quae esset in fuga, vel propter spem praemii temporalis, nec se obiciendo morti certae, *conc.;* multi etiam hoc faciunt *heroice, nego* (neque enim tunc actus essent heroici, qui supponuntur semper extraordinarii).

Martyres vero erant *multi* — et *passive* — et vere *libere — et sine spe praemii temporalis* — et sine *coactione* patiebantur. Relate autem ad actus heroicos aliquorum virorum, hi heroes rari sunt, et generatim obdurati in labore vel in resistendo: martyres vero multi fuerunt, et multi eorum delicati, ut senes, mulieres, puellae...

2. Martyres aliquando increpabant indices. Ergo non patienter tormenta ferebant.

Dist. *antec.* Increpabant et reprehendebant iudices propter tormenta quae ipsi patiebantur aut pati debebant, *nego* (sed contra, Cyprianus aliique «Deo gratias» respondebant; cf. n.751); increpabant interdum iudices ob immanitatem erga alios, v.gr. sanctas virgines et senes, *conc.;* sed tunc id est *opus virtutis* 75 77

3. In regionibus paganis, in India, erant viduae quae sibi post mortem mariti mortem inferebant per ignem; vel etiam erant et recenter fuerunt nobiles qui post mortem imperatoris mortem voluntariam oppetebant; vel sacerdotes sese vulnerantes in honorem numinum (cf. 3 Reg 18,28).

Resp. Adverte *infamiam* quae ex pravis et insanis opinionibus pro hisce victimis fuisset; vel *laudem* quam, humanam, persequebantur; et *coactionem* popularis vulgi pro his rebus barbaris et irrationalibus. Denique tales homines *nec tot* sunt *nec ex* omni *conditione nec diuturnis tormentis* torquebantur, sicut martyres christiani 76.

4. Spes vitae immortalis, etiam mere existimatae,' explicat naturaliter illam fortitudinem martyrum; sic apud Mahumetanos, qui in bello fortiter occumbunt; sic apud Hebraeos, qui ex verbis Taciti, «animos praelio aut suppliciis peremptorum aeternos putant; hinc generandi amor et moriendi contemptus» 77.

Resp. Sola spes naturalis non dat sustinentiam et fortitudinem, *qualem* vidimus in veris martyribus. Quod attinet ad Mahumetanos, adverte illos

74 Epist. 120: ML 22,:oo2.

75 Cf. v.gr. Eusebius referens de martyre Aedesio, *Liber dc martyr. Palaest.* 5: MG 20, 1480.

74 Cf. de his viduis et sacerdotibus Ottiger, 890-893; Wilmers, n.SS7·

77 Hist. 5,5.

non passive, sed aggressive et impetu passionali se habere in bello; unde discrimen cum martyribus. Quod vero de Hebraeis dicitur, si res per errorem historiographi ad Christianos alludit, qui vere patienter occubuerunt, acceptari potest eos motos esse ex spe, sed *supernatural!;* ceteri autem vel non ita patienter sunt occisi, vel una cum spe aliud etiam naturale illos movebat ad sufferentiam.

5. Iuxta Dodwell martyrium Christianorum explicatur naturaliter: *a)* ex indole obstinata galilaeorum quae transiit ad primaevos christianos; *b)* ex austera disciplina christianismi primitivi qua exercebantur christiani; *c)* ex desiderio gloriae; *d)* ex spe futurae gloriae [78].

Resp. a) Martyres non tantum fuerunt galilaei; et ridiculum est cogitare illam indolem transiisse ad tot alios tam diversarum gentium, *b)* Disciplina et abstinentia primitiva, austera, character certe roborabatur; sed multi christiani paucis diebus post susceptionem fidei, testimonium statim dare debebant; neque inde explicaretur cur *tot* christiani tam egregium characterem sibi efformaverint. *c)* Desiderium gloriae apud plures certissime non erat. *d)* Spes gloriae aderat, sed naturaliter non confortat adeo firmiter, sicut apud martyres.

6. Etiam martyres christiani fuerunt fanatici, ut illi qui, durante persecutione Diocletiani, «divina quadam alacritate quae verbis explicari non potest, conciti viri simul ac mulieres, in ardentem rogum insiliisse dicuntur»[79][80] vel etiam illae virgines quae ad vitandam iniuriam «compositis honeste ac decenter vestibus, in praefluentem se fluvium coniecerunt»; et aliae [*].

Dist. antec. Veri martyres ita fecerunt stulte, sicut v.gr. donatistae qui, post peractam confessionem, sibi mortem inferebant, *nego;* fecerunt ob motivum virtutis, ex divina inspiratione, *conc. 81.*

7. Etiam Tribunal inquisitionis fecit martyres haereticos. Ergo...

Dist. *antec.* Fecit illos martyres propter odium fidei et gratis ac sine causa, *nego;* decrevit illos occidendos ob crimen, quod causa erat perturbationis in natione et in ecclesia, *subdist. :* et illi patiebantur ordinarie quiete et inspirata patientia, *nego;* patiebantur phrenetice, conc.

8. Judaei etiam occisi sunt a Christianis propter odium fidei.

Resp. Occisi sunt multo minore numero quam christiani; nec omnes patiebantur inspirata patientia, sed multi se ipsi occiderunt; neque occisi sunt propter odium fidei, sed propter avaritiam eorum, saltem existimatam, et propter odium *generis* [82].

9. Haeretici suos quoque habuerunt martyres.

Resp. 1) Non multos, ut Irenaeus ait: «Ecclesia... multitudinem martyrum in omni tempore praemittit ad Patrem, reliquis autem omnibus non tantum non habentibus hanc rem ostendere apud se, sed nec quidem necessarium esse dicentibus tale martyrium»[83].

2) Habuerunt *aliquos* quasi actus heroicos particulares, transeat, etenim saepe signa non mansuetudinis, sed fanatismi et superbiae visa sunt; vel, si bona fide erant tales protestantes, ut qui in Uganda a. 1885-1886 esse videbantur, tunc concedi potest eos verum martyrium subiisse, non qua protestantes, sed qua *christianos.*

78 Cf. Müller, n.36.
79 Eusebius, *Hist, eccles.* 8,6: Kch 448.
80 Eusebius, *Hist, eccles.* 8,12: MG 20,769-772.
81 Cf. S.Augustinus, qui de his nihil temere audet indicare... : 'Quid si enim hoc fecerunt, non humanitus deceptae, sed divinitus iussae?» *(De civitate Dei* 1,26: ML 41.39).
82 Cf. P.Browe, S.I., *Die Judenbekampfung* im *Mittelalter:* ZkathTh 62 (1938) 197-231. 349-384.
83 *Adversus haereses* 4.33,9; R 243; supra n.742.

10. Ergo de facto haeretici, sicut etiam schismatici, habent suos martyres.

Resp. iterum. Haeretici *formales* sunt martyres, *nego,* siquidem mala fide renuentes auctoritatem Dei et authenticum magisterium Ecclesiae, nequeunt dare testimonium pro fide. Haeretici vero materiales, *subdist.: pro re* particulari, *conc.;* pro sua secta, *nego.*

11. Ergo possunt dari haeretici et schismatici martyres.

Resp. *iterum:* reduplicative ut tales, *nego;* specificative, *conc.* (cf. supra 0.734);

12. Haeretici possunt habere veros martyres etiam pro suis specificis erroribus. *Prob.:* Si haeretici bona fide versantur in suis erroribus, Deus debet dare illis gratiam ad mortem subeundam pro testimonio suae specificae fidei, quia necessario debent sequi conscientiam invincibiliter erroneam.

Resp. Repugnat providentiae divinae ut *confortet pro errore;* tota autem Ecclesia et martyres ex hoc auxilio divino arguebant pro veritate fidei catholicae; Atque etiam dato, non concesso, si qui essent tales haeretici confortati divinitus pro morte subeunda, certe non multi essent, ne homines inducerentur in errorem. In tali eorum professione fidei Deus potius daret ipsis gratiam illustrationis ut veram fidem agnoscerent.

13. Iuxta Originem non multi fuerunt martyres christiani: «[Deus] opportunis temporibus compescuit eos qui in christianos insurgerent et eos interficere in animo haberent. Ut enim alii in memoriam revocarent et videndis paucis pro pietate certantibus firmiores fierent mortemque spernerent, *pauci per intervalla temporum etfacile numerabiles pro christiana religione mortem obierunt.* Sed eorum gentem prorsus exstingui nunquam permisit Deus...» M.

Resp. Origenes scribebat anno 248 ante ferociores persecutiones; sed etiam illud *relative* dicit, sc. ad affirmandum christianos numquam exstinctos fuisse.

14. Sed absonum est credere Deum permittere tot cruciatus et persecutiones usque ad mortem, eorum praecise qui suam veritatem amplexati fuerint. Ergo martyrium tot Christianorum potius infirmat veritatem religionis christianae.

Dist. antec. Hoc est absonum *pro* iis *qui iudicant naturaliter, nec* percipiunt ea quae sunt Spiritus Dei (cf. 1 Cor 2,14), *conc.;* est absonum pro iis qui norunt spiritum Dei redimentis nos per crucem et per adimpletionem eorum quae desunt passionibus Christi, *nego.* Atque illud adverte: *sine persecutionibus deesset probatio patientiae,* nec micaret constantia martyrum velut gemma praetiosissima in diademate Ecclesiae.

15. Sed Christus promiserat: *Et capillus de capite vestro non peribit (Lc* 21,18).

Resp. Hisce verbis hortabatur ad fiduciam in divinam providentiam non obstantibus persecutionibus et morte, quas et praedixerat (cf. Lc 21,16; Mt 10,20-22...).

16. Contra testimonium eorum qui in facie mortis profitebantur fidem adest testimonium multorum qui deficiebant a fide.

Resp. 1) Sufficit ad probandam thesim testimonium *positivum multorum,* quod debet explicari, arguens interventum supernaturalem Dei.

2) Ii qui deficiebant a fide non dabant testimonium contrarium, quia minatione tormentorum sat normalis est defectio pro natura fragili sibi relicta; unde sinceritas testimonii tunc non est exspectanda. Atque etiam tunc multi, ducti paenitentia, revocabant suam apostasiam.

84 Contra Celsum 3,8: MG 11,929 C.

17. Ex sententia Patrum veritas theologica martyrii constat ex veritate fidei, pro qua quis moritur 85. Atqui nos volumus e converso probare veritatem fidei.

Dist. mai. Veritas *martyrii particularis* interdum innotescit ex consideratione veritatis pro qua quis moritur, *conc.;* veritas autem *martyrii ut facti sat universalis continuati* innotescit ex consideratione veritatis doctrinae christianae, *nego.* Nullus est circulus; independenter enim a cognitione veritatis doctrinae christianae recte arguimus ex solo facto martyrii tot Christianorum.

CONCLUSIO

762. Ad finem nostrae tractationis verba illa occurrunt praeclarissima Pontificis Pu IX *(Encyclica «Qui pluribus»): «... quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem et «omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex caelorum Domino accepisse» ,* ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius exstare, et quod firmioribus innitatur principiis... Quae certe omnia tanto divinae sapientiae ac potentiae fulgore undique collucent, ut cuiusque mens et cogitatio vel facile intelligat Christianam fidem Dei opus esse»* (D 1638).

Unde merito verbis Richardi a S.Victore uti possumus: *Domine, si error est, te ipso decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae nonnisi per te fieri possent* 1.

Quin et alia argumenta dabimus in favorem Ecclesiae catholicae, in tractatione Ecclesiae Christi magistrae et custodis divinae revelationis. *Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita* (D 1794); quare et illud merito valet: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* (Ps 92,5).

«Quae cum ita sint, *gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine* [Coi 1,12], tantam ne negligamus salutem, sed *aspicientes in auctorem fidei et consummatorem lesum* [Hebr 12,2] *teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem* [Hebr 10,23]» (D 1794); *parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quae in nobis est, spe* (cf. 1 Petr 3,15).

P5 Cf. supra, nota 7.

1 S.Chrysostomus, *Interpretatio in Isaiam prophetam* c.i : MG 56,14·

2 *De Trinitate 1,2* : ML 196,891.

APPENDIX

De historiographia lesu Nazareni

763. Tractatio *de lesu Legato* in suo complexu efficit historiam sive biographiam lesu Nazareni.

Liber iam qui huic tractationi proxime praecessit, liber scilicet *de fontibus historicis ad factum revelationis probandum,* est liber maximam partem de evangeliis pertractans, quae sunt *fontes praecipui historici ad vitam lesu conscribendam.* Sed et aliorum quoque fontium historicorum mentionem fecimus pro exsistentia et vita lesu historice stabiliendis, epistolarum nimirum Sancti Pauli aliorumque documentorum, sive iudaeorum (Flavii losephi praesertim) sive ethnicorum, quae ad lesum referri possunt atque aliquid ad eius notitiam praestare (th.25).

764. Ad vitam ipsam lesu quod attinet, *praefiguratam atque praenuntiatam illam invenimus* (factum unicum in vita cuiuslibet hominis) in serie copiosa vaticiniorum quae de Messia tractabant quaeque ad determinatam et singularem personam referenda esse demonstravimus (th.35).

Haec vero sunt *miracula in lesum* patrata, ad eius scilicet imaginem illuminandam eiusque vitae cursum designandum divinitus, sicuti et mira illa facta in *eius Annuntiatione et Nativitate (postea in eius publico baptismate et in eius morte)* habita, quae vitam illius a Deo prorsus commendabant (n.572).

Neque potuimus praetermittere quid Iesus diceret quidve praedicaret; ideo tractavimus *testimonium quod Iesus dedit de se ipse, tam de sua messianitate* (th.26-29), *quam de sua divinitate* (th.30). Atque, dum perstringebamus sensum quo ipse messianitatem intelligeret, necessario de opinionibus tunc de re apud populares et apud rabbinos et primates valentibus aliquid dicendum fuit: quo et *atmosphaeram socialem atque doctrinalem illius temporis ante oculos ponere oportuit* (n.406-414). Ceterum plenior cognitio atque expositio doctrinae lesu in tractatione de eius regno deque eius Ecclesia continebitur.

luvat etiam in biographiis perlegendis cognoscere *notas personales sive characterem* illius cuius vita conscribitur. Atqui nos

id conati sumus, dum Iesum nos non deceptorem, sed veracissimum et rectissimum, non deceptum sed sapientissimum summo aequilibrio atque intelligentem omni forma intelligentiae, non anormalem sed summe sanum agnovimus, simul atque sanctum sanctitate eximia (th.31).

765. Post hominem cognitum opera illius sunt aperienda. Nos, post expositam indolem personalem et cognitum characterem Iesu, opera illius consideravimus quae testimonium perhibent de eo, *miracula* scilicet (th.32) et *prophetias ab eo editas* (th.33); quae, cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis doctrinae Iesu atque testimonii eiusdem signa sunt certissima.

Inter opera autem Iesu atque signa est opus prae aliis operibus mirandum, prae aliis signis maxime signum, coronidis instar omnium signorum ab Eo datorum, omnium operum ab Eo factorum: *resurrectionem dicimus Iesu a mortuis,* quae chronologice ultimum signum, dignitate et prodigio cetera alia signa superat, quamque tractavimus ultimum et supremum miraculum a Iesu patratum (th.34).

Sic facile, ut apparet, tota disceptatio nostra de Iesu Legato consideratio fuit eius vitae eiusque historiae.

766. Neque vero hisce absolvitur consideratio Iesu. Homines enim pernoscuntur non tantum ex iis quae viventes fecere ipsi, sed ex aliis etiam quae mortuos ipsos secuta sunt, aut eorum intuitu sunt orta. Unde facile fit *gressus ad doctrinam Iesu in se ipsam considerandam,* prout praesertim in historica evolutione apparuit (th.36), *atque ad fructus sanctitatis, ope illius productos,* in mundo detegendos, fructus nimirum lucis atque virtutis (th.37).

Atque haec omnia *celerrime facta, studio incredibili atque ardore summo propagata mediis in difficultatibus,* aperte demonstrant motum religiosum validissimum inde a Iesu ortum atque in Eum refluentem, quae legationem atque personam illius iterum consignant (th.38).

Quin et *conservatio imperturbabilis talis motus religiosi* mediis in procellis, internis atque externis, quales historia ecclesiastica denuntiat, vim internam huius religionis a Christo et externam assistentiam divinam luculentissime confirmat (th.39).

767. Sed praesertim *martyrium multorum,* temporibus primaevis atque recentibus, non modo testificatur pro Iesu veri-

tatem suae doctrinae (th.40), sed etiam amabilitatem suae personae, quam innumeri ex omni genere, conditione atque aetate: pueri, iuvënes, senes, homines, mulieres, rudes, sapientes... usque ad sanguinis effusionem amaverunt: *vere ipse dilectus.*

768. Hisce tandem non clauditur consideratio operis a lesu inducti. Christus enim dilexit Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam, et se ipse tradidit pro ea, quam acquisivit sanguine suo. De qua ipse Caput, prout in sequentibus ostendetur; ut *ex consideratione Ecclesiae, Corporis Christi mystici, pleniore luce atque plenissima sui realitate Christus declaretur et cognoscatur.*

769. De «biographiis» lesu Nazareni. Catalogum generalem circa *«vitas» seu biographias* lesu texuerunt, inter alios, etsi incomplete, A.Michel x, R.Aigrain 1, L.Koesters, S.I. 3; F.M.Braun, O.P. 4; A.Schweitzer *5. Alios praetermittimus 6.

Sancti Patres vitam lesu exposuerunt dum commentarios edebant sanctis evangeliis. Neque *medio aevo* defuerunt explicationes exegeticae, catenae aureae, ad evangelia; item *Meditationes vitae Christi.* Ut vita complexiva lesu atque integra, non ut merum commentarium evangelicum, eminet tandem *saeculo XIV* celeberrimum opus Lodulphi a Saxonia (t 1377) Vita *lesu Christi*7, quod praesertim ad pietatem informat atque ad meditationem de mysteriis Christi.

770. Aliae quoque *vitae lesu* tum saeculo XV tum saeculis sequentibus editae sunt, quae scopum pariter habebant pietatis promovendae. Inter harum auctores mentionem meretur Petrus de Ribadeneira, S.I. (1527-1611), qui scripsit Vida *y misterios de Cristo Nuestro Serior* 8, ubi aspectus asceticus et devotus suavi unctione evolvitur pro concione sive meditatione. Atque memorandus venit F.de Ligny, S.I. (1709-1788) qui Avenione anno 1774 edebat *Histoire de la vie de Notre-Seigneur Jésus-Christ depuis son incarnation jusqu'à son ascension.*

771. Adversus impetus rationaiistarum (Reimarus, G.Paulus, Strauss, Renan...) non defuerunt aliqui catholici (atque protestantes), qui vitas lesu

1 In articulo *Jésus-Christ* in DTC 8,1408-1411.

2 *Quelques vies de Jésus* in encyclopaedia *Le Christ* (Bloud et Gay, Paris 1932) 11 *ig-r* 149.

3 *Christusbibliographic* in eius opère *L'nser Christusglaube* (Freiburg im Breisgau 1939) 332SS.

4 *L'Evangile devant les temps présents* (Paris 1938); versio hispana *El evangelia y los tiempos actuales* (Barcelona 1943) 153.

5 *Geschichte der Leben Jesu-Forschung** (Tubingen 1926); attigit usque ad annum 1912, a Reimarus usque ad Wredc.

6 Ut M.Gocuri.·. *Histoire des vies de Jésus* in opere *La vie de Jésus* (1932) 17-48; item G. Pfanmüller· in *Jesus* im *Urteil de Jahrhunderte* (1939) 363-442. sed parum liabet circa modernas biographias lesu scriptas a catholicis; J.G.H.Hoffmann, *Les vies de Jésus et le Jésus de l'Histoire* (Uppsala 1947) circa vitas gallice ab acatholicis conscriptas, a Renan usque ad Ch.Guignebert (Paris 1933).

7 Typis edita fuit ab anno 1474 et in diversas linguas versa.

8 Est extractum ex eius Flos *sanctorum;* quod quidem extractum ab anno 1878 saepe editum est; cf. SoMMERvocet.. Bibliothèque *de la Compagnie de Jésus* 6,1741.

concinnaverunt; sed motus catholicus ad conscribendas vere scientifice vitas Iesu oritur saeculo XIX, vere ut donum Dei, praesertim tamquam potens reactio in Gallia adversus opus a Renan.

Ernestus Renan (1823-1892), olim seminarista et hebraice eruditus, post itinera in Oriente edidit anno 1863 *Vitam Iesu,* ut primum volumen *Historiae de originibus Christianismi 9.* Hoc opus, stylo suavi scriptum, fuit opus litterarium, non scientificum, utpote insinuationibus et subiectivismo, item et imprecisionibus fundatum; non solida, obiectiva et profunda exegesi textuum et factorum elaboratum. Sed id habuit bonum, provocasse nimirum labores catholicorum, qui veram atque scientificam historiam de Iesu scripsere 10*

Inter alios L.Veuillot, M.Dupanloup, Pauvert, H.Wallon in Gallia scripserunt alias vitas Iesu; A.Capecelatro in Italia; H.J.Coleridge in Anglia; et P.Schegg, J.Grimm in Germania...

772. Sed initium optimarum biographiarum Iesu, in quibus simul spiritus scientificus et pius coniungebantur, factum est a C.Fouard (f 1903), qui anno 1880 edidit optimam vitam Iesu n, quae saepius in lucem est denuo edita. Et merito quidem, cum pulchre et sobrie in vero ambitu chronologico et geographico dicta et facta Iesu describat, reiectis ad notas criticis commentariis.

Paulo post, anno 1883, E-P. Le Camus edebat eruditam vitam Iesu, ubi minuta quaeque considerantur 12.

Vitae, quas Bougaud (1884) et Didon (1890) 13 scripserunt, accommodatae fuerunt ad eorum tempus eiusque gustum.

Anno 1922 apparebat Parisiis vita conscripta a L.Cl.Fillion (1843-1927), cuius multae editiones sunt factae atque versiones 14. Haec autem vita maiore abundantia atque modernitate quaestiones tractat prae antiquioribus *vitis* scriptis a Didon, Le Camus, Fouard, habetque finem exegeticum et apologeticum optime obtentum; ideo nondum veterascit, non obstantibus aliis *vitis* recentioribus eruditione plenis.

J.M.Lagrange, O.P., fecit compendium amplissimorum commentariorum suorum ad evangelia, et edidit anno 1928 quod voluit esse simpliciter *Evangelium Domini nostri* 15; in eo, servata peculiaritate singulorum evangeliorum, narrat simplici stylo ac penetranti vitam Domini.

9 *Vie de Jésus* in *Histoire des origines du Christianisme.*

10 Hinc dictum a *Bersot* circa opus renanianum: «Vous avez tué le sommeil»; et scripta quae talis vita provocavit, numerantur non minus quam 85.

H *La vie de Notre-Seigneur Jésus-Christ* 2 t. (Paris 1880); edit.21 (2 t.) (Paris 1911).

12 *La vie de N.S.Jésus-Christ* (Paris 1907). Versio hispana (Barcelona 1909).

i* *Jésus Christ* (Paris 1913).

1* *Vie de N.S.Jésus-Christ. Exposé historique, critique et apologétique 3* t. (Paris 1922). Versio hispana ex 9·* editione gallica a P.V.M.· de Larralnzar: *Vida de Nuestro Senor Jesucristo. Exposition histôrica, critica y apologetica3* 4 t. (Madrid 1942).

15 *Evangile de Jésus-Christ* (Paris 1928). Versio hispana a E.G.Fierro, O.P., *El Euangelio de N.S.Jesucristo* (Barcelona 1933).

Vita vero scripta a P.Iulio Lebreton, S.I. 16, coniungit novissima elementa historica cum relationibus evangelistarum, atque eminet in penetratione et expositione valorum tam moralium et dogmaticorum, quam stricte religiosorum, qui ex doctrina lesu eruuntur. Unde vere «spiritualis» vita Domini dici potest; atque in hoc sensu cum quarto evangelio analogia quadam donatur.

Ferdinandus Prat, S.I., optima eruditione et sobrio stylo, amandatis ad finem libri notis eruditioribus, loquitur ad publicum medium in re religioéa et ample collocat facta et dicta Domini in eorum medio historico et sociali 17.

F.M.Willam, noscens sane apparatum scientificum, non autem illum aperte depromens, conatus est ex studio terrae et consuetudinum actualium palaestinensium (quae non cito mutantur) vitam lesu in suo medio sociali psychologice penetrare 18.

Recentius apparuit in Italia a Giuseppe Ricciotti conscripta *Vita di Gesti Christo* anno 1941. Eminet in hoc pulchro atque copioso libro aspectus philologicus in consideratione exegetica narrationum de vita lesu, quae sereno et simplici stylo evolvitur; omniaque illustrantur pulchris et abundantibus imaginibus quae loca sub oculos collocant; nec desunt *introductiones vere* utiles circa tempus historicum, fontes, etc... 19.

M.-A. Almazân, cognitis et prae oculis habitis recentissimis inventis et disputationibus, quae tamen non explicite memorat, sobrie sane et dense imaginem Domini apte pro excultis digessit 20.

In vita recenter scripta ab A.Fernândez Truyols, S.I., eminet cognitio topographica locorum palaestinensium, una simul cum accurata crisi rerum quae narrantur, stylo plano necnon et spirituali consideratione condito 21.

773. Inter *vitas populares et* simplices, ad captum praesertim vulgi, non omissa tamen scientifica methodo interna, recenseri possunt illae quas scripserunt P.Berthe 22, R.Vilarino, S.I. 23, vere solidam et devotione sua-

16 *La vie et l'enseignement de Notre-Seigneur Jésus-Christ* (Paris 1931; 195119). Versio hispana a F.Ccreceda, S.I., *La vida y doctrina de Jesucristo N.Senor** (Madrid 1952).

17 *Jésus Christ. Sa vie, sa doctrine, son oeuvre4 2 v.* (Paris 1933). Versio hispana2, aS.Abascal (México 1948;.

18 *Das Lebenjesu im Lande und Volke Israel3* (Freiburg 1949). Versio hispana a J.Sola, S.I., *Vida de Jesûs en el pais y pueblo de Israël2* (Madrid 1940).

19 Versio hispana a J.G.dc Suances, *Vida de Jesucristo con introduction critica e ilustraciones* (Barcelona 1944).

20 *Jesûs de Nazaret* (Barcelona 1946).

21 *Vida de Nuestro Senor Jesucristo2* (Madrid 1954).—Editio popularis: Barcelona 1950.

22 *Jesucristo, su vida, su pasion, su triunjb.* Versio ab A.Vargas (Buenos Aires 1943).

23 *Vida de N.Sc äot Jesucristo12* (Bilbao 1951).

vem, M.Meschler, S.I. 24; G.Papini 25, lyrismo et exaltatione plenam, C.M.Abad, S.I.26; J.Pickl 27, N.M. Bun., S.I.28; J.Pérez de Urbel, O.S.B 29; I.Iulius MartInez, S.I. 30; L.Cristiani 31, I.Beaufays 32; J.Alzin 33; R.Housse, C.SS.R. 34; in lingua lusitana Plinius Salgado pulchre pro hominibus praesertim excultis expressam 35; germanice A.Riedmann 36.

774. *Apologetice* potissimum adversus rationalistas et modernistas scripsit M.Lepin, et tandem vitam Domini37.

L.de Grandmaison, S.I. (1868-1927) edebat anno 1914 articulum Jésus-Christ in *Dictionnaire apologétique de la foi catholique;* et eadem intentione apologetica pristinum articulum in opus magnum evolvit eruditione amplissima et optima methodo atque technica vere scientifica38; ita adversarios subtiliter devincens, ut non minus eos comitate et caritate suaviter devinciat.

Item apologetice H.Felder, O.F.M.Cap. 39; L.Koesters, S.I. 40; J.Leal, S.I.41; E.Guerrero, S.I.42; M.TrullAs, S.I.43.

775. Sed et *oratorie* simul vitam Iesu tractaverunt P.Leroy, S.I.44; Alphonsus Torres, S.I.45; H.Pinard de la Boullaye, S.I.46...

Valores asceticos potius evolventes, egerunt de re, praeter alios, M.Meschler, S.I.47; A.Goodier, S.I.48; Tihamér Tôth 49...

Theologice potius inhexhaustam rem tractaverunt, inter alios, J.M.Bo-

24 Der gottliche Heiland. Ein Lebensbild der studierenden Jugend gewidmet6 (Freiburg i.B. 1922). Versio hispana2 a V.Gômez-Bravo, S.I. (Friburgo 1928).

23 Storia di Cristo (1921). Versio hispana. *Historia de Cristo12* (Madrid 1952).

26 Vida de N.S.Jesucristo5 (Santander 1953).

27 Der Messiaskdnig Jesus in der AuHassung seiner Zeitgenossen (München 1935).

28 Vida popular y apologética de N.S.Jesucristo (Montevideo 1939)·

29 Vida de Cristo2 (Madrid 1945).

30 *El drama de Jesûs.* Editiones plures succedunt: opus vere aptum ad infimum populum: edit.9.B (Bilbao 1955)·

31 Versio hispana ex 4.· edit, gallica a J.Goenaga, S.I., *Jesucristo, Hijo de Dios, Salvador* (Bilbao 1944).

32 Vida de Jesucristo. El hombre-Dios en su marco palestiniano. Versio ex gallico aS.Eijân, O.F.M. (Madrid 1940).

33 Jésus-Christ (Bruges 1941)·

34 Cristo Jesûs. Su vida segûn los documentes mds modernos (Santiago de Chile 1943)·

33 Vida de Jesûs. Edit. Atica (Portugal) 1943· Versio hispana a J.L.Vâzquez Dodero, *Vida de Jesûs* (Madrid-Câdiz 1946).

39 \Vie Jesus lebte, Utt und starb (Freiburg 1953)·

37 Jésus Christ, sa vie et son oeuvre3 (Paris 1912).

38 Jésus Christ. Sa personne, son message, ses preuves 2 v. (Paris 1928): cuius operis, postea a P.Huby, factum est compendium, polemica modernistica amandata. Versio hispana prioris operis a J.Sendra, *Jesucristo. Su persona, su mensaje, sus pruebas* (Barcelona 1932).

39 Jesus uon *Nazareth. Ein Christusbuch2* (Paderborn 1939). Versio hispana a P.de Irâizoz,.O.F.M.Cap., *Jesûs de Nazaret* (Buenos Aires 1949).

40 Unser Christusglaube (Freiburg im Breisgau 1939).

41 Jesucristo Dios-Hombre 2 t. (Granada 1942); 2.* editio: *Jesucristo y nuestra fe* en El (Granada 1949)·

42 Jesucristo la mejor prueba de la fe catôlica (Bilbao 1947).

43 La figura de Jesucristo (Barcelona 1947)·,

44 Jésus-Christ, sa vie, son temps 18 v. (Paris 1912).

45 Jesucristo, su persona y su doctrina (Madrid 1918).

46 Conférences de Notre-Dame de Paris (1929-1937) 9 t. Versio hispana2 a L.M.Jiménez Font, S.I. (Madrid 1941)·

47 Das Leben unseres Herrnjesu Christi... in Betrachtungen 2 v. (Freiburg i.B.).

48 The public Life of our Lord Jesus Christ (London 1930); versio hispana a J.A.Santamaria et F.Chiappini, 2 t. (Buenos Aires 1947)·

49 El joven y Cristo...; Cristo Rey o *Jesucristo y nuestro siglo...* Versiones hispanae Madrid, in pluribus editionibus operum auctoris...

ver, S.I. 50; Karl Adam 51; Cardinalis I.Gomá 52; M.Mûnera, S.1.53; synthetic© F.M.Braun. O.P. 54...

Vitas ab acatholicis scriptas praetermittimus 55; itemquc scripta quàe periodum tantum vitae Domini contemplantur 56.

776. Imagines de vita lesu. Neque litteris tantum vita lesu scripta est; etiam *imaginibus* fuit expressa. Atque in hac re, praetermittendo *Biblia pauperum,* quae medio aevo praesertim scaenas evangelicas ob oculos ponebant 57, iam saeculo XVI eminet Hieronymus Nadal, S.I. (1507-1580), quo auctore editae sunt primum anno 1593 *Evangelicae historiae imagines*58*59* amplissimae atque selectae descriptiones graphicae vitae lesu numero 153, saepius usque ad nostra tempora iterum iterumque expressae 59.

Tempore recentiore W.Hole, attendens ad archeologiam et colorem regionis palaestinensis, de vita lesu expressit 80 imagines 60. Sed et alii pictores hanc vitam expressam feliciter voluere (Hoffmann, Fugel ...); ut alios taceam qui plures collectiones de vita lesu ex celebrioribus artis picturis confecere61.

50 Jesùs. Estudios cristolôgicos de vulgarizacion (Barcelona 1916). Ibi invenies accommodatum studium circa pulchritudinem et amorem lesu.

51 Jesus Christus8 (Düsseldorf 1949)« Versio hispana a B.Avila, O.S.B. (Buenos Aires 1940); item Barcelona 1945.

52 Jesucristo Redentor (Barcelona 1944).

53 Jesucristo. Estudio histôrico, apologético, teolôgico (Bilbao 194s).

54 Jésus. Histoire et critique (Tournai-Paris 1947).

55 En tamen nomina praecipuarum... : M.Goguel, *La vie de Jésus* (Paris 1932): J.Nînck, *Jesus als Charakter** (Leipzig 192s); G.Pfanmüller. *Jesus im Urteil der Jahrhundcrte* (Berlin 1939); J.Klausner, *Jésus de Nazareth. Son temps, sa vie, sa doctrine.* Versio ex hcbraico (Paris 1933).

Inter haec mentionem meretur L.de la Palma, S.I., *Historia de la Sagrada Pasiôn,* saepe iterum edita.

57 Cf. G.Sanoner, *La vie de Jésus-Christ racontée par les images du moyen âge sur les portes d'églises* (Lille 1908).

58 *Evangelicae historiae imagines ex ordine evangeliorum, quae toto anno in missae sacrificio recitantur, in ordinem tempons vitae Christi digestae* (Antverpiae 1593).

59 De origene atque historia harum imaginum, necnon et de influxu earum, vide sis M.Nicolau, S.I., *Jerônimo Nadal. Sus obras y doctrinas espirituales* (Madrid 1949) ρ.ι 14-132. 166-188. De earum influxu in primitiva arte christiana sinensi, P.D'Elïa, *Le origini dell'arte cristiana cinese (1583-1640)* (Roma 1939)· Recenter paravit elegantem, etsi non completam, novam editionem harum imaginum Emmus. D.Celso Costantini, *Gesù Cristo. Via. Veritâ. Vita.* Riproduzione di cento stampe antiche con commenti sui vangeli (Roma 1943).

60 The Life of Jesus of Nazareth (London); has imagines in editione hispana (Madrid) notis illustravit J.M.Bover, S.I.

61 Ut, v.gr. Dr. F.Camprubl, qui 55 imagines collegit editas in vita a D.M.Almazân, *Jesùs de Nazaret* (Barcelona 1946)· Atque etiam ex collectione <Los *grandes ternas del arte cristtano en Espafta»:* F.J.Sànchez Cantôn in *Nacimiento e infanda de Cristo* (Madrid 1948), et eiusdem auctoris *Cristo en el Evangelio* (Madrid 1950); J.CamôN Aznar, *La Pasiôn de Cristo en el arte espançl* (Madrid 1949).

TRACTATUS III

De Ecclesia Christi

Auctore

P. Ioachim Salaverri, S.I.

INTRODUCTIO

H.Djeckmann, *De Ecclesia* (1925) i n.i-19; M.d'Herbigny, *Theologica de Ecclesia* (1927) 1 η.ι-s; R.Schultes, *De Ecclesia* (1925) c.i; A.C.Cotter, *Theologia Fundamentalis* (1940) Introd.1-21 ; J.de Guibert, *De Christi Ecclesia* (1928) n.1-19; J.Bilz, *Eihführung in die Théologie* (1935) 7-13: M.Jugie. *Où se trouve le Christianisme intégral* (1947); Ch.Journet, *Introduction à la Théologie* (1948); B.M.Xiberta, *Introductio* in *sacram Theologiam* (1949); A.Lang, *Fundamental théologie,* Bd. 1 (1954) P·2-32.

1. Nexus huius tractatus cum tractatibus qui praesupponuntur. Tractatus theologicus *de vera Christi Ecclesia* methodice supponit iam absolutos tractatus *de Religione revelata et de Christo Legato divino.*

Etenim Ecclesia dicit se esse a Christo institutam ad custodiendam et propagandam revelationem christianam. Unde duplex oritur quaestio: i.a Estne revelatio possibilis? 2.a Estne revelatio revera facta?

2. Quaesito primo respondet tractatus *de Religione revelata,* _ostendens, non excludi a ratione possibilitatem et cognoscibilitatem Religionis divinitus revelatae. Quaesito secundo satisfacit tractatus *de Christo Legato divino,* dum probat Christum lesum, ut verum Dei Legatum, revelatam Religionem de facto hominibus tradidisse.

3. His probatis, ulterius oritur quaestio de forma sub qua Religio a Christo revelata de facto constituta sit.

Etenim *a priori* Religio revelata concipi potest sub multiplici forma condita, atque de facto diversae sectae diversimode contendunt eam a Christo constitutam esse. Cum autem revelata Religio sit institutio positiva, quae a libera institutoris voluntate dependeat; ideo inquiri debet de forma et constitutione, quas Christus revelatae suae Religioni *de facto* indidit. Haec est propria inquisitio tractatus *de Ecclesia Christi,* prout Leo XIII in *Encyclica «Satis cognitum»* notavit (D 1954).

4. Huius vero inquisitionis duae eruuntur conclusiones: i.a Ecclesiam Romano-Catholicam esse veram illam institutionem religiosam, cui Christus suam revelationem custodiendam et propagandam concrediderit; 2.a Ecclesiae Christi intimam constitutionem et naturam esse vere supernaturalem.

5. Methodus. Prima conclusio est imprimis apologetica, secunda vero est potius dogmatica; quare tractatum de Ecclesia proponere oportet quadamtenus *methodo apologetica,* quadamtenus vero *methodo dogmatica.* Methodo apologetica statuitur factum, methodo vero dogmatica eiusdem facti intima natura penetratur.

6. Verum sane est Ecclesiam esse unum ex articulis fidei, quem profitemur cum dicimus: «Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam» (D 6); ac proinde universas de ea quaestiones tractari posse dogmatice. Sed ante quam dogmatice arguere possimus, necesse est stabilire fundamentum, supra quod universa Theologia dogmatica exstruatur. *Fundamentum* autem Theologiae dogmaticae est doctrinalis Ecclesiae auctoritas, cui divinitus commissum est sancte custodire et infallibiliter declarare doctrinam fidei et morum in fontibus revelationis depositam. Hoc ergo in primis apologetice probandum est, idque probare conabimur in eruenda prima nostrae inquisitionis conclusione.

Attamen informationis gratia, sedulo curabimus referre etiam, quaenam sit de singulis thesibus *dogmatica Ecclesiae doctrina;* adnotantes ecclesiastici Magisterii documenta, in quibus illam docuerit, atque ex illis eruentes *valorem theologicum,* seu theologicae certitudinis gradum, quo Ecclesia singulas theses fidelibus tenendas proposuerit.

7. Intra methodum apologeticam *triplex praesertim via* commendatur, ad ostendendum quaenam sit vera Christi Ecclesia, revelationis christianae custos et magistra.

Empirica dicitur illa via, quae procedit a consideratione catholicae Ecclesiae prout omnium nostrum observationi patet. Inspecta enim Ecclesiae catholicae exsistentia et vita in concreto, apparet eam esse verum miraculum morale. Unde immediate infertur, Ecclesiam in se ipsa divinum exhibere sigillum, quod revera est assertionis eius de propria infallibilitate probativum et «divinae suae legationis testimonium irrefragabile», quemadmodum nos Vaticanum Concilium docuit (D 1794).

8. Hanc empiricam viam videmus iam indicatam a S.Augustino [1], a S.Thoma [2], a Suârez [3], a S.R.Bellarmino [4]. Eandem viam empiricam evol-

1 SS.Augustinus, *De fide rerum quae non videntur* 4,7: ML 40.176: *De civitate Dei* 22,5: ML 41,756; CSEL 40,2.589. Cf. R 1614 1783.

2 S.Th., i CG 6.

3 F.Suarez, *De fide* d.4 s.3 n.n.

4 S.Robertus Bellarmino, *Controversiae* 4 I.4 c.6-12.

vunt praesertim illi auctores, qui religionis Christianae Apologias saeculo XIX scripserunt. Sic Balmes, sed praesertim Victor Augustus Dechamps (t 1883), qui huiusmodi argumentum velut centrum sui operis apologetici adhibuit, illudque prae aliis evolvit[5].

9. Concilium Vaticanum hanc viam empiricam commendavit in *Constitutione dogmatica de fide catholica* (D 1739-1794), cuius schema, denuo elaborandum commissum est ipsi cardinali Dechamps cum aliis duobus concilii Patribus, episcopis Pictaviensi et Paderbomensi. Theologus, quem hi tres ad hoc opus perficiendum adhibuerunt, fuit P.Ios. Kleutgen, qui in suo tractatu *Théologie der Vorzeit,* iam antea hanc doctrinam proposuerat, de Ecclesia ut signo credibilitatis[6].

De hac via empirica theologi ad schema Conc.Vaticani, in quo proponebatur, adnotabant: «in ea (Ecclesia), citra scientificas inquisitiones, quibus longe maxima pars hominum idonea non est, etiam rudes habent facile cognoscibile compendium motivorum credibilitatis ad plenam certitudinem, quae poterunt per disciplinas apologeticas distinctiore et ampliore explicatione confirmari»[7].

Hanc empiricam argumentandi rationem post Conc.Vaticanum egregie evolvit H.Dieckmann[8]. Summatim illam exponunt L.Lercher[9], velut coronidem tractatus de Christo Legato divino; necnon J.de Guibert[10]. In huius voluminis tractatu *De Revelatione Christiana* vide hanc doctrinam in thesibus 37 ad 40.

10. *Illativa* alia via est, quae communiter appellatur *via Notarum*. Haec apologetica via solum inadaequate ab *historica* differt. Etenim ex fontibus historicis eruitur, quasdam esse proprietates, quibus suam Ecclesiam Christus necessario insignitam voluerit, quaeque proinde verae Christi Ecclesiae non possunt non convenire. Cum autem quaedam ex his necessariis proprietatibus reperiantur praeterea esse visibiles et facile cognoscibiles, merito *notae* appellantur, quibus vera Christi Ecclesia dignosci poterit a falsis, quae iisdem notis destitutae inveniantur. Iure autem merito haec via ab auctoribus appellata est *historico-illativa,* quia demonstrationem quandam historicam tamquam fundamentum praesupponens, inde logice infert quaenam vera Christi sit Ecclesia.

5 V.A.Dechamps, *De la certitudine en matière de religion ou la question religieuse résolue par les faits. Entretiens sur la démonstration catholique. Le libre examen de la vérité de la foi:* Oeuvres, t.1-4. Cf. R.Aubert, *Le problème de l'acte de foi* (1945) 142-145; J.Balmes, *El Protestantisme* c.3.

6 Msi 53,161: CL 7,1647. Cf. M.Grabmann, *Geschichte der katholischen Théologie* 269. MJ. Bliguet, *L'Apologétique traditionnelle... au Conc. du Vatican:* RevScPhTh 18 (1929) 243-262. De doctrina Patris Kleutgen, cf. H.Lange, *Alois* von *Schmid und die vatikanische Lehre von Glaubensabfall:* Schol 2 (1927) 342-379; F.Lakner, *Kleutgen und die kirchliche Wissenschaft:* ZkathTh 57 (1933) 161-214; R.Schlund, *Zur Quellenfrage der vatikanischen Lehre von der Kirche als Glaubwürdigkeitsgrund:* ZkathTh 72 (1950) 443-459.

7 Msi 50.93: CL *7,533-*

8 H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.594-631; *ibid,* n.631,6-10, citantur plures auctores, qui praeclare idem argumentum evolvunt.

9 L.Lercher, *Institutiones Theologiae* i n.224-256.

i° J.de Guibert, *De Ecclesia* n.20-36.

11. *Historica* tertia est via, qua, iuxta «scientificas inquisitiones, distinctiore et ampliore explicatione» historica demonstratur, Ecclesiam Catholicam esse veram Christi Ecclesiam verbi revelati custodem et magistram (D 2145 3.°).

Haec historica methodus est maxime subiecto, de quo agitur, consentanea. Nam, prout in *Encyclica «Satis cognitum»* adnotat Leo XIII: «Ecclesiae quidem, non solum ortus, sed tota constitutio, ad rerum voluntate libera effectarum pertinet genus: quo circa ad id quod revera gestum est iudicatio est omnis revocanda» (D 1954). Si ergo Ecclesiae origo, forma, munera, functiones sint totidem facta historica, concludendum est, ea omnia scientia et methodo historica esse demonstranda. Demonstratio vero historica eruitur ex testimoniis sive formalibus sive virtualibus, quae exhibent fontes genuini, integri ac critice probati.

12. De fontibus tractatus. *Veteris Testamenti* libris *apologetico* uti possumus, quatenus in illis iudaeorum religio describitur atque populi iudaici exspectatio Messiae Regnique messianici exhibetur. *Fontes* praecipui pro re nostra sunt libri sacri *Novi Testamenti* et tractatus primae aetatis christianae, quos iam supponimus genuinos, integros et critice probatos ex tractatibus Introductionis ad sacram Scripturam ebPatrologiae.

Illos autem adhibemus ut *fontes historicos:* id est, methodice abstrahimus ab indole sacra et inspirata librorum canonicorum, et ab auctoritate religiosa, quae competit testimoniis SS.Patrum Ecclesiae, quamvis illas minime negemus; atque illos interrogabimus et examini subiciemus ut fontes historicos, iuxta sapientem illam Leonis XIII doctrinam:

«Quoniam vero divinum et infallibile Magisterium Ecclesiae in auctoritate etiam sacrae Scripturae consistit, huius propterea fides saltem humana asserenda in primis vindicandaque est; quibus ex libris, tanquam ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio, Ecclesiae hierarchicae institutio, Primatus Petro et successoribus eius collatus, in tuto apertoque collocentur» *(Encycl. «Providentissimus» :* EB 101).

13. Ex fontibus singulare momentum competit libris Evangeliorum ac praesertim Evangelio S.Matthaei. Matthaeus quidem suum Evangelium aramaice scripsit; graecus tamen eius textus summa auctoritate pollet. Nam Patres et ecclesiastici scriptores omnes, immo Ecclesia ipsa iam a suis incunabulis unice usi sunt, tamquam canonico, textu graeco; ex quo concluditur, Evangelium graecum esse quoad substantiam iden-

ticum cum Evangelio aramaico ab eodem Matthaeo exarato (D 2149 2152). (Cf. S.Rosadini, *Instit. introd. in ll.N.T,* vol.i u.n8ss.)

Evangelium S.Matthaei bene appellari potest Evangelium Regni Dei et Ecclesiae Christi. Sub hoc respectu dividi potest in duas partes II:

In I.» *Christus Regnum Dei praedicat populo Israel* (Mt 1,1-16,12).

1) Messiae adventus et annuntiatio Regni Dei (1,1-4,16);

2) Legis Novae promulgatio universo populo Israel, atque eius divinae originis confirmatio miraculis (4,17-9,35);

3) Apostolorum Christi electio et pastoralis instructio (9,36-11,1);

4) Iesus, cooperantibus Apostolis, in cassum laborat ut agnoscatur a populo Israel (11,2-12,45);

5) A populo se subtrahere incipit Iesus, dum ei sortes Regni Dei describit in parabolis, quas solis discipulis suis explicat; et tandem populum renuentem deserit (12,46-16,12).

14. In II.* *Christus Ecclesiam constituit contradicente populo Israel* (16,13-28,20).

1) Iesus coram solis discipulis suis eligit Petrum, ut fundamentum suae Ecclesiae, et Apostolos ut pastores instruit (16,13-20,34);

2) Iesus populum Israel explicite reicit, praedicitque destructionem templi et sortes Ecclesiae futuras (21,1-25,46);

3) Novum foedus pepigit Iesus in suo sanguine, quod sigillat in aeternum sua morte (26-27);

4) Iesus tandem resurrectione, divinam suam missionem comprobans, potestatis plenitudinem Apostolis tradit (28).

15. Igitur divina Christi auctoritate Ecclesiae dantur:

1) Lex Nova perfectionis et caritatis (Mt 5,1-48);

2) Auctoritatis subiectum hierarchico-monarchicum (Mt 10,1-42; 18, 1-35; 16,13-20);

3) Protestatis plenitudo in omnes homines (Mt 28,16-20).

16. *Ex SS.Patribus* ut praecipui memorandi sunt Clemens Romanus, Ignatius Antiochenus, Irenaeus Lugdunensis, Cyprianus, in suo opere, De *Catholicae Ecclesiae unitate, et* S.Augustinus, praesertim in suis tractatibus De *moribus Ecclesiae catholicae, De utilitate credendi* et De *unitate Ecclesiae 12.*

17. *Ex Magisterio Ecclesiastico:* Concilium Vaticanum, sess.IV, Constitutio *de Ecclesia Christi* (D 1821-1840);

11 Cf. J.M.Bover, *El Evangelio de S.Mateo* (1946) p.19-38. J.Huby, *L'Evangile et les Evangiles* (1954) P;99-J33· S.Scripturae divisio in capita invecta est, ineunte saec.XIII, ab Universitate Parisiensi, opera St.Langton. In editionibus vero latinae versionis utriusque Testamenti divisio in versiculos, quae in usu est, a Roberto Stephano, anno 1555, est introducta. *Pontif. Instit. Biblici Institutiones Biblicae* Introd. n.6, et l.3, de Textu, n.121 et 125. Cf. A.Vaccari, *El estudio de la Sagrada Escritura* (1044) 103.

12 SS.Clementem et Ignatium invenies in editione F.X.Funk, *Patres Apostolici* i; S.Irenaeum, apud MG 7; S.Cyprianum, apud ML 4,495-520 et CSEL 3,1,207-233; tractatus S.Augustini, apud ML 32,1309-1344; 42,65-92 et CSEL 25,1,1-48; ML 43,391-446 et CSEL 52,229-322.

Leo XIII, *Encycl. «Satis cognitum»;* Pius XI, *Encycl. «Quas primas»* et *«Mortalium animos»;* denique Pius XII, *Encycl. «Mystici Corporis Christi»* copiosiorem nobis de Ecclesia doctrinam praebent.

Valor dogmaticus Vaticani, utpote infallibilis, est summus; de valore dogmatico doctrinae Encyclicarum, tenendum est quod docet Pius XII in *Encyclica tHumani generis»:* «Neque putandum est, ea quae in Encyclicis Litteris proponuntur, assensum per se non postulare, cum in iis Pontifices supremam sui Magisterii potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario haec docentur, de quo illud etiam valet: Qui *vos audit me audit* (Lc io, 16); ac plerumque quae in Encyclicis Litteris proponuntur et inculcantur, iam aliunde ad doctrinam catholicam pertinent. Quod si Summi Pontifices in Actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorundem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse»13.

18. *Ex Theologis, S. Thomas, S.Bonaventura* aliique magni theologi quamplures sane de Ecclesia quaestiones tractant, tamen non composuerunt tractatum systematicum, in quo universam de Ecclesia doctrinam comprehenderent14. Post Iacobum Viterbiensem (t 1307) in suo incompleto opere, *De regimine christiano,* primus talem systematicum tractatum scripsit Io.de Turrecremata (f 1468), *Summa de Ecclesia.* Apud magnos theologos post-tridentinos similes tractatus de Ecclesia habentur, sed intra alios theologicos tractatus: sic intra tractatum *De Fide,* SuArez, Tanner, Billuart: in *Comment, ad Summam, BAnez,* Toletus aliique *Summae* Aquinatis commentatores 15. Omnes autem hi tractatus quaestiones de Ecclesia evolvunt methodo dogmatica. Accedunt tractationes ,mo-

13 Encyclicas Leonis XIII *«Satis cognitum»* et Pu XII *«Mystici Corporis** vide in ASS 28 1896) 708-739 et AAS 35 (1943) 193-248. *Encyclicas* vero Pit XI *«Quas primas** et *«Mortalium animos*,* cf. apud AAS 17 (1925) 593-600, et 20 (1928) s-16. *EncyclicaPn* XII *«Humani generis*: AAS* 42 (1950) 568; cî.'J.Salaverri, *Valor de las Enciclicas a la luz de la «Humani generis*:* MiscCom 17 (1952) 137-171.

14 S.Thomas plures de Ecclesia quaestiones pertractat praesertim in *Summa 2.2* q.i a.10 et 3 q.8; in 4 CG 76; in 2 d.44 q.2 a.3; in 3 d.13 ; in 4 d.24; *De'ver.* q.29 a.4; *Quodl.* 9 a.16; in Opusc., iuxta ed..a.i57O Romanam, 3,19 ct 20; *De rationibus fidei; Contra impugnantes cultum Dei* c.3 et 4; *De regimine Principum,* usque ad 1.2 c.4, reliqua enim huius opusculi non videntur esse ab ipso Sto.Thoma scripta; Comment, in Mt et Io. .Evang. necnon in omnes S.Pauli epistolas. Cf. M.Grabmann, *Die Lehre des hl.Thomas von der Kirche* (7903).

S.Bonaventurae conferri possunt: *De perf. evang.* q.2 a.i et 2; q.4 a.3; *Breviloq.* p.6 c.io et 12; in 4 d.i8p.2q.3; d.i9a.2 Q.2 eta.3 q.i ; d.2op.2 q.3 c, ad 1 et ad 2; q.5 ad 4; q.6 arg.6; d.2S a.i q.i ; q.2 ad 3 et ad 4; in *Exaem.* coli. 22 n.15.

15 I.de ViTERBE, *De regimine christiano* (1301-1302); ed. H.X.Arquillicre; I.de Turrecremata, *Summa de Ecclesia* (Venetiis 1561); F.Suarez, *De fide* d.5 et 9-11; A.Tanner, *De fide* q.3-4: Ch.R.Billuart, *De regulis fidei* diss.3-5.

Commentatores Summae Sti.Thomae quaestiones de Ecclesia evolvunt praesertim in *2.2* a.i a.io et in *3* q.8: sic F.db Victoria, Th.de Vio Gaietanus, D.BAnez, F.Toletus, G.de Valencia, G.VXzquez, cacterique. Opera ecclesiologica FF.Ordinis Praedicatorum, inde ab a.1234 ad a.1929, vide apud A.Bacic: Ang 6 (1929) 279-324. Cf. J.Salaverri, *La Eclesiologia de Francisco Sudrcz:* Actas del IV Centenario dei nacimicnto de Francisco Suârez (Burgos 1949) 2,39-54.

nographicae adversus Protestantes, ut Caietanus, *De divina institutione Pontificatus Romani Pontificis* (1521) et aliae, quarum aliquas videre potes critice editas apud *Corpus Catholicorum*.

19. Bibliographia generalis. *Apologetica methodo* primi de Ecclesia tractaverunt Melchior Canus, O.P. (t 1360), in tractatu *De locis,* I.4-6; Th. Stapleton, *Principiorumfidei doctrinalium demonstratio methodica (1581);* et praesertim S.Rob.Bellarminus, S.I. (f 1621) in suis *Controversiis,* 3. ad 5.“” (edit. Vivès, 1870).

20. *Ex recentioribus* praesertim commendandi sunt:

1) *Ut classici:*

Passaglia, C., S.I., *De Ecclesia Christi* (1854).
Schrader, C., S.I., *De unitate Romana* (1862-66).
Franzelin, I.B., Card., S.I., *Theses de Ecclesia* (1887).
Palmieri, D., S.I., *De Rom.Pontifice.* Prolegom. de Ecclesia (1902).
Ottiger, I., S.I., *Theologia Fundamentalis.* II de Ecclesia Christi (1911).
Straub, A., S.I., *De Ecclesia Christi* (1912).

Subsidiarie accedunt:

Granderath, Th., S.I., *Constitutiones dogmaticae sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani* (1892).
Grabmann, M., *Die Lehre des hl. Thomas von der Kirche* (1903).

21. 2) *Ut optimi ratione praesertim methodi et eruditionis:*

Dieckmann, H., S.I., *De Ecclesia* (1925).
D'Herbigny, M., S.I., *Theologica de Ecclesia* (1927).

22. 3) *Ut qui sat ample et solide totam materiam tractant:*

Mazzella, C., Card., S.I., *De Religione et Ecclesia* (1892).
Pesch, Ch., S.I., *Institutiones propaedeuticae* (1894).
Wilmers, G., S.I., *De Christi Ecclesia* (1897).
Segna, F., Card., De *Ecclesia Christi* (1900).
De San, L., S.I., *Tractatus de Ecclesia* (1906).
Groot, J.V. de, O.P., *Summa Apologetica de Ecclesia* (1906).
Muncunill, J., S.I., *Tractatus de Christi Ecclesia* (1914).
Schultes, R.M., O.P., *De Ecclesia Catholica* (1925).
Billot, L., Card., S.I., De *Ecclesia Christi* (1927).
Dorsch, Ae., S.I., *Institutiones Theologiae Fundamentalis.* II. De Ecclesia (1928).
Vellico, A., O.F.M., De *Ecclesia Christi* (1940).
Zapelena, T., S.I., De *Ecclesia Christi, I* (1950), II (1954).

23. 4) *Ut qui magis succinte ad usum scholarum rem evolvunt:*

Van Noort, G., *Tractatus de Ecclesia Christi* (1909).
Reinhold, G., *Theologia fundamentalis* (1915).
Felder, H., O.M.C., *Apologetica.* II De Ecclesia Christi (1923).
Bainvel, J.V., S.I., *De Ecclesia Christi* (1925); Id., *De Magisterio vivo et Traditione* (1905).
Zubizarreta, V., O.Carm., *Theologia fundamentalis* (1925).
Michelitsch, A., *Elementa Apologeticae* (1925).
Guibert, J. de, S.I., *De Christi Ecclesia* (1928).
Tanquerey, A., *De vera Religione et Ecclesia*24 (1937).
Lercher, L., Schlagenhaufen, F., S.I., *Institutiones Theologiae.* I3 (1939).
Stolz, A., O.S.B., *De Ecclesia* (1939).
Cotter, A.C., S.I., *Theologiafundamentalis* (1940).
Parente, P.. Theologia *fundamentalis* (1946).
Calcagno, F.X., S.I., *Theologia fundamentalis* (1948).
Hervé, J.M., *De Revelatione. De Ecclesia* (1949).
Baisi, C., *De Revelatione. De Ecclesia. De verbo Dei* (1949).
Denis, L., S.I., *De vera religione. De Ecclesia Christi* (1950).

24. 5) *Ut qui linguis vernaculis conferri possunt:*

Bruders, H., S.I., Die *Verfassung der Kirche* (1904).
Dublanchy, E., DTC: *Eglise* (1911).
Briere, Y. de la, S.I., DAFC: Église (1914).
Dunin-Borkowski, St.v., S.I., *Die Kirche als Stiftung Jesu* (1923).
Poulpiquet, A., O.P., *L'Eglise Catholique* (1923).
Brunsmann, J., S.V.D., Kirche *und Gottesglaube* (1926).
Medebielle, A., DBS 2: *Eglise* (1934).
Jacquemet, G., *Tu es Petrus: Encyclopédie sur la Papauté* (1934).
Colomer, L., O.F.M., *La Iglesia catolica* (1934).
Lippert, P., S.I., Die *Kirche Christi* (1935).
Koster, L., S.I., Die *Kirche unseres Glaubens* (1938).
Journet, Ch., *L'Eglise du Verbe Incarné:* I. Hiérarchie apostolique (1941); II. Sa struture interne et sa unité catholique (1951).
Algermissen, C., *La chiesa e le chiese* (1944).
Siri, G., *La chiesa* (1944).
Tyszkiewicz, S., S.I., *La sainteté de l'Eglise christoconforme* (1945).
Bardy, G., *La théologie de l'Eglise:* I. De Saint *Clément de Rome à Saint Irénée* (1945); II. De *Saint Irénée au concile de Nicée* (1947).
Kerkvoorde, A., O.S.B., *Le Mystère de l'Eglise* (1946).
Jugie, M., A.A., Oil se *trouve le Christianisme intégrale* (1947).
Philips, G., *La sainte Eglise Catholique* (1947).
Cerfaux, L., *La Théologie de l'Eglise suivant saint Paul* (1948).
Aigrain, R., *Ecclesia, Encyclopédie* (1948).
Montcheuil, Y. de, S.I., *Aspects de l'Eglise* (1949).
Brinktrine, J., *Existenz der Offenbarung: Die Kirche* (1949).
Corbishley, Th., *Roman Catholicism* (1950).
Congar, Y.M.-J., O.P., Vraie et fausse *réforme dans l'Eglise* (1950); Id., Esquisses *du Mystère de l'Eglise* (1953); Id., *Jalons pour une Théologie du Laïcat* (1953).
Lubac, H. de, S.I., Méditation sur l'Eglise (1953).

Semmelroth, O., S.I., *Die Kirche ais Ursakrament* (1953).
Beni-Cipriani, A.-S., *La vera Chiesa* (1953).
Garcîa Martînez, F., *Naturaleza juridica y derechos de la Iglesia* (1954).
Lang, A., *Fundamentaltheologie* (1954).
Beauduin, L., O.S.B. (Etudes offerts à), *L'Eglise et les Eglises:* 1054-1954 (1954)·
Marie et l'Eglise, 3 vol. (opera plurium auctorum): Etudes Mariales (1951-1953)·
Coathalem, H., S.I., *Le parallélisme entre la S. Vierge et l'Eglise* (1954).
Riedmann, A., *Die Wahrheit überdie Kirche Jesu* (1955).

25. 6) *Ut fontium collectiones commendari possunt:*

Rauschen, G., *Textus antenicaeni ad Primatum Romanum spectantes* (1914).
Mirbt, C., *Quellen zur Geschichte des Papsttums (1924).*
Madoz, J., S.I., I *La Iglesia:* Fuentes y Documentes (1935). II *El Primado:* Fuentes y Documentas (1936).
Giles, E., *Documents illustrating Papal authority* (1952).

26. *Acatholicorum sententias de Ecclesia exponunt:*

1) *Orientalium Separatorum:*

Gordillo, M., S.I., *Compendium Theologiae Orientalis* (1939).
Spacil, Th., S.I., *Doctrina Orientis separati de Ecclesia:* OrCh 1 (1923) 33-72; 2 (1924) 37-132.
Jugie, M., A.A., *Theol. dogmat. Christianorum Orientalium.* IV. Theologia Graeco-Russorum de Ecclesia (1931). V. Theol. Nestorianorum et Monophysitarum (1935).
Heiler, F., *Urkirche und Ostkirche* (1937).
Tyszkiewicz, S., S.I., *Doctrinae de Ecclesia theologorum russorum* (1937).

27. 2) *Protestantium et Rationalistarum:*

Dîeckmann, H., S.I., *De Ecclesia* 0.543-571.385-387.1353.
D'Herbigny, M., S.I., *Theol. de Ecclesia* n.35.
Linton, O., *Das Problem der Urkirche in der neuere Forschung* (1932).
Braun, F.M., O.P., *Aspects nouveaux du problème de l'Eglise* (1942).
Algermissen, C., *La chiesa e le chiese* (1944).
Cullmann, O., S.*Pierre, Disciple-Apôtre-Martyr* (1952).

28. 3) *Modernistarum:*

Pius X, *Encyclica «Pascendi», Decretum «Lamentabili»* (1907): D 2001-2109.
Riviere, J., Qui *rédigea l'Encycl. «Pascendi»:* BulLitEccl 47 (1946) 143-161, 242s. Praecipuus Encycl. redactor videtur fuisse J.Lemius, O.M.I.
Heiner, F.X., *Der neue Syllabus* (1908), *Die Massregeln Pius X gegen den Modernismus* (1910).
Rossa, E., S.I., *L'Encyclica «Pascendi»* (1909).
Carbone, C., *De modernistarum doctrinis* (1909).
Vermeersch, A., S.I., *De Modernisme* (1910).

Mausbach, J., *Der Eid wider den Modernismus und die katholische Wissenschaft* (1911).
Bessmer, J., *Philosophie und Théologie des Modernismus* (1912).
Modernisme: DAFC 3 (1916) 591-695; DTC 10 (1929) 2009-2047.
Riviere, J., *Le modernisme* dans *l'Eglise Catholique* (1929).
Lagrange, M.J., O.P., Loisy et le *Modernisme (1932).*
Reinhard, W., *Modernismus:* LTK7 (1935) 249-254.
Fabro, C., *Modernisme:* EciclCatt 8 (1952) 1188-1196.
Lilley, A.L., *Modernism:* EncRelEth 8 (1930) 763-769 (aestimatio Protestandum).

4) *Oecumenistarum vel Panchristianorum placita:*
Congar, Y.M.-J., O.P., *Chrétiens désunis* (1937).
Etudes oecuméniques du Conseil oecuménique des Eglises: Désordre de l'homme et dessein de Dieu (Documents de l'Assemblée d'Amsterdam, 1948) 5 vol. (1949).
Karrer, O., *Um die Einheit der Christen:* Ein Gesprâch mit E.Brunner, O.Cullmann, H. v. Campenhausen (1953).
Hanahoe, E.F., *Catholic Ecumenisme (1953).*

29. Sententiae de Ecclesia. *Acatholicorum placita* praecipua circa Ecclesiae naturam.

1) *Orientales dissidentes* divinam Ecclesiae institutionem hierarchicam agnoscunt. A doctrina catholica dissentiunt praesertim eo quod negent monarchicam Ecclesiae constitutionem seu Primatum iurisdictionis et infallibilitatis, atque tantum honoris Primatum Sedi Romanae concedunt.

2) *Gallicani* divinam institutionem Ecclesiae eiusque iuridici Primatus admittunt. Attamen primatialem potestatem coarctant, eam subordinantes Concilio Oecumenico, vel potiores tantum partes non totam ei iurisdictionis plenitudinem tribuentes, atque affirmantes Sanctae Sedis decreta non esse irreformabilia nisi Ecclesiae universae consensus accesserit.

3) *Protestantes* priores, tenentes Christum Ecclesiam instituisse, negant Eum determinatam constitutionem ipsi dedisse, vel saltem renuunt admittere Primatum, et Ecclesiae auctoritatem ad authentice interpretandos revelationis fontes minime agnoscunt.

4) *Rationalisfae,* supernaturalem ordinem negantes, concedunt quidem a Christo motum quemdam religiosum ortum habuisse; sed Ecclesiam tenent ex causis naturalibus natam esse inter Christi sequaces, atque sub influxu idearum religiosarum illius aetatis fuisse rationabiliter, iuxta generales leges, evolutam. Forma autem Ecclesiae externa nullatenus a Christo est. Similia propugnant *Naturalistae.*

5) *Modernistae* sic rem explicant: Christus, cum finem mundi imminere sentiret, nec cogitare potuit in Ecclesia condenda; quae tamen ab ipso mediate instituta dicitur, quatenus nihil aliud Ecclesia est quam partus conscientiae collectivae illorum, quibus Christus suam fidem seu experientiam religiosam communicavit. Ab hac ergo conscientia collectiva, vi legis permanentiae vitalis, necessario profluerunt Ecclesiae organizatio et auctoritas, atque ab eadem conscientia, vi legis evolutionis vitalis, Ecclesia ad diversas aetatum condiciones adaptari debet.

30. *Catholica doctrina* tenet, Christum lesum divina auctoritate instituisse Ecclesiam ut societatem religiosam, externam et visibilem, hierarchicam, monarchicam, perenniter duraturam; eam ditasse Magisterio et quidem infallibili, ut esset authentica verbi revelati custos et magistra; ipsi denique dedisse naturam finemque assignasse ordinis supernaturalis, ut hominum esset domus sanctitatis et salutis arca. Haec vera Christi Ecclesia est sancta catholica apostolica et una Romana Ecclesia (D 1782).

3X. Quaestio praevia. Cum catholicam hanc doctrinam probare intendat tractatus de Ecclesia, haec oritur praevia quaestio: Ad hoc concludendum, sufficitne praesupponere Christum fuisse merum Legatum divinum, an ulterius probasse requiratur eum fuisse revera Filium Dei?

Auctores catholici communiter sufficere tenent, praesupponere Christum fuisse verum Dei Legatum. Multi tamen fatentur, plures in hoc tractatu evolvi quaestiones, de intima praesertim natura et indole Ecclesiae, quae plene intelligi nequeunt nisi probata praesupponatur Christi divinitas; fontes vero, ex quibus arguimus, divinitatem Christi velut fundamentum institutionis Ecclesiae efferunt; quare, concludunt, etsi stricte necessarium non sit, tamen melius esset antea Christi divinitatem probare, cum ad pleniorem et firmiorem stabiliendum totius tractationis fundamentum, tum etiam ob maiorem fidelitatem erga ipsos fontes. Merus enim Propheta, etiam si sit summus, nequit ita loqui ut semetipsum ponat in eodem plano seseque plane aequiparet ipsi Deo, prout fontes testantur saepe Christum fecisse (Mt 5,43s; i°>37-39i 16,18.19; 25,31-40; 28,18-20).

32. Neque obstat divinitatem Christi esse mysterium stricte dictum et dogma fidei, quod propterea dogmatice probari debet. Nam merito probatur dogmatice in tractatibus de Trinitate ct de Verbo Incarnato; sed valde utile est etiam apologetice statuere veritatem testimonii, quod de sua divinitate Christus dedit, quia cum sit veritas summi momenti, oportet, ut omni quo possit modo demonstretur.

.33· Divinitatem Christi apologetice probari posse, verbis satis explicitis enuntiavit Leo XIII, in *Encyclica «Satis cognitum»,* cum scripsit: «lesus Christus *divinitatem divinamque Legationem suam* miraculorum virtute comprobat» (ASS 28,716), et in *Encycl. •Prouidentissimus»,* inquiens: «Ex libris

sacrae Scripturae tanquam ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio... in tuto apertoque collocentur» (EB 101).

Quare nos iure supponere possumus, tamquam quaestionem praeviam ad nostrum tractatum, in praecedenti tractatione *De Christo Legato divino* apologetice demonstratam veritatem testimonii, quod Iesus de divina sua filiatione naturali nobis dedit.

Ceterum, apologeticam divinitatis Christi demonstrationem reperimus etiam apud egregios quamplurimos recentiores de sacra Theologia scriptores, quorum sectari exempla non dedignamur [16].

Tractatus partitio

34. Ex tractatu *de Legato divino* constat, Christum triplici messianico munere insignitum esse, *Regis* videlicet, *Magistri, Sacerdotis;* unde merito semetipsum definivit dicens: *Ego sum via, veritas et vita* (Io 14,6)[17].

Ex fontibus autem huius nostri tractatus, prout videbimus, immediate eruitur, in Ecclesia, «ex ipso divini Redemptoris mandato *munera Christi Regis, Doctoris, Sacerdotis,* perennia fieri»; atque ideo ipse Dominus Ecclesiae «triplicem potestatem impertiit, *regendi* nempe, *docendi* et *sanctificandi»,* eamque «primariam legem statuit totius Ecclesiae» [18].

Quapropter tractatum de Ecclesia *in tres libros* dividere statuimus, qui triplici commemorato Christi et Ecclesiae muneri respondeant:

Lib. I: *Christus Rex instituit Ecclesiam potestate regendi praeditam.*

Lib. II: *Christus Magister contulit Ecclesiae munus docendi.*

Lib. III: *Christus Sacerdos auxit Ecclesiam potestate sanctificandi.*

16 H.Dieckmann, *De revelatione Christiana* ass.12 n.668; H.van Laak, *Instit. Theologiae fundamentalis* tr.3 n.68-165; Id., *Repetitorium, de Revelatione* prop.4 p.105; G.Wilmers, *De Religione revelata* prop.40 n.397; R.Garrigou-Lagrange, *De Revelatione* 1.2 c.2 a.3; H.Felder, *Apologetica* pars.i s.2 diss.i c.2; I.Ottiger, *Theologia fundamentalis* 1 § 43 p.707; A.C.Cotter, *Theologia fundamentalis* th.15 ad 23; P.Parente, *Theologia fundamentalis Apologetica* c.3 § 2; C.Baisi, *De Revelatione Christiana* c.6 th.10; in hoc vol. *De Revel. Christ,* th.30.

17 *Doctrinam Catholicam* de triplici hoc Christi munere vide pulchre et breviter expositam in *Catechismo Romano CR).* Ed. Desclée: *Catechismus Concilii Tridentini ad Parochos* (1890) p.i, Symboli a.2 n.6-8. Ait S.Leo I: Christus est nobis «Via conversationis sanctae. Veritas doctrinae divinae, et Vita beatitudinis sempiternae» *(Serm.* 72,1: ML 54,390; cf. *De imitatione Christi* I.3 0.56); I.Gomá, *Jesucristo Redentor,* c.5-7: Rey-Sacerdote-Maestro, p.133-240; M.Meinertz, *Théologie des N.T.* (1950) I p.79.172-175.

18 Pius XII, *Encycl. «Mystici Corporis»:* AAS 35 (1943) 200,209. Nuperrime, iterum et aperte triplicem potestatem Ecclesiae distinguebat Pius XII, cum in *Allocutione *Si diligis»* ad totius orbis Cardinales et Episcopos locutus est de Magisterii potestate, atque simul promisit se acturum, et de facto egit, de duabus aliis potestatibus in sequenti ad omnium Ecclesiarum Pastores *Allocutione •Magnificate Dominum»,* diebus 31 maii et 2 novembris anni 1954: AAS 46 (1954) 3I48s.666ss.

LIBER I

De Ecclesiae constitutione sociali

CAPUT I

De institutione Ecclesiae hierarchicae

ARTICULUS 1

Christus Rex praedicavit Regnum Dei

Thesis I. lesus Christus praedicavit Regnum universale, non solum eschatologicum, spirituale et internum, sed etiam in terris exsistens, visibile et externum.

35· S.Th., 1.2 q.108 a.is; *In Io* 18,33-37; Suârez, *In 3 q.22* d.47s; Dieckmann, *De Eccles.* th.4-8; D'Herbigny, *De Eccles.* th.4, cf. n.249-251; Lercher, th.26; Zapelena, th.i ad 3; Schultes, *De Eccles.* a.6; Cotter, *Theol. fund.* th.25; I.de la Briere: DAFC i,i222ss; J.A.Onate, *El Reino de Dios:* EstBibl 3 (1944) 343-382.496-522; 4 (1945) 15-34-163-196. 421-446; 5 (1946) 101-no; L.Cerfaux, *L'Eglise et le Règne de Dieu d'après saint Paul:* Recueil L.Cerfaux (1954) H p.365-387·

36. Nexus. In tractatu praecedenti ostensum est, *lesum a Nazareth,* de quo loquuntur Evangelia, missum a Deo esse ut *Messiam* seu *Christum,* quem prophetae praenuntiaverant, atque eundem lesum attestatum esse, verum se esse *Dei Filium.* Praesupponimus etiam probatum in praecedenti tractatu, lesum Christum annuntiatum, missum, natum, proclamatum et agnitum esse ut verum *Regem.* Merito autem iam nunc incipimus nostrum tractatum ab investigatione ipsius *Regni,* quia id fuit quod primum, inde ab initio suae praedicationis, lesus hominibus proposuit: *Coepit lesus praedicare et dicere: paenitentiam agite, appropinquavit enim Regnum caelorum* (Mt 4,17).

37. Notiones. Rex et Regnum intelliguntur in sensu Scripturae 1. Rex est illa persona physica, quae non ex deputatione civium, sed iure proprio regit aliquam hominum societatem publicam.

Regnum est civium societas a Rege gubernata.

Regnum Dei, occurrit 50 vicibus in tribus Evang. Synopticis (14 ap. Mc, 32 ap. Lc, 4 ap. Mt): est Regnum a Deo positiva voluntate conditum.

Regnum caelorum, occurrit 32 vicibus et quidem solum apud Matthaeum, ad designandum Regnum illud supraterrenum quod Deus per Christum condere decrevit.

Regnum Dei et *Regnum caelorum* sunt duae denominationes, quae ad eandem prorsus rem significandam adhibentur, prout liquido e locis parallelis colligitur (Mt 5,3 et Lc 6,20; Mt 13,11 et Mc 4,11 et Lc 8,10, etc.). S.Matthaeus praefert tamen denominationem *Regni caelorum,* fortasse ut sese magis accommodaret rationi loquendi iudaeorum, quibus praesertim suum Evangelium destinavit; iudaei enim abstinere solebant a proferendo ineffabili Dei nomine illudque substituebant nomine *caeli,* metonymia ipsis valde familiari2.

38. Universale est Regnum omnibus hominibus destinatum, ad quod nempe omnes idem ius et officium pertinendi habent. Universalitas ergo *iuris et* obligationis est absoluta. De hac agimus, nam de universalitate *facti* cum de catholicitate agemus.

Eschatologicum est regnum ultimum (ἐσχατα = ultima).

Eschatologicum *relative est* postrema Regni Dei, post patriarchalem et mosaicam, in hac vita oeconomia, nempe messianica, utpote quam, ex voluntate Dei, nulla alia salutis oeconomia his in terris succedet.

Eschatologicum absolute Regnum est definitivus Regni Dei status inchoandus cum fide mundi et in aeternum duraturus.

Spirituale et internum est illud Regnum cuius finis, bona et officia sunt praesertim spiritualia et interna.

In terris exsistens est Regnum quod stabiliter in condicionibus huius vitae hominum terrestris evolvitur.

1 Cf. F.Zorell, *Novi Testament. Lexicon graecum* (Βασιλεία, Βασιλεύ); Dieckmann, *De Ecclesia* ῃ.23-29; D'Herbigny, *De Ecclesia* n.43. ThWbNT I 0-562-595.

2 H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.23ss; D'Herbigny. *De Ecclesia* n.43; Sim0n-Dor.wo, *Nov. Testamentum* 1 n.268; P.Joüon, *L'Evangile,* in Mt 3,2.

Visibile et externum est Regnum importans aliquam sensibus perceptibilem et actibus externis apparentem hominum organizationem seu societatem, cuius natura nondum a nobis definiri potest in hac thesi.

39. Status quaestionis. Asserimus Christum, titulo Regis insignitum, praedicasse quidem Regnum universale, universalitate absoluta iuris et obligationis, et absolute eschatologicum, quod praesertim ac primario est spirituale et internum; attamen non mere et exclusive eschatologicum, spirituale et internum est Regnum a Christo praedicatum; sed etiam in terris exsistens, visibile et externum. Hoc Christi Regnum esse etiam relative eschatologicum, probabimus in thesi de Ecclesiae perennitate, th.7.

40. Adversarii 3. 1) *Contra universalismum: Rationalistae* critici, moti illis Christi verbis: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel* (Mt 15,24), tenent, universalismum fuisse inventionem martyris Stephani, hellenistarum et S.Pauli, contra mentem Christi et doctrinam aliorum Apostolorum, quam primitiva Ecclesia Hierosolymitana fideliter retinebat (Act 6,8ss; n.içss; Gal 1-2). Harnack admittit universalismum obiectivum seu virtualem doctrinae Christi, quatenus praecipua Evangelii eius idea, colendi Deum ut Patrem, natura sua apta est ut evolvatur in organizationem universalem; negat autem Christum cogitasse de universalismo, in dubium revocans genuinitatem historicam dictorum Domini universalismum significantium. Alii, ut Holtzmann, dicunt lesum paulatim ad aliqualem universalismum asserendum pervenisse solum in secunda suae vitae periodo. Posterius autem Meyer et Weinel easdem respective Harnacki et Holtzmanni theorias secuti sunt4.

41. 2) *Propugnant merum Eschatologismum* absolutum *Eschatologistae,* ut Baldensperger, I.Weiss, Gloege et A.Schweitzer, quorum doctrinam in substantialibus sequuti sunt postea *Modernistae,* ut Loisy, Tyrrell, Schnitzer, quibus nostris diebus adnumerantur Heiler, Bultmann, Go-

3 M.Meinertz, *Jesus und dic Heidcnmission* (1908). Sententias varias colligit earumque auctores recenset. Cf. Zapelena, D'Herbigny, Diecksîann, locis in bibliographie citatis.
4 A.Harnack, *Die Mission und Ausbreitung des Christentums* (1924): E.Meyer, *Ursprung und Anjdnge des Christentums* (1924); H.J.Holtzmann, *Lchrbuch der neutestam. Théologie* (1897); HAVeinel, *Biblische Théologie des Neuen Testaments* (1928;.

GUEL cum aliis 5. Eschatologistae urgent Christi verba quibus annuntiavit: *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo,* et illa: *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli* (Mt 16,28; 26,64). Ex his verbis et aliis similibus (Mt 10,23; 24,34) deducunt, lesum professum fuisse errorem de proxima illius Regni messianici institutione, quod cum fine mundi iamiam adventurum putabatur; unde concludunt, alienum fuisse a Christi mente Regnum super terram in condicionibus huius temporis statuere (D 2052).

42. 3) *Regnum* a Christo praedicatum esse *mere spirituale et internum* defendunt plures *Rationalistae,* dicentes, lesum habuisse sensum religiosum valde evolutum, quo multo perfectius aliis filialem sui internam relationem ad Deum ut Patrem sentiret, et ideo diceret: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius* (Mt 11,27). Auditores autem hortabatur dicens: *Regnum Dei intra vos est* (Lc 17,21); quare excitati exemplo et actione Christi similem internam ideam filiationis erga Deum Patrem persenserunt.

43. Regnum igitur a lesu fundatum constituitur ab iis, in quibus est haec mere spiritualis et interna sensus religiosi conscientia divinae filiationis. Societas vero temporalis et externa posterius nata est a primitivo christianismo conficta, eo quod Christi sequaces, separati primo a Synagoga actione Sancti Pauli, ac deinde ex multiplici influxu iudaismi alexandrini et hellenismi ideas sumentes, atque imperii romani organizationem aemulantes, visibilem sibi et externam societatem efformaverunt. Praecipui huius theoriae propugnatores fuerunt Sabatier et Harnack, recentius vero Barth, qui tenet, Regnum Dei, quod in Christo apparuit, non esse communitatem vel coetum credentium in Christo; sed esse congregationem duorum vel trium in nomine Christi (Mt 18,20), quae constituitur mero illo *eventu,* quo fit ut actio vitalis Domini viventis interne percipiatur a conscientia aliquorum hominum, qui eo ipso evadunt Regnum Dei seu Ecclesiam, quae ideo nihil

• W.Baldensperger, *Das Sclbstbcuusstsein Jesu** (1903): l.Weiss, *Dic Predigi Jcsu rom Reiche Gottes* (1900): A.Schweitzer, *Geschichtc der Lcben-Jesu-Forschung* (1913); A.Loisy, *L'Evangile et l'Eglise* (1902); Autour *d'un petit livre* (1903): Schnitzer, i. *Hat Jesus das Papsttum gestiftct? 2. Das Papsltum eine Stiftung Jesus?* (1910). Cf. F.M.Braun, *Nuovi aspetti del problema della Chiesa* Ü943) 108-136; G.Tyrrell, *Christianity at the Cross-Roads* (1910); G.Gloege, *Reich Gottes und Kirche im Neuen Testament* (1029); F.Heiler, *Urkircheund Oslhirche* (1937) 34*47: R.Bultmann, *Théologie des N.T. (1948)* § 1-6; M.Goguel, *Les premiers temps dc l'Eglise* (1949) p. 14s.

aliud est nisi «Congregatio vivens lesu Christi, Domini viventis» 6.

44. Doctrina Ecclesiae. Thesis quoad omnes suas partes, dici potest doctrina *de fide divina et catholica,* quia formaliter in Scriptura continetur et ab ordinario et universali Ecclesiae Magisterio ut credenda proponitur (D 1792).

Eschatologistarum errorem damnavit Pius X decreto *«Lamentabili»* (D 2033 2052).

Regni mere spiritualis et mere interni doctrinas reiicit Pius X *Encycl. «Pascendi»* (D 2088 2091).

Pius XI in *Encycl. «Quas primas»,* quae lota agit de Christo Rege eiusque Regno, aperte docet Regni Christi universalitatem, eiusque naturam dicit esse praecipue quidem spiritualem, sed simul etiam triplici potestate, legislativa nempe, iudiciali et executiva praeditam, et quidem prb hominibus adhuc in hoc mundo viventibus exercendam (D 2194-2196). Ceterum Legislatoris munus iam Conc. Tridentinum Christo vindicaverat (D 831).

45. Valor dogmaticus. Thesis est ergo *de fide divina et catholica,* ob rationem allatam initio numeri 44.

46. Probatio. i.a pars: Iesus praedicavit Regnum.

Saepe ac praesertim in ipso suae praedicationis initio: *Exinde coepit Iesus praedicare et dicere: Paenitentiam agite, appropinquavit enim Regnum caelorum... Et circuibat Iesus totam Galilaeam, docens in Synagogis eorum et praedicans Evangelium Regni* (Mt 4,17.23; cf. 5,3.10; 6,10). Cum autem hoc Evangelium Regni proponit in parabolis, saepissime incipit his verbis: *Simile est Regnum caelorum...* (Mt 13,24.31.33.44.45.47; 18,23; 20,1; 22,2; 25,1; cf. Mt 13,19.38.41.43; 24,14). Recte igitur S.Thomas: «Cum Christus statim in principio evangelicae praedicationis dixerit: *Appropinquavit Regnum caelorum* (Mt 4,17), stultissimum est dicere, quod Evangelium Christi non sit Evangelium Regni»7.

6 A.Harnack, *Lehrhuch der Dogmengeschichte* I (1909); *Das Wesen des Christenlums* (1920): *Entstehung der christl. Théologie u. des kirchl. Dogmas* (1927); A.Sabatier, *Esquisse d'une philosophie de la religion (1897); Les religions d'autorité et la religion de l'esprit* (1904); K.Barth, *Die Théologie und die Kirche* (1928): lu., *L'Eglise, congrégation vivante de Jésus-Christ, le Seigneur vivant:* Désordre dc l'homme et dessein de Dieu I (1949) 95-107· In hoc Barth affinis est Tertulliano montanistae: *De exhort, cast. η, De pudic.* 21 : ML 2,922.1026.

47. 2.a pars: Iesus praedicavit Regnum universale.

N.B. Cum Rationalistae asserant universalismum inductum esse a S.Paulo, ideo oportet hoc assertum independenter ab hoc Apostolo probare. Scopus argumenti, quod sequitur, est ostendere, contra Rationalistas, universalismi ideam non esse alienam a Christi mente.

a) Iesus praedicavit Regnum Dei, quod in V.T. annuntiatum est. Atqui Regnum Dei in V.T. annuntiatum est universale. Ergo Iesus praedicavit Regnum universale.

Mai. patet ex tractatu praecedenti, th.27, in quo probatum est, Iesum fuisse Messiam a Prophetis praenuntiatum. Cf. Mt 11,13; Lc 16,16; *De Revel. christiana* th.27, schol.

48. *Min.* probatur: Gen 12,3; 18,18; 22,18; 26,4; 28,14; cf. Gal 3,16. Ait Deus ad Abraham: *Benedicentur in te* (vel) *in semine tuo universae cognationes* (vel) *omnes nationes* (vel) *omnes gentes terrae.* Ps 2,8: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.* Ps 46,2.3.8.9: *Omnes gentes plaudite manibus, quoniam Dominus Rex magnus super omnem terram... regnavit super gentes.*

In specie, Ps 71, ut messianicus agnitus tam a iudaeis quam a Patribus et exegetis christianis, effert universalitatem Regni Messiae: «1. *Deus iudicium tuum Regi da... 2. gubernet populum tuum cum iustitia et humiles tuos cum aequitate...* 8. *et dominabitur a mare usque ad mare et a flumine usque ad terminos terrae...* ii. et *adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes servient ei...* 18. et *benedicentur in ipso omnes tribus terrae* (ut in citatis ex Genesi)... 20. et *replebitur gloria eius omnis terra».*

Consonant his ea quae de Regno Messiae annuntiant reliqui Prophetae, ut Is 2,2-4; cf. Mich 4,1-3: *et fluent ad eum omnes gentes... et iudicabit gentes et arguet populos*[8]. Dan 2,35.44: *Lapis... implevit universam terram... Regnum Dei comminuet et consumet universa regna.* Dan 7,13-14.27: *Ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis... et dedit ei Regnum et omnes populi... ipsi servient* (cf. Mt 26,64). Mal 1,11: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Ideo iure Simeon appellavit Iesum: *Lumen ad revelationem gentium* (Lc 2,32).

7 1.2 q.106 a.4 ad 4.

J* Cf. Leonem XIII. *'Salis cognitum»,* ubi universalis horum locorum sensus effertur (ASS 28,7131. Psalmorum explicationem vide ap. L.Pirot, *Lu sainte Bible* 5 (1937;.

Ex hoc argumento patet, ideam universalismi clare efferri in sacris V.T. libris, inde a Genesi usque ad postremum Prophetarum; unde certo, contra Rationalistes, tenendum est, ideam universalismi non potuisse esse alienam a Christi mente et iudaeorum auditorum eius. Immo et haec universalismi idea subiacebat proselytismo illi, quem iudaei tempore Christi exercebant et de quo Iesus: *Vae vobis,* inquit. *Scribae et Pharisaei hypocritae, quin circuitis mare et aridam ut faciatis unum proselytum* (Mt 23,15).

49. *b)* Regnum a Iesu praedicatum in eius consummatione erit universale. Ergo consequenter etiam in eius praeparatione in terris.

Antec. probatur ex iudicio finali: Mt 25,31-46. Nam Regnum Christi in consummatione erit inchoandum iudicio universali, in quo sententia dabitur a Christo Rege iuxta legem Christi, et ob servitia Christo praestita.

Ergo obligatio ad observandam legem Christi in terris debuit esse pariter universalis, iuxta gradum promulgationis eius, tam ante, quam post Christi adventum.

50. c) *Ex testimoniis explicitis:*

1) Quia Christus mandat Apostolis praedicationem sui Evangelii universalem in monte Galilaeae: *Euntes ergo docete omnes gentes. Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae:* Mt 28,18; Mc 16,15. W ipsum memorat ante Ascensionem Lc 24,48: *Praedicari in nomine eius paenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosplyma.*

2) Quia Christus praenuntiat praedicationis universalitatem: Mt 5,13: Apostoli sunt *lux mundi;* Mt 8,11: *ab Oriente et Occidente multi venient;* Mt 24,14: *Praedicabitur Evangelium Regni in universo orbe omnibus gentibus;* Mt 26,13: Evangelium praedicatum ubicumque in toto mundo; Act 1,8: *eritis mihi testes usque ad ultimum terrae.*

51. 3) Quia Christus indolem universalem Regni Dei definivit dum eius naturam explicabat in parabolis: *Sinapis,* Mt 13,31: arbor *magna* maior omnibus sui generis; *Zizaniorum* Mt 13,36: ager, in quo seminatur, *est mundus, messis vero consummatio saeculi est; Sagenae,* Mt 13,47: ex *omni genere piscium* bonorum et malorum congregantis, in fine mundi separandorum; *Vineae,* Mt 21,43: *Regnum Dei dabitur genti facienti fructus eius; Nuptiarum,* Mt 22,8: *quoscumque inveneritis vocate ad nuptias...* congregaverunt omnes quos invenerunt.

52. 3·" pars: Iesus praedicavit Regnum eschatologicum quidem, sed etiam in terris exsistens.

A) *Regnum Eschatologicum: a)* Quia annuntiatur in Sermone montano, Mt 5,12, *merces in caelo;*

b) Quia dicitur in parabolis Zizaniorum et Sagenae, Mt 13,39.49, messem et collectionem *in consummatione saeculi* factum iri;

c) Quia triumphus et retributio Regis Regni Dei fient in Judicio finali, Mt 25,31-34, cum Filius hominis in nubibus veniet post mundi finem, Mt 24,29-31 9.10. De indole eschatologica Regni a Christo praedicati ambigi nequit. Immo concedi debet, omnem Regni Dei praedicationem ordinari ad hoc, ut homines disponantur ad assequendum, ut mercedem, Regnum Christi eschatologicum.

53. B) *Regnum Dei in terris exsistens: a)* Ex testimoniis explicitis:

1) Quia Christus dicit Regnum Dei iam adesse inter illos ad quos alloquitur: Mt 12,21-28; Lc 17,20-21: *Pervenit in vos regnum Dei. Regnum Dei intra vos est.*

2) Quia Christus de illo loquitur tamquam de re praesenti: *A diebus Ioan. Baptistae usque nunc Regnum Caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud* (βιάζεται καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν): Mt 11,12-24·

α) βιάζεται si est in *voce media (Lc* 16,16). tunc sensus est: R.C. *vim* suant exserit qua sibi viam fortiter aperiat, et *violenti* dicuntur homines qui vim exserunt ut illo potiantur (Simôn-Dorado).

e) βιάζεται si est in *voce passiva,* tunc duplici sensu reddi potest:

γ) *Sensu amicali* significat, R.C. avide et magna cum contentione appetitur. et violentisunt homines fervidi qui quasi per vim illud obtinere nituntur.

0) Sensu inimico significat, R.C. vi persecutionum impugnatur, et *violenti* sunt persecutores qui Regnum diripere et vastare satagunt: hic sensus melius congruit textui, contextui et locis similibus: Mt 21,32; 23,13 (Knabenbauer) *.

i) *Ascetica* sed non adeo litteralis interpretatio: R.C. magno conatu obtinendum est et solum qui sibimetipsis vim inferunt illo potiuntur: Affinis est interpretationibus ζ et γ.

In quacumque interpretatione R.C. exhibetur ut iam his in terris exsistens.

9 Titulo «Filii hominis· a Daniele (7.13) annuntiato, semetipsum designat Iesus 80 vicibus in Evangeliis; cf. R.Graher. *Petrus der Pels* (1949) 34; De *revel, christ,* n.394-398.

10 Simôn-Dorauo, *Novum Testamentum* l n.394: Knabenbauer, *Comment. in* Evang. *S.Matth.* in Mt 11,12; F.C.Ceui.kmans, *Comment, in Evang. sec. Matth.* in Mt 11,12-24; G.Kittei., *Thenl.* iViirtrrb. s. *N.T.* 1.608-613.

3) Parabola *Seminantis* expresse describit Regnum ut existens in hoc saeculo: *qui seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudo saeculi istius et fallacia divitiarum suffocat verbum»* (Mt 13,4-9.18-23).

54. *b) Aperte* ex parabolis *Zizaniorum* et *Sagenae* (Mt 13, 36-43.47-50). Nam in his parabolis accurate distinguitur duplex stadium Regni Dei, stadium temporale vicissitudinum quae solum in condicionibus vitae terrestris dari possunt, et stadium eschatologicum inde a iudicio finali. Ergo interpretatio *mere* eschatologica omnino excludenda est.

c) Manifeste ex sermone Domini qui dicitur *eschatologicus* (Mt 24,4-36), in quo Dominus corrigit errorem eschatologicum in quem videntur incurrisse aliqui ex eius discipulis (Mt 24,3; Act 1,6), putantes destructionem Urbis, finem mundi et adventum finalem Filii hominis, tria haec circa idem tempus proxime eventura. Christus monet discipulos ut caveant ne tali errore seducantur, sed plura esse toleranda et eventura antequam Evangelium Regni praedicetur in universo orbe. Unde interpretatio de Regno eschatologico imminenti prorsus reicienda est[1].

d) Implicite tandem longae Domini instructiones de munere pastorali et de plurimis laboribus in eo exercendo post Ascensionem Domini, excludunt merum eschatologismum (Mt 10,16-42; 18,1-35; Io 13-17; cf. n.104).

55. 4-a pars: Iesus praedicavit Regnum primario quidem spirituale et internum, sed quod etiam est externum et visibile.

1) *Regnum Christi est spirituale et internum:*

A) *Ex eius scopo primario* qui est salus animi obtinenda per moralem perfectionem; quae consistit: *negative,* in propriae personae et rerum temporalium abnegatione, *positive vero* in Dei et aliorum perfecta caritate. Atqui talis scopus est spiritualis et internus. Ergo Regnum etiam est primario spirituale et internum.

56. *Min.* est suis ipsis terminis evidens.

Mai. probatur: *a)* Scopus est salus animi: Lc 19,10 ad Zachaeum: *Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod*

[1] M. Brunec, *Sermo escliatologicus:* VcrDom 30 (1952) 214-218.26^-277 i i --ni · ή (i953) 13-20.83-94.156-163.21 1-220.282-290.344-351. 5

perierat. Idem comprobant parabolae de ove perdita; de drachmate adinvento et de filio prodigo: Lc 15,1-32, in quibus id quod maxime effertur est Regni Christi intentum salvandi hominum animas. Scopum operis Christi esse salutem hominum patet iam ex ipso nomine *lesu* divinitus ei indito (Mt 1,21).

b) Per moralem perfectionem: Mt 5,48 *Estote ergo vos perfecti,* quae est velut conclusio promulgatae Legis Novae perfectionis, qua corriguntur imperfectiones Legis Veteris: Mt 5,1-47.

57. *c) Negative,* per propriae personae abnegationem: Mt 16,24 Si *quis vult post me venire abneget semetipsum...;* per rerum temporalium renuntiationem: Lc 14,33 *non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.*

d) Positive, per Dei perfectum amorem: Mt 10,22 *Eritis odio omnibus propter nomen meum;* Mt 10,37-39 Qtd *amat patrem et matrem plus quam me, non est me dignus.* Per perfectam aliorum caritatem: Mt 5,43-45 *Diligite inimicos vestros;* Mt 25, 31-40,46, sententia ultimi iudicii, qua salus aeterna datur propter opera fraternae caritatis.

58. B) *Ex officiis quae iniungit,* qualia sunt:

Mt 4,17, *paenitentia;* Mc 16,16, *fides;* Io 13,34-35; 14.21-24; 15,9-17, *caritas;* Mt 5,3-12, *paupertas spiritus, munditia cordis, mansuetudo, patientia, iustitia, misericordia, pacis amor* et *persecutionum sufferentia.* Haec omnia officia sunt imprimis spiritualia et interna.

Id ipsum probant Mt 5,17.21.27.33.38.43, quae sunt officia characteristica Novae Legis in illis rebus, in quibus Lex Vetus corrigitur atque completur, ita ut in oppositione ad observantiam externam, plena interni hominis subiectio mandetur; praesertim vero Mt 5,44; 6,12; 22,34-40, mandatum specificum Novae Legis, seu mandatum caritatis, quod est vel maxime spirituale et internum: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Mandatum magnum: diliges Dominum Deum tuum... diliges proximum tuum. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos* (Io 13,34; 15,12-17).

Quod si officia, quae iniungit, sunt vel maxime interna et spiritualia, ergo et Regnum, quod illa imponit dicendum est esse primario spirituale et internum.

59. C) *Ex bonis quae affert, quae sunt:*

1) *Negative,* remissio peccatorum: Mt 9,1-6,13: *veni vocare peccatores, remittuntur tibi peccata;* Io 20,22-23: *quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Idem probant parabolae de ove perdita, de drachma et de filio prodigo; Lc 15,1-23.

60. 2) *Positive: a)* vita superna qua homines illuminati nova luce vere filii Dei fiant: Io 1,4.9.12s: tn ipso *vita erat et vita erat lux hominum: lux vera quae illuminat omnem hominem, dedit hominibus potestatem filios Dei fieri, iis qui ex Deo nati sunt;*

b) gratia Spiritus, qua homines reddantur templum, in quo Deus habitet: Io 14,17.23: *Spiritus veritatis apud vos manebit et in vobis erit. Si quis* diligit me. *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus;*

c) participatio vitae Christi: Io 15,4s: Ego sum *vitis, vos palmites: qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine rpe nihil potestis facere;*

d) unio intima cum Deo: Io 17,21: ut *omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.*

61. 2) *Regnum Christi est etiam visibile et externum:*

a) Quia Christus praedicavit illud ipsum Regnum, quod erat a Prophetis praenuntiatum. Atqui Prophetae praenuntiaverunt Regnum messianicum visibile et externum. Ergo Regnum Christi est etiam visibile et externum.

Mai. patet ex tractatu praecedenti, in quo est probatum, th.27, lesum fuisse illum Messiam, quem Prophetae praenuntiaverant.

Min. probari potest ex Ps 46.2s.8s; ex Is 2,2-4; ex Mich 4, 1-3; ex Dan 2,44; 7,13-14; ex Mal 1,11; ex quibus locis etiam probavimus Regni messianici universalitatem esse in V.T. praenuntiatam. lidem vero loci etiam probant esse praenuntiatum Christi Regnum visibile et externum, quia etiam ut tale describitur (n.48).

62. *b)* Quia Christus praedicavit Regnum, quod sibi viam inter obstacula aperire debet, vel quod inimici impugnant et vi opprimere conantur, Mt 11,12; quod est velut ager, in quo boni et mali, ut triticum et zizania, simul visibiliter crescunt, Mt 13,24-30.36-43; quod simile dicitur convivio, in quo congregantur veste nuptiali visibiliter induti cum aliis, qui illam non habent, Mt 22,1-14.

Atqui haec non possunt verificari in Regno Christi nisi quatenus sit visibile et externum; nam si esset invisibile et mere internum, constaret solum ex illis, qui sunt boni, exclusis omnibus malis, vel ex solis illis qui eundem sensum filiationis

Dei haberent, neque ab extrinseco inimico impugnari posset. Ergo Christus praedicavit Regnum etiam visibile et externum.

63· *c)* Quia Regnum a Christo praedicatum importat munera et officia visibilia et externa. Ergo et ipsum necessario visibile et externum erit.

Antec. probatur, quia importat missionem ita exercendam, ut propter eam eius ministri persecutionem patiantur velut oves a lupis: Mt 10,16-18; quia eius doctrina praedicanda est *super tecta,* adiecta obligatione illam audiendi: Mt 10,27.40; quia imponit professionem praestandam coram hominibus: Mt 10,32; quia exigit et instructionem ab Apostolis vel eorum successoribus praebendam, et ritum externum baptismi suscipiendi, ad hoc ut quis huic Regno incorporetur: Mt 28,19; Io 3'3'

d) Quia iuxta Mt 16,18s, Regnum a Christo praedicatum est illa Ecclesia, de qua in decursu totius nostri tractatus demonstrabimus esse veram hominum in hoc mundo degentium societatem visibilem et externam, hierarchicam et monarchicam, muneribus socialibus docendi, sanctificandi et regendi praeditam atque veris visibilibus notis discernibilem.

64. Objectiones ,2. I. *Contra Universalismum Regni Dei* a Christo praedicati.

i. Mt 15,24: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel.* Missio Christi restricta erat ad domum Israel. Atqui missio Apostolorum est mera continuatio missionis Christi. Ergo restricta etiam erat ad Israel.

Dist. mai. Restricta erat ad domum Israel missio Christi, qua personaliter durante sua mortali vita exercenda, *trans, mai.;* qua salvifica et per Apostolos continuanda, nego mai.

65. 2. Mt 10,5: *In viam gentium ne abieritis... sed ite potius ad oves, quae perierunt domus Israel.* Missio igitur Apostolorum erat etiam restricta ad Israel.

Dist. *assert.* Missio illa Apostolorum praevia, conc.; missio eorum definitiva, nego. In Mt 10,1-15 sermo est de missione Apostolorum praevia; inde vero a versu 16 ad 42 potius pro eorum definitiva missione Apostolis instructio fit.

66. 3. Act 10,1-11.18: Ex ratione agendi S.Petri cum *gentili Cornelio.* 10,1-8: Petrum vocat Cornelius gentilis visione ad id motus; 10,9-23: Petrus a Deo illustratus ad Cornelium vadit; 10,24-33: Petrus non adiisset nisi a Deo monitus fuisset; 10,34-48: Petrus nunc primum intellexisse (videtur) universalismum; 11,1-18: Petrus rationem sui reddens, provocat non ad mandatum Christi, sed ad revelationes sibi divinitus factas occasione Cornelii.

Inde fit obiectio: Petrus decem circiter annis post Christi Ascensionem nesciebat Evangelium et Baptismum destinata esse etiam Gentilibus. Ergo concludendum est, Christum non praedicasse Regnum universale.

·- Cf. T.ZaPELtNA, *De Ecclesia* (1950) | p.11-29.38-41.61-66.

67. Textum admitto et explico. Petrus cognoscebat sane universalem destinationem Regni Dei, quam Christus saepe praedixerat (Mt 28, 19; Lc 24, 47; Act 2,39). Sciebat etiaTn Evangelium praedicari debere prius iudaeis ac *deinde* gentibus (Lc 24,47; Act 1,8; 2,39; 13,42-48). Indegebat tamen Petrus a Deo illustrari ut plenius intelligeret, non solum in gente circumcisa, *sed* in omni gente, eum *qui timet Deum et operatur iustitiam acceptum esse illi* (Act 10, 35), et ut comprehenderet, neminem *prohibere posse ut baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperint,* etiam si non essent circumcisi (Act 10,47). Similis illustratio facta est ipsi Sto. Paulo (Act 22,17-21). Divina vero haec illustratio necessaria praeterea erat ut reliqui christiani ex iudaeis conversi plane perciperent id ipsum quod ex ea recte concluserunt: ergo et *Gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam* absque circumcisione (Act 11,18). Petrus ergo et Apostoli tunc nondum sciebant *«tempus* praecisum et *modum* quo Gentiles in Ecclesiam essent cooptandi: ignorabant nempe num Gentiles prius deberent circumcidi, an vero sine circumcisione immediate in Ecclesiam Christi ingredi» (F.C.Ceuieemans, *In Act* 10).

Unde in forma, dist. antec. Petrus tunc nesciebat *secundum quid,* Evangelium et Baptismum destinata esse etiam gentilibus, *conc. antec.;* nesciebat *simpliciter, nego antec.* Pariter dist. cons. Inde concludendum est, Christum non praedicasse *secundum quid* Regnum universale, *conc. cons.;* illud non praedicasse *simpliciter, nego cons.*

Ergo concedimus Apostolos tunc ignorasse *secundum quid,* id est secundum *tempus praecisum* et *modum concretum,* quibus gentiles iam tunc et sine praevia circumcisione cooptandi essent Ecclesiae; sed *simpliciter* gentiles aliquando et aliquo modo, saltem post circumcisionem acceptam, aggregandos esse Ecclesiae, probe sciebant Apostoli. Cum autem sciamus Spiritum Sanctum Apostolis esse datum, ut eos edoceret omnia et suggereret eis omnia quaecumque dixerat Christus» (Io 14,26), concedere possumus, Petrum per haec facta circa Cornelium tandem a Spiritu Sancto plene edoctum esse de circumstantiis temporis et modi, quibus gentiles, sine ulla praevia Legis Mosaicae obligatione, admittendi essent Regno Dei. Neque est necessarium praesupponere, Apostolos, utpote immediatos Christi testes, inde ab initio omnia plene ac perfecte novisse (cf. Io 20,9); revelatio enim cum postremo Apostolorum, id est cum morte S.Ioannis, clausa est, prout inferius probabimus, thesi 18 13.

68. 4. Iuxta Act 8,1-4; 11,19-20: Hellenic! ex factione Stephani, non Apostoli, persecutionem a iudaeis patiebantur, atque ideo dispersi, primi inceperunt praedicare gentilibus. Ergo universalismus, non ab Apostolis, sed ab hellenicis inductus est.

Disf. *antec.* Primi inceperunt praedicare post Petrum et consentientibus Apostolis, *trans, antec.;* contra mentem Apostolorum, nego *antec.* Cf. Act 10, i-ii.18; de quo in obiectione, quae immediate huic praecedit.

69. 5. Rom 11,13; Gal 2,7-9: S.Paulus agnoscitur esse «Apostolus gentium». Ergo signum est ab eo inductum esse universalismum.

Dist. *antec.* S.Paulus est Apostolus gentium, speciatim et relative, conc. *antec.;* exclusive et absolute, nego antec. Respice contextum, (cf. Act 13,14-47; Rom 9,3; i Cor 9,19-22).

13 Cf. Y.Congas, Esquisses *du Mystire de l'EgUsc,* p.117-121.

70. II. *Cum illis qui merum eschatologismum propugnant*[14].

Praenota, relate ad eschatologistarum sequentes obiectiones. posse nos negare adversariorum suppositum, nempe Christum errasse in hac re; nam supponimus iam probatum. Deum miraculis comprobasse praedicationem Christi, unde impossibile fit ut in re tam substantiali errorem admiserit (cf. *De revelatione* th.31-34).

6. Mt 10,23: *non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.* Ergo lesus putavit parousiam sui imminere.

Responsio triplex dari potest: 1) Possunt intelligi civitates Israel stricte, id est civitates tunc exsistentes, adventus vero Christi, non de finali parousia, sed vel de resurrectione, vel de virtute qua tolletur Lex Vetus in destructa Hierosolyma, vel de eius victoria in Ecclesia dilatata: sic explicant plures (S.Beda, S.Thomas, Lagrange, Mangenot).

71. 2) Potest etiam intelligi adventus Christi de eius parousia in fine mundi, et tunc civitates Israel erunt, vel illae in quibus Israelitae habitent usque ad mundi finem, vel illae in quibus sit heres promissionum Israel, videlicet Christi Ecclesia: sic alii auctores non pauci (Knabenbauer).

72. 3) Ad lucem Mt 23,29-39, interpretari possumus adventum Christi de eius finali parousia; civitates vero Israel intelligi possunt illae ipsae quae sunt in terra Israel; quae non erunt consummandae, quia cum iudaei Apostolorum praedicationem in illis inchoatam non accipiant, erit semper locus fugiendi de una in aliam, et tandem relinquendae erunt, ut convertantur gentes (Act 13,46); ac postea, ante finalem adventum Christi, reliquiae iudaeorum convertentur (Rom 9,27; 11,5.25s). Sic explicant S.Hilarius et S.Thomas, in hunc locum, et plures alii Scripturarum commentatores ,5.

73. 7. Mt 16,28: sunt *quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo.*

Triplex responsio: 1) Adventus Christi intelligi potest de eius transfiguratione, quae in versiculis immediate sequentibus describitur Mt 17,1-8; cf. Mc 9,1; sic SS.Patres unanimiter, occidentales usque ad S.Gregorium (f 604), orientales usque ad saec.VIII, hunc locum interpretati sunt.

74. 2) Adventum in Regno intelligunt de Ecclesia mire dilatata S.Gregorius M. et S.Beda (t 735), cf. Lc 9,27. Hae duae interpretationes solae occurrunt usque ad medium saec.XIII, et illas proponit S.Thomas, in hunc locum, nec alias citat.

3) Adventum intelligunt, de resurrectione S.Albertus M., de ascensione Carthusianus, de virtute Christi et eius iudicio in excidio Hierosolymae P.Mariana, quem sequitur recentiorum auctorum maior pars ‹6.

75. 8. Mt 24,34: non *praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant.* In praecedentibus agitur de eversione templi et de fine mundi.

Triplex responsio: 1) Intelligunt plures *generationem hanc de* coaetaneis Christi, et tunc *haec omnia,* de eversione templi et Urbis (Dieckmann, Grandmaison, Lagrange, Simôn-Dorado).

14 L.de Grandmaison. *Jesus-Christ 2 (1028)* 280-3:2: J.Knabenbauer, *Comment, in Evang, secundum Matth.* (1022); M.J.Lagrance. *Évangile selon Saint Matthieu* (1027); F.Secarra, S.I., *Praecipuae D.N.Iesu Christi sententiae eschatologicae* (1942).

15 S.Hilarius: ML 0,071-972; S.Thomas, *In Mt* 10,23; C. a Laride, *In Mt* 10,23; F.Secarra, o.c., 100-200.

16 J.de Mariana, *Scholia in Mt* 16 (1620) 755; F.Secarra, *o.c.,* :0-O0; H.Dieckmann. *De Ecclesia* 0.127; T.Zapelena, *De Ecclesia* 1 p.16-22.

2) Alii dicunt, *generationem hanc* esse gentem iudaeorum et tunc *haec omnia de* eversione templi et de fine mundi intelligenda esse censent (Hieronymus, Knabenbauer, Prat, Ceulemans). Hanc explicationem perficere intendit Zapelena, dum scribit, *generationem hanc* significare «generationem iudaicam praesertim quidem, at non exclusive, sed ut solidariam et moraliter unam sive cum patribus in ordine culpae sive cum posteris in ordine poenae». *Haec omnia vero* «significant totam poenam respondentem culpae national! generationis perversae» (cf. Mt 23,29-39).

76. 3) Alii aiunt: *generatio haec* significat litteraliter coaetaneos Christi, typice gentem iudaeorum; *omnia haec* interpretantur iidem litteraliter de eversione templi et Urbis, typice vero de fine mundi (Fillion, Tromp).

Harum solutionum S.Thomas, in suo Commentario in hunc locum, affert primam, sed praeferendam esse censet secundam, ita tamen illam perficiendo ut «generatio haec» intelligatur de omnibus fidelibus unam constituentibus Ecclesiae generationem ad diem usque iudicii duraturam [17].

77. 9. Mt 26,64: *amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli.*

Resp. Illud «amodo», ἀπ" ἀρτι, deest apud Mc 14,26; apud Lc 22,69 legimus simpliciter «ex hoc», *&nb* τοὐ νῦν.

His verbis Iesus annuntiat Sacerdotibus impletionem in eo vaticiniorum Ps 109,1 (cf. Mt 22,4) de manifestatione virtutis Dei, et Dan 7,13, de adventu in nubibus: primum videre potuerunt iam tunc cum Iesu a cruce pendente sol obscurabatur et terra mota est, vel deinde in resurrectione, in Pentecoste et in Ecclesia mira virtute dilatata; secundum vero impletum est in Ascensione et iterum ab omnibus videndum est in adventu Christi ad ultimum iudicium. Ergo verba Domini optimum sensum habent, sive illud *amodo* significet proximitatem sive meram posterioritatem.

78. 10. Ipse Christus dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo* (Io 18, 36). Ergo est mere eschatologicum.

Resp. Iuxta contextum, dist. mai. Christus dixit Regnum suum origine et indole sua non esse mundanum et terrenum, quod ut finem habeat procurare bona temporalia et milites possideat qui decertent pro suo Rege, *conc.;* dixit Regnum suum non exsistere in hoc mundo, quamvis origine et indole sua non sit de hoc mundo, sed ut finem habeat procurare sine armis bona aeterna suorum civium, nego.

Christus de Regno suo asseruit id ipsum quod de semetipso et de suis Apostolis asseruerat: quos *dedisti mihi de mundo non* sunt, sicut et ego non *sum de mundo; et* tamen, *haec loquor in mundo et hi in mundo* sunt (Io 17, i Σ-16). Responso ad Pilatum Iesus dat ei in antecessum solutionem ad accusationem illam iudaeorum: Qui *se Regem facit contradicit Caesari* (Io 19,12); etenim «non eripit mortalia qui regna dat caelestia».

Difficultas orta ex 1 Thes 4,13-18 solvi potest ex 1 Thess 5,1-3; 2 Thess 1, 7-2,5; cf. 2 Petr 3,8-16; Mt 24,36.42-44; D 2179-2181. De his postea n.538s.

79. III. Cum *illis qui defendunt Regnum mere internum.*

ii. Mt 13,44s: Regnum Dei comparatur thesauro abscondito; ergo est invisible.

17 S.Thomas, *Comment, et Calena* in hunc locum. L.de Grandmaison, *Jésus-Christ* 2 (1928) 457-463. Cf. auctores quos citat T.Zapelena *De Ecclesia (1950) 1* p.23-28; F.Segarra, o.e.. 285-449; J.A.OSate, EI *Reino de Dios:* EstBibl 3 (1944) 343-382.495-522: 4 (1945) 15-34.163-196.421-446; 5 (1946) 101-110; Simôn-Dorado, 0.628-635.

Dist. antec. Est absconditum thesaurum quia ob eius excelentiam non facile ab omnibus percipitur et omnibus aliis rebus est praeferendum, *conc. antec.;* quia est mere invisibile, *nego antec.*

80. 12. Sed Lc 17,21 dicit, Regnum esse *intra vos;* ergo mere internum.

Dist. antec. Dicit Regnum esse iam praesens inter illos, ad quos lesus alloquitur, *conc. antec.;* dicit esse intra animum singulorum illorum Pharisaeorum, *nego antec.*

Cf. contextum, ex quo eruitur, non posse intelligi Christum dixisse Regnum Dei esse in cordibus Pharisaeorum ad quos Dominus alloquitur.

81. 13. Io 4,23: Regnum Christi est mere spirituale, quia constat illis qui adorant *Patrent in spiritu et veritate.*

Dist. Haec significant Regnum Christi esse primario et praecipue spirituale, *conc.;* exclusive spirituale, nego.

82. 14. Sed Rom 14.17 Christi Regnum dicitur esse *iustitia et pax ct gaudium in Spiritu Sancto.* Ergo Regnum spirituale esse censendum est.

Dist. Primario et praecipue, *conc.;* exclusive, nego.

83. 15. Sed i Cor 12,6.11 in Regno lesu omnia efficit Spiritus.

Dist. Tamquam principium invisibile in corpore visibili Regni Dei, quod vivificat, *conc.;* tamquam unica causa excludens omne visibile et externum Regni Dei elementum, nego.

84. Scholion. Christus non solum Regnum religiosum et universale, ut vidimus, praedicavit, sed etiam oeconomiam religiosam V.T. abrogatum iri significavit, eique novum ordinem religiosum substituit[18].

Dicimus 1) *Christum significasse V.T. abrogatum iri,* quia in Evangeliis non invenimus Christi verba V.T. explicite abrogantia. Et quamvis in libris V.T. annuntiatur N.T. (1er 31,31; cf. Hebr 8,8; Is 55,3), tamen libri postprophetici de hoc iam tacent et tempore Christi iudaei communiter V.T. ut absolutum et aeternum habebant. Cum autem V.T. tandem Christi morte abrogandum esset, hinc nihil mirum quod illud in vita sua Christus agnoverit: a) in vita *privata,* in Templo circumciditur, praesentatur, Pascha celebrat (Lc 2,21.41); b) in vita *publica,* agnoscit Templum (Mt 21,12), Sacerdotes (Mt 8,4), Scribas (Mt 23,3), Synedrium (Mt 26,63), populi Israel praerogativam prioritatis electionis et custodiae revelationis (Mt ro,6; 15,24; Rom 3, 2; 9,4), ipsam Legem (Mt 19,16), valorem V.T. (Mt 5,17).

85. Significatio futurae V.T. abrogationis ex ipsius Christi verbis constat. Nam essentialia V.T. elementa sunt: Circumcisio (Gen 17,10), Templum (Ex 25-27), Sabbatum (Ex 20,8; 31.12), Puritas levitica (Lev n), Praerogativa populi Israel (Deut 7), Lex ipsa (Ex 19-24 et passim). Atqui Christus Circumcisionem sanationi aequiparat (Io 7,22), Templum annuntiat destruendum et evacuandum esse (Mt 23,38; 24,2). Sabbatum solvit seque illius et templi Dominum dicit (Io 5,18; Mt 12,6.8), Puritatem leviticam respuit

[18] H.Dieckmann; *De Ecclesia* th.7 n.i66-20t. Pius XII: «In Cruce igitur Lex Vetus mortua est, mox sepelienda ct mortifera futura» *(Encycl. 'Mystici Corporis·:* AA5 35 I1943] 205).

(Mt 15,11), Praerogativam populi Israel reicit (Mt 8,10; 21,43), Legem ipsam complet et perficit, indultaque eius tollit (Mt 5,21-48).

86. Dicimus 2) *Christum Veteri Testamento suum novum ordinem religiosum substituisse,* quia indolem illius mere praeparatoriam et nunciatricem novi ordinis a se stabiliendi explicite effert (Mt 11,10-14; Lc 24,44), ac praesertim quia Christus instituit *Novum Foedus* in sanguine suo, in locum illius, quod per ministerium Moysis pepigerat lahveh cum populo Israel in sanguine victimarum (Ex 24,5-8).

87. Ex 24,8 [Moyses] *vero sumptum sanguinem respersit* in *populum, et ait : Hic est sanguis* Foederis, quod *pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.*

Lc 22,20 [Iesus vero accepit] similiter et *calicem, postquam* cenavit, *dicens: Hic est calix* Novum Testamentum in *sanguine meo, qui pro vobisfundetur* (Mt 26,28; t Cor 11,25).

Similitudo inter utrumque Foedus patet ex forma; et ipsa verba, quae Christus adhibuit, necessario debebant Apostolis in memoriam revocare Foedus Vetus. Diversitas vero etiam manifesta est, quia Novum Foedus, non in sanguine vitulorum, sed in pretioso Filii Dei sanguine pangitur. Unde Christus in Novo Foedere complevit etiam et perfecit figuram Veteris Foederis (cf. D712).

ARTICULUS II

Christus instituit Apostolorum Collegium

Thesis 2. Christus instituit collegium duodecim Apostolorum, quibus suam legationem commisit; atque eundem Apostolatum ac reliquis ex Collegio S.Paulo contulit.

88. S.Th., *2.2* q.33 a.4 ad 2; *In Mt* io.Is; *In Io* 20-21; *Ga* 2,11; Suarez. *De fide* d.io s.i n.i-11; Dieckmann, th.qs n.Sfçss et 288ss; Franzelin, th.8; D'Herbigny, th.io n.94ss; cf. n.162; Lercher, n.27oss; Dorsch, p.84ss; Wilmers, th.20 n.ôass; Zapelena (1950) th.7; Cotter, th.27. De voce «Apostolus» in N.T.. cf. Campenhausen ct Mosbech ap. StudTheol 1 (1948) 96-130; 2 (1950) 166-200; M.Meinertz, *Theol. des N.T.* (1950) 1 p.69-79.

89. Nexus. Supponimus iam probatum, in tractatu praecedenti, Christum fuisse Legatum divinum, et in thesi anteriori, eum praedicasse Regnum in terris exsistens, visibile et externum. Nunc quaerimus an Christus suam divinam Legationem aliis continuandam commiserit et sub qua forma inceperit ordinare Regnum externum quod praedicabat. Respondet thesis.

90. Notiones. Instituere est voluntate libera, auctoritativa et expressa aliquid determinate et stabiliter facere in ordine morali vel iuridico.

Discipuli Christi sunt illi qui theoreticam instructionem et practicam vivendi rationem Magistri sequebantur.

Apostolus, vox graeca ab αποστέλλω, significat *missum:* Apostoli ergo sunt illi duodecim ex discipulis specialiter a Christo electi et *missi; et* ideo *Apostoli* appellati (Lc 6,13) quia personam ipsam mittentis repraesentant ut tanquam eius plenipotentiarii agant (Io.13,16).

Collegium est corpus morale, quo aliqui ad hoc electi vinculo sociali inter se uniuntur et ab aliis secernuntur.

Legatio Christi est mandatum et munus salutis hominum procurandae a Patre acceptum, quo Christus Legatus divinus constitutus est, et quod ei competit secundum naturam humanam (cf. supra, II, th.28).

91. Paulus est illa persona historica, quam novimus praesertim ex eius epistolis et ex Actibus Apostolorum.

Apostolatus idem, non quoad modum, quo sit unus de Duodecim; sed quoad naturam Apostolatus, quo Paulus sit immediate a Christo vocatus, electus et missus ad praedicandum eius Evangelium pariter ac reliqui Apostoli.

92. Adversarii. 1) *Rationalistae: a) Spiritualistae* illi qui negant Christum cogitasse de statuendo aliquo permanenti coetu externo, cum solum provocaverit motum internum sensus filiationis erga Deum (Ritschl, Schleiermacher, Harnack); hinc catalogis duodecim Apostolorum nullus subest valor historicus, cum sint typicae et symbolicae fictiones iudaeo-christianorum (Weiss, Seufert, Schütz).

93. *b) Evolutionistae,* concedentes Christum intimiorem necessitudinis rationem habuisse cum illis qui *charismatibus* praevalebant, sed nihil stabile et *iuridicum* statuisse (Sohm); et licet veritatem historicam Collegii Duodecim admittant, attamen dicunt, hoc esse transitorie factum ad missionem prae-

1 Vos 'Απόστολο in libris N.T. occurrit *yg* vicibus, quarum 35 in epistolis S.Pauli, 28 in Act.Apostolorum, 6 in Evang. S.Lucae, reliquae io in aliis N.T. libris. Apostoli sensu stricto appellantur Duodecim et S.Paulus; sensu latiori Missionarii a Duodecim vel a S.Paulo missi ad praedicandum Evangelium. Cf. F.Zorell, N.T. *Lexicon graecum;* H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.249-310; P.Batiffol, *L'Eglise naissante* (1927) 46-68; J.Bouché, *Apostolat:* DDC 1, 674-92; A.Medebielle: DBS *Apostolat,* 1,533-88. De acatholicorum litteratura et theoriis ca. vocem et conceptum Apostoli, cf. O.Linton, *Das Problem der Urkirchc* (1932) 68-100; Rengstorf, *Theol. Woert. z. N.T.* I 406-448.

viam ad solos iudaeos, de qua agit Mt io; postea vero Paulum, ut suam potestatem tueretur, auctoritatem universalem Apostolorum extulisse, Collegium Duodecim creavisse, quibus seipsum aequiparaverit (Lightfoot, Monnier, Harnack) 2.

94. 2) *Eschatologistae et Modemistae,* consequenter ad suam doctrinam eschatologicam, tenent Christum duodecim distinxisse quidem prae reliquis discipulis, non tamen ut illis potestatem ullam aut universalem et stabilem legationem committeret, sed solum ut essent velut reliquiae Israel salvandae seu socii triumphi eius in imminenti mundi fine, et ut repraesentarent duodecim tribus veri Israël in Regno eschatologico 3.

95· 3) *Naturalistae* omnes reiciunt Apostolatum S.Pauli, utpote in visionibus fundatum, quibus ipsi valorem mere subiectivum agnoscunt, sed minime historicitatem et obiectivam veritatem (Weizsaecker, Zahn). *Critici* vero tenent, Apostolatum S.Pauli contrarium esse S.Petro (Baur, Holl, Goguel) 4.

4) Ex parte opposita etiam adversantur illi, qui ut iansenista Barcos, adeo S.Paulum extollunt, ut illum omnino parem S.Petro, etiam ratione Primatus faciant (D 1091); necnon Orientales qui praerogativas Primatus minuere satagunt (D 2147 a). De his tamen in th. de Primatu agemus.

96. Status quaestionis. Agimus de *Legatione* seu de missione, quam *Christus,* id est Messias, habuit secundum naturam humanam, et asserimus eam datam fuisse Apostolis Duodecim et S.Paulo.

2 A.Ritschl, *Die Entstehung der altkatholischen Kirche* (1857); F.Schleiermacher, *Reden ueber die Religion* (1879); J.Weiss, *Das Urchristentum* (1917); A.Harnack, *Das Wesen des Christentums* (1920); R.Sohm, *Kirchcnrecht* I (1923); J.B.Lightfoot, *St.Paul's Epistle to the Galatians* (1865) 89-97; W.Seufert, *Der Ursprung und die Bedeutung des Apostolates* (1887); H.Monnier, *La notion de ['Apostolat* (1903); R.Schütz, *Apostel und Jiinger* (1921); A.Harnack, *Die Mission und Ausbreitung des Christentums* (1924)· Cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.258.270.

3 A.Loisy, *L'Evangile et VEglise* (1908); O Scheel, *Die Kirche im Urchristentum* (1912); H.D.Wendland, *Die Eschatologie des Reiches Gottes bei Jesus* (1931); M.Goguel, *Le problème de l'Eglise dans le Christianisme primitif. Unité et diversité du Christianisme primitif:* RevHistPhRel 18 (1938) 293-320; 19 Ü939) 1-54; Id., *L'idée d'Eglise dans le N.T.: Origines et nature de l'Eglise (1939J* 53-108. F.Heiler, *Urkirche und Ostkirche* (1937) 43· Cf. F.M.Braun, *Nuovi aspetti del problema della Chiesa* (1943) 52-62.

4 C.Weizsaecker, *Das apostolische Zeitalter* (1902) p.6-12; T.Ζλην, *Die Apostelgeschichte* (1922); E.Jacquier, *Les Actes des Apôtres (1926)* Excurs.8; E.Moske, *Die Bekehrung des hl.Paulus* (1907); naturalisticas sententias recenset p.38-87; F.C.Baur, *Paulus der Apostel Jesu Christi* (1845); V.Lütgert, Amt und *Geist im Kampf* (1911); K.Holl, *Der Kirchcnbegriff des Paulus* (1921): M.Goguel, *La conception jérusalémite de l'Eglise:* Mélanges F.Cumont I (1936) 209-223. Contra Holi scripsit W.Mundle, *Das Kirchenbewusstsein der âltesten Christen heit:* ZNTWiss 22 (1923) 20-42.

97. Doctrina Ecclesiae. Thesis integra est *de fide divina,* quia in Scriptura explicite continetur.

Praeterea ex Ecclesiae magisterio debet saltem dici *doctrina catholica.* Nam *a)* Doctrina de electione et missione Apostolorum docetur a Vaticano in Constit. I de Ecclesia (D 1821); parata erat ut proponeretur ipsi Vaticano ulterius explicanda in Constit. II de Ecclesia, c.8: «Ad delectos discipulos, nomen quo illos appellavit declarans, Redemptor divinus, *sicut,* inquit, *misit me Pater, et ego mitto vos»* (Io 20,21). Expresse propugnatur a Leone XIII in *Encyclica «Satis cognitum»* vide infra n.105, et a Pio XII in *Encyclica «Mystici Corporis»5.*

«Divinus Redemptor mystici Ecclesiae templi aedificationem tum inchoavit, cum... contionatoris munus obibat, Apostolos elegebat, mittens eos sicut ipse erat missus a Patre (Io 17,18) doctores nempe, rectores, sanctitatisque effectores in credentium coetu... Per iuridicam, ut aiunt, missionem qua divinus Redemptor Apostolos in mundum misit, sicut ipse missus erat a Patre (Io 20,21), ipse est qui per Ecclesiam baptizat, docet, regit solvit, ligat, offert, sacrificat... Nulla veri nominis oppositio vel repugnantia haberi potest inter invisibilem, quam vocant, Spiritus Sancti missionem, ac iuridicum Pastorum Doctorumque a Christo acceptum munus; quippe quae—ut in nobis corpus animusque—se invicem compleant et perficiant, et ab uno eodemque Servatore nostro procedant, qui non modo divinum afflando halitum dixit: Accipite *Spiritum Sanctum,* sed etiam clara voce imperavit: *Sicut misit me pater, et ego mitto vos* (Io 20,21s); itemque: Qui *vos audit, me audit* (Lc 10,16)».

98. *b)* Doctrinam de paritate S.Pauli cum S.Petro ratione Apostolatus, salva tamen subordinatione Petro debita ratione Primatus, docent Gelasius I et Innocentius X (D 163 et 1091, cf. 2147 a).

Valor dogmaticus. Thesis est *doctrina catholica de fide divina.*

99. Probatio: i.a pars: Christus instituit Collegium Duodecim Apostolorum quibus suam legationem commisit.

1) *Christus collegit discipulos,* qui non solum theoreticam instructionem, sed etiam eius moralem et religiosam vivendi rationem sequebantur. De Christi discipulis mentio fit 170 ies. in Evangeliis.

Lc 6,17 sermo est de *turba discipulorum,* qui sequebantur lesum; Lc 10,1.17; *Designavit Dominus et alios septuaginta duos*

5 Msi 53,314; Leo XIII: ASS 28 (1896) 712.717; Pius XII: AAS 35 (1943) 204.218.224.

(ex discipulis suis) et *misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum;* ergo aliquos ex discipulis adhibebat Christus ut sui auxiliares.

Mt 8,19-20; Mt 9,14-15, vivendi rationem Magistri sequebantur eius discipuli (cf. Mt 10,24s; Lc 6,40; Io 13,16). *Magister, sequar te... dicit ei Iesus: Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

Lc 19,37-39, ut Christi discipuli plane agniti, etiam a Pharisaeis. Pharisaei dixerunt: *Magister, increpa discipulos tuos...*

100. 2) *Christus ex discipulis suis elegit Duodecim,* quibus, strictiori vinculo sociatis, constituit Collegium, velut Duodecim-viratum; unde singuli appellantur «unus de Duodecim».

a) Electionem supponunt iam factam Mt ro.iss; Io 6,70.

b) Electionem narrant Me 3,13s; Lc 6,i2ss6.

ıoi. *c)* Ex narratione Lc 6,12 infertur, agi de re magni momenti; quia ad electionem faciendam se Dominus oratione praeparavit. Infertur etiam nomen ipsum fuisse eis a Christo datum: «quos et Apostolos nominavit». Marcus vero 3,14.16 expresse ait: καὶ ἐποίησεν δώδεκα, ἵνα ὦσιν μετ' αὐτοῦ, καὶ ἵνα οστοστέλλη αυτού κηρύσσειν καὶ εχειν εξουσίαν ἐκβάλλειν τα δαιμόνια, και ἐποίησεν τού δώδεκα.

Quibus verbis significatur constitutio Collegii ut talis ad aliquem finem, id est *ut essent cum ipso (cf.* Act 5,17) et ut *mitteret eos praedicare.* Immo nomen ipsum 'Απόστολο significat hunc electionis finem, ἀττοστέλλειν. Ideo his locis, praeter alios multos, appellantur et distinguuntur ab aliis nomine collegiali «Duodecim»; immo et ita aliquoties nominantur non obstante numero diminuto a luda: Io 20,24; 1 Cor 15,5 (graec.) *Thomas autem, unus de Duodecim.*—«καὶ ὁτι ὠφθη Κηφσ, εἶτα τοϊ δώδεκα».

d) Christus singulari emphasi effert distinctionem quam importat esse ex «Duodecim», ob quam, singularem ab eis fidelitatem exspectabat: Mc 14,17-20; Io 6,66-70 *Unus ex vobis tradet me... unus ex Duodecim.—Nonne ego vos Duodecim elegi, et ex vobis unus diabolus est?*

102. e) Omnes agnoscebant «Duodecim» ex electione Christi constituere coetum clausum eorum, qui singulari praerogativa prae omnibus aliis a Domino insigniti essent. Hoc

6 J.L.Leuba, *L'institution et l'événement* (1950) p.59.

probant Catalogi nominum «Duodecim» accurate et certo ordine ab Evangelistis confecti:

Mt io,iss	Mc 3,i6ss	Lc 6,i4ss	Act i,i3ss
Simon Petrus.	Simon Petrus.	Simon Petrus.	Petrus.
Andreas.	lacobus.	Andreas.	loannes.
lacobus.	loannes.	lacobus.	lacobus.
loannes.	Andreas.	loannes.	Andreas.
Philippus.	Philippus.	Philippus.	Philippus.
Bartholomaeus.	Bartholomaeus.	Bartholomaeus.	Thomas.
Thomas.	Matthaeus.	Matthaeus.	Bartholomaeus.
Matthaeus.	Thomas.	Thomas.	Matthaeus.
lacob. Alphaei.	lacob. Alphaei.	lacob. Alphaei.	lacob. Alphaei.
Taddaeus.	Taddaeus.	Simon Zelotes.	Simon Zelotes.
Simon Cananae.	Simon Cananae.	ludas lacobi.	ludas lacobi.
ludas Iscariot.	ludas Iscariot.	ludas Iscariot.	—

103. Notandum est, nomina aliorum Christi discipulorum non referri, at certe recensentur nomina «Duodecim», non omisso nomine illius qui fuit traditor, nisi in Actibus Apostolorum. Praeterea in omnibus Catalogis ultimus ponitur ludas Iscariotes, Simon vero Petrus primum tenet locum et ut primus effertur a S.Matthaeo: *primus* (πρώτος) *Simon, qui dicitur Petrus:* Simon Cananaeus est idem ac Simon Zelotes, nam vox hebraica Kana significat Zelotes. ludas lacobi et Taddaeus eandem personam designant (Io 14,22; Lc 6,15; Mc 3,18; Mt 10,3; lud 1)[7].

104. *f)* Hos Duodecim specialiter instruit Christus et sic eos praeparat ad missionem, quam eis commissurus est.

Instructiones:

Mt 10,1-11,1 de ratione exercendi munus praedicandi;

Mt 13,10-36 (Mc 4,10) de parabolis quae agunt de Regno Dei, quas solis suis Apostolis explicabat: *Seorsum discipulis suis disserebat omnia* (Mc 4,34);

Mt 18,1-35 (Mc 9,35) de modo regendi et corrigendi fideles in Ecclesia;

Mt 24-25 (Mc 13,1-3) de eversione Urbis, de fine mundi et de iudicio, atque de perennitate Regni Dei non obstantibus persecutionibus inimicorum;

Io 13,17 (Mc 14,17) de mysteriis vitae divinae et de caritate;

In specie: de morte et resurrectione lesu: Mt 16,21; 17,22; 20,17; 26,2; de Novo Foedere in eius sanguine fundato: Mt 26,20; Mc 14,17; Lc 22,14; de Apostolatu iamiam exercendo: Act 1,3; Lc 24,25.

Ergo Christus revera constituit Collegium «Duodecim», quos pro missione eis committenda specialiter instruxit.

N.B. contra eschatologistas, Christum tot ac tales instructiones non fecisset si putasset finem mundi imminere.

7 Cf. J.Knabenbauer, *Comment, in Evang.* (1922-1925); L.Pirot, *La Sainte Bible. Evangiles et Epitre de S.Jude* (1934-1938'; Simôn-Dorado, *Praelect. N.T.* 1 n.355.

105. 3) *Christus suam Legationem Apostolis commisit.*

a) Ipse Christus effert se Apostolis eandem Missionem committere, quam ipse a Patre accepisset: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo... Nunc cognoverunt quia omnia, quae dedisti mihi, abs te sunt; quia verba, quae dedisti mihi, dedi eis: et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti... Ego dedit eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo... Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum* (Io 17,653.14.175; cf. Io 10,36) 8. Et iterum post resurrectionem: Sicut misit me *Pater, et ego mitto vos* (Io 20,21).

Hanc Missionis identitatem accurate explicat Leo XIII in *Encyclica «Satis cognitum»,* cum ait: «Quid enim in condita condendave Ecclesia petiit, quid voluit Christus Dominus? Hoc scilicet, munus idem idemque mandatum in eam continuandum transmittere, quod ipse acceperat a Patre. Id plane statuerat faciendum, idque re effecit: Sicut misit me *Pater, et ego mitto vos. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum»* (Io 20,21; 17,18)... Maturo in caelum reditu, qua ipse potestate missus a Patre fuerat, eadem mittit Apostolos, quos spargere ac disseminare iubet doctrinam suam: Data est mihi *omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi* vobis (Mt 28,i8ss). Salvos fore qui Apostolis paruissent, qui non paruissent interituros: Qui crediderit et *baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur* (Mc 16, 16)... Hinc doctrinam Apostolorum religiose accipi sancteque servari perinde imperat ac suam: Qui *vos audit me audit: qui vos spernit me spernit* (Lc 10,16). Quamobrem legati Apostoli a lesu Christo sunt non secus ac ipse legatus a Patre: Sicut misit *me Pater, et ego mitto vos* (Io 20,21)» (ASS 28,712.717).

b) Obiectum Missionis est idem: Praecursoris (Mt 3,2), Christi (Mt 4,17), Apostolorum (Mt 10,5-7). *Euntes... praedicate dicentes: quia appropinquavit Regnum caelorum.*

c) Persona missa est moraliter eadem persona mittentis Mt 10,40; Lc 10,16: *Qui recipit vos me recipit: et qui me recipit, recipit eum qui me misit. Cf.* Io 13,20.

d) Potestatis plenitudo et universalitas sunt etiam eaedem Mt 28,18-20. *Data est mihi omnis potestas... euntes ergo docete omnes gentes... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*

106. 2.a pars: Christus S.Paulo eundem Apostolatum ac reliquis ex Collegio Duodecim contulit (2.2 q.33 a.4 ad 2).

• Cf. Knabenbaubr et Ceuvemans. *Commentarii* in Io 17.17-19·

Eundem dico, non quoad modum, quo sit unus de Duodecim, sed quoad substantiam seu naturam Apostolatus, eo quod Paulus, pariter ac singuli ex Duodecim, immediate sit a Christo vocatus, electus et missus ad idem Evangelium praedicandum.

107. Probatio. A) *In genere.* Eundem 1) quoad divinam originem Act 9,15; Gal 1,1.115.15: *Vas electionis ut portet nomen meum coram gentibus. Paulus Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per lesum Christum;*

2) quoad obiectum, quod est docere, sanctificare, regere, ad impartiendam hominibus salutem a Christo allatam, ut abunde patet ex obiecto omnium epistolarum S.Pauli;

3) quoad universalem extensionem, prout constat ex epistolis scriptis et ad Hebraeos et ad Romanos, necnon ex 1 Cor 1, 23; 9.19-22, *factus sum iudaeis tamquam iudaeus, ut iudaeos lucrarer; iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem; iis qui sine lege erant tamquam sine lege essem, ut lucrifacerem cos qui sine lege erant. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Omnia autem facio propter Evangelium.*

108. B) *Jn specie.* 1) S.Paulus est a Christo immediate vocatus, electus et missus, ut constat ex narratione discipuli eius S.Lucae: Act 9,3-6.15-16; necnon ex relatione ipsius S.Pauli: Act 26,14-20 *Apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem... ego mitto te.*

2) Ad praedicandum Christi Evangelium, ut attestatur ipse: 1 Cor 15,11-14; 1 Tim 2,7 *positus sum praedicator et Apostolus... Doctor gentium.*

3) Pariter ac singuli ex Collegio Duodecim Apostolorum: a) Nomine: nam se appellat Apostolum in initio suarum epistolarum, exceptis quinque: 1 et 2 Thess, Phil, Philem et Hebr. b) Etiam re, nam se aliis Apostolis aequalem dicit: 2 Cor 12,11 *nihil minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli.* Intelligimus veros Apostolos cum unanimi latinorum et graecorum Patrum interpretatione [9].

4) Ut Apostolus ab aliis Apostolis agnitus: Gal 2,7-10 *cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium... dexteras dederunt mihi et Barnabae societatis* (cf. 2 Petr 3,15).

5) Ut Apostolus a Deo miraculis confirmatus: Rom 15, 16-19; 2 Cor 12,12 *signa Apostolatus mei... in signis et prodigiis.*

9 Cf. R.Cornely Comment, in h.l. et in 2 Cor 11,5.

io ç). C) Apostolatus S.Pauli ex sola eius epistola ad Galatas sufficienter probari potest:

1) i, 11-24 *me segregavit et vocavit ut revelaret filium suum.*

2) 1,6-9.15-16 *ut evangelizarem illum in gentibus.*

3) a) *Nomine:* 1,1 *Paulus Apostolus;* b) *re:* 2,7 *creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis.*

4) 2,7-10 *cum cognovissent gratiam mihi datam.*

5) 3>S *Qu^ operatur virtutes in vobis... ex auditu fidei.*

no. Scholion. Missio, quam Christus Apostolis tradidit, est illa quam ipse habuit ut homo.

Mentitas missionis Christi et Apostolorum, quam aperte docent Leo XII1 et Pius Xll (nn.97 105 1298-1303), intelligitur de Legatione ac potestate messianica, quam Christus habuit ut *homo.* Hanc, iuxta communem theologorum doctrinam cum S.Thoma, potuit Christus aliis hominibus communicare. ut illam ministerialiter exercerent sub potestate *excellentiae seu* ministerii principalis, quam Christus habuit ut *homo,* et sub potestate *auctoritatis* seu principalis agentis, quam Christus habuit *ut Deus* et quam nulli creaturae communicare potuit. S.Tir. 3 q.64 a.3 et 4; cf. 3 q.7 a.7; q.12 a.3; 4 CG 74; J.Salaverri, *El derecho en el misterio de la Iglesia:* RevEspT 14 (19S4) 263-267.

m. Obiectiones l°. 1. Legatio Christi, utpote exigens personam infinitae dignitatis, incommunicabilis est. Ergo Christus suam Legationem Apostolis non commisit.

Dist. antec. Quoad actum redimendi et propria auctoritate condendi religionem, *conc. antec.;* quoad actus applicandi fructus redemptionis et auctoritate vicaria continuandi opus Christi, nego *antec.* Pariter distinguitur *cons.*

2. Urgebis: Applicatio et continuatio redemptionis fiunt tandem per potestatem infundendi divinam gratiam. Atqui talis potestas solius Christi est. Ergo dari nequeunt aliorum actus aut potestas ad applicandum et continuandum Christi opus.

Dist. min. Potestas *auctoritatis* quae Christo competit ratione divinitatis, et potestas *excellentiae* quae Eidem competit ratione humanitatis substantialiter unitae divinitati, solius Christi sunt, conc.; potestas ministerialis per participationem nequit a Christo aliis communicari, nego.

Parit. dist. cons. Dari nequeunt aliorum actus aut potestas auctoritatis et excellentiae, conc.; per ministerialem participationem, *nego.*

Rationem et doctrinam huius solutionis vide apud S.Thomam 3 q.64 a.3 et 4; cf. J.Salaverri, *La potestad de Magisterio:* EstEcl 29 (1955) 172, 183SS.

112. 3. Mt 5,17: Christus «non venit solvere Legem sed adimplero. Ergo nullam habuit novam legationem quam Apostolis committeret.

Resp. cum S.Thoma: *Dist. antec.* Non venit Veterem Legem simpliciter abolere, sed eam complere et perficere, *conc. antec.;* non venit loco illius Novam Legem statuere, sed Veterem Legem mere observare, nego *antec.* Pariter dist. *cons.* Christus non haberet novam legationem quam Apostolis committeret, si non venisset ad statuendam Novam Legem sed mere ad

10 Cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.258.270; S.Th., 1.2 q.107 a.i et 2.

observandam Veterem, *conc. cons.;* si venit ad statuendam Novam Legem qua compleret et perficeret Veterem Legem, *nego cons. 11.*

Lex nova non intendit simpliciter abolere Veterem Legem, sed illam complere et perficere. Lex Vetus erat figurativa et promissiva Novae, et ideo Nova Lege Lex Vetus completa est, quemadmodum complentur figurae veritate et promissum impletione. Lex Vetus erat imperfecta et obiecto praeceptorum et virtute ad ea implenda. Lex Nova illam perfecit ratione obiecti, quatenus statuit[12] «cohibere non solum *manum,* sed etiam *animum»;* et etiam ratione virtutis quatenus impertivit gratiam internam, quae dat vires ad Legem observandam (D 712).

n 3. 4. Mt 19,28 Christus confert Apostolis potestatem iudicandi tantum duodecim tribus Israel. Ergo non dedit eis suam missionem et potestatem, quae erat universalis.

Dist. *antec.* Duodecim tribus Israel intelliguntur spiritualiter omnes heredes promissionum Israel, *conc.;* intelliguntur ii tantum qui sunt camaliter Israelitae, *nego.* Cf. Rom 9,6-8: «Non qui filii camis hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine Israel».

5. In Apoc 7,4-9 duodecim tribus carnaliter israelitae aperte distinguuntur a reliquis. Ergo duodecim tribus Israel intelligendae sunt de iis qui sunt carnaliter israelitae.

Dist. antec. Distinguuntur a reliquis ratione prioritatis electionis divinae, *conc.;* ratione iudicii quo ad fruitionem praemii admittendae sunt, *nego.*

114. 6. Act 1,17.21-22: *Ex iis qui nobiscum sunt congregati... a baptismate loannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis nobiscum fieri unum.:* S.Paulo deerant hae essentiales Apostolatus notae. Ergo non fuit verus et proprie dictus Apostolus.

Dist. *antec.* Hae notae requiruntur ut quis sit unus de Duodecim, *conc. antec.;* ut quis sit verus et proprie dictus Apostolus, *nego antec.*

7. i Cor 15,9: *Minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus:* S.Paulus inferiorem se aliis Apostolis dicit.

Dist. Hoc humiliter dicit habita ratione suorum demeritorum, *conc.;* ratione potestatis propriae Apostolorum, *nego.*

115. 8. Gal 2,2; *Contuli cum illis Evangelium... ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.* Unde S.Hieronymus *(Epist.* 111,8): «Paulus non habuit securitatem praedicandi Evangelium, nisi Petri et Apostolorum fuisset sententia roboratus». Ergo putabat se auctoritate inferiorem caeteris Apostolis.

Dist. antec. Paulus Evangelium suum contulit cum aliis Apostolis ut constaret illud esse intra Ecclesiae unitatem et ad faciliorem reddendam eius acceptationem, seu ne defectus huius collationis offendiculum esset illis, quibus praedicaverat vel praedicaturus erat illud, *conc. antec.;* ad obtinendam ab aliis Apostolis auctoritatem seu ob timorem ne verum esset eius a Christo acceptum Evangelium, *nego antec.*

116. 9. Act 13,2s: *Orantes, imponentesque Saulo manus, dimiserunt eum:* Paulus a Prophetis et Doctoribus Ecclesiae antiochenae suam missionem accepit. Ergo deerat ei immediata Christi missio.

*1 Cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia* th.7: «Secundum Evangelia Christus oeconomiam V.T. abrogatum iri indicavit eique novum ordinem religiosum sustituit» (n.166-301). Cf. supra n.84-87: S.Th., 1.2 q.107 a.3.

*2 S.Th., 13 q.107 a.t ad 2.

Dist. *antec.* Paulus tunc accipit episcopalem ordinationem vel valedictionis benedictionem, *conc. antec.;* accepit tunc missionem Apostolatus, *nego antec.* Nam *dixit illis Spiritus Sanctus: segregate mihi Saulum... in opus, ad quod assumpsi eum* (Act 13,2).

ARTICULUS III

Christus tradidit Apostolis potestatem socialem

Thesis 3. Christus tradidit Apostolis regendi, docendi et sanctificandi potestatem, cui ut sese submitterent homines obligavit: unde auctor est societatis hierarchicae, quam Ecclesiam appellavit.

X17. S.Th., 3 q.72 a.2 ad i; *In* r *Cor* 12,28; *In Ephes* 4,11; SuXrez, *Defensio fidei* I.3 c.6-8; Franzelin, th.9; Palmieri, *Proleg. 2* et 12; Ottiger, th.2; Dieckmann, n.313-342; D'Herbigny, n.102-149; Dorsch, p.84; Schultes, p.99; Lercher, th.27; Zapelena, th.7; Cotter, th.25-27; Straub, th.2; Bainvel, th.i; Wilmers, th.x et 4.

118. Nexus. In thesi praecedenti probavimus, Christum Apostolis commisisse suam divinam Legationem continuandam. Nunc quaerimus quaenam sint in specie potestates, quae sub hac commissa Legatione concessae intelliguntur, et quaenam obligationes inde hominibus oriantur.

119. Notiones. Potestas est vis moralis, quae fons facultatum, iurium et obligationum inter homines esse intelligitur.

Potestas regendi est ius dirigendi et obligandi membra alicuius coetus humani, ut in communem finem conspirent.

Potestas docendi est ius tradendi aliquam doctrinam ita ut ad eam amplectendam teneantur illi quibus traditur.

Potestas sanctificandi est ius Deo dedicandi vel cum Deo uniendi alios, mediante aliquo religioso ritu.

120. Societas est unio moralis et stabilis plurium suis actibus conspirantium in bonum commune.

Auctoritas socialis est vis moralis obligandi societatis membra ad unionem inter se et conspirationem in communem finem.

Varia potest esse societatis indoles ratione subiecti auctoritatem tenentis: hierarchica vel democratica, monarchica, aristocratica, oligarchica, theocratica, patriarchalis, etc.

Hae omnes denominationes, *vi vocis ipsius,* significant diversas regiminis formas, quae a subiecto tenente supremam auctoritatem specificantur.

121. *Monarchica* (μόνο-ἀρχή = unius principatus) est illa societas, in qua supremam potestatem tenet una persona physica.

Democratica (δημό$-κράτο$ = populi imperium) est illa societas, in qua supremam auctoritatem tenet populus.

Pari ratione definiri possunt reliquae regiminis formae omnes. Unde: Hierarchica (ἱερά-ἀρχή = sacer principatus) erit illa societas, in qua supremam auctoritatem tenet persona sacra.

Dicitur *sacra* persona tenens auctoritatem in societate hierarchica, praesertim quia positive a Deo sive immediate sive mediate ad tale munus designata est.

122. Omnis quidem socialis potestas est a Deo, iuxta illud S.Pauli: *non est... potestas nisi a Deo* (Rom 13,1). Sed designatio subiecti auctoritatem tenentis potest esse vel a Deo vel a membris societatis. Cum Deus positive designat subiectum tenens potestatem, tunc persona sive physica sive moralis a Deo designata vere minister Dei est et merito *sacra* dici debet, utpote *divinitus* tali muneri positive dicata.

Vi huius divinae designationis subiectum potestatis obtinet iura propria, quibus alia societatis membra carent; atque inde oritur hierarchica inaequalitas, quae iuxta Patres Conc.Vaticani explicanda est, «non ideo tantum, quia fidelium alii clerici sunt alii laici; sed propterea maxime, quod in Ecclesia est potestas divinitus instituta, qua alii praediti sunt alii destituuntur» [1].

In participatione potestatis diversitas graduum dari potest; unde gradus hierarchici ortum habent. Haec graduum hierarchicorum varietas appellatur etiam, praesertim a iuristis, *sacra hierarchic* (CIC can. 108s).

123. Adversarii[2]. 1) *Hierarchicam Ecclesiae formam* divinitus institutam esse negant: a) Marsilius Patavinus, qui ecclesiasticam potestatem ab auctoritate civili derivat (cf. D 495-499);

b) *Protestantes,* qui tenentes Ecclesiam esse vel sanctorum vel praedestinatorum communitatem, deducunt nullam

1 *Schema I* Constit. ‹I*. *Ecclesia* c.io: Msi 5».543·

2 P.Batiffoi.» *L'Eglise naissante fl le Catholicisme* (192 urs.B 172-193·

esse a Christo determinatam socialem formam, sed ad nudum ministerium praedicationis et cultus sacrorum, a fidelium coetu aliquos eligi, qui ideo *clerici* appellantur (D 961);

c) Richer et *Pistorienses,* qui tenent Christum omnem auctoritatem dedisse fidelium communitati, a qua in pastores derivatur ecclesiastici ministerii e regiminis potestas (D 1502 I5θ3);

d) *luristae protestantes,* ut Pufendorf, Boehmer et Juried, quorum sententias damnare intendebat Conc.Vaticanum, cum definitionem de Ecclesia societate hierarchica divinitus instituta praeparabat Hi docebant Ecclesiam esse «societatem aequalem» et in illa «potestatem clavium populo fidelium fuisse datam».

124. 2) *Socialem ipsam Ecclesiae formam* esse a Christo positive institutam, negant *Rationalistae* critici recentiores, qui consentiunt in asserendo, a Christo procedere solum individualem illam fidem in lesum vel pietatem in Deum Patrem, quas fideles sentiebant; minime vero socialem et hierarchicum Ecclesiae ordinem [3]. Methodo historico-critica inquirunt chronologice in fontes, incipientes ab epistolis S.Pauli ad Thessalonicenses et ad Corinthios, et inde originem mere naturalem socialis Ecclesiae constitutionis vario modo explicant:

125. a) *Evolutionistae* (Baur, Schleiermacher, Ritschl, Lighfoot, Weizsàcker) dicunt, fideles ductos tendentia naturali humana ad associationes cogendas, constituisse autonomes communitates, quae deinde causis internis in ecclesias particulares sponte evolutae sunt, primo collegialiter a presbyteris deinde monarchice ab Episcopis gubernatae. Ex confoederatione vero particularium ecclesiarum nata tandem est universalis Christi Ecclesia [5].

126. b) *Eclectici* duplicem organizationem in Ecclesia distinguunt, et quidem Hatch aliam presbyteralem democraticam, aliam episcopalem monarchicam, quarum primam a iudaeis secundam vero ab hellenistis christiani mutuati sunt. Harnack vero aliam iuridicam mere humanam, Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum, ab extrinseco mutuatam organizationem excogitavit, qua ecclesiae particulares administrabantur; aliam vero religiosam, Apostolorum, Prophetarum et Doctorum, nullis locorum finibus

3 Mst si,58iss.59iss. Protestantium sententias videre potes apud H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.544-555.

* A.v.Harnack, *Lehrbuch der Dogmengeschichte.* I. *Die Entstehung des Kirchlichen Dogmas* (1909); Io., *Das Wesen dès Christentums* (1920); A.Sabatier, *Esquisse d'une Philosophie de la Religion* (1897) J.2 c.2 (vers. Ovejero y Maury, Biblioteca Cientifico-Filosôfica, 1912).

5 F.Ch.Baur, *Das Christentum und die Christliche Kircheder drei ersten Jahrhunderte* (t86o); M.Goguel, *L'idée d*Eglise dans le N.T.* (1939); F.Schleiermacher, *Der christliche Glaube* (1836); A.Ritschl, *Die Entstehung der altkatholischen Kirche* (1857): J.B.Lightfoot, *Epistle to the Philippian** (1878) dissertation I: The Christian Ministry, 181-269; J.A.Robinson, *The Christian Ministry* (1921)'; C.Weizsaecker, *Das apostolische Zeitalter (1902).*

circumscriptam, quarum prima aliam iam initio saeculi secundi absorbuit. Id ipsum nostris diebus tenet Goguel «.

127. c) *Charismatici* (Sohm) tenent ius ecclesiasticum esse ipsius Ecclesiae Christi negationem; nam Ecclesia est mera concio fidelium ad orationem actionis gratiarum peragendam, dirigente ipso Deo per illos, quibus Deus charismata prophetiae vel doctrinae impertiebat (1 Cor 14). Deficientibus autem his charismaticis, locum ipsorum supplebant illi, qui, ab Spiritu per prophetas indicati, a senioribus ad casum deputabantur et Episcopi appellabantur. Ordo iuridicus primo ab Ecclesia Romana inductus est cum Episcopi iure inamovibili praediti sunt in 1 Clem. ad Corinthios, 44,1, saeculo primo exeunte [6].

d) Congregationislae, ut Barth, qui tenet, «Ecclesiam nihil aliud esse quam *Congregationem viventem Christi Domini viventis,* quae in tantum exsistit in quantum suam propriam vitam derivat ab actione sui Domini viventis. Ideo Ecclesia non est communitas, nec coetus credentium in Christum, neque organum eos repraesentans sub forma monarchica, aristocratica vel democratica; sed est meras *eventus,* quo duo vel tres congregantur in nomine Christi (Mt 18,20). Gubernatio Congregationis viventis exclusive pertinet ad eius viventem Dominum. Alia non dantur ecclesiastica munera, sed nudum *servitium,* quod indiscriminatim exercent et cuius in solidum responsabilia sunt Congregationis membra, ita ut prorsus excludatur omnis constitutiva *Hierarchia.* Distributio ministrationum, de facto admissa, habet ut unicum fundamentum varietatem *donorum* a Spiritu Sancto datorum». E.Brunner pari ratione negat in Ecclesia dari iuridica munera stabilia a Christo instituta, ac solum admittit nudum charismaticorum servitium, cuius functiones omnia Congregationis membra aequo iure exercent[8].

128. Doctrina Ecclesiae. 1) *Christum instituisse Ecclesiam ut societatem:* Vaticanum implicite docuit (D 1821) et definivit (D 1822s). In definitione Vaticani deest vox *societas,* quia agit de Primatu et non potuit absolvi et promulgari pars de Ecclesia, quae definitioni praeparabatur. Leo XIII *«Satis cognitum»* (D 1959), Pius X *«Lamentabili»* (D 2052), explicite docent, Ecclesiam ut societatem esse a Christo institutam. Institutionem «proxime ac directe» a Christo factam effert Pius X (D 2145).

Pariter Pius XII ait: «Ecclesia perfecta genere suo societas haberi debet...» Etenim «divinus Redemptor conditum ab se hominum coetum, perfectam voluit genere suo societatem constitutam, ac iuribus omnibus socialibusque elementis instructam» *(«Mystici Corporis»:* AAS 35,2223s). Atque in *Conc. Vaticano* praeparabatur haec aperta definitio: Schema I *de Ecclesia,*

6 E.Hatch, *The Organization of the Early Christian Churches* (1888); A.v.Harnack, *Die Lehre der zwolf Apostel:* TU 2 (1884) 1-2: Id., *Entstehung und Entwickelung der Kirchenverfassung und des Kirchenrechts* (1910); M.Goguel, *Les prem. temps de l'Eglise (1949)* 122ss. 165SS.

7 R.Sohm, *Wesen und Ursprung des Katholicismus* (1909); Id., *Kirchenrecht.* I. Die geschichtl. Grundlagen (1892, 2.· cd. 1923).

8 K.Barth, *L'Eglise, Congregation vivante de Jésus-Christ, le Seigneur vivant:* Desordre de l'homme et dessein de Dieu, 1 p.95-107; W.Stolz, *Der Kirchenbegriff Emil Brunners:* DivThom (Fr) 28 (1950) 293-312.361-394; 29 (1951) 318-344· Cf. n.43 nota 6. Cf. J.Salaverri, *El derecho en el misterio de la Iglesia:* RevEspT 14 (1954) 217-231.

cn.i: «S.q.d., Christi religionem in nulla peculiari societate ab ipso Christo fundata exstantem et expressam esse..., A.s.»; cn.3: «S.q.d., divinarum promissionum Ecclesiam non esse societatem externam ac conspicuam..., A.s.»; cn.io: «S.q.d., Ecclesiam non esse societatem perfectam..., A.s.». In Schemate II, cn.i et 13, eadem doctrina proponebatur 9.

129. 2) *Triplicem esse in Ecclesia potestatem,* cui homines subici debeant, docet Leo XIII *«Satis cogn.»* (D 1958). Pius XII, in *Encycl. «Mystici Corp.»,* docet: «Ipse enim Christus, cum in terris commorabatur... triplicem potestatem Apostolis eorumque successoribus impertiit; docendi nempe, regendi, ad sanctitudinem ducendi homines; quam quidem potestatem peculiaribus praeceptis, iuribus, officiisque praefinitam, primariam legem statuit totius Ecclesiae» (AAS 35,209). Est igitur *doctrina catholica de fide divina,* abstrahendo ab ulteriori quaestione, num et qua ratione potestas docendi *specifice* differat necne a potestate regendi.

130. 3) *Ecclesiam institutam esse societatem non democraticam, sed hierarchical)!,* definiunt contra Pistorienses Pius VI (D 1502); contra Protestantes *Conc.Tridentinum* (D 960 966); contra Modernistas Pius X (D 2145, 3. °); contra reliquos adversarios *Vaticanum* (D 1827s). Ergo dici potest de *fide definita.*

Praeterea *Schemata Vaticani* de Ecclesia: Schema I, cn.11: «S.q.d., Ecclesiam institutam divinitus esse tamquam societatem aequalium; ab Episcopis vero haberi quidem officium et ministerium, non autem propriam regiminis potestatem, quae ipsis divina ordinatione competat..., A.s.». Schema II, cn.3: «S.q. negaverit, in Ecclesia divina ordinatione Hierarchiam... potestate ordinis et iurisdictionis... constitutam esse..., A.s.» 10.

131. Valor ergo dogmaticus. 1) Christum instituisse Ecclesiam ut societatem est *de fide implicite definita;* 2) Triplicem esse in Ecclesia potestatem est *doctrina catholica de fide divina;* 3) Hierarchia est *de fide definita.*

Status quaestionis. Cum divina Ecclesiae institutio sit quoddam factum, historice eruendum est quid revera Christus fecerit (D 1954). Ex fontibus autem demonstratio ad hoc reducitur: Christus in coetu discipulorum a se coadunato immediate instituit auctoritatem, cuius subiectum ipse determinavit; atque hominibus iniunxit ut tali potestati sese submitterent. Ergo iuxta notiones immediate instituit societatem hierarchicam.

9 *Schema I* cn.1.3.10: Msi 5>.539·55·; II, cn.1.13: Msi 53,308.316.
>0 Msi 51,552; 53,316 Cf. l'ivs XII, *'Ad* Sinorum *gentem·: .XAS* 47 (1955) 9·

132. Probatio. I. Christus tradidit Apostolis docendi, sanctificandi et regendi potestatem.

1) *In genere:* Christus tradidit Apostolis suam ipsam divinam Legationem. Atqui Legatio Christi importabat potestatem propheticam, sacerdotalem et regiam. Ergo Christus tradidit Apostolis potestatem docendi, sanctificandi et regendi.

Mai. constat ex thesi praecedenti. *Min.* probata est in tractatu de Christo Legato divino. Conferre potes Ps 2,6-8; Ps 109,4; Deut 18,18-19. Conci, patet.

133. 2) *In specie:* a) *Triplex potestas,* ex Mt 28,18: μαθητεύσατε βαπτίζοντε διδάσκοντε τηρεῖν: facite discipulos—baptizate- docete servare. Habita ratione significationis *discipuli* in Evangeliis, necnon mandati tertii membri instruendi eos de modo *observandi mandata* a Christo, iure intelligendus est textus allatus, non solum de potestate docendi et sanctificandi, sed etiam de potestate regendi, quemadmodum illum S.Hieronymus optime explicat, dum ait: «iussit Apostolis ut primum docerent universas gentes, deinde fidei intingerent sacramento, et post fidem et baptisma, quae essent observanda praeciperent» |

134. b) *Potestas docendi:* Mt 10,7.27: *praedicate super tecta;* Mc 3,14; 16,15; *praedicate Evangelium omni creaturae.*

c) *Potestas sanctificandi:* baptismo Io 3,5; eucharistia Io 6,52.54; Lc 22,19; i Cor 11,24; paenitentia Io 20,22.

d) *Potestas regendi:* Mt 18,18: *quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.* Haec verba diriguntur ad Apostolos, ut patet ex Me 9,333s. In illis agitur de potestate sociali, quia.de ea totum caput 18 tractat. Nam toto hoc capite sermo est de munere pastorali: vv. 1-14, de ratione attrahendi homines ad Ecclesiam, illosque fidelibus adnumerandi; vv. 15-20, de ratione corrigendi et puniendi fideles delinquentes; vv. 21-35, de ratione magnanimiter recipiendi paenitentes.

*35· Verba ipsa *ligare-solvere* respondent verbis aramaicis lEX-Kζiv quae si contraposite dicantur et ad homines re-

11 /n *Mt* I.4 c.28 v.20: ML 26,220. P.Jouon, *L'Evangile de N.S.J-Ch.* In Mt 28,18s. Ad sensum textus melius percipiendum considera illum ad lucem vaticinii messianici Dan 7,13s. ad quod Christus coram tribunal iudaeorum provocavit in favorem suae messianitatis Mt 26,63s. In utroque textu exhibentur potestatis plenitudo, universalitas et perennitas, quas Daniel annuntiat et Christus sibi attribuit.

ferantur, significant impositionem vel relaxationem vinculi iuridici vel socialis. Etiam in hoc sensu adhibentur in Evangeliis Mt 5,17 non *veni solvere legem;* Io 5,18 *solvebat sabbatum.*

Igitur apud Mt 18,18 verba *ligare-solvere* significant veram potestatem socialem, et quidem tanta amplitudine praeditam ut talis potestas extendatur ad *quaecumque,* et tanta virtute ut eius decreta rata habeantur ab ipso Deo: erunt *ligata-soluta in caelis;* quam tamen potestatem auctores dupliciter interpretantur: alii de auctoritate legifera aliquid directe *prohibendi* vel *permittendi;* alii vero de auctoritate doctrinali *declarandi* iuxta legem, prohibitum esse aliquid vel permissum. Atqui in utraque interpretatione verba de quibus agimus important potestatem regendi. Ergo per verba Mt 18,18 Christus tradidit Apostolis potestatem regendi.

Mai. probatur ex exegetis in Mt 16,19; 18,18.

Consentiunt in hoc cum catholicis critici, ut Strack-Billerbeck et Buechsel apud Kittel: «Verbis δέειν et λύειν (Mt 16,19; 18,18) subiacent sine ullo dubio verba aramaica rabbinorum *hasar* et *chera.* Usualis significatio huius rabbinicae expressionis est etiam sine ullo dubio, haec: *sententia doctrinali declarare aliquid prohibitum vel permissum, seu obligationem aliquam imponere vel auferre.* Praeterea, ex Mt 18,17 et ex fere unanimi interpretatione Patrum, in specie significat etiam, *excommunionem infligere vel auferre,* seu *a communitate excludere vel in eam iterum admitterem* Exempla usus Rabbinorum plura citat Strack (p.739-741), ut hoc: «Rabbi lechonias, circa annum 70, ante lectiones suas sic orabat: Placeat tibi lahveh, Deus meus et Deus Patrum meorum, ut nunquam eveniat collegis meis nec mihi, quod audeamus *prohibere* (ligare — δέειν) id quod est *permissum* (solutum — λελυμένον) vel *permittere* (solvere = λύειν) id quod est *prohibitum* (ligatum δεδεμένον)»

136. Min. probatur. Nam *in prima* interpretatione verba evidenter significant potestatem regendi, quae ad aliquid hominibus auctoritative prohibendum vel permittendum reduci potest. *In secunda* vero interpretatione verba significant auctoritatem decernendi circa liceitatem humanarum actionum, iuxta Christi legem, quam Apostoli ab eo traditam acceperunt. Haec autem auctoritativa circa liceitatem decisio, quippe quae ab ipso Deo rata habeatur, est revera summa planeque sui iuris neque ullam in terris sibi superiorem habet. Ergo necessario importat veram potestatem socialem ad decernendum «quodcumque», iuxta legem a Christo traditam l?.

12 Strack-Billerreck, *Kommentar zum N.T. aus Talmud und Midrasch.* I. *Das Evang. nach Matthaus* p-738-747: Buechsel, ap. Kittel, *Theol. Wôrt. zum N.T.* 2 (1950) p-59s; cf. D.Buzy, ap. Pirot, *S.Bib'c 0, Eu. s. S.Matthieu* p.aiçs; Karl Adam, *Gesammelte Aufsaetze.* I. *Zum ausserkanonischen und kanonischen Sprachgcbrauch* uon *Binden und Loesen* (1936) 17-S2; G.Lambert, *Lier-Délier:* RcvBib (1945) 91-103.

13 Léo XIII, *"Satis cognitum».* ASS 28,727; Knabenbauer, *In Mt* 16.19; Lagrange,

137. II. Christus homines obligavit ut sese submitterent potestati Apostolis datae.

Mc 16,16 *qui crediderit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur;* ergo sub discrimine salutis assentiendum est doctrinae, quam Apostoli praedicaverint.

Mt 10,32 *qui confitebitur me et ego confitebor eum: qui negaverit me et ego negabo eum;* Mt 10,40 *qui recipit vos, me recipit, et qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Cf. Io 13,20.

Lc 10,16 qui *vos audit me audit, qui vos spernit me spernit.*

Unde ex iis quae praecedunt constat nobis, Christum immediate instituisse in coetu discipulorum suorum auctoritatem socialem, eiusque subiectum designasse in Apostolis, homines vero obligasse ad sese Apostolis submittendum. Ergo immediate instituit societatem hierarchicam omnibus hominibus obligatoriam.

138. *Confirmatio ex ratione agendi Apostolorum.*

A) Apostoli sibi vindicant et exercent potestatem a Christo acceptam docendi, sanctificandi et regendi, illamque miraculis confirmant. Ergo eam revera a Christo acceperant.

Antec. prob. 1) in *genere:* a) *ex Actibus Apostolorum. Act* 1-12 est narratio exercitii triplicis potestatis Duodecim Apostolorum et miraculorum quibus Deus hanc apostolicam potestatem confirmat. Act 13-28 est narratio exercitii potestatis et miraculorum S.Pauli.

b) *Ex epistolis S.Pauli,* quae agunt de S.Pauli ministerio docendi, sanctificandi et regendi ecclesias, necnon de miraculis, quibus Deus S.Pauli Apostolatum confirmabat.

Antec. prob. 2) *in specie:* Apostoli sibi vindicant et exercent

a) *potestatem docendi: Duodecim:* Mc 16,19-20; Act 5,12-42; *S.Paulus: Rom* 1,1-15; 10,8-15; 15.16-19;

b) *potestatem sanctificandi: Duodecim:* Act 2,14.37-42; *S.Paulus:* 2 Cor 5,17-21; 12,12;

c) *potestatem regendi: Duodecim:* legiferam, Act 15,1-16,5; iudicialem, Act 5,1-11; *S.Paulus:* legiferam, 1 Cor 11,2.17-34; iudicialem, 1 Cor 5,1-13; executivam, 2 Cor 13,1-4,10.

139. B. Apostolorum potestates non conferuntur nisi hierarchice et non nisi a hierarchis exercentur. Ergo ordo hierarchicus Ecclesiae Christo auctori tribuendus.

a) *Hierarchice conferuntur:* In designando ludae successore (Act 1,16-26); in constituendo, agnoscendo et confirmando Apostolatu Sancti Pauli (Gal 1,1.12.18; 2,2.7-9); in designandis Ecclesiarum presbyteris (Act 14,23); in ordinandis Diaconis (Act 6,1-6).

b) *A hierarchis exercentur:* In cogenda et gubernanda primitiva communitate (Act 2,37-43); in constituendis vel confirmandis aliis Ecclesiis Sa-

Evangile selon S.Mi 16,19; A.Medebielle, *Eglise:* DBS 2,579-383; J.Schmid, *Das Evang. nach Math 16,19* (1952); J.M.Bover, El *Evangelio de Sun Mateo* (1946).

mariae (Act 8,2-25) et Antiochiae (Act 11,20-26); in vigilantia supra Ecclesias constitutas (Act 9,31; 15.36); in admittendis ad Ecclesiam gentilibus (Act 10,1-48; cf. 1,8); in decidenda gravissima judaizantium quaestione (Act 15,1-31).

140. *Confirmatur* assertum contra Protestantes:

Inde ab Ecclesiae saeculo primo usque ad saeculum XVI, omnes christiani indubitanter et unanimiter tenuerunt, Ecclesiam institutam esse a Christo in forma societatis hierarchicae. Atqui testimonium universale, tam antiquum, constans et unanime nequit non esse verum. Ergo revera Christus instituit Ecclesiam in forma societatis hierarchicae.

Mai. Hoc docuerunt inde a saeculo I Clemens Rom. ,(f ca.96) (R 19-21); ne.cnon Ignatius Antioch, (f ca.107) (R 44.48s.65).

Deinceps omnes christiani tam catholici quam schismatici idem omnino senserunt.

141. *Mtn.* Tale testimonium nequit non esse verum, nam *a)* constat de testium scientia ex eorum antiquitate et scriptis, *b)* dubitari nequit de veracitate .testimonii, quia nisi a Christo revera instituta esset Ecclesia hierarchica, non teneretur ab omnibus christianis tam unanimi consensu per sexdecim saecula, iuxta illud rationis naturalis evidens effatum: «Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum» I4.

142. III. Christus societatem, quam instituit, appellavit Ecclesiam 15.

Christum indidisse nomen Ecclesiae societati a se institutae negant solummodo illi, qui ad hoc tenendum obligantur ex doctrinis quas sustinent de Ecclesia: *Eschatologistae* nempe, quia nolunt admittere Christum voluisse instituere in condicionibus huius temporis societatem religiosam; *Spiritualistae,* quia censent Christum solummodo inchoasse motum quemdam religiosum mere internum; *Critici Rationalistae,* quia ortum Ecclesiae attribuunt sequacibus Christi, qui causis mere naturalibus moti, sibi societatem aliquam formaverunt, quam a Christo institutam esse autumabant.

143. I) 'Εκκλησία est vox aptissima ad designandam societatem, quam Christus instituit.

a) *Ex etymologica vocis* significatione et ex profano usu: 'Εκκλησία enim derivatur ab ἐκκαλεῖν, quod significat *vocare.* Adhibetur ad significandam convocationem per praeconem factam, non quorumlibet, sed civium, ad deliberandum de rebus civitatis. Importat ergo conceptum socialem electionis et vocationis, qui societati a Christo fundatae apprime congruit.

14 Tertullianus, *De praescriptioifc haereticorum* n.28: ML 2,40.

15 F.Zorell, *Novi Testamenti lexicon;* K.L.Schmidt ap. Kittel, *Theol. Wocrtcrb. z. N.T.* 3 p.528-37: Dieckmann, *De Ecclesia* n.336; P.Batiffol, *L'Eglise naissante et le cathol.* 87: M.d'Herbingny, *Theol. de Ecclesia n.29;* W.Koester, *Die Idee dcr Kirche* p.1-7; A.MedeniELLE. *Eglise:* DBS: *Thés. ling. latin.* «Ecclesia» s (1931) 32-40. Nota -primum Antiochiae discipuli cognominati sunt Christiani» Act 11,26.

144. b) *Ex* usu Veteris *Testamenti* auditoribus Christi valde noto, Semper ac Εκκλησία occurrit in translatione graeca Veteris Testamenti, cuius hebraicus textus originalis prostat, est versio vocis Spp quod sane, salva una exceptione, evenit 72 vicibus. Iam vero, vox *Kahal* in Vetere Testamento invenitur 132 vicibus et signifiait in genere contionem hominum quorumcumque. Attamen cum agitur de ethnicis vel perditis hominibus tunc in graecum vertitur per voces δχλο$ vel συναγωγή, cum autem sermo est de coadunatione bonorum vel de coetu religioso, tunc, salvis una alterave exceptionibus, semper vox *Kahal* redditur voce 'Εκκλησία. Vox autem ~~*ll'* in V.T. vertitur semper voce συναγωγή.

In his vero locis 'Εκκλησία ex contextu significat fere semper convocationem populi electi ob finem religiosum, et quidem sensu universali, ad designandum nempe universum populum theocraticum Israel. Exhibet ergo in suo conceptu notas electionis, universalitatis et coadunationis ob finem religiosum, quae optime consonant societati religiosae, quam Christus instituit.

145. c) *Ex usu iudaeorum,* qui erant Christo coaetanei. Ab his enim voces 'Εκκλησία et συναγωγή adhibebantur in eodem fere sensu, quem ex libris Veteris Testamenti eruimus. Discrimen vero inter utramque vocem animadvertit Schiirer esse in eo quod συναγωγή designaret potius communitates locales, 'Εκκλησία vero universalem praesertim societatem illorum, quos Deus ad salutem vocavit, seu universum populum electum Israel 16.

Unde apud iudaeos vox Εκκλησία significabat imprimis coetum electorum, quos vocavit Deus ad se vera sua religione colendum in hac vita. Ergo erat vox aptissima ad designandam societatem religiosam quam Christus instituerat.

146. II) 'Εκκλησία est vox quam Christus adhibuit ad designandam societatem quam instituit, licet in correspondent! voce sermonis aramaici.

a) Constat vocem 'Εκκλησία referendam esse ad ipsum Christum, ex Mt 16,18; 18,17. Nam genuinitas horum locorum litteraria iam a nemine iure negari potest, post tot criticas textus editiones; genuinitas vero historica negatur tantum ob rationes *a priori* criticorum rationalistarum, eschatologistarum et spiritualistarum. Atqui horum systematum supposita iam in thesibus, quae praecedunt, de errore convicimus. Ergo vox ipsa ad Christum auctorem referenda est, cum nulla sufficiens afferatur ratio, propter quam ipsi Domino abiudicanda sit.

147. *b)* Id ipsum confirmat usus vocis in Novo Testamento. Nam in Novi Testamenti libris vox 'Εκκλησία occurrit 112 vicibus, et quidem 3 in Evangelio S.Matthaei, 23 in Actibus Apostolorum, 63 apud S.Paulum, 20 in Apocalypsi, 6 in aliis Apostolorum Epistolis. Iam vero ab auctoribus Novi Testamenti vox 'Εκκλησία fere exclusive usurpatur ad desig-

16 E.Schurer, *Gcschichtc des uidischcn Volkes* 2,505; Strack-Biluerbeck, *Das Evaηχ· nach Matth. 733a.*

nandos coetus Christianorum, vox vero συναγωγή reservatur ad significandos religiosos coetus iudaeorum. Hic autem constans usus optime explicatur ex supposito quod ipse Christus societatem a se institutam appellaverit Ecclesiam, quemadmodum de facto S.Matthaeus (16,18; 18,17) attestatur revera evenisse. Hoc autem ulterius confirmatur ex usu vocis iam in primitiva ecclesia hierosolymitana (Act 5,11; 8,1-3; 9,31; 11,22; 12,1-

148. *c)* Ignoramus sane vocem ipsam aramaicam, qua Christus usus est, quia originalis textus aramaicus S.Matthaei est deperditus. Attamen quia vox Quehala in sermone aràmaico strictius respondet voci hebraicae Kahal, merito supponendum est eam, potius quam Kenischta, esse a Christo-adhibitam [17].

149. *d) Sensus* quem habet vox 'Εκκλησία in sacra Scriptura est revera multiplex, quemadmodum ex iis quae praecedunt iam satis patet, praecipui autem hi sunt qui sequuntur:

1) *Ecclesia* dicitur, *sensu amplissimo,* complexus illorum, quorum Christus est reparator, gratiae auctor et gloriae largitor. Sic S.Paulus (Coi 1,18). Sub hoc conceptu comprehenduntur Ecclesia triumphans in caelis, patiens in purgatorio et militans in terris.

150. 2) *Ecclesiae militantis,* iuxta sacram Scripturam, triplicem stadium cum S.Gregorio Magno distinguere possumus, ubi ait: «Sancti ante Legem, sancti sub Lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes Corpus Domini, in membris sunt Ecclesiae constituti» [18].

a) *Populus* electus *ante Legem* dicitur Ecclesia in deserto Sin, cum erat in via ad montem Sinai ubi data est Lex: Num 20,4: *Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem? (Act* 7,38).

b) *Populus* iudaicus *sub Lege* appellatur Ecclesia perfecto iam Salomonis templo: 3 Reg 8,22: *Stetit Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiae Israel.*

c) *Societas Christianorum* hierarchica, nominatur Ecclesia et quidem hic est usus maxime proprius Scripturarum Novi

17 Cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.340; Th.Zahn, *Das Evattg. Matth.* (1905)540; K.L.Schmidt, ap. Kittel, *Thcol. Woerterb. z. N.T.* 3 p.52Qs praefert kenischta.

18 S.Gregorius M., *Epist.* I.5 n.18 ad loannem Constantinopolitanum Episcopum: ML 77,740 (R 2295); *Catech. Cone. Trident.* De Symb. a.9 n.7-917·

Testamenti, sive dicatur universaliter (Act 20,28), sive particulariter de ecclesiis localibus (Act 15,41) 19.

151. Scholion i. De momento temporis quo Ecclesia instituta est. Probavimus Christum instituisse Ecclesiam. Si quaeratur in quo momento hoc Christus fecerit, respondemus cum Pio XII: «Divinus Redemptor mystici Ecclesiae templi aedificationem tum inchoavit, cum condonando sua tradidit praecepta, tum consummavit, cum clarificatus a cruce pependit; ac tum denique manifestavit promulgavitque cum adspectabili modo Paraclitum Spiritum in discipulos misit» («Mystici *Corporis»:* AAS 35.204).

Circa momentum et actum quibus Christus proprie Ecclesiam instituit diverse opinantur catholici auctores, varie aestimantes diversos actus quibus inde ab initio vitae publicae Christus Ecclesiae institutionem revera intendebat '°.

152. Iuxta doctrinam Pu XII (AAS 35,204.211), Ecclesiae aedificatio in cruce consummata est, quatenus Ecclesia est Christi Capitis Corpus Mysticum: seu quatenus est «Christus ipse opus suum redemptionis generis hu-

19 Vocis 'Εκκλησία in N.T. sensus particularis cl localis censebatur esse primarius ct antiquior a inultis, praesertim acatholicis: sic etiam ab aliquibus catholicis ut a P. Batiffol. *L'Eglise naissant* (1927) 90 et W. Koester. *Die Idee drr Kirehe beim Ap.Paulus* (.1928) 15. Ab aliis· vero tenetur contrarium, quoti nobis etiam verius videtur, nempe sensum vocis universalem apud christianos usu priorem fuisse, qui omnium Christi fidelium coetum appellabant «Ecclesiam Dei», quemadmodum ἐκκλησία sensu universali «Kahal lahveh» significabat in V.T. universum Dei populum: sic H. Dieckmann. *De Ecclesia* n.342,8.39is; A.J. Mason. *Conceptions of the Church,* ap. *Essays on the early History of the Church,* edit. H.B. Swete (IQ21' 5-9: K.L. Schmidt, *Die Kirehe des Urchristentums.* Fcstgabe f. A.Deismann (1927" 263-270; In.. 'Εκκλησία *Theol. Worth z. N.T.* 502-539. Cf. O. Linton, *Das Problem* dcr *Urkirche* (1932'l p.438-145; H. de J-ubag, *Catholicisme.* Les aspects sociaux du Dogme (1938) p.28-33; F.M. Braun, Nuoui *aspetti del problema della Chiesa (1943)* 38-45· M. Meinertz, *Théologie des N.T.* (i950) 2 p.158.

20 *Sententiae* circa momentum et actum quibus proprie Christus Ecclesiam instituit. i. a Christus Ecclesiam tunc proprie instituit cum Petro Primatum et Apostolis potestates post resurrectionem contulit: Su Xrez, *De fide* d.9 s.2 n.6: Legrand, apud Migne, Cursus 4 p.4is; Place: Msi 51,753; J. Kleutgen: Msi 53.309; in tractatibus de Ecclesia: Franzelin, nos; Palmieri, 2-8: Mendive, 127s: Crosta, n.324; Wilmers, n.25: De San, n.28-33; Van Laak, *Tract. dogmat.* 206; Billot, q.i § 1; Straub, n.294; Muncunill, n.28 et 225; ZuBizARRETA, n.348; Ottiger, 2241 Lercher (1927) n.2?o: De Gvibert, n.67: Van Noort. n.io; Schultes, 50; Holzmeister: VerDorn 7 (1927) 164.

2.· Christus Ecclesiam tunc proprie et plene instituit, cum Spiritum S. die Pentecostes misit: In tractatibus de Ecclesia: De Groot, q.2 a.4 n.2: Hurter, 223.228; Bainvel, 37: Caruel. 250; Pesch, *Comp.* l n.211; D'Hebbigny, n.54: Hervé (1949) n.279; Dieckmann. n.246: Goupil, 12; Egger, 399-402: Journet, 20-22. Zapelena (1050) th.5; Murillo, *Jesucristo y la Iglesia* pars 2 t.i p.UQs: De la Taille, *Mysterium fidei 332;* Mersch, *Lc Corps Mystique* l p.50; G.de Brogue, *L'Eglise nouvelle Eve:* NouvRevTh 67 (1945) 9$s«

3.· Ecdesiam proprie et plene natam esse in Cruce, tenent, in tractibus de Ecclesia: Mazzella, n.427, cf. tamen n.444; Tanquerey, n.35; Michelitsch, § 164; Lercher. *Institut. Theol.* 4,! (1945) n.39; i.Anger. *La doctrine du Corps Mystique* (1929) 235: S.Tromp. *Corpus Christi quod est Ecclesia* (1937) 33-36.104-105; In. (1946) p.41.115; M. Teixeira Leite, O *Carpo Mistico* (1944) 214: F.Grivec, *Skrivnostno telo Jczusa Kristus-Okroznica PP.Pija XII* (1944) 84: W.Bertrams. *De origine Ecclesiae:* PerCanMot 35 (1946) 241-255: Id., *Die Eigennatur des Kirchenrechts: Greg 27* (1946) 543: Riedmann (1955) 45-52.

4.“ «Vere et perfecte Christus Ecclesiam instituit, cum in ultima coena sacrificium crucis quodammodo anticipans vinum convertit in sanguinem suum, dicens: Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo» (Lc 22,20); E.Dorsch, *De Ecclesia* 6is.

5.· Ex acatholicis tenent Ecclesiam esse in ultima coena institutam, Kattenbusch, *Der Quellort der Kirchcnidec,* Festgabc für Harnack (1921) 169, et Wendland, *Die Eschatologie des Retches Cottes bel Jesus* (1931) 146s. Censent Ecclesiam plene institutam esse die Pentecostes, Bonhoeffer. *Sanctorum Communio:* NeuStGeschThK 26 (1930) 81, et Heilfr, *Urkirche und Ostkirchc* (1937) 63. Indolem fontium non permittere momentum temporis determinare, in quo Christus Ecclesiam instituerit, opinatur K.L. Schmidt, *Die Kirehe des Urchristentums,* Fcstgabe für A.Deissmann (1927) 296; Id., ap. Kittel, *Theol. Woertcrb. z. N.T. 3.525* cf. O. Linton, *Das Problem der Urkirche* (1932) 178; L. Leuba, *l 'institution et l'événement* (1950) p.90s.

mani, quod quidem semel in ara crucis perfecerat, bis in terris misericorditer continuans» (Msi 51,750).

Consummata igitur in cruce dicenda esse videtur Ecclesia, non solum considerata absolute et prout est supernaturalis Dei domus supra Christum ut fundamentum primarium principale et proprium aedificata, vel prout est corpus morale Christo ut Capiti primario principali et proprio unitum atque ideo a Spiritu Christi animatum et vivificatum; sed etiam quatenus Ecclesia est definitiva salutis oeconomia socialis quam per modum Testamenti per se ipse Christus tunc constituit, «cum credendi et vivendi normam tradidit, sacrificium et sacramenta instituit, pastorale munus et hierarchicam potestatem disposuit», tunc vero formaliter et simpliciter consummavit cum ultimam Testatoris voluntatem immutabili lege. Ipse sua morte sancivit (cf. Msi 5Γ.552; 53.3I5-3I7; Hebr 9,15-17; 10,9-14).

153· Posterius idem Pius XII, in *Encycl. «Mediator Dei»,* eandem doctrinam confirmavit scribens: «Christus Ecclesiam suam columnam veritatis ac gratiae dispensatricem constituit, suoque crucis sacrificio fundavit, consecravit et aeternaliter stabilivit» (AAS 39 [1947] 527). Nihilominus censemus nihil obstare quominus concedamus, ipsum Christum, post suam a mortuis resurrectionem, Ecclesiae aedificationem eatenus revera perfecisse, quatenus ut Testamenti in cruce consummati exsecutor Ipse suae redemptionis fructus applicare incepit; aliquorum forte sacramentorum institutionem complevit, alia Ecclesiae socialia lineamenta determinavit, aliqua munerum et officiorum subiecta designavit, promissa denique Spiritus Sancti dona visibiliter effudit.

154. Scholion 2. In quo differant conceptus Regni Dei et Ecclesiae. Ecclesiae conceptus inadaequate coincidit cum conceptu Regni Dei. Etenim Regnum Dei est oeconomia salutis supernaturalis positive a Deo revelante condita, quae annuntiabatur in Vetere Testamento et a Christo constituta est in Regno Messianico. Hoc Regnum duplici stadio constat, alio viae seu praeparationis in condicionibus huius vitae exsistenti, alio patriae seu consummationis in altera vita aeternaliter duraturo.

Ecclesia vero, sensu stricto, est Regnum Dei in condicionibus huius vitae exsistens et quidem prout socialiter de facto a Christo constitutum est 2I.

21 Cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia* 0.27-29.855$. !2iss.238ss. L.Cerfaux, *L'Eglise el le Règne de Dieu:* Recueil L.Cerfaux (1954) II P-365-387. De relatione inter Ecclesiam et Regnum Dei, Rationaiistae et Eschatologistac priores tenebant, Christum de duratura societate condenda non cogitasse, sed solum intendisse Regnum, vel mere spirituale et internum (Schleiermacher, Ritschl. Sabatier, Hamack), vel solum in fine mundi condendum ij.Weiss, Scheweitzer, Loisy, Schnitzer;. Hodierni vero, ut K.Barth, G.Gloege, H.D.Wendland, K.L.Schmidt, affirmant, non solum Regnum Dei, sed etiam Ecclesiam habere Christum auctorem, attamen in eius mente Regnum non est nisi transcendens et triumphans, dum e contra Ecclesia est solum temporalis et militans, ac proinde inter Regnum et Ecclesiam absolutam distinctionem et contrapositionem statuunt, quamvis concedant Ecclesiam ordinari ad Regnum tamquam instrumentum Dei in qua vis Regni efficaciter agit: K.Barth, *Die Kirche lesu Christi* (1934); Ip·. *Credo* (1935); G.Gloege, *Reich Gottcs und Kirche im N.T.* (1929); H.D.Wendland. *Die Eschatologie des Reiches Gottes* (1931); K.L.Schmidt, *Royaume-Eglise:* RevHistPhRe 18 (1938) 145-173· Cf. F.M.Braun, *Nuovi aspetti del problema della Chiesa* (1943) 151-158. De Rationalistis et Eschatologistis prioribus, cf. th.i.

155. Scholion 3. Varius sensus vocis Ecclesiae. *S.Thomas* vocem Ecclesiae vario sensu adhibet 2223

a) *Sensu latissimo* Ecclesiam appellat «corpus eorum qui ad gloriam divinae fruitionis ordinantur; et sic corpus Ecclesiae non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex angelis».

b) *Sensu lato* «corpus Ecclesiae constituitur ex iis, quorum Christus est Salvator, id est, ex hominibus qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius».

c) *Sensu minus lato* distinguit Ecclesiam «secundum statum patriae» quam appellat «triumphantem» et quam definit «congregationem comprehendentium», ab Ecclesia «secundum statum viae», quam appellat «militantem» et quam definit «congregationem fidelium».

156. d) *Sensu slricto,* qui ad Ecclesiam militantem actu pertinent in duas clases dispescuntur: alia eorum qui caritate, alia vero illorum qui sola fide Christo uniuntur; et quia «antiqui Patres ferebantur in Christum per fidem et dilectionem eandem, qua et nos iri ipsum ferimur», ideo etiam ipsi «pertinebant ad idem corpus Ecclesiae ad quod nos pertinemus». Hinc patet sensus quo S.Thomas militantem Ecclesiam definit «congregationem fidelium» tam Veteris quam Novi Testamenti, et cur asserat «fidem informem esse communem omnibus membris Ecclesiae».

157. e) *Sensu strictissimo* Ecclesiam intelligit eam quae inde a Christo et ab Apostolis incepit. Talis est illa quae «per Apostolos Ecclesia plantata est», et quae post eorum mortem, perdurat, nam «eadem est numero Ecclesia quae fuit tempore Apostolorum et quae nunc est; quia eadem fides et eadem sacramenta, eadem auctoritas, eadem professio».

158. F.Suârez pari ratione distinguit Ecclesiam, quam definit ut S.Tl10mas «congregationem fidelium», qui in Christum crediderunt inde ab Adamo usque ad mundi finem, ab Ecclesia «secundum peculiarem modum quem ex Christi Domini institutione vendicat», quae prout nunc est, fuit a Christo Domino instituta», et quidem «a principio suae praedicationis Christus coepit illius iacere fundamenta, non tamen omnino absolvit aedificium usque ad tempus fere ascensionis, cum dixit Petro: *Pasce oves meas».* In Catechismo Conc. Tridentini: «qui ab Adam fuerunt, quive futuri sunt, quandiu mundus exstabit, veram fidem profitentes, ad eandem Ecclesiam pertinent» 23.

159. Obiectiones 24. 1. 1 Petr 2,5: Omnes fideles pariter sacerdotes: *Sacerdotium sanctum.*

Dist. Sensu lato, quatenus baptismo et confirmatione assimilantur aeterno Sacerdoti et offerre debent hostias spirituales ut membra corporis Ecclesiae, *conc.;* sensu stricto seu potestate hierarchica praediti, nego.

2. i Tim 2,5 *Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum homo Christus lesus:* Christus mediator unicus excludit hierarchiam.

22 S.Thomas de vocis Ecclesiae sensu: a) *latissimo, 3* q.8 a.4; b) *lato,* 3 q.8 a.3; c) *minus* Lito, 3 q.8 a.4 ad 2: 4 CG 76; d) strido, 3 q.8 a.3 ct ad 3: 2.2 q.4 a.5 ad 4: cf. S.August., Enor, in Ps 90,2,1: ML 37,1159 (l< 1479); e) *strictissimo, t Sent,* d.16 q.t a.2 et ad 4; *Quadi.* 12 q.13 a.19.,

23 F.Suahkz, *Dr /ide* d.9 s.2; *Catechismus Conc. Tridentini* pars 1 a.9 n.17. Cf. etiam SuArez, *De Jide* d.12 s.4 n.22; Y.Congar, *Ecclesia ah Alvi:* Festschrift fur K.Adam (1952) p.79-108.

24 Cf. T.ZAPKI.KNA, *De Ecclesia* th.4 ct 7.

Dist. Ut mediator necessarius, principalis et causa meritoria, *conc.;* ut libere a Deo institutus, ministerialis et instrumentaliter applicans merita redemptionis, nego.

3. Nec Deus, causa principalis, neque effectus, gratia sanctificans, ulla patiuntur humana instrumenta.

Dist. Necessaria, *conc.;* libere a Deo statuta et divinitus elevata ad effectus in virtute causae principalis producendos, nego.

160. 4. Lc 22,25. Omnis dominatus excluditur: Reges *gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem* non sic.

Dist. Abusivus, *conc.;* ordinatus, nego.

5. Act 15,6,22s. Potestas ferendi leges universales videtur tribui universae Ecclesiae: *Placuit Apostolis et Senioribus cum omni Ecclesia.*

Dist. Sub auctoritate hierarchica Apostolorum, *conc.;* ita ut in hoc decidendo parilis esset omnium potestas, nego.

6. 2 Cor 2,6-10. Ipsa communitas potestatem exercebat et decidebat: *Sufficit illi obiurgatio haec quae fit a pluribus. Cui autem aliquid donastis, et ego.*

Dist. Auctoritate accepta a S.Paulo ad exequendum eius mandatum, *conc.;* auctoritate propria ad imponendum novum mandatum, nego. Cf. i Cor 5, 3-'3.

7. Mt 20,23: Christus non habebat facultatem concedendi munera vel potestates in suo Regno. Ergo nullas potestates potuit suis Apostolis tradere.

Dist. antec. Christus non habebat facultatem concedendi potestates ad arbitrium hominum et independenter a voluntate Patris, *conc.;* ad suum arbitrium iuxta Patris voluntatem, nego.

8. i Cor 12,11: In Ecclesia *omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.* Ergo excluduntur et superfluae sunt quaelibet aliae potestates hominum.

Dist. *antec.* Ut causa prima, primaria vel principalis, quae per ministerialem participationem adhibere dignatur causas secundas, secundarias vel instrumentales, *conc.;* ut causa unica, nego 25.

25 Cf. S.Th., *De* vent, q.i | a.i; | q.22 a.3; 3 q-6a a.3 et 4; J.Salaverri, EI *Derecho en* el *misterio de la Iglesia:* RevEspT 14 (1954) 263-267.

CAPUT II

De institutione Ecclesiae monarchicae

ARTICULUS I

Christus S.Petro promittit iurisdictionis primatum

Thesis 4. Iesus immediate et directe S.Petro Primatum iurisdictionis seu supremam potestatem in universam Ecclesiam promisit.

i6x. S.Th., 2.2 q.i a.10; q.n a.2 ad 3; 3 q.8 a.6; 4 CG 76; *In Mt.* 16,17-19; S.Bellarminus, *Controv.* 3 l.i c.1-13; F.Suxrez, *De triplici virtute theologica d.5* s.8 n.i; *Defensio fidei* L3c.io-ii:Th.Granderath, *Const. Dogm. Conc. Vatie.* 120; I.Ottiger, 2 p.61-212; A.Straub, i th.35; D.Palmieri. th is p.292; L.Billot, i p.528; J.V.de Groot, q.14 p.492; M.d'Herbigny, th.15; H.Dieckmann, th.13s; E.Dorsch, th.6; J.Muncunill, n.39; R.Schultes, c.6 a.42; T.Zapelena, i th.8; A.C.Cotter, th.28; L.Lercher, th.29; DTG 13,247-262; DBS 2,245-590; RealEncyKlassAItWiss 19.1335-1361; M.Meinertz, *Theol. des N.T.* (1950) I 69-79; J Ludwig, *Die Primatworte* Mt 16,18s. *in der altkirchlichen Exegese (1952);* O.Karrer, *Uin dic Einheit der Christen: Die Petrusfrage* (1953); O.Cullmann, *Saint Pierre* (1952).

162. Nexus, i.0 In thesi praecedenti probavimus Christum instituisse Ecclesiam societatem hierarchicam et in ea Apostolorum Collegium constituisse socialis potestatis subiectum. 2.° Nunc quaerimus utrum ex Christi institutione Ecclesia hierarchica sit societas oligarchica, in qua supremam potestatem collegium aequalium obtineat, an monarchica, in qua socialem potestatem supremam teneat una persona physica. 3.0 Respondet thesis, dum asserit, Christum in Ecclesia: *a)* monarchicum regimen in specie determinasse, *b)* et ut subiectum supremae potestatis socialis personam S.Petri in individuo designasse.

163. Notiones. Primatus *vi vocis est* titulus quo quis dicitur primus in aliqua re. Primatu honoris quis dicitur primus honore (Decanus in Cardinalium Collegio). Primatu directionis quis dicitur primus directione seu mera consulendi monendique, non iubendi, facultate praeditus [1] (Praeses in Senatu). Primatu dominationis quis dicitur primus potestate dominativa (Paterfamilias). Primatu iurisdictionis quis dicitur primus iure auctoritatis in *societate -perfecta.*

[1] D 1505; Leo XJII. *Satis cognitum:* ASS 28.726.

Iurisdictio enim est auctoritas in societate perfecta. *Societas vero perfecta* dicitur illa, cuius finis est bonum hominis in genere suo supremum et quae ad illum obtinendum sufficientia media re vel iure possidet; quae propterea neque est pars alius societatis neque alii directe subordinata.

164. Verba «immediate et directe» intelleguntur prout illa Conc. Vaticanum explicavit (D 1822 in fine), et iuxta animadversiones eiusdem Concilii: «Verba immediate et directe sunt contra Richerianos, qui Petro eiusque successoribus potestatem dumtaxat ministerialem adscribunt, itemque dicunt, institutum divinitus Primatum neque fuisse Petro immediate tributum, neque ad eum directum, sed ad Ecclesiam uti ad proprium subiectum, cuius nomine Petrus illum accepit»2.

Unde, *immediate* Petro Primatum promitti, significat, promissionem Primatus a Christo fieri *immediate ipsi Petro,* non mediantibus Apostolis nec mediante Ecclesia; *directe* Primatum Petro promitti, significat, verba quibus Petro fit promissio, exprimere *directe* ipsum Primatum, non aliam praerogativam, ex qua forte sequeretur vel in qua contineretur Primatus.

165. Dicimus, explicationis gratia, Primatum iurisdictionis seu supremam potestatem, quia id quod stricte in hac thesi probare sufficit est, Christum Petro promisisse *supremam potestatem* in societate a se statuta. Hanc supremam potestatem socialem esse in specie potestatem *iurisdictionis,* necessario sequetur ex thesi, in qua probandum nobis postea est, Ecclesiam esse societatem perfectam, cuius propria est iurisdictionis potestas, ut ex notionibus constat.

166. Adversarii. *Primatum S.Petri negant* ante saeculum XIX et deinceps:

1) *Orientales schismatici.* Eum quidem agnoverunt omnes usque ad saeculum XII, etiam Photius illum agnovit, quamvis polemice aliquoties mimis recte de illo locutus sit. Primatum Petri posterius inficiati sunt aliqui pauci orientales inde a medio saeculo XII, communius a saeculo XIV, inde tandem a saeculo XVI usque ad nostros dies schismatici orientales fere omnes S.Petri Primatum admittere renuunt 3.

2 Msi 51,599 In primum schema Constitutionis de Ecclesia, animadversio 26.

3 MJugie, *Theol. dogrnat. Christianorum Orientalium* 4 (1931) 320-350; 5 (i935) 42-46 (doctrina Nestorianorum), 389-394 (doctrina Monophysitarum); M.Gordillo, *Compend. Theologiae Orientalis (1939)* c.3; cf. S.Zânkow, Das *orthodoxe Christentum des Ostens* (1928) 135-139; Ch.Papadopoulos, To Πρωτειον του Έπισκ *Ρωμη$ (1930); cf. OrCh 18 (1930) 63; F.Heiler, *Urkirche and Ostkirche* (1937) 220-224.

2) Saeculo XIV et XV Marsilius Patavinus, Hus et Wicleff negaverunt etiam S.Petri Primatum (D 496 633 673).

3) Inde a saeculo XVI *Protestantes* generatim, qui sequuti sunt eorum duces Luther et Calvin (D 765s)4.

4) Saeculo XVII *Gallicani* cum E.Richer et *lansenistae* cum Barcos, saeculo autem XVIII Febronius et *Pistorienses* (D 1091 1500 1503 cum nota).

167. 5) Saeculis XIX et XX *Rationalistae* et *Modernistae* omnes, qui ut negationem Primatus S.Petri verisimilem reddant, ad tres praesertim theorias recurrunt.

A) *Theoria interpolationis* (Resch, Soltau, Goguel, Harnack aliique plurimi), quae genuinitatem litterariam praesertim Mt 16,18 omnino negat, seu asserit S.Matthaeum minime scripsisse pericopam Primatus, sed eam posterius alia manu esse Evangelio interpolatam.

168. B) *Theoria idealizationis* seu *historico-formalis* (Loisy, Dell, Bultmann et alii quamplurimi), quae agnoscit quidem et defendit genuinitatem litterariam textus S.Matthaei, sed negat prorsus historicam eiusdem textus genuinitatem, asserens, talia verba non fuisse a Christo prolata neque eorum sensum esse Christo adscribendum, sed in illis S.Matthaeum mere ideam exhibere, quam sibi de S.Petro Ecclesia primitiva efformavit. Haec theoria praevaluit inter criticos primis deceniis saeculi XX, at postea fuit fere ab omnibus derelicta. Inde tamen ab anno 1941 renovata est praesertim a Bultmann et Kuemmel, quos secutus est Haller, atque nostris diebus inter acatholicos plures habet fautores pluresque contradictores 5.

169. C) *Theoria interpretationis* (Seeberg, Sohm, Billerbeck, Wendland aliique innumeri, qui sententias Protestandum priorum aliquatenus modificatas proponunt), quae genuinitatem litterariam et historicam textus agnoscit, sed verba Domini «super hanc petram» vario modo explicat ita ut signi-

4 Luther, *Responsio ad librum Ambrosii Catharini* ed. Weimar, 7,709.719: «Verbum Christi Mt 16 ad nullam personam pertinere, sed ad solam Ecclesiam in spiritu aedificatam super Petram Christum. Hic locus Matthaei non nisi de piis aedificatis in Spiritu Sancto loquitur nec Petram nisi Christum habet neque Ecclesiam nisi totam, Catholicam eamque Sanctam, in qua et ipse Pe4rus tamquam membrum coaedificatur super eandem Petram Christum».

5 R.Bultmann, *Die Frage nach der Echtheit* von Mt 16,17-19: TheolBlat (1941) 265-310; W.G.Kuemmel, *Kirchenbegriff und Geschichtsbeivusstsein in der Urgemeinde:* SymbBiblUpsal (1943); Jo.Haller, *Das Papsttum* I (1950) 4-6.472-475; A.Oepke, *Der Herrnspruch ueberdie Kirche* Mt 16,17-19 in *der neuesten Forschung:* StudTheol 2 (1950) 110-165: Oepke defendit historicitatem, sed ex 34 auctoribus quos recenset, media fere pars illam impugnant (p.m); cf. O.Cullmann, *Saint Pierre* (1952) p.isiss; J.Hamer, *Une orientation de la pensée protestante:* RevNouv 17 (1953) 639-650; W.G.Kuemmel, *Jesus und die Anfdnge der Kirche:* Stud Theol 7 (1953) 1-27.

licent, vel super Christum quem confessus est Petrus, vel super omnes pariter Apostolos, quorum nomine respondit Petrus, vel super fidem Petri et omnium fidelium, qui pariter ac Petrus in Christum credent, Iesum suam Ecclesiam esse aedificaturum 6.

170. Doctrina Ecclesiae. Occasione defendendi vel definiendi Romani Pontificis Primatum, indirecte etiam S.Petri Primatum propugnaverunt:

Saeculo IX, tempore Photii, S.Nicolaus I scribens ad Imperatorem Michaelem (D 332). Saeculo XI, in epistola ad ipsum Michaelem Cerularium, S.Leo IX (D 351 353). Saeculo XIV, in litteris ad Catholicon Armenorum, Clemens VI (D 570c). Saeculo XV, occasione unionis Orientalium, *Conc. Florentinum* (D 694). In Florentino nullam fuisse quaestionem de Petri Primatu animadvertit Iugie, 4,333.

171. *Concilium denique Vaticanum* (a. 1870) explicite ac directe definivit, Primatum fuisse directe et immediate S.Petro a Christo promissum, et quidem verbis Domini apud Mt 16, 17-19 (D 1822). Errores autem qui hac Vaticani definitione excluduntur, Relator in eodem Concilio Episcopus Pictaviensis declaravit, dicens: «Doctrina Primatus S.Petri duplici praesertim errori opponitur. 1.° *Errori haereticorum et schismaticorum,* qui vel negapt absolute et simpliciter divinam Primatus iurisdictionem fuisse a Christo, institutam, vel primariam auctoritatem et centrum totius Ecclesiae reponunt in suprema sacrosancta Synodo. Et 2.0 *errori novatorum istorum Richerianorum* et aliorum, qui volunt Primatum, immo quodlibet iurisdictionis munus primo immediate et essentialiter Ecclesiae a Christo fuisse traditum, et per hanc Petro, ut suo ministro, delatum fuisse»7.

Leo XIII in *Encyclica «Sutis cognitum»* ulterius accuratam textus Mt 16, 17-19 exegesim facit: «Iesus Christus summum rectorem Ecclesiae Petrum dedit... Sane insigne illud promissum beato Petro fecit, praeterea nemini: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Mt 16,18). Quo ex oraculo liquet, Dei voluntate iussuque Ecclesiam in b.Petro, velut aedes in fundamento consistere./ Igitur Petri est sustinere Ecclesiam tuerique non solubili compage connexam ac firmam. Tantum vero explere munus qui possit sine potestate iubendi, vetandi, indicandi, quae vere proprieque *iuris-*

« Cf. F.Heilek, *Das* Worl *vnm Kircltcnbau auf Petrus: Urkirche und Ostkirche* (1937) 48-61; F.M.Braun, Nuovi *aspetti dei problema della Chiesa* (1943) 80-96; R.Baumann, Des *Petra. Bekenntnis und Schliissel* (1950); O.CuLLMANN, *Saint Pierre* (1952) 139-214; O.Karrer, *Die Petrusfrage* (1953)·

' Ludovicus Pie in Congregatione generali quinquagesima, die 13 maii 1870: Mst 52,30.

dictio dicitur?... Illud praeterea lesus adnexuit: Et tibi *dabo claves Regni caelorum*... Expressam non modo aedificii, sed etiam Regni imaginem gerit Ecclesia: ceteroqui insigne usitatum imperii claves esse, nemo nescit. Quapropter claves Regni caelorum cum lesus dare Petro pollicetur, potestatem et ius in Ecclesiam pollicetur daturum... Concinunt caetera: *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis.* Ligandi solvendique translata locutio ius ferendarum legum, item iudicandi vindicandique designat potestatem. Quae quidem potestas tantae amplitudinis virtutisque dicitur fore, ut quaelibet decreta eius rata sit habiturus Deus. Itaque summa est planeque sui iuris, quippe quae nullam habet in terris superiorem gradu, Ecclesiamque totam et quae sunt Ecclesiae commissa, universa complectitur» (ASS 28,726s). Haec de Constitutione Ecclesiae doctrina «assensum per se postulat» (Pius XII, *Encycl. «Humani generis·):* AAS 42,568).

172. Valor dogmaticus. Thesis est *de fide divina definita* in Conc. Florent, et Vatic. (D 694 1822).

Probatio *triplici gressu* fit ita ut respondeat *triplici theoriae* adversariorum recentiorum, de quibus fuit sermo supra, sub 5). Igitur defendenda nobis est primo genuinitas litteraria textus S.Matthaei, deinde eiusdem textus genuinitas historica, et denique statuenda est vera verborum Domini interpretatio.

173. i. Genuinitas litteraria Mt 16,18 vindicatur.

A) Dicunt A.Resch et J.Schnitzer, verba Mt 16,18: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* esse interpolata versus finem saeculi II, quia ab auctoribus non citantur usque ad Tertullianum et Originem, initio saeculi III. J.Grill ulterius asserere ausus est, interpolationem esse factam Romae, circa annum 190, tempore Papae Victoris. W.Soltau vero, agnoscens textum notum fuisse S.Iustino, interpolationem dicit esse factam paulo ante annum 130 8.

174. B) Dicit A.Harnack, sola verba, *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Mt 16,18), esse interpolata ca. annum 120, tempore videlicet imperatoris Hadriani (117-138). Ratio praecipua, quam affert, est, quia in *Diatessaron* seu Harmonia Evangeliorum Tatiani (ca.170) (opus est deperditum cuius imperfectam notitiam habemus ex operibus S.Ephraem), legebatur: «Tu es Petrus, et portae inferi *te* non vincent», quibus Petro promittebatur immortalitas. Postquam autem Petrus mortuus est, ut hic error corrigeretur, interpolata sunt

8 A.Resch, *Aussercanonische Paral'eltexte zu den Evangelien:* TU io (1896;; J.Schnitzer, *Hat Jesus das Paosttum gestiftet? Das Papsttum eine Stiftum Jesu?* (1910); J.Grill, Der *Primat des Petrus* (1004); W.Soltau, Warm *ist Matth* 16,17-19 *eingeschoben:* ThStKrit 89 (1916) 233-237; M.Goguel, *Trois études sur la pensée religieuse du christianisme primitif* (1931); *Jésus et l'Eglise:* RcvHistPhRc! 13 (i933) 224; W.G.Kümmel, *Die Eschatologie der Evang.* (1936).

verba «et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam». In sequentibus vero loco *te* scriptum est *eam 9.*

175. Contra has interpolationis theorias admittenda est *genuinitas litteraria textus* Mt 16,18 10.

A. 1) *Quia adest in omnibus codicibus et versionibus* antiquissimis, prout invicte demonstraverunt omnes criticae editiones tam a catholicis quam ab acatholicis factae. In codice *Syro-sinaitico* deest quidem integrum folium, in quo inveniri deberet hic noster textus; sed ut tale folium esset integre scriptum, ex calculo facto numeri et mensurae linearum et litterarum, concluditur necessario debere in eo includi Mt 16,17-19. Hoc ipsum confirmatur, quia textus noster adest in versione syriaca, saeculo II facta et in codice saeculi V transcripta, quem edidit Curetон, et inde Codex *Syro-Curetonianus* est appellatus. Textus Curetonianus adeo convenit cum textu Syro-sinaitico ut habendi sint duae recensiones eiusdem originalis saeculi II; et ideo in *Syro-sinaitico* non potuit deesse Mt 16,17-19.

176. 2) *Quia ab antiquitatis christianae auctoribus vel textus citatur* vel ad eum allusiones fiunt. Sic ab *Evangelia hebraeorum,* vel anno 70, iuxta Harnack, vel ca. annum 100 iuxta Lagrange, vel saltem ante annum 135 iuxta alios auctores, edito. Sic in *Odis Salomonis* ante annum 150. Sic etiam a *Pastore* Hermae et S.Iustino ca. annum 150, a S.Irenaeo ca. annum 180, a Tertulliano et Origine ca. annum 200; quorum Origenes eruditissimus, studiosissimus et diligentissimus textuum Scripturae conquisitor, optimos sine dubio et antiquissimos sacrorum librorum codices novit, praesertim in magnis Bibliothecis Alexandriae et Caesareae Palestinae; eius ergo indubium testimonium pro unanimi nostri textus traditione definitivum valorem habet11.

9 A.Harnack, *Tatian's Diatessaron... bei Ephraem Syrus:* ZKG 4 (1881) 471-505; Id., *Der Spruch über Petrus ais den Felsen der Kirche:* SitzBPAkadWiss (1918) p.637-654·

10 Cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.345-357; M.d'Herbigny, *Theologica de Ecclesia* n.170-174 et 378 nota 1; A.Medebielle, *Eglise:* DBS 545-585; L.de Grandmaison, *Jésus Christ 2* (1929) 63-65; S.Rosadini, *Instit. introd. in libros Novi Testamenti* (1938) | n.129; J.Knabenbauer-Λ.Merk, *Commentarius in Evang. secundum Matth 2 (1922)* 576s; P.Batiffol, *L'Eglise naissante* (1927) 93-113; K.L.Schmidt, ap. Kittel, *Theol. Woerth. z. N.T.* 3 (1950) 523-S27·

11 Evang. Hebr., ap. TU 5,3,1-42; cf. Lagrange, *L'Evang. selon les Hébr:* RevBib! 31 (1922) 161-181.321-349; *Odae Salom.* 22,12, ap. Lietzmann, *Kleine Texte 64.Pastor Hermae,* Vis 3>2-7; Sim 9, ap. Funk, *PP.Apost.* l 434-448.576-634; cf. L.Fonck, *Tu es Petrus:* Bibl *l* (1920) 262; Iustini *Dial.* 100,106: MG 6,709.724; Irenaeus, *Adv. haer.* 3,13,2; 18,4; 21,8; 24,2: MG 7,912.934.953.967; Tertull., *De praescr.* 22,4; *De pudic.* 21 (infra n.226). Origenes, *JnExod.* hom.5,4; *In Rom.* 5,10 (infra n.234); Id., *InMt* 16,13-201.12 n.9-xs: MGJ13 993-1020, ubi lectiones variantes versus 20 discutit (1016s), variantes autem versuum 13-19. quos commentatur, nullas memorat.

177· 3) *Quia textus exhibet colorem semiticum,* quem unanimiter agnoscunt critici sive catholici sive acatholici, verbis illis: «Beatus, — Bar Jona, — caro et sanguis, — portae inferi, — ligare solvere»; — atque adhibet locutiones Evangelii S.Matthaei proprias, ut sunt illae: «Regnum caelorum, — Pater qui in caelis est». Ludus verborum, ττέτρο - -πέτρα, nequit esse originis graecae, sed denotat aramaicam originem, *Kepha-Kepha.* Circumlocutio, quae fit adhibendo vocem passivam, *erit ligatum, erit solutum,* cum nomine loci *caelorum,* ad designandum Deum, ita ut devitetur pronuntiatio nominis inneffabilis Dei, typice semitica est. Unde merito concludi debet textum non fuisse interpolatum versioni graecae, ut acatholici asserunt, sed ipsi primitivo textui aramaico esse adscribendum 12.

4) Quia interpolatio, seu falsatio, facta tanta sagacitate ratione formae (color aramaicus), tanta audacia ratione materiae (divina Christi Filiatio, Ecclesiae fundatio et eius Primatus), tanto tamque universali successu ut nullum contradictionis vestigium remaneret, est sane omnino inverosimilis.

178. B. 1) Circa *explicationem a Harnack factam* ulterius dicendum est: *a)* absurdum est asserere S.Matthaeum scripsisse anno 70, ut tenet Harnack, verba «portae inferi te non vincent», significantia *immortalitatem* Petri, cum Petrus mortuus iam fuisset, iuxta ipsum Harnack *anno 64.*

b) Falsum est concludere, ex duabus liberis citationibus S.Ephraem, Tatianum non exhibere nisi textum, quem Hamack dicit, cum ex pluribus aliis citationibus vel allusionibus ipsius S.Ephrem et Aphraates, aequo iure concludere liceat, eos in Tatiano legisse integrum nostrum textum. S.Ephrem in Isaiam 62,2 ait: «Et vocaberis nomine novo Ecclesia sancta, quod nomen os Domini imponet dicens: super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et vectes inferi non superabunt eam». Et in Evangelii concordantis expositione, paulo post verba, ex quibus suam Harnack hypothesim derivat, pergit ipse S.Ephrem: «Dominus, cum Ecclesiam suam aedificaret, aedificavit turrim, cuius fundamenta, omnia, quae erant superaedificanda, portare possent... Tu es petra, illa petra, quam erexit, ut Satanas in eam offenderet. E contra Satanas hanc petram Domino opponere voluit, ut in eam offenderet, cum Petrus ad Dominum diceret: absit a te Domine...» 13. In his manifeste apparet vera paraphrasis ad textum nostrum Mt 16,18. Denique in versione *arabica* saeculi XI operis Tatiani, et in *latina* eiusdem retractatione anni 540 integer textus Mt 16,13-20 continetur 14.

12 Cf. H.L.Strack-P.Billerreck, *Das Evans;, nach Matth. crldutcrt aus Talmud* und *Midrasch (1922);* K.L.Schmhit, J.Jeremias, ap. Kittel, *Theol. Woertb. z. N.T.* 3 (1950) 523-527·749-75·: J.Huby, *L'Evangile* (1954) 114.

13 S.Ephraem Syrus, *Evangelii concordantis expositio ex vers, armeniaca translata a* J.B.Ancher, cd. G.Moesinger (1876) c.14 p.tS3s; S.Ephraem, *Sermones in Hcbdom. sanctam* 2 n.4; 4 n.i ; ad Nocturnum *Dorn. Resurrect,* n.2: ed. T.J.Lamy, 1,374.412.531 : Io.. *Comment, in Isaiam* 62,2: ed. Lamy 2,186; Aphraates, *Demonstrationes* 7,15: ed. Graffin-Parisot, *Patrologia syriaca* 1,335.

·« Hennecke, *Neutestamentliche Apocriphen* 72-75: A.Ciasca, Tatiani *Evangeliorum Harmoniae arabice cum translatione latina* (1888) 42; Victor Ep. Capuan, *Interpretatio evangeicae Harmoniae:* ML 68,299: Haec versio continetur in *Vulgatae codice Fuldensi,* saeculi VI,

179. *c)* lure ergo harnackiana theoria fuit ab omnibus derelicta, adeo ut E.Nestle, qui in apparatu critico suae Novi Testamenti editionis anni 1923 notavit: Tatianum legere «portae inferi non te vincent», iam in omnibus posterioribus editionibus talem notam omiserit. Immo ipsemet Harnack, tribus annis ante suam mortem, anno 1927 scribebat: In Mt 16,18 «dubium est, utrum vox *Ecclesia* originalis sit, vel posterius interpolata»; ergo reliqua omnia verba iam ut genuina admittebat[15].

180. 2) *Argumentum ex silentio* Mc 8,29 et Lc 9,20, quod acatholici urgent, nimis probat; ergo nihil probat. Probaret enim non esse genuinos integros tres versus 17, 18 et 19. quod sane tales auctores asserere non audent. Ut autem argumentum ex silentio aliquid probaret, deberet ostendi Marcum et Lucam non potuisse abstinere a scribendo id ipsum quod Matthaeus scripsit. Similes omissiones Mt 14,28-31; 17,24-27, occurrunt ap. Mc 6,50; 9,33. Praeterea longe inverosimilior est interpolatio in Matthaeum, quam omissio apud Marcum et Lucam. Ambo mutationem nominis Simonis narrant (Mc 3,16; Lc 6,14), explicationem vero omittunt, vel quia eam supponunt notam vel quia, cum de re agatur valde honorifica Petro, potuit omitti a S.Marco, qui in suo Evangelio praedicationem S.Petri refert; sanctus vero Lucas a S.Marco pendere potest,6. Denique S.Matthaeus, ideo quia Evangelium scribebat pro *iudaeis,* oportebat ut afferret verba quibus Christus Ecclesiam instituit ut in *locum Synagogae* succederet; hoc autem Mc et Lc lectoribus suis tradere non cogebantur.

Nuperrime Graber argumentis positivis confirmavit explicationem quae tenet, Matthaeum nullam difficultatem habuisse in narranda promissione Primatus, quia scribebat antequam inciperent persecutiones contra Apostolos. Marcus autem scribebat postquam Petrus anno 43 fuerat a Rege Agrippa incarceratus et ab angelo liberatus, et quidem pro Romanis, qui si legerent promissionem *clavium Regni et* potestatis *ligandi ac solvendi* Petro factam, sine dubio eum oppugnarent; quare oportebat de hoc silere ob prudentiae motiva, ne auctoritates Status adversus Ecclesiam excitarentur. Lucas autem debuit etiam de hoc silere propter easdem causas et quia in hoc pendet a redactione Marci [17].

181. 2) Genuinitas historica Mt 16,16-19 vindicatur (D 2154).

Theoria idealizationis seu *historico-formalis* (Formgeschichte), concedit textum quidem a S.Matthaeo esse scriptum, sed

cura eiusdem Victoris scripto, et edito a Ranke (1868). Cf. Vaccari, *Instil. biblic.* I.3 n.49; Cornely-Merk, *Introd. in Script, compendium* (1929) n.108; O.Bardenhewer, *Geschichte der altkirch. Literatur* 1,253-260.

15 Explicationem a Hamack confictam reiecerunt acatholici H.Windisch: ThLitZg 44 (1919) 197: E.Meyer, *Ursprung und Anfiingedes Christentums* I (1921) 112; F.Kattenbusch, *Der Quellort der Kirchenidee:* Festgabe A. v. Hamack (1921) 165-168; R.Seeberg, *Dogmengeschichte I* (1922) 100; Th.Zahn, *Das Evangelium des Matthaus* (1922) Exkurs p.7253s. Catholici vero unanimiter cius falsitatem demonstraverunt: L.Fonck, *Tu es Petrus:* Bibi I (1920) 240-264; P.Schepens: RechScRel (1920) 269-302; J.Sickenberger, *Eine neue Deutung der Primatsstelle:* ThRev 19 (1920) 1-7; C.A.Kneller, *Ueber die ursprunglichc Form von Matth 16,18:* ZkathTh 44 (1920) 147-169; S.Euringer, *Der locus classicus des Primates Mt* 16, 18 *und der Diatessarontext des hl.Ephram:* Festgabe f. A. Ehrhard (1922) 141-179; H.Dieckmann, Neure *Ansichten über die Echtheit der Primatsstelle:* Bibi 4 (1923) 189-200; P.Batiffol, *L'Eglise naissante* (1927) Excursus A. Valeur de Mt 16,18-19 P·95-ıî3· A.Harnack, *Christus praesens-Vicarius Christi:* SitzBPAkadWiss (22-12-1927) ed. 1928 p.4i5ss: «An der Stelle (Mt 16,18) ist noch immer zweifelhaft, ob die *Kirche* ursprunglich ist ob sie nichtspàter eingeschoben ist».

16 Cf. infra, n.235; Zapelena, *De Ecclesia* I (1950) p.216; Simôn-Dorado, *Nov. Test.* I (1947) ŋ.75.77-94; Lagrange, *Evang, selon S.Marc* introd. p.CXII.

17 R.Graber, *Petrus dcr Fcls* (1949) 16-36.

asserit in eo exhiberi, non mentem Christi neque eius verba, sed id quod Matthaeus et Ecclesia primitiva cogitabat de Petro et eius relatione ad Ecclesiam (Gemeindetheologie). Huius theoriae praesupposita et explicandi ratio describuntur in *Encyclica «Pascendi»* (D 2096-2100)18.

A. *In genere,* haec theoria asserit, inde a morte Christi usque ad conversionem S.Pauli, intra quinque vel septem annos, in ecclesia hierosolymitana ideis eschatologicis imbuta, Apostolos discipulosque Christi aliosque eorum sequaces, vi evolutionis sentimentalis religiosae, quae ideas religiosas aliunde desumit et sibi defigurando transfigurat, doctrinam Christi et de Christo in Evangeliis contentam confixisse, atque simplicissima facta historica vitae lesu innumeris figmentis mythicis involvisse (Loisy, Bultmann, Kuemmel) 19.

182. B) *In specie,* inter alia figmenta recensetur Mt 16, 16-19, ubi Petro singularis primatia tribuitur. Huius fictionis fundamentum stat in eo quod Petrus fuerit primus visionarius Christi resurrecti (1 Cor 15,5; Lc 24,34) et primus praedicator resurrectionis eius (Act 2,14-36; 3,12.26; 4,8-12; 5,29-32). Deinde, additae sunt aliae notae défigurantes et transformantes imaginem Petri, depromptae vel ex litteratura iudaica, iuxta Goetz, vel ex popularibus aliarum religionum imagirtibus, iuxta Dell, vel ex ipsis locorum palaestinensium adiunctis, iuxta Hart et Immisch, vel ex imaginibus quibus iudaei depingebant Regnum eschatologicum, iuxta Bultmann 20.

183. Contra has idealizationis theorias *tenenda est genuinitas historica Mt* 16,16-19. Nam supposita litteraria textus genuinitate, standum est pro historica genuinitate in auctore probo, veraci et fide digno, nisi contrarium certo probetur. Atqui idealizationis theoriae contrarium minime probant. Ergo tenenda est historica genuinitas Mt 16,16-19. *Maior* est evidens.

184. *Minor* ergo probatur. A) *In genere, idealizationis theoria est absurda.*

is Cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.347-349.358-361 ; J.Huby, *L'Evangile* (1954) 89-93·

i' A.Loisy, *Les Evangiles synoptiques 2* (1908) in Mt 16,13-19; R.Bultmann, *Die Frage nach dem messianischer Bewusstsein Jesu und das Petrus-Bekenntniss.:* ZNTWiss 19 (1920) 165-174; Id·, *Die Gcschichtc der sypnotischen Tradition* (1931); Id., *Theol. des N.T.* (1948) § 6-8; cf. ea quae citavimus in nota 5; W.G.Kuemmel, *Jesus und die Anfange der Kirche:* StudTheol 7 (i953) 1-27.

20 K.G.Goetz, *Petrus als GrUnder und Oberhaupt der Kirche* (1927); Dell, *Matthaus* 16,17-19: ZNTWiss 15 (1914) 1-49; 17 (1916) 27-32; J.HLA.Hart, *Cephas and Christ:* JThSt 9 (1908) 14-41; O.Immlsch. *Matthaus 16,18:* ZNTWiss 17 (1916) 18-26; R.Bultmann, *Theol. des N.T.* (1948) § 6-8; Id., *Weissagung und Erfüllung:* StudTheol 2 (i949) 21-44·

1) Quia est aprioristica et erroneo praeiudicio innixa; supponit enim a priori impossibilem esse omnem supernaturalem ordinem, et praeiudicata opinione negat divinam Christi legationem et auctoritatem.

2) Quia contradicit indoli essentiali Evangeliorum et Ecclesiae primaevae, quae adeo est narrativa et traditionalis ut nihil prorsus vellet admittere nisi quod ab oculatis testibus fuerat traditum. Si evidens haec indoles historica Evangeliorum et Ecclesiae primaevae negetur, iam a fortiori de omni certitudine historica dubitandum esset.

3) Quia est impossibilis, nam fieri sine miraculo nullo modo potuit ut tam brevi tempore, tam sublimes doctrinae, ab hominibus rudibus, coram tot immediatis et ingenuis rerum testibus, sine contradictionis vestigiis, confingi et imponi potuerint.

185. B) *In specie, impossibilis est confictio* Mt 16,16-19.

1) Propter eius momentum; nam in tali textu agitur de Christi messianitate et divinitate, de Ecclesiae fundamento et origine, de Petro Apostolorum Primo, de facto denique cuius omnes Apostoli testes oculati fuerunt; quis credat talem et tantam fictionem praevalere potuisse tacentibus et consentientibus Petro, aliis Apostolis, discipulisque omnibus?

2) Propter eius originem et finem; nam in hypothesi auctorum theoriae idealizationis, confictio haec orta fuisset in Ecclesia democratica et universalismo adversa, quemadmodum ipsi hierosolymitanam ecclesiam describunt, et finis fictionis esset extollere supra alios Apostolos unum Petrum ut caput monarchicum et fundamentum Ecclesiae universae.

3) Quia rationes in quibus fundatur, ab hodiernis criticis repertae sunt inanes 21. Immo argumenta theoriae *idealizationis* retorqueri possunt ad evertendum eius fundamentum, quod est Regnum *pure eschatologicum.*

Nam theoria asserit: *a)* Christum non potuisse loqui de Ecclesia nisi postquam iam Ecclesia exsistebat; ergo concludit: Christum non potuisse promittere se aedificaturum Ecclesiam. Si verum esset suppositum, arguo a pari, Christum non potuisse loqui de Regno mere eschatologico nisi postquam tale Reg-

Rationes, quibus innititur theoria idealizationis ad negandam historicam genuinitatem Mt 16,17-19 repertae sunt inanes a K.L.Schmidt, *Die Kirche des Urchristentums* (1927) 201; Id., 'Εκκλησια in *Theologisches Woterbuch zum Neuen Testament* 3,2265s; O.Linton, *Das Problem der Urkirche* (1932) i8oss. Cf. F.M.Braun, *Ntiovi aspetti dei problema della Chiesa* (1943) 875s; A.Oepçe, *Der Hcrrnspruch Uber die Kirche:* StudTheol 2 (1950) 110-165; O.Cullmann, Saint *Pierre* p.l43~i0x«

num iam exsistebat; ergo concludo: Christum non potuisse praedicare Regnum mere eschatologicum.

Eadem theoria asserit: *b)* Matthaeum non referre mentem et verba Christi de Petro et de Ecclesia, sed mentem et verba ipsius Evangelistae et Ecclesiae falso credentium fuisse verba et mentem ipsius Christi. In eodem supposito, arguo a pari, Matthaeum non referre mentem et verba Christi de Regno mere eschatologico, sed mentem et verba ipsius Evangelistae et Ecclesiae falso credentium fuisse mentem et verba ipsius Christi. Ergo contra ipsam theoriam eius principia et supposita retorqueri possunt.

186. 3. Vera verborum Domini interpretatio, quibus *probanda est iam promissio Primatus ex Mt* 16,13-19 22.

Probo. Apud Mt 16,13-19 Christus sub triplici metaphora praerogativam insignem, in universam Ecclesiam, *immediate* S.Petro promisit. Atqui sub hac triplici metaphora Christus *directe* significavit supremam potestatem socialem. Ergo Christus supremam potestatem socialem in universam Ecclesiam immediate et directe S.Petro promisit.

187. *Ad maiorem.* Praerogativa promittitur:

a) *Insignis:* quia exhibetur ut correspondens fidei Petri quae laudatur ut insignis; quia effertur ut radix indefectibilitatis; quia eius effectus caelos attingunt; et quia insignitur mutatione nominis Simonis, quod ter evenit in Scriptura: 1) Abrahamo (Gen 17,5), cum in praemium fidelitatis constituitur pater populi Dei *ante Legem;* 2) Iacob (Gen 32,28; 35,9) cum in praemium fortitudinis cognominatur Israel et fit pater populi Deo contradicentis *sub Lege;* 3) Petro (Mt 16,18), cum in praemium fidei constituitur velut princeps populi Dei *sub gratia.* Hanc nominis mutationem iam tunc Christus annuntiavit, cum primum vidit et allocutus est Simonem, dicens: *Tu es Simon filius Ioannis; tu vocaberis Kephas, quod interpretatur Petrus* (Io 1,42).

188. b) /11 *universam Ecclesiam. Quia in Ecclesiam sine* restrictione, tempore autem Christi vox «Ecclesia» habebat sen-

22 Cf. A.Medebielle, *Eglise:* DBS 545-585. Ad singula textus verba cf. F.Zorell, *Novi Testamenti Lexicon graccum;* H.L.Strack-P.Billerbeck, *DasEvang. nach Matthaeus 16,16-19;* P.Batiffol, *L'Eglise naissante* (1927) 93-113; H.Bruders, *Mt 16,19; 18,18; Io 20,22.23 in frühchristliche Auslegung:* ZkathTh 34 (1910) 559ss; 35 (1911) 79SS.292SS.464SS.690SS. Leo XIII «*Satis cognitum*» explicat Mt 16,17-19 (ASS 28,7255s); J.Jeremias, Kittel, *Theol. Woertb. z. N.T.* 3,7495s; R.Baumann, *Des Petrus Bekenntnis und Schlüssel* (1950); Y.Congar, *Esquisses du Mystère de l'Eglise* (i953) 123-127.

sum universalem, qui est primarius vocis sensus (cf. n.145 et 150 nota 19). Quia *in Ecclesiam meam,* id est illius qui ex revelatione Patris a Petro agnitus est ut Messias et verus Dei Filius; ergo in Ecclesiam pariter universalem ac *Kahal lehovah.* Quia in Ecclesiam insuperabilem *(non praevalebunt).* Quia in Ecclesiam cui commisit *claves Regni caelorum* universalis, seu quam ingredi omnes obligavit sub discrimine salutis, ut manet probatum (cf. n.47-51.132-137).

c) *Immediate Petro;* quia promissio fit *ipsi personae* Petri, nullo alio *mediante,* ut patet ex usu nominum et pronominum personalium, et ex contrapositionibus, quae immediationem ostendunt:

«illi (Apostoli) dixerunt—respondens *Simon»;*

«Petrus dixit: *tu es Christus—Ego* dico *tibi,* quia *tu es Petrus»;*

«Beatus *es Simon Bar Iona*—quia revelavit *tibi Pater meus»;*

«Tu es Kepha et super hoc Kepha—*(Ego)* aedificabo *Ecclesiam meam».*

Ludus verborum denotat originem semiticam textus, ubi idem verbum *Kepha* bis eadem forma repetitum, evidenter ostendit fundamentum Ecclesiae, quae aedificatur, esse ipsam Simonis personam, ad quem verba diriguntur. Hic verbi ludus disparuit in versionibus graeca et latina.

189. *Ad minorem:* Sub triplici metaphora directe significatur suprema potestas socialis:

A) Sub *Petrae* metaphora significatur Petrum esse relate ad Ecclesiam id quod est relate ad domum fundamentum eius naturale, id est primum principium efficax unitatis et firmitatis eius. Atqui primum principium efficax unitatis et firmitatis in societate est eius suprema potestas. Ergo sub metaphora Petrae significatur suprema potestas socialis.

Maior est vera quia exprimit concipiendi rationem ipsius Christi in libris Novi Testamenti expresam[23]. Nam

190. 1) Ecclesia est velut *domus* quae *aedificatur,* ut patet ex voce adhibita, non δομέω (aedifico), sed οἰκοδομέω (domum aedifico) (Mt 16,18); atque ideo S.Paulus Ecclesiam appellat «domum Dei» (1 Tim 3,15).

2) Petra est velut fundamentum naturale, supra quod exstruitur fundamentum artificiale (θεμέλιον), ad construen-

23 Cf. Murray, *De Ecclesia,* d.6 s.2 n.i; Billot, *De Ecclesia q.13* § 1.

dam domum, ut patet ex Lc 6,48. (Respice textum originalem graecum.)

3) Fundamentalis petra est principium firmitatis totius domus et unitatis partium eius, ut constat ex Mt 7,24.

Min. per se patet, ex natura rei. Ergo conclusio est vera.

191. B) Sub *Clavium* metaphora significatur, Petro promitti relate ad *Regnum caelorum* potestatem quae per traditionem clavium datur. Atqui per traditionem clavium datur suprema potestas in rem cuius sunt claves. Ergo sub metaphora Clavium significatur suprema potestas.

Ad mai. Per *Claves caelorum* significatur potestas quae in caelum tribuebatur divinitatibus, ut Schamasch in Babilonia, Dikae in Graecia, lano in Italia, Mithrae in cultu Mysteriorum Solis, etc. 24.

Ad min. Per *Clavium* traditionem confertur suprema potestas:

1) *Usu vulgari profano,* traditione Clavium civitatis, regni, etc., datur suprema potestas in civitatem, regnum, etc. Sic Solyman rex tureorum respondet legatis imperatoris Ferdinandi I: «Claves Hungariae suspendam in humero meo», id est Hungarian! obtinebo. Idem exprimit tabula in qua Velâzquez depinxit civitatis Bredae expugnationem anni 1626, ubi victor Ambrosius de Spinola, in potestatis signum, accipit a duce neerlandico lustino de Nasau civitatis claves.

2) *Usu graecorum et latinorum,* apud quos appellantur Κλειδοϋχοι seu *clavigeri* sacerdotes, templorum potestatem habentes; immo divinitates ipsae aegyptiacae, graecae et romanae repraesentantur tenentes suis manibus claves in symbolum potestatum, quae ipsis attribuuntur, supra terram et mare, vel in civitates, vel in totum universum, vel in ipsum infernum 25.

3) *Usu iudaeorum* in litteratura extracanonica, ubi Princeps angelorum Michael appellatur ô κλειδοϋχο; τή$ βασιλεία; τών ούρανών, et ipse Deus describitur «tenens in sua manu claves locorum ubi animae habitant» 26.

192. 4) *Usu biblico V.T.* In Is 9,6s de Messia dicitur: *factus est principatus super humerum eius: ... multiplicabitur eius imperium: ... super solium David et super regnum eius sedebit;* ubi super humerum Messiae dicitur esse signum supremae eius potestatis in regno davidico. Iam vero apud semitas, *clavis,* propter suam magnitudinem, super humerum portabatur et erat signum potestatis: et ideo in Apoc 3,7 dicitur de Messia, *qui habet elavem David.* Ergo in V.T. ipsa suprema Messiae potestas significabatur symbolo clavis.

24 Cf. J.Jeremîas, ap. Kittel, *Theol. Wcertb. z. N.T. 3,743·*

25 Cf. R.Vaulois, ap. Daremberg-Saglio, *Diet, des antiquités grec, et rom.* 4,1247s; Kohl. ap. Paulys-Wissowa. *Rcal-Encyclopaedie der klass. Altertumswis.* 11,593-600.

26 J.Jeremîas et Strack-Billerbeck, locis citatis in nota 22.

Praeterea in Is 22,2oss Deus annuntiat se daturum Eliachimo plenam potestatem in regno David his verbis: *potestatem tuam dabo in manu eius, et erit quasi pater habitantibus Ierusalem et domui Iuda. Et dabo elavem domus David super humerum eius; et aperiet et non erit qui claudat, et claudet et non erit qui aperiat.* Ergo in V.T. symbolo clavis significabatur potestas in regno David, et quidem suprema, quia dicitur esse irretractabilis [21].

5) *Usu biblico N.T.* Omnimodam certe regni davidici potestatem obtinet Christus, iuxta praeclaram annuntiationem quam fecit angelus (Le 1,32s). Symbolum autem potestatis huiusmodi aliud non datur nisi clavis: *Sanctus et verus, qui habet elavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit* (Apoc 3,7). Eodem symbolo clavium designatur suprema illa potestas quam in mortem et in infernum obtinuit Christus sua resurrectione, iuxta illud: *Ego sum primus et novissimus, et vivus et fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum, et habeo claves mortis et inferni* (Apoc 1,17s).

Praeterea *elavem Regni caelorum* aliquo modo tenebant Legisperiti, sed quia ea perperam usi sunt, ideo eos reicit Christus dicens: *Vae vobis, Legisperitis, quia tulistis elavem scientiae... et clauditis* (κλείετε) *Regnum caelorum ante homines; vos enim non intratis neque introeuntes sinitis intrare* (Lc 11,52; Mt 23,13) [28].

Haec ergo suprema Regni caelorum potestas, cuius symbolum sunt claves et quae Christo competit, promittitur Petro apud Mt 16,19, et significatur symbolo traditionis *clavium Regni caelorum.*

193. C) Sub *ligandi-solvendi* metaphora significatur suprema potestas [29].

N.B. 1) Potestas bifaria ligandi-solvendi apud semitas significare potest: *a)* vel auctoritatem prohibendi-permittendi, *b)* vel potestatem declarandi aliquid prohibitum permissum prout in thesi praecedenti exposuimus, 0.13455.

2) Haec bifaria potestas apud Mt 16,19 est amplissima, quia extenditur ad «quodeumque», et est summa planeque sui iuris, quia utpote rati habita in caelis, de ea nemo potest appellare ad aliam, quae illi sit in terris superior.

27 J.Knabenbauer-F.Zorell, *Comment. in Is 9.6s; 22,20$$.*
28 K.Adam, *Gesammelte Aufsaetze* (1936) p.jiss.
29 K.Adam, L.c. *Sprachgebrauch von Binden und Loesen* p.17-52.

194. *Prob.* Sub ligandi-solvendi metaphora significatur potestas sive prohibendi-permittendi, sive declarandi prohibitum-permissum quodcumque, cum vi absolute obliganti. Atqui talis est suprema potestas socialis. Ergo sub metaphora ligandi-solvendi significatur suprema potestas socialis in Ecclesiam uni Petro conferenda. (Cf. supra, 11.1358.)

195. D) *In syntesi. Iuxta triplicem metaphoram,*

1) Ecclesia est: *a)* velut domus Dei aedificanda, *b)* velut regnum caelorum administrandum, *c)* velut religio vincula stringens vel relaxans in caelis.

2) Petrus in ea est: *a)* ut petra seu principium primum unitatis et firmitatis, *b)* ut claviger seu Vice-Rex cui omnium cura committitur, *c)* ut ligator-solutor seu arbiter plenipotentiarius ad decidendum.

196. 3) Unde arguo: Uni Petro promittitur relate ad Ecclesiam quod futurus sit: *a)* talis aedificationis praecipuum fundamentum seu radix firmitatis et unitatis, *b)* talis regni claviger, seu oeconomus universalis, *c)* talis religionis arbiter summus ad absolute decidendum. Atqui societatis praecipuum fundamentum seu radix firmitatis et unitatis; oeconomus universorum; arbiter supremus ad decidendum est eiusdem societatis suprema potestas. Ergo sub triplici metaphora uni Petro promittitur suprema potestas in Ecclesia.

Sic argumentum ex triplici metaphora coniunctim apparet esse apodicticum.

197. Scholion. Probatio Primatus ex Lc 22,32. Cum textu S.Matthaei, ex quo Primatus promissionem probabimus, realem parallelismum exhibet alius textus S.Lucae, ex quo merito probari etiam potest S.Petro competere Primatum in munere docendi. De eo agendum nobis est cum sermo erit de infallibilitate Primatus Ecclesiae. Sufficiat ergo hic pauca notasse, quae sequuntur:

Mt 16,18: *Et ego dico libi.* *Quia tu es Petrus* *Et super hanc petram* *Aedificabo Ecclesiam* meam.	Lc 22,32: *Ego autem rogavi pro te* *ut non deficiat fides tua :* *et tu aliquando conversus* *confirma fratres tuos.*

198. Ex hoc reali parallelismo evidenter apparet, in utroque loco a Christo derivari Petro firmitatem, supra quam firma stet Ecclesia. Discrimen in eo est quod textus S.Lucae loquatur in specie de firmitate in fide, textus vero S.Matthaei nullam restrictionem exhibet; sed in utroque par tribuitur S.Petro fundamenti munus. Atqui apud Mt 16,18 promittitur S.Petro potestas suprema relate ad Ecclesiam in genere. Ergo apud Lc 22,32 eidem S.Petro promittitur suprema potestas in specie relate ad Ecclesiae fidem 30.

199. Obiectiones 30 I. Christus omnibus Apostolis promittit supremam potestatem.

1. Mt 16,15-17: Christo ab Apostolis quaerenti, Petrus pro eis respondet; ergo Christi promissio fit Petro, sed pro omnibus Apostolis.

Dist. antec. Petrus secundum fidem sibi propriam respondet tacentibus aliis, *conc.;* secundum fidem Apostolorum et nomine ipsorum respondet, *nego.* Pariter *distincto consequenti, negatur consequentia.*

2. Atqui Petrus secundum fidem Apostolorum et inde nomine ipsorum respondet. Mt 14,33: Apostoli iam antea exhibuerant eandem fidem in Christi divinitatem. Ergo secundum fidem et nomine Apostolorum respondet.

Dist. *antec.* Apostoli iam antea exhibuerant eandem fidem ex Christi miraculis ortam, *conc. antec.; ex* singulari quadam revelatione habitam, *nego antec.*

Pariter dist. cons. Petrus respondet secundum Apostolorum fidem, sed ex singulari ulterius revelatione habitam, *conc. cons.;* solum ex Christi miraculis ortam, nego cons.

200. 3. Atqui promissio Primatus non est soli Petro facta. Ergo *stat diff.* Mt 18,1: Apostoli postea disputabant dicentes quis eorum esset maior. Atqui non disputavissent de hoc si promissio Primatus soli Petro esset facta. Ergo promissio Primatus non est soli Petro facta.

Dist. mai. Apostoli disputabant vel quia promissionem non intellexerant vel quia ambibant Primatum, *conc. mai.;* disputabant quia promissio non esset Petro facta, nego mai. *Contradistincta minore, negatur cons. et consequentia.* Apostolos Primatum ambiisse ex Mt 20,21 constat.

4. Atqui eadem promissio omnibus Apostolis est facta. Ergo *stat diff.* Mt 18,18: Omnibus Apostolis promittit Christus supremam potestatem. Ergo eadem Primatus promissio omnibus Apostolis est facta.

Dist. antec. Apostolis ut Collegio cum Petro et sub Petro, *conc. antec.;* pariter ac Petro, *nego antec.*

201. 5. Atqui omnes Apostoli potestate pares sunt Petro. Ergo *stat, diff.* Eph. 2,20: Apostoli pariter ac Petrus sunt Ecclesiae fundamentum. Ergo omnes Apostoli potestate pares sunt Petro.

Dist. antec. Ratione Apostolatus seu qua primi post Christum Ecclesiae aedificatores (θεμέλιοι), conc. antec.; ratione Primatus seu qua vice Christi velut Ecclesiae fundamentum naturale (πέτρα), nego *antec.*

Pariter *dist. cons.* Ratione Apostolatus, conc. cons.; ratione Primatus, nego *cons.*

202. 6. Atqui Apostolatus est in Ecclesia supremus potestatis gradus. Ergo stat *diff.*

Eph 4,11: Apostolatus recensetur supra alios potestatis gradus. Ergo Apostolatus est in Ecclesia supremus potestatis gradus.

Dist. antec. Positive supra illos qui citantur, conc. antec.; exclusive seu excludens omnem alium gradum, nego antec. Pariter *distinguo cons.* Eorum graduum qui citantur, conc. *cons.;* omnium graduum absolute, nego *cons.*

7. Atqui Apostolatus est supremus potestatis gradus exclusive et absolute. Ergo stat *diff.*

30 Cf. M.d'Herbigny, *De Ecclesia* n.183; O.Cullmann, Saint *Pierre* (1952) P.164SS; Cf. Pium XII. *Allacut.* «Quaest'ora·: ΛΛ8 46 (1954) .109·

31 Cf. H.van Laak, *Instit. Theol. Fundani.* 4 *De Ecclesia* l.i n.6-18.80-88; J.V.ds Groot, Summa apotog. *de Ecclesia* q.14 a.i P.503SS.

i Cor 12,28: Expresse effertur *primum* potestatis gradum esse Apostolatum. Ergo est etiam supremus et absolutus.

Dist. antec. Inter gradus charismaticos qui recensentur, *conc. antec.;* inter gradus potestatis hierarchicae, *subdist.:* ut Collegium cum Primatu et sub Primatu Petri, *conc.;* excluso Petri Primatu, *nego.*

203. II. Promissio Primatus nequit dirigi immediate personae Petri.

8. Mt 16,17 et 23: Si laus Christi et inde promissio dirigeretur immediate Petro, Christus simul eum appellaret «beatum» et «satanam». Atqui hoc repugnat. Ergo promissio non dirigitur immediate personae Petri.

Dist. *mai.* Sub diverso respectu, *conc. mai.;* sub eodem respectu, *nego mai. Contradistincta min., nego cons.*

9. Atqui promissio dirigi nequit personae Petri. Ergo *stat diff.* S.Th., 2.2 q.174 a.6 et *Catena* in Mt 16, t8: Promissio debet intelligi de fide quam confessus est Petrus. Ergo dirigi nequit personae Petri.

Dist. *antec.* Debet intelligi de fide Petri, ut de occasione promissionis libere factae, vel ut de forma dispositiva subiecti, cui promissio dirigitur, *conc. antec.;* debet intelligi de nuda fide Petri ut de subiecto cui promissio directe et immediate fit, *nego antec.*

204. 10. Atqui promissio nequit intelligi directa Petro. Ergo *stat, diff.* S.August. *(Retract.* 1,21,1): Debet intelligi de Christo. Ergo nequit intelligi de Petro.

Dist. *antec.* Litteraliter «tu es Kepha et super hoc Kepha» potest intelligi de Christo, nego *antec.;* theologice potest intelligi de Christo, *subdist.:* tamquam de Ecclesiae fundamento iure proprio et principali, non excluso Petro, *conc.;* excluso Petro ut fundamento secundario iure vicario, nego.

ii. Atqui debet intelligi de solo Christo. Ergo *stat diff.*

Io 2,19: «Templum hoc» debet intelligi de solo corpore Christi; a pari «super hanc petram» intelligi debet de sola persona Christi.

Negatur paritas. Disparitas constat, quia in contextu «templum hoc» potest intelligi de corpore Christi et expresse (2,21) significatum est debere de corpore eius intelligi; «super hanc petram» vero litteraliter nequit intelligi de persona Christi, nam dicitur, *tu es petra* et super hanc *petram, et* nullibi significatum est debere intelligi de Christi persona.

205. 12. Atqui debet omnino de persona Christi intelligi. Ergo *stat diff.* i Cor 3,11: Aliud fundamentum Ecclesiae non est nisi Christus. Ergo...

Dist. *antec.* Fundamentum positum ab Apostolis (θεμέλιον) aliud non est nisi doctrina Christi et de Christo, *conc. antec.;* fundamentum positum a Christo (πέτρα) aliud non est nisi Christus, *nego antec.*

13. Atqui fundamentum a Christo positum aliud non est nisi Christus. Ergo *stat diff.*

Eph 2,20: *Vos Gentes... iam non estis hospites et advenae; sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati* super *fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapidi Christo Iesu.* Ergo Christus est *summus angularis lapis* Ecclesiae, ideoque unicum eius fundamentum. *Dist. cons.* Christus est velut lapis qui ponitur in angulo aedificii ad continendos et uniendos duos parietes Gentium et Iudaeorum hucusque divisos, conc. Ideo Christus est unicum Ecclesiae fundamentum, *subdist.:* primarium et iure proprio, *conc.;* excludens secundarium et vicarium fundamentum, nego.

206. 14. Atqui fundamentum naturale (πέτρα) omni ratione est solus Christus. Ergo stat *diff.*

i Cor 10,4: *Petra autem erat Christus.* Ergo...

Dist. *antec.* Christus dicitur petra quatenus erat fons gratiarum, quae ante eius adventum dabantur propter fidem et spem in Christum venturum, *conc. antec.;* quatenus ita erat fundamentum naturale ut excluderet omnem aliam rationem fundandi, *nego antec.*

207. 15. Cum Simon esset indole infirmus non potuit a Christo comparari petrae. Ergo verba Mt 16,18 non sunt a Christo prolata.

Dist. *antec.* Non potuit Simon comparari petrae ratione psychologicae eius indolis, *conc. antec.;* ratione virtutis et potestatis quas ei Christus conferre intendebat, *nego antec.*

16. Si verba Mt 16,17-19 a Christo dicta essent, Petrus habuisset supra Apostolos et supra Paulum auctoritatem, quam fontes testantur Petrum de facto non obtinuisse. Ergo verba Mt 16,17-19 Christi non sunt.

Dist. *antec.* Fontes testantur Petrum de facto non obtinuisse auctoritatem supra Apostolos ratione solius Apostolatus, *conc. antec.;* ratione Primatus, *nego antec.* In Evangeliis enim, in Actibus Apostolorum et in epistola S.Pauli ad Galatas tot tamque singulares praerogativae agnoscuntur S.Petro competere, ut earum convergentia explicari nequeat nisi S.Petri Primatus admittatur 32.

ARTICULUS II

Christus S.Petro Primatum contulit

Thesis 5. Post suam a mortuis resurrectionem Christus Dominus Primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam directe et immediate S.Petro contulit.

208. Cf. auctores in thesi praecedenti allegatos. Praeterea S.Th., *In Io* 21,15-28; S.Bellarminus, *Controv.* 3 l.r c.14-28; A.Straub, th.ss; D.Palmieri, th.3-6; M.d'Herbigny, th.16; H.Dieckmann, th.14 n.372; A.Medebielle, *In Io* 21; *Eglise:* DBS 590-596; N.Cavatassi, *De munere Pastoris in N.T.:* VerbDom 29 (1951) 215-227.275-285. DTC 13,259-262.

209. Nexus. Post thesim de promisso Primatu, ordinem doctrinae a Concilio Vaticano adhibitum sequentes (cf. D 1822), eiusdem Primatus collationem in specie demonstramus.

210. Notiones ad hanc thesim requisitae necnon *sententiae* thesi adversae sunt eaedem quae iam in thesi praecedenti explicatae manent, n. 163-166, iis exceptis quae ad ipsum textum Mt 16, 16-19 referuntur.

211. Doctrina Ecclesiae et valor dogmaticus. *Thesis est de fide divina definita* in Conc.Vaticano (D 1822s) ubi expresse est definitum collationem Primatus S.Petro fuisse a Do-

32 Cf. M.d'Herbigny, *De Ecclesia* th 14. Vide infra nn.270-276.

mino factam verbis apud Io 21,15-17. Cf. praeterea *Encycl.* Pu IX *«Quod, nunquam»* (D 1842).

Leo XIII in *Encycl. «Salis cognitum»* ulterius explicat textum Io 21,15-17, dum ait: 'Christus Dominus, post anastasim suam, cum ter a Petro, num se diligeret plus quam caeteri, quaesiisset, praecipientis in modum ei, *Pasce,* ait, *agnos meos..., pasce oves meas.* Nimirum quotquot essent in ovili suo futuri, omnes illi velut Pastori committit. Illa vero sunt pastoris officia et partes, gregi se praebere ducem, eundemque sospitare salubritate pabulorum, prohibendo pericula, cavendo insidias, tutando a vi: brevi, regendo gubernando. Cum igitur Petrus est gregi Christianorum Pastor impositus, potestatem accepit gubernandi omnes homines, quorum saluti lesus Christus profuso sanguine prospexerat».

Pius XII similiter in *Encycl. «Mystici Corporis»* docet: «Norunt omnes, Christum Dominum, postquam per hoc mortale iter *pusillum gregem* (Lc 12, 32) per se Ipse perspicibili modo rexisset, mox hunc mundum relicturum ac rediturum ad Patrem, totius ab sc conditae societatis adspectabile regimen Apostolorum Principi commisisse. Siquidem, ut sapientissimus erat, constitutum ab se sociale Ecclesiae corpus nequaquam sine conspicuo capite relinquere poterat» [1].

212. Probatio. i.° Ut conclusio thesis praecedentis probatur in genere Christum *aliquando* Primatum Petro contulisse [2].

Nam ex tractatu *de Legato divino* scimus Christum esse Legatum Dei et verum Dei Filium. Iam vero praecedenti thesi probavimus Christum promisisse Petro Primatum, et quidem promissione absoluta nulli condicioni alligata, ut ex verbis promissionis patet (Mt 16,18s). Atqui promissio a Legato divino et ab ipso Dei Filio absolute sine ulla condicione facta non potuit non aliquando certissime impleri. Ergo Christus *aliquando* Primatum Petro certissime contulit.

Min. constat, quia Legatus divinus *verba Dei loquitur* (Io 3,34); verus autem Dei Filius est omnino *Fidelis et Verax* (Apoc 19,11). Atqui verbum Dei absolute affirmatum a Filio Dei, qui omnino Fidelis et Verax est, non potest non aliquando certissime impleri. Ergo promissio Primatus a Legato divino et ab ipso Dei Filio absolute sine ulla condicione Petro facta non potuit non *aliquando* certissime impleri.

213. Probatio. 2.0 *Ex verbis* Io 21,15-17.

Notanda circa textum Io 21,1-25. *a)* In Evangelio S.Ioannis duplex habetur conclusio: alia Io 20,30s, alia vero ad finem ultimi capitis, Io 21,24s. Hinc aliqui acatholici dixerunt, integrum caput 21 a S.Ioanne non esse scriptum, sed paulo post eius mortem ab eius discipulis esse additum.

1 Leo XIII: ASS 28,727«: Pius XII: AAS 35,210.
2 Cf. A.Stkaub, *De Ecclesia* 11.154: J.Muncunil1, *De Ecclesia* n.46.

bj Cim hoc caput 21 adsit in omnibus codicibus et versionibus, in cczd essentialia concordet cum reliquis Evangelii loannis capitibus, ab omnibus semper agnitum fuerit ut genuinum eiusdem Evangelii a put; maxima propterea criticorum pars censet nullam esse rationem ut de eius genuinitate merito dubitari possit.

c) Concedi quidem cum pluribus criticis potest, hoc 21 caput esse velut appendicem ab eodem tamen S.Ioanne, ut styli proprietas comprobat, posterius additam, sive ad narrationem de Primatus collatione tradendam, ut censet Toletus, sive ad falsam aliquorum opinionem de ipsius loannis immortalitate corrigendam, ut Patritius opinatur (Io 21,23). Styli differentiae, quas nuper Boismard notavit, accidentales et parvi ponderis nobis esse videntur 3.

214. *d)* Lagrange autumat discipulos loannis solam postremam conclusionem addidisse (Io 21,24s), et eosdem ad finem capitis praecedentis transtulisse aliam conclusionem (Io 20,30s), quam S.Ioannes scripserat ad finem sui Evangelii post Io 21,23. Haec autem hypothesis, cum omni careat fundamento in traditione textus, videtur non esse admittenda4.

Critice ergo certo constat caput 21 esse vel ab ipso S.Ioanne scriptum vel saltem ut partem Evangelii eius semper in Ecclesia inde ab initio agnitum. Solus tamen ultimus Evangelii versus (Io 21,25) 'n dubium aliquo modo vocari potest, quia traditionis suffragium pro eo unanime non est.

e) R.Graber nuperrime minime dubitat de genuinitate capitis 21, et bene ostendit scriptum fuisse praesertim ad narrandum factum historicum collationis Primatus. F.Segarra bene genuinitatem tenet, et scopum narrandi traditionem Primatus agnoscit. Circa occasionem concretam, quam unusquisque horum auctorum adinvenit et proponit, ut inducentem hagiographum ad hoc caput addendum, dicimus eam esse hypothesim quandam, quae tamen positivis argumentis confirmari non videtur 5.

215. Caput 21 S.Ioannis, ad scopum nostrum quod attinet, bene dividi potest in quatuor partes: 1) Io 21,1-8, exhibet praeparationem mentium Apostolorum per miraculosum piscatum, quo Petro praesertim in memoriam revocatus est ille alius huic simillimus piscatus, post quem lesus vocavit Petrum ad definitivam sui assectationem (Lc 5,1-10).

2) Io 21,9-14, ostendit rationem qua Christus Apostolorum corda praeparavit dilectionis signis in convivio a se parato exhibitis, quibus se indubie ipsis manifestavit ut bonus Magister.

3) Io 21,15-17, narrat ipsa verba, quibus «Bonus Pastor», Christus, Apostolo Petro confert curam pascendi universum suum gregem. Nota modestiam, qua respondet Petrus, in oppo-

3 F.Toletus, *In S.Ioan. Evangelium* 21,1; F.X.Patritii, *Comment, in Io 2t,i.* Cf. E.B. Allo, *Saint Jean, L'Apocalypse* 1,20 (1933) 27s; E.Boismard, O.P., *Le chapitre 21 de St.Jean:* RevBibl 54 (1947) 473-501 tentavit ostendere stylum non esse loannis, sed potius Clementis Romani. Posterius vero dependentiam Clementis a loannc agnovit; Id., *Clément de Rome et VEvang. de Jean:* RevBibl 55 (1948) 376-87·

4 M.Lagrange, *Evangile selon St.Jean* (1927) 5>9-534·

5 F.Segarra, *La doble conclusiôn del Evangelio de S.Juan:* EstEcI 9 (1930) 32-47: R.Graher. *Petrus der Fels* (1950) 37-48. Cf. K.Horn, *Abfassungszeit Geschichtlichkeit und Zweck von Evany. Jah. Kap. 21* (1904).

sitione ad eius arrogantiam ante quam Christum negaret (Mt 26,31-35).

4) Io 21,18s, refert vaticinium, quo Dominus Petro annuntiavit martyrium, quod Petrus patietur ad similitudinem Boni Pastoris, qui *animam suam dat pro ovibus suis* (Io 10,11).

216. Comparanti textum Io 21,15-17 cum textu Mt 16, 15-19 innotescit, Christum Dominum Petro fidem professo promisisse Primatum, atque eidem amorem exhibenti eundem Primatum contulisse, «ut doceret, quem elevandus in caelum amoris sui nobis velut Vicarium relinquebat»6.

217. Probatio. Post resurrectionem suam Christus immediate S.Petro contulit curam pascendi suum gregem, apud Io 21,15-17. Atqui pascere gregem Christi directe significat fideles Christi in Ecclesia coadunatos regere potestate sociali et quidem suprema. Ergo post suam a mortuis resurrectionem Christus potestatem supremam in universam Ecclesiam directe et immediate S.Petro contulit.

218. *Ad mai.* Dicimus 1) Immediate S.Petro contulit, quia Christus ad ipsam Petri personam verba dirigit, et id quod verbis significatur ipsi Petro ut proprio subiecto nullo alio mediante, confertur; prout patet ex locutionibus: *Simoni Petro, Simon loannis* (ter), *plus his, diligis?—amo* (ter, quo indubia fit allusio ad trinam personalem Petri negationem), *pasce* (ter), *dico tibi, cingebas te, alius te cinget et ducet quo tu non vis.* Nomina ergo et pronomina personalia multiplicantur; allusiones praeterea maxime personales fiunt, quae omnia evidenter immediationem Christum inter et Petrum denotant. Allusio ad trinam negationem est summe personalis.

•Nam, ait S.Augustinus, quare ter interrogat amantem, nisi ut compungat ter negantem?» Et alibi: «Redditur negationi trinae trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori. Sit amoris officium pascere dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare Pastorem». Trina repetitio significat etiam solemnitatem collationis iuris 7.

2x9. 2) Dicimus: Curam pascendi suum gregem, quia expresse Dominus mandat: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*

6 S.Ambrosius, *In Lucam* l.io n.175: ML 15,1848.

? S.Augustinus, *Serm.* 285 n.3: ML 38,1295; *In Io* tr.123 c.21 n.5: ML 35,1967; *Serm.* 53 n.I : ML 38,1179. Formula ter repetita ap. Io 21,15-17» significat solemnitatem, quam Christus intendit in actu constituendi Petrum sui Vicarium. Nam formula ter repetita coram testibus late diffusa est per totum Orientem, et adhibetur ad solemniter conferendum oretenus aliquod ius valore absoluto firmatum: P.Gaechter, *Das dreifache 'Pasce oves meas*': ZkathTh 69 (1947) 328-344-

βόσκε τὰ ἀρνία μου ποίμαινε τὰ πρόβατα μοὐ. «Pasce agnos meos, ait S.Thomas, id est, fideles meos a me Agno (lo 1,29) agnos vocatos: ut sic non possit dici christianus, qui dicit se non esse sub cura istius pastoris, scilicet Petri»8.

220. *Ad min.* Dicimus 1) Gregem *Christi* directe significare *fideles Christi;* quod quidem constat nobis ex ipsa Domini explicatione in parabola Boni Pastoris, ubi oves lesu dicuntur esse: *a)* illi qui agnoscunt et sequuntur Christum et quidem in eum credentes: *Ego sum Pastor bonus et cognosco meas et cognoscunt me meae... Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me* (Io 10,14.26s): *b)* illi quos in aeternum salvandos per suam mortem venit Christus: *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant... et animam meam pono pro ovibus meis. ...et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum* (lo 10,9s.15.28).

2) Dicimus significare fideles in *Ecclesia coadunatos: a)* quia dicuntur constituere unum ovile et quidem clausum: Qui non *intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Qui autem intrat per ostium pastor est ovium... Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unus grex* (ποιμνη) et unus *pastor* (Io io,is.i6); *b)* quia propterea ab Apostolis dicuntur fideles efformare Christi gregem, qui quidem grex Ecclesia appellatur. *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior...: pascite qui in vobis est gregem Dei... Et cum apparuerit Princeps pastorum* (ἀρχιποιμήν) *percipietis immarcescibilem gloriae coronam* (1 Petr 5,1-4); *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos pascere* (ποιμαίνειν) *Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (Act* 20,28).

221. 3) Dicimus *pascere* idem esse ac *regere* potestate sociali, quae quidem in Ecclesia, prout iam probatum manet, est potestas triplex: docendi, regendi et sanctificandi fideles. Ac sane haec triplex potestas satis indicatur in parabola Boni Pastoris: a) *Docendi* (Io 10,3.16.26s) «vocem meam audiunt et credunt»; b) *Regendi,* sive oves ducendo (Io 10,4s.27), sive eas defendendo (Io 10,11-15); c) *Sanctificandi* (Io 10,9s.28) *vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum 9.*

8 S.Th., *In Io 21,16.*
Vide commentaria Fiujon, Knadenuauer, Sjmon-Dorado, In lo io.

222. 4) Dicimus pascere idem esse ac regere potestate suprema, et quidem regali.

Nam i.° *De potestate suprema et regali* auditores Christi sine dubio intelligebant imagines *pascendi:* quia *a)* in Veteri Testamento imago adhibebatur in hoc sensu, ut in 2 Reg 5,1-3: *Venerunt universae tribus Israel ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos os tuum et caro tua sumus... Dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel. Venerunt quoque et seniores Israel ad regem in Hebron... unxeruntque David in regem super Israel;* quia *b)* frequenter in libris V.T. populus Dei appellatur *grex* et *oves* Domini, atque ipse Deus dicitur esse *pastor* populi sui.

2. Ac praesertim quia imagine *gregis* annuntiaverunt Prophaetae Regnum Messianicum, et Messiam Regem imagine *pastqris,* ut in 1er 23,1-8, quod latius explicatur in Ez 34; etenim in hoc capite Ezechielis vox ττρόβοΓτα occurrit vicies et quater, ττοιμήν decies et sexies, βόσκω et ττοιμαίνω ter et decies occurrunt et adhibentur ut synonimae quia respondent eidem voci hebraicae רעה. Iam vero in Ez 34 multis modis lamentatur Dominus eo quod «gregem suum» et «oves suas» non bene «pascant» constituti pro illis «pastores»; quare Dominus, *Salvabo,* inquit, *gregem meum... Ego pascam oves meas... et suscitabo super eas pastorem unum, qui -pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas et ipse erit eis in pastorem,* Ez 34, 2-5.9-11.15-16.22-24.29-31 [10]. In his autem locis voces «pastor» et «pascere» aperte significant potestatem supremam et quidem regalem Regis Messiae in Regno messianico.

223. Hoc ipsum confirmatur ex Novo Testamento. Nam apud Mt 2,1-6, Magi quaerunt: *Ubi est qui natus est Rex Judaeorum?* Ipsi autem iudaei, Scribae nempe et Principes Sacerdotum responderunt: Nascetur in Bethlehem, quia Propheta Micheas annuntiaverat: *Ex Bethlehem egredietur qui sit dominator in Israel... et stabit et pascet* (ποιμανεί) in *fortitudine Domini* (Mich 5,2-4). Ergo exercitium potestatis messianicae, Regis Israel propriae, intelligebatur significata verbo «pascere».

224. Ex iis iam necessario infertur, potestatem socialem, de qua sermo est apud Io 21,15-17, non posse intelligi nisi de potestate suprema et regali in Regno messianico. Quod sit *suprema* haec potestas, quae Petro committitur in *grege* seu

10 Vide supra. *De revelatione* nn.629-631 cum Commentariis in notis inibi citatis. Adde L.Dennefeld in 1er 23 et in Ez 34: ap. L.Pirot, *La S.Bible* t.7 (1947) 308 et 574. Ad Ez 34.23, nota fuisse scriptum ante annum 572 ante Ch., David vero mortuum esse circa annum 970 ante Ch.; unde patet referri ad Filium David, id est as Messiam.

Regno Christi, evincitur etiam ex ipso tenore verborum quibus confertur. Nam *a)* potestas quae confertur est *singularissima,* utpote tripliciter a Domino inculcata et triplici summi amoris professioni correspondens; singularitas autem in potestate sociali solum *supremo eius gradui* pertinet; et *h)* potestas quae Petro datur est *universalissima,* ad omnes videlicet sese extendens quotquot Christi oves dici valeant, ergo et ad ipsos Apostolos extenditur, qui ab ipso Christo dicti sunt eius oves: *Dicit illis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in* me in *ista nocte; scriptum est enim, percutiam Pastorem et dispergentur oves gregis; postquam autem surrexero praecedam vos in Galilaeam* (Mt 23,31s). Ergo tandem officium pascendi oves Christi quod Petro committitur est potestas regendi suprema et regalis in grege seu Regno Christi» 11.

225. Scholion 1. Confirmatur S.Petri· Primatus christianae antiquitatis suffragio.

Animadvertendum in primis est, SS.Patres, postquam Arii haeresis apparuit, magis attendisse ad confessionem divinitatis Christi, quam ad Ecclesiae fundationem, cum explicarent Mt 16,15-19. Ipsi tamen minime excludunt sensum litteralem promissionis Primatus a Christo Petro tunc factae, velut in praemium fidei, quam Petrus professus est12.*

226. 1) *Testimonia Patrum latinorum.*

Tertullianus (ca.200) *De praescriptione:* «Latuit aliquid Petrum aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves caelorum consecutum, et solvendi ct ligandi in caelis et in terris potestatem» (K 89.4 Id. (ca.220) *De pudicitia:* postquam montanista est factus: «Sed habet, inquis, potestatem Ecclesia delicta donandi. De tua nunc sententia quaero, unde hoc ius Ecclesiae usurpes. Si quia dixerit Petro Dominus: «Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; tibi dedi claves regni caelestis»; vel: «Quaecumque alligaveris vel solveris in terra, erunt alligata et soluta in caelis»; idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, id est ad omnem Ecclesiam Petri propinquam? Qualis es, evertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem? «Super te, inquit, aedificabo Ecclesiam meam, et dabo tibi claves, non Ecclesiae» (R 387) 13.

227. S.Cyprianus (ca.250) *De cath. Eccles. unitate:* «Dominus ad Petrum: «Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus», etc. Super unum aedificat Ecclesiam. (Eidem post resurrectionem suam dicit: «Pasce oves meas» et illi pascendas oves mandat.) Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat (Io 20,21-23), tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit (et unam cathedram constituit). Hoc erant utique et ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab

11 Cf. F.Zorell, *Novi Testamenti Lexicon* ubi etiant invenies minimum sensus discrimen inter voces βόσκω et ττοιμαίνω.

12 Cf. I.Ottiger, *Theologia fundanumtalis* 2 p.145-200.

13 Tertullianus, *De praescriptione haereticorum* c.22: ML 2.34; cf. *De monogamia* 8,6: ML 2,039: *De pudicitia* c.21 : ML 2,1024.

unitate proficiscitur ut Ecclesia Christi una monstretur. (Et Primatus Petro datur ut cathedra una monstretur)» (R 555). *Epistula* 43: «Deus unus est et Christus unus et una Ecclesia et cathedra una super Petrum Domini voce fundatam» (R 573)[14].

228. S.Hilarius (ca.360) *In Ps:* «Petrus cui superius claves regni caelorum dederat, supra quem Ecclesiam aedificaturus erat adversus quam portae inferi nihil praevalerent, qui quae in terris solvisset vel ligasset, ea in caelis vel soluta persisterent vel ligata... Tanta enim ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, ut Petrum primum Filii Dei confessorem, Ecclesiae fundamentum, caelestis regni ianitorem et in terreno iudicio iudicem caeli, Satanae convicio nuncuparet» [15].

Marius Victorinus (ca.365) *In Epist. ad Gal:* «Si in Petro fundamentum Ecclesiae positum est, ut in Evangelio dictum; cui revelata erant omnia Paulus scivit videre se debere Petrum, quasi eum cui tanta auctoritas a Christo data esset, non ut ab eo aliquid disceret» [16].

229. S.Optatus Milevitanus (ca.370) contra *Parmenian.:* «Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas est appellatus, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur... Ergo cathedram unicam, quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus» (R 1242). «Bono unitatis beatus Petrus... et praeferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni caelorum, communicandas caeteris, solus accepit... Potuit utique caput Apostolorum ita se gubernare, ut nihil incurreret quod doleret: sed ideo in uno peccato eius multa videntur errata, ut posset ostendi bono unitatis ortinia debere Deo servari» [17].

230. Ambrosiaster (ca.375): «Prior secutus est Andreas Salvatorem quam Petrus: et tamen Primatum non accepit Andreas, sed Petrus» [18].*

S.Ambrosius (ca.390) *Expos. Evangel. s.Lucae:* «Contristatur Petrus quia et tertio interrogatur: «Amas me». Is enim interrogatur de quo dubitatur, sed Dominus non dubitat, qui interrogat non ut disceret, sed ut doceret quem elevandus in caelum amoris sui nobis velut Vicarium relinquebat. Petrus testificatur affectum et ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur: maior enim omnibus caritas». Id.. *Enar. in 12 Ps:* «Ipse est Petrus cui dixit: «Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam». Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita aeterna» (R 1261) [19].

231. S.Hieronymus: «Super Petrum fundatur Ecclesia: licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves regni caelorum accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur ut capite constituto, schismatis tollatur occasio» (R 1379) [20].

14 S.Cyprianus, *De catholicae Ecclesiae unitate* c.4: ML 4,498; CSEL 3,1,212. Cf K 266: T.Zapelena. *De Ecclesia* I (1050) 313-343: cf. Greg 15 (1934) 500; 16 (11)35) 196. Epistolae. 43.5: ML (Ep.40) 4.336; CSEL 3.2,594.

15 S.Hilarius, *In Ps* 131 n.4: ML 9,730; CSEL 22.663.

16 Marius Victorinus, *In epist. ad Gal* 1.18: ML 8.1155.

17 S.Opt .Milevitanus, *Contra Parmenianum Donatistam* 2.2: 7,3: ML 11,947.1087; CSEL 26,36,171s.

*» Ambrosiaster, *In 2 Cor 12.it:* ML 17,332.

1» S.Ambrosius, *Expositio Evangelii secundum Lucam* t.io n.175: MI. 15,1848; *Enarrationes in 12 Psalmos* in Ps 40,30: ML 14,1082.

20 S.Hieronymus, Adivrsus *lovinianum* 1,26: ML 23,247.

232. S.Augustinus (ca.400) *De baptismo:* «Magnum quidem meritum novimus Cypriani episcopi et martyris; sed numquid maius quam Petri Apostoli et martyris? De quo idem Cyprianus in epistola ad Quintum ita loquitur. Nam neque Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit et super quem aedificavit Ecclesiam suam... Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet, aliter quam veritas postulabat de circumcisione agere solitum, a posteriore Apostolo Paulo esse correctum... Quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet episcopatui praeferendum? Sed etsi distat cathedrarum gratia, una est tamen martyrum gloria». Contra *Faustum:* «Quid ergo incongruum si Petrus post hoc peccatum factus est Pastor Ecclesiae, sicut Moyses post percussum aegyptium factus est rector Synagogae?» 21.

233. S.Leo Magnus (ca.450) *Sermo* 3: «Soliditas illius fidei, quae in Apostolorum principe est laudata, perpetua est; et sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit., sicut evangelica lectione reseratum est (Mt 16,16-19). Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. Sic enim prae caeteris est ordinatus, ut dum Petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni caelorum ianitor constituitur, dum ligandorum solvendorumque arbiter, mansura etiam in caelis iudiciorum suorum definitione, praeficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus... Hoc obtinuit illa confessio, quae a Deo Patre apostolico inspirata cordi, omnia humanarum opinionum incerta transcendit, et firmitatem petrae, quae nullis impulsionibus quateretur accepit». *Sermo* 4: «De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. Magnum et mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiae suae tribuit divina dignatio; et si quid cum eo commune caeteris voluit esse principibus, numqaum nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit» (R 2191) 22.

234. 2) *Testimonia Patrum orientalium.*

Clemens Alexandrinus (ca.200), Quis *dives salvetur:* «Cum haec audisset beatus ille Petrus, electus ille, eximius ille, primus ille discipulorum, pro quo uno et se ipso Salvator tributum pendit; sermonem confestim rapuit vimque eius comprehendit» (R 436) 2324

Origenes (ca.240) *In Exodum:* «Vide magno illi Ecclesiae fundamento et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: Modice, inquit, fidei, quare dubitasti?» (R 489). Id., *In Romanos:* «Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius alterius ab eo virtutis confessio nisi caritatis exigitur»

235. Eusebius Caesariensis (ca.305) Hist. *Eccles.:* «Benigna et clementissime Dei providentia fortissimum et maximum inter Apostolos Petrum et virtutis merito reliquorum omnium principem et patronum Romam

21 S.Augustinus, *De baptismo 2,1,2:* ML 43,126s; Contra Faustum *Manichaeum* 22,70: ML 42.445.

22 S.Leo M., *Sermones* 3 c.2s; 4 c.2: ML 54.t4ss.149.

23 Clemens Alex., Quis *dives salvetur* 21,3: MG 9,625; GChS 3,173.

24 Origenes, *In Exodum* homil. 5,4: MG 12.329; *In Romanos comment.* s,io:MG 14,1035.

adversus illam generis humani labem ac pestem perducit» (K 425). Id., *Demonstr. Evangel.:* «Petri familiaris ac discipulus Marcus, in commentarium retulisse eiusdem de rebus gestis Iesu, narrationes memoratur... Non interfuit Marcus iis quae a Christo dicta sunt: ac ne Petrus quidem, quae ad ipsum et de ipso dicta sunt ab Iesu, proprio testimonio proferre aequum putavit. Quae autem illa sint, quae videlicet ad ipsum Petrum dicta sunt, Matthaeus his indicat verbis (Mt 16,15-19). Cum haec tam multa dicta sint Petro ab Iesu, Marcus nihil horum commemorans, propterea quod ne Petrus quidem, ut verisimile est, talia in suis narrationibus enuntiavit... Haec sane Petrus merito tacenda iudicavit: quare etiam Marcus ea praeteriit. Quae autem ad negationem suam pertinebant, in omnes homines protulit ac publicavit quoniam post illam flevit amare (Mc 14,66-72). Marcus quidem haec scribit, ac Petrus haec de se ipso testificatur: omnia enim quae apud Marcum leguntur, narrationum sermonumque Petri dicuntur esse commentaria... Si hoc Evangelistis fingendi propositum fuit, ut mendaciis suum Praeceptorem ornarent... cur posteris indicarunt, quod et tristis fuerit, et taedio affectus, et animo turbatus? aut quod ipsi illum deseruerint atque abierint? aut quod qui omnibus ipsis praepositus fuerat Apostolus illius et discipulus Petrus, nullis nec tormentis nec tyrannicis minis, ter illum abiuraverit?» 25

236. Aphraates (ca.340): «Simoni discipulorum principi, cum negando dixisset: Quia nescio hominem; subiit paenitentia, magnamque vim lacrymarum profudit; et suscepit eum Dominus, posuit eum in fundamentum, vocavitque eum Petram, Ecclesiae aedificationem» 26.

S.Cyrillus Hierosolymitanus (ca.350): «Petrus Apostolorum summus et princeps coram vili ancillula ter Dominum negavit, sed paenitudine tactus flevit amare, ... atque idcirco non solum negationis huius veniam accepit, verum etiam apostolicam dignitatem sibi conservatam retinuit» (R 810)27

237. S.Ephraem (ca.360) *Sermones:* «Simon, discipule mi, ego te constitui fundamentum Ecclesiae sanctae. Petram vocavi te antea, quia tu sustinebis omnia aedificia; tu es inspector eorum, qui mihi aedificant Ecclesiam in terra; si quid reprobum aedificare velint, tu fundamentum reprimas eos; tu es caput fontis a quo hauritur doctrina mea, tu es caput discipulorum meorum; per te omnes gentes potabo; tui est suavitas illa vivifica quam largior; te elegi ut sis in mea institutione velut primogenitus et heres efficiaris thesaurorum meorum; claves regni mei dedi tibi. Ecce principem te constituit super omnes meos thesauros» (R 706). Id., *In Mt* 16,13-28: «Vos autem quid dicitis de me quod sim? Simon, caput et princeps, locutus est: Tu es Christus Flius Dei vivi. Et respondit: Beatus es, Simon. Et portae inferi te non vincent, id est, quod non destrueretur fides. Quod enim Dominus aedificat, quis potest destruere?... Dominus cum Ecclesiam suam aedificaret, aedificavit turrim, cuius fundamenta omnia, quae erant superaedificanda, portare possent... Tu es petra, illa petra, quam erexit, ut Satanas in eam offenderet. E contra Satanas hanc petram Domino opponere voluit, ut in eam offenderet, cum Petrus ad Dominum diceret: Absit Domine» 28.

28 Eusebius Caesariensis, *Historia ecclesiastica* 2,14,5s: MG 20,171s; GChS Eus. 2,138. *Demonstratio evangelica* 3,5: MG 22,2165.220.

26 Aphraates, *Demonstrationes* 7,15: edit. Graffin-Parisot, *Patrologia syriaca* 1,335.

27 S.Cyrillus Hierosolymitanus, *Catecheses* 2,19: MG 33,408.

28 S.Ephraem Syrus, *Sermones in hebdomadam sanctam* 4,1: edit. Lamy 1,412. *Evangelii concordantis expositio* (ex versione armeniaca in latinum translata ab I.B.Ancher), edit. G.Moesincer c.14 P.153S. Addi possunt ex eodem S.Ephraem, Sermo 2 in *hebdom. sanctam*

238. S.Epiphanius (ca.375): «Andreas prior in Dominum incidit... Postea vero initium est a Petro factum. Tunc enim et ipse fratri suo praeivit. Deus quis sit primo loco dignus intelligit. Quare Petrum discipulorum suorum principem elegit» 29.

239. S.Basilius (ca.375): «Porro talis ac tanti iudicii exactor, tantaeque Dei in peccantem irae minister beatus ille Petrus, omnibus discipulis praelatus, cui soli maiora data quam aliis sunt testimonia, qui praedicatus est beatus, cui claves regni caelorum concreditae sunt» 30.

S.Gregorius Naziancenus (ca.380): «Vides quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus et excelsis atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Ecclesiae fundamenta in fidem suam accipiat, ille impensius ametur, et supra pectus Iesu requiescat (Πέτρα καλείται καί τού; Θεμελίου; τη; 'Εκκλησία; πιστεύεται) 31.

S.Gregorius Nyssenus (ca.385): «Celebratur Petri memoria, qui Apostolorum est caput et una cum ipso caetera membra Ecclesiae glorificantur, Dei vero Ecclesia solidatur. Hic enim iuxta praerogativam sibi a Domino concessam firma ac solidissima petra est, super quam Salvator Ecclesiam fundavit» 32.

240. Didymus Alexandrinus (ca.390): «Petrus ille inter Apostolos choryphaeus (κορυφαίο;)... ille Apostolorum princeps (ὁ ἰξαρχο;)... ille qui inter Apostolos tenet principatum (τὰ πρωτεῖα). Id., «Petrus beatus dictus est ab eo, qui solus beatus Dominus est. Ecclesiae super hanc petram aedificatae sunt... traditae sunt ipsi claves caelorum... Potestatem praeterea accepit, aut potius omnes etiam per eum acceperunt, non reiciendi lapsos, sed recipiendi eos, si resipiscant» 33.

241. S.Ioannes Chrysostomus (ca.395): *In illud: Hoc scitote:* «Petrus chori illius coryphaeus, os Apostolorum omnium, caput illius familiae, orbis totius praefectus, fundamentum Ecclesiae, ardens Christi amator». *In S.Ignat.:* «quem toti orbi terrarum Christus praefecit, cui claves caelorum dedit, cuius arbitrio et potestati cuncta permisit». Id., *In Mt* 16,18-19: «Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, id est super fidem confessionis. Hinc declarat multos esse credituros, eiusque sensum erigit, et pastorem ipsum constituit... Ego autem dabo tibi claves regni caelorum... quae uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere. Ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere, hominemque piscatorem totoim pugnante orbe petra firmiorem facere, haec se illi daturum pollicetur in universo terrarum orbe... Pater revelationem Filii Petro dedit; Filius vero et Patris et sui ipsius cognitionem per totum orbem illi disseminare commisit, ac mortali homini omnem in caelo potestatem dedit, dum claves illi tradidit, qui Ecclesiam per totum orbem terrarum extendit, et caelis firmiorem monstravit». Id., In Io 21,15-18: «Dicit Iesus Simoni Petro: Simon Ionae, diligis me plus his?... Pasce oves meas. Et cur aliis praetermissis, de his hunc alloquitur? Eximius erat inter Apostolos, os discipulorum et coetus illius caput.

n.4; Sermo *ad Nocturnum Dom. Resurrectionis* n.a; *Commentarium in Isaiam* 54,17! 62,2: edit. T.J.Lamy, 1,374.531: 2,156.186. N.B. R 706 accuratius quam Lamy vertit, sed minus recte ponit: «aedificabunt».

2» S.Epiphanius, *Adversus haercses* 51,14,17: MG 41,913.92t.

30 S.Basilius, *De iudicio Dei* 7: MG 31,672.

31 S.Gregorius Nazianc., *Orationes* 32,18: MG 36,193.

32 S.Gregorius Nyssenus, Oratio 2 *de S.Stephano:* MG 46.733.

33 Dioymus Alex., *De Trinitate* 1,27; *In Actus Apostolorum* 10,10: De *Trinitate* 2,10; 1,30: MG 39,408.1677.640.417.

Ideo Paulus prae aliis hunc visurus venit. Simul ostendens ei, oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione, fratrum ei committit praefecturam (τήν προστασίαν)... Dicit autem: Si amas me, fratrum praefecturam suscipe, et ferventem illum amorem, quem semper exhibuisti, et de quo exultabas, nunc ostende, animamque illam, quam te pro me daturum esse dicebas, da pro ovibus meis» 34.

242. Macarius Magnes (ca.400). In Mt 16,18s: «Dignum gratia tua cognomen accipe et esto Petrus, petram inexpugnabilem toti mundo monstrans non vacillantem; mentem enim et sententiam accepisti invincibilem... Eum qui dixerat: Tu es Christus Filius Dei vivi, ad ipsum dignitatis cacumen sublimavit, cum superni regni clavium et aulae, custodem eum reddidit. Decebat enim eum qui cognoverat Regem in throno cum maiestate sedentem, claudendi et aperiendi potestatem accipere, ut venientibus interpretaretur tanquam sciens virtutem potentis, et eos qui beati conspectus capaces non essent, excluderet» 35.

243. S.Cyrillus Alexandrinus (ca.428) In Io 1,42: «Et [Christus] Simonem eum non iam vocari patitur, eum sibi pro sua potestate iam tunc ut suum vindicans, sed congrua similitudine Petrum a petra vocari placuit, puta super quem fundaturus erat suam Ecclesiam» 36.

244. Scholion 2. Testimonium virtuale ex Archaeologiae monumentis 37.

Numerus relativus repraesentationum personarum in monumentis archaeologicis iam praeeminentiam S.Petri indicat: nam, exceptis picturis quibus Iesus exhibetur ut bonus Pastor, quae sunt innumerae, figura Christi apud Garrucci occurrit 440 vicibus. Sequitur primo loco post Christum figura S.Petri 212 vicibus; dein S.Paulus 47 vicibus; dein Collegium Apostolorum, in quo etiam est Petrus, 30 vicibus; Moyses 37 vicibus; Daniel 11; Elias 6. Praeter 212 vices iam citatas, Petrus repraesentatur sub imagine Moysis ca.ioo vicibus. Ergo Petrus in N.L. est velut Moyses in V.L.

In monumentis Archaeologicis Petrus optime discernitur ex forma barbae et capillorum. Unus Petrus saepe occurrit, inde a fine saeculi II, cum clavibus, Petrus ut magister repraesentatur vel sedens supra petram et volumen legens, vel inde a saec.IV, sedens in cathedra et docens. Ergo clara apparet primaria Petri.

34 S.Ioan.Chrysostom., In *illud: Hoc scitote* 4: MG 56,275; In *S.Ignatium martyrem* 4: MG 50,591 ; In Mt 16,188, homil.54,2: MG 58,534; In Io 21,15-18, homil.88,1: MG 59»478s

33 Macarius Magnes, *Apocriticus* 3,27: edit. C.Blondel, ii5»117·

36 S.Cyrillus Alex., In Io *Evangel.* 2: MG 73,220.

37 R.Garrucci, *Storia dell'Arte Cristiana nei primi otto secoli della chiesa* v.i-6 (1872-1880). Cf. S.Scaglia, O.C.R., *S.Petri Primatus et praerogativae ex Archaeologiae testimoniis* (1910); H.Dieckmann, *De Ecclesia* (1925) n.505; Besson, *Saint Pierre* (1928); G.Wilpert, *La fede della Chiesa nascente secondo : monumenti dell'arte antica* (1938) c.6 S.Pietro p.146-216; *Esplorazioni sotto la Confessione di S.Pietro* (1951) 2 tavole 7 et 8.

245. Frequentissimae sunt illae imagines, quibus Petrus Moysi assimilatur: Alia, in qua Dominus iuvenis, volumen tenens sinistra manu et dextera imperans, porrigit zonam voluminis evolutam Petro, in qua saepe legitur *Lex* vel *Dei Lex* vel *Dominus legem dat* (ca.30 vicibus). Alia, in qua, ut alter Moyses, Petrus petram virga percutit et fluunt aquae, ex quibus saepe bibunt milites romani (ca.ioo vicibus); inde ab initio saeculi II, incipit apparere haec repraesentatio, et invenitur Romae, Pisis, Mediolani, Arelate, Avenione, Narbonae, Massiliae, Matriti, Asturigae, Geronae, Caesaraugustae, etc. Aliquoties repraesentatur Petrus portans ovem ad similitudinem boni Pastoris. Sic Petrus exhibetur ut locum Christi tenens seu ut Christi Vicarius.

246. Obiectiones. Munere pascendi apud Io 21,15 non est datus Petro Primatus.

i. C.Weizsaecker: «Incredibile est in Evangelio loannis extolli Apostolum, qui ipsi loanni praeeat praecisse ratione amoris: «diligis me plus his». Ergo vel textus non est genuinus, vel cum eo non significatur praeeminentia Petri supra loannem» 38.

Nego antec., prae oculis habita evangelica Petri et loannis historia. De cons. i.° *nego ex* ratione allata, posse in dubium vocari genuinitatem textus contra indubiam traditionem textualem. 2.° In textu non significatur praeeminentia Petri supra loannem in ipso amore, *trans, cons.;* non significatur praeeminentia in auctoritate liberaliter a Christo Petro amanti collata, nego *cons,*

247. 2. Atqui verba non significant praeeminentiam Petri in auctoritate. Ergo *stat diff.* Io 21,15: Verba significant trinam ratificationem Apostolatus trina negatione amissi. Ergo non significant Primatum

Dist. antec. Apostolatus cum primatiali praerogativa uni Petro prae aliis data, conc. *antec.;* solius Apostolatus sine Primatu, nego *antec.*

3. Atqui verba nullam primatialem praerogativam significant. Ergo *stat diff.* Verbis nulla obediendi obligatio aliis imponitur. Ergo Primatum non significant verba Io 21,15-17.

Dist. *antec.* Nulla obligatio imponitur signate, conc. *antec.;* exercite, nego *antec.*

4. Atqui neque exercite potuit aliqua obligatio imponi erga Petrum. Ergo *stat diff.*

«Nam in Ecclesia Dei auctoritas suprema soli Christo, viventi et praesenti ibi ubi sunt *duo vel tres congregati in nomine eius* (Mt 18,20), competere omnino potest» 39. Ergo neque exercite potuit aliqua obligatio erga Petrum imponi.

Dist. antec. In Ecclesia Dei auctoritas suprema soli Christo praesenti in ea competere potest iure primario ac proprio et ad principaliter producendos effectus supematurales, conc. *antec.;* iure secundario ac vicario et ad ministerialiter efficiendos fructus supematurales, nego *antec.*

248. 5. Atqu‘ verba significant solum Apostolatum. Ergo stat *diff.*

38 C.Weizsaecker, *Das Apostnllche Zeitalter* (1902) 532.

39 C.T.Craig, *L'Eglise du N.T. Etudes oecuméniques. Désordre de l'homme et dessein de* Dieu (1949) I P-52S.

Verbum *pascere* solum significat doctrinam et sacra cum quadam auctoritate ministrare. Atqui hoc est munus Apostolatus. *Ergo...*

Dist. mai. Verbum pascere quod praedicari potest pariter de pluribus, conc. *mai.;* prout praedicatur de uno, cui committitur haec auctoritas supra omnes alios, nego *mai. Contradistincta min., negatur cons. et consequentia.*

6. Atqui verbum pascere in Ecclesia praedicari debet pariter de pluribus. Ergo *stat diff.*

Eph 4,11: In Ecclesia plures esse debent pastores. Ergo *pascere* tribui debet pluribus.

Dist. *antec.* Potestate subordinate, *conc. antec.;* potestate suprema, *nego antec.*

249. 7. Atqui Petri potestas erat subordinate aliis. Ergo stat *diff. Act* 8,14; 11,2: Petrus ab aliis mittitur et rationem sui aliis reddit. Ergo...

Dist. *antec.* Mittitur auctoritative et reddit rationem quae auctoritative exigatur, *nego antec.;* mittitur consilio et reddit rationem informationis gratia, conc. antec. 40.

ARTICULUS III

S.Petrus Christi Vicarius et Apostolorum Superior

Thesis 6. Ratione Primatus S.Petrus est verus in terris Christi Vicarius, cui etiam reliqui Apostoli subditi erant.

250. S.Th., 4 CG 76; 2.2 q.88 a.12 ad 3; 3 q.8 a.6; *De regim. prine.* 1,14; /n *epist. ad Gal* 2,11; F.de Victoria, *De potestate Ecclesiae;* Éd.Getino, *Bibliot. de Tomistas Espanoles 10,* rel.2 q.2 n.9-11.26; S.Rob.Bellarm., *De Rom. Pontif. l c.g;* F.Suârez, *De fide* d.io s.i; G.Wilmers, n.95 prop.45 et 60; D.Palmieri, *De Rom. Pont,* th.6 et Proleg. § 17; C.Ma2ZELLa, th.37,5; De Groot, q.14 a.i; A.Straub, r1.23sss.713s; A.Michelitsch, § 217; M.d'Herbigny, th.14; ■ orsch, p.iyoss; T.Zapelena, i p.230; Th.Granderath, *Constit. Dogmat. 129-137;* M.Maccarrone, *Vicarius Christi. Storia dei titolo papale* (1952).

251. Nexus. Postquam probavimus ipsum Christum immediate contulisse Apostolis suas potestates et S.Petro Primatum, quaerimus de relationibus, quas ratione Primatus habeat S.Petrus et ad Christum et ad Apostolos. Dicimus S.Petrum relate ad Christum esse verum eius in terris Vicarium, relate ad Apostolos esse verum eorum superiorem.

252. Notiones. Primatus est suprema potestas in universam Ecclesiam. Haec potestas non est *delegata, seu mere* commissa personae, sed est *ordinaria,* quia ex ipsa Christi institutione adnexa est stabiliter muneri Primatus in perpetuum erecto, prout independenter ab hac thesi probandum est thesi 7-a

40 Difficultates thesis, quae sequitur, de Christi in terris Vicario, urgeri etiam possunt contra hanc thesim. Praeterea cf. T.Zapelena, *De Ecclesia* th.8 Obiectiones.

Potestas vero *ordinaria* potest esse vel propria vel vicaria. *Propria* est illa potestas ordinaria, quae nomine et iure proprio a subiecto exercetur. *Vicaria vero* illa dicitur, quae vice et iure alterius, cuius est propria, a subiecto exercetur.

253. Iuxta haec, Vicarius Christi dicitur S.Petrus ratione Primatus, quia primatialem potestatem exercet, non nomine et iure proprio, sed vice et iure Christi. *Verus* autem Christi Vicarius appellatur, non mere exsistimatus, quia potestas S.Petro data *iure vicario,* vere est illa ipsa quam Christus in terris habuit *iure proprio.*

254. Apostoli sunt illi discipuli, quos Christus Apostolos nominavit (Lc 6,13), qui cum S.Petro constituunt *Collegium Duodecim.* Eis S.Paulus aequo nomine ac iure adiungendus est, ut probavimus (th.2).

Eorum potestates distingui possunt in ordinarias et extraordinarias. *Ordinariae* sunt illae, quae ex Christi institutione adnexae sunt stabiliter eorum pascendi muneri in perpetuum erecto; hae reduci possunt ad triplicem docendi, sanctificandi et regendi potestatem erga fideles eis commissos. *Extraordinariae* sunt illae potestates, quas pro condicionibus extraordinariis primae plantationis Ecclesiarum concessit Christus Apostolis ad tempus vitae eorum; non sunt ergo neque ordinariae, seu adnexae ipso iure muneri stabili, neque delegatae a S.Petro, de ordinariis ei cum munere Primatus concessis.

255. *Extraordinariae* istae Apostolorum potestates praecipuae sunt: *a)* immediata et plena a Christo accepta missio et instructio (Mt 13,9-17; 28,19; Mc 4,34; Lc 24,44-49; Io 14,25-26; 20,21; Act 1,3-8; Gal 1,11-18); *b)* universalis potestas docendi, sanctificandi et regendi, ubi saltem Christus nondum erat ab alio Apostolo praedicatus (Mt 18,18; 28,19; Mc 16,15; Act 1,8; Rom 15,20s); *c)* fundamenti praerogativa, qua omnis Christi Ecclesia necessario erat supra Apostolos aedificanda (Eph 2,20); *d)* infallibilitas personalis in doctrina (1 Thess 2, 13; Gal 1,6-9).

Alia praeterea dona extraordinaria, quamvis accessoria, admittunt communiter auctores fuisse Apostolis concessa: talia sunt dona scientiae infusae, miraculorum, confirmationis in gratia, aliaque huiusmodi.[1]

Subditi S.Petro ratione Primatus dicuntur ii, qui vera

[1] Cf. A.Straub, *De Ecclesia,* th.7 n.195-244.

subordination's obligatione erga primatialem S.Petri potestatem tenentur.

256. Status quaestionis. Asserimus S.Petrum ratione Primatus 1) verum in terris Christi Vicarium esse; 2) proprium ipsorum Apostolorum Superiorem esse, non obstantibus eorum potestatibus ordinariis et extraordinariis a Christo acceptis.

257. Adversarii. Utramque theseos partem negant, ut patet, omnes qui S.Petri Primatum admittere renuunt. Nominatim vero adversatur utrique parti Marsilius Patavinus (D 496); necnon plures *Orientales schismatici,* prout constat ex eorum Litteris Encyclicis, anno 1848 datis, quas 33 Orthodoxi Episcopi subscripserunt refutantes argumenta, quibus Pius Papa IX, die 6 ianuarii 1848, Orientales ad unionem hortabatur *Litteris Encyclicis «In suprema Petri Apostoli Sede»* 2.

Vicarii Christi in terris auctoritatem S.Petro negant Wicleff, Luther, Febronius seu I.N.Hontheim et *Pistorienses* (D 617 765 1500 1503).

258. Parem omnino reliquis Apostolis S.Petrum esse affirmant:

Iansenista Barcos, omnimodam aequalitatem inter S.Petrum et S.Paulum docens; quare haereticus est declaratus ab Innocentio X (D 1091);

Schola Tubingensis, duce Baur, paritatem etiam inter S.Petrum et S.Paulum defendit; inquirens enim in illam idearum contrapositionem, ex qua, iuxta principia hegeliana, ortus et evolutio historica Ecclesiae explicari debeant, invenit eam in *Petrinismo,* id est, in christianismo legali et nationali, cuius dux dicitur fuisse S.Petrus, et in *Paulinismo,* id est, in christianismo a Lege libero et universali, cuius propugnator asseritur fuisse S.Paulus. Hinc S.Petri Primatus nihil aliud est quam illa primatia, quam prae reliquis Apostolis ei tribuit factio legalis et nationalis Ecclesiae primitivae; aequalis vero alia primatia S.Paulo est attributa ab Ecclesiae primitivae liberali et universali factione 3.

259. *Vetero-catholici* cum Langen tenent nullam esse potestatem S.Petro collatam, quam ex Scriptura N.T. non possit

2 Pii IX *Litterae Encyclicae «In suprema Petri Apostoli Sede»* die 6 ianuarii 1848: *Acta Pii IX* 1,78-91. *Synodus Constantinopolitana,* a qua Latinorum doctrinae iterum damnantur, Litteris Encyclicis, mense maio 1848 datis: Msi 40.377-418, maxime 393-399S.

3 Cf. RGG «Baur», i (1909) 961s; (1927) 8i7ss; P.Jürg, *De Barcos del duplice Primato* (1941).

probari caeteris etiam Apostolis esse datam; quare S.Petrus ad summum primus inter pares Apostolos dicendus est. His similia asserunt etiam plures *Orthodoxi Orientales,* quorum aliqui ulterius S.Andreae primatiam quamdam supra ipsum S.Petrum tribuunt4.

260. Doctrina Ecclesiae. Utraque pars theseos dicenda est *infallibiliter definita* a Ioanne XXII contra Marsilium Patavinum (D 496), a *Conc.Florentino* (D 694), in professione fidei tridentina (D 999) et a *Conc.Vaticano* (D 1826).

Vicarii Christi titulum S.Petro eiusque successoribus saepissime Ecclesiae Magisterium tribuit (D 551 570e 617 717 740a 765 1323 1473 1500 1503 1636c)5.

Auctoritatem S.Petri supra reliquos Apostolos definitam ulterius invenies a Clemente VI in fidei professione Catholico Armenorum proposita (D 57oc-e) et a *Conc.Vaticano* (D 1821 1823s 1832 1834);

Leo XIII et Pius XII utriusque partis doctrinam aperte docent.

a) Leo XIII in *Encycl. tSatis cognitum», ex* Mt i6,i8s; Io 2i,isss; Lc 22,32, concludit: «Hinc ipse Iesus certa quaedam nomina, magnarum indicia rerum, quae «sibi pôtestate sunt propria voluit esse Petro secum participatione communia» (Leo M., *Serm.* 4,2), nimirum ut ex communione titulorum appareret communio potestatis. Ita Ipse qui *lapis est angularis, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum* in *Domino* (Eph 2,21), Petrum velut *lapidem* statuit, quo fulta esse Ecclesia deberet... Rex idem Ecclesiae, *qui habet elavent David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit* (Apoc 3,7), traditis Petro *clavibus,* principem christianae reipublicae declaravit. Pariter Pastor maximus, qui se Ipse *Pastorem bonum* nuncupat (Io 10,11), agnis atque *ovibus suis* pastorem Petrum praeposuit... Demum qui confirmat in omni *opere et sermone bono* (2 Thess 2,16), mandavit Petro ut *confirmaret fratres suos.* Iure igitur Leo Magnus: «De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiae patribus praeponatur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus» (l.c.). Et iterum: «Christus Dominus, quod iam dictum satis, Petro eiusque successoribus tribuit ut essent *Vicarii* sui, atque eandem in Ecclesia perpetuo gererent potestatem, quam Ipsemet gesserat in vita mortali» (ASS 28,7285.736).

b) Pius XII in Encycl. *«Mystici Corporis»,* ait: «Norunt omnes, Christum Dominum... mox hunc mundum relicturum ac rediturum ad Patrem, totius ab se conditae societatis adspectabile regimen *Apostolorum Principi* commisisse... Neque ad rem eiusmodi inficiandam asseverari potest per statutum in Ecclesia iurisdictionis Primatum, mysticum eiusmodi Corpus ge-

4 Langen, *Das vatikanische Dogma von dem Universal Episcopat und der Unfehlbarkeit des Papstes in scinem Verhàltnis zum Neuen Testament und der patristischen Excgese* v.1-4 (1871-1876). *Vetero-Catholicos* semetipsos appellaverunt illi catholici qui, duce Dollinger, se submittere noluerunt decretis Conc.Vaticani definientis Primatum et infallibilitatem S.Petri eiusque successorum. Cf. M.d'Herbigny, *De Ecclesia* n.206,3. Sententias Orientalium vide apud MJugie, *Theol. Dogm. Christ. Orientalium* 4.340-347.

5 M-Maccarrone, *Vicarius Christi. Storia dei titolo papale* (1952).

mino instructum fuisse capite. Est enim Petrus, vi Primatus, *nonnisi Christi Vicarius,* atque adeo unum tantum primarium habetur huius Corporis Caput, nempe Christus: qui quidem arcana ratione Ecclesiam per sese gubernare non desinens, adspectabili tamen modo per eum, qui suum *in terris personam gerit,* eandem regit Ecclesiam» (AAS 35,210s).

261. Valor dogmaticus. Thesis est ergo *de fide divina definita,* quoad utramque eius partem, praesertim contra Marsilium Patavinum, necnon in Conciliis Florentino et Vaticano (D 496 694 1823-1827).

262. Prob. i.a pars: Ratione Primatus S.Petrus est verus in terris Christi Vicarius.

Verus in terris Christi Vicarius est is, qui vice et iure Christi obtinet in terris illam ipsam potestatem, quam Christus ut homo in terris habuit iure proprio. Atqui ratione Primatus S.Petrus vice et iure Christi obtinet in terris illam ipsam potestatem, quam Christus ut homo in terris habuit iure proprio. Ergo ratione Primatus S.Petrus est verus in terris Christi Vicarius.

Mai. patet ex ipsa definitione veri Vicarii Christi.

263. *Min.* probatur ex Mt i6,i8s: *et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam...,* et ex Io 21,16s: *Pasce oves meas: Pasce agnos meos.* Unde sic: Ratione Primatus S.Petrus in Ecclesia, non sua sed Christi, in grege, non suo, sed Christi, est velut Petra fundamentalis, Claviger universalis, Arbiter supremus, Pastor summus fidelium Christi. Ergo S.Petrus, non nomine et iure proprio, sed vice et iure Christi, obtinet in terris supremam Ecclesiae potestatem. Atqui talis potestas est illa ipsa quam Christus ut homo in terris nabuit iure proprio. Ergo ratione Primatus S.Petrus est verus in terris Christi Vicarius.

264. Min. postrema probatur. Christus ut homo iure proprio et inalienabili fuit et manet: *a)* Omnium «Rex et Dominus» (Apoc 19,16),' *b) Petra principalis. lapisque angularis,* supra quem universa aedificatur Ecclesia (Mt 21,42-44; 1 Petr 2,4-8; Act 4,11; Eph 2,20-22; i Cor 10,4; 3,11); *c)* Claviger insuperabilis, quia *habet elavem David: aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit* (Apoc 3,7); *d)* Arbiter absolutus, quia *Pater omne iudicium dedit Filio* (Io 5,22); *e) Pastor bonus, Princeps pastorum* et *Pastor magnus ovium* (Io 10,2.11.14; 1 Petr 5,4; Hebr 13,

20). Ergo potestas primatialis S.Petri est illa ipsa, quam Christus ut homo habuit iure proprio.

265. *Confirmant* et explicant doctrinam hanc de Vicario Christi in terris: Anonymus auctor (ca.260) scribens: «In nobis divina et paterna pietas apostolatus ducatum contulit et vicariam Domini sedem caelesti dignatione ordinavit et originem authentici apostolatus, super quem Christus fundavit Ecclesiam, in superiore nostro portamus» (Kch 310)[6].

S.Ambrosius (ca.387) dum ait: «Dominus interrogat «Amas me»?, non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in caelum amoris sui nobis velut Vicarium relinquebat»[7].

266. S.Augustinus (ca.410): «Dominus, inquit, Petro oves, non Petri, sed suas commendavit, ut non pasceret sibi, sed Domino. Christus est vere advocatus unus (1 Io 2,1) sicut et Pastor unus (Io 10,16). Ut Christus Pastor, Petrus non pastor? Imo et Petrus pastor. Nam si non pastor, quomodo ei dicitur, pasce oves meas? (Io 21,17). Sed tamen verus Pastor, qui pascit oves suas. Petro enim dictum est, non, pasce oves tuas; sed meas. Petrus ergo non in se, sed in corpore Pastoris est pastor. Nam ibi pascuntur oves Christi, ubi est unus grex et unus Pastor» [8].

267. S.Leo M. (ca.450) docens: «Quia tu es Petrus: id est, cum ego sim inviolabilis petra... ego fundamentum praeter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia» [9].

Innocentius III (ca.1200) notat: «Ut Petrus se unicum Christi Vicarium designaret, ad Dominum super aquas maris mirabiliter ambulantem, et ipse super aquas maris mirabiliter ambulavit». «Solum Petrum sustinuit sibi Dominus et in officio Vicarium et in magisterio successorem». «Et licet primum et praecipuum Ecclesiae fundamentum sit unigenitus Dei Filius Iesus Christus, secundum tamen et secundarium Ecclesiae fundamentum est Petrus»[10].

268. Igitur Christus Dominus, qui potestate et iure oroprio verissime de se dixit: *Ego sum lux mundi (Io* 8,12), propter potestatem Apostolis communicatam, verissime edam eis dicere potuit: *Vos estis lux mundi* (Mt 5,14). Ergo a pari, idem Christus, qui potestate inalienabili et iure proprio est Petra, Claviger, ludex et Pastor in sua Ecclesia, verissime etiam S.Petrum constituit Petram, Clavigerum, ludicem et Pastorem, per participationem suae potestatis et iure vicario, supra totam Ecclesiam et universum gregem fidelium Christi: Leo XIII ap. n.260.

6 *Adversus Aleatores* de Primatu c.i,2: ML 4,827: CSEL 3,02.
7 S.Ambrosius, *Expositio Evang. S.Lucae* l.io n.175: ML 15,1848.
8 S.Augustinus, *Sermo* 285 n.3.5.6: ML 38,1291.
9 S.Leo M.. *Sermo* 4: ML 54,150.
10 Innocentius III, *ad Patriarcham Constantinopolitanum: Apostolicae Sedis Primatus: ML* 214,759s.

269. Prob. 2.a pars: Ratione Primatus etiam reliqui Apostoli S.Petro subditi erant.

a) Ex Mt 16,16-19: Ratione Primatus S.Petrus est velut fundamentum, claviger et arbiter supremus, cui omnia, quae sunt Ecclesiae, subiecta sunt. Atqui reliqui Apostoli sunt Ecclesiae membra. Ergo ratione Primatus etiam reliqui Apostoli S.Petro subiecti erant.

b) Ex Io 21,15-18: Ratione Primatus S.Petrus est velut pastor unus, cui omnes Christi oves et agni subduntur. Atqui Apostoli sunt etiam de ovibus Christi (Mt 26,31; Io 10,9-11. 25-27). Ergo ratione Primatus etiam reliqui Apostoli S.Petro subdebantur.

c) Ex Le 22,31s: Ratione Primatus S.Petrus accepit a Christo munus confirmandi etiam reliquos Apostolos. Atqui huic confirmandi muneri necessario respondet Apostolorum vera subordinationis obligatio erga S.Petrum. Ergo ratione Primatus etiam reliqui Apostoli S.Petro vere subordinati erant.

270. *Confirmatur eadem* 2.· *pars,* ex multiplici ratione, qua in N.T. vel exhibetur vel supponitur vel insinuatur S.Petri praefectura supra reliquos Apostolos [1].

a) *S.Petrus semper primus recensetur,* et agnoscitur «ut primus» inter Apostolos (Mc 3,16; Lc 6,14; Act 1,13, S.Petrus primo loco citatur). Mt 10,2 *Primus* (-rrpôxros) *Simon, qui dicitur Petrus.* Mc 1,36 *Simon et qui cum illo erant;* Lc 9,32 *Petrus et qui cum illo erant:* huius locutionis vim inferre potes ex Act 5,17 *Princeps Sacerdotum et qui cum illo erant. Act* 2,14 *Stans autem Petrus cum Undecim :* huic similes locutiones habes in Act 2,37 et 5,29.

271. b) *S.Petrus primas gerit partes inter Apostolos,* dum gravissima negotia dirigit ac dirimit: i.° In electione Apostoli, qui succedat in locum traditoris Iudae, S.Petrus non immerito censendus est agere vice Christi (Act 1,15-17; 21-26). *2°* In dirimenda controversia summi momenti, utrum gentibus ad salutem necessariae declarandae essent circumcisio et observatio Legis mosaicae necne (Act 15,1.5), S.Petri sententia peremptoria et definitiva fuit (Act 15,6-12).

c) *S.Petrus primum tenet locum* inter Apostolos in exercitio potestatum a Christo acceptarum: in praedicatione mortis et resurrectionis Christi (Act 2,14; 3,12; 4,8; 5,29); in iudicio Ananiae et Simonis (Act 5,1; 8,20); in admissione gentium ad Ecclesiam sine ullo iudaico onere (Act 10-11;

[1] Hoc argumentum iam abunde explanavit in epistola nuper citata, Mpostolicae *Sedis* Primatus», Innocentius III: ML 214,758-765.

Vl.Soloviev, *La Russie et l'Eglise universelle* (1889) 154, adversus Orientales, qui contra auctoritatem SS.Patrum et Theologorum renuunt admittere, S.Petri Primatum in N.T. historia contineri, urget haec statistics data: Ex Christi discipulis, in Evangeliis et Actibus Apostolorum, S.Petrus memoratur 171 vicibus, S.Ioannes 46 vicibus; reliqui vero rarius occurrunt; P.C.Ceulemans, *In Mt* 10,2.

cf. Act 15,7); in miraculis, quibus Deus S.Petri praedicationem et auctoritatem confirmavit (Act 3,iss; 5,i2ss; 9,34.40) I2.

272. *Confirmatur ulterius eadem* 2.· *pars ex S.Paulo,* qui auctoritatem S.Petri supra se satis clare agnoscit13.

a) Ex Gal 1.18s: *Post annos tres veni lerosolymam videre* (ἱστορήσαι = invisere) Petrum... alium *autem Apostolorum vidi neminem.* Ratio huius visitationis alia non est nisi summa S.Petri auctoritas, ut recte notavit Marius Victorious: «Si in Petro Ecclesiae fundamentum positum est, ut in Evangelio dictum; cui revelata erant omnia Paulus scivit videre se debere Petrum, quasi eum cui tanta auctoritas a Christo data esset, non ut ab eo aliquid disceret» 14.*

273. Consentit S.Io.Chrysostomus: «Cum nihil opus haberet Petro... tamen ascendit velut ad maiorem et seniorem, non ut disceret aliquid ab illo. Ut viderem, inquit, Petrum ascendi. Non dixit ἰδεῖν, id est, ut cernerem Petrum, sed ἱστορήσαι, id est, ut viderem et cognoscerem, quo modo loqui solent qui magnas et splendidas urbes invisunt cognoscendi gratia. Adeo iudicabat operae pretium esse tantummodo videre virum... neque enim ob ullum alium Apostolorum narrat se ascendisse lerosolymam, sed propter hunc solum» Is.

274. *b)* Ex Gal 2,7s: *Creditum est mihi Evangelium praeputii sicut* (καβώ?) *et Petro circumcisionis (qui enim operatus est Petro* in *apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter gentes).* S.Paulus solius S.Petri apostolatui suum exaequat (καβώ$), licet cunctis Duodecim Apostolis idem apostolatus concreditus sit; quia tam ipse quam iudaizantes, ad quos se refert, unum S.Petrum agnoscebant esse universo apostolatui praepositum seu Ecclesiae Primatem 16.

275. *c)* Ex Gal 2,11-21: Cum *autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis* (graec. part. perf. *reprehensus) erat, eo quod non recte ambularet* (ὀρθοττοδοϋσιν) *ad veritatem Evangelii:* non eo quod erraverit, sed eo quod agendi rationem veritati non omnino accommodaverit. Tanta erat auctoritas S.Petri ut cum legalium observantiam «simularet», post se traheret omnes, etiam ipsum Bamabam, in eandem simulationem. Sanctus vero Paulus eum reprehendens, non provocat, ut poterat, ad decretum hierosolymitanum (Act 15,28s), sed ad ipsius S.Petri sententiam; quae utrique Apostolo eadem erat, nam secus S.Paulus ex ea non argueret pro se scribens ad Galatas, auctoritas vero Petri maior agnita ab omnibus erat.

276. S.Paulus denique pro magno effert se in faciem S.Petro restitisse, quod sane magnum non esset nisi S.Petrum se superiorem esse agnosceret, quemadmodum recte notavit S.Io.Chrysostomus: «Petrum (Apostolorum primum, cui fuerant oves a Christo creditae) illum esse de quo haec omnia dicit... manifestum est. Quod enim se in faciem restitisse illi dicit ac pro magno illud habet, nihil aliud indicat, nisi se dignitatem minime reveritum esse personae: porro de altero quopiam si dixisset, se in faciem illi

12 Plura de hoc argumento vide apud D'Herbicny, *De Ecclesia* th.14: O.Cullmann, *S.Pierre.* p.19-22.
13 Cf. D'Herbicny, De *Ecclesia* n.162.
14 Mar.Victorinus, *In* epist. *aii Gal* r.18: ML 8,1155.
15 S.Io.Chrysostomus, In *epist. ad Gal* 1,18; MG 61,631s.
16 Cf. R.Cornely, Comment, in *epist. ad Gal* 2,7s.

restitisse, nequaquam hoc pro magno habuisset. Praeterea si quisquam alius Petrus fuisset, non tantum valuisset eius mutatio, ut caeteros etiam iudaeos attraheret... tantum subtrahebat et segregabat se: atque illa subtractio et segregatio caeteros omnes discipulos attrahere potuit propter personae dignitatem» 17.

277. Scholion. *De ratione conciliandi potestates extraordinarias a Christo Apostolis datas cum eorum subordinations S.Petro* ratione Primatus.

Propter difficultatem huius rei pauci aliqui auctores negant Christum tradidisse Apostolis potestates, quas diximus extraordinarias, universalem praesertim iurisdictionem, dicentes, ampliorem, praeter ordinariam quam habebant, iurisdictionem ipsis delegatione tacita vel expressa a Primate fuisse datam. Pro hac sententia citari solent, ex antiquioribus Turriscremata et Iacobatius; ex recentioribus illam propugnant Billot et Michelitsch 18.

Longe communior est sententia illorum qui tenent Christum Apostolis contulisse etiam extraordinariam iurisdictionem universalem, ubi saltem Evangelium nondum erat ab alio Apostolo praedicatum (Rom 15,20s). Ita opinantur inter alios Victoria, S.Rob.Bellarminus, Suarez, Franzelin, Mazzella, Passaglia, Palmieri, Pesch, De Groot, Straub, Wilmers, Dieckmann, Dorsch, Journet19.

278. Supposita ergo extraordinaria etiam Apostolorum jurisdictione universali, apte eorum potestas conciliari potest cum eorum subordinatiône S.Petro debita ratione Primatus, iuxta hoc assertum: Apostoli, etsi ratione Apostolatus pares erant S.Petro, tamen ratione Primatus ipsi S.Petro subditi erant, et quidem non solum indirecte, sed etiam directe.

1) *Indirecte* quidem, quatenus universi fructus laborum et potestatum Apostolorum submitti debebant supremae unius S.Petri auctoritati, ita ut ipse solus esset visibile Fundamentum, Claviger, Arbiter et Pastor summus universorum in Ecclesia.

279. 2) *Directe* etiam, et sane tam in actu primo, quam in actu secundo:

a) *In actu primo,* seu considerata potestate in se ipsa, maior erat S.Petri potestas, tam extensive quam intensive. Extensive, quia S.Petrus sub se habebat etiam ipsos Apostolos et ecclesias omnes ab ipsis singulis ubique terrarum fundatas. Intensive et quidem tam erga Apostolos quam erga reliquos fideles: solus enim S.Petrus poterat auctoritative dirigere et dirimere ipsorum Apostolorum negotia, necnon corrigere ea, quae forte minus recte ab ipsis circa ecclesiarum disciplinam disposita essent; reliquos vero fideles poterat auctoritative solus S.Petrus, sive ligare lege, quae a nullo alio Apostolo solvi posset, sive liberare a lege disciplinari a quocumque alio Apostolo lata.

b) *In actu secundo,* seu exercitio potestatis, quam diximus in actu primo S.Petrum habere supra ipsos Apostolos, vi cuius officium a Christo S.Petro

17 S.Io.Chrysostomus, *Homil. in illud: tin faciem ei restiti»* n.15: MG 51.383s.

18 Io.de Turrecremata (Torquemada), *Summa de Ecclesia* l.2 c.54; Jacobatius, *De Concilio* l.îo a.7; Dom Grea, *De l'Eglise,* l.2 c.io; L.Billot, *De Ecclesia* th.26 § 2; A.Michelitsch, *Apologetica sive Theol. fundam.* § 217; Bouché, DDC «Apostolat», I 685-689·

19 F.de Victoria, *De potestate Ecclesiae* rei.2 q.2 n.ios.26; S.Rob.Bellarminus, *De Rom.Pontifice* l.i c.9; F.Suàrez, *De fide* d.10 s.i n.12; C.Mazzella, *De Religione et Ecclesia* n.880-887; J.B.Franzelin, *De Traditione,* th.5; C.Passaglia, *De Ecclesia* l.3 c.9; D.Palmieri, *De Rom^Pontificc* th.6; Ch.Pesch, *Praelectiones* l n.279s; D.Groot, *De Ecclesia q.14* a.i et 4; A.Straub, *De Ecclesia* n.238ss; G.Wilmers, *De Christi Ecclesia* n.i79s; H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.458; E.Dorsch, *De Ecclesia* p.170-173; C.Journet, *L'Eglise du Verbe Incarné* 1,135-167.

fuit commissum pascendi, confirmandi, solvendi vel ligandi (si opus esset) ipsos Apostolos, tam singillatim quam collective sumptos, qui S.Petro praecipienti obedire tenebantur.

280. Obiectiones. i. Apostoli habebant a Christo acceptas missionem amplissimam (Io 20,21), potestatem universalem (Mt 28,19), facultatem decernendi et iudicandi supremam (Mt 18,18). Ergo nulli superiori hominis potestati subdi poterant.

Dist. antec. Apostoli ut Collegium cuius Caput erat Petrus, *conc. antec.;* Apostoli singillatim, *subdist.:* cum Petro et sub Petro, *conc.;* independenter a Petro, nego.

Ad rem Innocentius III: «Quod si omnibus etiam Apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso (Petro), sed ipsi sine aliis attributam esse cognosces ligandi et solvendi a Domino facultatem; ut quod non alii sine ipso, ipse sine aliis posset ex privilegio sibi collate a Domino et concessa plenitudine potestatis» 20.

281. 2. Ex Gal i,8s. S.Paulus nullam supra se alicuius creaturae potestatem agnoscit. Ergo neque S.Petrum.

Dist. antec. Nullam creaturae potestatem, quae annuntiare possit Evangelium contrarium Evangelio sibi a Christo revelato, conc. *antec.;* nullam homini a Christo datam potestatem, cui ipse subesse debeat, *nego antec.*

Contra Doctrinam Apostolorum (Act 15.10s.28), iudaizantes propugnabant, praeter baptismum et legem Christi esse ad salutem necessariam circumcisionem et legem Moysis (Act 15,1.5). Adversus eos S.Paulus ad Galatas scribit: «licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis *praeter* quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit» (Gal i,8s).

282. 3. Ex Gal 2,7-9. S. Paulus auctoritate se dicit aequalem S.Petro. Ergo negat ei potestatem a Christo datam, cui ipse subesse debeat.

Dist. *antec.* S.Paulus se dicit aequalem S.Petro ratione Apostolatus, *conc. antec.;* excludens S.Petri Primatum, nego *antec.*

S.Paulus eodem loco asserit auctoritatem S.Petri restringi ad iudaeos. Ergo excludit universalem eius Primatum.

Dist. *antec.* S.Paulus asserit auctoritatem apostolatus, quem ipse de facto exercuit inter gentes, parem esse auctoritate apostolatus, quem S.Petrus de facto exercuit inter iudaeos, quia pariter uterque de facto et fructibus et miraculis divinitus comprobatus, *conc. antec.;* S.Paulus asserit auctoritatem S.Petri de iure restringi ad solos iudaeos, *nego antec.*

S.Paulus respicit ad illam laborum apostolicorum distributionem, quae de facto tunc temporis erat, qua, non exclusive, sed praesertim, iudaeos S.Petrus, gentes vero S.Paulus evangelizabant; quamvis S.Petrus etiam gentibus (Act 15,7.14), atque S.Paulus iudaeis primis (Act 13.14ss.46ss) Evangelium obtulerant.

283. 4. Ex Gal 2,11. S. Paulus coram gentibus reprehendit S.Petrum. Ergo supponit eius auctoritatem non extendi ad gentes.

Dist. *antec.* Reprehendit corrigens fraterne, *conc. antec.;* auctoritative, *nego antec.*

5. Ex Gal 2,14. S.Paulus corrigit S.Petrum in doctrina. Atqui correctio in doctrina nequit non esse auctoritativa. Ergo S.Paulus corrigit S.Petrum auctoritative ut subditum.

20 Innocentius III: ML 214,760. Cf. ea quae ample de hac re disputata sunt in Conc.Vaticano, apud Granderath, Constitutiones dogmaticae 129-137.

Dist. mai. S.Paulus corrigit S.Petrum de errore in doctrina, *nego mai.;* corrigit S.Petrum de ratione agendi, eo quod minus accommodata esset veritati doctrinae, *subdist.:* extrinsece seu ratione illorum qui illa agendi ratione induci poterant in doctrinae errorem, *conc.;* intrinsece seu ratione ipsius doctrinae veritatis, *nego.*

284. Ipsa doctrinae veritas, ab omnibus tenenda, haec erat: Christianis, praeter Christi legem, non esse ad salutem necessariam legis mosaicae observantiam, sed liberum esse illam observare iis qui vellent[21]. Ergo de facto illam observare, non poterat dici prohibitum *intrinsece,* seu ratione ipsius veritatis doctrinae; *extrinsece* tamen seu ratione scandali, si nempe simplices christiani ex illius observatione concluderent ex adiunctis, licet falso, esse necessariam, prohibita esse poterat ad ruinam pusillorum vitandam, iuxta ipsius S.Pauli doctrinam de esu carnium idolis immolatarum (1 Cor 8,4-13); et sic ipse Paulus Timotheum comitem *assumens circumcidit eum propter Iudaeos* (Act 16,3). Recte ergo Tertullianus, «utique, inquit, conversationis fuit vitium, non praedicationis» *(De praescriptione* 23: R 294).

CAPUT III

De perpetuitate Ecclesiae

ARTICULUS 1

Ecclesiae Hierarchiae et Primatus perennitas

Thesis 7. Ecclesia prout a Christo instituta est, et in ea nominatim Hierarchia et Primatus, ex Christi voluntate perennes erunt.

285. S.Th., 1.2 q.106 a.4; 4 CG 74; Su Xrez, *De fide* d.5 s.8 n.i; I.B.Franzelin, th.n; D.Palmieri. *Proleg. de Ecclesia* th 8; De San, pars 3 c.i; G.Wilmers, th.10-13; I.Ottiger, th.8; QMazzella, th.32; H.Dieckmann, th.15; M.d'Herbïgny, th.5; L.Lercher, th.31; A.C.Cotter, th.26; T.Zapelena, th.6 pars 2; A.Straub, th.i2-i4.

286. Nexus. Probavimus Christum instituisse Ecclesiam ut hominum societatem religiosam, hierarchicam et monarchicam. Nunc asserimus eam esse usque ad saeculorum finem duraturam, et quidem ita ut neque in essentialibus deficere possit neque ab alia salutis oeconomia substitui, quemadmodum Synagogam substituit Christi Ecclesia. Id affirmat thesis, non de particularibus Ecclesiis, sed de Ecclesia universali.

21 Vivente Christo «simul currebant Lex et Evangelium»; inde a passione usque ad divulgationem Evangelii Lex erat mortua, sed non mortifera, et ideo Iudaei «poterant legalia licite observare» (Pius XII, *•Mystici Corporis·'.* AAS 35,205s; S.Th., 1.2 q.103 a.4 ad 1).

287. Notiones. Ecclesia intellegitur, non prout in hoc vel alio particulari loco exsistens, sed prout in terris in universum exstat.

Prout a Christo instituta est, seu ut alii dicere malunt, in essentialibus: id est, ut societas religiosa, omnibus hominibus destinata, atque munere docendi, sanctificandi et regendi praedita.

Hierarchia est principatus sacer, tum quia munus ipsum a Deo positive determinatum est, tum quia subiectum illud exercens iure divinitus positive statuto designatur, quemadmodum explicatum manet in th.3.

Primatus est suprema potestas hierarchica Ecclesiae, quae ab una physica persona iure divino exercetur, prout declaratum est in th.4 et 5.

288. Perennitas est perduratio in exsistentia. Duplex distinguitur: alia absoluta et relativa alia. *Absoluta* est ea quae ab omni condicione independens est. *Relativa* ea est, quae ab aliqua condicione dependet. Cum Ecclesia sit hominum societas, perennitas eius necessario saltem ab hac condicione pendebit, quoadusque nempe homines in terris exsistant.

Perennitas iterum duplex distinguitur: a) *Perennitas contingens seu facti* est factum perdurationis in exsistentia alicuius rei, quae tamen semper desinere esse potest, b) *Perennitas necessaria seu iuris* est necessitas perdurandi in exsistentia orta ex causa quae rei defectionem reddit impossibilem. Haec ergo iuris perennitas idem est ac simplex rei indefectibilitas, quae potest esse *interna* vel *externa,* prout procedat ex causa interna seu ex rei natura, vel ex causa externa oriatur, ut puta ex efficaci Dei assistentia h

289. Status quaestionis. Asserimus Ecclesiae universalis eiusque Hierarchiae et Primatus perennitatem necessariam seu indefectibilitatem, ex causa quidem externa seu ex efficaci Dei assistentia; attamen non absolutam, sed relativam indefectibilitatem, quoadusque nempe homines in terris exsistant.

Momentum huius theseos patet ex eo quod statuat firmum fundamentum ex quo a falsis discerni possint vera Christi Ecclesia eiusque legitimus primas etiam nunc exsistentes.

1 Cf. T.Zapelena, De *Ecclesia* th.6 pars 2.·

290. Adversarii quamplurimi in Conc.Vaticano recensiti sunt2, quos tamen ad duas classes reducere possumus.

1) *Pessimistarum,* qui tenent vel Ecclesiam iam eorum tempore defecisse, vel saltem defectibilem esse. Tales sunt saeculis IV et V *Donatistae,* qui ideo christianos catholicos rebaptizabant (D 486), ac propterea nervose contra eos S.Augustinus, «Christus, aiebat, est qui baptizat» 3. His similia saeculo XIV docuerunt *Fraticelli* (D 485s 489).

Sociniani vero, ca.1590, contendebant perennitatem Ecclesiae divinitus promissam esse tantum defectibilem seu ab hominum libertate dependentem. *Protestantes* autem inde a saeculo XVI contendunt Ecclesiam visibilem in pluribus essentialibus esse corruptam maxime per Romanum Primatum4. Tandem *Pistorienses,* saeculo XVIII exeunte, putaverunt Ecclesiam defecisse in doctrina circa graviores veritates fidei et morum (D 1501).

291. 2) *Illuministarum* innumerae sectae exspectantes novam et perfectiorem revelationis oeconomiam. Saeculo III *Manichaei* et *Montanistae* tenuerunt novam revelationem, factam esse Maneti et Montano eorum haeresiarchis, atque asseruerunt Manetem et Montanum esse organa Spiritus Sancti vel Paracletum ipsum quem Christus promisit (Io 14,16.26). Sectae Montani ad finem vitae suae adhaesit etiam Tertullianus 5.

Musulmani, inde a medio saeculo septimo, legunt in *Corano* (Sura 61,6): «lesus filius Mariae populo dicebat: ego sum Dei Apostolus ad vos missus ut confirmem Pentateuchum vobis datum ante meum adventum, et ut annuntiem Apostolum venturum post me, cuius nomen erit Ahmed».

Ineunte saeculo XIII mortui sunt in Italia Abbas Ioachim et in Gallia Almarichus de Bena, qui post revelationem Patris in V.T., quam repraesentavit S.Petrus, et post revelationem Filii in N.T., quam propugnavit S.Paulus, annuntiaverunt adventum «Evangelii aeterni» a Spiritu Sancto revelati, quod in Apocalysi praenuntiaverat S.Ioannes. Horum doctrinas perfecit Petrus Ioannes Olivi (f 1298) qui auctor classicus «Spiritualium» agnitus est6.

2 Msi 5LS42.55S-S74-578.

3 S.Augustinus, *Epist.* 8q n.g: ML 33.312; Id., *Contra cpist. Parmcniani* 1,2,3: <volebant de orbe terrarum, quem possidere iam coeperant, periisse Christum» (ML 43.36).

4 Cf. iam Protestantium praecursores Wicleff (D 589 617 624), necnon Hus (D 654).

5 Cf. Euseb.Caesar., *Historia ecclesiastica* 5,16,7.10; 5,17,4; 5,18,5: GChS 9,1: MG 20, 465-468.473-477. Cf. H.Dieckmann, n.379. Cf. S.August., *De haeres.* 26 et 46: ML 42,30. 34-38·

6 Cf. M.Grabmann, *Geschichte der katholischen Théologie* (i933) 43; E.Benz, *Ecclesia spiritual»* (1934); J.Hergenrüther, *Historia de la Iglesia* t.4 p.92,99.

Saeculis XIX et XX *Protestantes* aliqui hanc triplicis oeconomiae theoriam sibi accommodaverunt tenentes, post Ecclesiam Petri quae est Ecclesia operum et auctoritatis seu Catholica, et post Ecclesiam Pauli quae est Ecclesia fidei et libertatis seu Protestantica a Luthero et Calvino propugnata, exspectandam esse Ecclesiam loannis, quae sit Ecclesia caritatis et Spiritus: sic Doellinger. *Oecumenistis* cara est similis trina Ecclesiarum discretio 7.

292. *Ex Protestantismo* veluti sponte ortae sunt aliae sectae quae vel novam revelationem exspectabant vel eam iam esse factam praedicabant. Tales sunt *Anabaptistae* seu rebaptizantes saeculo XVI a Melchiore Hoffmann orti et in Flandria, Germania et Helvetia praesertim florentes; *Quakeri* in Anglia saeculo XVII Georgium Fox ut fundatorem agnoscentes; *Swedenborgiani* saeculo XVIII in Scandinavia sic appellati ab eorum propheta Swedenborg in Stokolm nato; saeculo XIX, *Irvingiani* in Anglia, *Mormones* vero in Americae Statibus Foederatis prodeuntes, quorum prophetae fuerunt scotus Irving et americanus Smith. Ab his ergo vel exspectatur illa lux» quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum» (Io 1,9), vel iam eorum prophetis apparuisse praedicatur. Ex eadem tendentia profluerunt Londini, die 24 iunii 1717, sic dicti *Massones* lumina e «Magno oriente» quaerentes8.

293· 3) Adversantur etiam huic thesi *Evolutionistae* omnes tenentes Ecclesiam subiacere continuae et essentiali evolutivae mutationi. Ex his *Modernistae* suas doctrinas de continua Ecclesiae evolutione mutuaverunt, quas Pius X in *Decreto «Lamentabili»* proscripsit (D 2053 2058 2060).

Hierarchiae immutabilitatem admittere renuunt praeterea quamplurimi *Protestantes,* praesertim *luterani* et *calviniani,* iam inde a saeculo XVI.

Primatus vero perennitatem inficiantur ulterius illi *acatholoci* et *Schismatici Orientales,* qui vel Primatum simpliciter non admittunt vel eum fuisse tantum S.Petri personalem praerogativam asserunt, de quibus th.4 et 5.

294. Doctrina Ecclesiae. 1) *Perennitas Primatus* explicite ac directe definitur in Conc.Vaticano (D 1824s).

7 I0.W1ESER, *Die Dôllingersche Dreihirchenidee* (1875); N.Soederblom, *Sermo finalis in Conventu pro unione Ecclesiarum* (1925). Cf. S.Zankow, *Das Orthodoxe Christentum* (1928) 134; O.Cullmann, *Saint Pierre* (1952) p.200.

8 C.Algermissen, *La Chiesa e le Chiese* (1944) 268.646.692. Cf. M.d'Herbigny, n.SS» C.Crivelli, *Pequeno diccionario de las sectas protestantes* (1948).

2) *Ecclesiae perennitas* explicite, sed indirecte, definita est in eodem Concilio (D 1821 1824s).

3) *Hierarchiae perennitatem* implicite definivit Vaticanum. Nam explicite definivit perennitatem Primatus (D 1824s). Atqui etiam definivit, proprium esse Primatus sibi subordinates habere et regere Pastores seu Episcopos universae Ecclesiae (D 1827-1831). Ergo semper erunt Pastores seu Episcopi subordinati Primatui. Hoc ipsum docetur explicite in prooemio *Const, de Ecclesia* (D 1821).

4) *Modum hierarchicum constitutionis subiecti munerum esse* divinitus statutum, definiverunt Pius VI in *Const. «Auctorem fidei»* et Conc.Tridentinum (D 1502s 960 967).

Leo XIII *Encycl. «Satis cognitum»* docet Ecclesiae et Primatus perennitatem: «Ecclesia est Corpus Christi vita supernatural! praeditum... Cum autem Ecclesia sit *eiusmodi* voluntate et constitutione divina, permanere sine ulla intermissione debet *eiusmodi* in aeternitate temporum: ni permaneret, profecto non esset condita ad perennitatem, quod cum veritate pugnat.» «Christi muneris est vindicare ab interitu ad salutem quod perierat, hoc est non aliquot gentes aut civitates, sed omnino hominum, nullo locorum temporumque discrimine, universum genus (Io 3,17; Act 4,12). Itaque partam per lesum Christum salutem, simulque beneficia omnia quae inde proficiscuntur, late fundere in omnes homines atque ad omnes propagare aetates debet Ecclesia. Quocirca ex voluntate Auctoris sui unicam in omnibus terris, in perpetuitate temporum, esse necesse est... Est igitur Ecclesia Christi unica et perpetua» (D 195s)· *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (Mt 16,18). Cuius divinae sententiae ea vis est: Quamcumque visi invisique hostes vim, quascumque artes adhibuerint, nunquam fore ut fulta Petro Ecclesia succumbat, aut quoquomodo deficiat. Ergo Ecclesiam suam Deus idcirco commendavit Petro, ut *perpetuo* incolumem tutor invictus conservaret» (ASS 28.710ss.714.727).

295. *In Conc.Vaticano* praeparabatur formalis et explicita definitio de Ecclesiae perennitate, contra omnes illos adversarios, quos iuxta eiusdem Concilii acta recensuimus. In *schemate enim primo* Constitutionis de Ecclesia propositi erant duo canones: 7. (Adversus *PessimistasJ «Si* quis dixerit eandem Christi Ecclesiam posse offundi tenebris, aut infici malis, quibus a salutari fidei morumque veritate aberret, ab originali sua institutione deviet, aut depravata et corrupta tandem desinat esse; A.s.». 8. (Contra *IlluministasJ* «Si quis dixerit praesentem Christi Ecclesiam non esse ultimam ac supremam consequendae salutis oeconomiam, sed exspectandam esse aliam, per novam vel pleniorem divini Spiritus effusionem; A.s.». Ex actis Concilii constat nullum ex Patribus aliquid contra hos canones proposuisse, sed tantum accidentales et styli mutationes ab aliquibus fuisse in schematis discussione indicatas 9.

296. *In schemate reformato* eadem definitio quoad rem proponebatur. Solum a canone 7 separabantur verba, «quibus a salutari fidei morumque veritate aberret», quia his Ecclesiae infalhbilitas continebatur, quam Patres

' Msi 51,532.848-926.

censuerunt proprio alio canone et accuratius esse definiendam. Ideo de sola perennitate in hoc alio schemate proponebatur: «Can.14: Si quis dixerit, Ecclesiam nulla certa lege et immutabili forma ab ipso Christo Domino constitutam esse; aut eam depravari posse ita ut aliquando esse desinat, vel certe a prima sua constitutione degeneret; A.s. 15: Si quis dixerit, hanc Christi Ecclesiam non esse ultimam salutis oeconomiam, sed aliam per pleniorem divini Spiritus effusionem exspectandam esse; A.s.» 10. Horum canonum in priore condemnabantur *Pesimistae,* in altero *Illuministae.*

297. Valor dogmaticus. Thesis quoad tres partes exhibet doctrinam *de fide catholica;* et quidem *sollemni iudicio* a Conc.Vaticano *definita* est, *explicite perennitas Primatus, implicite* vero *perennitas Hierarchiae, explicite sed indirecte perennitas Ecclesiae;* cuius directa definitio erat iam parata.

298. Probatio perennitatis. 1) Ecclesiae, 2) Hierarchiae, 3) Primatus.

Pars i.a: Ecclesia est perenniter usque ad finem saeculorum duratura.

A) Quia est, 1) ultima religionis oeconomia usque ad finale iudicium duratura; 2) efficaci Dei assistentia ad finem usque mundi firmanda; 3) a morte vel saltem ab adversis potestatibus non superanda. Ergo Ecclesia est perenniter usque ad finem saeculorum duratura.

Antecedens probatur ex aperto Christi testimonio.

1. *Ecclesia est ultima religionis oeconomia* usque ad finale iudicium duratura, iuxta Christi testimonium in parabola zizaniorum.

a) *Parabola Zizaniorum* (Mt 13,24-30).

Simul in eodem agro	Paterfamilias—triticum—in horrea inimicus homo—zizania—in ignem	messis— separatio

b) *Parabolae explicatio* (Mt 13,36-43).

Simul in mundo	Christus—eius fideles—in caelum	finis mundi—
	Diabolus—homines pravi—in infernum	iudicium

c) Nota consummationem saeculi et iudicium, de quibus in parabola, concordare cum illis de quibus in sermone de finali iudicio (Mt 25,31-33.46).

10 Msi 53,317.

299· d) Unde iam fit argumentum. Christus in hac parabola docuit et testatus est, Regnum Dei, in condicionibus huius temporis exsistens, duraturum esse usque ad finale iudicium in fine mundi. Atqui Regnum Dei in condicionibus huius temporis exsistens est Christi Ecclesia. Ergo Christus docuit et testatus est suam Ecclesiam duraturam esse usque ad finale iudicium in fine mundi.

Mai. patet ex explicatione parabolae ab ipso Christo facta; atque in ea sermonem esse de Regno Dei in condicionibus huius temporis exsistente, constat, quia solum in condicionibus huius temporis boni cum pravis hominibus permixti esse possunt. Parabola ergo enuntiat Regni Dei perennitatem *facti.*

Min. vero iam probata est in th.3 de Ecclesiae institutione.

e) Similis probatio confici etiam posset ex parabola de sagena (Mt 13,47-50). Unde merito S.Thomas: «Statui, inquit, Novae Legis nullus alius status succedit... Nihil enim potest esse propinquius fini ultimo quam quod immediate in finem ultimum introducit» H.

300. 2. *Ecclesia est efficaci Dei assistentia* ad finem usque mundi firmanda, iuxta clara Christi testimonia (Mt 28,18-20; Io 14.16s.26).

a) Ad textum Mt 28,18-20 nota verba: *Data est mihi omnis potestas... Euntes ergo docete omnes gentes... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi,* in quibus aperte Christus, *quia omnimoda virtute pollet,* absolute mandat missionem exsequi et opem suam infallibilem annuntiat usque ad finem saeculi ut absolute futuram. Ad vocem «Ecce» (iSou) recte Zorell: «Vivide, inquit, effertur magnum esse id quod promittitur»; ad verba autem «Ego vobiscum sum» iure Palmieri: «in Scripturis, inquit, significant assistentiam Dei cum successu» id est efficacem. Hoc ipsum nuper demonstravit Holzmeister, nam consideratis omnibus Scripturae locis, in quibus tale assertum occurrit, tandem concludit: Ubicumque haec formula in S.Scriptura alicui homini applicatur, significat, i.° magnum ei a Deo officium committi, quod inter ingentes difficultates exsequi debebit; *2.°* auxilium tamen singulare et efficax a Deo conferri, vi cuius prophetice enuntiatur felix officii adimpletio (cf. Gn 26,24; Ex 3,10-17; Dt 31,23; los 1,5.9; 3>7; lud 6,12-16; Is 41,10-16; 43,1-5; 1er 1,4-8.183; 15,20; 30,10s; 42,11; 46,28; Mt 28,20; Ac 18,9s). Alios textus, circiter centum, vide apud Holzmeister 12.

301. *b) Ad textum* Io 14.16s.26 nota verba: «Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, qui apud vos manebit... ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque *dixi* vobis»; in quibus palam Christus donum Paracliti, cum Apostolis infallibiliter manentis in aeternum atque docentis eos et suggerentis eis omnia,

11 S.Th., 1.2 q.106 a.4.

12 F.Zorell, *Novi Testamenti Lexicon graccum* ιδου; D.Palmieri, *Proleg. de Ecclesia* th.8 p.23; U.Holzmeister, *Dominus tecum:* VerbDom 23 (1943) 232-237.257-262.

ut absolute futurum annuntiat. Ad verba autem 'Paraclitum» et «in nomine meo» merito Knabenbauer: «significant, inquit, eum, qui ad auxilium vocatur, patrocinium alicuius rei suscipit, adiutor, defensor exsistit, patronus, advocatus» (i Io 2.1): «potentissimum opitulatorem mitti Spiritum Sanctum ad opus Christi perficiendum» (Mt 10,20; Lc 12,12) [13].

302. *c)* His praemissis, iam fit probatio, qua ostenditur Ecclesiae perennitas iuris. Iuxta absolutum Christi promissum, Apostoli exercentes munera eis collata, ad finem usque mundi infallibiliter firmandi sunt assistentia Christi et Spiritus Paracliti et quidem efficaci. Atqui Apostoli exercentes munera eis a Christo collata usque ad mundi finem constituunt Ecclesiam. Ergo Ecclesia ad finem usque mundi infallibiliter firmanda est assistentia Dei et quidem efficaci.

Mai. patet ex explicatione textuum, quam innuimus. Etenim Christi promissum versari circa Dei assistentiam usque ad finem mundi duraturam, exhibetur in ipso verborum Christi tenore. Eam assistentiam esse efficacem, eruimus ex eo quod illam promittat Christus ut absolute futuram et infallibiliter cum eventu coniunctam, prout in explicatione textuum notavimus.

Praeterea non agitur de promissa mercede, quae humanarum actionum merita supponat vel ab eis dependeat; sed potius de salutis oeconomia a Deo absolute et independenter ab hominum meritis statuta. Neque absoluto Dei decreto hominum libertas obstare potest, cum sciamus Deum, salva creaturarum libertate, efficaciter obtinere posse ea quae absolute fieri velit[14].

303. 3. *Ecclesia vel a morte vel saltem ab adversis potestatibus non est superanda,* iuxta absolutum Christi promissum (Mt 16,18).

a) *Ad textum:* Mt verba *Portae inferi* (πύλαι ἅδου) significare possunt vel potentiam mortis vel adversas diaboli potestates.

In V.T. *Portae inferi et Portae mortis* (ττνλαι θανάτου) ut synonima saepe adhibentur (cf. Is 38,10; Sap 16,13; lob 38,17; Ps 9,15; 106,18). Hunc esse solum locutionis sensum tenet J.Schmid.

In N.T. *Portae inferi* adversas diaboli potestates possunt significare (cf. Mt 7,24; 12,26; 13,39; Eph 6,12-16). Has adversas potestates potius supponere videntur verba *non praevalebunt* (ου κατισχύσουσιν). Haec est interpretatio Leonis XIII (cf. n.294). Utrumque sensum includi censet M. Meinertz. Ergo *Portae inferi* significare possunt vel mortem vel po-

13 I.Knabenbauer, *Comment, in Evang. Io 14.16.17.26.*
14 Cf. G.Wilmers, *De Ecclesia* n.41 ad finem.

testates adversas, non in abstracto, sed in concreto, illas nempe quae describuntur in Evangeliis, seu quae contra Ecclesiam pugnant, neque unquam ab ea impetenda cessabunt (cf. Mt 5,nss.44ss; 10,16-31; Io 15,20).

b) *Ad textum:* Mt verba *adversus eam* intelligi possunt vel adversus Ecclesiam vel adversus petram vel adversus petram et Ecclesiam simul. Ad rem Origenes: «non praevalebunt, inquit, adversus eam: quam autem eam? An petram super quam Christus aedificavit Ecclesiam, an Ecclesiam? Ambigua enim est locutio. An quasi unam eandemque rem petram et Ecclesiam? Hoc ego verum esse exsistimo» 15.

304. *c)* His positis, iam duce Leone XIII, in *Encycl. «Satis cognitum»* (ASS 28,727), fit argumentum tam in supposito quod «eam» referamus ad Ecclesiam, quam si supponamus «eam» referri ad petram.

Si «eam» referamus ad Ecclesiam, dicimus: Iuxta absolutum Christi promissum, adversus Ecclesiam non praevalebunt vel mors vel potestates adversae. Atqui hoc significat nunquam fore ut fulta Petro Ecclesia vel deficiat vel succumbat. Ergo iuxta absolutum Christi promissum Ecclesia vel a morte vel ab adversis potestatibus non est unquam superanda.

Mai. et *min.* patent ex analysi textus et ex explicatione eius praemissa.

Si «eam» referamus ad Petram, tunc in textu debet intellegi de petra reduplicative qua fundamentum Ecclesiae; quo posito dicimus: Iuxta absolutum Christi promissum, Petra nunquam desinet esse Ecclesiae fundamentum, non obstantibus quibuscumque vel mortis vel adversarum potestatum impugnationibus. Ergo Ecclesia vel a morte vel ab adversis potestatibus nunquam est superanda. *Antec.* et *cons, ex* praemissis explicationibus patent.

305. B) Eadem pars †. probari etiam potest argumento quod proponit Leo XIII in *Encycl. «Satis cognitum»* (ASS 28,712), ex quo Ecclesiae perennitas necessaria infertur, et quidem hoc modo:

Missio Christi est ut omnes homines salventur per ipsum et non nisi per ipsum, prout aperte constat ex Io 3,13-18; Act 4,12: | Tim 2,3-6. Atqui Christus suam ipsam missionem tradidit Ecclesiae, prout clare patet ex Io 17,6-8.14.17-19; 20 21; Me 16,15s; ut iam probavimus in th.2 et 3. Ergo

15 Origenes, *Comment,* in Ml L12 n.ii: GOhS-jo.i; MG 13.1004. Cf. I.Knabenbauer, *Comment, in Mt 16,18;* T.Zapelena, *De Ecclesia* th.6 scholion 2. De portis inferi. S.Th., *In Symbolum c.t2:* «Diabolus, inquit, principaliter conatur ad destructionem Ecclesiae, sed non praevalpt, quia Dominus dixit: Et portae inferi non praevalebunt adversus eam (Mt 16.19). quasi dicat: Bellabunt adversum te, sed non praevalebunt·. J.Schmio. Das *Evang. nach Matth.* (1952) 198. tenet «portas inferi· significare mortem. M.Meinertz, *Theol. des N.T.* I (1950) 75·

missio Ecclesiae est ut omnes homines salventur per ipsam et non nisi per ipsam. Atqui ut *omnes* possint salvari solum per Ecclesiam, necesse est ut Ecclesia sit perenniter usque ad finem saeculorum duratura. Ergo Ecclesia est perenniter usque ad finem saeculorum necessario duratura 16.

306. Pars 2.a: Hierarchia in Ecclesia necessario perennis erit.

Ut Hierarchia in Ecclesia perennis sit, requiruntur duo: 1.° Ut perenne sit *ipsum munus* hierarchicum, id est, ut triplex potestas docendi, sanctificandi et regendi, a Christo instituta, in Ecclesia perennis sit. 2.° Ut perennis etiam sit *modus hierarchicus constitutionis subiecti* muneris, id est, ut muneris subiectum, non a communitate fidelium neque a saecularibus potestatibus, sed a Deo vel saltem a hierarchis iure divinitus dato constituatur. Atqui utrumque in Ecclesia necessario perenne erit. Ergo Hierarchia in Ecclesia necessario perennis erit.

Mai. patet ex ipsa notione potestatis hierarchicae explicata in th.3.

Min. probanda est quoad utramque eius partem.

1) In Ecclesia *ipsum hierarchicum munus* necessario perenne erit, quia iuxta absolutum Christi promissum, potestates ab ipso institutae, sub efficaci assistentia Christi et Spiritus Paracliti in Ecclesia perenniter exercendae sunt, et quidem *in aeternum, usque ad consummationem saeculi* et *donec veniat* Dominus ad iudicandum homines, prout in parte praecedenti explicatum manet (Mt 28,18-20; Io 14,16.26; 1 Cor 11,24.26).

307. 2) In Ecclesia etiam *modus hierarchicus constitutionis subiecti* muneris necessario perennis erit. Nam quod divinitus a Christo vel iure divinitus dato ab Apostolis in Ecclesia institutum est, id necessario perenne erit. Atqui divinitus a Christo vel iure divinitus dato ab Apostolis in Ecclesia institutum est ut subiectum muneris modo hierarchico constituatur. Ergo in Ecclesia modus hierarchicus constitutionis subiecti muneris necessario perennis erit.

Mai. patet: Quia ius divinum a nemine mutari potest; Ecclesia autem plene a Christo fundata est cum Apostolis, quibus Dominus totam suam missionem tradidit, prout ex thesi 3.“ de institutione Ecclesiae constat. Ulterius confirmari potest ex Eph 2,20; 3,5; Apoc 21,14: *Superaedificati super fundamen-*

16 In *Conc.Vaticano* aliquibus Patribus hoc argumentum inefficax videbatur: Mst 51, 808S.812. Testimonia SS.Patrum de perennitate Ecclesiae vide ap. A.Straub, *De Ecclesia,* n.397-399.

tum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Ch.° lesu. Mysterium Christi, quod aliis generationibus non est agnitum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis eius. Murus Civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. Unde quidquid ab Apostolis est, Ecclesiae deesse nequit, utpote ipsius fundamentum.

308. *Min. probatur,* A. *Ex testimonio Christi.*

Divinitus a Christo in Ecclesia institutum est ut subiectum muneris modo hierarchico constituatur, quia potestatis ecclesiasticae primum subiectum hierarchice ab ipso Christo immediate constitutum est, prout abunde patet ex thesibus de institutione *Collegii Apostolorum* et *apostolici Primatus,* atque ut expresse attestantur Apostolorum Principes Petrus et Paulus (Act 10,40-42; 2 Cor 5,18-20).

309. *Min. probatur,* B. *Ex testimonio Apostolorum.*

Iure divinitus dato ab Apostolis in Ecclesia institutum est ut subiectum muneris modo hierarchico constituatur. Etenim

S.Paulus docet
[1) *modo hierarchico:* Act 14,23; 1 Tim 4,11-14; Tit 1,5s]
[2) et *iuredivino:* *Act* 20,28; 2 Tim 1,6-9.14; Tit 1,7]

ab Apostolis in Ecclesia subiectum muneris constitui: 1) *Modo hierarchico,* quia in locis citatis constitutio alicuius subiecti in aliquo munere expresse dicitur a hierarchis fieri. 2) *Iure divinitus dato: a)* quia in Act 20,28, illi qui fuerant ab Apostolis in munere constituti, dicuntur *a Spiritu Sancto positi; b)* quia in 2 Tim 1,6-9, Per illam manuum impositionem, qua Apostoli alios in munere constituebant, *dabatur gratia Dei* et accipiebatur ille Spiritus virtutis quem Deus donabat; *c)* quia denique in Tit 1,7, illi qui a hierarchis in munere constituuntur, appellantur *Dei dispensatores* (οἰκονόμοι), id est, quos Deus suae familiae et domus velut administratores elegit[17].

310. *Min. probatur,* C. *Ex testimonio Ecclesiae antiquae. Divinitus a Christo vel iure divinitus dato ab Apostolis* in Ecclesia institutum est ut subiectum muneris modo hierarchico constituatur. Hoc assertum ex unanimi SS.Patrum testimonio abundantissime probari potest[18]. Sufficiat nobis aliqua memorare antiquissima et praeclara testimonia.

*17 Cf. I.Knabenbauer et alios commentatores in Scripturae verba quae citantur.
18 Cf. A.Straub, *De Ecclesia* th. 13.

S.Clemens Romanus (ca.96) aperte hanc doctrinam propugnat (R 19 20 21).

S.Ignatius Mart, in suis epistolis (ca.107): «quemcumque, inquit, Paterfamilias mitti ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum qui mittit. Manifestum igitur est, quod Episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum»; atque ideo fideles hortatur ut sint «uniti cum Episcopo et presbyteris et diaconis iuxta sententiam Christi designatis, quos secundum propriam voluntatem suam firmavit in stabilitate per Sanctum suum Spiritum»19. Iuxta haec tam clara S.Ignatii asserta, iam plene intelligi etiam possunt aliae non minus apertae eiusden S.Patris sententiae (R 44 48 49 65 etc.; cf. etiam S.Irenaeum: R 237).

311. Pars 3.a Primatus in Ecclesia perenni ex voluntate Christi necessario perennis erit. N.B. Argumenta supponunt iam probatam Ecclesiae perennitatem, prout illam in parte **i.**a demonstravimus.

Probatur 1) ex natura Primatus. Ex Christi voluntate Primatus est Ecclesiae perennis fundamentum (Mt 16,18). Atqui Ecclesia non potest esse perennis nisi etiam perenne sit eius fundamentum, prout patet. Ergo Primatus in Ecclesia perenni necessario perennis erit.

Prob. 2) *ex universalitate Primatus.* Ex Christi voluntate Primatus est munus pascendi universum gregem fidelium Christi (Io 21,15-17). Ergo tandiu durabit quandiu exsistet grex pascendus. Atqui grex Christi, id est Ecclesia, necessario perennis erit, prout probavimus **i.**a parte (cf. etiam si vis 2 Cor 5,14s; i Tim 2,4; 4,10). Ergo etiam Primatus in Ecclesia perenni ex voluntate Christi necessario perennis erit.

312. *Prob.* 3) *ex fine Primatus.* Ex voluntate Christi finis Primatus est idem qui proprius est supremae auctoritatis socialis, id est, efficere et conservare Ecclesiae unitatem (cf. Io 10,16 *et fiet unum ovile unus Pastor) 20.* Atqui Ecclesiae unitas necessario perennis erit, quia enixe et efficaci Christi oratione a Deo petita (Io 17,11.20s). Ergo Primatus in Ecclesia perenni ex voluntate Christi necessario perennis erit.

Conf. 4) ex Leone I, qui in Conc.Ephesino per suum Legatum: «Petrus, inquit, ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet» (D 112). Praecia-

19 F.X.Funk, *Patres Apostolici* 1,210.265.
20 Cf. Conc.Vatic. D 1821; Pium IX, D 1686; Leonem XIII, ASS 28,733s.

re S.Thomas: «potestas, ait, Christi discipulis data est ad Ecclesiae aedificationem... Tandiu igitur oportet eam perpetuari quandiu necesse est aedificari Ecclesiam. Hoc autem est... usque ad saeculi finem» 2I.

313. Scholion 1. Ph>r>s anetote» afferunt argumentum ex vaticiniis V.T. ad probandam Ecclesiae perennitatem 222M.d'Herbigny censet argumento hoc perennitatem tantum suaden; Dorsch adnotat se in proponendo tali argumento methodum dogmaticam adhibere; Van Laak illud affert solum in tractatu dogmatico 23; plures denique auctores illud simpliciter omittunt 24. De valore ergo apologetico argumenti ex V.T. non apud omnes constat. Vide illud apud Lercher et Zapelena 2S.

314. Scholion 2. Millennarismi seu chiliasmi exspectatio. Millennarismum crasiorem seu Regnum Millennarium rerum sensibilium deliciis cumulatum propugnaverunt, inde a saec.I exeunte Cerinthus, inde vero ab ultimo tertio saec.II Montanus et montanistae 26. Huius Millennarismi insignes impugnatores fuerunt, initio saec.III romanus presbyter Caius, intra eundem vero saeculum alexandrini Origenes et Dionysius 27-28. Ducti· tamen, praesertim Apoc 20,1-10, plures ecclesiastici scriptores antiqui terrestrem quemdam Millennarismum admiserunt, quos inter recensetur S.Iustinus, qui tamen «multos, inquit, eosque ex illo Christianorum genere, quod piam et puram sequitur sententiam, id non agnoscere tibi significavi» 28. Posterius vero S.Hieronymus Millennarismi commenta impugnans, ait: «quae, licet non sequamur, tamen damnare non possumus, quia multi ecclesiasticorum virorum et martyres ista dixerunt» 29.

315. Ex his ergo testimoniis S.Iustini, ca.155, et S.Hieronymi, ca.420, constat plures quidem ecclesiasticos auctores Millennarismum semper impugnavisse, sed non paucos etiam illum admisisse Porro Millennarismum quemdam tenuerunt, saec.I exeunte, auctor epistolae Barnabae 30; saeculo II Papias (R 658), S.Iustinus3I, S.Irenaeus (R 260); saec.III Tertullianus (R 338), S.Hippolytus32, Nepos Episcopus alexandrinus33, Commodia-

2› S.Th.. 4 CG 74·

22 Franzelin, 66; Palmieri, *22:* De Groot, 271; Mazzella, n.747: Wilmers, n.41; Muncunill. n.277; Straub, 0.391; De San. n.217; Van Noort, n.21; Pesch, *Praelect.* I n.313; In., *Compend.* I n.22i; Felder, 25;De Guibert, n.90; Brunsmann, no; Specht, 320; Paris. 119; Schill, 286; Tournely, 1,255: Lercher, n.308.

23 M.d'Herbigny, *De Ecclesia* n.56; E.Dorsch, *De Ecclesia* 65; Van Laak, *De Ecclesia tract, dogm.* 251.

24 Van Laak, *Repetitorium* 210; Ottiger, 274-358; Dieckmann, n.378: Schultes, 277; Michelitsch, n.177; Gutberlet. 45; Zubizarreta. n.470; Dublanchy omittit argumentum ex V.T. tam in tractatu apologetico quam in dogmatico de Ecclesia; *Eglise:* DTC 2117.2145.

23 Lercher, ed.i n.327; ed.4 n.308; Zapelena (1950) p.158.

2» Cf. Eusebius, Hist, *eccles.* 3.28; 5.3-16-19; 7,25: MG 20,273s.437.465-481.697. Cf. J.Tixeront, *Hist, des Dogm.* I c.4 § 7; I.B.Franzelin, *De divina Traditione* th.16; Id., *De Ecclesia,* th.19 Scholion; G.Bardy, *Millénarisme:* DTC 10,1760.

27 Origenes, *De Principiis* 1.2 c.n : MG 11,241-248. Cf. Euseb., Hist. *eccl.* 3,28; 7,24-25; MG 20,2738.692-704·

28 S.Iustinus, *Dialog, cum Triph.* n.8os: MG 6,664-669. Cf. C.Morrondo, *Estudios Biblico-Milenarios* (Jaén 1922) (Millennarismum spiritualem propugnat).

2' S.Hieronymus, Comment, in *Ier* 19,10; ML 24,802 (R 1407).

30 S.Barnabas, *Epist.* 15,4-9; F.X.Funk, *PP.Apostolici* 1.83-85.

33 S.Iustinus, *l.c.,* in nota 27.

32 S.Hippolytus, *Comment,* in *Dan* 4,23; ed. Bonwetsch-Achelis: GChS 1,240.

23 Cf. Eusebius, Hist, *eccles.* 7,24: MG 20.292s (R 2226).

nus 34;* Victorinus Petavionensis 3ï; saec.IV S.Methodius Olympus 36, Lactantius (R 647), Apollinaris Laodicenus 37, Ambrosiaster 38, et S.Ambrosius? 39; tandem saec.V Sulpicius Severus40, S.Augustinus iunior (R 1521), qui tamen hanc posterius retractavit sententiam atque explicationem Apoc 20, 1-6 proposuit, quae deinde communis evasit (R 1768 1769). Haec de Millennarismo christiano aetate SS.Patrum sufficiant41.

316. Inde a medio saec.V rari tantum aliqui auctores inter catholicos recensentur, qui valde mitigatum quemdam Millennarismum defenderent vel illum saltem benevolenter respicerent, ut exempli causa nostris diebus M.Chasles et illi quos ipse citat42. Huiusmodi Millennarismum Ecclesia nondum definitive damnavit. Tamen iam *S.C.S.Officii* anno 1941 declaravit: «Millennarismum mitigatum tuto doceri non posse» (D 2296).

317. Protestantes priores ab hoc sane errore immunes fuerunt. Sed inter illuministicas Protestantium sectas plures numerantur quae Schatologismum et Millennarismum propugnant: sic dicta Communitas Neo-Apostolica, Mormones, Adventistae, Ruselliani seu Millennaristi, Anabaptistae, et aliae43. ludaei exspectabant felicem quemdam Regnum Messianicum Millennarium, quorum commenta influxum videntur exercuisse in Millennaristas Christianos44.

318. Obiectiones 45. i. Perennitas Ecclesiae pendet a libera Dei voluntate, qui decernere potest aliam salutis oeconomiam quae substituat Ecclesiam. Ergo Ecclesiae perennitas nequit dici necessaria.

Dist. antec. Deus libera sua voluntate decernere potuit aliam salutis oeconomiam quae substitueret Ecclesiam, antecedenter ad decretum quo libere statuit Ecclesiam non esse substituendam ab alia oeconomia, *conc. antec.;* consequenter ad tale decretum Dei, *nego antec.*

319. 2. Perennitas Ecclesiae pendet a libera hominum cooperatione (Rom 11,22). Atqui libera hominum cooperatio defectibilis est. Ergo Ecclesia defectibilis est.

Dist. *mai.* Perennitas Ecclesiae pendet a libera hominum cooperatione sub efficaci Dei providentia, *conc. mai.;* ab efficaci Dei providentia independent!, *nego mai. Contradict. min.* Libera hominum cooperatio defectibilis est in singulis sibi succedentibus eius actibus, *conc. min.;* in omnibus simul

34 Commodianus, Instruct. 1.2 c.3 et 39: CSEL 15 p.63 et no.

33 Victorini Comment, in Apoc 20: cd Haussleiter: CSEL 49,138-144. Cf. S.Hieronymum, De viris illustr. 18: ML 23,615.

36 S.Methodius, Convivium 10 virginum 9,5: MG 18.189.

37 Cf. S.Basilium, Epist. 263 n.4: MG 32.980.

38 Ambrosiaster, Comment, in i Cor 15.52: ML 17,268.

39 S.Ambrosius, *Enarrat, in Ps* t n.54: ML 14,948.

413 Sulpicius Sev., *Dialog.* 2.14: CSEL 1,197: cf. ML 20,211.

41 G.Bardy, MiilAuirisme: DTC 10,1760-1763; F.Alcaniz, *Ecclesia Patristica et Millennarismus* (1933) (favet Millennaristno).

42 M.Chasles, Celui qui revient (1936) 237-249: J.Ramos, Summa *Isagogico-Exegetica* in lib. *N.T.* (Romae 1940) v.2,340-377.

43 Cf. C.Algermissen, *La Chiesa* e le *Chiese* (1944) 679-692.731.

44 De Millennarismo Reuni Messianici a iudaeis adinvento et de cius influxu in Millennarismum Christianorum, cf. H.Lesetre, *Millénarisme:* DB 4,1090-1097: E.B.Allo, *L'Apocalypse* (1933) in Apoc 20,1-10 p.307-329; A.Gelin, *Apocalypse* (1936) in Apoc 20,1-6: apud L.Pirop, *La S.Bible* 1.12,656-658; A.Piolanti, *De Novissimis* (1947) brevem conspectum historicum et bibliographiam exhibet p.118-122; G.Bardy, Millénaristes: DTC 10,1759-63; J.Bonsirven, *L'Apocalypse* (Verbum salutis 16) (1951) 287-299: J.F.Sagüés, *De novissimis:* SThS 4 (1953) n.324-334.

43 Cf. T.Zapelbna, *De Ecclesia* th.6; Van Laak, Repetitorium(i92i)2i4-2i7.228.254-26s.

eius actibus, *subdist.:* si ab efficaci Dei providentia independens esset, *conc.;* sub efficaci Dei assistentia, qui salva hominum libertate facillime potest finem praestitutum obtinere, *nego.*

320. 3. Rom 6,9: *Mors illi ultra non dominabitur* significat de Christo, post resurrectionem a mortuis, mortem supra illum dominium non esse habituram. A pari Mt 16,18: Et *portae inferi non praevalebunt adversus eam* significat de Petro, post eius a mortuis resurrectionem, mortem non esse contra eum praevaliturum. Ergo his verbis nihil dicitur de Ecclesiae perennitate.

Nego paritatem antecedentis et interpretationem Mt 16,18, quia in hoc loco non est sermo de morte et resurrectione Petri.

321. 4. Mt 16,18 solum significat perennitatem resistentiae, id est. Ecclesiam non esse a potestatibus adversis superandam et opprimendam; sed non significat perennitatem exsistentiae, id est, Ecclesiam non esse a Deo substituendam alia salutis oeconomia. Ergo Mt 16,18 non probat Ecclesiam esse usque ad finem saeculorum duraturam ■«.

Dist. antec. Mt 16,18 significat solum perennitatem resistentiae si «portas inferi» interpretemur de morte, nego *àntec.; si* «portas inferi» interpretemur de potestatibus inimicis, subdist.: si Mt 16,18 sumatur in abstracto separatim a contextu proximo et remoto Evangelii S.Matthaei, *trans.;* si sumatur in concreto seu in contextu Evangelii S.Matthaei, ubi annuntiantur impugnationes quas Ecclesia indesinenter passura est usque ad saeculi finem, nego (cf. Mt 5,113.445; 10,16-39; 24,9-14; 1° 15,18-21; 16,1-4).

322. 5. Argumenta allata solum probant perennitatem facti. Ergo saltem Ecclesiae perennitas iuris non probatur.

Dist. *antec.* Argumenta probant solum perennitatem facti in efficaci Dei assistentia fundatam, *conc. antec.;* probant perennitatem solum facti non fundatam in Dei assistentia, quae Ecclesiae defectionem reddat impossibilem, *nego antec.*

323. 6. Promissio perennitatis, in efficaci Dei assistentia fundatae. Veteri Testamento est a Deo facta (Ps 104,8-10; 110,5-9; Is 49.I4-I6)· Atqui tamen Vetus Test, substantialiter transformatum est in aliam meliorem oeconomiam. Ergo promissio perennitatis in efficaci Dei assistentia fundatae impossibilem non reddit saltem substantialem Ecclesiae transformationem in aliam meliorem oeconomiam.

Dist. mai. Promissio perennitatis est a Deo facta Veteri Test, ratione Novi Test., cuius Vetus Test, erat praeparatio et typus, *conc. mai.;* ratione sui ipsius, *nego mai.* Nam ratione sui ipsius Vetus Test., utpote praeparatio et typus Novi Test., essentialiter erat quid caducum prout ostensum est th.i, n.84-87. *Conc. min. Pariter dist. cons.* Promissio perennitatis impossibilem non reddit substantialem Ecclesiae transformationem in aliam meliorem oeconomiam, si promissio esset Ecclesiae facta, non ratione sui, sed ratione alterius temporalis oeconomiae, cuius Ecclesia esset praeparatio et typus, *conc. cons.;* si promissio est Ecclesiae facta ratione sui et in ordine solum ad Ecclesiam triumphantem in caelis, cuius Ecclesia militans dici potest praeparatio et typus, nego *cons.*

324. 7. Lc 18,8: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Ergo Ecclesia desinet esse ante mundi finem.

« Cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.380.

Dist. *antec.* Verbis allatis sermo est de defectu fidei theologicae et consequenter de defectu Ecclesiae, nego antec.; sermo est de defectu fiduciae, quae orationem comitari debet, *subdist.:* sermo est de magna diminutione fiduciae, *conc.;* sermo est de totali eius defectu, *nego.* Haec indeterminata annuntiatio, in forma interrogationis facta, determinari debet iuxta positiva ipsius Christi asserta: Mt 24,10-13,24 47.

325. 8. Apoc 13,3-8 praenuntiatur Ecclesiam totaliter defecturam esse48.

Dist. Loco citato praefigurantur tempora Romani Imperii aliaque huiusmodi, in quibus fideles Christi magnis persecutionibus impetentur et magna hominum pars vitam a vero Dei cultu aversam ducet, *conc.;* praefiguratur totalis Ecclesiae Christi defectio, nego.

326. 9. Apoc 20,1-6. Post oeconomiam Christianam et ante finale iudicium annuntiatur intermedia quaedam felix oeconomia millennaria, in qua iusti regnabunt cum Christo mille annis. Ergo Ecclesia ad finale usque iudicium non est duratura.

Resp. Millennaria oeconomia, quae annuntiatur, nihil aliud est quam ipsa Ecclesia militans, iuxta explicationem S.Augustini, quam ut veriorem catholici auctores communissime proponunt, contra illam aliam quam aliqui SS.Patres ct ipse S.Augustinus prius sequuti fuerant (R 1768 1769; cf. R 1521 et Index theologicus, n.604)49.

327. 10. S.Paulus (1 Tim 3,7), S.Clemens Romanus (R 21), S.Cyprianus (R 588) testantur subiectum muneris democratice constitutum esse. Ergo modus hierarchicus constitutionis subiecti muneris non est perennis.

Dist. *antec.* Auctores citati testantur exquisitum fuisse testimonium fidelium de vita et moribus illius qui erat in munere constituendus, *conc. antec.;* testantur aliquem in munere constitutum fuisse ab ipsis fidelibus, nego antec.

328. n. Dedecet Dei sapientiam, societatem religiosam universalem in manu unius hominis deponere, et societatem hominum sub una invariabili regiminis forma constituere. Ergo Deus non statuit ut in Ecclesia Primatus esset perennis.

Dist. *antec.* Dedecet Dei sapientiam societatem religiosam universalem in manu unius hominis suis humanis viribus relicti deponere, et societatem hominum constituere sub una invariabili regiminis forma quam nescit aptam et accomodatam esse variis temporum adiunctis, *conc. antec.;* dedecet Dei sapientiam societatem religiosam universalem in manu unius hominis efficaci divina asistentia adiuti deponere, et societatem hominum constituere sub una invariabili regiminis forma, quam praevidit aptam et accommodatam esse variis temporum adiunctis, *nego antec.*

329. 12. Primatus est renumeratio fidei personalis Petri et privilegium Apostolatus personalis Petri. Atqui remuneratio personalis et privilegium personae concessum moriuntur cum persona. Ergo Primatus Petro commissus non est perennis so.

47 Cf. Van Laak, *De Ecclesia tractatus dogmaticus* 269, ubi variae interpretationes in Lc 18,8 recensentur.

48 Cf. E.B.Allo, *L'Apocalypse* (1933) in Apoc 13,3-8.

49 Cf. in hanc thesim, scholion 2 n.314-317.

80 Hac ratione arguebant, Luther, *De potestate Papac:* cd. Weimar, t.2 p.191-197; Calvin, *Harmonia euangelica* in Mt 16,19; Corpus *Reformatorum 73* p.477. Pariter nostris diebus O.Cullmann, Saint *Pierre* (1952I 192-214, cf. infra n.458.

Dist. mai. Est remuneratio quaedam ac privilegium personae Petri eum prae aliis electum a Christo esse primum ad munus primatus exercendum, *conc. mai.;* ipsum Primatus munus est mere remuneratio et privilegium personae Petri, nego *mai.*

ARTICULUS II

Episcopi Apostolorum successores

Thesis 8. Apostolis in ordinario eorum munere iure divino succedunt Episcopi, quorum singuli Ecclesiis particularibus singulis praesunt.

330. S.Th., 2.2 q.184 a.6 ad r: q.185 a.t-8; 3 q.72 a.ir; F.Suarez. *De fide* d.o s.q n.io; *Defensio fidei* l.3 c.n n.12; c.12 n.9; I.4 c.io n.6; D.Petavius, *De ecclesiastica Hierarchia: Dogmata theologica* (1870) v.8 p.97-405; A.Michiels, *Evêques:* DAFC 1,1750-1786: F.Prat, *Evêques:* DTC 5,1656-1701; L Marchal, *Evêques:* DBS 2 (1934) 1297-1333; G.Wilmers, th.50-53; D.Palmieri, *Proleg. de Ecclesia* th.17; L.Billot, q.15; J.Muncunill, n.547; M.d'Herbigny, n.357; H.Dieckmann, n.457; Ae.Dorsch. p.94; L.Lercher, th.32: T.Zapelena, th.14; E.Ruffini, *La Gerarchia della Chiesa* (Roma 1921); A.Michiels, *L'origine de VEpiscopat* (1900); J.Colson, *L'Evêque dans les communités primitives* (1951); A.M.Vellico, *De Ecclesia* c.i q.2.

331. Nexus. Probavimus Hierarchiam in Ecclesia esse perennem. Ulterius iam nunc quaerimus, quodam sit subiectum quod hierarchicam potestatem in Ecclesia post Apostolos obtineat.

332. Notiones. Apostoli sunt illi Duodecim Christi discipuli, quibuscum Dominus Collegium instituit.

Munus Apostolorum in genere est complexus omnium potestatum, quae in Ecclesiae bonum ipsis a Christo concessae sunt.

Ordinarium eorum munus est complexus potestatum docendi, sanctificandi, regendi, quae ipsa institutione stabiliter annexae sunt officio stabili.

Extraordinarium munus est complexus potestatum, quae pro extraodinariis contingentibus causis vel adiunctis alicui conceduntur.

Delegatum munus est complexus potestatum, quae committuntur personae, ex iis quae in aliquo ordinario munere comprehenduntur.

333. *Ordinarium ergo* munus *differt ab extraordinario,* quia ordinarium pro omnibus communiter contingentibus, extraordinarium vero pro aliquibus extraordinarie contingentibus causis vel adiunctis conceduntur.

Ordinarium autem munus *differt a delegato,* quia ordinarium adnexum est officio, delegatum vero commissum est personae i.

Munus ulterius esse potest *proprium* vel *vicarium,* prout a subiecto exerceatur nomine et iure proprio, vel nomine et iure alterius personae, cuius munus sit proprium 1.

334. Iure divino succedere intelligimus eo sensu quo a Conc.Vaticano est intellectum, id est, «ex ipsius Christi Domini institutione» (D 1825)3. Hoc autem duo praesertim importat: 1) *obiective,* ut munus ipsum a Deo *positive* sit institutum; 2) *subiective,* ut persona munus obiens, illud obtinuerit iuxta legem ad illud conferendum *divinitus positive* statutam. Unde tale munus non solum est in se ipso divinitus institutum, sed etiam est divinitus seu iuxta divinam legem positivam subiecto collatum; quare qui munus obtinet, illud possidet et exercet relate ad homines ut *sibi proprium,* non ut locum vel vices tenens alterius personae humanae.

Successio est continuatio unius personae post aliam in aliquo officio. Successio duplex distinguenda est, alia materialis alia vero formalis: a) Successio *materialis* est mera temporalis continuatio alicuius personae post aliam in aliquo munere, b) *Successio formalis est* plena suffectio alicuius personae in iura et obligationes alterius in aliquo munere, seu est subiecti substitutio sine ulla iuris mutatione in aliquo munere.

335. *Episcopus* etymologice ab Επισκέπτομαι idem est ac inspector seu praefectus. Haec vox in litteratura profana, in versione graeca sacrae Scripturae V.T. et in inspiratis libris N.T. denotat saltem munus stabiliter concreditum praesertim circa res sacras 4.

Episcopus in nostra thesi intelligitur ille, qui in aliqua particulari Ecclesia habet ut ordinariam potestatem docendi, sanctificandi, regendi in genere suo completam. Episcopi ergo potestas non est mere delegata vel extraordinaria vel vicaria alterius humanae personae, quamvis Episcopi «sub debita Rom.Pontificis auctoritate positi», non proprio, «sed Christi nomine suos greges pascant et regant»5.

1 Cf. Th.Granderath, *Constitutiones Dogmaticae Conc. Vaticani* pars 2, Const, de Ecclesia. c.2 n.2 p.221; L.Rodrigo, *Praelectiones Theologico-morales* (1944) 2 n.47-50.
2 Cf. th.6, *De Christi in terris Vicario.*
2 *Cf.* Th.Granderath, Lc.. p.142-i50.
4 U.Holzmeister, Si *quis Episcopatum desiderat:* Bibi 12 (1931) 41-69.
5 Pius XII, *Encycl. •Mystici Corporis·: AAS* 35,2ns,

Episcopi, qui singuli Ecclesiis particularibus singulis praesunt, collegiale Episcopatum excludunt, ac propterea dici possunt *Monarchic!,* quamvis adiunctos habeant ut *auxiliares* vel *coadiutores* alios *Episcopos.*

336. Status quaestionis. Asserimus 1) iuris divini esse ut Apostolorum Collegio succedat et quidem formaliter Collegium Episcoporum; 2) Episcopos singulos monarchice singulas gubernare Ecclesias potestate genere suo completa; monarchicam autem hanc Episcopatus indolem apte solum ex divina institutione explicari posse.

337. Adversarii. 1) Omnes qui vel contra debitam Episcopis obedientiam et libertatem reluctati sunt, vel auctoritatis saecularis iura supra legitimam Ecclesiae et Episcoporum potestatem extulerunt, vel saltem Episcopis auctoritate pares esse Presbyteros tenuerunt. Huiusmodi adversarii fuerunt saec.IV Aerius (D 1509), saec.XIV Marsilius Prtavinus (D 498), saec.XV Wicleff et Hus (D 675), inde a saec.XVI Calvini sectatores et *Protestantes presbyteriani* (D 1509), saeculo XVII E.Richer eiusque discipuli, ad quos aulici *Pistorienses* saec.XVIII et XIX accesserunt (D 1509-1511).

338. 2) Inde a medio saec.XIX historico-critici, *Rationalistae* et *Evolutionistae* unanimes sunt, dum negant, omnem externam Ecclesiae organizationem et successionem ab Apostolis, esse iuris divini, tenentes de essentia Ecclesiae tantummodo ex voluntate Christi ea esse, quae mere interna, spiritualia et religiosa sunt, caetera vero omnia iuris mere humani esse, utpote ab hominibus superaddita atque ex influxu variarum sive internarum sive externarum causarum orta. Episcopatus autem mere humanam originem sic explicant:

339. *a)* Usque ad annum 1880 dicebant: In prioribus S.Pauli epistolis *Ecclesiae particulares* apparent *deniocraticae (1* Cor 14,26-35); deinde ad imitationem iudaeorum et hellenorum, introductum est *Consilium Presbyterorum,* ut fidelium conventus ordinate dirigeret; *Praeses* huius Presbyterii maiorem in dies sibi auctoritatem tribuebat, suosque ministros seu *Diaconos* constituebat, atque ut *Episcopus* particularem Ecclesiam gubernabat. Sic *Episcopatus* primo apparet post medium saec.II. Tandem ex confoederatione particularium sic ordinatarum Ecclesiarum universalis Ecclesia nata est saec.III ineunte6. Cum haec theoria conciliari nequeat cum aperta doctrina epistolarum, quas S.lgnatius scripsit ca. annum 107, cumque explicitis testi-

6 F.Schleiermacher, *Der christliche Glattbe* (1836) § 115; F.C.Baur, *Ueber den Ursprung des Episcopats* (1838); Î.B.Lîghtfoot, *S.Paul's Epistle to the Philippians* (1878). Cf. O.Ljn-Ton, *Das Problem dcr Urkirche* (1932) 3-67.

moniis contradicat epistolarum pastoralium, quas S.Paulus scripsit ante annum 67, eius patroni conati sunt ostendere has SS.Pauli et Ignatii epistolas non esse genuinas 7. Quod sane evincere nequiverunt; quare aliam excogitaverunt theoriam, quae sequitur.

340. *b)* Post annum 1880 praecedentium theoriam immutavit Hatch tantum in eo quod supposuerit, fidelium communitates particulares, iam inde ab initio, duplicem dirigentium classem, ad similitudinem iudaeorum et hellenorum, instituisse, aliam *Presbyterorum,* quorum Collegio curam disciplinae, et iustitiae administrationem commiserunt, aliam vero *Episcopi cum suis Diaconibus,* quibus administrationem operum beneficentiae necnon unitatem et ordinem cultus curanda tradiderunt. Ex hac primaeva mere ministerial! functione transitus paulatim factus est ad *monarchicam Episcopi auctoritatem* in particularibus Ecclesiis, ex quarum foederatione universalis Ecclesia saec.III ineunte ortum habuit. Hanc theoriam amplexatus est Harnack eamque posterius, ductus testimoniis *Didache* (Kch 4.6), complevit. Nam dirigentium classibus, patriarchal! Presbyterorum et administrativae Episcoporum. adiunxit classem spiritualem seu *charismaticam, Apostolorum* nempe, *Prophetarum et Doctorum,* quae nulli particulari Ecclesiae circumscripta erat et dignitate aliis duabus particularium Ecclesiarum classibus praevalebat. *Episcopi* tamen auctoritas paulatim augescit adeo ut versus saec.II finem, plenam ubique potestatem obtineat *

341. *c)* Interea Sohm, *theoriae charismaticae* praecipuus auctor, innixus narratione S.Pauli (i Cor 14), statuit. Ecclesias non esse nisi fidelium eucharisticos conventus a charismaticis vel ab illis, quos charismatic! ad casum designabant, ordinatos et directos; *ideam vero iuris et successionis ipsi Christianismi essentiae contradicere.* Putavit Romae primo adinventum esse; saec.I exeunte, ius stabile et inamovibile Episcopatus; ineunte saec.II, Episcopatum monarchicum; post medium saec.II, ius successionis episcopalis ab Apostolis deductae. Episcopatus ergo iuridicus, iuxta Sohm, Romae creatus est et ab Episcopis Romanis in universis Christi Ecclesiis inductus est '.

342. *d)* Hodierni Critici Rationalistae nihil novi addunt, sed ex theoriis praecedentibus singuli ea colligunt, quae sibi verisimilia videntur. Unanimiter asserunt, tus *divinum* et hierarchicam auctoritatem exclusive restringi ad tempora Apostolorum et charismaticorum. Alii omnes Ecclesiarum ministri *iuris mere humani* sunt, utpote communitatum delegati ad religiosum famulitium implendum. «Ecclesia Reformationis, ait Schmidt, iuxta sua principia nullam successionem apostolicam agnoscit, ideoque nulla ratione assentire potest illi Catholicorum asserto: Ministerium Ecclesiae esse, non solum a Christo institutum, sed etiam per succdssionem, seu modo a Christo

' F.C.Baur, *l.c.,* 61-73.148-185; Id., *Dic Ignatianischen Briefe* (1848); J.B.Lightfoot, *The Apostolic Fathers 2,* S.Ignatius (1885); H.J.Holtzmann, *Die Pastoralbriefe* (1880);' E.Kühl, *Die Gemeindeordnung in den Pastoralbriefen* (1885).

8 E.Hatch, *The Organization of the early Christian Churches* (1882); A.Harnack, *Die Gesellschaftsverfassung der christlichen Kirchen* (1883); Id., *Die Lehre der Ztublf Apostel:* TU 2 (1884).

0 R.Sohm, *Kirchcnrccht* 1 (1892) 379-380; Id., Weisen *and Ursprung des Katholicismus* (1909). Protestandum theorias adversas successioni collegit A.M.Javierre, *Sucesiôn Aposldlica:* Salesianum 16 (1954) 77-108.

statuto, transmissum». Barth autem ex sua de Ecclesia doctrina (n.127 d) logice infert: «Non esse in Ecclesia ullam *Hierarchiam,* neque *officia* seu munera ecclesiastica ulla. Systemata constitutionis *episcopalis, presbyteralis,* etc., magis nocent quam utilia sunt *liberae* praedicationi verbi Dei in *libera ac vivente* Congregatione Christi viventis, quae est Ecclesia». Goguel vero originem Episcopatus explicat modo valde affini doctrinae ab Harnack adinventae. Iuxta Cullmann, functio Apostolorum est eventus historicus fundationalis et unicus, qui successione proprie dicta transmitti nequit[10].

343· 3) Saeculo XX adversantur etiam *Eschatologistae* et *Modernistae. Eschatologistae* ius divinum Episcopatus a limine removent, tenentes Christum non cogitasse nisi in imminenti mundi fine. *Modernistae* vero successionem impossibilem esse autumant, cum doceant, omnia in Ecclesia ortum habere a religiosa conscientia, quae sponte suggerit ea, quae singulis aetatibus et temporum condicionibus magis accommodata sunt (D 2050 2091) [11].

344. Doctrina Ecclesiae. Iam inferri potest ex citatis adversariorum damnationibus; sed ulterius continetur praesertim in *Conc.Vaticano* ses.4.": *Episcopatus implicite* saltem docetur esse *iuris divini* (D 1821). Explicite ulterius definitur Episcopos esse successores Apostolorum ex divina institutione in ordinaria iurisdictionis potestate (D 1828). Definitur etiam singulos Episcopos veros esse singularum ecclesiarum pastores, sed non constat utrum hic *monarchicus* character de iure divino esse definiatur necne. Neque in CIC '329 clarius hoc habetur [12].

345. *Conc.Tridentinum,* agens de potestate sacerdotali (D 957) definivit, iuris divini esse Hierarchiam (D 966) atque ad eam praecipue pertinere Episcopos Apostolorum successores (D 960). In CIC 108 legimus: «Ex divina institutione sacra hierarchia ratione ordinis, constat Episcopis, Presbyteris et

10 K.L.Schmidt, *Le Ministère et les ministères dans l'Eglise du N.T.:* RêvHistPhRel î8 (1937) 315-336; G.Gloege, *Reich Gottes und Kirche im N.T.* (1929); H.D.Wendland. *Die Eschatologie des Reiches Gottes* (1931)· Cf. F.M.Braun, *Nuovi aspetti dei problema della Chiesa* (1943) 159-192; K.Barth, *L'Eglise, Congrégation vivante de J.Ch.* l.c.» n.127 p.103s.106; M.Goguel, *Les premiers temps de ('Eglise* (1949) P.T22-124.165-173; O.Cullmann, *S.Pierre* (1952) 182-214.

11 Eschatologistarum doctrinam et patronos vide in th.t n.4i«

12 Cf. M.d'Herbigny, *De Ecclesia* n.358, de doctrina Conc.Tridentini et Vaticani. Ch.Journet, *L'Eglise du Verbe Incarné* l p.601-614, censet quod non recte loquantur aliqui de duplici Hierarchia; sed unam esse in Ecclesia Hierarchiam, quae ratione ordinis triplicem, ratione vero iurisdictionis duplicem iuris divini gradum habet (CIC 107-109).

Ministris; ratione iurisdictionis, Pontificatu supremo et Episcopatu subordinato».

Leo XIII in *Encycl. «Satis cognitum»* aperte eandem doctrinam docet: «Qui Petrum Ecclesiae fundamentum posuit, idem elegii *duodecim... quos et Apostolos nominavit* (Lc 6,13). Quomodo Petri auctoritatem in Romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic Episcopi, quod succedunt Apostolis, horum potestatem ordinariam *hereditate* capiunt, ita ut intimam Ecclesiae constitutionem ordo Episcoporum necessario attingat. Quamquam vero neque plenam neque universalem ii, neque summam obtinent auctoritatem, non tamen *Vicarii* Romanorum Pontificum putandi, quia potestatem gerunt sibi *propriam,* verissimeque populorum, quos gerunt, Antistites *ordinarii* dicuntur» (ASS 28,732). Lege praeterea D 1962.

Pius XII in *Encycl. «Mystici Corporis»:* Ecclesiae particulares, «ex quibus una constat et componitur Catholica Ecclesia, et ipsae α *Christo lesu* proprii uniuscuiusque Episcopi voce potestateque reguntur. Quamobrem sacrorum Antistites..., ad propriam cuiusque Dioecesim quod spectat, utpote veri Pastores assignatos sibi greges singuli singulos *Christi nomine* pascunt ac regunt (D 1828); id tamen dum faciunt non plane sui iuris sunt, sed sub debita Romani Pontificis auctoritate positi, quamvis *ordinaria* iurisdictionis potestate fruantur, immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita. Quapropter, ut Apostolorum ex *divina institutione* successores, a populo venerandi sunt» (AAS 35,2iis). Et in Allocut. «St *diligis»:* AAS 46 (1954) 314.

346. Valor dogmaticus. *Pars I definita est* in Conciliis Tridentino et Vaticano (D 960 966 1828), in quibus definitur, Episcopos particularium Ecclesiarum esse iure divino Apostolorum successores. *Pars II,* in qua tenemus, ex divina institutione esse ut singulis Ecclesiis Episcopi singuli praeficiantur, est *conclusio certa in theologia,* iuxta probationem secundae partis.

347. Pars i.a: Apostolis in ordinario eorum munere iure divino succedunt Episcopi.

Prob. x) ut *conclusio praecedentis thesis.*

Nam hierarchia, in Apostolis instituta, ex voluntate Christi seu iure divino, est perennis. Ergo semper exstiterunt qui iure divino Apostolis in ordinario eorum munere plene succederent. Atqui soli Episcopi de facto semper Apostolis in ordinario eorum munere plene successerunt. Ergo Apostolis in ordinario eorum munere iure divino succedunt Episcopi.

Antec. et *conclusio* prima constant ex praecedenti thesi, qua probavimus hierarchiae perennitatem ex Christi institutione seu iure divino.

Minor ennuntiat factum, quod ex Ecclesiae historia mani-

feste patet. Idem vero factum comprobant ea quae in probationem secundae partis afferenda sunt.

348. Prob. 2) *ex Christi verbis.*

Nam Christus commisit iisdem Apostolis ordinarium munus docendi, sanctificandi, regendi, et quidem perenniter *usque ad consummationem saeculi* (Mt 28,20), universaliter *omnes gentes* (Mt 28,18; Mc 16,15), ubique locorum *usque ad ultimum terrae* (Act 1,8). Atqui talem missionem non potuit Christus tradere *solis personaliter* Apostolis, utpote qui morituri erant (Io 21,19). Ergo eam contulit Apostolis *eisdem moraliter et iuridice,* id est eorum etiam successoribus sine ulla iuris mutatione. Atqui soli Episcopi sub Romano Pontifice semper sibi vindicaverunt et de facto plene exercuerunt ordinarium Apostolorum munus ex successione ab eis acceptum. Ergo ex Christi verbis deducitur Episcopos esse iure divino successores Apostolorum in ordinario eorum munere.

349. Prob. 3) *ex pastoralibus S.Pauli epistolis.*

Adnota id quod de his epistolis S.Thomas recte animadvertit: «Earum materia est ad instructionem rectorum populi fidelis, in quo quidam praeferuntur in spiritualibus, sicut Praelati Ecclesiarum». Et in specie de t.‖ ad Tim. ait: «Est haec epistola quasi pastoralis regula, quam Apostolus tradit Timotheo, instruens de omnibus, quae spectant ad regimen Praelatorum» *(In i Tini* prol. et c.‖ lect.2).

His in *epistolis* S.Timotheus Ephesi et S.Titus Cretae exhibentur: a) locum ipsum S.Pauli tenentes vel saltem post eius mortem obtenturi, β) in illarum Ecclesiarum totalem curam supra omnes alios fideles, y) et quidem positi cum auctoritate divinitus accepta. Atqui tales appellamus Episcopos successores Apostolorum in ordinario eorum munere et quidem iure divino. Ergo ex his S.Pauli epistolis deducimus esse Episcopos Apostolorum successores in ordinario eorum munere et quidem iure divino.

Min. ex ipsis notionibus patet.

350. *Mai.* probatur per partes.

a) *Locum ipsum S.Pauli tenentes* exhibentur Timotheus et Titus; nam ait Apostolus: *Haec tibi scribo sperans me ad te venire cito : si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei* vivi. Et postquam eum de pluribus speciatim instruxit, addit: *Testor coram Deo... ut haec custodias sine praeiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando* (1 Tim 3,14s; 5,21). Immo potestatem ipsam constituendi presbyteros Ecclesiarum eis confert, dicens: *Ut constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi* (Tit 1.5; 1 Tim 5,22; 2 Tim 2,2). Ergo Apostolus Timotheo et Tito commendat ut locum suum in Ecclesiis simpliciter teneant, nihil aliud facientes quam quod eis ab ipso praescribitur, et quidem cum suprema po-

testate constituendi presbyteros Ecclesiarum, quod maxime proprium Apostolorum officium erat (Act 14,22s).

Timotheo et Tito haec ab Apostolo commendantur, vel *tanquam pastoribus ordinariis et propriis* illarum Ecclesiarum, vel saltem *tanquam pastoribus qui post Pauli mortem in ordinario eius munere successuri sunt.* Nam eos instruit sciens se esse morti proximum seu *tempus resolutionis suae instare (2* Tim 4,5-8), circa ea quae erant observanda *usque ad adventum Domini* (t Tim 6,14), et in specie circa rationem qua perenniter de suis successoribus constituendis curare debebant (2 Tim 2,2; Tit 1,5).

351. p) *Exhibentur positi in totalem curam Ecclesiarum Ephesi et Cretae.* Nam eis commendat curam doctrinae, cultus, regiminis illarum Ecclesiarum, et quidem cum auctoritate supra omnes alios fideles:

Cura doctrinae commendatur his verbis: *Praecipe haec et doce... Attende lectioni, exhortationi et doctrinae... insta* in illis... *Haec proponens fratribus bonus eris minister Christi Iesu, enutritus* verbis *fidei et bonae doctrinae, quam assecutus es* (1 Tim 4,6.11.13.16). Similia commendat iterum (1 Tim 6,3.20; 2 Tim 3,14-17), atque denique addit: *Testificor coram Deo et Iesu Christo, qui iudicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et Regnum eius: praedica verbum, insta opportune et importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (2 Tim 4,1s). Haec ad Timotheum. Tito autem eandem curam committit dicens: *Tu autem loquere quae decent sanam doctrinam... Haec loquere et exhortare cum omni imperio* (Tit 2,1.73.15). Praedicatio vero doctrinae considerabatur tanquam opus maxime proprium ipsorum Apostolorum (Act 6,2ss; i Cor 1,17; 1 Tim 2,7; 2 Tim 1,11).

Cura cultus. Nam accurate praescribit Apostolus rationem peragendi orationes in Ecclesia, quam Timotheo commendat, dum ait: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt... hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri... Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se... promittentes pietatem per opera bona* (1 Tim 2,1-10).

Cura regiminis supra omnes alios fideles. Ac quidem supra praepositos Ecclesiarum; nam Timotheum et Titum accuratissime instruit de indole et condicionibus, quas exigere debent ab iis qui ordinandi sunt Episcopi, Presbyteri et Diaconi (1 Tim 3,1-10; 2 Tim 2,2; Tit 1,5-9). Immo ad eos ait pertinere causas illorum in iudicio examinare atque illos, si deliquerint, auctoritative corrigere: Qui *bene praesunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina... Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue, ut et celeri timorem habeant* (1 Tim 5,17-20; cf. Tit 1,10-14). Supra ceteros omnes fideles. Quia nominatim Timotheo et Tito commendat singillatim seniores, iuvenes, iuvenculas, viduas, adolescentiores et servos (1 Tim 5,1-16; Tit 2,2-10; 3.is), atque monet quomodo delinquentes, errantes et haeretici corripiendi et etiam excommunicandi sint (2 Tim 3,1-9; Tit 1,10-14; 3>9-ii).

Universalitatem denique et *plenitudinem* huius potestatis urget dicens: *Praecipe haec et doce: nemo adolescendam tuam contemnat. Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui et seductores, docentes quae non oportet turpis lucri gratia, quos oportet redargui... increpa illos dure ut sani sint in fide. Haec loquere et exhortare et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat* (1 Tim 4,1 is; Tit 1,10-13; 2>I5). Unde patet Timotheum et Titum exhiberi positos a

S.Paulo in totalem Ecclesiarum curam, in doctrina, in cultu et in regimine, cum plenitudine potestatis supra omnes alios fideles.

352. y) Exhibentur tandem positi cum auctoritate divinitus accepta. Nam potestatem acceperunt per manuum impositionem, cui annexa erat collatio gratiae et virtutis ad pastorale munus adimplendum (2 Tim 1,6-9. 13s; cf. i Tim 4,14). Munus autem in cuius collatione datur gratia non potest conferri nisi cum auctoritate divinitus accepta. Praeterea illi, quos S.Paulus constituerat per singulas Ecclesias Presbyteros (Act 14,23), censebantur a Spiritu Sancto positi, etsi non totalis, sed solum partialis potestas in Ecclesias ipsis traderetur, iuxta illa S.Pauli verba: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (Act 20,28). Ergo potiore iure idem tenendum est de Timotheo et Tito et de Episcopis proprie dictis, quibus non pars tantum potestatis, sed totalis ac plena Ecclesiarum cura est demandata, prout Ecclesiae magisterium haec S.Pauli verba intellexit [13].

353. Prob. 4) *Ex testimoniis S.Clementis et S.Ignatii* [14].

a) *S.Clemens Romanus* (ca.96), assumit velut principium, cuncta in Ecclesia fieri debere secundum Dei ordinationem, qui «ubi etiam et a quibus officia sacra celebrari vult, ipse excelsissima sua voluntate definivit» (Cor 40,1-3; R 19). Deinde comparat divinitus ordinatam V.T. hierarchiam cum hierarchia N.T., et affirmat, in Ecclesia Christum a Patre, Apostolos a Christo, Episcopos ab Apostolis, ordinatione divinitus disposita, esse stabiliter constitutos (R 20 21). Ergo S.Clemens docet Episcopos esse iure divino continuatores Apostolorum, quod sane ad minimum intelligendum est de Episcopis stricte dictis, seu de illis qui ut ordinariam obtinent de facto potestatem Apostolorum genere suo completam.

354. b) *S.Ignatius* (ca.107) cum loquitur de Episcopis eos intelligit sensu sctricto, seu illos qui in Ecclesiis habent plenam potestatem supra omnes alios, tam fideles simplices quam Diaconos et Presbyteros (R 48 56 65). Iam vero aperte docet, Episcopum locum Dei tenere atque a Deo esse missum (R 44); unde concludit: «Manifestum est quod Episcopum respicere oporteat ut ipsum Deum, eique oboedire, siquidem Iesus Christus revera ad fideles per Episcopum loquitur»

13 Ita saltem primario et a fortiori de stricte dictis Episcopis intellexerunt verba Act 20,28 Concilia *Tridentinum* et Vaticanum (D 960 1828). Haud dissimili ratione catholicum Magisterium eadem verba intelligit: Caelestinus I (ML 50.507), Pius IX (D 1842), et Leo XIII in *Encycticis «Sapientiae christianae», «Divinum illud munus», «Depuis le jour», «Graves de communi»* (D 1936c): ASS 22 (1890) 391s; 29 (1897) 650; 32 (1899) 207; 33 (1901) 388. Bened. XV, *«Ad Beatissimi»: AAS* 6 (1914) 579. Pius XII, *Discorso nella S.Rom. Rota* 29 oct. 1947, *Encycl. «Mediator Dei»,* et Constit. *«Munificentissimus Deus»,* et *Litt, decret. «Quos Spiritus Sanctus»,* ct *Epist. «Cum Augustus»; AAS* 39 (1947) 497.547: 42 (1950) 756; 44 (1952) 345: 46 (1954) 459.

14 Edit. F.X.Iunk. *PP.Apostolici,* 1. De valore testimonii Clementis ct Ignatii cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.467-470.

(Eph 6,is). Ergo S.Ignatius tenet posse dici de Episcopis id ipsum quod Christus dicebat de Apostolis: Qui *recipit vos me .recipit: qui vos audit me audit* (Mt 10,40; Lc 10,16); igitur implicite agnoscit eos pollere tali auctoritate divinitus accepta, seu iure divino.

355· Prob. 5 *ex S.Irenaeo et Tertulliano.*

Nam S.Irenaeus (ca.180) et Tertullianus (ca.200) docent Episcopos esse Apostolorum successores *formali successione.* Atqui Apostolorum successores successione formali sunt eorum iure divino successores. Ergo S.Irenaeus et Tertullianus docent Episcopos esse Apostolorum successores iure divino.

Min. patet, quia successio formalis est subiecti substitutio in aliquo munere sine ulla iuris mutatione. Ergo cum Apostoli haberent suum munus *iure divino,* etiam eorum successores formali successione eodem iure divino suum munus obtineant necesse est.

Mai. prob, a) S.Irenaeus aperte docet: «Si recondita mysteria scissent Apostoli, quae seorsim et latenter a reliquis perfectos docebant, his (Episcopis) vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et *successores* relinquebant, *suum ipsorum locum* magisterii tradentes» (Kch 124). Quae verba apte intelligi nequeunt nisi sumantur de formali successione.

b) Tertullianus vero haec asserit: «Ecclesiae exhibent quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos apostolici seminis *traduces* habeant». Et ideo Episcopis et eos, qui cum Episcopis Apostolorum successoribus consentiunt, appellat Apostolorum *heredes,* dicens: «Mea est possessio; olim possideo; habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum *heres Apostolorum.* Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiuraverunt, ita teneo» (R 296 298). Haec idea successionis hereditariae necessario importat conceptum successionis *formalis.*

356. Pars 2.a: Ex divina institutione Episcopi singuli Ecclesiis particularibus singulis praeficiuntur.

Probatio. Inde a tempore Apostolorum singulis Ecclesiis particularibus praeerant Episcopi singuli, a medio autem saec.II omnes Ecclesiae habebant Episcopos monarchicos. At-

qui hoc factum historicum non nisi ex divina institutione explicari potest. Ergo ex divina institutione seu iure divino Episcopi singuli Ecclesiis particularibus singulis praeficiuntur.

Mai. nudum historicum factum ennuntiat, quod ergo historice est probandum. Hoc autem indicamus fieri per gressus, incipientes a testimoniis saeculi tertii exeuntis atque retro ad Apostolorum usque aetatem ascendentes. *Probe nota, in mai.* duo asseri: primum, inde a tempore Apostolorum historice constat exstitisse Ecclesias aliquas, quibus singulis praeerant Episcopi singuli; secundum, inde a medio saec.II historice constat omnes Ecclesias regi ab Episcopis monarchicis.

357. *Ad mai.* 1) Eusebius Caesariensis, cuius auctoritas relate ad historiam trium priorum Christianismi saeculorum ab omnibus agnoscitur esse magna, in sua *Historia Ecclesiastica,* ineunte saeculo IV edita, i.° completos exhibet Episcoporum catalogos, qui monarchice inde ab Apostolis successerunt in regimine Ecclesiarum *Romae, Alexandriae, Antiochiae* et *Hierosolymae;* aliunde vero plura Episcoporum monarchicorum nomina colligit Ecclesiarum Corinthi, Ephesi, Caesareae, Athenarum, Cretae, Cappadociae, Hierapolis, Smyrnae, Laodiciae et Lugduni; 2.° Episcopos in tota sua *Historia* Eusebius non memorat nisi monarchicos.

Atqui hoc testimonium ex saeculo III exeunte, bene ad medium saec.II reduci potest, cum ex critica editione *Historiae* eius constet, Eusebium notitias de his Episcopis fideliter retulisse, quas mutuatus est ex Iulio Africano (ca.235), ex S.Irenaeo (ca.180) et ex Hegesippo (ca.160).

Ergo Eusebius attestatur: i.° inde ab Apostolis exstitisse Ecclesias quibus singulis praeerant Episcopi singuli; 2.° inde' a medio saeculo II in Ecclesiis Episcopos non fuisse nisi monarchicos 15.

358. *Ad mai.* 2) *Ex concordi attestatione Tertulliani, S.Irenaei et Hegesippi. a)* Tertullianus (ca.200), adversarios redarguens et ex invicto argumento eos convincere intendens, asserit, apostolicas Ecclesias exhibere ordines suorum Episcoporum per successiones inde ab Apostolis procedentes. Ut apostolicas autem memorat Ecclesias Smyrnae, Romae, Corinthi, Thesalonicae, Ephesi, Philippi (R 296s).

15 C.H.Turner, *Apostolic Succession:* edit. H.B.Swete, *Essays on the early History of tha Church* (1921J 93-214; E.Caspar, *Die diteste rômische Bischofsliste* (1926); J.Salaverri, *Le sucesiôn apostôlica en la ^Historia eclesidstica» de Eusebio Cesariense:* Greg .14 (1933) 219-247. Critica editio Historiae Euscbii: E.Schwartz: GChS, *Eusebius* 2,1-3.

b) S.Irenaeus (ca.180), ut de falsitate adversarios peremptorie coarguat, attestatur se posse in omni Ecclesia annumerare Episcopos Apostolorum successores, sed brevitatis gratia solum describit Episcoporum Romanorum successionem, inde a S.Petro usque ad Eleutherum (ca.180), in qua monarchica successionis indoles manifesta est. Concludi ergo potest, successiones aliarum Ecclesiarum, quas S.Irenaeus novit, eiusdem indolis esse; memorat autem plures Ecclesias Germaniae, Hiberiae, Celtarum (in Gallia), Orientis, Aegypti, Libyae et «medii mundi» (R 209-211; K 124-126).

c) Hegesippus (ca.160) refert se plurimos adiisse Episcopos, ad comprobandum utrum fideliter ubique traditio ab Apostolis accepta conservaretur necne; atque affirmat se Romae confecisse Episcoporum catalogum usque ad Anicetum (155-166), quem deinde auxit usque ad Eleutherum (ca.180), concludens: «In singulis autem Episcoporum successionibus et per singulas urbes eadem manent, quae per legem ac prophetas et a Domino ipso praedicata sunt» (R 188).

d) Ergo Tertullianus, S.Irenaeus et Hegesippus concordant attestantes: i.° singulis Ecclesiis inde ab Apostolis praefuisse singulos Episcopos; 2.° non memorant nisi monarchicos Episcopos. Unde medio saeculo II Ecclesiarum Episcopi ubique erant monarchic!.

359. *Ad mai.* 3) Confirmatio ulterior probationis *mai.* (sub 1-2). *Occasione controversiarum de die Paschalis et de haeresi Montani,* plures notitiae relictae sunt de aliis monarchicis Episcopis plurium aliarum Ecclesiarum tam occidentalium quam orientalium (Kch 91-101).

a) Romanus Episcopus Victor (ca.190), cum maiori Ecclesiarum numero, Pascha celebrabat prima Dominica die, quae occurrebat post diem 14 mensis Nisam. Polycrates vero Episcopus Ephesinus cum Ecclesiis Asiae proconsularis tenebat, Christum mortuum esse die 14 mensis Nisam et ideo Pascha celebrabat die 16 eiusdem mensis, quamvis in Dominicam diem non incideret. Ad dubia solvenda et uniformitatem obtinendam, plura celebrata sunt Episcoporum Concilia, quorum decreta, teste Eusebio, exstabant circa annum 300 ex Romano, Palaestinensi, Edessano, Pontico, Corinthiaco, et Lugdunensi. Polycrates vero in suae sententiae favorem provocabat ad a|x>-stolicam traditionem Ecclesiarum Ephesi, Smyrnae, Eumeniae, Laodiciae et Sardis. Iam vero omnes Episcopi, qui his conciliis interfuerunt, exhibentur ut Apostolorum successores, quibus proprium erat officium custodiendi traditiones ab Apostolis acceptas, atque non nisi singuli pro singulis Ecclesiis recensentur.

b) Adversus Montanum, qui in Phrygia novam sibi a Spiritu Sancto factam revelationem praedicavit, convenerunt (ca.160) ex Ecclesiis Phrygiae Episcopi Hierapolis, Hieropolis, Comanae, Apameae et Antiochiae; ex Ec-

l« E.B.Allo, *L'Apocalypse* (1921) excurs-3 p.17. Cf. F.Zorell. N.T. *Lexicon grueeum* ἀγγελοι, ἀστήρ. Kittel. *Theol. Worth, z. N.T.* l p.Sss; Strack-Billerbeck, *Kommcntar z. N.T. aus Talmud u. Ntidrasch* 2 p.791·

clesiis Thratiae Episcopi Debelti et Anchialis. Omnes hi Episcopi exhibentur ut monarchici et ut Apostolorum successores (cf. Kch 218 bis).

360. *Ad mai.* 4) *Testimonium discipuli Apostolorum.* S.Ignatius (ca.107) scripsit septem epistolas ad Ecclesias Romae, Antiochiae, Ephesi, Magnesiae, Trallis, Philadelphiae et Smyrnae, in quibus Episcopatum monarchicum ab Apostolis procedentem adeo clare docet, ut ideo acatholici pluries frustra tentaverint probare eius epistolas non esse genuinas (R 38-67).

361. *Ad mai.* 5) *Testimonium apostolicum.* S.Ioannes Apostolus (ca.96) includit in Apocalypsi (c.i-3) septem epistolas ad «Stellas» vel «Angelos» particularium Ecclesiarum Ephesi, Smyrnae, Pergami, Tyatirae, Sardis, Philadelphiae et Laodiciae. Iam vero *Angeli* ad quos epistolae diriguntur: *a)* non possunt significare angelos earum Ecclesiarum protectores, ut cum Origine plures graeci opinati sunt, quia laude vel reprehensione digni dicuntur propter facta hominum propria, quae ipsis tribuuntur; *b)* nequeunt esse Ecclesiarum personificationes, quia ab Ecclesiis expresse contradistinguuntur, tam in symbolis quam in symbolorum explicatione (Apoc 1,12.16.20).

Remanet ergo tertia interpretatio, quam cum S.Augustino latini Patres et exegetae communissime tenent dicentes, «Angelos» esse Ecclesiarum, quae recensentur, praepositos 16. Nam sicut in textu «Candelabra» repraesentant particulares aliquas Ecclesias, quae nominantur, pari ratione «Stellae» seu «Angeli» repraesentare debent particulare aliquid proprium illarum Ecclesiarum. Atqui ea quae in epistolis commendantur, sunt officia propria praepositorum seu Episcoporum (cf. Apoc 2, 19). Ergo «Angeli» repraesentant Ecclesiarum Episcopos.

362. Haec autem conclusio confirmari potest ex usu Scripturae, in qua Sacerdotes, Doctores, Prophetae, Apostoli et alii iisdem symbolis designantur. *Stellae: Simon, Sacerdos, quasi stella in templo Dei* (Eccli 50,1.6.7); Qui ad *iuslitiam erudiunt multos, quasi stellae* in *perpetuas aeternitates* (Dan 12,3). *Angeli: Sacerdos angelus Domini exercituum est* (Mal 2,7); *Ecce mitto angelum meum* (Mal 3,1 = Mt 11,10); Apostoli apcllantur angeli (Gal 4,14; 1 Tim 3, 16); alii humani nuntii angeli appellati sunt (Lc 7,24; 9,52; lac 2,25; Ag 1, 13). Iam vero «Angeli» seu Episcopi, de quibus in septem epistolis S.Ioannis sermo est, manifeste exhibentur ut monarchic!, quia singulis singularum Ecclesiarum totalis cura commissa supponitur. Ergo inde ab Apostolis noti sunt in Ecclesiis Episcopi monarchic!.

363. *Ad mai. 6) Ex Actibus Apostolorum.* Ibi clare satis apparet, *S.Iacobum* Hierosolymis esse Episcopum, cui totalis cura illius Ecclesiae commissa erat. Nam S.Petrus a carcere

miraculose liberatus (ca.43), curam habet ut sua liberatio lacobo notificetur (Act 12,17). Postea (ca.50) in *Concilio Apostolorum* quaestione legalium a Petro decisa, lacobus, ad vitandam offensionem fidelium ex iudaeis conversorum, quibus vel maxime Hierosolymitana Ecclesia constabat, proponit decretum de abstinentia, quod ubique promulgetur (Act 15,13-21). Denique cum Paulus ascendisset Hierosolymam (ca.58), *introivit ad lacobum,* quocum *omnes collecti erant presbyteri;* lacobus autem, ad cavendam turbationem fidelium illius Ecclesiae, iniunxit S.Paulo ut *se sanctificaret in templo;* quod sane Paulus oboediens perfecit (Act 21,15-26). Ex iis indiciis non immerito inferri solet, lacobum Hierosolymis monarchicum Episcopum fuisse.

364. *Ad mai. 7) Ex S.Paulo.* Nam in suis epistolis pastoralibus exhibet nobis *Timotheum Ephesi* et *Titum Cretae* positos in totalem curam pastoralem illarum Ecclesiarum, cum plena auctoritate supra omnes alios fideles, et quidem unusquisque in una Ecclesia, prout in priore parte explicatum manet. Atqui tales appellamus Episcopos monarchicos. Ergo etiam S.Paulus nobis exhibet duo saltem exempla monarchicorum Episcoporum, qui hoc munus ut ordinarium et proprium vel iam obtinuerunt vel saltem post Apostoli mortem obtenturi sunt, iuxta explicationem datam in praecedenti parte.

365. Min. (n.356). *Hoc factum historicum non nisi ex divina institutione explicari potest.* Nam explicandum est vel ex naturali evolutione libera, vel ex divina institutione. Atqui 1) *naturalis evolutio libera* tale factum explicare nequit, atque historico fundamento caret; 2) *divina vero institutio* optime factum explicat, et a fontibus postulatur. Ergo tale factum non nisi ex divina institutione explicari potest.

Cum *maior* completam exhibeat disiunctionem theoriarum, quae ad factum explicandum proponuntur, probanda solum remanet *minor* per partes.

366. 1) *Naturalis evolutio libera nequit explicare tale factum. A)* Quia repugnat physice, psychologice et historice, a) *Repugnat physice,* quod naturalis libera evolutio in locis adeo disitis et variis, tam brevi temporis spatio et ubique locorum ad eundem effectum sua natura ducat, b) *Repugnat psychologice,* tam psychologia individuorum quam psychologia sociali: etenim innatae individuorum ambitioni repugnat ut organiza-

tio, initio democratica, ubique ab unius praevalentia absorbeatur ut fiat monarchical repugnat insuper sociali Ecclesiae indoli, ut tam magna mutatio in ea fiat, in qua velut primarium et immutabile axioma ab omnibus hoc tenebatur: «Nihil est admittendum nisi quod ab Apostolis traditum est» (cf. Lc 1,2; i Cor 15,11.58; Phil 4,9; 1 Tim 6,20; 2 Tim 1,12). c) *Repugnat tandem historice,* quod tam profunda extensaque mutatio ubique in omni Ecclesia fiat, nullis de ea remanentibus historicis vestigiis certis..

367. B) *Naturalis evolutio libera historico fundamento caret, a)* Provocant quidem ad *Librum Pontificalem* (Kch 1003s), cuius testimonium confirmant ex Tertulliano (R 296); unde concludunt. Episcopatum Romanum inde ab initio fuisse collegialem, utpote simul administratum a S.Petro et ab Episcopis Lino, Cieto et Clemente. Attamen hoc testimonium explicari bene potest eo quod S.Petrus revera ordinaverit Episcopos SS.Linum, Cletum et Clementem, eosque primo adhibuerit ut sui auxiliares in Romana Ecclesia pascenda; Tertullianus autem contra suos adversarios hoc vel maxime inculcare intendit, in romana Ecclesia Clementem fuisse S.Petro immediate notum.

Quod si *Liber Pontificalis* aliud significare intendat, responderi potest, cum esse ex saeculo VI (526-530), et contra eius testimonium clariora exstare testimonia S.Augustini ex saec.V ineunte (R 1418), Optati Milevitani ex fine saec.IV (Kch 584), *Poematis anonymi* ex eodem tempore (R 897). S.Epiphanii ex medio saec.IV (R 1092), *Catalogi Liberiani* ca. idem tempus (Kch 545), Eusebii ex saec.III exeunte, et antiquiorum aliorum testium usque ad ipsos Apostolos, quos in nostra probatione retulimus [17].

368. *b)* Provocant ad *silentium* S.Clementis *ad Corinthios* scribens (R 25-27), S.Polycarpi *ad Philippenses (R* 73), S.Ignatii *ad Romanos* (R 52-55). Attamen contra genuina, positiva et aperta testimonia, quae attulimus, nihil tale silentium evincit; non enim ostendi potest hos auctores necessario debuisse nominare Episcopum illarum Ecclesiarum, haec vero omissio explicari potest vel ex scopo ab auctoribus intento, vel ex aliis contingentibus hominum adiunctis, vel etiam eo quod forte tunc illae Ecclesiae orbatae essent pastore, vel quod propter persecutiones oportuerit Episcopi nomen celare.

c) Provocant ad *Ecclesiam aegyptiacam* in qua plures simul videntur dari Episcopi (R 1357). Quod si ita esset, concedi debet illam Ecclesiam non esse tunc recte ac perfecte ordinatam. Attamen re accuratius inspecta, detegitur inter eos esse unum proprie dictum Episcopum, cuius reliqui non erant nisi Vicarii vel auxiliares [18]. Ergo iure concludere possumus, *naturalem evolutionem liberam historico fundamento carere.*

369. 2) *Divina institutio Episcopatus monarchici optime factum explicat et a fontibus postulatur.* A) Quod *optime factum explicet* ab omnibus conceditur et facile patet. Nam si

17 Cf. M.D'Herbigny, *De Ecclesia* n.368,4,A.

18 Cf. M.d'Herbigny, *De Ecclesia* n.370. Cf. P.Batiffol, *Eludes d'hist. et de Theol. positive* (1926) excurs. A 267-280..

Christus positive statuit ut Episcopi particularium Ecclesiarum essent monarchici, cum ulterius constet in Ecclesia necessario esse perennia ea omnia quae in illa sunt a Christo positive instituta, facile intelligitur cur de facto Episcopi inde ab initio alicubi et a medio saeculo II iam ubique appareant monarchic!.

370. B) *A fontibus postulatur.* Nam in epistolis, quas nobis transmisit S.Ionannes (Apoc 1-3), exhibetur Christus ipse *dextera sua* manu tenens, in directa et immediata dependentia a semetipso, *septem stellas seu* Episcopos, atque positive singulis illis septem Episcopis iniungens munus et obligationem habendi totalem curam singularum septem Ecclesiarum, adeo ut unusquisque sit coram Christo plene responsabilis de vigore vel infirmitate vitae christianae uniuscuiusque Ecclesiae 19. Ergo etsi antea, dum adhuc in terris viverent reliqui Apostoli, divina institutio Episcopatus monarchic! nondum appareat, tamen inde a saeculo primo exeunte, per hanc revelationem S.loanni factam, iam patet esse ex Christi institutione ut singulis illis Ecclesiis praesint Episcopi monarchic!.

Atqui S.Ignatius, ab ineunte saeculo secundo, ac deinceps cum S.Irenaeo universalis Ecclesiae traditio semper intellexit, Episcopos qui ex Christi institutione singulis Ecclesiis praesunt non esse nisi monarchicos. Ergo a fontibus postulatur ut singulis Ecclesiis ex positiva Christi institutione praesint Episcopi singuli seu monarchic!.

371. Scholion 1. *De usu vocum Episcopus et Presbyter 20. Episcopus,* vi vocis, idem est ac inspector. Usu profano hoc nomine designabantur illi, qui aliquo munere praeerant. In libris V.T. Episcopus appellatur praepositus in rebus sive profanis sive sacris.

Presbyter, vi vocis, idem est ac senior. Usu profano Presbyteri appellantur membra collegii, cui aliquod munus demandabatur. Tale collegium dicitur Senatus. In libris V.T. Presbyteri appellantur illi, qui collegialiter praeerant populo vel civitati in rebus sive profanis sive sacris.

19 Cf. J.Colson, *L'Evêque dans les communautés primitives* (1951) c.6 p.81-90.

20 S.Th.. 2.2 q.184 a.6 ad 1; D.Petavius, *De ecclesiastica Ilierarchia, Dogmata theologica* (1867) V.7 P.407SS; v.8 p.97-405; A.Michiels, *L'origine de l'Episcopat* (1900); Id., *Evêques:* I)AFC 1,1750-1786; E.Bruders, *Die Verfassung dcr Kirche* (1904); F.Prat, *Evêques:* DTC 5, 1656-1701 ; E.Ruffini, *La Gerarchia della Chiesa* (1921); P.Batiffol, *La Hiérarchie primitive:* Etudes d'histoire et de Théologie positive (1926) 225-266; M.d'Herbigny, *De Ecclesia* (1928) 11.3623; U.HoLZMEiSTCft, Si *quis Episcopatum desiderat:* Bibi 12 (1931) 41769; L.Marchai., *Evêques:* DBS 1297-1333; V.Cavalla, *Episcopi e Presbiteri nella Chiesa primitiva:* ScuoCatt 64 (1936) 235-256; G.M.Perrella, *Spiritus Saucius posuit Episcopos (Act 20,28):* DivThom (Pi) 14 (1937) 172-176; T.Zapelena, *De Presbyteris-Episcopis ephesinis in Conc.Tridentino:* Mise Com l (1942) 11-24; Ch.Claereboets, *In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos (Act 20,28):* Bibi 24 (1943) 370-387; J.M.Bover, *Ijos Presbiteros-Obispos de Efeso: Teologia de S.Pablo* (1946) I.7 c.2 p.534-539; cf. L.Turrado, *Carâcter jerdrquico de Tito, Timoteo, Silas, Lucas y otros compancros de S.Pablo:* CiencTom 71 (1946) 82-105; Beyer, ap. Kittel, *Theol.Woertb. z. N.T.* (19SO) 2,604-619·

372. *In libris N.T.* 1.° *Presbyter* appellatur praepositus localis, sive sit Episcopus proprie dictus, sive merus sacerdos Episcopo subditus. In hoc auctores conveniunt.

2.0 Episcopi nomine quis designetur, auctores non conveniunt atque in duas praesertim sententias abeunt[21], a) *Episcopi nomen* in N.T. ut synonimum nominis *Presbyteri* adhiberi, ideoque eo designari tam Episcopum proprie dictum quam merum sacerdotem Episcopo subditum, tenent communissime auctores cum S.Thoma; ex recentioribus in tractatibus *De Ecclesia,* De Groot, Pesch, Wilmers, Felder, Muncunill, D'Herbigny, Dieckmann, Dorsch, Vellico, alii, quibus accedunt suis monographiis Michiels, Bruders, Batiffol, Prat, Ruffini, Holzmeister, Marchai, alii. Pro hac sententia ab eius patronis citantur, ex Patribus latinis, Ambrosiaster, S.Hieronymus, Pelagius, S.Isidorus, S.Beda; ex graecis, S.Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus [22].

373. b) *Nomine Episcopi* designari in N.T. tantum Episcopos proprie dictos, praesertim in Act 20,28, tenent Petavius, Perrone, Franzelin, Knabenbauer, Felten, Belser, Lercher (ed.1927), Bover, alii. Pro hac sententia citantur S.Irenaeus, S.Epiphanius, Silvius, Estius, Patrizi, alii; atque in eius favorem adducuntur *Conc.Tridentinum* et Vaticanum, necnon alia ecclesiastici Magisterii argumenta [23].

Quamvis in libris N.T. nondum determinata reperiantur *nomina,* quibus designabantur, tenendum tamen est munera *ipsa* Episcopi et Presbyteri aetate iam apostolica accurate distingui. Primo apud S.Ignatium Antiochenum (ca.107) solerti cura distincta reperiuntur etiam nomina, adeo ut apud ipsum vox Episcopi reservata semper sit Episcopo proprie dicto, voce autem Presbyteri sacerdotes designentur qui Episcopo plene subordinati exhibentur.

374. Scholion 2. *De origine a Deo mediata vel immediata iurisdictionis Episcoporum.* Quaestio haec in Conciliis Tridentino et Vaticano agitata quidem est, sed minime decisa. Iurisdictionem Episcopis singulis *immediate* a Deo dari tenuerunt cum Victoria et VAzquez plures auctores; immediate non a Deo sed *mediante* Romano Pontifice jurisdictionem Episcopis tribui communissime tenent catholici auctores cum S.Thoma, S.Bonaventura, S.Roberto Bellarmino et Suarezio. Hanc sententiam positive docet Pius XII in *Encycl. «Mystici Corporis»,* cum ait: «Episcopi ad propriam cuiusque Dioecesim quod spectat... non plene sui iuris sunt, sed sub debita Romani Pontificis auctoritate positi, quamvis ordinaria iurisdictionis potestate fruantur, immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita» [24]. Hanc sententiam omnino praeferendam esse censemus.

21 H.van Laak, institutiones *Theologiae fundamentalis de Ecclesia* th.45, varias auctorum sententias accuratius discernit, casque ad sex reducit, quarum argumenta praecipua difficultatesque recenset. Cf. F.C.Ceulemans, *In Act.* appendix.

22 Cf. auctores quos citavimus in nota 20. A.M.Vellico, *De Ecclesia* p.229-242; D.Petavius, *Dogmata theologica* (1867) v.7 p.409; Io.Perrone, *Praelect.* v.8 n.104.

23 J.B.Franzelin, *Theses de Ecclesia* (1887) th.16. Ch.Pesch, *Praelectiones* 1 n.339-343. hanc sententiam dicit esse probabilem. I.Knabenbauer, Feltem et Belser eam defendunt in suis Comment. in Act 20,28. L.Lercher in ed. praeparata a F.Schlagenhaufen (1939) n.326, praecipuas memorat sententias, sed quamnam praeferat, minime manifestat. Ex Magisterio catholico aliqua pro hac sententia in testimonium adducta sunt argumenta in nota 13. J.M.Bover, *Teologia de S.Pablo* (1946) S34-539. T.Zapelena, *De Ecclesia 2* (1954) 55-71.

24 Pius XII. *«Mystici Corporis»:* AAS 35 (1943) 211 s; et «Ad Sinorum gentem»: AAS 47 (t9S5) 9: «iurisdictionis potestas Episcopis ex divino provenit iure, at non nisi per Petri Successorem·. Cf. C.Mazzella, *DeRelig. et Ecclesia* n. 1001-1015; Ch.Pesch, *Praelec.* 1, n.370s.

373. Objectiones. I. S.Paulus non instruit Timotheum et Titum tamquam Episcopos in ordinario Apostolorum munere successores. Ergo ex S.Paulo in epistolis pastoralibus nihil eruitur.

Dist. *antec.* S.Paulus non instruit Timotheum et Titum tamquam Episcopos, qui iam in ordinario Apostolorum munere successerunt, *trans. antec.;* non instruit eos ut sciant, qua ratione in Ecclesia procedere debeant, qui post S.Pauli mortem in ordinario eius munere successuri sint, *nego.* Nam eos instruit cum iam sciat se esse morti proximum (2 Tim 4,5-8), circa ea quae in Ecclesia usque ad adventum Domini observanda sunt (1 Tim 6,14), et de ratione qua in Ecclesia de successoribus constituendis curandum sit (2 Tim 2,2; Tit 1,5). Ergo eos instruit saltem, tamquam qui eius successores futuri sint.

376. 2. In Scriptura Episcopi exhibentur ut Presbyteris aequales (Act 20,17.28; Phil 1,1.2; Tit 1,5-7).

Dist. *assertum.* Exhibentur aequales nomine, ita ut Episcopi appellentur etiam Presbyteri ac vicissim, *trans.;* exhibentur aequales munere, *subdist.:* inadaequate, *conc.;* adaequate, nego.

377· 3· S.Hieronymus docet Episcopos et Presbyteros esse prorsus aequales. Nam in Comment, ad Tit et in Epist.146 (R 1357 1371) haec docet[25]:

a) «Idem est Presbyter, qui et Episcopus», quod probat ex Tit 1,5-7; Phil 1,1-2; Act 20,17.28; i Petr 5,1-2; Hebr 13,17, concludens: «Haec ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros quos et Episcopos».

b) In initio «communi Presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur». «Postea unus electus est qui ceteris praeponeretur in schismatis remedium». «Paulatim vero ut dissensionum plantaria evellerentur ad unum omnis sollicitudo est delata».

c) «In toto orbe decretum est ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur». «Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiae consuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subiectos, ita Episcopi noverint se magis consuetudine quam dispositionis dominicae veritate Presbyteris esse maiores, et in commune debere Ecclesiam regere».

d) Episcopi et Presbyteri «omnes Apostolorum successores sunt».

378. Unde S.Hieronymus tenere videtur: *a)* ex Scriptura Episcopum aequalem esse Presbytero; *b)* primitus Ecclesias Presbyterorum collegio regi, postea vero unum ex eis, ad cavenda schismata, in praepositum electum esse; *c)* Episcopum, non iure *divino,* sed *Ecclesiae decreto et consuetudine,* Presbyteris esse maiorem; *d)* Episcopos et Presbyteros pariter esse Apostolorum successores.

379. *Resp.* Idem S.Hieronymus etiam haec docet[26].

Rationes utriusque sententiae breviter colligit et bibliographice illustrat A.M.Vellico. *De Ecclesia* (1940) p.580-87. Vide etiam T.Zapelena, *De Ecclesia* 2 (1954) 105-115: J LaINBZ, *Disputationes tridentinae,* t.t *De origine iurisdictionis Episcoporum.*

25 S.Hieronymi sententias, quae difficultatem facessunt, eodem ordine, quo in testimonium adducuntur. invenies: a) Comment, in *Tit* 1,5: R 1371, adde ML 26,562-563: *Epist.* 146 *ad Evang.* 1: R 1357, adde ML 22,1192-1193. b) *In Tit t,;:* R 1371, adde ML 26,56; Epist. 146: R 1357· c) *In Tit 1,5; R* 1371. adde ML 26,563. d) *Epist. 146 ad Evang.* 1: ML 22,1194.

26 S.Hieronymi alias prae oculis habendas sententias, eodem ordine, quo illas citamus vide: a) *In Tit 1,5:* ML 26,563. b) *Epist. 146 in Evang.* 1: *R* 1357; In *Tit 1,5:* ML 26,562. c) In *Tit 1,5:* ML 26,562: *Epist. 146: R* 1357; *Dialog, contra Lucifer.* 9: R 1359. d) Epist. 41 *ad Marcellam* 3: ML 22,476: *Dialog, contra Lucifer.* 9: R 1359, adde ML 23.164.

a) «Eosdem Episcopos illo tempore quos et Presbyteros *appellabant:* aliud aetatis, aliud est *nomen* officii».

b) «Ne quis contentiose in una Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat». «Certe in una civitate plures, ut nuncupantur (Phil 1,1-2), Episcopi esse non poterant».

c) «Episcopi habent constituendi Presbyteros per urbes singulas potestatem». «Quid facit, *excepta ordinatione,* Episcopus quod Presbyter non faciat?» «Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui per Presbyteros et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat».

d) «Apud nos *Apostolorum locum Episcopi tenent:* apud eos (Monlanistas) Episcopus tertius est... quod apud nos primum, apud illos novissimum est». «Quod si quaeris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum, disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit». «Ecclesiae salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet; cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata quot sacerdotes».

380. Unde S.Hieronymus etiam tenet: *a)* In libris N.T. Episcopos appellari etiam Presbyteros et vicissim; l>) in una Ecclesia iam S.Pauli tempore non nisi unum posse esse Episcopum; *c)* solius Episcopi esse potestatem ordinandi Presbyteros, eosque per singulas urbes constituendi, atque etiam Episcopo reservari confirmationem' eorum quos Presbyteri baptizaverant; *d)* Apostolorum successores simpliciter et pleno iure Episcopos esse.

Igitur *iam informa* ad id quod obicitur, *responderi potest:* S.Hieronymus ex Scriptura infert Episcopum aequalem esse Presbytero et solum decreto et consuetudine Ecclesiae ei maiorem esse; id est, aequalem *nomine* et maiorem in accidentalibus muneris, *conc.;* aequalem iure divino in essentialibus muneris, *subdist.:* quoad facultatem consecrandi corpus et sanguinem Domini et sacrificium eucharisticum offerendi, *conc.;* quoad ordinariam docendi. sanctificandi et regendi potestatem ab Apostolis acceptam, *nego.*

381. S.Hieronymus in *Epist.146* scopum quem intendit, patefacit dicens: «Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris anteferret». Scopum vero in Comment. ad Tit 1,5-7 declarat dum ait: «Audiant Episcopi, qui Apostoli lege contempta, ecclesiasticum gradum non *merito* voluerint alicui defferre, sed *gratia,* contra Christum (eos) facere, qui qualis in Ecclesia Presbyter constituendus sit per Apostolum suum exsecutus est». Scopus ergo a S.Hieronymo intentus est Presbyterorum dignitatem contra Diaconorum audaciam tueri, et Episcopos hortari ut Presbyteros dignos consecrarent; ideo Presbyteratum extollit, eum quantum potest Episcopis aequiparando, ratione praesertim potestatis in Eucharistiam, prout manifeste infertur ex his ipsius S.Hieronymi verbis: «Apostolus perspicue docet eosdem esse Presbyteros quos Episcopos... ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur» (R 1357). Ceterum fatendum est S.Hieronymum controversiae aestu ductum non parum exaggerasse 27.

382. 4. Iuxta C.ULLMANN, Apostolatus N.T. est officium singulare et unicum, a solo Iesu immediate suis Apostolis commissum, ut annuntiarent vitam, doctrinam et resurrectionem Christi tanquam testes oculati vi-

27 De sententia S.Hieronymi, cf, H.van Laak, *Repetitorium* 281-288; P.Batiffol. *Discussion d'un texte de S.Jérôme:* Etud. (I.hist, cl de Théol. positive (1926) p.267-280; T.Zavelena, *De Ecclesia* 2 (1954) p.71-94.

tae historicae et resurrectionis eius. /\tqui tale officium non nisi personaliter ipsi Apostoli exsequi potuerunt; atque exsequuti sunt orali praedicatione, quae definitive semel pro semper consignata mansit in libris N.T. Ergo Episcopi dici non possunt Apostolorum successores sensu stricto, seu «continuatores eiusdem functionis apostolicae», quae totaliter diversa est a functione quam utcumque Episcopi exercere possunt -8.

Dist. mai. Notio Apostolatus a Cullmann data est inadaequata quatenus respicit tantum *extraordinaria* aliqua Apostolorum officia, dona et opera, conc.; est adaequata includens etiam *ordinarias et* essentiales Apostolorum potestates et functiones, *nego.*

Transmissa min. dist. pariter *cons.* Nequeunt Episcopi dici Apostolorum successores sensu stricto in eorum *extraordinariis* donis, officiis et functionibus, conc.; in eorum *ordinariis* et essentialibus potestatibus et functionibus, nego.

Iuxta fontes, *extraordinaria* Apostolorum officia dona et opera solis personaliter ipsis a Christo commissa, recensentur praesertim haec: a) *immediata* a Christo electio, missio et plena instructio ut essent *testes oculati* vitae, doctrinae et resurrectionis Christi; b) *Donum miraculorum* quo suum testimonium divinitus confirmarent; c) Personalis *infallibilitas* et visibilis supra ipsos *effussio charismatum* Spiritus Sancti die Pentecostes, qua induti «virtute ex alto» fidenter aggrederentur et perficerent opus iaciendi fundamenta totius Ecclesiae; d) Immediata Christi vel Spiritus Sancti *revelatio* vel *inspiratio,* a) ad *constituendum* integrum *fidei depositum* quod Christus hominibus attulit, seu verbum Dei traditum et scriptum, β) ad *statuenda media sanctificationis* a Christo pro hominibus instituta, y) ad *ordinanda essentialia munera* gubernationis Ecclesiae a Christo disposita.

Iuxta fontes, *ordinariae* et essentiales Apostolorum potestates ct functiones sunt: a) *Magisterium* ad sancte custodiendum, integre transmittendum et fideliter exponendum fidei depositum semel pro semper ab ipsis Apostolis constitutum; b) *Sacerdotium* ad vere offerendum sacrificium et efficaciter ministranda salutis media semel pro semper a Christo ipsis Apostolis commissa; c) *Regimen* ad gubernandum fidelium gregem et ad hierarchice ordinandos in hunc finem Episcopos, Presbyteros et Ministros, iuxta statutum quod semel pro semper ipsi Apostoli a Christo acceperunt.

Iam vero, iuxta expressum Domini mandatum (quod in opere Cullmann non videmus citatum) has ordinarias potestates et functiones Apostoli sub divina assistentia exercere debebunt *usque ad consummationem saeculi* (Mt 28,20; Io 14,16; i Cor 11,26). Atqui eas Apostoli exercere non poterunt *perenniter,* neque suis personis quia morituri sunt, neque per sola N.T. sCripta, quae referunt quidem potestates fuisse Ecclesiae datas, sed eas nec conferre necque efficaciter exercere possunt. Ergo *semper erunt* in Ecclesia qui nomine et iure Apostolorum docendi officium habeant, sacrificium eucharislicum offerant, baptismum et alia salutis media administrent, regentes, sacer-

–8 O.Cullmann, *S.Pierre Disciple-Apôtrc-Martyr* (1952) p.193-200. Theoriam Cullmann crisi subieccrunt plures. non solum catholici sed etiam acatholici. Cf. inter alios: O.Kakrer, *Um dic Einhcit der Christen, Die Petrusfrage,* ein Gesprach mit... O.Cullmann (1953); Ch.Journet, *Primauté de Pierre dans la perspective protestante ct catholique* (1953): G.Vodopivec, EuntDoc 6 (1953) 81-109: L.Cerfaux, RechScRcl 41 (1953) 182-202; J.Danielou Etud 276 (1953) 206-219: Id., DieuViv 24 (1953) 107-11.6: P.Nober, VerbDom 31 (>953) 45-48; P.Gaechter, ZkathTh 75 (1953) 331-337: P.Bonnard, RevThPh 3 (1953) 3T-34: G.Dejaifve, NouvRevTh 85 (1953) 365-79; W.Bulst, Schol 28 (1953) 264-67; M.Meinertz. ZtsMisswRelw 37 (1953) 235-39; EM.Braun, RevThom 53 <1953) 389-403: P.Benoit. RevBibl 60 (1953) 565-79; A.Vôctl, MünchThZts 5 (1954) 1-47; j.Hamer. RevNouv 19 (1954) 92-97; E.Mollaso. RevHistPhilRel 34 (1954) 1-29; F.X.Murphy. IrEccRec 81 (1954) 436-43: A.M.Javierre, *Sucesién Aposlàlica:* Salesianum 16 (1954) 80-108; O.Karrer, *Apostolische Nachfolgc und Primat:* ZkathTh 77 (1955) 129-168.

dotes et magistros Ecclesiarum designent, qui *perenniter* observantiam omnium «quaecumque mandavit Christus» a fidelibus exigant. Hos autem appellamus *Episcopos successores iure divino Apostolorum* in eorum munere *ordinario* magisterii, sacerdotii et regiminis Ecclesiae.

ARTICULUS III

Romanus Pontifex in Primatu successor

Thesis 9. In Primatu perenni iure divino Romanus Pontifex est S.Petri successor.

383. S.Th., *2.2* q.i a.io; *Suppi,* q.40 a.6; 4 CG 76; cf. De *pot.* q.io a.3 ad 13; S.Bonaventura, *Quaest. disp. de perfect, evangel, paupert.* q.4 a.3; Suarez, De *fide* d.io s.2s; *Defensio fidei* I.3 08:3 S.Rob.Bellarm., *Controv.* 3 l.2 0.12-31; Franzelin, th.i x; Palmieri, th.8s; Wilmers, th.39-41: Van Laak, *Instit. Theol. fundam., De Ecclesia* n.97-113: Id.. *Repetitorium, De Ecclesia* th.6-8; De Groot, q.15 a.4; Straub, th.15: Ottiger, 2 p.599-817; Billot, th.28; Muncunill, 0.356-392; Schultes, a.47; D'Hfrbigny, th.24 11.281-313; Dieckmann, th.21 n.507-542; G.Glez, *Primauté:* DTG 13.247-344; Lercher, fh.33; Cotter, th.30; Zapelena, th.10; J.Madoz, *El Primado: Fuentes y documentas* (1936); E.Giles, *Documents illustrating Papal authority* (1952); I.de Torquemada, *Oratio synodalis de Primatu,* edit. E.Candal, Conc. Florent. S.B.. vol.4 fasc.2 (1954).

384. Nexus. Demonstratum a nobis est (th.7) Primatum in Ecclesia esse iure divino perennem. In hac thesi ulterius quaerimus, quaenam sit persona quae de facto hunc Primatum iure divino obtineat.

385. Notiones. Primatus est universae Ecclesiae suprema potestas monarchica, perenniter duratura, quam Christus instituit et S.Petro contulit (cf. th.5).

Iure divino statutum intelligimus illud, quod «ex Christi ipsius institutione» ortum et valorem habet (cf. D 1825).

Perennis est potestas quae perpetuo usque ad consummationem saeculi est duratura, prout explicatum est in thesi de perennitate (th.7).

386. S.Petri successor Romanus Pontifex esse intelligitur, non mere materialiter, sed etiam *formaliter,* id est, substitutor personae S.Petri in omni potestate ordinario muneri Primatus annexa, *sine ulla iuris mutatione.* Quare, adimpleta condicione legitimae electionis eiusdemque acceptationis, Romanus Pontifex ipsomet iure divino eandem supremam iurisdictionis potestatem' obtinet, qua ipse Christus S.Petrum plene

constituit sui in terris Vicarium sive supremum universae Ecclesiae visibile caput (cf. CIC 109 219).

387. Romanus Pontifex est legitimus romanae dioecesis Episcopus. In thesi autem intelligitur, *non reduplicative,* seu qua et quatenus est Romanus Episcopus, *sed specificative,* seu qui legitimus dioecesis Romanae Episcopus est. Nam iuxta Conc. Vaticanum, duo in hac re probe sunt distinguenda: 1) *Lex perpetuae successionis* in Primatu, et 2) *Condicio successionis* in eodem perenni Primatu. *Lex* perpetuae successionis est positiva ordinatio, qua Christus formaliter statuit, ut S.Petrus perpetuo habeat successores in Primatu. *Condicio* successionis est factum Romani Episcopatus, quo evenit ut successor in Primatu non sit nisi Romanus Episcopus. Iam vero *lex successionis est ex iure divino perennis; condicio* autem *successionis,* iuxta varias catholicorum sententias, est *vel ex iure divino, vel ex iure humano-ecclesiastico, vel ex iure ecclesiastico-apostolico,* secundum naturam iuris quo S.Petrus de facto coniunxit successionem in Primatu cum Romano Episcopatu ·.

388. Status quaestionis. In thesi abstrahimus a natura iuris, quo successio in Primatu connexa est cum Romano Episcopatu, et defendimus id ipsum quod in Conc.Vaticano sollemni iudicio definitum est (D 1825).

389. Adversarii contra hanc thesim innumeri sunt. 1) Omnes *acatholici* sive christiani dicantur sive christianum nomen renuant, unanimes Romanum Primatum reiciunt.

2) Etiam huic thesi adversantur omnes quos ut adversarios recensuimus in thesibus de Primatu S.Petri (th.4 et 5) necnon in thesi, quae huic immediate praecedit, de hierarchica Apostolorum successione.

39°· 3) Qui *hierarchicam indolem Ecclesiae* a Christo institutam admittere nolunt: Marsilius Patavinus (D 496-498), Wicleff (D 588617 621), Hus (D 635 653-655; cf. D 674), Luther (D 765), *lansenistae* (D 1319), *Febroniani* (D 1500), *Pistorienses* (D 1502-1503). Accedunt *Protestantes* omnes, necnon ii qui auctoritati Status Ecclesiam eiusque caput subdi autumant.

4) Qui *monarcjiicam Ecclesiae constitutionem* agnoscere renuunt, ut sunt *Anglicani, Protestantes Episcopaliani* vel *Presby-*

1 Msi 51.600; 52,10.31.1100.1115.xx 18. Cf. Th.Granderath, *Consi. Dogm. Conc.Vaticani* X37-X49.

teriani, quibus accedunt sic dicti *Vetero-Catholici,* seu ii qui nollentes amplecti Conc.Vaticani definitionem de Romani Pontificis Primatu, sese cum Dollinger ab Ecclesia Romana separaverunt, clamantes: «Los von Rom» 2.

391. 5) Adversantur speciatim huic thesi *Schismatici Orientales,* qui post medium saec.IX cum Photio urbem constantinopolitanam proclamaverunt secundam Romam, medio saec.XI cum Michaele Cerulario separationem ab Ecclesia Romana perfecerunt, et post Constantinopolim a Tureis captam, anno 1453, Sedem Patriarchalem Orthodoxae Russorum Ecclesiae pronuntiaverunt tertiam Romam; supremam autem iurisdictionem Patriarchae Russorum conferri significabant anno 1917 per ritum quo ei tradebant «Baculum Pastoralem Sancti Petri».

Orientalium de Primatu doctrina et difficultates, quibus catholicorum argumenta enervare satagunt, collectae sunt in *Encyclica Synodi Constantinopolitanae* anni 1848, quam 33 Orthodoxi Episcopi subscripserunt, respondentes *Encyclicae* Pu IX eiusdem anni, *«In suprema Petri Apostoli Sede»,* qua eos Summus Pontifex hortabatur, ut ad Catholicae Ecclesiae unitatem redire festinarent 3.

Accedunt nunc non minus adversi omnes *Panchristianismi* seu *Oecumenismi* propugnatores, ut Heiler, Aulen, Tomkins, Visser 't Hoorr, et alii, qui plenum Ecclesiarum autonomismum tuentur et non nisi ad quamdam earum foederationem adspirare possunt. In specie Barth: «Gubernatio, inquit, Ecclesiae proprie et exclusive pertinet ad Christum Dominum; et ideo systema *Papale,* in maiori adhuc gradu quam *Episcopale,* nocet liberae praedicationi verbi in libera Congregatione Christi viventis, quae est Ecclesia.» Similiter Craig: «Christus, ait, Ipse solus est Ecclesiae supremus dux, Ipse solus possidet ius eam gubernandi». Cullmann vero negat ipsam possibilitatem successionis S.Petri4.

392. 6) *Sensismus evolutionista,* quem *Modernistae* sequuntur, tenet Ecclesiam eiusque Primatum nihil aliud esse

2 Cf. M.n'HERBiGNY, *De Ecclesia* n.206,3·

3 Cf. M.Jugie, *Theol. Dogm. Christianorum Orientalium* 4 p.362-423; Id., DTC 13,344-391; Th.Spâcïl, *Conceptus ct doctrina de Ecclesia iuxta Th'eologiam Orientis separati:* OrGh 2 (1924) 57-72; M.d'Herbigny. *De Eccles,* n.283. Msi 4O,377-4«8 exhibet Encyclicam a 33 Episcopis Orientalibus subscriptam contra Primatum; inter alia: «Romana, inquit. Ecclesia non habet nisi praecedentiam inter fratres in universa Ecclesia: hoc est, obtinet honorem Romano Episcopo concessum ratione antiquitatis et splendoris Civitatis Reginae; sed minime ab Apostolis derivatur Vicarietas Christi et ius universalis Pastoris, quae ipse sibi attribuit* (Msr 40,399). Cf. St.Zankow, *Das Orthodoxe Christentum* /1928) 68.84.90.91.138.139. L.Beauduin, *L'Eglise et les Eglises,* t054-1954.

4 Fr.Heiler, *Altkirchliche Autonomie und Piipstlicher Zentralismus* (1941). .Aliorum *Oecumenistarum,* qui citantur, sententias vide ap. *Etudes Oecuméniques: Documents de l'Assemblée d'Amsterdam,* l. *L'Eglise universel* Ü949) p.23.53.106.197-263. O.Cullmâxn, *Saint Pierre* (1052) 195-200.

quam partum conscientiae collectivae, qui legi vitalis evolutionis subiacet. Sicut ergo sensus religiosus, mere politicis condicionibus excitatus et allectus, exeunte saeculo II, Primatui in Ecclesia ortum dedit, ita etiam nostris diebus *ad formam democraticam* impellit. Sensui vero religioso haec postulanti necessario obsecundandum est, nisi velimus in hominum conscientiis intestinum excitare bellum ac fovere (Pius X, *Decr. «Lamentabili» et Encycl. «Pascendi»* [D 2053-2058 2091 2094]).

393. 7) *Rationalistae* historico-critici, inde ab initio nostri saeculi, ius divinum Primatus, lege strictae successionis ex S.Petro derivati, prorsus respuunt, atque factum mere humanum assignare satagunt, ex quo Primatus Romanus naturaliter ortus ostendatur. A.Harnack ortum universalis Primatus Romani Episcopi praesertim attribuit influxui ipsius Urbis Romae, quae cum centrum reale et caput iuridicum Romani Imperii esset, causa fuit quae induxit paulatim ad agnoscendum tantae Urbis Episcopum ut caput iuridicum universae Ecclesiae. Haec autem agnitio iam satis in historia apparet tempore Victoris I (ca.190). Similia nostris diebus tenet etiam M.Goguel.

394. E.Caspar Primatus Romani theoriam attribuit Tertulliano et S.Cypriano, tenens nullum de hac re historicum vestigium certum ante eos reperiri. R.Sohm putat, in edicto Callixti (ca.220), Romanum Episcopum primo sibi attribuisse auctoritatem et successionem S.Petri. J.Turmel censet auctorem Primatialis potestatis esse Imperatorem Gratianum, cum anno 378 decrevit ut iudicium de aliis Episcopis Romano Episcopo reservaretur, atque imperiali auctoritate praecepit ut decreta disciplinaria Romani Praesulis ab omnibus rata haberentur. B.I.Kidd asserit, ante S.Leonem Magnum admitti in Ecclesia realem quemdam *mere directionis* Primatum, qui tandem per ipsum S.Leonem (ca.450) verus iurisdictionis Primatus factus est. Παπαδοπουλοι denique opinatur, Primatum verae iurisdictionis in Ecclesiam tandem saeculo IX per pseudoisidoriana decreta inductum esse. Porro alii alias adinvenire satagunt humanas causas, quibus verisimiliter ortum Primatus attribuere valeant, hoc uno omnes scopo ducti ut veram eius divinam originem denegent[5].

395. Doctrina Ecclesiae. Doctrina de Primatu Romani Pontificis sollemni iudicio ab Ecclesia definita est in Conciliis

5 A.Harnack, *Dogmengeschichle* (1009) 1,480-496; Id., *Das Wesen des Christentums* (1920) 157; M.Goguel, *Les premiers temps de l'Eglise* (1949) 218-225; E.Caspar, *Primatus Petri* (1927); Id., *Geschichte des Papsttums* (1930); R.Sohm, *Kirchenrecht* (1923) ï,379s; J.Turmel, *Histoire des Dogmes:* 3. La Papauté (1933); B.I.Kidd, *The Roman Primacy to A.D.* 461 (1936); K.Guggisberg, *Matthaus* 16,18-19 *in der Kirchengeschichte: ZKG 54* (1935) 276-300; Παπαδοπούλα , Το Προτειον του 'Επισκόπου 'Κώμη (1930). Cf. M.Gordïllo, *Un libro reciente:* OrChr 22 (1931) 180-191 ; H.Pierke, *L'union de [Orient avec Rome:* OrChr i8 (1930)·

praesertim *Lugdunensi II, Florentino* et *Vaticano* (D 466 694 1824-1827).

a) *In Conc.Lugdunensi,* anno 1274, de unione Graecorum, definitum est factum Primatus: «summum et plenum Primatum»; ius divinum Primatus: «quem se ab ipso Domino in beato Petro recepit»; successio in Primatu: «in Apostolorum Principe, cuius Romanus Pontifex est successor» (D 466).

396. b) *In Conc.Florentino,* anno 1493, de Orientalium unione, in decreto pro Graecis, definitum etiam est: «Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum»; vi successionis: «et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum»; et quidem iure divino: «et ipsi in beato Petro pascendi... universalem Ecclesiam a D.N.I. Christo plenam potestatem traditam esse» (D 694). Postrema huius definitionis verba: «quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum continetur», aliqui Gallicani interpretabantur sensu restrictivo, ut si diceret: «secundum illam mensuram quae ei in Conciliis concessa est»; sed haec arbitraria interpretatio a Patribus Concilii Vaticani reiecta est[6].

397. c) *In Conc.Vaticano* doctrina *Primatus iurisdictionis, iure divino, ex successione* Romani Pontificis in locum S.Petri, *de fide divina definita est* (D 1825). Ad huius definitionis plenam intelligentiam, oportet eam comparare cum schemate Patribus Concilii prius proposito:

Primum Canonis schema	*Canon reformatus et definitus*
«*Si* quis dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, ut b.Petrus in Primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse *iure divino* b.Petri in eodem Primatu successorem: A.s.» (Msi 51, 5S2).	«Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu *iure divino,* ut b.Petrus in Primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse b.Petri in eodem Primatu successorem: A.s.» (Msi 52, 1332).

398. Ut patet, tantum mutatus est locus vocum *iure divino.* Mutatio facta est iuxta sententias Patrum et secundum emendationem a Papp-Szilagyi Magno-Varadinensi, ritus rumeni, propositam; quia, ut Relator de fide declaravit, «si relin-

1-156. Cf. J.Haller, *Das Papsttum* i (1950) 1-47.470s: vide J.M.Sarabia, *Una nuevateoria sobre elorigen del Primado:* Greg 17 (1936) 596-604; H.E.Feine, *Kirchliche Rechtsgeschichte,* I. Bd. *Die katholische Kirche* (1950) 48-56.256-258.

6 Th.Granderath, *Constit.'Dogmat. Conc.Vaticani* 150-154. Cf. n.474.

quantur verba *iure divino* ut stant (in i.° schemate), posset videri configi assertum eorum, qui factum Petri tantum humanum fuisse dicunt; sic acceptat emendationem *Deputatio de fiden*7. Ergo mutatio facta est ne lectores putarent a Concilio definiri, factam a S.Petro connexionem Primatus cum Sede Romana esse iure divino.

399. Hanc doctrinam, tam aperte in Concilio Vaticano sollemni iudicio sancitam, recentiores Romani Pontifices vindicare non desinunt ut Leo XIII in *Encycl. «Sapientiae christianae»* (D 1936 a, c) et in *Encycl. «Satis cognitum»* (ASS 28,729-732). Ac nostris etiam diebus Pius XII in *Encycl. «Mystici Corporis»:* «Quoniam vero sociale eiusmodi Christi Corpus ex Conditoris sui voluntate adspectabile esse debet..., omnino necessarium est, ut in oculis omnium conspicuum adsit supremum Caput, a quo mutua invicem adiutrix omnium opera ad propositum assequendum finem efficienter dirigatur: lesu Christi dicimus in terris Vicarium... Ita divinus Redemptor Petro eiusque successoribus mandavit, ut suam in terris gerentes personam perspicibilem quoque christianae reipublicae moderationem agerent» (AAS 35,227, cf.2io.s)

Valor dogmaticus. Thesis est ergo *de fide divina sollemniter definita, praesertim in Conc.Vaticano.*

400. Probatio. In Primatu perenni iure divino semper aliquis esse debet patens S.Petri successor. Atqui nisi Romanus Pontifex sit nemo esset. Ergo in Primatu perenni iure divino Romanus Pontifex est S.Petri successor.

Mai. patet: a) *Semper* aliquis esse debet, quia Primatus est perennis, b) *Patens* esse debet, quia Primatus est suprema potestas praedita munere docendi, sanctificandi et regendi homines in communibus huius mundi condicionibus exsistentes et in societate ecclesiastica visibili coadunatos (cf. Pium XII, n.399).

Min. est probanda. Solus Romanus Pontifex semper sibi vindicavit Primatum et ab Ecclesia est ut S.Petri successor agnitus. Ergo nisi Romanus Pontifex sit, nemo esset S.Petri in Primatu successor.

401. *Antecedens.* 1) Romanus Pontifex sibi vindicavit Primatum: A) exercite; B) *signate.*

A) Exercite semper ac suam *auctoritatem supra alios Episcopos* vel supra universam Ecclesiam exercuit, quod sane innumeris omnium temporum documentis probari potest, prout in Regestis Pontificum Romanorum recensentur8.

7 F.M.Zinelli, Episcopus Tarvisinus: Msi 52,1115·

8 Ph.Jaffe, *Regesta Pontificum Romanorum* | (1885); G.Rauschen *Textus antenicacni ad Primatum Romanum spectantes:* Florilegium Patristicum 9 (1Q14); J.Madoz, *El Primado Romano:* Fuentes y Documentes (1936). Cf. A.M.Stickler, *De Primatu romano historia collectionum Iuris Canonici illustrato:* MonitEccl 79 (i954) 409-425·

Exempli gratia:

S.Clemens Romanus (ca.96) in componendo schismate Corinthiaco (D 41).

S.Stephanus (ca.257) in quaestione de rebaptismo (D 46-47 cum nota).

S.Iulius I (a.341) in epistola ad Antiochenos (D 57 a).

S.Siricius (a.385) in epistola ad Himerium Ep. Tarraconensem (D 87).

S.Innocentius I (a.417) in epistola ad Ep.Africanos (D 100; cf. etiam R 2014).

402. B) Signate, seu verbis expressis, inde praesertim a saeculo V, Rom.Pontifex sibi vindicat Primatum.

Exempli causa:

S.Zosimus (a.418) ad Episcopos Africae, approbans eorum doctrinam contrariam haeresi pelagianorum (D 109).

S.Bonifacius I (a.422) ad Rufum et caeteros Episcopos Macedoniae (D 5000s).

S.Caelestinus I (a.431) ad Episcopos euntes ad Conc.Ejhesinum (R 2018).

S.Leo M. (a.446) ad Episcopos Viennae et Thesalonicae (Kch 891-896).

S.Gelasius I (a.495), agens de Sedium Patriarchalium primatia (D 163).

S.Hormisdas (a.517), celebri sua formula subscripta ab Episcopis Orientis.

Pelagius I (a.560) ad quemdam Episcopum schismaticum scribens (D 230).

Hadrianus I (a.785) ad Patriarcham Tarasium et ad Conc.Nicaenum II (D 298).

S.Nicolaus I (a.865) ad Imperatorem Michaelem contra Photium (D 332-333)·

S.Leo IX (a. 1053) adversus schismaticum Michaelem Cerularium (D 35>-353)·

Clemens VI (a. 1351) ad Consolatorem Catholicon Armenorum (D 570 d-h).

Benedictus XIV (a.1743) professio hdei Orientalibus praescripta (D 1473).

Pius IX (a.1864) adversus naturalismum et communismum (D 1698).

Longe plura recenseri poterant testimonia, quibus Romani Pontifices sibi, *exercite* vel *signate,* Primatum vindicant. Quaedam citavimus ex iis quae in *Enchiridio* collecta sunt. Eis addi potest Benedictus XV (a.1917) in *Codice luris Canonici,* in quo praeclare Romanus Primatus vindicatur (CIC 218,219), nec non Pius VII (a. 1801), qui *Litt. Apost. «Qui Christi Domini vices»,* omnes simul Galliae Episcopos omni iurisdictione privavit (BR [T] 35,215-228).

403. Antec. 2) Romani Pontificis Primatus est ab Ecclesia agnitus: A) *theoretice;* B) *practice.*

A) Theoretice. S.Ignatius Mart. Antiochenus (ca.107) in epistola ad Romanos, Ecclesiam Romanam salutat, eam magnificentissimis epitetis prae aliis extollens, quibus singularem eius praeeminentiam implicite agnoscit (R 52). Haec salutatio non solum sollemnitate, sed etiam formae novitate, longe superat alias salutationes, quibus ipse S.Ignatius reliquas Ephesi, Magnesiae," Trallium, Philadelphiae, Smyrnae, Ecclesias laudat 9.

Praeeminentiam Romanae Ecclesiae S.Ignatius praesertim exprimit, dum ait: «Quae praesidet in loco regionis Romanorum... praeposita caritati, Christi legem habens, Patris nomine insignita». Duae imprimis sententiae explicandae sunt, quae sermone graeco hae sunt: προκἀθηται tv τόπω χωρίου 'Ρωμαίων, et προκαθήμενη τή αγάπη .

404. In harum sententiarum interpretatione duplex praesertim distinguitur tendentia: 1.» Eorum, vel maxime *acatholicorum,* qui sensum verbi προκαθήσθαι latius interpretantur, vocem vero αγάπη strictius; unde concludunt, S.Ignatium tantummodo testari. Ecclesiam Romanam eminere in virtute vel operibus caritatis. Hanc interpretationem propugnaverunt Zahn, Lightfoot et essentialiter etiam Harnack lo. 2.s Eorum *generatim catholicorum,* qui verbum προκαθήσθαι interpretantur stricte, vocem vero αγάπη latius; unde inferunt S.Ignatium attestari, Romanam Ecclesiam *regere coetum* caritatis, id est universam Christi Ecclesiam. Pro hac interpretatione conferri possunt, Funk, Wilmers, Chapmann, Zapelena, alii ".

405. Igitur sententiae ita interpretandae sunt, ut quam fidelissime reddant sensum ab ipso S.Ignatio intentum, quem, ut nobis videtur, bene enodavit J.Thielen ›2. Quare a) προκαθήσθαι vi nativa verbi, usu profano ac sacro, et apud ipsum S.Ignatium, locis citatis, habet suam propriam significationem: significat nempe *praesidere, regimen tenere,* ut in epistola ad Magnesios (R 44) «Episcopo praesidente προκαθημένου loco Dei», b) 'Αγάπη vox est, quae apud S.Ignatium, intra propriam vocis significationem, *pleniorem* tamen *sensum* induit. Sub ea enim S.Ignatius comprehendit omne id quod ad vitam Christianam pertinet, et quidem sub omni eius adspectu sive sociali, sive doctrinali, sive spirituali, sive religioso in cultu praesertim eucharistico exhibito. Ünde patet voce αγάπη S.Ignatium intelligere *etiam* coetum *fidelium,* quem ulterius expresse significat in epistolis ad Tral 3,2; 13,1; ad Rom 9,3; ad l'hilad 11,2 *2. c) Notandum est προκαθήσθαι construi cum

» F.X.Funk. *Patres Aposlolici* 1,212-313.

1« Th.Zahs, *lunatius von Antiochien* (1873); Id., Patrum Apostolicorum opera: *Ignatii* epistolae (1876): J.B.Lichfoot, *Apostolic Fathers: S.Ignatius* (1885); A.Harnack, *Das Zeugnis des Ignatius über das Ansehen der romischen Gemeinde:* SitzBPAkadWiss (1896) ιητ-131.

11 J.Ghapman, *S.Ignace et l'Eglise Romaine:* RevBén 15 (1896) 385-400: F.X.Funk, *Kirchengeschichlliche Abhandlungen und Untersuchugen* l (1897) 1-12; Van Laak, *Instit. Theol. Fundam. De Ecclesia* (1911) 11.108-113; I.Ottiebk. *De Ecclesia* p.626-630; G.Wilmers, *De Ecclesia* n.123; T.Zapelena, *De Ecclesia* th.10 (1950) p.287-294.

12 J.Thielen,Worrarig *in der Liebe.* Eine Untersucliung über προκαθήμενη τή αγάπη : ThGI 19 (1927) 701-709: Pius XII, *Solenne udienza dei Parrochi di Roma:* «S.Ignazio alia Chiesa di Roma dava già il titolo di προκαθήμενη τη αγαπη : espressione in oui, Ira l'altro, si manifesta un riconoscimento onorcvole c nobile della carità di lei, vale a dire che essa ha il primato (anche) nell'amore» (LOsservatore Romano 7 febr. 1940).

1» F.X.Funk, *Patres Apostolici* l p.244.250.262.274.

genitivo vocis significantis vel locum vel coetum in quem regimen exercetur, secus significare absolute et indeterminate *regere.*

406. Unde *a)* S.Ignatius sententia προκάθηται ἐν τόπω χωρίου 'Ρωμαίων significat Ecclesiam Romanam «Praesidere in loco regionis Romanorum». Id est, Ecclesia Romana praesidet absolute et indeterminate *sine limitatione loci* quia *iv* τόττω designat locum, non in quein, quia non est in genitivo, sed *ex quo* vel in *quo* regimen exercet.

407. Unde *b)* S.Ignatius sententia ττροκαβημένη τή ἀγάπη significat Ecclesiam Romanam «praepositam esse caritati, seu *regere universam Christianorum* vitam», non solum socialem et iuridicam, sed etiam doctrinalem, sacramentalem, liturgicam, etc. Id est Ecclesia Romana regit simpliciter et sine ulla limitatione fideles Christi.

408. Atqui *c)* S.Ignatius expresse asserit, *Ecclesiam sine Episcopo non dari* (R 49 65). Ergo concludendum est eum hanc potestatem Romano Episcopo tribuere. Tamen regimen absolute et indeterminate asserit de Ecclesia Romana, quia talis ac tanta auctoritas Romano Episcopo competit, non ratione Episcopatus, sed ratione successionis S.Petri in Sede Apostolica, cuius est Episcopus (cf. R 54).

409. *Confirmatur* S.Ignatium docere primatialem Romani Episcopi auctoritatem: *a)* quia dicit eum «Christi legem habere» (R 52); hoc autem consonat cum primitivis Christianorum monumentis, in quibus collatio Primatus significatur figura Christi legem S.Petro dantis, *b)* Quia Ecclesiae Romanae competere agnoscit potestatem «docendi, praecipiendi, regendi» alias Ecclesias (R 53 55). *c)* Quia Ecclesiam Romanam dicit «Patris nomine insignitam», hoc autem indicat, in stylo S.Ignatii, eam summa praeeminentia insignitam esse.

Conclusio: Ergo in iis, quae scribit S.Ignatius, implicita continetur agnitio Primatus Romani Episcopi, quia sine ulla locorum et personarum limitatione asserit, Romanam Ecclesiam universae Christianorum vitae regimen tenere.

410. 2) S.Irenaeus (ca. 180) attestatur, supremam Ecclesiae auctoritatem Romanae Sedi competere ratione doctrinae. Atqui in Christi Ecclesia una est suprema auctoritas sub omni ratione. Ergo S.Irenaeus implicite attestatur supremam Ecclesiae auctoritatem Romanae Sedi competere sub omni ratione.

Mai. probatur, quia S.Irenaeus tenet ut axioma, consensum universae Ecclesiae in doctrina suprema auctoritate pollere (R 209 210). Atqui ulterius asserit, consensum universae Ecclesiae *necessario* aequivalere testimonio solius Romanae Ecclesiae (R 210 213). Ergo S.Irenaeus attestatur, supremam Ecclesiae auctoritatem Romanae Sedi competere ratione doctrinae.

411. *Necessitatem,* quam asserimus in minori, S.Irenaeus exprimit his verbis: «Ad Romanam enim Ecclesiam, propter potentiorem principalita-

tem, *necesse est* omnem convenire Ecclesiam» (R 210). Iam vero talis necessitas, iuxta varias auctorum sententias, intelligi potest vel *moralis* vel *logica;* Si S.Irenaeus affirmat necessitatem moralem, tunc tenet universam Ecclesiam moraliter obligari ad assentiendum Romanae Ecclesiae; si autem affirmat necessitatem logicam, tunc tenet, ex Romanae Ecclesiae doctrina logica necessitate inferri eandem esse universae Ecclesiae doctrinam, quod fieri nequit nisi supponatur auctoritatem Romanae Ecclesiae parem esse auctoritati universae Ecclesiae. Ergo in primo casu formaliter in altero aequivalenter attestatur S.Irenaeus auctoritatem Romanae Sedis esse supremam 14.

412. 3) Tertullianus (ca.210) agnoscit in genere singularem Romanae Ecclesiae eminentiam et plenitudinem (R 297). Ulterius fatetur sententiam a Romano Episcopo latam, ab universa Ecclesia agnosci (Kch 218 bis). Tandem iam Montanista factus, sibi persuadere conatur, Primatum in universam Ecclesiam esse personale privilegium soli S.Petro a Christo concessum (R 387).

413. 4) S.Cyprianus (ca.252) Ecclesiae unitatem contra schismaticos propugnans, «una inquit Ecclesia et Cathedra una super Petrum Domini voce fundata», atque sedem Romanam appellat «Petri Cathedram et Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est» (R 573-575 580). Huic parem terminologiam adhibet S.Cyprianus in tractatu *De Ecclesiae unitate* (R 555).

In accurate determinanda doctrina S.Cypriani de Primatu Romano non consentiunt auctores. Dici saltem potest, eum theoretice profiteri, Romanum Episcopum, propter Petri successionem, esse unitatis originem et centrum. De potestatis primatialis plenitudine non videtur attigisse totam vim; semper autem praesupponit et docet, Romanae Sedi praerogativam e S.Petro derivatam competere, quae nulli alii Sedi attribui potest, vi cuius catholica unitas, ita ex Romano Episcopo pendet, ut non nisi per ipsum, ex ipso et cum ipso obtineri possit15.

414. 5) *Anonymus adversus aleatores* (ca.260) clare Primatus ideam exhibet: «Nobis, inquit, divina et paterna pietas Apostolatus ducatum contulit et vicariam Domini Sedem caelesti dignatione ordinavit et originem authentici Apostolatus, super quem Christus fundavit Ecclesiam, in superiore nostro portamus, accepta simul potestate solvendi et ligandi» (Kch 310).

14 Cf. H.Diecksîann, *De Ecclesia* 0.7545.771 ; D.van de Eynde, Les *normes de renseignement chrétien* (1933) 165-187; T.Zapelena, *De Ecclesia,* Le., p.295-308.

15 M.d'Herbigny, *De Ecclesia* n.300; J.Chapman, *Studies on the early Papacy: St.Cyprian on the Church* (1928) c.2; P.Batiffol, *Cathedra Petri* (1938) 135-150; T.Zapelena, *De Ecclesia* I (1950) 313-343; E.Caspar, *Gcschichte des Papsttums* / (1930) 72-79, exaggerat cum tenet, S.Cyprianum theoriae Primatus Romani inventorem esse; P.Batiffol, *L'Eglise naissante et le Catholicisme (1927)* c.8 excur.E p.440-447; O.Perler, Le «De *unitate» de S.Cypricn interprété par S.Augustin:* Augustinus Magister (1954) 835*858-

6) S.Optatus Milevitanus in Africa et Prudentius in Hispania (ca.370) eandem doctrinam profitentur. S.Optat. (R 1242). Prudentius vero scribit: «Da, Christe, Romanis tuis,—Sit christiana ut civitas:—Per quam dedisti ut caeteris—Mens una sacrorum foret.—Confoederentur omnia—Huic inde membra in symbolum». Et alibi: «Una fides vigeat prisco quae condita templo est, -Quam Paulus retinet, quamque cathedra Petri» 16.

415. 7) S.Hieronymus (ca.376) interrogatus circa quaestionem dé antiocheno schismate, in quo S.Basilius defendebat Meletii partes, contra vero S.Athanasius Paulin! iura propugnabat, respondet in epistola ad Papam Damasum: «Ego, inquit, Cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit» (R 1346). Conferri etiam possunt testimonia S.Ambrosii (R 1261) et S.Augustini (R 1507).

416. B) Practice agnitus Primatus. 1) *In Oecttmenicis Conciliis:*

a) In Conc.*Ephcsino,* de causa Nestorii, sub Caelestino I (a.431; D 112).

b) In Conc. *Chalcedonensi,* contra Monophysitas, sub Leone I Magno (a.451; D 143 nota 3 et 149)17.

c) In Conc.*Lateranensi IV,* in causa Waldensium et Albigensium, sub Innocentio III (a.1215; D 436).

d) In Conc.*Lugdunensi II,* de unione Graecorum, sub Gregorio X (a. 1272; D 466).

e) In Conc.*Florentino,* de unione Orientalium, sub Eugenio IV (a. 1439; D 694).

f) In *Conc. Lateranense V,* de moribus et disciplina in Ecclesia instaurandis, sub Leone X (a. 1516; D 740) 18.

g) In Conc. *Vaticano,* de fide catholica et de Ecclesia, sub Pio IX (a.1870; D 1824-1826).

16 Prudentii testimonium, apud Z.Garcia-Villada, *Historia eclesiastica de Espana* 1,1.* p.22T. Alia cx Hispana Ecclesia testimonia, apud A.C.Vega, *El Primado Romano en la Iglesia espanola desde sus origenes hasta el siglo VII;* necnon apud J.Madoz, *El Primado Romano en Espana cn el siglo isidoriano:* ambo in RevEspT 2 (1942) 63-99229-255.

17 Cf. M.d'Herbigny, *De Ecclesia* n.286-293 et 308, ubi ample exponuntur argumenta desumpta cx Conciliis *Ephesino* et *Chalcedonense.* Pius XII, *«Sempiternus Rex»; AAS* 43 (1951) 631SS: «Romani Pontificis Primatus e gravissima fidei christologica controversia aperte eluxit» *(l.c..* 626). A.Grillmeier-H.Bacht, *Das Konzil von Chalkedon* 2 vol. (1951-1953).

18 *Conc.Tridentinum* Primatum Romani Pontificis tota sua agendi ratione aperte praesupponit, prout tenet Ph.Alonso-Bârcena, *El Primado Romano en ei Conc. de Trento:* RazFc 131 (1945) 397-428. Cf. H.Grisar, *Die Frage des Pâpstlichen Primats auf dem Tridentinum:* ZkathTh 8 (1884) 453*507: G.Glez, *Pirmauté:* DTC 13.319-327.

417. 2) *Occasione controversiarum de diversis quaestionibus:*

a) *In Corinthiaco schismate* (ca.96), S.Clemens Romanus primatiali auctoritate submissionem iniungit. Nam superstitibus loanne Apostolo et discipulis S.Pauli, Corinthiacae Ecclesiae fundatoris, S.Clemens ad Apostolicam ecclesiam scribit, et quidem non rogatus, sed officio motus, acriter reprehendens, oboedientiam iniungens, eamque exigens per legatos quos mittit (D 41; R 25 27 29). Atqui S.Dionysius Corinthiacus (ca.170) et Clemens Alexandrinus (ca.200) attestantur, epistolam a S.Clemente esse scriptam, Ecclesiam vero Corinthiacam oboedientiam praestitisse, adeo ut magna veneratione eadem epistola frequenter in ecclesia legeretur, fere ut si sacra Scriptura esset. Ergo apostolica Ecclesia Corinthiaca practice agnovit primatialem auctoritatem Romani Episcopi ,y.

418. b) *In controversia de die Paschatis* (ca.190), S.Victor Romanus Episcopus Concilia indixit ut ab Ecclesiis celebrarentur. Ex Conciliorum actis novit Pascha fere ubique celebrari iuxta romanum morem, id est, prima dominica die quae occurrit post diem 14 mensis Nisam, secundum traditionem ab Apostolis acceptam. Attamen didicit solas Asiae Ecclesias Pascha celebrare duobus diebus post 14 diem mensis Nisam, iuxta traditionem quam dicebant a S.loanne Apostolo acceptam. Iis cognitis S.Victor decernit ut universa Ecclesia Pascha celebraret iuxta romanum morem, atque Asiae Ecclesias aliter sentientes «ab unitate Ecclesiae alienas esse pronuntiat» (Kch 97 100). Atqui nemo tunc S.Victori hoc ius primatialiter decernendi denegavit, quamvis aliqui, ut S.Irenaeus, eum ab hoc decreto exequendo dissuaderent. Ergo practice tunc primatialis auctoritas Romani Episcopi agnoscebatur [19].

419. c) In quaestione *de rebaptizandis haereticis* (ca.257) S.Stephanus Romanus Episcopus auctoritate primatiali quid esset tenendum decrevit. Nam Carthagine sub Agrippino (ca.220), Caesareae Cappadociae sub Firmiliano (ca.230), et tandem sub S.Cypriano Carthagine (ca.255-256), *quinque Episcoporum Concilia* celebrata sunt, quorum tribus postremis praefuit S.Cyprianus. Quinque haec Concilia baptisma haereticorum invalidum declaraverunt. Quare *S.Cyprianus definitivam postulat a S.Stephano Romano Episcopo conciliaris sententiae con-*

19 Cf. T.Zapelena, *De Ecclesia* 1 (1950) 279-287, ubi etiam interpretatio testimonii S.Clementis refutatur, quam proposuit R.van Cauwklaert in RevHistEccl 31 (1931) 267-305.

30 Cf. H,Dieckmann, *De Ecclesia* n.524, circa controversiam dc die Paschatis.

firmationem. S. vero Sthephanus auctoritative respondet: «Nihil innovetur, nisi quod traditum est» (D 46). In eodem sensu scripsit ad Episcopum Firmilianum, eique reluctanti excommunione comminatur (D 47 nota; Kch 309). Atqui S.Stephani sententiam omnes tandem sequuti sunt, quamvis initio, propter practices difficultates, eius exsecutio aliquatenus impediretur. Ergo primatialis S.Stephani auctoritas practice agnita est.

420. d) *In appellatione ad Romanum Episcopum* contra synodorum sententiam. Basilides Episcopus ab hispanorum Episcoporum synodo de Sede Asturicensi depositus est (ca.256). S.Stephanus Romanus Episcopus Basilidis recursum accipit et eum «reponi iubet in Episcopatu de quo fuerat depositus». Tunc hispani Episcopi ad S.Cyprianum accurrunt, non sententiam petentes, sed solum ut eis esset «vel solatio vel auxilio». S.Cyprianus respondet, sententiae Stephani executionem esse differendam, donec Romanus Episcopus de factorum veritate plenius cognitor fieret. Unde patet agnitam fuisse Romani Pontificis auctoritatem ad decernendum etiam contra synodalem sententiam Episcoporum aliarum provinciarum 21.

421. e) In *controversia Ariana* (a.325-381) plura Primatus Romani indicia patefiunt, quae si simul sumantur cum difficillimis illis rerum et personarum adiunctis, validum sane ac certe probativum argumentum subpeditant.

In r.° *Concilio oecumenico, Nicaeno I* (a.325), S.Silvester I praeest per suos legatos, quamvis Episcopi ultra 300, coadunati ad decernendum de causa Arii, fere omnes essent orientales. In hoc Concilio arianos «anathematizavit Catholica Ecclesia» (D 54), quo eius oecumenicitas aperte significatur.

Ad S.Iulium I (ca-34t) utraque contendentium pars appellavit. Pontifex vero, causa cognita, sententiam conc. Antiocheni cassavit, S.Athanasium ab arianorum accusationibus absolvit decretis editis in Conciliis Romano et Sardicensi (a.341 et 343), in quibus sibi etiam reservavit Episcoporum causas decidendas (D 57 a-e).

422. S.Liberius, innumeris vexationibus ab Imperatore Constantio et ab Arianis afflictus, tandem post mortem Imperatoris (a.361) ab exilio redux, arianam formulam Constantinopoli editam (a.360), auctoritative damnat, et (a.366) 59 Episcopos abiurantes absolvit et recipit.

S.Damasus (a.369) semiarianum Concilium Riminense (a.359) condemnat, atque fidei formulam promulgat ab omnibus Orientis Episcopis subscribendam, quam subscribentes Episcopi, S.Damasi auctoritatem Primatus agnoscunt. Imperator Theodosius (a.380) Edictum de fide catholica in favorem S.Damasi promulgat (Kch 828).

423. *In 2° Concilio oecumenico, Constanlinopolitano I* (a.381), Orientis Episcopi formulam fidei, adversus Arianos in Concilio Nicaeno I (a.325)

21 S.Cyprianus, Epist. 67: CSEL 3,2.°.735; ML 3,1057. Cf. Z-Garcla-Villada, *l.c.*, P.2I5SS.

editam, sollemniter profitentur, eamque contra Macedonianos perficiunt (D 85 86). Hac ratione sub S.Damaso finita tandem est quaestio ab Ario inchoata, cuius occasione practica agnitio Primatus Romani Episcopi patefacta est 22.

424. f) *In controversia Priscilliana* (a.380-447) Primatialis Romani Episcopi auctoritas, ab hispanis Episcopis practice agnita, facile ostendi potest.

S.Damasus (a.380) Episcopis hispanis et Priscilliano ad eum recurrentibus respondet, neminem ut reum licere condemnare, qui non fuerit in iudicio prius auditus. Utraque pars agnovit S.Damasi auctoritatem ad hoc decernendum, quamvis plures hispani Episcopi putarent hoc non esse necesse.

S.Siricius (a.396), Priscillianismo revirescente, ad Episcopos Caesaraugustani Concilii, efficaciora ab eo remedia postulantes, respondet accuratius determinando condiciones abiurationis et absolutionis Priscillianistarum.

425. S.Innocentius I (a.404) Episcoporum recursum ad eum contra Priscillianistas iuxta S.Siricii formam reconciliatos, reficit, priorem S.Siricii sententiam confirmat et eos, qui se subiicere renuant auctoritative damnat.

S.Leo I (a.447) Episcopis contra Priscillianistas ubique pullulantes ad eum recurrentibus, respondet: *Sexdecim articulis Priscillianismum condemnat,* atque *praecipit* ut, coactis in Hispania Episcoporum Conciliis, formulam a se missam Episcopi omnes subscribant. Mandatis S.Leonis oboedientes Episcopi practice Romani Pontificis Primatum agnoscunt 23.

426. g) *In quaestionibus de disciplina Ecclesiae Tarraconensis,* S.Siricius (a.385), ut successor S.Petri in Romana Sede; quaesitis ab Himerio Tarraconense Episcopo propositis S.Damaso, S.Siricii praedecessori, auctoritative respondet, et plura, quae ad reformationem et disciplinam Ecclesiarum Hispaniae pertinebant, cum auctoritate decernit et ordinat (D 87-90).

Ex iis, quae praecedunt, iam concludere possumus: Romani Episcopi Primatum, occasione controversiarum de diversis quaestionibus, practice et aperte esse ab Ecclesia agnitum 24.

22 Simili ratione argui posset ex controversiis *Meletiana, Pelagiana* et *Nestoriana: cf.* M.d'Herbigny, *De Ecclesia n.305-308.*

23 Cf. Z.García-Villada, *Hist. Edes. de Espana* 1,1.* p.224-228.

24 H.Scott. *The eastern Churches and the Papacy (1928)* 350s, licet anglicanus, totius operis conclusionem exprimit dicens: «Inde saltem ab anno 180 usque ad 891 universa Ecclesia unanimiter credidit, Christum S.Petro contulisse supra reliquos Apostolos auctoritatem eandem quam Romani Pontifices obtinent, ut veri S.Petri successores». Fr.Heiler, *Urkirche und Ostkirche* (1937) 220-223, Romanum auctoritatis primatum probat ex Conciliis, Patribus et Liturgiis. Nuperrime protestanticus R.Baumann, *Des Petrus Bekenntniss und Schluessel* (1950). agnoscit, Christum apud Mt 16,17-19 constituisse Petrum suae Ecclesiae fundamentalem *petram,* huiusque officium perduraturum in Petri successoribus usque ad consummationem saeculorum. Fatetur Romanum Pontificem iure tenere claves Petro in perpetuum collates iuxta Evangelia. Conclûdit: Evangelium valet pro omni tempore; sumusne nos evangelici in hac re Evangclio oboedientes necne? (PP·34·36·39·48.IO5.I43.I54-I57·I77·228). Cf. D.Grasso: CivCatt (1951,4) 637-650. Valde etiam accedit ad agnitionem conclusionum Historiae auctorum catholicorum, de Primatu Romani Pontificis, historicus anglicanus T.GJalland, *The Church and the Papacy* (London 1944).

4Z7· Scholion i. Romanus Pontifex iure divino Primatum Ecl esiae

a.1053 S.Leo IX (D 351-353).
a. 1351 Clemens VI (D 570 d-h).
a. 1743 Benedictus XIV (D 1473).
a. 1864 Pius IX (D 1698).

a.1272 Conc.Lugdunense II (D 466).
a. 1439 Conc.Florentinum (D 694).
a. 1516 Conc.Lateranense V (D 740).
a. 1870 Conc.Vaticanum (D 1824-26).

a.396 sub S.Siricio.
a.404 sub S.Innocentio I.
a.447 sub S.Leone I Magno.
a.385 de disciplina Tarraconensi.

428. Scholion 2. *Primatus probatio independens a facto et a iure Romani Petri Episcopatus.* Notandum imprimis est, demonstrationem Primatus Romani Pontificis, quam adhibuimus, independentem prorsus esse tum *a facto romanae commorationis S.Petri,* tum *a iure quo S.Petrus Primatum cum Romano Episcopatu coniunxit.* Hanc probandi rationem iam S.Robertus Bellarmino excoluit et adhibuit, cuius doctrinam Pius XI commendavit scribens: «Eximia autem laus est S.Roberti, quod iura privilegiaque Summo Pontifici divinitus collata... et invicte probavit et eruditissime contra adversarios tuitus est. Talis propterea ad nostra usque tempora apparuit Romani Pontificis auctoritatis defensor, ut scriptis eiusdem sententiisque Patres etiam Concilii Vaticani quam maxime uterentur». Et re quidem vera *Vaticanum Concilium* hanc demonstrandi Primatum rationem commendavit, et in eo Patres, S.Bellarmini auctoritate innixi, saepe inculcaverunt, quaestionem successionis in Primatu independentem esse *a facto* et *a iure* Romani S.Petri Episcopatus 2S.

429. Scholion 3. S.Petrus Romae commoratus est et martyrium obiit.

Cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.484-496; H.Lietzmann, Petrus und Paulus in *Rom* (1927); Id., Petrus *romischer Mdrtyrer* (1936); A.St.Barnes, *The martyrdom ofSt.Paul* (1933); O.Marucchl *Pietro e Paolo a Roma* (1934); Ü.Holzmeister, *Comment.* in epist. i Petr (1937); B.Altaner. *War Petrus in Rom?:* ThRcv 36 (1937) 177-188; E.Metzner, *Die Petrus Tradition und ihre neuesten Cegner* (1937); C.Alcermissen, *La Chiesa e le Chiese* (1944) 160; Lercher-Schlagenhaufen (194S) th.34; *Esplorazioni sotto la Confessione di S.Pietro* (1951) I p.2 c.2: La memoria apostolica, p.119-144; E.Kirschbaum: StZt 144 (1949) 292-303; 150 (1952) 321-332.401-410; O.Cullmann, *Saint Pierre* (1952).

430. *Romana S.Petri commoratio* eiusque in Urbe martyrium sunt facta quae ad Ecclesiasticam Historiam spectant. Haec facta negaverunt, cum pluribus antiquioribus Protestantibus, praesertim auctores scholae historico-criticae tubingensis (Baur, Strauss, Zeller, alii). Recentius, saeculo nempe XX, etiam ab acatholicis communiter haec facta admissa sunt (Hilgenfeld, Weizsàcker, Hamack, Lietzman, Caspar, alii). Tamen ultimis deceniis aliqui acatholici iterum negantem sententiam propugnaverunt (Bauer, Haller, Heussi, alii) 26.

431. *Testimonia praecipua,* quibus historice demonstratur romana S.Petri commoratio, recenseri solent haec, quae sequuntur: S.Petrus: i Petr 5,13; cf. Apoc 14,8; 16,19; 17,5.9; Coi 4.10; Philem 24. S.Marcus, discipulus S.Petri (1 Petr 5,13), qui Romae ca.60-63 commoratus est (Coi 4,10; Philem 24), a Romanis enixe rogatus scripsit suum Evangelium, iuxta praedicationem, quam viva voce a S.Petro audierant Romani, prout attestatur Papias (Kch 426s; cf. R 652). S.Clemens (ca.96) Cor 5,4 (R 11). S.Ignatius (ca.107) Rom 4,3 (R 54). S.Dionysius Corinthiacus (ca.170) (Kch 60). Gaius presbyter (ca.200) (Kch 137 138). S.Irenaeus (ca.200) (R 208 210). Clemens Alexandrinus (ca.210) (R 439). Tertullianus (ca.220) (R 297.341; Kch 216). Origenes (ca.250) (Kch 428). Ex his testimoniis S.Petri martyrium referunt S.Clemens, S.Dionysius, Gaius presbyter, Tertullianus et Origenes.

25 Pius XI, *Litt. Apost. tProvidentissimus* Deus»; AAS 23 (1931) 435-436; S.Rob.Bellar-MiNO, *Controv.* 3 1.2 c.12; Msi 51.552.969.972; 52,10.31.1097.1115.1118.1307.

26 Cf. Ch.Pesh, *Praelectiones dogmaticae l* 11.465-476; B.Altaner, War *Petrus in Rom?:* ThRev 36 (1937) I77ss; E.Kirschbaum, *Die Ausgrabungen unter der Peterkirche in Rom:* StZt 144 (1949) 292-303; *Das Petrusgrab:* StZt 150 (1952) 321-332,401-410.

432. Hoc autem *testimonium confirmant* innumera archaeologica monumenta, quae Romae exhibent S.Petrum Evangelium praedicantem romanis, seu facientem virga sua ut e petra scaturiant aquae, quas romani hauriunt. Mortuum autem Romae esse S.Petrum demonstrant ea quae nuper ad Catacumbas prope basilicam S.Sebastiani in via Appia reperta sunt; ex quibus archaeologi concludunt, inibi ante annum 258 sepulta reperiri corpora vel memoriam celebrari Sanctorum Petri et Pauli. Supersunt enim bis centies in parietibus exarata Apostolorum nomina et invocationes, quibus eorum memoriam in illo loco peregrinantes fideles honoraverunt[27]. Primitivi vero sepulcri S.Petri exsistentia in Vaticano nuperrime comprobata esse videtur peritorum indagationibus quibus detectum est «Tropaeum» Petri de quo loquitur Gaius (Kch 138): *Esplorazioni sotto la Confessione di S.Pietro* (1951) I p.119-144.

433. Scholion 4. Romanus S.Petri Episcopatus.

I.Ottiger, *De Ecclesia* th.16 p.574-594; A.Straub, *De Ecclesia* th.15 0.511-541 : H.Dieckmann, *De Ecclesia* th.20 n.497-506; P.Batiffol, *Cathedra Petri* (1938), *Natale Petri de Cathedra* 399-404.

Romrtnutn *S.Petri Episcopatum* unanimes negant omnes acatholici inde a medio saec.XIX, prout facile infertur ex iis quae diximus in th.8 de Episcopis Apostolorum successoribus. Ex eis Lightfoot, Hamack et Caspar sunt qui graviores adversus Romanum S.Petri Episcopatum difficultates protulerunt 28.

434. *Concilium Vaticanum* supponere videtur factum Romani S.Petri Episcopatus, sed de eo expresse non egit (cf. D 1824). Iam vero scimus: 1) *S.Petrum esse Apostolum,* seu missionis Christi immediatum continuatorem; 2) eundem *S.Petrum esse Primatem,* seu in universa Ecclesia unicum Christi Vicarium supremum; 3) *Romae degisse* ibique Evangelium praedicasse. Ex hoc 3) non immediate sequitur *eum fuisse Romanum Episcopum,* seu sibi reservasse administrationem particularis Romanae Ecclesiae; *nec ratione Apostolatus,* quia etiam S.Paulus Apostolus Romae commoratus est et Evangelium Romanis praedicavit, quin tamen Romanus Episcopus proprie dicatur; nec *ratione Primatus,* quia etiam Papae Avenionenses Primatum habebant, quin tamen eo ipso semper sibi reservaverint Avenionensem Episcopatum 29.

435. Romanus ergo S.Petri Episcopatus est factum, quod argumentis positivis probari debet. Probatur autem praesertim ex catalogis Episcoporum Romanorum, qui ad nos usque pervenerunt. Hegesippus (ca.160: R 188); S.Irenaeus (ca.180: R 2tos; cf. Kch 117 126); Tertullianus (ca.200: R 296); Hippolytus (ca.220: Dieckmann n.503); S.Cyprianus (ca.252: R 575 580); Eusebius Caesariensis (ca.300: Kch 421); *Catalogus Laberianus* (a.354; Kch 545); *Poema adv.Marcionem* (ca.365: R 897); Optatus Milevitanus (ca.370: R 1242); S.Epiphanius (ca.375: R 1092); S.Hieronymus (ca.377: R 1346); S.Augustinus (ca.400: R 1418); S.Petrus Chrysologus (ca.449: R 2178); cf. Liber *Pontificalis* (ca.530: Kch 1003s).

27 Cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.494-495; H.Lietzmann, Petrus *und Paulus in* Rom (1927) c.ro p.145-168; In., *Petrus rômischer Mdrtyrer* (1936).

28 I.B.Lichtfoot, *The Apostolic Fathers* l (1890) soiss; A.Harnack, *Geschichte der altchristliche Literatur: Chronologie* (1904) 1,7035s; E.Caspar, *Die dlteste romische Bischofsliste* (1926).

29 Cf. C.Eubel, *Hierarchia catholica medii aeui* (1913) 123, *Avinionen* nota 10.

436. Ex iis testimoniis Romanum Episcopum dicunt fuisse S.Petrum expresse, sive formaliter sive aequivalenter, S.Cyprianus, *Poema adv. Marcionem,* S.Epiphanius, Eusebius, *Catalogus Liberianus,* Optatus Milevitanus, S.Hieronymus, S.Augustinus, S.Petrus Chrysologus, *Liber Pontificalis.* S.Hieronymus alibi ait: «Clemens quartus post Petrum Romae Episcopus siquidem secundus Linus»; unde primus Episcopus Petrus 30. Caetera dicenda sunt implicita testimonia Hegesippi nempe, S.Irenaei, Tertulliani, Hippolyti; quamvis S.Irenaeus in uno loco ait S.Hyginium nonum Episcopum fuisse, quod supponit S.Petrum fuisse primum (Kch 117), alibi autem eundem Hyginium appellat octavum Episcopum (Kch 126).

437· Verum est antiquissimos catalogos S.Petrum Episcopis Romanis non adnumerasse, scribentes primum Episcopum post S.Petrum fuisse Linum; sed hoc non negat S.Petrum fuisse Episcopum, cum successio ab ipso initium sumat; hoc solum vult significare S.Petrum quodammodo supra aliorum ordinem esse, eo quod ipse fuerit Romanae Cathedrae fundator, Primas et Apostolus.

Urgent adversarii testimonia antiqua efferre S.Petrum et S.Paulum pariter fundatores Romanae Ecclesiae, atque inde pariter Episcopos habendos esse, ut expresse Epiphanius: «Petrus, ait, et Paulus Apostoli pariter atque Episcopi fuerunt Romae primi» (R 1092). Ad hoc dici debet, reliqua omnia quae attulimus testimonia successionem cathedrae Episcopatus a S.Petro deducere, S. vero Epiphanium voluisse, loco citato, inculcare originem apostolicam romanae successionis, vocem autem Episcopi non adhibuisse in sensu technico, sed etimologico.

Tertullianus autem qui accurate et iuridice loquitur, solum S.Petrum commemorat dicens: «Romanorum Clementem a Petro ordinatum» (R 296).

438. Romanus denique S.Petri Episcopatus comprobari potest ex archacologicis monumentis, ex quibus apparet, S.Petrum haberi ut verum Cathedrae Romanae Episcopum, eiusque relationem ad particularem Romanam Ecclesiam esse omnino peculiarem, qua S.Paulus non gaudet3132

439. Scholion 5. De natura iuris quo S.Petrus Primatum cum Romano Episcopatu coniunxit.

S.Th., 3 q.35 a.7 ad 3; Suarez, *De fide* d.10 s.3 n.to; *Defensio fidei* I.3 0.13 ŋ.11; S.R.Bellarmino, *De Romano Pontifice* l.2 c.12; l.4 c.4; Franzelin, th.12 p.200-220; I.Ottiger, *De Ecclesia* 864-870; D.Palmieri, *De Rom. Pontifice* th.10: I.Muncunill, *De Ecclesia* n.393-399; J.Hollweck, *Der apostoliche Stuhl und Rom.* Eine Untersuchung über die rechtliche Natur der Verbindung des Primates mit der Sedes Romana (1895).

440. 1) In hac materia *erronea est* et a nullo catholico sustineri potest sententia Tamburini, Febronh et Nuytzi, qui tenent connexionem Primatus cum Sede Romana iuris esse adeo *mere humani,* ut etiam *independenter ab auctoritate Summi Pontificis* mutari possit. Hanc opinionem expresse damnavit Pius IX (D 1735).

441. 2) *Triplex est sententia* in hac re, de qua libere Catholici disputant. In *Conc.Vaticani Actis* describitur hoc modo 3Z: «Notum est sententias illas ad tres recenseri. 1.» Tenet, Petrum ex *iussione Christi* iunxisse Prima-

30 S.Hieronymus, De *viris illustribus* 0.15: ML 23,663.
31 Cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.505.
32 Msi 52,1268.1307.

tum Sedi Romanae; proinde concludit, neque ipsum Rom.Pontificem posse seiungere Primatum ab Episcopatu Romano: haec sententia est, post Caietanum, Melchioris Cani, Gregorii de Valentia, aliorumque gravissimorum theologorum 33. 2. Tenet, Primatum adnexum esse Sedi Romanae ture *ecclesiastico;* quare concludit, unum ab altera, iustis de causis, separari posse a Summo Pontifice: hanc sequuntur Soto, BAnez, aliique 34.

442. 3-a Denique est eorum, qui tenent, Romanum Pontificem succedere Petro, *quoad Primatum ex iure divino, quoad Romanam Cathedram ex iure ecclesiastico;* sed quia Petrus ipse Primatum cum Romano Episcopatu simul gessit, quasi unum alteri ita inseruit, ut unus idemque esset et Episcopus Romanus et universae Ecclesiae Primas... adeoque Episcopatum Romanum habendum esse solum ut condicionem ad successionem iure divino in Primatu; ex hoc facto Petri inferunt. Primatum et Episcopatum Romanum *inseparabiles omnino evasisse:* hanc sententiam ex aliis theologis collegit exponitque cl. Perronius 35. Hanc eandem sententiam in eodem Concilio proponebat Relator L.Pie, Episcopus Pictaviensis, dum aiebat: «Ex facto autem Petri pendet quod successor b.Petri nominatim sit Rom.Episcopus; et hoc quidem exsistit ex iure illo humano, quod melius tamen et verius ius ecclesiastico-apostolicum nominatur» 36.

443. 3) Vaticanum *tamen Concilium* voluit omnino ab hac quaestione decidenda abstrahere; ideo expresse declaravit: «Animadvertitur, distinguendum esse inter ius, quo Petrus habet *generatim successores,* quodque est *ex institutione divina,* et inter ius, quo Petrus habet *successores nominatim in Sede Romana,* quodque *ex facto Petri* repetitur: quare dicitur *illud iuris esse divini,* hoc autem satius ex divina ordinatione». Atque ideo etiam Archiepiscopo Granatensi petenti, ut connexio Primatus cum Romana Sede definiretur esse de iure divino, responsum est: «Reverendissimus Pater docte et pie locutus est, sed in Constitutione Dogmatica non omnis pia *sententia* potest inseri» 37.

444. Igitur ex Vaticani Concilii decretis *formaliter* nihil concludi potest in favorem alicuius ex tribus sententiis, quae inter catholicos controvertuntur. Non ex verbis: «Petrus, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae... vivit et praesidet» (D 1824); quia, prout declaratum est, aperte dicitur Romana Sedes ab ipso Petro, non a Christo neque ex Christi voluntate, fundata. Neque argui potest ex illis: «Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit...» (D 1824); quia expresse adnotatum est: «Dicitur, quicumque succedit: quo-*

33 Caietanus, *De potestate Papae* C.13S; M.Cano, *De locis* l.6 c.4 c.8 ad 10: G.de Valentia, *De analysi fidei* I.7C.12; Id.. *De fide q.i* punct.7 § 38; Suàrez, *De fide* d.io s.3 n.io; S.Rob.Bellarmino, De Rom. *Pontifice* I.4 c.4: Tanner, *De fide* d.i q.4 dub.4; C.Mazzella. De *Ecclesia* d.5 a.2 § 5: D.Palmieri, De Rom. *Pontifice* th.9s; De Groot, De Ecclesia q.is R.S; A.Straub, De *Ecclesia* th.16 n.548-575: I.Otticer, De *Ecclesia* p.864-870; L.Billot, De *Ecclesia* q.14 th.28; G.Wilmers, De *Ecclesia* n.i45s; I.MuNCUNTLL, De *Ecclesia n.3932,399:* M.d'Herbigny, De *Ecclesia* n.319; R.Schultes, De *Ecclesia* a.48 n.5; L.Lercher, De *Ecclesia* (1927) n.374-378; (1945) n.364-368.

34 D.Soto, In 4 Sent, d.24 q.2 a.5: D.BAnez, Comment. in 2.2 q.i a.10 (Salmanticae 1584/322-325; Ballerini, De potestate *Ecclesiae* p.2 c.8; I.Mendive, De principiis *Theologiae* tr.2 diss.i c.3 a.3.

33 J.Perrone. Tract, *de locis theol.* p.t s.2 c.2 th.3 n.572-602: Io.A Sto.Thoma, *Cuts. Theol. De auct. S.Pontif.* a.4 n.9: I.B.Franzelin, De *Ecclesia* th.12 p.200-220; T.Zarelena, *De Ecclesia* l (1950) 385-387 qui ait: «Haec videtur esse sententia communior inter recentes auctores».

36 Mst 52,31. Eandem sententiam videtur tenere Benedictus XIV, *De Synodo dioccesana* 1.2 c.t n.l.

37 Msi 52,10.720. Cf. Th.Granderath, Constit. *dogmat.* Conc.Vaticani p.137-149.

modocumque succedat, *sive de iure divino* in prima sententia, sive *de iure ecclesiastico* in secunda sententia, sive *de iure mixto* in tertia sententia»3839

445. 4) In hac difficili quaestione duo extrema nobis videntur esse vitanda: i.° Ne Sedi *Romanae* privilegia iuris divini facile attribuantur, quibus fortasse coarctetur potestas, quae *Summo Pontifici* iure divino competit, ut formali S.Petri in Primatu successori. 2.° Ne Summo Pontifici potestas separandi Primatum a Sede Romana inconsulte concedatur, cum antiqua, constans et unanimis Ecclesiae traditio inseparabilitatem videatur profiteri.

Quare merito ac prudenter Benedictus XIV: «Quamvis, inquit, possit in aliquo sensu dici, supremam Ecclesiae monarchiam iure tantum humano esse annexam Sedi Romanae, quia nimirum utriusque unio ortum habuit ex facto Petri; attamen non videtur posse sustineri illorum opinio, qui asserunt, praefatam annexionem ita esse de iure humano, ut possit ab Ecclesia dissolvi et una ab altera separari». Leo autem XIII hanc rationem addere non dubitavit: «Unam enim Romanam Urbem delegit sibique sacravit Iesus Christus. Hic Sedem Vicarii sui stare iussit in perpetuitate temporum» 3».

446. 5) Coniunctionem ergo Primatus cum Romana Sede *specialissimo* saltem *divino ductui* attribuendam esse significant qui dicunt, eam a S.Petro esse factam vel «Christi dispensatione mirabili» (Gelasius I), vel «ex revelatione divina» (Innocentius III), vel «divino iussu» (Hadrianus I), vel «non sine speciali Dei numine» (Leo XIII)4041

447. 6) Coniunctio perpetua Primatus cum Romano Episcopatu exigit quidem ut ille, qui Primatum obtinet, de iure sit proprius Romanae Ecclesiae Episcopus; non tamen importat obligationem residentiae in Urbe, neque arguit impossibile esse ut materialiter Roma penitus destruatur *.

448. Obiectiones 42. 1. Successor S.Petri in Primatu est velut fundamentum, sine quo Ecclesia exsistere nequit. Atqui sine Romano Pontifice, Sede vacante, Ecclesia exsistit. Ergo Romanus Pontifex non est successor S.Petri in Primatu.

Dist. mai. Successor S.Petri in Primatu est velut fundamentum primarium, principale et iure proprio, sine quo Ecclesia exsistere nequit, nego *mai.;* est velut fundamentum secundarium, ministeriale et iure vicario, sine quo Ecclesia exsistere nequit, *subdist. :* sine quo et sine eius exigentia simul cum actuali potestate ab eo pro Sedis vacantis tempore disposita, Ecclesia exsistere ne-

31 Msi 52,10.1307.

39 Benedictus XIV, *De Synodo dioecesana* l.2 c.i n.i : *Opera omnia* (Prati 1844) t.11 p.19; Leo XIII: ASS 31 (1899) 645.

40 Gelasius I: Msi 8,76; Innocentius III: ML 214.761; Hadrianus I: Msi 12,1057; Leo XIII: ASS 20 (1887) 15. Cf. Msi 52,31.

41 Modus servandus in electione novi Summi Pontificis denuo statutus est a Pio XII, Const. *Apost. «Vocantis Apostolicae Sedis*: AAS* 38 (1946) 65. Romano Pontifici videtur non posse denegari ius designandi suum successorem : cf. A.Straub, *De Ecclesia* n.596. Cf. L.Lercher, *De Ecclesia* (1945) n.370-373, apud quem tanguntur aliae quaestiones, de ratione qua Summus Pontifex a munere decidere potest et de eius distinctione a Sede Apostolica. Ad dubium: Utrum Rom.Pontifex, ut persona privata, incidere possit in manifestam haeresim necne, in *Conc.Vaticano* dictum est: «Haec, providentiae supernatural! confisi, satis proba: biliter existimamus nunquam eventura. At Deus in necessariis non deest; ac proinde, si Ipse permitteret tantum malum, non deerunt media ad providendum· (Msi 52.1109.) Cf. J.Balmes, El *protestantismo comparadocon el catolicismo c.56;* E.Dublanchv: DTC 7,1714-1717.

42 Schismaticorum argumenta contra Romanum Primatum videri possunt in *Encyclica* a 33 Orientalibus Episcopis subscripta a. 1848 (Msi 40,377-418)· Cf. etiam M.Juoie, *Theologia Orientalium* 4,408-423· Praecipuas obiectiones vide apud. T.Zapelena, *Dc Ecclesia* (1950) 376-384·

quit, *conc.;* sine quo, sed cum eius exigentia simul cum actuali potestate ab eo pro Sedis vacantis tempore disposita, Ecclesia exsistere nequit, *nego*[43].

449. 2. Romanus Pontifex non constituitur, ut constitutus est S.Petrus, *directe et immediate a* Christo in Primatu. Ergo Romanus Pontifex non est S.Petri formalis successor *eodem divino iure* in Primatu.

Dist. antec. Romanus Pontifex non constituitur in Primatu directe et immediate a Christo eadem personalis designationis *condicione, conc. antec.;* non constituitur in Primatu directe et immediate a Christo eadem (ege institutionis et successionis, *nego antec. Pariter dist. cons.*

450. 3. Solus Christus potest esse Caput Corporis Christi Mystici, quod est Ecclesia. Ergo Romanus Pontifex nequit esse caput seu Primas Ecclesiae.

Dist. antec. Solus Christus potest esse Caput Ecclesiae quatenus *principaliter et propria virtute* influit internam gratiae vitam, *conc. antec.;* nequit dari cum Christo et sub Christo aliud Caput Ecclesiae terrestris, quod *ministerialiter* et *vicaria Christi potestate* pascat Ecclesiam, *nego antec. Pariter dist. cons.*[44]

451. 4. In Regno sanctitatis, quod est Ecclesia, Caput solum potest esse Sanctum. Ergo Romanus Pontifex, qui est homo peccator, non est Caput Ecclesiae.

Dist. antec. In Regno sanctitatis ex solis sanctis, quod est Ecclesia triumphans, Caput solum potest esse Sanctum, *conc. antec.;* in Regno sanctitatis ad quod etiam pertinent peccatores sanctificandi, quod est Ecclesia militans, *subdist.:* Caput debet esse Sanctum, *conc.;* Caput nequit esse nisi sit sanctum, seu Caput *solum* potest esse Sanctum, nego. *Parit. dist. cons.* Romanus Pontifex non est Caput Ecclesiae triumphantis, *conc. cons.;* militantis, *nego cons.*

452. 5. Testimonia in favorem Primatus tribus primis saeculis rariora et minus clara sunt. Ergo efficacem probationem non suppetunt.

Dist. antec. Testimonia trium priorum saeculorum non sunt tam frequentia et explicita ut ea quae post saeculum III prolata sunt, conc. *antec.;* non sunt sufficientia ad probandum, subdist.: si singillatim sumantur et si non praesupponatur probata Primatus perennitas, *trans.;* secus, nego. Testimonia trium priorum saeculorum ideo etiam rariora esse agnoscendum est, quia quamplurima illorum temporum scripta Christianorum deperdita et deleta sunt, prout abunde comprobat *Historia Ecclesiastica* Eusebii Caesariensis[45]. Praeterea tunc temporis non fuit necesse directe agere de hac re et hanc praerogativam tueri, quia nondum aliae Ecclesiae sibi illam usurpare tentaverant.

453. 6. Inde a medio saeculo IX ac praesertim post medium saeculum XVI, Romani Pontificis Primatum negavit magna Christianorum pars. *Schismatici nempe Orientales et Protestantes.* Ergo agnitio Primatus dubia est.

Dist. antec. Et hoc negantium testimonium dogmatice aliquid valet, utpote testimonium separatorum ab Ecclesiae unitate, nego *antec.;* historice aliquid valet, *subdist.:* si esset firmatum suffragio testimoniorum octo priorum

43 Λ.M.Iαννοττα, Di *Ecclesia et Primatu vacante Sede Apostolica* (1919).
44 S.Tu., 3 q.8 a.6.
45 Cf. O.Baroenhewer, *Geschichte der altkirchliche Literatus* v.i.

saeculorum, trans.; si est, prout revera accidit, contrarium antiquo et unanimi affirmantium octo priorum saeculorum testimonio, nego 46.

454. 7. *In Conc.Nicaeno I,* cn.6: «Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libyam et Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia et Urbis Romae Episcopo parilis mos est» (Kch 406). Ergo potestas singularis Romani Episcopi est ei Ecclesiae consuetudine concessa.

Dist. antec. In canone citato sermo est de honoribus et privilegiis Sedium Patriarchalium qua talium, conc. *antec.;* sermo est de potestate Primatis, nego *antec.*47

455. 8. In *Conc.Constantinopolitano* I, cn.3: «Verumtamen Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris Primatum post Romanum Episcopum, propterea quod Urbs ipsa sit iunior Roma» (Kch 648). Ergo non ratione successionis S.Petri, sed ratione eminentiae Urbis Romae, Primatus Romani Episcopi agnoscebatur.

Dist. antec. In canone allato agitur de Primatu iurisdictionis, nego *antec.;* de praecedentia honoris, *subdist. :* de honoris praecedentia quam sibi attribui volebat Episcopus Constantinopolitanus prae Alexandrino Episcopo, *conc.;* prae Romano Episcopo, nego. Caeterum canon hic 3 definitivam approbationem non obtinuit48.

456. 9. *In Conc.Chalcedonense,* cn.28. «Canonem (3 Conc.Constantinop. I), qui nuper lectus est, 150 Dei amantissimorum Episcoporum agnoscentes, eadem quoque et nos decernimus ac statuimus de privilegiis sanctissimae Ecclesiae Constantinopolis, Novae Romae. Etenim antiquae Romae throno, quod Urbs illa imperaret, iure Patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti 150 Dei amantissimi Episcopi sanctissimo Novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt, recte iudicantes. Urbem quae et Imperio et senatu honorata sit, et aequalibus cum antiquissima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam, extolli ac magnifieri, secundam post illam exsistentem» (Kch 943). Ergo iure aequales definiuntur Episcopi Romanus et Constantinopolitanus; eorum iura potiora, non ex Christi institutione, sed ex mera Patrum concessione ortum habere dicuntur; ratio praeeminendae Romani Episcopi, non ex S.Petri successione, sed ex eminentia Urbis Romae deducitur. Unde aperte negatur, Romanum Episcopum habere Primatum, iure divino, ex S.Petri successione.

457. *Resp.* 1) Ex ipso canonis 28 textu patet: *a)* non agi de potestate iurisdictionis, sed *de honore et privilegiis; b)* non vindicari honorem supra Romam, sed *post Romam,* supra Alexandriana et Antiochiam; *c)* non esse sermonem de potestate iure divino instituta, sed *de privilegiis iure ecclesiastico* Sedibus Patriarchalibus concessis (cf. Kch 943,3-4).

Resp. 2) Ex ipsius canonis 28 historia constat: *a)* hunc canonem non esse a Concilio, praesidentibus Papae Legatis, confectum, sed ab Episcopis Constantinopoli affectis, absentibus Alexandrinis, Antiochenis et Papae Legatis; *b)* Legatos Papae additioni huius Canonis aperte contradixisse in postrema Synodi sessione (Msi 7,453); *c)* Episcopos Constantinopolitanos eni-

46 P.H.Scorr, *The eastern Churches and the Papacy* (1928). Recenter hic anglicanus anetor demonstravit. Ecclesiam octo priorum sacculorum unanimiter agnovisse Romanum Primatum. Pariter anglicanus T.G.Jalland, *The Church and the Papacy* (1944).

47 C.Silva-Tarouca. *Ecclesia in Imperio Romano-Byzantino* (1933) 64.

4' Difficultatum ex Conciliis Nicaeno I, Constantinopolitano I et Chalcedonensc explicationem vide apud T.Zapelena, De *Ecclesia* l.c. in nota 42.

xe rogasse Papam, ut Canonem, ab eius Legatis reiectum, confirmaret (ML 54,956-984); *d)* Papam Leonem Magnum efficaciter reiecisse Constantinopolitanorum petitionem, et quidem ita ut non sua, sed Ecclesiarum Alexandrinae et Antiochenae iura defenderet (Kch 898-901)[49].

Unde ex tenore et ex historia canonis 28 Concilii Chalcedonensis, non solum nihil contra Romanum Primatum asseritur, sed etiam egregie comprobari potest, eundem Primatum fuisse tunc ab Ecclesia Orientali aperte agnitum.

458. 10. Sed obiicit Cullmann: Primatus est prioritas in ipso Apostolatu, qua Petrus fuit primus Apostolorum qui vidit Iesum post resurrectionem, primus qui post resurrectionem confirmatus est a Iesu in Apostolatu, primus Apostolorum qui praedicavit Christi resurrectionem Atqui talis prioritas nequit successione transmitti. Ergo in Primatu Petrus nequit habere successores.

Dist. mai. Primatus est sola prioritas chronologica in lunctione meri Apostolatus Petri, *nego;* est munus ultra ipsum Apostolatum quo Petrus constitutus est supremus Pastor totius Ecclesiae, subdist.; et hoc munus est *ordinarium,* commissum quidem Petro tanquam primo muneris subiecto, sed statutum perenniter tanquam constitutivum essentiale perennis Ecclesiae, *conc.;* et hoc munus est *extraordinarium* datum intuitu personae Simonis Petri et pro solis adiunctis extraordinariis primae plantationis Ecclesiae, *nego.*

Contradist. min. Prioritas pure chronologica in exercitio Apostolatus Petri et in eius designatione tanquam primi subiecti in munere Primatus, successione transmitti nequit, *conc.;* munus ordinarium Primatus statutum perenniter tanquam constitutivum essentiale perennis Ecclesiae, successione transmitti nequit, *nego.*

Verum conceptum Primatus Cullmann non videtur attingere, putans Primatum nihil esse aliud quam meram praerogativam honoris vel directionis personaliter Petro concessam, vi cuius Petrus solum erat primus inter *pares* Apostolos ratione prioritatis cuiusdam chronologicae in exercitio Apostolatus 5°.

11. Sed instat Cullmann: Esse petram fundamentalem ad perenniter sustentandum et in sua unitate conservandum aedificium obtinetur eo ipso quod aliqua petra ab architecto designatur et ponitur in fundamentis aedificii. Ergo esse petram fundamentalem ad perenniter sustinendam et in sua unitate conservandam Ecclesiam obtinuit Christus eo ipso quod personam Petri designavit et posuit in fundamentis Ecclesiae. Atqui designari et poni personam Petri in fundamentis perennis Ecclesiae successione transmitti nequit. Ergo esse petram fundamentalem ad perenniter sustinendam et in sua unitate conservandam Ecclesiam successione transmitti nequit

Dist. *antec.* In aedificiis materialibus in quibus petra designata et posita ab architecto natura sua iam possidet perennitatem et virtutem ad materialiter sustinendum et in sua unitate conservandum aedificium, *conc.;* in aedificiis socialibus in quibus persona designata et posita tanquam petra

[49] S.Leo I, *Epistolae* de hac re: ML 54.901-1009. M.d'Herbigny, *Dc Ecclesia* η.*286-293,* clare explicat argumentum quod in favorem Primatus Romani tit ex Conc.Chalcedonense. De canone 28 agit in n.292. Hanc resp. vide ap. Pium XII. «Sempiternus Rex·; AAS 43 (1951) 632. Cf. supra, n.416 nota 17. A.Grillmeier-H.Bacht, *Das Konzil* t»n *Chalkedon* (1951-1953).

[50] O.Cullmann, *Saint Pierre, Disciple-Apôtre-Martyr* (1952) p.195-200.

[51] O.Cullmann, *t.c. p.183-19'· Cf.* Karrer, Journet. Cerfaux, Vodopivec, aliique auctores citati n.382 nota 28.

caret se ipsa perennitate et indiget investiri potestate ad socialiter sustinendum et in sua unitate conservandum aedificium, *nego.*

Pariter *distinguo conseq.* Si persona Simonis se ipsa haberet perennitatem et potestatem quae requiruntur ad perenniter sustinendam et in sua unitate sociali conservandam Ecclesiam, *conc.;* secus, nego.

Dist. min. Si ratio designationis et positionis in fundamentis Ecclesiae esset mere personalis et transitoria, *conc.;* si talis ratio est potestas quae necessario exsistere semper debet in Ecclesia et quae perenniter ab aliqua persona possidenda et exercenda est, nego.

Pariter dist. secundum cons. Quoad ea quae sunt transitoria et propria ipsius personae subiecti designati, conc.; quoad ea quae sunt perennia et propria muneris intuitu Ecclesiae constituti et in perpetuum erecti, nego.

Probe animadvertendum est personam Simonis esse petram fundamentalem visibilis Ecclesiae, non ratione personae ipsius, sed ratione potestatum quibus a Christo persona Petri investita est. Hae autem potestates datae quidem sunt personae Simonis, attamen non intuitu *personae* sed intuitu Ecclesiae et ut Ecclesia subsisteret, prout patet ex Mt i6,i7ss. Ergo in perenni Ecclesia perenniter exsistant necesse est. Atqui potestates sociales exsistere nequeunt nisi in personis a quibus exerceantur. Ergo Petrus habebit semper successores in Primatu, quamvis in verbis Mt i6,i7ss allusio explicita ad illos forte non fiat. Cf. quae diximus n.382. (

ARTICULUS IV

De VI ET RATIONE PRIMATUS

Thesis 10. Primatialis potestas Summi Pontificis est universalis, ordinaria, immediata, vere episcopalis, suprema ac plena, atque eius iudicio aliud in terris superius non est.

459 S.Th., *Contra impugnantes Dei cultum* et *religionem* c.4 (in cd. romana Opusc. 19); D.Palmieri, *DeRom. Pontif.* th.12-17: A.Straub, *De Ecclesia* n.7ii-755; I.Muncunill, *De Ecclesia n.404-417;* Van Laak, *Repetitorium 301-314;* Id., *Instit. Theol. Fundam. De Ecclesia* th.35-42; R.Schultes, *De Ecclesia* c.6 a.48; M.d'Herbigny, n.375; De Guibert, *Dc Ecclesia* n.279; L.Lercher (1945) th.47; Th.Granderath, Constit. *Dogmat. Conc.Vaticani 150-165!* 220-230; P.Ballerini, *De vi et ratione Primatus:* Mig.. *Theol. Curs.* III 899-1168.

460. Nexus. Hucusque rationem procedendi Concilii Vaticani sequuti sumus (D 1821-1825); Ideo doctrinam explicavimus: 1) de institutione Primatus, 2) de eius perpetuitate in Romano Episcopo. Restat ergo ut exponamus 3) ipsius Primatus naturam, iuxta idem Conc.Vaticanum (D 1826-1831).

461. Notiones. In hac Concilii Vaticani doctrina notiones assumimus, quae in eodem Concilio explicatae sunt, prout eas explanavit Granderath in locis citatis J.

1 Th.Granderath, Constitui. *Dogmat. Conc.Vaticani* p.220-230.

Primatialis potestas est potestas suprema iurisdictionis, de qua locuti sumus in thesibus de institutione et perpetuitate Primatus.

462. Universalis intelligitur tam ratione personarum quam ratione obiectorum. *Ratione personarum* universalis est illa potestas, quae extenditur ad omnes Ecclesiae tam simplices fideles quam pastores, sive singillatim sive collective sumantur. *Ratione obiectorum* universalis est illa potestas quae ad omnes Ecclesiae causas protenditur.

463. Ordinaria dicitur prout opponitur tam extraordinariae quam delegatae. Ordinaria, *prout opponitur extraordinariae,* est ea potestas quae, non solum per exceptionem in certis quibusdam casibus vel adiunctis, sed continuo in quibusque casibus et adiunctis semper exerceri potest. *Prout opponitur delegatae,* potestas ordinaria est ea quae sive ex institutione sive ex iure adnexa est muneri in perpetuum erecto, atque ideo alicui competit ratione muneris; dum e contra *delegata* est ea quae commissa est personae atque iure vel nomine alterius exercetur.

464. Immediata esse potest dupliciter: virtute nempe et gradu. Immediata *virtute* est ea potestas, quae exerceri potest, sine adhibito medio necessario, erga omnes sive personas sive causas ad quas extenditur. Immediata *gradu* dicitur illa potestas quae infimum subordinatarum potestatum gradum tenet.

465. Episcopalis est potestas vere pastoralis, munere docendi, sanctificandi et regendi completa, et quidem ordinaria et immediata virtute. Opponitur potestati mere propriae Metropolitani, quae restrictum quoddam ius est inspectionis cum aliqua in certis casibus extraordinaria iurisdictione coniunctum. Igitur Romanus Pontifex, eo quod eius potestas vere Episcopalis sit, potest in omni dioecesi et erga omnes Christi fideles ea omnia peragere, quae Episcopus quilibet in sua propria dioecesi, ut proprius eius pastor, agere valet.

466. Suprema dici potest potestas dupliciter: positive nempe et exclusive. Suprema *positive* in Ecclesia ea potestas est, quae nulli Ecclesiae potestati subdita est. Suprema *exclusive* est ea potestas quae aliam non solum superiorem, sed etiam aequalem potestatem excludit. In Concilio Vaticano

edocta est Romani Pontificis potestas suprema, non *exclusive, sed positive;* ideoque *Concilium Oecumenicum,* sub Romano Pontifice eius capite, agnosci potest obtinere supremam potestatem, non superiorem, sed *aequalem* potestati Papae, a qua ratione subiecti solum *inadaequate differt.* Cf. CIC 228.

467. Plena appellatur potestas dupliciter: extensive nempe et intensive. Plena *extensive* est ea potestas quae in causis ecclesiasticis omnibus, non solum in rebus fidei et morum, sed etiam in omnibus aliis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae pertinent, exseri potest. *Intensive* plena ea potestas est, quae non solum potiores partes, sed omnes jurisdictionis partes importat. Haec autem plenitudo asseritur *non exclusiva, sed positiva,* prout in praecedenti notione explicatum est.

468. Iudicium supremum id est, ad quod in quacumque Ecclesiae causa et a quocumque fideli recurri potest, neque alius in terris auctoritatis iudicio retractari vel subdi potest.

469. Status quaestionis. Asserimus Potestatem Primatus Romani Pontificis esse: universalem, tam ratione personarum quam ratione obiectorum; ordinariam, quatenus oppositam tam extraordinariae quam delegatae; immediatam, non tamen gradu, sed certe virtute; episcopalem, seu pastoralem genere suo completam et quidem ordinariam et immediatam; supremam, non tamen exclusive, sed positive; plenam tam extensive quam intensive. Cum iudicii iure universalis, supremi, irretractabilis, a nemine iudicandi.

470. Adversarii. 1) *Schismatici Orientales* inde a Photio, medio saec.IX, ac praesertim inde a Michaele Cerulario, medio saec.XI, quorum errores reiecerunt Nicolaus I, anno 865, et Leo IX, anno 1053 (D 330 333 352 353).

2) *Canonistae* plures intra saecula X ad XV, qui tenebant, in quibusdam saltem causis vel adiunctis supra Papam esse auctoritatem Concilii universalis, praesertim ad Papam iudicandum de haeresi vel de schismate.

471. 3) Post avignonensem Papae commorationem (1309-1377), occasione praesertim Schismatis Occidentalis (1378-1417), *doctores maxime parisiensis Universitatis* doctrinam excoluerunt de auctoritate generalis Concilii supra Papam, quorum praecipui recensentur Conradus von Gelnhausen,

Henricus von Langenstein, Ioannes Gerson, Petrus d'Ailly, alii 2.

4) *Doctrina de Concilio supra Papam* praevaluit inter Theologos et Canonistas Conciliorum *Pisani* (1409) et *Constantiensis,* quod sessione V, anno 1415, actione praesertim loannis Gerson et Cardinalis Petri d'Ailly, declaravit Papam teneri oboedire Concilio. Id ipsum postea, anno 1434, renovavit Concilium *Basileense.* Hae autem declarationes Summi Pontificis confirmationem non obtinuerunt (D 657 nota 2, 740) 3.

472. 5) Hinc *Gallicanismus* ortus est, cuius primitiva forma adest in Pragmatica Caroli VII, anni 1438, quem vero magis evolvit Pithou atque rigide propugnavit Edmundus Richerius (D 1502 1503 cum nota)4. *Gallicanismi mitior* forma adest in quatuor articulis «Declarationis Cleri» anni 1682 (D 1323-1324). Sub hac mitiori forma Gallicanismi errorem propugnaverunt plures, ut Launoy, Bossuet, Tournely, Van Espen, alii5.

6) Inde etiam profluerunt errores lansenistarum (D 1319)» necnon Febronii, Eybel, Tamburini, *Pistoriensium,* etc. (D 1500 1503 cum nota). Hos auctores nominatim intendit reiicere *Concilium Vaticanum 6.*

473. Doctrina Ecclesiae. A Magisterio ecclesiastico nostrae theseos *doctrina definita est: 1)* anno 1274, cum Canonistarum sententia de Conciliarismo praevalebat, in *Concilio Lugdunensi II* (D 466); 2) anno 1351, ante Schisma Occidentale, a Papa avignonense *Clemente VI* (D 570 c-g); 3) anno 1439, post Concilia Constantiense et Basileense atque nuper orto Gallicanismo, *in Concilio Florentino* (D 694); 4) anno denique

2 C.von Gelnhausen (t 1390), *Epistola concordiae;* H.von Langenstein (t 1397), *Epistolae pacis;* I.Gerson, *Quomodo et* an *liceat a Summo Pontifice appellare seu eius declinare fudicium* (1418): ed. Dupin, 2,303; P.d'Ailly (t 1420), *Tractatus de Ecclesiae, Concilii generalis, Romani Pontificis et Cardinalium potestate* 2,4: *Opera Gersonis* ed. Dupin, 2,958. Cf. V.Martin, *Comment s'est formée la doctrine de la supériorité du Concile sur le Pape:* RevScRel 17 (J937) 121-143.261-289.405-427; M.Grabmann, *Geschichte der katholischen Théologie* (1933) n2-117; H.X.Arquillière, *L'appel au Concile sous Philippe le Bel et la genèse des théories conciliaires:* RevQHist 89 (1911) 23-55; A.G.Martimort, *Le Gallicanisme de Bossuet* (1953) 36-41. Cf. J.Salaverri, *El Derecho en el misterio de la Iglesia:* RevEspT 14 (1954) 215s.

3 Msi 27,590; 29,91.409. Cf. I.de Guibert, *De Ecclesia* n.300; Ae.Dorsch, *De Ecclesia* 347S.

4 Pithou, *Les libertés de l'Eglise Gallicane* (1594); E.Rjcher, *De ecclesiastica et politica potestate (1612).*

5 *Cf.* I.de Guibert, *De Ecclesia* n.279; H.van Laak, *Instit. Theol. Fundam. De Ecclesia th.37;* Bossuet fuit auctor quatuor articulorum: DTC 4,197-201; DHGE 9,1378-82; A.G.Martimort, *l.c.* nota 2.

6 Febronius, *De statu Ecclesiae* (1763); Eybel, Was ist *der Papst* (1782); Tamburini. *Vera idea della S.Sede (1784); D* 1500 nota r. Cf. Th.Granderath, Consnt. *Dogmat. Conc. Vaticani* 220-230; H.van Laak, *Instit. Theol. Fundam. De Ecclesia* th.39.

1870, contra Gallicanismum omnis generis et contra auctores saeculi XVIII et XIX gallicanismum vel iansenianismum sapientes, *in Concilio Vaticano* (D 1827 1830 1831).

474. *In Concilio Vaticano* aliqui Patres, Gallicanisme mitiori infecti, tenebant, postrema verba definitionis Concilii Florentini (D 694) interpretanda esse ita ut significent, Papae competere potestatem secundum modum et mensuram, quibus eam Concilia generalia determinaverint. Idem propugnabat Dollinger durante Vaticani celebratione. Ad hoc asserendum recurrebant ad textum graecum, aeque ac latinum *authenticum,* in quo legebatur: καθ' ον τρὸττον καὶ ἐν τοϊ$ ιτρακτικοϊ των οικουμενικών συνόδων διαλαμβάνεται. Hanc autem Gallicanorum interpretationem reiecit *Concilium Vaticanum,* sensumque verborum Florentini Concilii *authentice declaravit'l.*

475. Ad accuratius intelligendam Concilii Vaticani definitionem, notare oportet, aliquos Patres *Gallicanisme faventes* enixe tentasse, etiam per recursum tam personalem quam in scriptis ad Summum Pontificem, ut in definitione deleretur saltem illa sententia: «aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem supremae potestatis» (D 1831), ne expresse damnaretur mitior Gallicanismus. Attamen nihil obtinuerunt8. Contra illos autem qui putabant, tam ampla Papae potestate diminui jurisdictionem Episcoporum propriam, definitum est, plenitudine papalis auctoritatis nihil detrahi de ordinaria et immediata Episcoporum propria potestate (D 1828).

476. Denique *declaratum est,* a Concilio non tangi sententias libere inter theologos disputatas: 1) circa subiectum supremae ac plenae potestatis in Ecclesia, utrum *unus* sit *Romanus Pontifex,* an corpus morale Episcoporum sub Romano Pontifice *aliud sit etiam* subiectum supremae potestatis, *inadaequate solum a Romano Pontifice distinctum;* 2) circa modum quo iurisdictio Episcopis conferatur, utrum *mediante Summo Pontifice,* an *a Deo immediate,* licet plene Romano Pontifici subordinata 9.

Post vaticanam definitionem Leo XIII eandem doctrinam vindicavit explanavitque in sua *Encycl. «Satis cognitum»* (ASS 28,734-737), et Pius XII, *«Ad Sinarum gentem»* (AAS 47 [1955] 9)·

7 Cf. H.van Laak, Lc., th.35; Th.Granderath, Lc., 150-154: I.Dôllinger, *Allgemeine Zeitung* (21-1-1870); cf. CivCat (1870) ser.7 9»397-4Oo; Hefele-Leclercq, *Hist, des Conc.* 7,1032-1051.

8 Cf. Th.Granderath, Lc., 160-164. Pius IX eodem die 16 iùlîi! per Subsecretanurn Concilii eis respondet, se totum negotium Congregationi Gener, relinquere, sententia definitiva sibi reservata *(l.c.,* 164).

9 Cf. Th.Granderath, Lc., 1645-2235.2295.

477. Valor dogmaticus. Doctrina theseos est ergo *de fide definita* praesertim in Conciliis *Lugdunense II, Florentino* et *Vaticano* (D 466 694 1826-1831).

478. Probatio. 1) *Argumento generali.* Summus Pontifex est vere et plene *Christi Vicarius,* seu «eandem in Ecclesia perpetuo gerit potestatem, quam ipsemet gessit in vita mortali». Atqui potestas Christi fuit universalis, ordinaria, immediata, vere episcopalis, suprema ac plena, atque eius iudicio aliud in terris superius non fuit. Ergo primatialis potestas Summi Pontificis est universalis, ordinaria, immediata, vere episcopalis, suprema ac plena, atque eius iudicio aliud in terris superius non est.

Mai. constat ex th.6, qua probavimus Christum constituisse suum in terris Vicarium; eam expresse docent Clemens VI et Leo XIII (D 570e; ASS 28,736). Denuo etiam Pius XII (AAS 35.204-210s.216.227).

Min. patet ex ipsa notione potestatis quae asseritur, secundum singula quae ei adscribuntur attributa, si comparetur cum propria Christi potestate.

479. 2) *Singillatim* attributa potestatis Summi Pontificis, quae in thesi asseruntur, eruuntur ex analyst potestatis a Christo ei collatae.

A. *Summi Pontificis potestas est universalis:* a) *ratione personarum singillatim* sumptarum, quia extenditur ad universas oves gregis Christi, de quarum numero singuli sunt, tam fideles quam pastores (Io 21,15; Io 10,9-11); b) *ratione personarum collective* sumptarum, quia extenditur ad omnes Ecclesiae partes, sicut fundamenti efficacia ad omnes aedificationis partes etiam collective sumptas, protenditur (Mt 16,18); c) *ratione obtectorum,* quia eius ligandi et solvendi auctoritas extenditur ad quaecumque Ecclesiae negotia (Mt 16,19).

480. B. *Summi Pontificis potestas est ordinaria:* a) *prout opponitur extraordinariae,* quia continuo ac semper in quibuscumque casibus vel adiunctis exerceri potest (Mt 16,19); b) prout *opponitur delegatae,* quia ex ipsius Christi institutione adnexa est muneri in perpetuum erecto, atque ideo Romano Pontifici competit *ratione muneris* fundandi Ecclesiam et pascendi gregem fidelium Christi (Mt 16,18; Io 21,15-17).

481. C. *Summi Pontificis potestas est immediata virtute,* quia erga omnes sive personas sive causas ad quas extenditur

exerceri potest sine medio quod necessario adhiberi debeat (Mt 16,19; Io 21,16-17).

482. D. *Summi Pontificis potestas est vere episcopalis,* quia est vere pastoralis, munere docendi, sanctificandi et regendi completa, necnoh ordinaria et immediata virtute (Mt 16,19; Io 21,15-17; cf. Io 10,9-11). *Episcopalem* esse Summi Pontificis potestatem infertur etiam ex eo quod sit universalis ratione obiectorum necnon ordinaria et immediata, ut constat ex A, B, C.

483. E. *Summi Pontificis potestas est suprema positive,* seu nulli alii Ecclesiae potestati subdita, quia est *veluti fundamentum* naturale omnis alius Ecclesiae potestatis (Mt 16,18); quia est *universalissima* ratione personarum tam singillatim quam collective sumptarum (supra A, a-b); quia ea Romanus Pontifex constituitur unicus *supremus Christi Vicarius* (Mt 16,18s; Io 21,15-17). Ex his rationibus concluditur etiam, aliud subiectum supremae potestatis in Ecclesia dari non posse, cuius Romanus Pontifex non sit *fundamentum et caput.*

484. F. *Summi Pontificis potestas est plena:* a) *extensive,* quia est universalis tam ratione obiectorum quam ratione personarum; b) *intensive,* quia utpote propria Clavigeri Regni caelorum simpliciter, nulla ratione restringi potest ad potiores partes, sed omnes potestatis partes necessario importat (Mt 16,19). *Plenam* esse Romani Pontificis potestatem patefit, quia ulterius compleri nulla ratione potest: non *ratione subditorum,* quia universalis est relate ad personas; non *ratione obiectorum,* quia universalis est relate ad causas; non *ratione medii* adhibendi, quia est immediata; non *ratione efficaciae* vel virtutis, quia est suprema; non *ratione modi* eam habendi, quia est ordinaria et propria, atque solum ipsius Christi vicaria.

485. G. *Summi Pontificis iudicio aliud in terris superius non est,* quia utpote potestatis universalis, ad Romani Pontificis judicium in quacumque Ecclesiae causa et a quocumque fideli recurri potest, et quia utpote *a Deo ratum habitum,* Romani Pontificis iudicium, quo ligando vel solvendo quaecumque causae decidantur, nullius in terris auctoritatis iudicio retractari vel subdi potest (Mt 16,19).

486. Obiectiones 1011 1. S.Cyprianus: «Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur» (R 556). Ergo nec Romano Pontifici tota potestatis plenitudo, sed tantum potior eius pars competit.

Dist. antec. Episcopatus unus est, quatenus Episcoporum Collegium unitatem habet, cuius unitatis ratio est suprema successoris S.Petri potestas, conc. *antec.;* episcopatus unus est, quatenus singuli Episcopi pares sint potestate, ita ut S.Petri successor non obtineat supremam et plenam supra omnes alios potestatem, *nego antec.* Abstrahimus a quaestione, utrum ipse S.Cyprianus perfecte intellexerit totam vim et rationem Primatus necne.**

487. 2. S.Gregorius I, recusavit titulum Episcopi universalis seu oecumenici. Ergo Romani Pontificis potestas nequit dici universalis.

Dist. antec. S.Gregorius magnus recusavit hunc titulum, intellectum in sensu exclusive quo sibi eum attribuebat Ioannes Constantinopolitanus, conc. *antec.;* negavit hunc titulum competere successori S.Petri in Primatu, *nego antec.* 12

488. 3. Inconveniens est ut duo constituantur cum potestate episcopali, ordinaria et immediata supra eandem fidelium plebem. Ergo neganda est Romano Episcopo potestas episcopalis, ordinaria et immediata supra Ecclesias particulares, quae a proprio Episcopo gubernantur.

Dist. antec. Inconveniens esset si duo inter se independentes super eandem plebem constituerentur, conc. *antec.;* inconveniens esset ut duo, quorum alter alteri subordinetur, super eandem plebem constituerentur, nego *antec.* «Secundum hoc super eandem plebem immediate sunt et sacerdos parochialis et Episcopus et Papa» 13.

489. 4. *Concilium Constantinopolitanum III,* anni 681, iudicavit et damnavit Papam Honorium. Ergo practice agnovit Papam esse sub Concilio.

Dist. *antec.* Conc.Constantinopolitanum III iudicavit et damnavit Papam actu tenentem supremam auctoritatem, nego antec.; post eius mortem, quae evenit anno 638, subdist. : damnavit Papam ut supremam auctoritatem exercentem seu ex cathedra definientem, nego; minori auctoritate ordinaria ad Sergium respondentem, *iterum subdist. :* Concilium a Papa non approbatum damnavit Honorium, *trans.;* Concilium a Papa approbatum damnavit Honorium, *iterum subdist. :* damnavit Honorium de errore in doctrina, nego; de negligentia in haeresi compescenda, conc. (cf. D 251-253; Kch 1082-1089).

490. 5. *Concilium Constantiense* (1414-1418), sessione IV et V, declaravit ipsum immediate a Deo habere potestatem, cui etiam Papa oboedire tenebatur. Ergo Constantiense Concilium definivit Papam subdi generali Concilio.

Dist. antec. Hoc declaravit decreto a Romano Pontifice confirmato, nego *antec.;* decreto a Papa non confirmato, *subdist.:* declaravit Papam dubium.

10 Cf. H.van Laak, *Instit. De Ecclesia* th.35-42: Difficultates; I.de Guibert, *De Ecclesia* n.282; I.Muncunill, *De Ecclesia* 0.412-417; T.Zapelena, *De Ecclesia* (1950) p.390; C.Caruel, *De Ecclesia* (manuscriptum) (1892) 588-609.

11 Cf. T.Zapelena, *l.c.. 343;* I.de Guibert, l.c., n.282.

12 Teste S.Gregorio *Epistolarum* I.5 epist.18, «loannes, despectis fratribus, Episcopus appetebat solus vocari». Ideo titulum «universalis» S.Greg. nolebat adhibere «ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur» (ML 77.738.740; D 1828). Cf. C.Mazzella, *De Rei. et Ecclesia n.975;* S.Tromp, *Corpus Christi quod est Ecclesia* P.124S.

13 S.Th., *Suppi,* q.8 a.5 ad 3; 4 d.17 a.4 q.4 ad 3. Cf. Leonem XIII, *Encycl. «Satiscognitum»:* ASS 28,737.

de quo agebatur, teneri ad acceptandam illius Concilii solutionem, *conc.;* declaravit Papam certo legitimum subdi debere generali Concilio, nego (D 657 nota)14.

CONCLUSIO

Sola Romano-Catholica est vera Christi Ecclesia

Thesis ii. Ex demonstratis divina institutione et perpetuitate Ecclesiae, Hierarchiae et Primatus infertur: solam Romano-Catholicam esse veram Christi Ecclesiam

491. Suârez, *Defensio fidei* l.i c.7 n.10; R.Cercia, *De Ecclesia vera Christi* v.x s.3 lec.8 ct 14; s.4 lec.4; A Straub, *De Ecclesia* n.1439-1441 ; L.Billot, th.9; M.d'Herbigny, n.177.2; *222,1;* 265.281.313,1; I.de Guibert, n.145; L.Lercher, th.3ia n.3is;T«ZAPELENA(i95o)384.

492. Nexus. Probavimus: i) Christum instituisse suam Ecclesiam hierarchicam et monarchicam; 2) Ecclesiam a Christo institutam cum sua Hierarchia et Primatu esse perpetuo duraturam; 3) Romanum Pontificem esse S.Petri in Primatu successorem. Quaerimus nunc, utrum ex iis iam deduci possit necne, quaenam ex pluribus confessionibus, quae sese veram Christi Ecclesiam appellant, revera sit legitima Christi Ecclesia.

493. Notiones. Romano-Catholica est ea Ecclesia, quae per orbem diffusa Romanum Pontificem agnoscit esse praeditum suprema iurisdictionis potestate supra universam Christi Ecclesiam.

Veram Christi Ecclesiam dicimus eam, quam revera Christus voluit, in oppositione ad omnes alias, quae licet sese Christianas appellent, falso tamen hoc sibi nomen attribuunt·

494. Adversarii. 1) In genere adversantur omnes qui quoquomodo negant Romano-Catholicam esse veram Christi Ecclesiam.

2) Illi *Protestantes* omnes, qui non agnoscunt in Ecclesia Christi perpetuitatem Hierarchiae.

3) *Anglicani* et *Schismatici Orientales,* qui quamvis Hierarchiam Ecclesiae admittant, negant tamen supremum iurisdictionis Primatum.

14 Ampliorem harùm obiectionum explicationem atque aliarum difficultatum solutionem invenies apud auctores, quos citavimus nota io. Cf. etiam infra, n.651-657.

4) Propugnatores theoriae *trium ramorum,* seu *Ecclesiae tripartitae* (D 1685).

5) Hodierni *Panchristianismi* defensores (D 2199) [1].

495. Doctrina Ecclesiae. Assertum theseos implicite saltem docent Pelagius I (D 230), Pelagius II (D 247), Pius IX (D 1686).

496. Valor theologicus. Igitur doctrina theseos est conclusio ex thesibus praecedentibus deducta tamquam *theologice certa; ex* Ecclesiae autem Magisterio est saltem *doctrina catholica.*

497. Probatio. Ecclesia Christi est perennis. Ergo et nunc exsistit, atque necessario est aliqua ex eis, quae se Christianas appellant, id est, vel protestantica, vel anglicana, vel schismatica orientalis, vel catholica, vel confoederatio harum omnium confessionum. Atqui Ecclesia Christi nequit esse protestantica, neque anglicana, neque schismatica orientalis, neque confoederatio omnium Christianarum confessionum. Nam in Ecclesia Christi perpetuo duratura, numquam deesse potest Primatus. Atqui neque protestantica, neque anglicana, neque schismatica orientalis, neque omnium Christianorum confoederatio verum iurisdictionis Primatum agnoscunt. Ergo unica christiana confessio, quae vera Christi Ecclesia esse potest, est Romano-Catholica, utpote quae sola verum iurisdictionis Primatum tenet, cui omnes Christi fideles subditos esse debere agnoscit.

498. Scholion. Nota Romanitatis. Conclusio, quae praecedit, independens est ab ulteriore quaestione: utrum haec probatio veritatis Ecclesiae, ex exsistentia et agnitione in ea Primatus perpetui, dici proprie debeat probatio ex *Nota Romanitatis* necne [2]. Certum quidem est verum iurisdictionis Primatum esse proprietatem Ecclesiae Christi characteristicam et necessariam; unde immediate concludi potest, veram Christi Ecclesiam esse non posse eam, quae Primatum non habeat[3].

499. In hoc sensu non immerito aliqui auctores loquuntur de Primatu tamquam de nota characteristica ac sufficienti ad veram Christi Ecclesiam a falsis discernendam, eamque esse dicunt, «communionem cum successore

1 Pius XI, in *Encycl. 'Mortalium animos·:* AAS 20 (1928) 5-16, Panchristianismi falsa conamina reiicit. Eorum placita vide in *Etudes Oecuméniques: Documents de l'Assemblée d'Amsterdam, s* vol. (1949).

2 R.Schultbs, *De Ecclesia* a.18 n.8, dubia quae movet inefficacis sunt.

3 D.Palmieri, *De Romano Pontifice* (1902) Appendix p.757; Corollarium p.77t.

Petri» (Straub). Ab aliis autem haec distinctiva proprietas appellatur vel «Petreitatis nota» (D'Herbigny), vel «Nota Romanitatis» (De Guibert)*

500. Unde in vera Christi Ecclesia *Petra* non solum est ontologica unitatis et stabilitatis ratio, sed etiam *ratio logica dignoscibilitatis* verae Ecclesiae a falsis, iuxta pulcherrima haec S.Ambrosii verba: «Ipse est Petrus cui dixit: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam *meam.* Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia» (R 1261). Pariter sentire censendi sunt, S.Irenaeus (R 210), S.Cyprianus (Kch 266 cum nota 5), S.Optatus'Milevitanus (R 1242), S.Hieronymus (R 1346), S.Augustinus (R 1580).

* A.Stravb, *De Ecclesia* n.1439; M.d'Herbicny, *De Ecclesia* n.222,1: 281,1: 313,1; I.de Guibekt, *De Ecclesia* n.i4S.

De Ecclesiae Magisterio eiusque fontibus

CAPUT I

De divina Magisterii institutione

ARTICULUS UNICUS

Magisterium, a Christo in Apostolis institutum

Thesis 12. Christus Dominus instituit in Apostolis Magisterium authenticum, perpetuo duraturun et infallibile.

501. S.Th., 3 q.12 a.3; q.42 a.1-4; *De ver.* q.n a.i; SuArez, *De fide* d.5 s.2 et 5; *In 3* q.42 d.30: *De Ch.° Doctore;* S.Rob.Bellarmino, *De controv.* l I.3 et 4: 3 1-4Î M.Cano, *De locis* I.4; LB.Franzelin, *De divina Traditione et Scriptura* (1896); D.Palmieri; *Proleg. de Ecclesia* § 21-47; J.V.Bainvel, *De Magisterio vivo et Traditione* (1905); Cl.Schrader. *De theologico testium fonte* (1878); Vacant, *Le magistère ordinaire de VEglise et ses organes* (1887); H.Dieckmann, *De Ecclesia t.2, De Ecclesiae Magisterio* (1925); Ph.Alonso BArcena, *De Ecclesiae Magisterio de divina Traditione* (i945)·

In specie pro hac thesi, cf. De Groot, q.8 a.3 et q.io a.i; D'Herbigny, th.il; Otticer, th.i; Dorsch, th.i6s; Muncunill, n.286; Van Laak, *Repetitorium, De Ecclesia* th.i8s; Schultes, a.32; Lercher, th.28; Zapelena, th.i6 ›. e

502. Nexus. In libro primo probavimus, Christum ut Regem instituisse in Apostolis suum Regnum, seu societatem hominum, potestate regendi, docendi et sanctificandi praeditam, quam suam appellavit Ecclesiam. Nunc in libro secundo videbimus, eundem Christum Magistrum statuisse in sua Ecclesia infallibile Magisterium, de cuius institutione agit haec thesis.

503. Notiones. Magisterium in genere est institutio ad alios erudiendos. Duplex distingui solet: Magisterium docens et attestans.

Introductionem histonco-bibliographicam in tractatum dc Magisterio vide apud J.y.Bainvel, *De Magisterio vivo* (1905) n.1-8. Cf. J.Salaverri, *La potestad de Magisterio eclesidstico y asenttmiento que le es debido:* EstEcl 29 (1955) 155-195.

Magisterium docens est illud quod ordinatur ad gignendam in audientibus scientiam, ob argumenta quibus doctrina vel facta proposita demonstrantur. *Magisterium attestans* est illud quod ordinatur ad obtinendum assensum ob Magistri auctoritatem, seu ob eius scientiam et veracitatem.

504. Magisterium authenticum (ab αὐ3εντία = auctoritas) est munus tradendi doctrinam a legitima auctoritate institutum. Importat ergo in magistro potestatem et officium tradendi doctrinam; in discipulis vero obligationem et ius ad instructionem accipiendam. Magisterium esse potest *authenticum* dupliciter: late dictum et stricte dictum.

Magisterium authenticum late dictum est illud quod se ipso vim non habet ad exigendum a discipulo assensum intellectus. Tale est, exempli causa, magisterium alicuius professoris in Universitate. *Magisterium authenticum stricte dictum est* illud quod talem se ipso vim habet ad doctrinam imponendam, ut discipuli eo ipso teneantur ad assensum intellectus praestandum, ob auctoritatem legati Dei qua magister utitur.

505. Magisterium infallibile est illud quod summum auctoritatis gradum obtinet. *Infallibilitas* enim est, in genere, immunitas ab errore, quae distingui solet duplex: a) *Infallibilitas facti,* seu mera inerrantia, est simplex factum immunitatis ab errore, b) *Infallibilitas iuris* est impossibilitas errandi, quae dupliciter dari potest: alia *extrinseca,* cuius causa est subiecto externa, ut assistentia Spiritus Sancti; alia *intrinseca,* cuius causa est subiecto interna; quae vicissim duplicis generis esse dicitur: altera *essentialis,* cuius causa est ipsa rei essentia, prout est infallibilitas Dei; altera vero *accidentalis,* cuius causa est interna qualitas accidentalis rei, qualis est infallibilitas auctoriç a Deo inspirati 2.

506. *Infallibilitatis assistentia* distinguitur a revelatione et ab inspiratione: a) *Revelatio,* seu locutio Dei attestans, est actio solius Dei intrinsece hominis intellectum illustrans, vi cuius homo passive recipit veritatem aliquo modo novam, b) *Inspiratio,* seu motio Dei ad veritatem exprimendam, est actio principaliter Dei intrinsece hominem movens, vi cuius homo, ut Dei instrumentum, veritatem, quam vult Deus, exprimit, sive ore (inspir. prophetica) sive scripto (inspir. biblica). c) Assistentia *infallibilitatis,* seu praeservatio ab errore, est vigilantia Dei per se ab extrinseco hominem dirigens, ut homo, tamquam causa principalis, sine errore proponat Verbum Dei, sive revelatum sive inspiratum.

Igitur Deus Revelatione loquitur, Inspiratione prodit, Assistentia custodit verbum Dei, seu Deus est Revelatione communicator, Inspiratione auc-

2 Huiusmodi etiam dici potest scientia per se infusa.

tor, Assistentia custos verbi Dei. Homo vero sub Revelatione passive audit, sub Inspiratione instrumentaliter exprimit, sub Assistentia principaliter declarat verbum Dei. Haec triplicis charismatis discrimina illustrari possunt ab exemplo ex Act 4,12, ubi habetur assertum, quod simul est et revelatum et inspiratum et infallibiliter praedicatum 3.

507. *Magisterium* dividi tandem solet in scriptum et vivum. *Mere scriptum magisterium* est quod auctor quilibet suis scriptis exercet etiam post suam mortem. Tale est, exempli causa, magisterium quod etiam nunc suis operibus Aristoteles exercet. *Vivum* dicitur *magisterium* quod vitalibus et consciis hominum actibus exercetur, sive ope utatur magister scriptis sive non. Hoc vivum magisterium dividi ultra potest in *traditionale* et non traditionale seu *inventivum. Non traditionale seu inventivum* dicitur magisterium quod obiective novas semper veritates addere vel philosophando adinvenire potest. *Traditionale vero est* magisterium quod obiective clausum veritatum depositum custodire, declarare, explicare et tueri tantummodo debet4.

508. Status quaestionis. In thesi praesertim affirmamus, Christum instituisse in Apostolis Magisterium *authenticum,* authentia stricte dicta; *perenniter duraturum,* quoadusque duret Ecclesia; *infallibile* infallibilitate iuris, ex causa extrinseca seu ex assistentia divina. Hoc sane Magisterium esse intelligendum vivum et traditionale, ex thesibus de subiecto et obiecto huius Magisterii patebit.

509. Adversarii. In antiquitate, inde a fine aetatis apostolicae usque ad medium saeculum III, *Gnostici* doctrinam suam anteponebant auctoritati doctrinali Apostolorum; quare nervose contra eos S.Irenaeus asserebat: «Gnosis vera est Apostolorum doctrina» (R 204 242). Circa annum vero 140 in specie Marcion, qui suo iudicio ac crisi subiecit ipsas Scripturas, atque teste S.Irenaeo, «semetipsum esse veraciorem, quam sunt Apostoli, suasit discipulis suis» (R 195). Initio saeculi tertii Tertullianus iam *montanista* asseruit: «Paraclitus erit solus a Christo Magister et dicendus et verendus». Et iuxta ipsum potestatem habet «Ecclesia Spiritus per spiritualem hominem, non Ecclesia numerus Episcoporum» (ML 2,890.1026); ideo merito appellatus est «pater spiritualismi Protestantium».

3 Cf. S.Tromp, *De sacrae Scripturae inspiratione* (i94S) 95-97; R.Schultes, *De Ecclesia* (1925) 286 nota *2* et 534 coroll.i.

4 Cf. Van Laak. *Repetitarium, De Ecclesia* pars *2,* De infallibilitate, assertio *2;* T.Zapelena, *De Ecclesia 2* (1954) th.16.

5lo. Inde a saeculo XVI his similia docuerunt *Protestantes.* Nam admittentes doctrinalem auctoritatem solius sacrae Scripturae iudicio individual! intellectae omne authenticum et a fortiori infallibile Magisterium Ecclesiae prorsus reiecerunt (cf. D 769 783 786 1788). In hoc Protestantes sequuntur doctrinam Wicleff, qui saeculo XIV exeunte docuit: «Veritas, quae in Scriptura non est, nusquam est» *(De civili dominio,* 1,44).

Eadem nostris diebus docent alii, ut Barth, qui die 5 ian. 1947, disserens in quodam oecumenico Conventu theologorum in Genf, dixit: Officium et missio Ecclesiae est «dicere universo mundo, omnino impossibile esse ut detur aliud revelatum vel sensu stricto auctoritativum Dei verbum, aut alia absolute obligans divini regiminis forma, praeter solam sacram Scripturam»3.

511. Inde a medio saeculo XIX thesi nostrae adversantur vel maxime *Rationalistae,* tenentes, supra rationem nullum veritatis fontem aut critérium posse admitti. Rationalistis proxime accedunt *Semirationalistae,* qui quamvis divinam revelationem admittant, tamen hominum magisterii auctoritatem supra rationem agnoscere renuunt, prout ex damnationibus Hermes, Guenter et Frohschammer eruitur (D 1619 1656 1668).

Modernistae, denique, docent, unicum veritatis religiosae fontem et critérium esse conscientiam seu religiosum sensum (D 2093).

512. Doctrina Ecclesiae. Concilium Vaticanum saltem implicite definivit: *a)* Magisterium in Apostolis esse divinitus *institutum* (D 1793 1798); *b)* hoc Magisterium esse vere *authenticum seu auctoritativum,* sive ad interpretandas Scripturas (D 1788), sive ad proponendas fidelibus veritates fide divina et catholica credendas (D 1792), sive ad iudicandum de veritatibus scientificis vel philosophicis quae necessariam connexionem cum fidei deposito habeant (D 1797 1798); *c)* Magisterium a Christo institutum perenniter fore duraturum (D 1821 1837); *d)* idem Ecclesiae Magisterium praerogativa *infallibilitatis* pollere (D 1800 1839); *e)* Magisterium denique *traditionale* esse, seu institutum, non ut nova doceat, sed ut acceptum veritatum depositum custodiat, tueatur et declaret (D 1836).

513. In eodem *Conc. Vaticano,* explicita nostrae doctrinae definitio praeparabatur. In *schemate* i.°, cn.7: «Si quis dixerit, eandem Christi Ecclesiam

5 K.Barth, *Die Schrift* und die *Kirche: Die Auctoritat und Bedeutung der Bibd;* cf. DivThom (Fr) 29 <1951) 322· De sententiis Protcstantium, cf. J.de Guibert, De *Ecclesia* n.208.329.

posse offundi tenebris, aut infici malis, quibus a salutari fidei morumque veritate aberret... A.s.»; et cn.9: «Si quis dixerit. Ecclesiae infallibilitatem ad ea tantum restringi, quae divina revelatione continentur... A.s.». In reformato vero *schemate* 2.°, cn.9: «Si quis dixerit, Christi Ecclesiam sive credendo sive docendo a vera fide deficere posse, aut certe in aliis nullis, quam in iis, quae per se ipsa in verbo Dei continentur, ab errore immunem esse, A.s.»6.

Eandem doctrinam paulo post *Conc.Vaticanum* vindicabat Leo XIII in *Encycl. «Sapientiae christianae»* (D 1936c), et in *Encycl. «Satis cognitum»* (D 1957 1958).

Pius vero XI Christum Magistrum praedicat et Ecclesiae eius Magisterium infallibile aperte docet in *Encycl. «Divini illius Magistri»* (D 2204).

514. Pius XII doctrinam de Christo Magistro pulchre ex ipsa sacra Scriptura eruit, cum in *Encycl. «Mystici Corporis»* ait: «Universam Ecclesiam suam illuminat Christus... Veniens *a Deo Magister ut testimonium perhiberet veritati* (Io 3,2; 18,37), primaevam Apostolorum Ecclesiam ita sua luce illustravit, ut Apostolorum Princeps exclamaret: *Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes* (Io 6,68); Evangelistis e caelo ita adfuit, ut tamquam membra Christi illud operati sint, quod veluti dictante Capite cognoverunt. Atque etiam hodie nobis, hoc in terrestri exilio commorantibus, est auctor fidei, sicut in patria consummator. Ipse est qui in fideles lumen fidei infundit; Ipse qui Pastores et Doctores, imprimisque suum in terris Vicarium, supernis scientiae, intellectus, sapientiaeque donis divinitus ditat, ut fidei thesaurum fideliter adservent, strenue defendant, pie diligenterque explicent atque corroborent; Ipse denique est, qui, etsi non visus, Ecclesiae Conciliis praesidet atque praelucet» (AAS 35 [1943] 216).

'Et in *Encycl. «Humani generis»* idem Pius XII authenticitatem seu auctoritatem Magisterii mirifice extollit, dicens: «Sacrum Magisterium, in rebus fidei et morum, cuilibet theologo proxima et universalis veritatis norma esse debet, utpote cui Christus Dominus totum depositum fidei—Sacras nempe Litteras ac divinam *traditionem*—et custodiendum et tuendum et interpretandum concredidit... Una cum sacris eiusmodi fontibus Deus Ecclesiae suae Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito non nisi obscure ac velut implicite continentur. Quod quidem depositum nec singulis christifidelibus nec ipsis thelogis divinus Redemptor concredidit authentice interpretandum, sed soli Ecclesiae Magisterio» (AAS 42 [1950] 567-569). Contra propugnatores *Theologiae laicalts* autonomae, idem Pius XII docet: «Verumtamen haec contra retinenda sunt: nunquam nempe fuit neque est neque unquam erit in Ecclesia legitimum laicorum magisterium, quod a Deo auctoritati, ductui et vigilantiae sacri Magisterii fuerit subtractum» *(Allocutio «Si diligis»:* AAS 46 [1954] 317). Cf. etiam *Encycl. «Ad Sinarum gentem»:* AAS 47 (1955) 10-11.

515. Valor dogmaticus. Magisterium Ecclesiae esse in Apostolis divinitus institutum, auctoritativum, perpetuo duraturum, infallibile et traditionale, est saltem implicite a *Conc. Vaticano sollemni iudicio definitum* locis citatis n.512.

516. Prob. i. *Christum tamquam Magistrum authenticum*

6 *Conc.Vaticanum* Schema i: Msi 51.552; cf. c.ç: Msi 51,542; Schema 2: Msi 53,316; cf. c.7: Msi 53,312-314.

missum *et agnitum esse,* praesupponimus abunde probatum in tractatu *de Christo Legato divino:* th.28 et 29.

In Evangeliis Christus appellatur *Didaskalos* quadragies, *Rabbi* duodecies, dum hi tituli aliis personis raro tribuuntur: semel Baptistae (Lc 3,12), semel Nicodaemo (Io 3,10) et ter Scribis et Pharisaeis (Lc 3,46; 6,40; Mt 10,24s). Ex analyst horum locorum, in quibus sermo est de Christo ut Magistro, infertur magisterium eius esse, quoad formam, similem, quoad rem autem omnino superiorem magisterio aliorum, sive auctoritate qua docet sive adhaesione quam postulat. Immo Christi magisterium apparet esse superius ipso magisterio Moysis et Prophetarum (cf. Mt 7,29; 23,8-10; Io 1,17s; 13,13-15). Unde ex hoc patet Christum tanquam magistrum authenticum missum et agnitum esse7.

517. Prob. 2. *Christus in Apostolis instituit Magisterium authenticum et infallibile.* Nam Christus tradidit Apostolis suam ipsam missionem seu divinam legationem quam habuit ut homo. Atqui Christus ut homo a Deo missus est ut Magister authenticus et infallibilis. Ergo Christus instituit in Apostolis Magisterium authenticum et infallibile.

Mai. probata est in thesi 2. Ad eius probationem sufficiat nunc in memoriam revocare testimonia ex Io 17,18; 20,21; Mt 10,40; Lc 10,16; Mt 28,18-20. Haec autem testimonia iam in th.2 explanata sunt.

518. *Min.* a) Christum missum esse ut Magistrum authenticum, patet ex 1.

b) Doctrinalem Christi auctoritatem esse *infallibilem,* constat: 1) quia *ipse Christus* effert ut absolute verum suum *testimonium* et exigit ut ei fides absoluta, etiam sub discrimine salutis, praebeatur (Io 3,11-19); 2) quia docet, suam divini Legati auctoritatem doctrinalem reduci ad ipsum Deum (Io 7, 15-18). Id ipsum attestatur ulterius *S.Ioannes* vel Evangelista vel Baptista (Io 3,31-36), ubi docet utrumque, quod ex ore Christi sub 1 et 2 retulimus.

519. Prob. 3. *Christum in Apostolis instituisse Magisterium perpetuo duraturum.* Nam Magisterio in Apostolis instituto absolute promisit Christus assistentiam sui *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Mt 28,20), necnon assisten-

7 Cf. Rbngstorf, *Didaskalos* TheolWotb z.N.T. 2,154*160; J.Salaverri, La *potestad dei Magisterio eclesidstico:* EstEcl 29 (iQSS) 170-172·

tiam «Paracliti Spiritus veritatis ut maneret cum eis in aeternum», id est adiutoris et protectoris, qui eos «deduceret in omnem veritatem» et quidem perpetuo seu numquam eos relicturus (Io 14,16s; 16,12s): *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis... apud vos manebit, et in vobis erit.*

520. Prob. 4. *Christus in Apostolis instituit Magisterium infallibile* §.

a) Ex Mt 28,18-20: *Et ecce ego vobiscum sum,* cf. Act 18, 10. Cum haec sollemnis promissio divina fit alicui in Scriptura, pro adimplendo aliquo munere vel opere quodam exequendo quod committitur, significat praesidium vel adiutorium absolute a Deo promissum et efficax, seu cui indefectibiliter respondet effectus. Atqui praesidium vel adiutorium Dei absolute promissum et efficax ad ipsam Christi doctrinam docendam effectum suum certo et infallibiliter obtinebit. Ergo sub assistentia Christi, Apostoli eorumque successores «usque ad consummationem saeculi» certo et infallibiliter docebunt ipsam Christi doctrinam. Vide quae diximus n.300.

521. *Mai.* probari potest ex adiutorii promissionibus pro munere vel opere adimplendo factis a Deo Moysi (Ex 3,11-17), Iosue (Ios 1,5.9; 3»?)› Ieremiae (1er 1,8.18.19), quae exhibentur ut efficaces, seu quibus indefectibiliter respondet effectus. Eundem efficaciae sensum verbis «Deum esse cum aliquo» tribuebat Angelus in Annuntiatione (Lc 1,28-36) nec non Nicodaemus (Io 3,2). Ergo sollemnis promissio, a Christo facta Apostolis apud Mt 28,18-20, pro adimplendo munere docendi ipsam Christi doctrinam, significat praesidium vel adiutorium absolute a Deo promissum et efficax, seu cui indefectibiliter respondebit effectus.

Min. patet, quia adiutorium Dei absolutum et efficax, certo et infallibiliter effectum intentum obtinere debet; nam secus de impotentia ipse Deus arguendus esset, quod repugnat.

522. *b)* Ex Io 14.16s.26; 15,26; 16,12s; Act 1,8: Iuxta hoc Christi absolutum promissum, Apostoli a Spiritu veritatis, velut a Magistro, continuo docebuntur et rite addiscent universam Christi doctrinam, eamque ipsi tali auxilio adiuti et roborati, perpetuo ac fideliter propagabunt usque ad ultimum

§ Cf. praesertim H.Dieckmann, n.686-689; I.Ottiger, 2,8-17; F.Zorell, N.T. *Lexicon graecum* μετὰ ct καi. Vide quae diximus n.300. Cf. U.Holzmeister, *Dominus tecum:* Verb Dom 23 (1943) 232-37.257-62.

terrae. Atqui Magisterium tam efficaci Dei assistentia praestitum nequit non esse infallibile. Ergo Christus instituit in Apostolis Magisterium infallibile. Vide quae scripsimus n.301.

523. *Mai.* exhibet ea quae explicite in locis citatis continentur. *Min.* patet, quia si Magisterium tam efficaci Dei assistentia praestitum errare posset, eius error iure ipsi Deo adscribi deberet, prout apposite docet Leo XIII: «Si falsum esse ullo modo posset [quod tale Magisterium docet] erroris in homine ipse esset auctor Deus, quod aperte repugnat» (ASS 28, 721). Hoc ipsum confirmari potest ex S.Pauli doctrina, cum effert assistentiam ipsi a Spiritu Sancto efficaciter in docendo praestitam (1 Cor 2,10-16).

524. *c)* Ex Mc 16,16; Mt 10,14.15.40; Lc 10,10-16: Quamvis S.Lucas in loco citato referri videatur ad 72 discipulos, idem et a fortiori valet de 12 Apostolis, ut patet ex comparatione cum S.Matthaeo in loco etiam citato, et quia ratio est eadem, nempe *missio* a Christo accepta. Unde fit argumentum: Locis allegatis Mc, Mt et Lc, Christus, sub discrimine salutis aeternae, absolute obligavit homines ad praebendum intellectualem assensum absolute certum Magisterio Apostolorum. Atqui talis obligatio nequit a Deo imponi nisi erga Magisterium infallibile. Ergo Magisterium a Christo in Apostolis institutum est infallibile.

525. Cum *mai.* pateat ex lectione textuum, quos citavimus, probanda est *min.* Nam nisi Magisterium esset infallibile, obligatio ad ei praestandum assensum intellectualem *absolute certum* esset irrita, utpote de re impossibili. Atqui obligatio irrita seu de re impossibili a Deo sapienti et iusto imponi nequit. Ergo talis obligatio nequit a Deo imponi nisi erga Magisterium infallibile.

Ad mai. Obligatio ad assensum intellectualem absolut6 certum erga Magisterium fallibile esset irrita seu de re impossibili: nam intellectus, ut potentia necessaria, nequit praebere suum assensum *absolute certum* nisi ob motivum excludens possibilitatem erroris, id est, nisi ob evidentiam obiecti vel ob infallibilitatem testimonii 9.10

526. Confirm. 5. *Apostolos esse infallibiles ex eorum dictis et factis.*

9 Cf. praesertim D.Palmteri, *De Rom. Pontif.* prolegomena § 25,III.
10 Cf. A.Straub, *De Ecclesia* n.211-219; H.Dieckmann, n.652-666.691-693.

Nam Apostoli sibi attribuunt auctoritatem infallibilem et praedicationem suam miraculis confirmant. Ergo Apostoli erant revera infallibiles.

Antec. 1) Apostoli sibi attribuunt infallibilitatem praesertim, quia nomine Dei et divina assistentia adiuti et roborati testantur se loqui: sic 12 Apostoli: Act 4,8-14; 5,32; 15,28; sic etiam S.Paulus: Rom 15,18; 2 Cor 13,3.

2) Apostoli praedicationem suam miraculis confirmant: sic in genere Apostoli: Mc 16,20; sic 12 Apostoli: Act 3,1-16; 5,12-16; sic etiam S.Paulus: Act 19,8-12; 2 Cor 12,11.12.

527. Scholion. *Apostoli in rebus fidei et morum erant personaliter singuli infallibiles* 10. Ratio huius asserti praecipua est, quia S.Paulus, ratione suae personalis et immediatae a Christo acceptae missionis, sibi personaliter attribuit infallibilitatem, approbantibus aliis Apostolis Deoque miraculis confirmante. Atqui Apostolatus S.Pauli par erat omnino Apostolatui reliquorum Apostolorum. Ergo singuli Apostoli in rebus fidei et morum erant personaliter infallibiles.

528. *Niai,* abundantissime probari posset ex fontibus. Sufficiat aliqua notare, *a)* Ratio infallibilitatis personalis S.Pauli est efficax assistentia Dei (Act 18,10) nec non immediata et personalis a Christo accepta missio: Gal 1, 1.12.16; 2 Cor 11,5-23; r Thess 2,4.7. *b)* S.Paulus sibi attribuit infallibilitatem personalem: Gal 1,6-12; 2 Cor 11,3s; 1 Thess 2,13. *c)* S.Pauli praedicationem approbant reliqui Apostoli: Gal 2,6-10; 2 Petr 3,15s. *d)* Deus miraculis S.Pauli praedicationem et Apostolatum confirmavit: Gal. 3,5; 2 Cor 12, 12; i Thess 1,5.

Min. iam a nobis probata est th.2.

De aliis extraordinariis et personalibus Apostolorum donis confer quae scripsimus n.277-279 et 382 [11].

529. Obiectiones [12]. 1. Probatio desumpta ex Io 14,16s.26; 15,26; 16,12s inefficax est. Nam promissiones Apostolis in ultima coena a Christo factae referuntur ad solos Apostolos, non autem ad eorum successores: cf. Io 14,25.28-30; 15,27; 16,5s. Atqui huiusmodi sunt illae, quibus Christus Apostolis promisit assistentiam Spiritus Sancti. Ergo assistentia infallibilitatis refertur ad solos Apostolos, non autem ad eorum successores.

Dist. mai. Promissiones Apostolis factae intuitu personarum referuntur ad solos Apostolos, *conc. mai.;* promissiones Apostolis factae ratione muneris perpetui in ipsis a Christo instituti, referuntur ad solos Apostolos, non autem ad eorum successores, *nego mai. Contradist. min.* Promissio assistendae Spiritus Sancti facta est Apostolis ratione muneris docendi perpetui in ipsis a Christo instituti, *conc. min.;* facta est solum intuitu personarum ipsorum Apostolorum, *nego min.* Et sub datis distinctionibus, *negatur cons. et consequentia.*

530. 2. Assistentia Spiritus Sancti promittitur dependens a condicione st diligitis *me* (Io 14,15). Ergo non est absoluta, sed deficiente condicione deficere potest.

Dist. antec. Assistentia S.Spiritus promittitur dependens a condicione certo et infallibiliter impleta vel implenda, *conc. antec.;* a condicione non impleta vel cuius impletio deficere potest, *nego antec.* Promissio fit, ut patet ex textuum lectione, absolute; condicio autem, de qua Io 14,15, si vera con-

11 De aliis extraordinariis Apostolorum donis, cf. A.Straub, th.7: L.Lercher, n.28ss.
12 Cf. L.de San, *De Ecclesia* 0.239-252; D.Palmieri, |x., § 39; I.Muncunill, n.299-307.

dicio dici debeat, exhibetur vel iam impleta vel infallibiliter implenda, prout constat ex Io 14,19s; 15,33.9.14-16.195; 16,22.27.

531. 3. Argumentum desumptum ex Mc 16,16 nimis probat. Ergo nihil probat. *Ad antec.* Argumentum allatum probaret etiam, iudicium ultimo practicum conscientiae esse infallibile, in hunc modum: Deus sub discrimine salutis obligat hominem ad sequendum iudicium ultimo practicum conscientiae. Atqui talis obligatio nequit imponi nisi erga iudicium infallibile. Ergo iudicium ultimo practicum conscientiae est infallibile. Iam vero haec conclusio est falsa. Ergo etiam conclusio nostri argumenti.

Nego *antec. et nego* probari iudicium ultimo practicum conscientiae esse infallibile, ex disparitate quam patefacit distinctio quae sequitur: Dist. niai. Deus sub discrimine salutis obligat hominem ad sequendum iudicium ultimo practicum conscientiae, ut critérium rectitudinis, *conc. mai.;* ut critérium veritatis, seu ad intellectualiter assentiendum tali iudicio ut vero, *nego mai. Conc. min.* Pariter dist. *cons.* Iudicium ultimo practicum conscientiae est infallibile, ut critérium rectitudinis, *conc. cons.;* ut critérium veritatis, nego *cons.* Igitur qui sequitur iudicium ultimo practicum conscientiae, infallibiliter *recte* procedit, quamvis erret; qui vero intellectualiter assentitur iudicio definitivo Magisterii Ecclesiae, infallibiliter non errat.

532. 4. Ex Mt 23,10: *Nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester. Nec vocemini Magistri: quia Magister vester* unus est *Christus.* Ergo ipse Christus negavit Apostolos dici posse Magistros.

Dist. *antec.* Nolite vocari Rabbi, nec vocemini Magistri, inordinate, *conc. antec.;* ordinate, *subdist.:* Magister vester unus est Christus, principaliter et interne, *conc.;* ministerialiter et externe excluduntur alii Magistri, nego. Sub datis distinctionibus, *negatur cons. et consequentia.*

533· 5· Ex Is 54,13; cf. Io 6,44-45. De oeconomia messianica dicitur: *Ponam universos filios tuos doctos a Domino.* Ergo superfluum est omne hominum Magisterium.

Dist. antec. Dicitur ipsum Dominum esse hominum Magistrum de Ecclesia caelesti, *trans, antec.;* de Ecclesia terrestri, subdist.: dicitur ipsum Dominum esse hominum Magistrum assertive, conc.; exclusive, nego.

534. 6. Ex 1er 31,33s; cf. Hebr 10,16; 2 Cor 3,3. De Novo Foedere dicitur: Dabo legem meam in visceribus *eorum, et* in *corde eorum scribam eam. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum.* Ergo in Ecclesia excluditur omne Magisterium hominum.

Dist. *antec.* In Ecclesia non docebit ultra solus homo, conc. *antec.;* non docebit ullus homo, subdist. : in Ecclesia caelesti, *trans.;* in Ecclesia terrestri, *iterum subdist. :* non docebit ullus homo principaliter et interne, conc.; ministerialiter et externe, *nego.*

535. 7. Ex i Io 2,205.27: Vos *unctionem habetis a Sancto et nostis omnia. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos.* Ergo fidelibus superfluum est omne Magisterium ministeriale et externum.

Dist. antec. Fideles non necesse habent ut eos doceat aliquis ex seductoribus (1 Io 2,26), *conc. antec.;* non necesse habent ut eos doceant, qui in Ecclesia potestatem magisterii obtinent, *nego antec.* Fideles enim hac ipsa epistola docet ipse S.Ioannes, prout acute animadvertit iam S.Augustinus (ML 35,2005).

536. 8. Ex I Cor 2,15: *Spiritualis iudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur.* Ergo Magisterium saltem pro omnibus fidelibus superfluum est.

Dist. *antec.* Spiritualis, seu qui Spiritus Sancti assistentia praeditus Magisterii Ecclesiae supremam potestatem tenet, iudicat omnia et ipse a nemine indicatur, *conc. antec.;* spiritualis, seu qui Spiritu Sancto regeneratus inter Christi fideles numeratur, iudicat omnia et ipse a nemine iudicatur, *subdist.:* homo spiritualis, quatenus contrapositus homini animali vel carnali, iudicat omnia, ipse vero a nemine animali vel carnali iudicatur,· conc.; homo spiritualis, quatenus Christi fidelis etsi gratia sanctificante et Spiritu Sancto inhabitante ornatus, iudicat omnia et ipse a nemine iudicatur, *nego.* luxta modum loquendi S.Pauli, *spiritualis* est homo vivens in gratia, qui criterio supernatural! regitur; *animalis* est homo vivens secundum naturam, qui rationis naturalis criterio ducitur; *carnalis* denique est homo vivens sub concupiscentia rebelli, qui ductum eius inordinatum sequitur 13.

537. 9. Apostoli saepe erraverunt. Ergo non erant personaliter infallibiles.

Dist. *antec.* In rebus extra ambitum fidei et morum vel in doctrina non certo revelata, *trans.;* in rebus fidei vel morum vel in doctrina certo revelata, *nego.* Sic potest concedi S.Paulum erravisse, cum asseruit se non amplius visurum faciem eorum, quibus valedicebat Mileti (Act 20,25; cf· 1 Tim 1,3; 2 Tim 4,20); attamen ibi non est sermo de re fidei et morum neque de doctrina certo revelata.

538. 10. Apostoli persuasum habuerunt Dominum ad iudicium finale proxime venturum. Atqui adventus Domini ad iudicium finale est veritas revelata et nondum evenit. Ergo Apostoli erraverunt in re revelata 14.

Dist. mai. Apostoli persuasum habuerunt Dominum ad iudicium finale derto venturum, *conc. mai.;* proxime venturum, *subdist.:* Apostoli persuasum habuerunt Dominum ad iudicium finale venturum tempore incerto quod tamen poterat esse proximum, *conc.;* quod futurum erat proximum, *iterum subdist.:* Apostoli fortasse desideraverunt ut adventus Domini ad iudicium finale futurus esset proximus, *trans.;* Apostoli iudicio certo asseruerunt adventum Domini ad iudicium finale proxime futurum esse, *nego.*

Contradist. min. Est veritas revelata, Dominum ad iudicium finale certo venturum, *conc. min.;* proxime venturum, subdist..· est veritas revelata Dominum ad iudicium finale venturum tempore incerto, quod potest esse proximum, conc.; quod futurum est proximum, *iterum subdist.:* est veritas revelata Apostolos fortasse desideravisse ut adventus Domini ad iudicium finale futurus esset proximus, *trans.;* est veritas revelata Apostolos iudicio certo asseruisse, adventum Domini ad iudicium finale proxime futurum esse, *nego.* Et *nego cons. et consequentiam.*

539. Ratio harum distinctionum; a) *Dominus ad iudicium certo* venturus est: i Thess 4,15-17; i Cor 15,51-52; 1 Petr 4,5-7; 1 Io 2,18. b) *Domini adventus tempore incerto, quod tamen poterit esse proximum:* 1 Thess 5,1-6; Mt 24,36-44; 2 Petr 3,3-13,15. c) *Apostoli fortasse desideraverunt proximum Christi adventum:* 2 Cor 5,1-10; Phil 1,23; Apoc 22,20. d) *Apostoli non potuerunt asserere neque asseruerunt iudicio certo,* adventum Domini ad finale iudicium proxime esse futurum: Mt 24,36-44; Act 1,7; 1 Thess 5,1-6; 2 Thess 2,1-6; 2 Petr 3,3-13; Io 21,22-23. e) cf. D 2179-2181.

13 Cf. S.Th.. *In S.Pauli epistolas commentaria. In 1 Cor C.2* lect.3.
14 Cf. praesertim H.Dieckmann, n.694-706; I.Ottiger, 2,35-44·

CAPUT II

De perenni subtecto Magisterii infallibilis

ARTICULUS I

Episcoporum infallibilitas

Thesis 13. Episcopi, Apostolorum successores, infallibiles sunt, quando concordes sub Romano Pontifice doctrinam definitive tenendam fidelibus imponunt, sive in Concilio sive extra Concilium.

540. S.Th., *2.2* q.i a.9; q.5 a.3; *Quodl.* 9 a.16; Suarez, *Dejided.5* s.7; S.R.Bellarmino, *De Conciliis* l.2 c.2-12; Wilmers, th.65-70; Palmieri, *Prolegomena de Ecclesia* § 27-28; Straub, th.24; D'Herbigny, η.392-393; Dieckmann, th.27; Dorsch, 2,328-347; Zapelena, 2 (1954) th.17; Lercher, th.49.

541. Nexus. Thesi praecedenti probavimus Christum instituisse in Ecclesia Magisterium authenticum, infallibile et perpetuo duraturum. Nunc iam quaerimus, quodnam sit huius infallibilis Magisterii subiectum. Scientes ex th.8, Episcopos esse iure divino successores Apostolorum in eorum ordinario munere, concludimus in hac thesi, Collegium Episcoporum esse Magisterii infallibilis subiectum [1].

542. Notiones. Conceptum infallibilitatis eiusque divisiones vide th.12.

Episcopi sunt qui sacram potestatem genere suo plenam in Ecclesia obtinent. Possunt esse vel titulares vel residentiales. *Episcopi titulares* sunt qui, ut ordinariam, solam potestatem Ordinis habent. *Episcopi residentiales* sunt Ecclesiarum particularium praepositi, qui munus ordinarium pascendi aliquem fidelium gregem obtinent, cum potestate docendi, sanctificandi

1 De iis qui in Ecclesia missionem vel munus docendi habent: CIC 1323.1326-28; *Const. Apost.* Pu XI «Deus *scientiarum*· a.2is; Pius XII, «Si *diligis*»: AAS 46 (1954) 3'3-318.

et regendi genere suo plena. *Apostolorum successores* dicuntur Episcopi residentiales, ut patet ex th.8.

543. Concordes dicimus Episcopos, qui in tradenda doctrina consentiunt inter se, non solum materialiter, sed etiam formaliter, seu ita ut de eorum consensu sive explicite sive saltem implicite conscii sint.

Sub Romano Pontifice docent Episcopi, qui affectu debitae subordinationis erga eum moti, aliquam doctrinam suis fidelibus proponunt, ita ut saltem implicite conscii sint se adhaerere eidem doctrinae, quam etiam Romanus Pontifex docet. Requiritur ergo, praeter subordinationem, consensus, qui potest esse explicitus, sed sufficit ut sit tacitus.

Definitive tenendam doctrinam docent Episcopi, qui summo suae auctoritatis gradu ad assensum irrevocabilem fideles obligant.

544. Modus exercendi magisterium alius est extraordinarius alius vero ordinarius. *Extraordinarius* est modus quo magisterium exercent Episcopi coadunati in Concilio sub Romano Pontifice. *Ordinarius vero* modus est quo Episcopi, in communione cum Romano Pontifice perseverantes, magisterium exercent per orbem dispersi in suis Dioecesibus.

545. Concilium est conventus Episcoporum legitime congregatus ad deliberandum et decernendum de rebus ecclesiasticis. Potest esse Particulare et Universale. *Particulare* est Concilium, quod partem tantum Collegii Episcoporum repraesentat. *Universale* est Concilium, quod omnium Episcoporum Collegium comprehendit. Concilium Particulare appellatur *Provinciale* aut *Plenarium* si unius aut aliquarum tantum provinciarum ecclesiasticarum Episcopis constat. Appellatur Nationale aut *Regionale* si omnes alicuius nationis aut regionis Episcopi in eo coadunantur.

546. *Concilium Universale* potest esse vel Generale vel Oecumenicum. *Generale* est Concilium quod coalescit ex Episcopis omnium particularium Ecclesiarum. *Oecumenicum* dicitur Concilium Generale quod ulterius a Supremo Ecclesiae Capite, Romano Pontifice, est receptum et confirmatum. Ad

Oecumenicum Concilium requiritur et sufficit ut sub Romano Pontifice Episcopi residentiales conveniant omnes, non physice, sed moraliter, ita ut merito universam Ecclesiam docentem repraesentare censeantur 2.

Modi igitur exercendi Magisterium oecumenicum, *ordinarius,* seu extra Concilium, et *extraordinarius,* seu in Concilio, essentialiter conveniunt in eo, quod uterque est actus universae Ecclesiae docentis sub Romano Pontifice; accidentaliter differunt in eo, quod modus extraordinarius localem ulterius Episcoporum coadunationem importet.

547. Status quaestionis. Infallibilitatem tribuimus Episcopis, non omnibus, sed residentialibus; non singulis, sed ut Collegium constituentibus et locum Collegii Apostolorum tenentibus; non a Capite independentibus, sed Romano Pontifici oboedientibus et cum eo consentientibus; non actu quolibet docentibus, sed formaliter inter se et cum eorum Capite consentientibus; non auctoritatem quamlibet exercentibus, sed ad assensum omnino firmum et irrevocabilem omnes fideles obligantibus. Modus autem quo suam infallibilitatem exercent Episcopi potest esse vel ordinarius, seu extra Concilium dispersi per orbem, vel extraordinarius, seu in Concilio Oecumenico coadunati.

548. Adversarii. Praeter eos, quos in praecedenti th. 12 recensuimus, 1) Luther expresse doctrinam nostrae theseos negat (D 767-770; cf. D 657-661).

2) *lansenistae* autem Doctoris particularis auctoritatem infallibili Ecclesiae auctoritati anteponebant (D 1320). *Pistorienses* adversantur quatenus, praeter Episcopos, statuunt, alios etiam esse fidei iudices, atque synodo dioecesanae decisivam auctoritatem tribuunt (D 1510 1511).

3) Accedunt *Legistae* et *Regalistae* tenentes, definitiones Ecclesiae valore destitui, nisi a civili potestate, locum populi tenente, sancitae fuerint; neque verentur asserere Oecumenica Concilia in rebus fidei et morum definiendis erravisse (D 1723).

4) *Orientales Schismatici* eatenus nobis adversantur, quatenus subiectum infallibilitatis tenent esse Collegium aequa-

2 CIC 222-292. S.Thomas ait: «Patres in Conciliis congregati nihil statuere possunt nisi auctoritate Romani Pontificis interveniente, sine qua etiam nec Concilium congregari potest» *(Contra impugnantes Dei cultum p.2.·* c.2$: edit. Vivès t.29 p.35)·

lium sine Capite Romano Pontifice vel alio quolibet supremo Capite 3.

5) *Oecumenistae* seu *Panchristiani* hodierni independentiam omnimodam Ecclesiarum propugnant, et quamvis suum «Concilium Oecumenicum Ecclesiarum» habeant, attamen expresse inculcant, hoc eorum Concilium nullam potestatem legislativam aut iudicialem possidere, cui singulae Ecclesiae subiiciantur; Ecclesiae enim, aiunt, omnimodam suam retinent libertatem ad acceptandas vel reiiciendas decisiones «Concilii Oecumenici Ecclesiarum»4.

549. Doctrina Ecclesiae. 1) *Ecclesiae docentis infallibilitas* in genere definitur implicite in *Conc.Vaticano:* «Fidei doctrina est Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda» (D 1800); «ea infallibilitate, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit» (D 1839). His in locis «definire» et «declarare» *Ecclesiae docenti* evidenter competit (cf. D 1781 1836); ergo in eis infallibilitas de Ecclesia docente praedicatur. Ideo Episcopus Gasser, nomine *Deputationis de fide,* haec verba in *Conc. Vaticano* explicans, aiebat: «Nemine diffitente haereticum est Ecclesiae infallibilitatem in definiendis fidei dogmatibus negare» 5.

550. 2) *Infallibilitas Episcoporum in Concilio* Oecumenico definitur:

a) *Implicite, eo* quod ipsa Concilia summa auctoritate omnibus fidelibus imponant doctrinam tenendam vel credendam atque hanc obligationem urgeant damnando sub anathemate eos qui aliter senserint vel crediderint: cf. *Conc.Nicaenum* I (D 54); *Conc.Florentinum* (D 691); *Conc.Tridentinum* (D 792a 810 873a 882 910 929a 1000); *Conc.Vaticanum* (D 1781 1821).

b) *Explicite, eo* quod summa doctrinalis auctoritas Conciliorum Oecumenicorum aperte definiatur vel catholice doceatur. In *Conc.Constantinopolitano* II definita est auctoritas summa quatuor priorum Conciliorum Oecumenicorum (D 212); S.Gregorius I quatuor Concilia comparat cum Evangeliis (R 2291); Leo IX in *Symbolo Firmiter* septem priora Oecumenica Concilia auctoritate aequiparavit ipsis Evangeliis (D

3 MJugie, *Théo!. dogmat. christ. Orientalium* 4, Dc Ecclesia (1931) 484-525; N4si 40, 405407.

4 *Minutes and reports of the Third Meeting of the Central Committee of the* World Council of Churches (Toronto [Canada] July 9-15 1950), p.85.89; cf. *Jrenikon* 24 (1951) 38S.44.

s Msi 52.1227.

349); Pius IX in *Syllabo* condemnavit asserentes Oecumenica Concilia in rebus fidei vel morum definiendis erravisse (D 1723)6.

551. 3) *Infallibilitas Magisterii ordinarii,* seu extra Concilia, et *extraordinarii* seu in Conciliis Oecumenicis, implicite *definita est in Conc. Vaticano* (D 1792). Hic locus, ex declaratione facta nomine Deputationis fidei in eodem Concilio ab Episcopo Martin, intelligendus est iuxta *Litteras Apostolicas «Tuas libenter»* Pii IX (D 1683 «Namque etiamsi...»), intacta tamen relicta quaestione de infallibilitate Summi Pontificis, quam in hoc loco PP.Vaticani nec directe neque indirecte attingere voluerunt7.

552. Huius definitionis sensum, nomine Deputationis fidei, explicuit Archiepiscopus Simor: «Paragraphus, inquit, *Porro fide divina* dirigitur contra illos, qui dicunt, illud solum credendum esse, quod Concilium definivit, et non etiam illud, quod Ecclesia docens dispersa unanimi consensu tamquam divinitus revelatum praedicat et docet». Eiusdem definitionis sensum ulterius determinavit Episcopus Martin, nomine eiusdem Deputationis fidei, dicens: «Ratio quare vox *universali* apponitur, haec est, ut scilicet ne quis putet nos loqui hoc loco de Magisterio infallibili S.Sedis Apostolicae. Nam nullatenus ea fuit intentio Deputationis, quaestionem de infallibilitate Summi Pontificis sive directe sive indirecte tangere. Hoc igitur verbum «universali» idem fere significat, quod Sanctissimus Pater in suis Litteris Apostolicis expressit, nempe Magisterium totius Ecclesiae per orbem dispersae». Atque ex eisdem Pii IX Litteris desumpta sunt verba *tamquam divinitus revelata,* quae ideo in definitione inclusa sunt, «ne scilicet opiniones, quae per scholas catholicas traduntur, etiamsi certae, inserantur doctrinae fidei; nam si dicitur, Ecclesiam aliquid docere tamquam divinitus revelatum, non est possibile esse solummodo opiniones Scholae» 8. Hanc Vaticani interpretationem mirifice comprobat Pius XII 9.

553. Valor dogmaticus. Thesis est ergo *de fide* implicite *definita,* praesertim in *Conc.Vaticano,* quoad utramque partem, quoad Magisterium nempe tam ordinarium quam extraordinarium.

6 S.Gregorius, I.M., quatuor priora Oecumenica Concilia aequiparat quatuor Evangeliorum libris (R 2291). Septem priora Oecumenica Concilia fuerunt: *Nicaenum I,* a.325; *Constantinopolitanum I,* a.381; *Ephesinum,* a.431; *Chalcedonense,* a.451; *Constantinopolitanum II,* a.553; *Constantinopolitanum III,* a.681; *Nicaenum II,* a.787. Auctoritas infallibilis horum septem Conciliorum agnoscitur etiam ab Orientalibus a Romana Ecclesia separatis, ut constat ex Litteris Encyclicis synodi Constantinopolitanae, a 33 Episcopis Orthodoxis subscriptis anno 1848: Msi 40,395. Cf. F.Heiler, *Urkirche und Ostkirche* (1937) 188.

7 Msi 51,224.322. De Summi Pontificis infallibilitate agendum erat et de facto actum est in sessione sequenti, id est sess.IV (D 1832-1840).

8 Msi 51,47.322. Litteras Pii IX, ad quas Ep.Martin alludit, vide D 1683. Cf. Vacant, *Eludes théologiques sur les Constitutions du Conc. du Vatican. La Constit. «Dei Filius»* t.2 § 4 *La foi catholique et le Magistère de l'Eglise* p.82-123.

9 *Constit. Apost. «Munificentissimus Deus»,* qua Assumptionis dogma definitum est: AAS 42 (1950) 756S.769.

554. **Probatur** 1) Utraque pars, de Magisterio nempe ordinario et extraordinario, per modum unius. Episcopi infallibiles sunt quando docent ut formales successores Collegii infallibilis Apostolorum. Atqui Episcopi, docentes in condicionibus, quas assignat thesis, docent ut formales successores Collegii infallibilis Apostolorum. Ergo Episcopi, Apostolorum successores, infallibiles sunt, quando concordes sub Romano Pontifice doctrinam definitive tenendam fidelibus imponunt.

555. *Mai.* patet: a) *Ex ipso conceptu successionis formalis,* quae est subiecti substitutio absque ulla iuris mutatione; ergo Episcopi docentes ut formales successores Collegii infallibilis, necessario docere debent eodem iure, id est infallibiliter. b) *Ex causa infallibilitatis,* nam ut successores Apostolorum, Episcopi gaudent assistentia infallibilitatis in docendo, quam Christus absolute promisit Apostolis perpetuo duraturam, in eorum nempe successoribus (Mt 28,18; Io 14,16.26; 16,12.13; cf. th.12 n.519-523). Ergo Episcopi docentes ut formales successores Apostolorum, summo auctoritatis gradu, magisterium exercent sub assistentia infallibilitatis, id est infallibiliter.

556. *Min.* In condicionibus, quas assignat thesis, Episcopi docent *a)* ut Collegium, quia concordes sub Romano Pontifice, *b)* summo auctoritatis doctrinalis gradu, quia definitive docent, *c)* obligatione imposita sub salutis discrimine, quia doctrinam omnino tenendam imponunt, *d)* universum fidelium gregem, quia Episcopi omnes residentiales sunt qui docent. Ergo Episcopi, docentes in condicionibus quas assignat thesis, docent ut Collegium eadem, summa, peremptoria, universali potestate Apostolis a Christo data, docent nempe ut formales successores Collegii infallibilis Apostolorum.

557. Atqui condiciones, quas assignat thesis, aeque bene verificantur tam in Concilio Oecumenico, quam extra Concilium. Ergo in condicionibus, quas assignat thesis, Episcopi infallibiles sunt, quando docent tam modo extraordinario seu in Concilio Oecumenico, quam modo ordinario seu extra Concilium per orbem dispersi.

558. *Antec.* A. Condiciones theseos verificantur in Concilio Oecumenico 10:

0 Cf. infra, n.573-581, Scholion 1, *Dc Concilio Oecumenico.*

a) *Concordes* in eo docent, quia consensus Episcoporum inter se et cum Capite Romano Pontifice est id quod primo ac per se intenditur obtinendum in Concilio, secus nullum decretum datur.

b) *Sub Romano Pontifice* in Concilio docent Episcopi, quia approbatio et definitiva confirmatio Summi Pontificis adeo essentialis et necessaria est, ut sine ea nihil prorsus a Concilio decerni possit; Concilium enim est essentialiter et necessario Corpus Episcoporum sub Capite Summo Pontifice, et sine hoc Capite neque Concilii Oecumenici decretum neque ipsum hoc Concilium concipi potest (cf. notam 2).

559. c) *Doctrinam definiunt,* quia proprium hoc est Concilii Oecumenici, decreta definitiva condere, quibus statuitur doctrina tenenda vel credenda, et anathemate damnare eos qui sententiam contrariam teneant vel credant.

d) *Doctrinam tenendam imponunt,* quia Concilium suis decretis ad assensum omnino firmum et irrevocabilem fideles obligat, et quidem sub salutis discrimine, prout explicite ipsis Concilii Oecumenici decretis cavetur.

e) *Universos fideles docent,* quia Concilium, utpote Universale et Oecumenicum, universam Ecclesiam docentem repraesentat et ad universum fidelium gregem sua decreta dirigit.

Ergo in Oecumenico Concilio manifeste verificantur condiciones quas nostra thesis enuntiat.

560. *Antec.* B. Condiciones theseos verificantur etiam extra Concilium in universali et ordinario Episcoporum Magisterio.

a) *Concordes* Episcopos omnes docere, et quidem ita ut etiam formalis consensus eorum detur, constare bene potest ex communicatione ipsorum Episcoporum inter se et maxime cum Romano Pontifice.

b) *Sub Romano Pontifice* Episcopos per orbem dispersos docere, patet ex eorum communione et communicatione cum Summo Pontifice, atque ex professione debitae subordinationis et oboedientiae erga eum.

c) *Doctrinam definitive* ab Episcopis doceri, et *d)* eam *omnino tenendam imponere,* constare facile potest ex formulis, quibus et doctrinae gravitatem commendant et obligationem ad firmum et irrevocabilem assensum, urgent.

e) *Ad universos fideles* Episcopos dirigi, patet, quia ex sup-

posito, est Magisterium consentiens omnium moraliter Episcoporum Ecclesiae.

Ergo etiam in Magisterio ordinario Episcoporum per orbem dispersorum verificantur condiciones, quas nostra thesis assignat.

561. Probatur 2) Infallibilitas Magisterii ordinarii Episcoporum extra Concilium Oecumenicum docentium. Nam Christus dum Apostolos in mundum universum ad praedicandum Evangelium misit, simul assistentiam infallibilitatis usque ad consummationem saeculi duraturam promisit, atque talem in docendo auctoritatem eis contulit, ut omnes homines ad assensum praestandum sub discrimine salutis obligarentur (Mt 28,18-20; Mc 16,15). Atqui hae sunt dotes Magisterii ordinarii et infallibilis Apostolorum eorumque successorum per orbem dispersorum. Ergo Magisterium ordinarium Episcoporum per orbem dispersorum est infallibile.

562. Confirmatur 3) haec ultima conclusio. Nam Christus tribuit perenniter Collegio Apostolorum infallibilitatem sine ulla locali restrictione et pro ordinaria fidelium directione. Atqui haec non obtinerent si Episcoporum Collegium esset infallibile solum in Concilio Oecumenico. Ergo Episcoporum Collegium est etiam infallibile extra Concilium, seu quando supremum Magisterium ordinario modo exercet.

Mai. patet per se et ex Mt 28,18-20; Mc 16,15.

563. *Min.* facile probatur, quia Concilium Oecumenicum est medium adeo extraordinarium et difficile, ut raro et saepe longo interiecto temporis spatio celebrari possit:

Sic enim I Oecumenicum (Nicaenum I) habitum est anno 325.

Inter IV Oecumen. (Chalcedonense anni 451) et V Oecumen. (Constantinopolitanum II anni 553) intersunt 102 anni.

Inter V et VI Oecumen. (Constantinopolitana II et III annorum 553 et 680) intersunt 127 anni.

Inter VI Oecumen. (Constantinopolitanum III anni 680) et VII Occumen. (Nicaenum II anni 787) intersunt 107 anni.

Inter VIII Oecumen. (Constantinopolitanum IV anni 870) et IX Oecumen. (Lateranense I anni 1123) intersunt 253 anni.

Inter XIX Oecumen. (Tridentinum anni 1563) et XX Oecumen. (Vaticanum anni 1870) intersunt 307 anni U.

11 Cf. infra, n.582, Scholion 2, *Concilia Oecumenica.*

564. Probatur 4) Ex i Tim 3,15: *Ut scias quomodo oporteat te* in *domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* 'Εκκλησία jleoü ζών-ros, στύλο; καί ἑδραίωμα τη; ἀληθεΐα; 12ǂ3

565. Iam vero: *a)* Haec verba a Catholicis semper, et usque ad saeculum XVI ab omnibus Christianis intelliguntur dicta de Ecclesia universali; *b)* Conc.Tridentinum, Gregorius XVI, Patres in Conc.Vaticano eadem verba intellexerunt etiam dicta de Ecclesia universali ad significandam eius ab errore immunitatem *c)* Protestantes vero ab hac communi Christianorum textus interpretatione recesserunt: atque eorum aliqui verba referunt ad ea quae sequuntur, in quibus sermo est de Incarnationis mysterio, ita ut S.Paulus dicat, Incarnationis mysterium esse columnam et firmamentum veritatis; alii vero eadem verba arbitrantur referenda esse vel ad Timotheum vel ad particularem Ephesiorum Ecclesiam.

566. In contrarium dicendum est: *a)* Ea verba non posse referri ad ea quae sequuntur, nam hoc prohibet antiqua unanimis interpretatio, necnon traditionalis textus punctuatio, quam Protestantes inconsulto mutare coguntur, adversus sinceram textus traditionem a maioribus acceptam; *b)* ad Timotheum vero eadem verba S.Paulus apte referre non potest, hoc enim nec patitur naturalis textus sensus, nec consonat cum iis quae ipse S.Paulus de Timotheo dicit, cum illum potius describat indole debilem atque egentem ut a S.Paulo instruatur et confirmetur, quare non potest eum simul appellare columnam et firmamentum veritatis (cf. 1 Tim 4,11-16; 2 Tim 1,6-9; 2,1-7; 4,i-s); c) de particulari denique Ephesiorum Ecclesia intelligi nequeunt haec S.Pauli verba, quia apud eum vox «Ecclesia Dei» adhibetur ad significandam Ecclesiam universalem, et quia de illa particulari Ecclesia non potest S.Paulus apte dicere absolute eam esse columnam et firmamentum veritatis, prout patet ex sollicitudine qua Apostolus curat Timotheum instruere de ratione eam gubernandi et firmandi '4.

567. His positis, arguimus: Ecclesia dicitur a S.Paulo absolute columna et firmamentum veritatis. Atqui hoc necessario implicat infallibilitatem. Ergo Ecclesia dicitur a S.Paulo implicite infallibilis. Atqui Ecclesia nequit vere dici infallibilis nisi ii, qui in ea munus hierarchicum docendi habent, seu Episcopi, in condicionibus quas assignat thesis, infallibiles sint. Ergo Episcopi docentes in condicionibus quas assignat thesis sunt infallibiles.

568. *Min.* subsumpta declaratur: Nam Episcopi, ut Apostolorum successores, hierarchicum eorum docendi munus habent, cui fideles oboedire tenentur; iam vero si Episcopi docentes in condicionibus summae auctoritatis, quas assignat thesis, errare possent, tunc universa fidelium Ecclesia vel eos errantes sequeretur vel non: si primum, Ecclesia non esset firmata in veritate nec proinde dici posset firmamentum veritatis; si secundum, Ec-

12 Cf. in 1 Tim 3,15 commentatores, exempli gratia, S.TIIOMAM, Knabenbauer, N4.Sai.es, Pirot-Bardy. Vide etiam F.Zorei.i., *N.T. Lexicon graecum: στυλό;* ἑδραίωμα ἀλήὁεια.

13 Conc.Tridenliman: D 874: Patres in Conc.Vaticano: Msi 53,313: Gregorius XVI: D 1617; Pius XI: D 2204: Pius XII, *«Munificentissimus Dens»;* AAS 42 (1950) 767. Pius IX ait: «Catholica Ecclesia, quae a Sancto semper edocta Spiritu columna est *et firmamentum veritatis»;* Bulla «Ineffabilis Deus»: CL 6,836 c.

14 Cf. th.3, in qua ostendimus denominationem «Ecclesiae Dei» adhiberi in N.T. sensu universali; F.M.Braun, Nuoui *aspetti dei problema delta Chiesa* (1943) 38-45: K.L.Schmidt, Die Kirche *des Urchristentums:* Festgabc für Adolf Deissmann (1927) p.259-319· Pro sensu universali huius denominationis apud S.Paulum, cf. 1 Cor T,t; 10,32; 11,22; 75,19; 2 Cor 1,1; Gal 1,13; Eph 3,xo; i Thess t,t; 2,14; 2 Thess 1,1.4; 1 Tim 3.5·25·

clesia deficeret ab unitate et subordinatione hierarchica, nec proinde dici posset simpliciter columna et firmamentum, utpote labilis et defectibilis. Ergo Ecclesia nequit vere dici infallibilis nisi Episcopi, in condicionibus quas assignat thesis, infallibiles sint.

569. Confirmatur 5) *auctoritate SS.Patrum.*

S.Ignatius M. Ephes 3,2: «Anteverti vos admonere ut uniamini in sententia Dei. Etenim Iesus Christus inseparabilis nostra vita, sententia Patris est, ut et Episcopi, per tractus terrae constituti, in sententia lesu Christi sunt. Unde decet vos in Episcopi sententiam concurrere, quod et facitis» 15.

570. S.Irenaeus docet: *a)* Summum revelatae veritatis critérium esse Episcoporum consensum (R 242); *b)* Episcoporum autem consensum necessario cum Romani Pontificis sententia concordare (R 209-210).

Tertullianus tenet: *a)* Critérium revelatae veritatis esse Episcoporum consentientem sententiam (R 293 295); *h)* Romanam vero Ecclesiam «totam doctrinam» Apostolorum custodire (R 297).

Origenes: «Illa sola, inquit, credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica praedicatione, per successionis ordinem ab Apostolis tradita, discordat» (R 443).

571. S.Ambrosius: «A Concilio, ait, Nicaeno me nec mors nec gladius poterit separare» (R 1250).

S.Augustinus: «Illa autem, quae non scripta sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intellegi vel ab ipsis Apostolis vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata ac statuta retineri» (R 1419). Et alibi: «Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes haereses pugnans; pugnare potest, expugnari tamen non potest. Haereses omnes de illa exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite praecisa; ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua» (R 1535).

572. S.Leo M.: «De custodiendis sanctorum Patrum statutis, quae in synodo Nicaena inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam Vestrae Sanctitatis admoneo» (R 2185). Haec scribebat ad Episcopos Conc.Chalcedonensis.

S.Gregorius M.: «Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor, ... quia universali sunt consensu constituta. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit» (R 2291).

573. Scholion 1. De Concilio Oecumenico 16 1) *Ius vigens* exprimitur in CIC cn.222-229, ubi praesertim statuuntur partes, quae in Concilio Oecumenico competunt eius Capiti, Romano Pontifici; definiuntur officia propria membrorum Concilii; et accurate determinatur suprema Concilii Oecumenici auctoritas eiusque relatio ad Summi Pontificis primatialem potestatem.

15 F.X.Funk, *Patres Apostolic!* 1,216; cf. R 38.

i» Cf. H.Dikckmann, n.733-741; Ae.Dorsch, 291; L.Lercher, n.468-473; F.X.Wernz-P.Vidal, *Ius Canonicum* t.2 11.455-463; H.van Laak, *Repctitorium p.jst-by.'*

574. 2) *Fundamentum theologicum* Concilii Oecumenici est divina institutio Collegii Apostolorum. Christus enim instituit Apostolorum Collegium ut Corpus Capitatum, constans scilicet Capite S.Petro et membris Apostolis, ad opus suum in terris potestative continuandum. Munus suum Apostoli sub Petro exercebant, vel ordinario modo per orbem dispersi, vel extraordinario modo coadunati, in Concilio videlicet Hierosolimitano: Act 15,6-35.

575· 3) *Ratio iuris* seu potestatis Concilii Oecumenici est formalis successio. Collegio enim Apostolorum formaliter succedit Collegium Episcoporum, quod ideo est etiam Corpus Capitatum, constans nempe Capite Romano Pontifice successore S.Petri, et membris Episcopis successoribus Apostolorum. Munus suum exercent Episcopi sub Romano Pontifice, vel ordinario modo per orbem dispersi, vel extraordinario modo in Concilio Oecumenico coadunati. Duo ergo ex divina institutione essentialia sunt in Collegio et consequenter in Concilio: Primum est Caput, quod est successor S.Petri in Primatu; alterum est Corpus, quod constituunt Episcopi Apostolorum successores, et quidem de iure, physice omnes, de facto, moraliter omnes.

576. 4) *Notio:* Concilium Oecumcnicum est ergo conventus legitimus omnium Episcoporum sub Romano Pontifice congregatus ad deliberandum et decernendum de rebus ecclesiasticis. Episcopi, qui proprio iure in Concilium conveniunt, sunt residentiales seu Apostolorum successores, *omnes* vel *physice* vel *moraliter* convenire debent prout conventio vel *de iure vel de facto* sumatur. Brevius: Concilium Oecumenicum est corpus hierarchicum Episcoporum Ecclesiae sub Primate coactum (cf. D 340).

577· 5) *Convocatio Concilii Oecumenici* exigit: *a)* ratione Capitis, ut ius convocandi ad solum Romanum Pontificem pertinere agnoscatur (D 740); *b)* ratione Cx>rporis, ut convocatio extendatur ad omnes Episcopos ordinarios Ecclesiarum pastores in communione cum Summo Pontifice exsistentes. Ex iure ecclesiastico alii praeterea convocari poterunt, sed non iure proprio (D 1510).

578. 6) *Celebratio Concilii Oecumenici* postulat: *a)* ex parte Capitis, ut ius praesidendi ac dirigendi Concilium ad solum Romanum Pontificem pertinere agnoscatur (D 149); *b)* ex parte Corporis, ut Episcopi tali numero et ex tot mundi partibus conveniant, ut secundum moralem aestimationem universum Episcoporum Collegium repraesentare censeantur. Haec moralis aestimatio ad lucem factorum efformanda est '7.

1' Cf. H.Dieckmank, n.733-736.

579· 7) *Confirmatio Concilii Oecumenici* requirit: *a)* ex parte Capitis, ut Summus Pontifex definitive eius decreta confirmet et quidem actu formali sive antecedente sive concomitante sive consequente; *b)* ex parte Corporis, ut Episcopi in Concilio coadunati moraliter omnes consentiant saltem cum Summo Pontifice decreta confirmante.

580. 8) *De facto,* Concilium in quo clarius patuit oecumenicitas fuit sine dubio Vaticanum. In eo enim sub directione Summi Pontificis, ex 1.050 Episcopis, qui de iure interesse potuerunt, interfuerunt 747; ex 11 Patriarchis adfuerunt 10; ex 11 Primatibus adfuerunt 10; ex 127 Archiepiscopis sessioni III interfuerunt 107, quorum 53 ex Europa, 23 ex Oriente graeco, 16 ex America. In eadem III sessione, ex 529 Episcopis votum dederunt 456, quorum 297 ex Europa, 73 ex America, 13 ex Asia occidentali, 33 ex Asia orientali, 13 ex Australia et Occeania, 9 ex Africa. Aliorum Oecumenicorum Conciliorum data vide in Scholio sequenti, n.582.

581. 9) *Concilia Generalia* appellantur ea quae ratione Corporis, seu ratione numeri et significationis Episcoporum, universum Collegii eorum Corpus moraliter repraesentant, sed quorum decretis deest Capitis, seu Romani Pontificis confirmatio. Talia censentur *Concilium Sardicense* in Illyrico anno 347 habitum, *Concilium Pisanum* anni 1409, *Concilium Basileense* annorum 1431-1434.1437.1443.

10) *Concilia particularia* sunt conventus plurium Episcoporum, legitime coacti, ad decernendum de rebus ecclesiasticis.

Requiritur *a)* ut *Episcopi sint plures;* ergo *synodi dioecesanae,* decimo quoque anno ab unoquoque Episcopo cum suo clero celebrandae, non sunt *Concilia,* quia unicus in eis est legislator et iudex Ordinarius illius loci seu Dioecesis (CIC 356-62). *Concilium Provinciale* est si ad unam provinciam, *Plenarium* vero dicitur si ad duas vel plures provincias ecclesiasticas Episcopi pertineant.

Requiritur *b)* ut Episcoporum *conventus sit legitime coactus,* id est iuxta condiciones quae a iure requiruntur, quarum praecipuae sunt, ut convocatio et praesidentia ad Conc.Provinciale per Metropolitam, ad plenarium vero per Legatum Summi Pontificis exsequantur, atque ut a S.Sede Concilii Acta ante promulgationem approbentur (CIC 281-91). Ideoque neque *Conferentiae,* quae dicuntur, Episcoporum plurium provinciarum, neque *coadunationes Episcoporum* eiusdem provinciae, quinto quoque anno convocandae (CIC 292), *Concilia* sunt.

Requiritur c) ut *decreta sint de rebus ecclesiasticis.* Circa res enim mere profanas, Concilia ut talia auctoritatem non habent; de rebus vero ecclesiasticis «decreta Concilii plenarii et provincialis promulgata obligant in suo cuiusque territorio universo» (CIC 291 § 2), et quidem obligatione respondente auctoritati episcopali. Itaque *subditi* Episcoporum, qui in Conciliis huiusmodi aliquid praescripserunt, tenentur erga decreta *disciplinaria, ad oboedientiam* religiosam, erga decreta *doctrinalia,* quamvis fallibilia, *ad assensum intellectus* (CIC 1326). Approbatione autem *Congregationis Concilii* de se non plus eis auctoritatis accrescit, nisi fuerint speciali modo ad actus ipsius Summi *Pontificis* evecta, ut fuerunt exempli gratia Concilia *Mileuitanum II* (a.416) et *Carthaginense XVI* (a.418) a Papa Zosimo necnon Arausicanum *II* (a.529) a Bonifacio II confirmata (D 101-108 174-200)[18].

N.B. Ad sequentem n.582: Data quae afferimus in hoc paradigmate,

18 Cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia* 0.7163. Plura de obligatione assensus erga decreta authentica, etsi tallibilia, vide infra n.674-76.

sunt vel certa vel saltem probabiliora. Cf. Hefele-Leclercq, *Histoire des Conciles* i p.1-124; J.Forget, *Conciles:* DTC; H.Kilber, *Theologia Wirceburgensis,* l De principiis theologicis, d.2 c.2 p.162-230. Seriem omnium Conciliorum, tam generalium quam particularium, secundum chronologicum ordinem Harduini, usque ad medium fere saeculum XVIII, habes apud Kll.BER, I.C., p.145-162.

Significatio abbreviationum: Ab. = Abbas; ca. = circa; Card. = Cardinalis; ctra. = contra; Dc. = Diaconus, Ep. = Episcopus; Eps. = Episcopi; Ip. = Imperator vel Imperatrix; Oc. = Occidentales; Or. — Orientales; Pb. = Presbyter; Pbs. = Presbyteri; plur. = plures; Pr. = Praelati.

Concilium	Anno	Convocavit	Celebratum sub Papa	Confirmatum	Interfuerunt	Egit praesertim
r. Nicaenum I	325	(Constantinus I	*Silvestre J,* qui praes, per Hosium Ep. Vi tum et Vincentium Pbs.	⁞Silvestre *l*	ca.318 Ep- ΘΓ·	De consubstantialitate Verbi ctra. Arium.
2. Constantin. I	381	Theodosius ⁞	*Damaso,* qui non interfuit.	u⁞ 382 vel post 490	ca.,86 Ep- Or- solum	De divinitate Spir. Sti. ctra. Macedon.
3· Ephesinum	431	Theodosius ⁞⁞	*Gaelestino 1,* qui praes, per Archadium ■ Proiectum Eps., Philip. Pb.	\('aelestino *l*	ca.250 Ep· ΘΓ·	De una persona in Christo ctra. Nestorium, et de gratia ctra. Pelagium.
4. Chalcedonen.	4SI	Pulcheria Ip.	*Leone I,* qui praes, per Paschasium et Lu- centium Eps. Bonifac. Pb.	⁞ *Leone I*	ca.6oo Ep Or. et Pr.	De distinctione duarum in Christo natura- rum ctra. Eutichem monophysitam.
5. Constantin II	553	Iustinian. I	*Vigilio,* qui renuit intéresse.	» *Vigilio* vd a *Gregorio I,* ' n.59I.	ca. 150 Ep· ΘΓ·	De origenismo et de tribus capitulis Theo- dori. Theodoreti et Ibae.
6 Constantin. HI	680	Constantin. IV	*Agathone,* qui misit Theodorum ct Get· gium Pbs. loannem De.	ь Leone *II,* a.682	ca.t74 Ep· E>r	De duabus in Christo voluntatibus ctra. Monotheletas et Monoergetas.
7. Nicaenum II	787	Irene Ip.	*Hadriano I,* qui misit Petrum Pb. et Pt trum Ab.	ч‹ *Hadriano I* vel post a.866	ca. 390 Ep- Of· ct Er.	De cultu imaginum ctra. Iconoclastas.
8. Constantin. IV	870	Basilius Ip.	*Hadriano ⁞⁞,* qui misit Donatum ct Sti phanum Eps.fcMarinum De.	⁞‹ *Hadriano ⁞⁞*	ca. 102 Ep. Of·	De regula fidei contra varios errores ct de Photii depositione.
9. Latcran. I	>123	Callistus II	*Callisto ⁞⁞.* et ab eo directum.	⁞ Callisto *II*	300 Pr. Oc.	De Investitura, disciplina, moribus.
10. Lateran. II	' '39	Innocent- II	*Innocent. Il,* ct per suos legatos direct. ■	⁞⁞› Innocent. //	ca. 1.000 Pr· Oc.	De disciplina, moribus, ctra. schismata.
ii. Latcran. Ill	"79	Alexandre HI	*Alexand. III,* et a suis legatis direct.	uh *Alexandro III*	300 Ep. Oc. 400 Pi·	De Papae electione et ctra. Albigenses seu Catharos.
X2. Latcran. IV	>2·5	Innocent. Ill	*Innocent. Ill,* et a suis legatis direct.	uh *Innocent. Ill*	412 Ep. Oc. 388 Pr.	De moribus et disciplina, et ctra. Waldens. Albigen. ct Ab. loachim.
13. Lugdun. I	1245	Innocent. IV	*Innocent. IV,* ct a suis legatis direct.	lib Innocent. *IV*	140 Ep. Oc. plur. Pr.	De disciplina et deposit. Frideric. II.
14. Lugdun. ⁞⁞	"74	Gregorius X	*Gregorio X,* et a suis legatis direct.	. *Gregorio X*	500 Ep. 57° Pr·	De unione Graec. (vocati Thom. et Bonav.).
15. Viennense	«3U	Clemens V (Avig.)	*Clemente V,* et a suis legatis direct.	* *Clemente V*	114 vel 300? Oc.	De disciplina, suppres. Templariorum, ctra. Beguar. et Béguin, et P. ⁞. Olivi.
16. Constantien.	'414-1418	Scgismund. Ip.	*Gregorio XII* et *Martino V.*	u Martino V	32 Card. 183 Ep. too Ab. 35° Pr·	Dc auferendo schismate occidentali et de erroribus Wiclef et Huss.
17. Florentinum	*438-1445	Eugenius IV	*Eugenio IV,* et ab eo vel a suis legatis dn rectum.	ub *Eugenio IV*	ISO Ep. Oc. plures Ep. Or.	De unione Orientalium. Unionis formulam subscripserunt Epi. 115 Oc. 33 Or.
18. Latcran. V	1512-1517	Iulius II	*Iulio ⁞⁞* et *Leone X,* et a suis legatis dire turn.	⁞ *LeoneX*	115 Ep. Oc.	De Ecclesiae reformatione et Regum pace, ct ctra. Nco-Aristotelicos.
19. Tridentinum	1545-1563	Paulus III	*Paulo III, Iulio III, Pio IV, et* per coru legatos directum.	⁞⁞ Pio *IV*	initio 70 Ep., dein 252 ad sum- mum sess. ultima.	De dogmate ctra. Protestantes, et de disci- plina et reformatione Ecclesiae.
20. Vaticanum	1870	Pius IX	*Pio IX,* et ab eius legatis directum.	▮ Pio *IX*	747 Ep. ex 5 mundi partibus.·	De fide et de Ecclesia ctra. Rationalistas, semirational, et Gallicanos.

583. Scholion 3. Magisterii ordinarii infallibilis exercitium frequentissimum est. Inde ab initio Ecclesiae usque ad ipsum nostrum tempus eo usi sunt Episcopi ad praescribenda Symbola fidei ante susceptionem Baptismi ab adultis profitenda; ad urgendam gravem obligationem professionis verae fidei suis gregibus; ad coercendos et refutandos graves errores in rebus fidei et morum qui saepe temporum decursu occurrunt; ad declarandam et urgendam gravem obligationem qua fideles tenentur amplecti sollemnes definitiones Summorum Pontificum et Conciliorum Oecumenicorum; uno verbo ad custodiendas, proponendas et declarandas suis fidelibus res fidei et morum, quae *necessariae censentur ad communem eorum instructionem moralem et religiosam.* De difficilioribus vero rebus fidei vel morum, de quibus graviores controversiae inter Christianos agitantur, infallibile iudicium proferre proprium est *Magisterii extraordinarii,* quod fit sollemni iudicio sive Concilii Oecumenici sive Romani Pontificis ex cathedra loquentis I9.

584. Obiectiones 20. **t**. Singuli Episcopi sunt fallibiles. Ergo etiam consensus omnium sub Romano Pontifice fallibilis est.

Conc. antec. Dist. cons. Consensus omnium Episcoporum sub Romano Pontifice esset fallibilis si non accederet divina infallibilitatis assistentia tali consensui promissa, *conc.;* si accedit divina infallibilitatis assistentia tali consensui promissa, *nego.·* Et sub data distinctione, *nego consequentiam.*

2. Episcopi omnes, sub Romano Pontifice, divina etiam assistentia muniti, libere agunt in consentiendo. Ergo consentire possunt in errore.

Dist. antec. Episcopi omnes, sub Romano Pontifice, divina eJam assistentia muniti libere agunt in consentiendo, libertate contradictionis, conc.; libertate contrarietatis, *subdist. :* ita tamen ut sub efficaci Dei assistentia libere quidem, sed indefectibiliter consentiant in veritate, *conc.;* ita vero ut sub efficaci Dei assistentia consequenter possint in errore consentire, *nego.* Sub data distinctione, nego *cons. et consequentiam.* Hic liber quidem, sed simul indefectibilis, sub efficaci Dei assistentia, in veritate consensus explicari potest vario modo, iuxta varia theologorum systhemata, ad conciliandam hominis libertatem cum efficaci Dei gratia, adinventa.

585. 3. Iudicium Ecclesiae docentis pendet a praevia inquisitione veritatis. Atqui in praevia inquisitione veritatis Ecclesia docens falli potest. Ergo etiam iudicium Ecclesiae docentis fallibile est.

Dist. *mai.* Iudicium Ecclesiae docentis pendet a praevia inquisitione veritatis, tamquam a condicione sine qua tale iudicium licite emitti nequit, *conc.;* tamquam a condicione sine qua tale iudicium valide emitti nequit, nego. *Trans, min.* et pariter dist. *cons.* Indicium Ecclesiae docentis fallibile esset, si a praevia veritatis inquisitione penderet tamquam a condicione, sine qua valide emitti non posset, *conc. cons.;* si a praevia veritatis inquisitione pendet solum tamquam a condicione, sine qua licite emitti non potest, nego.

*' V.Bainvel, *De Magisterio* n.ioi; J.Bellamy. *La Theol. cathol. au XIX'siêcte p.233-42: A.Vacant, Etudes theol. sur les Const, du Conc. du Vatic. 2* n.621-764; H.van Laak, *Repetitorium* p.446-53.534-36.

20 I.Mvncunill, n.299.307; Ph.Alonso Barcena, *De Magisterio* th.s.

Cum Ecclesiae Magisterium sit a Christo statutum ad custodiendum et declarandum fidei depositum, Ecclesia docens gravissimam, habet obligationem inquirendi diligenter, quid in fontibus revelationis contineatur, antequam iudicium definitive tenendum fidelibus imponat. Quod si ab hac obligatione deficeret, illicite certo ageret; iudicium tamen suum valorem haberet et infallibile esset, in virtute assistentiae efficacis Dei absolute promissae, vi cuius iudicium Magisterii definitivum infallibile est.

586. 4. Magisterium infallibile posset obligare fideles ad assensum internum intellectuale. Atqui Ecclesia nequit obligare fideles ad actus internos. Ergo in Ecclesia nequit dari Magisterium infallibile.

Conc. mai. Dist. min. Ecclesia nequit obligare fideles ad actus internos, potestate docendi, *nego min.;* potestate regendi, *subdist. :* indirecte, *nego;* directe, *iterum subdist.:* potestate quae sit propria, *trans.;* potestate Dei vicaria, nego. Et sub datis distinctionibus, nego cons. *et consequentiam.*

587. 5. Post universam Apostolorum praedicationem et post inspirata N.T. scripta ab Apostolis Ecclesiae tradita, nulla est necessitas Magisterii infallibilis. Ergo post mortem omnium Apostolorum non datur in Ecclesia infallibile Magisterium.

Dist. *antec.* Post Apostolorum praedicationem et post inspirata N.T. scripta, nulla esset necessitas Magisterii infallibilis, si eius finis esset perficere vel complere vel augere revelationis depositum, ab Apostolis acceptum, *conc.;* si eius finis est depositum revelationis ab Apostolis acceptum custodire vel declarare vel explicare, *nego.* Pariter dist. *cons.* Post mortem omnium Apostolorum non datur in Ecclesia infallibile Magisterium, ad perficiendum vel complendum vel augendum revelationis depositum ab Apostolis acceptum, *conc·;* ad custodiendum vel declarandunj vel explicandum revelationis depositum ab Apostolis acceptum, *nego.* Et nego *consequentiam.*

588. 6. S.Gregorius Nazianzenus 21; «Ego, inquit, hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius Concilii finem laetum et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum, potius, quam accessionem et incrementum habuerint. Semper enim sunt contentiones et dominandi cupiditates». Ergo videtur non agnoscere auctoritatem infallibilem Concilii.

Conc. antec. et dist. *cons.* S.Gregorius loquitur de Conciliis particularibus, *conc. cons.;* loquitur de unico Concilio, quod ut Oecumenicum agnoscebatur, quando hanc epistolam, ca.381, scribebat, *subdist.:* conqueritur de abusibus, qui ex humana fragilitate, propter «contentiones et dominandi cupiditates», etiam in Oecumenicis Conciliis occurrere possunt, *conc.;* dubitat de infallibilitate Concilii Oecumenici *Nicaeni I, nego.*

589. 7. S.Augustinus, ca.40022: «Quis nesciat, inquit, ipsa Concilia, quai per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quae fiunt ex universo orbe christiano, sine ullis ambagibus cedere; ipsaque plenaria saepe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clasum erat, et cognoscitur, quod latebat?» Ergo S.Augustinus, non solum particularia, sed etiam plenaria Concilia esse errori obnoxia, quem emendare oporteat, tenebat.

Conc. antec. et *dist. cons.* S.Augustinus tenebat Concilia particularia esse fallibilia, conc. *cons.;* S.Augustinus tenebat, duo sola Concilia Oecumenica,

21 S.Gregorius Naz., *Epist.* 130 *ad Procopium* ca.381 : MG 37,225.
22 S.Augustinus, *De Baptismo* 2,3.4: ML 43,128; CSEL 51,178.

Nicaenum I et Constantinopolitanum I, habita ante annum 400, quo haec scribebat, emendationi esse obnoxia, *subdist.:* S.Augustinus tenebat Conciliorum Oecumenicorum decreta obnoxia esse declarationi et explicationi posteriorum Conciliorum, *conc.;* obnoxia esse correctioni ab errore, *nego.*

590. 8. *Concilium Constantiense* definivit: «Potestati Concilii oboedire tenetur quilibet, cuiuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis exsistat» (D 657 nota 2). Ergo Conc.Constantiense erravit.

Dist. antec. Conc.Constantiense definivit, Papam dubie legitimum vel ut persona privata errantem teneri oboedire Concilio, *trans, antec.;* definivit Papam indubie legitimum ve) ex cathedra docentem esse simpliciter subordinatum Concilio, *subdist.:* hoc definivit Conc.Constantiense ut Conc. Oecumenicum seu ut a Summo Pontifice confirmatum, *nego;* hoc definivit ut Concilium mere Generale, *trans.*

N.B. In obiectionibus, quae afferri possunt ex Conciliis contra subiectum infallibilitatis, bene attendenda sunt adiuncta historica atque accurate animadvertenda sunt tria: *primum* utrum subiectum definiens revera sit Conc. Oecumenicum seu a Summo Pontifice confirmatum, necne; *secundum,* utrum obiectum definitionis sit materia de fide vel moribus necne; *tertium* utrum forma decernendi sit indicium revera definitorium necne. Etenim actus infallibilis non datur nisi certo concurrant haec tria: subiectum nempe, obiectum et forma, quae requiruntur 23.

ARTICULUS II

Infallibilitas Summi Pontificis

Thesis 14. Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, ea infallibilitate pollet, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit *(Conc. Vatic.* D 1839).

591. S.Th., 2.2 q.i a.io; *De pot.* q.io a.4 ad 13; S.Bellarm., *De Rom. Pontif.* 4 c.1-14; Suarez, *De fide* d.5 s.8; Cano, *De Locis* 6 c.1-8; J.Sâenz de Aguirre, *Auctoritas infallibilis Cathedrae S.Petri* (1683); Thirsus Gonzalez, *De Infallibilitate Romani Pontificis* (1689); Palmieri, th.25-36; Straub, n.970; Dieckmann, n.748; D'Herbjgny, n.394; Billot, th.31-32; Muncunill, n.443; Wilmers, n.228; De Groot, q.16 3.5s; Schultes, 3.49s; De Guibert, n.299; Lercher, n.483; Zapelena, th.18; Dorsch, th.21. De doctrina Conc.Vatic., cf. Th.Granderath, *Constitutiones Conc. Vatic.* 165-200.230-234; P.Ballerini, *De infallibilitate pontificia:* Mig., *Theol. Curs.* III 1168-1264.

592. Nexus. Probavimus Collegium Episcoporum ut formaliter succedens Collegio Apostolorum praerogativa infallibilitatis gaudere. Nunc ulterius quaerimus, utrum Romanus Pontifex ut *formalis successor S.Petri in Primatu* supra universam Ecclesiam, eadem infallibilitatis praerogativa polleat necne. Thesi respondemus affirmative.

593. Notiones. Romanus Pontifex. Haec denominatio sumitur eo sensu, quo in Conc.Vaticano contra Gallicanos a

23 Obiecttioncs ex historia contra Concilia vide ap. H.van Laak, *Repetitorium* p.367-74·

Relatore fidei explicata est: intelligitur nempe, non Sedes, sed persona in Sede Petri sedens; et quidem non solum complexive universa series sedentium, sed etiam singillatim seu unaquaeque persona legitime sedentium in Petri Sede. Non autem ut privata persona, sed ut persona publica sumitur, et quidem non ut Episcopus Ecclesiae particularis Urbis Romae neque ut Patriarcha Occidentalis Ecclesiae, sed *reduplicative qua successor S.Petri in Primatu supra universam Christi Ecclesiam:* D 1832 1837 1838 *.

594. Alias theseos notiones explicatas habemus in ipsa Conc.Vaticani definitione: D 1839. Cum ex cathedra loquitur: Haec scholastica locutio ex cyprianica praesertim «Cathedrae Petri» notione deducta est. Eam primi, ut videtur, adhibuerunt et quidem aequivalenter M.Cano, formaliter vero F.Suarez. In ipso Conc.Vaticani decreto inserta est, quia plures Concilii Patres et nominatim Archiepiscopus Granatensis id expresse petiverunt 1.

Ex cathedra loqui, iuxta Vaticanum (D 1839), importat ut Romanus Pontifex doceat aliquid sub quadruplici necessaria condicione: qua Magister nempe *universalis, supremus, definiens et in re fidei vel morum.*

1) *Munere* fungens *universalis Pastoris et Doctoris* omnium fidelium;

2) Auctoritatem in Apostolo Petro sibi datam *supremo gradu* exercens;

3) *Doctrinam de fide vel moribus universae* Christi *Ecclesiae* proponens;

4) Et quidem *tenendam definiens,* id est, ad absolutum mentis assensum omnes obligans atque *ultima et irrevocabili sententia rem decidens 3.*

1 Cf. Msi 52,21-22.1212-13.

2 S.Cyprianus, *Epist.* 43-55-59: R 573 575.580; M.Cano, *De Locis* 1.6 c.7; F.Suârez, *De Fide* d.5 s.8 n.4; *Defensio fidei* 1.i c.5; *De Religione* tr.io I.3 c.4 n.5; *Conc. Vatie.:* Msi 52,829. 1126.1128.1130-32.1134· ïï39· 114°· 1143 1145-48. n S3-1166.1167.1169. n 78. n 79· 1182.1183. 1193.1194.1222.1225. Cf. L.Godefroy, *Ex Cathedra:* DTC 5.1731; P-Batiffol, *Cathedra Petri* (1938).

3 Archiep. Granatensis proponebat ut diceretur «definit ac decernit», quia, prout aiebat: «Romanus Pontifex non solum infallibilis est dum *definit,* seu definitivam sententiam pronuntiat in quaestionibus inter fideles exortis; sed etiam cum ex proprio motu *decernit* ac proponit omnibus Christi fidelibus illas fidei vel morum doctrinas, quas ipse Ecclesiae bono... necessarias esse in Domino judicaverit» (Msi 52,1296). Huic aliisque similia obicientibus respondit Relator Episcopus Gasser nomine Deputationis fidei vocem *definit* explicans: «Verbum istud, inquit, non debet sumi in sensu forensi, ut solummodo significet finem impositum controversiae, quae de haeresi et de doctrina... agitata fuit; sed vox *definit* significat, quod Papa suam sententiam circa doctrinam, quae est de rebus fidei et morum, directe et terminative proferat, ita ut iam unusquisque fidelium... certo sciat a Romano Pontifice hanc vel illam doctrinam haberi *haereticam, haeresi proximam, certam* vel *erroneam,* etc.» (Msi 52,13x6).

595. Ea INFALLIBILITATE POLLET, QUA CHRISTUS SUAM instruxit Ecclesiam. Hac locutione asserimus id ipsum quod directe ac per se contra Gallicanos Conc.Vaticanum definire intendit, nempe, omnimodam esse aequalitatem inter infallibilitatem Pontificis et Ecclesiae infallibilitatem; eadem enim asseritur infallibilitas:

1) *natura,* seu immunitas ab errore, non solum facti, sed etiam iuris (D 1836 «Quocirca totius...»);

2) *causa,* seu ratione divinae assistentiae errandi impossibilitas (D 1836 «Neque enim Petri...»);

3) *valore,* seu «ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabilis» sive definitivum valorem obtinens (D 1839);

4) *obiecto,* cuius ambitum Patres in Vaticano per hanc phrasim explicaverunt ita ut videlicet, in obiecto generice enuntiato per verba, «doctrinam de fide vel moribus», clare exprimeretur «infallibilitatem Pontificis ad eundem omnino ambitum veritatum extendi, nec minus nec magis late patere, quam patet infallibilitas Ecclesiae», prout a Relatore fidei expresse declaratum est[4].

596. Adversarii. 1) *In genere* sunt omnes qui vel Primatum Romani Pontificis vel Ecclesiae infallibilitatem negant.

2) *In specie* adversantur imprimis fautores vel propugnatores theoriae *Conciliarismi* seu auctoritatis Concilii generalis supra Papam. Tales fuerunt *a)* inde a saeculo IX plures *Canonistae* tenentes Concilium Generale, non solum licite declarare sed etiam auctoritative iudicare Papam haereticum posse[5].

b) Saeculis XIV et XV non solum Canonistae sed etiam plurimi *Theologi* auctoritatem simpliciter Concilii Generalis supra Papam defenderunt. Haec doctrina invaluit praesertim *in Universitate Parisiensi* tempore Schismatis Occidentalis (1378-1417). Eam prae aliis propugnaverunt Parisiis Henricus de Hassia (senior), Ioannes Gerson et Petrus d'Ailly; in Universitate vero Heidelberg Conradus a Gelnhausen. Actione praecipue Cardinalis Petri d'Ailly edita est in *Conc. Constantiensi* declaratio de auctoritate Concilii supra Papam (D 657 cum nota). In Conciliis etiam *Pisano* (1409) et *Basi-*

4 V.Gasser, Episcopus Brixinensis: Msi 52,1226-27; Franzelin, *De traditione* p.iogs.

3 V.Martin, *Comment s'eit formée la doctrine de la supériorité du Concile sur le Pape:* RevScRel 17 (1937) 121-43.261-89.405-27; Id., *Les origines du Gallicanisme* (1939)· Theologi concedunt Concilium generale licite declarare posse Papam haereticum, si hic casus sit possibilis, non autem eum auctoritative deponere utpote Concilio Superiorem, nisi aperte constiterit eum esse Papam dubium: cf. SuXrez, *De Fide* d.io s.6; E.Dublanchy, DTC 73714·

leensi (1431) *Conciliarismi* doctrina velut axioma agnita est[6].

c) Inde saltem a medio saeculo XV haec doctrina de auctoritate Concilii Generalis supra Papam devenit specificum quoddam *Gallicanismi* elementum [7].

597. 3) Saeculo XVII, praeter *lansenistas* (D 1319), inter adversarios recensere debemus praesertim *Galhcanismum,* et quidem

a) *Gallicani rigidiores,* qui Romano Pontifici solam auctoritatem capitis ministerialis Ecclesiae concedendam esse tenuerunt. Sic Richer, quem deinde secuti sunt praesertim *Febroniani* et *Pistorienses* (D 1500 «Quo magis...»; 1503 cum nota).

b) *Gallicani mitiores,* exeunte saeculo XVII, qui in rebus fidei dixerunt, «praecipuas tantum Summi Pontificis esse partes, nec tamen eius iudicium irreformabile esse nisi Ecclesiae consensus accesserit» (D 1325). Hanc «Declarationis Cleri gallicani» doctrinam defenderunt etiam viri insignes, ut Launoy et Bossuet praecipuus articulorum redactor, eamque etiam suam fecit *Synodus Pistoriensis* (D 1598 1599 1322 cum nota)[8].

c) Tempore Concilii Vaticani Gallicanorum mitiorum doctrinam propugnaverunt plures eruditi viri, ut Doellinger, Langen, Reusch, Maret, Michaud, Schulte, Gladstone, alii, quorum aliqui, invito sane Doellinger, schismaticam et haereticam constituerunt novam sectam, *Vetero-Catholicorum* appellatam, utpote ab iis efformatam, qui novae Vaticani definitioni sese submittere renuerunt [9].[10]

598. 4) *Orientales Schismatici* nihil ardentius vehementiusque negant, quam Papae infallibilitatem, asserentes, hoc dogmate Vaticani Concilii murum separationis insuperabilem inter eos et Catholicos ab Ecclesia Romana exstructum esse atque dicentes infallibilitatem Papae essentiae ipsi Orthodoxae Ecclesiae contradicere *.

5) *Oecumenistae* hodierni a limine excludunt infallibilitatem Papae, quia omnimodam individualem libertatem doc-

6 Cf. De Guibert, n.300; Dorsch, P.347S; M.Grabmann, *Geschichte der katholischen Théologie* 112-17: P.Ballerini, *De potest. Sum. Pontif. et Conc.:* Mig., *Theol. Curs.* III 1267-1390; H.X.Arquillière, *L'appel au Concile sous Philippe le Bel:* RevQHist 89 (1911) 23-55; J.Saiaverri, *El Derecho en cl misterio de la Iglesia:* RevEspT 14 (1954) 215s. Cf. supra η·47>·

7 V.Martin, *Le.:* RevScRel 17 (1937) 405-27; A.M.Vellico, *De Ecclesia* p.26-29·

8 C.CoNSTANTiN, *Declaration de 1682:* DTC 4,197-201; E.Levesque, *Bossuet:* DHGE 9,1378-82. Cf. A.G.Martimort. *Le Gallicanisme de Bossuet* (1953)·

9 Cf. D'Herbigny, n 206,3: A.M. Vellico, *De Ecclesia p.45-49-*

10 Cf. Encyclic. 33 Orientalium Episcoporum anni 1848: Msi 40,391-95-399-4O3-4O7; JuGiE, 4.490; Spâcil: OrCh 2 (1924) 84-86; Zankow, *Das Orthodoxe Christentum* (1928) 138s; Heiler, *Urkirche und Ostkirchc* (1937) 148.

trinalem coram solo Deo tamquam principium fundamentale et inconcussum statuunt 11.12

599. Doctrina Ecclesiae. *Concilium Vaticanum* expresse hanc thesim definivit ut fidei dogma, ses.4 c.4: D 1832-1840. Aliorum Conciliorum definitiones, eorum praesertim «in quibus Oriens cum Occidente in unionem conveniebat», ab eodem Vaticano citantur, nempe *Constantinopolitanum IV* de causa Photii agens: D 1833 et 171 cum nota; *Lugdunense II* de unione Graecorum tractans: D 1834 et 466; *Florentinum,* quod de Orientalium unione egit: D 1835 et 694.

Vaticani *definitionem* clare explicabat in eodem Concilio Episcopus Gasser, *Relator* nomine *Deputationis fidei,* dum aiebat: «In ista definitione agitur 1.° de subiecto infallibilitatis, quale est Romanus Pontifex, utique qua Pontifex, qua persona publica in relatione ad Ecclesiam universam; 2° continetur actus, seu qualitas et condicio actus infallibilis pontificiae definitionis... cum loquitur ex cathedra, id est (ut explicavimus) et quidem requiritur intentio manifesta definiendi... 3." de principio seu causa efficaci infallibilitatis, quod est tutela Christi et assistentia Spiritus Sancti; 4.° de oblecto infallibilitatis, quod sub unica quidem propositione enuntiatur, ita tamen ut sub duplici notione, alia generica alia vero specifica explicetur: *sub notione nencrica* per verba «in definienda doctrina de fide vel moribus», *sub notione specifica* per verba «ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit» ,2.

600. Haec quatuor iam in notionibus breviter explicavimus. In specie de obiecto infallibilitatis ample tractavit in Concilio Relator fidei et a nobis in propria huius rei thesi agendum est. Perspicuitatis gratia sufficiat pro nunc ex Relatoris explicationibus excerpere pauca. Iuxta eum, intentio Concilii fuit definire, «infallibilitatem sive in tota Ecclesia docente sive in ipso Summo Pontifice per se spectetur, ad eundem omnino ambitum veritatum extendi; adeoque de obiecto infallibilitatis Romani Pontificis omnino idem credendum esse, quod creditur de obiecto infallibilitatis Ecclesiae». Iam vero, iuxta eundem Relatorem, constat esse veritatem revelatam, infallibilitatem Ecclesiae extendi ad dogmata fidei definienda; constat autem esse saltem theologice certam infallibilitatem Ecclesiae in definiendis aliis veritatibus «quae licet in se revelatae non sint, requiruntur tamen ad ipsum depositum revelationis integre custodiendum, rite explicandum et efficaciter definiendum».

Unde in virtute huius definitionis Vaticani, idem omnino tenendum est de infallibilitate Pontificis quod tenetur de Ecclesiae infallibilitate, eam nempe esse *dogma fidei* in definiendis

11 *Etudes Oecuméniques du Conseil Oecuménique des Eglises: Désordre de l'homme cl* dessein *de Dieu* 4 (1949) 360-64; *Minutes and reports of the World Council of Churches* (july 1950) 89. Quam radicaliter excludat Barth infallibilitatem Papac, vide ap. Journet, *L'Eglise du Verbe incarné* 2 (1951) p.i 158 nota 2.

12 Msi 52.1225.1316.

veritatibus revelatis, esse vero saltem *theologice certam* in reliquis veritatibus, cum fidei deposito connexis, definiendis 13.

601. *Definitionem Vaticani* attingere *Gallicanos etiam mitiores* patet ex factis. 1) Die 13 iulii anni 1870 definitionis textus propositus est praeviae Patrum suffragationi. Aderant Patres 601. Responderunt: «placet» 451; «placet iuxta modum» 62; «non placet» 88. 2) Die 16 iulii Archiepiscopus Parisiensis et Episcopus Aurelianensis epistolas ad Pium IX scripserunt, postulantes: *a)* «ut expungerentur haec verba: aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis»; *b)* «ut post verba: munere fungens, adderentur haec alia: et testimonio Ecclesiarum innixus». Papa vero per Subsecretarium Concilii eodem die 16 respondit eis, Se totum hoc negotium Generali Congregationi relinquere, sententia tamen definitiva Sibi reservata. Ex iis patet eos sententiam mitioris Gallicariismi a damnatione liberare intendisse. 3) Die 17 iulii Cardinalis Archiepiscopus Pragensis ad Pium IX epistolam misit subscriptam a 2 Cardinalibus, 9 Archiepiscopis, 44 Episcopis, in qua suffragium «non placet» confirmabant, et aiebant: ne coram Papa suffragium negativum demus, «a sessione diei 18 abesse constituimus», quod revera impleveruntw.

His non obstantibus, die 18 iulii anni 1870, habita est sessio Concilii IV. Aderant Patres 535, ex quibus responderunt: «placet» 533, «non placet» 2. Quare infallibilitas Romani Pontificis vere morali Patrum unanimitate definita est, etiam contra postulata eorum qui *Gallicanismum mitiorem* salvare conati sunt. Illi vero 55 Patres, qui epistolam diei 17 subscripserant, posterius in scriptis explicitum suum assensum et submissionem Romano Pontifici exhibueruntI5.

602. Valor dogmaticus. Thesis est *de fide divina definita.*

603. Probatio 1) Velut conclusio thesis praecedentis, qua probata, iam methodice ex ea arguere possumus. Ex thesi praecedenti scimus Concilium Oecumenicum esse infallibile cum sollemni iudicio aliquid proponit tamquam fidei dogma ab omnibus tenendum. Atqui Concilium Vaticanum sollemni iudicio thesim nostram proponit tamquam fidei dogma ab omnibus tenendum. Ergo thesis nostra est infallibiliter vera.

604. Prob. 2) Argumento quod Vaticanum indicat his verbis: «Ipso Apostolico Primatu... supremam quoque Magisterii potestatem comprehendi» (D 1832).

a) *In genere* ex Mt 16,18s; Io 21,15-17. Romanus Pontifex ut Fundamentum, ut Claviger, ut Pastor universalis, ex vo-

13 Msi 52,1226s. Cf. Dieckmann. n.765-70; I.B.Franzelin, *De traditione* (1896) p.no.
14 Msi 52,1243.1321-28.1334-35. Th.Granderath, *Constit. Dogmat. Conc.Vatie,* p.164.
15 Msi 52,1334s; 53,935-

luntate Christi obtinet in Ecclesia supremam potestatem. Ergo obtinere debet in gradu supremo quidquid potestatis est in Ecclesia; nam secus eius potestas non esset suprema. Atqui gradus supremus potestatis doctrinalis, quae est in Ecclesia, est infallibilitas. Ergo Romanus Pontifex ut Fundamentum, ut Claviger, ut Pastor universalis obtinet in Ecclesia infallibilitatem. *Min.* probata est th. 12. *Conci,* ergo patet.

605. b) *In specie ex* Mt 16,18. Romanus Pontifex, ratione Primatus, est principium efficax unitatis et firmitatis in Ecclesia societate essentialiter doctrinali. Atqui principium efficax unitatis et firmitatis in societate essentialiter doctrinali debet esse infallibile. Ergo Romanus Pontifex, ratione Primatus, seu cum ex cathedra loquitur, est infallibilis.

Mai. patet ex thesibus de institutione Ecclesiae, Primatus et Magisterii.

Min. ex sola eius analysi constat; quia si Romanus Pontifex cum ex cathedra docet posset errare, tunc cum eo errante vel Ecclesia universa consentiret vel non: si primum, Ecclesiam non firmaret in veritate, seu non esset eius principium efficax firmitatis; si secundum, Ecclesia separaretur a suo fundamento et capite, quod ideo non esset eius principium efficax unitatis; haec autem ex Christi promissione aperte repugnant.

606. c) *In specie* ex Mt 16,19. Romanus Pontifex, ratione Primatus, habet in Ecclesia societate essentialiter doctrinali, munus supremum ligandi vel solvendi quodcumque, ergo etiam in doctrina, cuius actus rati a Deo habentur in caelis. Atqui munus supremum decidendi in doctrina, cuius actus rati a Deo habentur in caelis, nequit non esse infallibile. Ergo Romanus Pontifex, ratione Primatus, seu cum ex cathedra loquitur, est infallibilis.

Min. constat, quia si falli posset, tunc ipse Deus errorem ratum habere censendus esset, quod omnino repugnat.

607. Prob. 3) Argumento quod Vaticanum affert, seu ex promissione Christi apud Lc 22,32: D 1836, quamvis constat Concilium non intendisse «authentice declarare» sensum huius textus 16.

Apud Lc 22,31-32 sermo est de praerogativa primatiali in Petro instituta. Nam ex contextu apparet:

16 Vide eiusdem loci interpretationem Magisterii ecclesiastici: D 246 351 387, ac praesertim Leonis XIII: ASS 28,728. Concilium non intendisse authentice interpretari Lc 22,32, vide in nota 17; J.Lainez, *Disputationes tridcntinae I* p.99 n.73.

a) Lc 22,24, Apostolos tunc disputasse inquirentes, quis inter eos esset *maior;*

bj Lc 22,25-28, Christum eos monuisse, auctoritatem in Ecclesia non esse ambiendam, sed cum humilitate exercendam. Attamen supponit inter eos aliquem esse maiorem, quia dicit: qui maior *est in* robis et qui *praecessor est,* et quia ipsis proponit exemplum sui in exercenda summa potestate;

c) Lc 22,29-30, Christum promisisse Apostolis eximiam praeeminendam in Regno suo caelesti, cuius spe et comparatione non est magni habenda quaelibet terrena potestas;

d) Le 22,31s, Christum soli Petro commisisse praerogativam firmandi in fide fratres, ad quod obtinendum, vi orationis Christi, Petro promittitur fidem eius non esse defecturam.

608. Quibus suppositis, arguimus: In virtute orationis suae, Christus promittit soli Petro indefectibilitatem in fide, ad hoc ut Petrus confirmet fratres suos. Atqui talis promissio: *a)* est absoluta et efficax; *b)* importat infallibilitatem; *c)* fit Petro ut supremo Ecclesiae Capiti. Ergo apud Le 22,31s, Christus promittit supremo Ecclesiae Capiti infallibilitatem.

Mai. patet ex textus expositione antea facta.

Min. a) est promissio absoluta et efficax, quia nulli condicioni alligatur et quia effertur tamquam cum effectu coniuncta.

b) Importat infallibilitatem, quia absoluta indefectibilitas in fide, et simpliciter efficax ad confirmandos fratres virtus intelligi nequeunt nisi supposita infallibilitate.

c) Promissio fit Petro ut supremo Ecclesiae Capiti, ergo pro semper non tantum pro Christi passionis tempore; quia fit ei qui inter Apostolos supponitur esse «maior et praecessor» ad confirmandos ipsos Apostolos, et quia ex parallelismo inter Lc 22,31.32 et Mt 16,18 confirmatur, apud Lucam agi de parte muneris supremi, quod Christus Petro apud Matthaeum promiserat. Nam in utroque loco exhibentur idem periculum, eadem principalis virtus Christi, eadem vicaria vis Petri, par denique effectus sequutus seu victoria de periculo;

Mt 16,18	Lc 22,31.32
Idem periculum	
«Portae inferi adversae»	«Satanas expetens ut cribret»
Eadem principalis virtus Christi	
«Et Ego dico tibi»	«Ego rogavi pro te»
Eadem vicaria vis Petri	
«Quia tu es Petrus»	«Ut non deficiat fides tua»
Par effectus sequutus	
«Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam»	«Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos»

Ex hac comparatione patet, sermonem esse apud Le 22,31s de parte muneris supremi, seu de confirmandis fidelibus in fide,

quae in totali ac perenni munere supremo, seu in officio fundamenti totius Ecclesiae continetur apud Mt 16,18 17.

609. Prob. 4) Argumento quod Conc.Vaticanum indicat his verbis: «Haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque Oecumenica Concilia declaraverunt».

A. In genere hoc argumentum ad hoc reduci potest. In tota Ecclesiae et litteraturae ecclesiasticae historia Sedes Romana, ut primatialis S.Petri Sedes, et in ea Summus Pontifex, tamquam Petri successor, apparet evidenter agnitus:

a) velut centrum unitatis in fide et ut fidei critérium;

b) velut appellationum etiam in doctrina supremum et ultimum tribunal;

c) velut decisionum definitivarum et irrevocabilium altissimus fons;

d) velut absolutionum ab accusationibus etiam in doctrina, summa auctoritas;

e) velut ipsorum Oecumenicorum Conciliorum necessaria et definitiva confirmatio. Haec autem, quae abunde comprobari possent ex doctrinalibus sententiis Summorum Pontificum omnium temporum, manifeste ostendunt, Romanum Pontificem agnitum semper fuisse velut verticem vel apicem auctoritatis doctrinalis Ecclesiae infallibilis, quod sane necessario importat agnitam ipsius Pontificis infallibilitatem 18.

610. B. In specie, iuxta Vaticanum, infallibilitatem Summi Pontificis 1) «Haec Sancta Sedes semper tenuit»: D 1832.

Iulius I, a.341: «Consuetudo est ut primum Nobis scribatur et hinc quod iustum est decernatur»: D 57a.

Damasus I, a.372: Contra Synodum .Ariminensem 400 Episcoporum scribit: «Romani Episcopi ante omnes fuit expetenda sententia»: ML 13,349.

♦

611. Anastasius I, ca.400, extollens orthodoxiam Patrum et nominatim Liberii Papae contra Arianos: «Integram fidem Apostolis traditam locatamque a maioribus toto orbe victrix retinebat Italia»: D 93.

Innocentius I, a.417, ad Episcopos Afros: «Patres non humana sed divina decrevere sententia, ut quidquid, quamvis de disiunctis remotisque

17 Cf. Knabenbauer, in Le 22,31s: D'Herbigny, ɳ.183. Patri petenti «ut verba Christi: *Ego* rogata' *pio te etc.,* authentice declararentur a Concilio·, respondet Relator Ep.Gasser: •Huiusmodi authentica declaratio non potuit intendi, et si intenta fuisset, utique etiam disceptatio hac de re in Concilio agenda fuisset* (Msi 52,1222).

18 Hoc argumentum plenius evolvunt Pai.mieri, th.25.2, et Straub, 11.978-07. Pressius apud Lercher, n.488-91. Eiusdem generalis argumenti explanatio dici possunt ea quae sequuntur sub B..

provinciis ageretur, non prius ducerent liniendum, nisi ad huius Sedis notitiam perveniret, ut tota huius auctoritate, iusta quae fuerit pronuntiatio firmaretur»: D ico.

Zosimus, a.418, ad Episcopos Africanos: «Cum tantae auctoritatis Petrus caput sit... cuius locum nos regere ipsius quoque potestatem nominis obtinere non latet vos... cum tantum Nobis esset auctoritatis, ut nullus de Nostra possit retractare sententia»; D 109.

Bonifacius I, a.422: «Ad Synodum [Cprinthi]... talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant, ... de Nostro non esse iudicio retractandum. Numquam enim licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari»: D 110.

Simplicius, a.476, ad Imperatorem: «Perstat in successoribus suis haec et eadem Apostolicae norma doctrinae, cui Dominus curam totius ovilis iniunxit, cui se usque in finem saeculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam praevalituras esse promisit, cuius sententia quae ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in caelo»: D 160.

Gelasius I, a.495: «Suscipit epistolam beati Leonis Papae ad Flavianum... de cuius textu quispiam si usque ad unum iota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit, A.S.»: D 165.

612. Hormisdas, a.517: «Prima salus est rectae fidei regulam custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest D.N.I.Christi praetermitti sententia dicentis: «Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam»... in Sede Apostolica citra maculam semper est catholica servata religio... in qua est integra et verax christianae religionis et perfecta soliditas»: D 171s.

Pelagius II, 3.585: «Nostis in Evangelio Dominum proclamantem: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te Patrem, ut non deficiat fides tua; et tu conversus confirma fratres tuos. Considerate, carissimi, quia Veritas mentiri non potuit nec fides Petri in aeternum quassari poterit vel mutari»: D 246, ubi praeter Le 22,31s, citantur in confirmationem eiusdem etiam lo 21,15-17; Mt i6,t8s.

Nicolaus I, a.865, ad Michaelem Imperatorem: «Prima Sedes non judicatur a quoquam... ubi est maior auctoritas, iudicium inferiorum est deferendum. ad dissolvendum scilicet vel ad roborandum: patet profecto Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est. iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licet iudicare iudicio»: D 330 333.

613. Leo IX. a. 1053. ad Michaelem Cerularium: «Sancta Ecclesia super petram, id est Christum, et super Petrum vel Cepham... aedificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet haereticorum... nullatenus fore superanda; sic pollicetur ipsa Veritas, per quam sunt vera quaecumque sunt vera: Portae inferi non praevalebunt adversus eam. Cuius promissionis effectum se precibus impetrasse a Patre idem Filius protestatur, dicendo ad Petrum: Simon, ecce Satanas, etc. Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui orationem illius cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eundem Petrum quam per successores suos, reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus nec defecit nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?»: D 351

614. Innocentius II, a. 11 40: «Nos itaque, qui in Cathedra S.Petri, cui a Domino dictum est: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, licet indigni, residere conspicimur... Petri [Abaelardi] dogmata sanctorum cano-

num auctoritate cum suo auctore damnavimus, eique tamquam haeretico perpetuum silentium imposuimus»: D 387.

Clemens VI, a.1351, ad Consolatorem. Catholicon Armenorum: «Si credidisti et adhuc credis, solum Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa fidem catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere, et esse verum et catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo determinat esse verum, et quod determinat esse falsum et haereticum, sic censendum»: D 57oq.

615. Posteriorum testimonia Pontificum Romanorum innumera sunt. Eorum et S.Sedis mentem exhibet CIC cn.1323 § i: «Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali Magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur». Huic principio ex Conc. Vaticano deprompto (D 1792), CIC adiungit § 2: «Sollemne huiusmodi indicium pronuntiare proprium est tum Oecumenici Concilii tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis».

Ex iis, quae attulimus iam satis constat, Sanctam Sedem semper tenuisse Summi Pontificis infallibilitatem Iy.

616. 2) *Eandem infallibilitatem* perpetuus Ecclesiae usus comprobat: D 1832.

‹l) Theoretice.

S.Ignatius M., ca.107, *ad Rom* 3,1: «nemini unquam invidistis, alios docuistis. Ego vero illa quoque firma esse volo, quae docetis et praecipitis»; R 53. Haec agnoscit discipulus et successor Apostolorum in Ecclesia apostolica Antiochiae.

S.Irenaeus, ca.190, *adv. Haer.* 3,3,2: «A Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem... indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo... praeter quam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam... in qua semper... conservata est ea quae est ab Apostolis traditio». Id. 3,4,1: «Tantae igitur ostensiones cum sint, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quae sint veritatis»: R 210 213 (cf. supra n.4ios).

617. Tertullianus, ca.200, *de praescript. 22:* «Solent dicere, non omnia Apostolos scisse, ... Christum reprehensioni subicientes, qui aut minus instructos aut parum simplices Apostolos miserit. Quis igitur integrae mentis credere potest aliquid eos ignorasse, quos Magistros Dominus dedit...? Latuit aliquid Petrum, aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves Regni

l ' Ad id ipsum probandum valent etiam ea quae postea afferimus sub 2,b.

caelorum consecutum et solvendi et alligandi in caelis et in terris potestatem?» 2n.

Animadverte rationem, qua Tertullianus movetur ad tantam auctoritatem doctrinalem Petro agnoscendam, esse munus Primatis. Ideo contentionem cum Paulo (Gal 2,11) interpretatur in l.c. 23: «Si reprehensus est Petrus..., utique conversationis fuit vitium, non praedicationis»; R 294. E in eodem loco, n.36, ait: «Si Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis qtioque auctoritas praesto est. Ita quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus loannis exitu coronatur, ubi Apostolus loannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur»: R 297.

S.Cyprianus, a.252, ad Papam Cornelium: «Navigare audent [haeretici] et ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est... nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum»: R 580.

618. S.Hieronymus, ca.376, ad Papam Damasum: «Ego Cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam... Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est... Quicumque tecum non colligit, spargit»: R 1346; ML 22,355s. Idem Hieronymus attestatur usum Ecclesiae universae recurrendi ad Sanctam Sedem, ad obtinendam confirmationem synodorum; in epistola enim 123, ca.406, scripsit: «Ante annos plurimos, cum in chartis ecclesiasticis iuvarem Damasum Romanae Urbis Episcopum, et Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem» 20

Prudentius, ca.370: «Da, Christe, Romanis tuis,—Sit christiana ut Civitas:—Per quam dedisti ut caeteris- Mens una sacrorum foret.—Confoederentur omnia -Hinc inde membra in symbolum». «Una fides vigeat, prisco quae condita templo est,—Quam Paulus retinet, quamque Cathedra Petri» 22.

Bachiarius, ca.400: Ex pluribus haeresibus, quae de Roma pullularunt, «nulla earum Cathedram Petri, hoc est, *Sedem fidei* aut tenere potuit aut movere»: ML 20,1023.

S.Augustinus, 3.417, Serin. 131,10,10: «De hac causa [Pelagianorum] duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. *Causa finita est:* utinam aliquando finiatur error!»: R 1507. Id., a.420, *Contra duas epist. Pelagianorum,* 2,3,5: «Litteris beatae memoriae Papae Innocenti! de hac re *dubitatio tota sublata est»;* R 1892.

619. S.Cyrillus Alexandrinus, a.429, ad Caelestinum I in causa Nestorii: «Sed quoniam Deus hisce in rebus vigilantiam a nobis exigit et longa Ecclesiarum consuetudo suadet, ut huiusmodi res cum Sanctitate tua communicentur, scribo... Opus est autem ut tuae pietatis super hac re sententia, tum Macedoniae Episcopis, tum omnibus Orientis Antistitibus manifesta fiat» 23.

S.Petrus Chrysologus, ca.449, episi. *ad Eutichem:* «In omnibus horta-

20 ML 2.34; Kch 194L

21 CSEL 56 p.82: ML 22,1052.

22 Hymnus 2 v.433-38: Hymnus n 9.30-31: ML 60,322.535; cf. Z.Garcla-Vh.lada, *Historia eclesidstica de Espana* t,i.· p.22i.

23 S.Cyrillus: MG 77,79.86.

mur te, frater honorabilis, ut his quae a Beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei, extra consensum romanae civitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus»; R 2178.

Theoooretus Cyrensis, 3.499, ad Leonem I: «Ad Apostolicam Sedem Vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium a Vobis accipiamus. Vobis enim convenit in omnibus habere primatum (Διὰ πάντα γὰρ υμὼν τὰ πρωτεύειν ἁρμόττει)... Apostolieae Vestrae Sedis exspecto sententiam, et oro atque obtestor Sanctitatem Vestram ut mihi ad rectum et iustum tribunal invocanti opem ferat, iubeatque ad Vos venire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere... Ante omnia ut a Vobis docear oro an me oporteat in hac iniusta depositione acquiescere, an non; Vestram enim sententiam exspecto»; ML 54,847.851.

620. *b)* Practice *«Ecclesiae usus comprobat* ipso Primatu supremam Magisterii potestatem comprehendi»; D 1832.

In quaestione montanismi, ca.178 in Ponto et Asia florentis, cum Ecclesia Lugdunensis ad Papam Eleutherum accurrit ut remedium provideat, cuius successor Victor I Montanistas auctoritative damnat, prout ex ipso Tertulliani testimonio infertur: Kch 218 bis. Agnoscunt ergo ad Papam pertinere damna fidei cuiusvis Ecclesiae resarcire.

In lite de rebaptismate haereticorum, ca.257, cum Papa Stephanus contra sententiam quinque Conciliorum, quatuor Carthagine et unum Cappadociae celebratorum, et contra opinionem ipsius S.Cypriani auctoritative decidit, Baptismum in haeresi vel ab haereticis rite collatum non esse iterandum, dicens: «Nihil innovetur, nisi quod traditum est»: D 46.

621. *In controversia Ariana,* a.325-381, cum Romani Pontifices inde a Silvestre I usque ad Damasum I rectam Concilii Nicaeni I fidem defendunt, et factiones Arianorum et Semi-Arianorum etiam favore Imperatorum gaudentes, condemnant 24.

In causa Priscilianistarum, a.380-447, inde a Damaso I usque ad Leonem I, Romani Pontifices condiciones pro condemnatione vel absolutione Priscilianistarum statuunt, atque de doctrina tamquam supremi iudices fidei definitive decidunt 25.

622. *In Acaciana dissensione, a.476-550,* Papa Simplicius, a.476, monet Aeacium Constantinopolitanum Patriarcham, ut caveat a Monophysismo et symbolum Chalcedonense amplectatur (D 159). Felix III, immediatus Simplicii successor, Aca-

24 Cf. ea quae dicimus in th.9 n.42is.
25 Cf. ea quae dicta sunt in th.9 0.424s.

cium sese submittere renuentem excommunicat a.483, unde ortum est sic dictum Acacianum schisma (a.484-519). Papa Hormisdas, a.517, proponit Acacianis fidei regulam profitendam, in qua clare exprimebatur suprema Romani Pontificis auctoritas doctrinalis: D 171 cum nota et 172. Hormisdae formulam subscribunt Imperator Iustinianus I, tres Patriarchae Constantinopolitani Aeacii successores, videlicet, Ioannes II (518-20), Epiphanius (520-36) et Menna (536-52), necnon 2.000 circiter alii Episcopi. Postea vero eandem fidei regulam Hormisdae amplectuntur Patres tam latini quam graeci in Concilio Constantinopolitano IV, a.870. Unde manifeste apparet ab Ecclesiae usu *practice* comprobata suprema Romani Pontificis auctoritas doctrinalis 26.

623. c) Exercite usus Ecclesiae idem formaliter comprobat, exercitio nempe infallibilitatis in Decretis Summorum Pontificum, quae ex materia, forma, fine et circumstantiis historice constat esse definitiones infallibiles. Silva-Tarouca, qui accuratas de hac re investigationes historicas perfecit. 20 saltem veras Romanorum Pontificum *definitiones ex cathedra,* inde a temporibus Damasi a.380 usque ad tempora Hadriani II a.870, ante inceptum nempe schisma Photianum, pronuntiatas esse autumat atque earum historicam veritatem demonstrare satagit 27. En harum 20 definitionum seriem.

624. i." *Tomus Damasi,* a.380, in quo Arii, Eunomii, Macedonii, Photini, Apollinaris haereses damnantur, dogma vero catholicum singulis his haereticis oppositum, definitur: D 58-82.

2." *Tractoria Zosimi* «ad totius orbis Episcopos» a.418 scripta, qua Pelagii haeresis condemnatur, dogma vero catholicum de gratia definitur. Huius epistolae verae Encyclicae solum fragmenta supersunt: D 109a 134s.

3-a *Caelestini definitio,* qua in synodo Romana a.430 haeresis Nestorii damnatur atque sententia profertur, quam deinde synodus Ephesina a.431 amplectitur et execution! mandat 28.

625. 4." *Leonis l damnatio* errorum Priscilianistarum, a.447, per epistolam ad Turibium asturicensem Episcopum missam: ML 54,677.

5.ll *Leonis l definitio* dogmatis duarum naturarum et unius personae in Christo, atque damnatio contrariae haeresis Eutychii, in epistola ad Flavianum a.449; quam sane definitionem deinde a.451 synodus Chalcedonensis amplexata est: ML 54,755.

6.a *Leonis l damnatio* Nestorianismi et Eutichianismi in epistola ad Imperatorem Leonem I, a.458, in qua verum de Christo dogma definit: ML 54.1155·

26 Hergenrof.ther-Carmona, *Historia de la Iglesia 2* n.155-63; K.Kirch, *Lcitfaden der Kirchengeschichtc* 1, Das christlichc Altertum (1923) 141s.

27 C.Silva-Tarouca, *Institutiones Historiae Ecclesiasticae* in usum *auditorum* (Pontificiae Universitatis Gregorianac): Pars 2. Ecclesia in Imperio Romano-Byzantino (saec.IV-XI) fasc.i (Romae 1933) 86-190. Haec 20 Summorum Pontificum decreta tamquam veras definitiones eorum infallibiles adducimus tantum freti auctoritate P.Silva-Tarouca. Cf. J.Salaverri. *Valor de las'Enciclicas a la lui de la «Humani generis*:* MiscCom 17 (iQ5<) i35-'72

28 Huius decreti supersunt tantum fragmenta apud Arnobium, *Conflictu 2,13:* ML 53, 289; Kch 790.

626. 7.· *Gelasii I Papae* (a.492-496) epistola dogmatica adversus Monophysismum mitigatum, seu «tractatus adversus Eutychem et Nestorium» 29.

8." *Gelasii I professio fidei* christologicae, qua Episcopos Illyrici edocet «sub qua fide vivendum sit»: CSEL 35 n.81.

9.". *Regula fidei,* quam a.517 Papa *Hormisdas* Orientalibus subscribendam praescripsit: D 171 172 cum nota.

10." *Papae Hormisdae* epistola ad Imperatorem Justinum, a.521, in qua definiuntur proprietates trium divinarum Personarum atque personae et substantiae in Christo D.N.: CSEL 35 n.236.

627. 11.» *Agapiti Papae fidei formula* christologica Imperatori Justiniano et Mennae Patriarchae proposita, et ab eis subscripta a.536: CSEL 35 n.Sqs.

12.» *Agapitus Papa* sollemniter approbat *fidei formulam* ab Imperatore Justiniano exhibitam atque omnes contradicentes excommunicat a.536: CSEL 35 n.91.

13.' *Vigilii Papae «Constitutum* de tribus Capitulis», a.553: CSEL 35 η·®3·

14·" *Pelagii I Papae professio fidei* ad Childebertum I Francorum Regem, a.557: ML 69,408-410.

15.' *Pelagii I Papae professio fidei* «universo populo Dei» a.555-561: ML 69,399-400.

16." *Gregarii I Papae professio fidei* ad Patriarchas Constantinopolitanum, Alexandrinum. Antiochenum, Hierosolymitanum a.591 missam30.

628. 17.» *Martini I Papae Encyclica «Catholicae Ecclesiae universae»,* in qua promulgat decreta synodi Lateranensis anni 649, quibus omnes haereses, ac praesertim Monotheletismus damnantur, atque Ecthesis Heraclii et Typus Constantis Imperatorum reficiuntur 31.

18." *Agathonis Papae epistola dogmatica* ad Imperatorem Constantinum Pogonatum, a.680, in qua fidei formulam proponit, errorem Monotheletarum damnat, et catholicam fidem definit. Hanc Papae definitionem Conc. Constantinopolitanum III, a.680-681, fideliter suscepit: D 288s.

629. 19." *Nicolai I* Papae in synodo Romana anni 863 *definitio* de sacris venerandis imaginibus, cn.6: ML 119,855.

20." *Formula fidei ab Hadriano II* Papa omnibus Episcopis in Conc. Constantinopolitano IV anni 870 ad subscribendum proposita, in qua omnes haeretici, praesertim iconomachi et Photius damnantur: ML 129,36.

His definitionibus exercite et formaliter infallibilitas Romani Pontificis usu Ecclesiae comprobata perhibetur.

630· 3) *Ipso Apostolico Primatu infallibilitatem comprehendi* ipsa Oecumenica Concilia declaraverunt: D 1832. *Conc.Ephesinum,* a.431, postquam definitionem *Caelestini* accepit, assensum etiam praebuit Legato Romani Pontificis dicenti:

29 Huiusmodi textus desideratur apud Migne; invenitur autem apud Thiel, *Epistolae Romanorum Pontificum* 1,543.

30 ML 77.478; cf. ML 77.1327-29.

31 D. 254-274: ML 87,119; Kch 1070.1080.

«Nulli dubium immo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps et caput, fideique columna, et Ecclesiae Catholicae fundamentum, a D.N.I.Christo... claves regni accepit... qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet»; D 112.

631. *Conc.Chalcedonense,* a.451, *Leonis I* epistolam dogmaticam ad Flavianum suscepit, in qua doctrina fidei de Incarnatione Verbi definiebatur, ita ut post epistolae lectionem Patres Concilii acclamare non dubitaverint:

«Haec Patrum fides, haec Apostolorum fides. Omnes ita credimus; orthodoxi ita credunt; anathema ei qui non ita credit: *Petrus per Leonem ita locutus est)* (cf. D 143 cum nota). Postea vero in epistola ad Leonem I idem Concilium aiebat: Circa 520 Episcopis in Concilio coadunatis «tu tamquam caput membris praepositus eras per eos qui tuam continent vicem, rectum consilium demonstrans»: D 149 32.

632. *Conc.Constantinopolitanum III,* a.680, epistolam dogmaticam Papae *Agathonis,* in qua doctrina de duabus in Christo voluntatibus definiebatur, «fideliter suscipiens et expansis manibus amplectens» (D 289), plane ulterius declaravit:

«Summus nobiscum concertabat Apostolorum Princeps; illius enim imitatorem et Sedis successorem habuimus fautorem et divini sacramenti illustrantem per litteras. Confessionem a Deo scriptam illa Romana antiqua civitas obtulit... et *per Agathonem Petrus loquebatur»:* D 288 cum nota. Ulterius autem hoc ipsum Concilium practice agnovit Romani Pontificis infallibilitatem, quae aperte in eadem epistola docebatur his verbis: «Redemptoris annitente praesidio, haec Apostolica eius Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est»: ML 87,1168.

633. *Conc.Constantinopolitanum IV,* 3.870, in quo de Photii erroribus actum est, acceptavit fidei formulam ab Hadriano II propositam, quae concordat cum Regula fidei Papae Hormisdae et docet Romani Pontificis infallibilitatem: D 171-172 1833. Imperator Basilius ad Romani Pontificis Legatos dixit:

«Ego quidem ut magistram ecclesiasticorum negotiorum Sedem Apostolicam p>r meos legatos adii et ideo vestram praesentiam praestolatus sum, ut vestro decreto et solertia Ecclesia nostra remedia sanitatis reciperet et nos non nostris motibus sed vestrae sententiae pareremus» 33.

634. *Conc.Lateranense IV,* a. 1215, declarans: «Romana Ecclesia disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet Principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et *magistra»:* D 433 436.*

32 Pius XII, *Encycl.* «Sempiternus *Rex·:* AAS 43 (1951) 631-33; Msi 6.971 et 6.155.
33 Silva-Tarouca, *l.C.,* 55-59.

Conc. Lugdunense II, a. 1274, in quo etiam appellata est «sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium et *magistra»,* ulterius in professione fidei Graecis ad unionem proposita, aperte infallibilitatem Romani Pontificis includit: D 460 466 1834.

635. *Conc. Florentinum,* a. 1439, de unione Orientalium agens, hanc eandem doctrinam clare definivit dicens: «Pontificem Romanum successorem esse beati Petri et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem ac *Doctorem* exsistere»: D 694 1835.

Conc. Tridentinum, a. 1564, quamvis' de Romani Pontificis Primatu et infallibilitate explicite non egit, agnitionem tamen Primatus in tota agendi ratione indubitanter supponebat, infallibilitatem vero implicite saltem asserebat in sessionibus 7.®, 14.8 et 22.a, necnon in Professione fidei Tridentina, dum profitendum iniungebat: «Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et *magistram* agnosco»: D 859 910 946 999 34.

636. Scholion. I. Estne unum an duplex subiectum infallibilitatis? Quaeritur de subiecto *immediato* infallibilitatis *activae* in rebus fidei et morum definiendis. Quaestio est inter auctores controversa.

I.° Ut omnino certa *tria in hac re tenenda* sunt: 1) Romanus Pontifex, ut persona publica supremi Pastoris et Doctoris universae Ecclesiae, est infallibilis. 2) Episcopi, ut Collegium universae Ecclesiae docentis, sub Romano Pontifice consentientes in proponenda doctrina tamquam ab omnibus tenenda vel credenda, sunt infallibiles. 3) Collegium Episcoporum, ut infallibilitatis subiectum, non est adaequate distinctum a Romano Pontifice, quia ut tale sit Collegium, necessario et essentialiter includere debet suum caput, quod ex Christi institutione est successor S.Petri in Primatu. Haec tria sunt quae in thesibus, quae praecedunt, demonstravimus.

637· 2· Quaestio disputata haec est: Utrum Collegium Episcoporum cum Papa et sub Papa ex una parte, et ex alia parte ipse Papa ut persona publica sintne duo subiecta immediata infallibilitatis inadaequate distincta; an subiectum immediatum omnis infallibilitatis Ecclesiae sit solus Romanus Pontifex, quo mediante infallibilitas ad Episcoporum corpus derivatur velut a capite in membra?

638. 3. *Sententiae auctorum: 1) Tenent unum esse immediatum infallibilitatis subiectum* Romanum Pontificem Palmieri, Billot, Straub, Wilmers, De Groot, Muncunill, Michelitsch, Zapelena, Lercher. Dublanchy, aliique quamplurimi. 2) *Defendunt duo esse immediata subiectd infallibilitatis* inadaequate *distincta* Cercia, Pesch, Mazzella, Kleutgen, Franzelin, Schneeman, Hurter, Scheeben, Spacil, Bainvel, Dorsch, De Guibert, Maroto, Stolz, Zubizarreta, Ruffino, aliique plurimi. 3) Abstinent a quaestione decidenda,4

i4 Cf. Ai.onso-Barcena, El *Primadu Romano* en *el Concilio de Trento:* RazFe *El Concilio de Trento* (1045) 397-pS.

D'Herbigny, Schultes, Felder, De San, Van Laak, Van Noort, Vellico, Dieckmann, hic tamen postremus magis in sententiam unius subiecti infallibilitatis se inclinare declarat [15].

639. 4.0 *In Concilio Vaticano* utraque sententia libere fuit prolata. Relator enim de fide, Episcopus Gasser, in Congregatione Generali die 11 iulii anni 1870, animadvertit: «-Decreta de fide etiam a Concilio Generali edita, infallibilia non sunt nisi fuerint confirmata a Papa. Causa huius rei non est ea, quae ex hoc ambone aliquoties, dolens dico, indicata fuit, scilicet, ac si omnis infallibilitas Ecclesiae sit sita in solo Papa et a Papa derivetur'in Eccftsiam et illi communicetur... Quomodo vero infallibilitas possit communicari? Hoc non intelligo». Unde Gasser tenebat duplex esse infallibilitatis subiectum (cf. Msi 52,1216).

In eodem Concilio Vaticano, in Congregatione Generali die 16 iulii, duobus nempe diebus antequam in sollemni sessione IV Constitutio dogmatica prima de Ecclesia promulgaretur, alius fidei Relator, Episcopus Zinelli, post memoratam duplicem auctorum sententiam circa infallibilitatis subiectum, nomine Deputationis fidei declarabat: ««Non est, inquit, hic locus de hac re aliquid omnino statuendum proferre, sed tantum aperte est declarandum... nullo modo agi de hac quaestione, neque anathema dici illis qui alterutram sententiam sustinent» (Msi 52,1314).

640. 5.° Utraque ergo sententia etiam post Vaticanum Concilium libere sustineri potest. Meo sane indicio sententia tenens unum esse infallibilitatis subiectum defendi potest melius *argumentis speculativis,* sententiae vero de duplici infallibilitatis subiecto *argumenta potius positiva* favent.

Qui *tenent unicum esse infallibilitatis subiectum,* affirmant, solius Petri fidem absolute firmam a Christo praedicari, atque ideo Conciliorum decreta non nisi ex confirmatione successoris Petri absolutum obtinere valorem. Ulterius autem spéculantes in naturam supremae potestatis unici in terris Christi Vicarii, atque urgentes sensum metaphorarum, petrae, clavigeri, pastoris omnium et confirmatoris fratrum probabiliter deducunt, hoc supremum munus in Ecclesia natura sua exigere ut non nisi *eo mediante* ipsa infallibilitas aliis tribuatur (cf. Mt 16.r8; Io 21,15; Lc 22,32)[36].

641. Qui *defendunt duplex esse infallibilitatis subiectum inadaequate distinctum,* urgent imprimis duplicem esse infallibilitatis promissionem directe et immediate a Christo factam, aliam personae Petri, aliâm vero personae morali Collegii Apostolorum [37]. Unde concludunt, tenendum esse utramque promissionem suum effectum aeque immediate sortiri, ne sensus verborum Christi ad Apostolos enervari videatur. Ulterius autem arguunt, sententiam duplicis infallibilitatis subiecti magis consentaneam esse sensui Ecclesiae et modo traditional! concipiendi hanc rem, prout clarius in dies historia Conciliorum Oecumenicorum patefacit. Opponunt denique sententiam unius infallibilitatis subiecti Orientales bona fide errantes vel maxime ab optata cum catholicis unione avertere, utpote quae neque facile cum historicis

15 Cf. Dieckmann, 11,7435; Granderath. *Constitutiones dogmaticae Conc. Vaticani* 188-90; Van Laak. *Repclitorium* (1921) 612-624; Maroto. Instil. fur. Can. n.349; G.Ruffino, *Gli organi delta ifallibilitd:* Salesianum 16 (1954) 39-76.

16 Palmieri, th.26; Straub, n.1060; Lercher. th.51; Dublanchy: DTC 7,1697; Zapeiena: Greg ro (1929) 300-305.

** Promissio Petro: Mt l6,18s; Lc 22,32; promissio Collegio Apostolorum: Mt 18.18; 28 18-20; Mc 16,18; Io 14.16.17.26; 20,21; cf. Mt 10.40; Lc 10,16.

factis conciliatur, neque sufficienter explicat quare Episcopi in Conciliis Oecumenicis non meri consiliarii, sed veri iudices fidei dici possint 3ti.

642. 6.° Supposita duplici Christi promissione, infallibilitas tota quanta pendet a divina assistentia. Atqui Dei assistentia aeque immediate attingere videtur, et Papam ex cathedra loquentem, et Concilium consentiens cum Papa in dogmate definiendo. Ergo posita duplici promissione, pronum est etiam *duplex subiectum infallibilitatis inadaequate distinctum admittere* ,9. Ratione igitur ipsius immediationis assistentiae Dei, eadem etiam dicenda est infallibilitas Papae ac infallibilitas Ecclesiae docentis, prout ex sequenti analysi patere videtur, consideratis *actu, causa, assistentia* et sensit definitionis infallibilis utriusque suhiecti.

643. Actus pontificiae infallibilitatis est *sollemne iudicium personae Papae* ex cathedra loquentis. *Causa* huius infallibilitatis est assistentia Dei. qui sua providentia obtinet ut Summus Pontifex recte concipiat et apte exprimat veritatem fidei vel morum quam ex cathedra definit. *Assistentia* ergo Dei immediate attingere debet solam Papae personam et ad solum eius actum indicandi ex cathedra terminari. Sensus igitur doctrinae sic definitae hauriendus est ex verbis a Papa adhibitis et ex intentione ab ipso Pontifice in definiendo habita.

644. Actus Conciliaris infallibilitatis est *consensus membrorum corporis capitati ad invicem et cum Capite* in sollemni iudicio quo doctrinam definiunt. Ipse *actus consensus* qua talis essentialiter exigit ut eius subiectum variis physicis personis constet, Papa videlicet et Episcopis. *Causa* huius infallibilitatis est assistentia Dei, qui sua providentia obtinet ut Episcopi consentiant ad invicem et cum Papa in recte concipienda et apte exprimenda veritate fidei vel morum quam conciliariter definiunt. Assistentia ergo Dei immediate attingere debet et Papam et Episcopos *consentientes in iudicando,* et ad sollemne eorum iudicium terminari; quamvis diverso modo, prout terminus in quo assistentia recipitur exigit; assistentia enim immediate terminatur et *ad Papam ut Caput* et *ad Episcopos ut membra* corporis, quia in consentienti definitione tam Papa ut Caput quam Episcopi ut membra, *tamquam veri iudices,* suum proprium actum habent. *Sensus* igitur doctrinae a Concilio definitae erui debet *ex verbis et intentione* non solum Papae, sed etiam Episcoporum, quibus detegi valeat *eorum consensus in* doctrina quam sollemniter definiunt.

645. Scholion 2. Estne unus an duplex modus quo Papa infallibilitatem exercet? 40 */n Concilii Vaticani* Constitutione de fide catholica

38 Franzelin, *De Traditione* (1896) 109; Pesch, *Institutiones* l n.459; Dorsch, 387; Stolz, *De Ecclesia* (1939) 43; cf. Goemans, ap. RevScPhTh 31 (1947) 273; G.Ruffino, Lc., nota 35.

39 Relator Episcopus Zinelli, nomine Deputationis fidei, *in Conc.Vaticano, ex* duplici immediata Christi promissione, alia Collegio cum suo Capite, alia soli Petro facta, concludebat in genere duplex esse in Ecclesia subiectum supremae potestatis, dicens: «Admittimus vere plenam et supremam potestatem exsistere in summo Pontifice veluti Capite, et eandem vere plenam et supremam potestatem esse etiam in Capite cum membris coniuncto, scilicet in Pontifice cum Episcopis». Atque ulterius, ex eo quod haec duo supremae potestatis subiecta non sint ad invicem adaequate distincta, quia Episcopi nullo modo sine Capite supremam potestatem obtinere possunt, recte concludit, nullam inter utrumque subiectum possibilem esse collisionem (Mst 52,1109-10); Granderath, *Constit. Dogmat. Conc. Vaticani. 223s* nota i. Idem in Vaticano tenuit J.Kleutgen: Msi 53.321s.325. Cf. CIC 218, 228.

40 Vacant, *Le Magistère ordinaire* (1887); Dublanchy: DTC 7,1705; Bellamy, *La Théologie cathol. au XIX9 siècle* (1904) p.233-242; Bainvel, *De Magisterio* (1905) n.iot; Choupin, Valeur *des décisions doctrinales du Saint-Siège* (1928) p. 15-37; J.Salaverrj, *Valor*

definitum est: «Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in Verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali Magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur»: D 1792.

Ex hac Vaticani definitione infertur, Ecclesiam docentem seu Collegium Episcoporum sub Papa constitutum, *duplici modo* infallibilitatem exercere posse, *alio extraordinario* et *alio ordinario: modo extraordinario,* quando in Oecumenico Concilio aliquid *sollemni iudicio* definit; *modo ordinario.* quando dispersi per orbem Episcopi aliquam doctrinam ut omnino tenendam omnibus fidelibus proponunt.

646. Quaestio nunc haec est: *Quotuplici modo Romanus Pontifex suam infallibilitatem exercet?* i.° Certum est eum infallibilitatem exercere *modo extraordinario* seu cum aliquid *ex Cathedra sollemni iudicio* definit. Nam *Cod. lur. Can.* 1323, postquam § I transcripsit definitionem Vaticani nuper a nobis numero praecedenti citatam, ulterius addit § 2: •'*Sollemne huiusmodi* iudicium pronuntiare proprium est tum Oecumenici Concilii tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis».

647. Quaeritur ergo ulterius, utrum Summus Pontifex suam infallibilitatem exerceat etiam *modo ordinario* necne? Huic quaestioni nobis videtur respondendum *2° affirmative.* Nam iuxta Conc.Vaticanum, Romanus Pontifex «ea infallibilitate pollet qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit»; D 1839. Hac sententia Patres supponunt *principium generale* contra generalem quem damnare intendunt, errorem *Gallicanorum* tenentium, «Papam esse inferiorem Ecclesia in fidei quoque quaestionibus»: cf. Msi 49,673; 52,1230. Ergo, iuxta Vaticanum, Papa nullo modo est inferior Ecclesia in potestate docendi. Atqui Ecclesia instructa est infallibilitate quam exercet modis extraordinario et ordinario: D 1792. Ergo iisdem modis Romano Pontifici concedendum est suam infallibilitatem exercere (cf. Msi 52,1193).

Insuper, Summus Pontifex habet in Ecclesia «totam plenitudinem supremae potestatis»: D 1831. Ergo illam habere debet omni *modo* quo suprema potestas detur in Ecclesia. Atqui suprema potestas infallibilitatis datur in Ecclesia duplici modo, *extraordinario* nempe et *ordinario.* Ergo Summus Pontifex habet potestatem infallibilitatis modo etiam *ordinario.* Secus enim concludendum esset, supremam potestatem infallibilitatis, saltem in modo quo exercetur, esse in Romano Pontifice magis restrictam quam in Ecclesia; quod sane admitti nequit, cum Summus Pontifex in Ecclesia habeat sine ulla limitatione «totam plenitudinem supremae potestatis»: D 183t.

648. Praeterea, Romanus Pontifex, ad suam infallibilitatem exercendam in rebus fidei vel morum, de quibus inter auctores non est controversia, non requiritur ut adhibeat formam illam extraordinariam et sollemnem, quae propria est sollemnis indicii ex cathedra; sed sufficit ei quaelibet alia forma ordinaria et communis, quibus utitur ad universam Ecclesiam docendam, dummodo suam intentionem infallibiliter docendi expresse patefaciat41.

de las Enciclicas a la luz de la «Humani generis·: MiscCom 17 (1952) 152-161 : ubi fusius de hac quaestione tracto: J.Beumer. *Sind pdpstliche Enzykliken unfehlbar?:* ThG1 42 (1952) 26a·69: B.Brinkmann, *Gibt es unfehlbare Acusserungen des 'Magisterium Ordinarium· des Papstes?:* Schol 28 (1953) 202-21: P.Nau, *L'autorité doctrinale des Encycliques:* PensCath (1950) 15,47-63: 16,42-59: (1951) 19,63-84·

«1 Cf. Muncunill. *De Ecclesia* n.446 et 477: Franzelin, *De traditione* p.nos; P.Nad, *Lc.,* 19,74-81.

Hunc autem modum ordinarium infallibiliter docendi Romanus Pontifex adhibet, quando in rebus fidei vel morum suo ordinario et universali Magisterio doctrinam tamquam credendam vel omnino tenendam proponit. Hoc modo censeri potest infallibiliter a Papa propositum antiquum Symbolum Romanum 42. Igitur ex certa et manifesta intentione obligandi omnes fideles ad absolutum assensum, inferri potest infallibile Magisterii ordinarii exercitium, pari omnino ratione, sive sit Pontificis sive sit Ecclesiae, prout n.583 declaravimus.

649. Corollarium. Si infallibilitatem Pontificis referamus ad Ecclesiae infallibilitatem, Concilium Vaticanum definivit in genere esse *eandem,* non numerice sed comparative tantum: D 1839. Iuxta ea vero quae in hac thesi explicavimus, est *eadem* imprimis natura, causa, valore et obiecto, ut constat ex theseos notionibus; est ulterius etiam *eadem* immediatione subiecti, prout ex Scholio 1 eruitur; est denique *eadem* quoque ex duplici modo, ordinario nempe et extraordinario, quo exerceri potest, quemadmodum ex ■Scholio 2 concludere licet.

650. Obiectiones ♯. Ad solvendas difficultates, quae contra infallibilitatem Summi Pontificis ex Historia deduci solent, bene ad tria praesertim attendendum est: 1) *Ad factum* ipsum, utrum nempe historice certum sit necne; 2) *Ad subiectum* infallibilitatis, utrum ne detur revera definitio ex cathedra, iuxta illud principium: «Definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constiterit»: CIC 1323 § 3; 3) *Ad obiectum,* utrum videlicet doctrina sit de fide vel moribus necne.

i. Papa Liberius (352-66) formulae fidei arianae vel semiarianae subscripsit44. Ergo erravit in fide.

1) *Factum* historice probabilius est fabulosum, vel saltem de eo minime certo constat45. 2) *Subiectum,* Papa nempe Liberius, si forte subscripsit, eius subscriptio vi extorta fuit, ac proinde dici nequit «motu proprio et ex plenitudine potestatis» emanata; unde neque appellari potest definitio ex cathedra46. 3) *Obiectum* seu formula subscripta neque ariana neque semiariana neque simpliciter erronea dici potest, sed sensu orthodoxo bene interpretari potest47. Unde ex Papa Liberio nihil contra Summi Pontificis infallibilitatem concludi potest.

65 1. 2. Papa Vigilius (540-55) sic dicta Tria *Capitula* prius condemnavit suo primo *Iudicato* a.548; deinde condemnationem revocavit suo *Constituto* a.553; denuo condemnavit secundo *ludicato* a.554. Ergo vel in uno vel in altero casu erravit. Sic dicta Tria *Capitula* haec sunt: *a)* Theodori

4- Vacant. *La Constitution 'Dei Filius»* (1895) t.2 n.650-657; J.ue Ghellinck. *Patristique et Moyen Age:* t.t, *Les recherches sur les origines du Symbole* (1946).

43 Dieckmann, n.773: D'Herbicny, n.305,3; 396,3; Pesch, *Compendium* 1 11,323-26; lu., *Institutiones* 1 n.515-18; Muncjjnill, n.458-76.497; Dorsch, th.21 § 8-9; Silva-Tarouca, Le., 90-183. quaestiones historicas accurate tractavit. Solutiones dogmaticae in respectivis Theologiae tractatibus quaerendae sunt. Cf. H.van Laak, *Kepetitorium* p.488-505.

44 S.Athanasius: Kch 417; S.Hilarius: Kch 564; cf. 560-568; S.Hieronymus: Kch 630; Sozomenus: Kch 924-25.

43 S.Ambrosius: Kch 597; Rufinus: Kch 715; S.Liberii epistolae genuinae: Kch 550-559: S.Anastasius I. D 93; Silva-Tarouca, l.c., 90-95. Quatuor epistolas Liberio attributas iKch 560-569) spurias esse comprobat earum aritmia: cf. F.pi Capua. *Il ritmo prosaico nolle letters dei Papi* 1 (1937) 236-247.

46 S.Athanasius, *Historia Arianoruni:* Kch 417; Palmieri. *De Rom. Ponlif.* th.31 ad finem; Muncunh.l, *De Ecclesia 11.478.*

47 Socrates, *Historia eccles.* 4.12: Kch 855-859: Muncunill, *De Ecclesia* n.46s: Pesch, *Institutiones* 1 n.515; A.d'Ales: DAFC 2,1842-51: E.Amann: DTC. 9,631-659.

Mopsuesteni *persona et scripta; b)* Theodoreti Cyrensis *scripta; c)* Ibae Edessani *epistola* ad Marim persam.

652. 1) *Facta* historice haec constant: *a)* Vigilius, ab Imperatore Iustiniano a.546 Constantinopolim adductus atque circumventus, suo *ludicato* a.548 videtur damnasse Tria *Capitula,* prout illa Imperator, decreto a.544, praedamnaverat. Huius *Judicati* textus deperditus est, et ideo sensum et limites damnationis eius ignoramus, *b)* Idem Vigilius, territus schismatum periculis, quae suum *ludicatum* suscitavit, contra Imperatoris voluntatem, 14 maii 553, suum *Constitutum* promulgavit, quo primum «ludicatum» revocavit, theses haereticas tamquam ex Theodori et Theodoreti scriptis depromptas damnavit, personas vero eorum et epistolam Ibae, utpote quae in Chalcedonensi Concilio damnatae non fuerant, neque tunc damnandas esse edixit, *c)* Historice minime constat Vigilium auctorem esse secundi *ludicati,* quo a.554 plene confirmatur «Trium Capitulorum» damnatio, quam die 2 iunii anni 553 a Conc.Constantinopolitano II Imperator Iustinianus obtinuit[48].

2) *Subiectum* definiens ex cathedra nequit dici Vigilius propter suum *primum ludicatum,* quia ab Imperatore coactus et circumventus necessaria independentia ad infallibiliter iudicandum caruit; neque propter secundum *ludicatum,* quia vel Vigilii non est vel saltem eodem coactionis vicio inficitur. *Constitutum* autem mature confectum et libere a Vigilio promulgatum, vere definitio eius ex cathedra dici potest[49].

3) Obiectum definitionis infallibilis in Constituto sunt tantum propositiones Vigilio oblatae tamquam ex Theodori et Theodoreti scriptis depromptae, necnon quinque anathematismi quibus doctrina Nestorii et Eutychis damnatur. Reliqua vero sunt praecepta disciplinaria, vel iudicia prudentialia circa opportunitatem damnandi a.553 personam Theodori, qui a.428 in pace Ecclesiae defunctus erat, et epistolam Ibae, quam a.451 Conc. Chalcedonense non damnaverat. Opportunitas autem valde dubia erat ob pericula schismatis Ecclesiarum praesertim Africae. Ergo Papa Vigilius minime sibi contradixit definiendo ex cathedra, quod *semel suo Constituto* fecit.

653. 3. Conc.Constantinopolitanum II a.553 Tria *Capitula* ad placitum Imperatoris Justiniani, contra Vigilii *Constitutum,* condemnavit. Ergo duae sunt definitiones infallibiles quae sibi invicem contradicunt[50].

1) *Factum* historice constat Episcopos nempe Constantinopoli coadunatos a.553 *Tria Capitula* ad placitum Imperatoris condemnasse, renuente et contradicente Papa Vigilio. 2) *Subiectum* infallibilitatis devenisse hoc Concilium non constat nisi anno 591 per confirmationem S.Gregorii M. (ML 77, 478). 3) *Obiectum* seu doctrina fidei vel morum a Concilio et a Vigilii *Constituto* definita eadem est. Discrimen tantum in eo est quod *ultra* Vigilii definitionem, Concilium addit damnationem *epistolae* Ibae et *personae* Theodori, ab hac autem ulteriore damnatione Vigilius ob bonas rationes *abstinendum* potius esse censebat. Ergo nulla adest iudiciorum qua infallibilium contradictio, sed ad summum *progressus* tum in definitione dogmatis, tum in prudential! opportunitatis et decentiae iudicio.

48 Silva-Tarouga. *l.c.,* 165-79; cf. E.Amann, Trois *Chapitres:* DTC 15,1868-1924, quamvis hic auctor non satis accurate et critice discernit a genuinis spuria vel dubia, quae in hoc negotio miscentur, documenta.

Vigilii Constitutum: CSEL 35 n.83 p.230-320: ML 69,67-114; J.Chapman, Studies on *the early Papacy* p.228-36.

50 Damnatio Conc.Constunlinopoh'tani If: D 224-27.

654. 4. Papa Honorius (625-38) docuit in Christo esse unam voluntatem: D 251-53. Ergo erravit in fide.

1) *Factum* sufficienter ex historia constat51. 2) *Subtectum* definitionis ex cathedra nequit in hoc casu dici Honorius, quia clare manifestat se nec quaestionis gravitatem animadvertisse: D 251. 3) *Obtectum* definitionis, si forte definitio ex cathedra dici deberet, non videtur esse error in fide, nam ex contextu patet Honorium loqui de voluntate Christi, non *physice* una, sed *moraliter* una, ex perfecta concordia duarum Filii Dei naturalium voluntatum: D 251. Unde in forma: Dist. antec. Honorius docuit ex cathedra unam esse in Christo voluntatem, *nego antec.;* docuit inferiori auctoritatis gradu, *subdist. :* docuit in Christo esse voluntatem moraliter unam, *conc.;* physice unam, nego.

655. 5. Conc.Constantinopolitanum III a.68o damnavit Papam Honorium ut haereticum: Kch 1082-84. Ergo Honorius erravit in fide docendo unam esse in Christo naturalem vel physicam voluntatem.

1) *Factum:* historice constat corpus Episcoporum intendisse damnare Honorium ut haereticum una cum aliis haereticis Monotheletis. 2) *Subiectum* definitionis infallibilis dici nequit tale Episcoporum corpus, quia ei deest essentialis et necessaria confirmatio *Capitis* seu Papae. 3) *Obiectum* definitionis Concilii a Papa confirmati non fuit damnatio Honorii de haeresi (D 253) sed de negligentia in haeresi repellenda: Kch 1085-88 52. Unde in forma: Dist. *antec.* Conc.Constantinopolitanum III ut corpus sine eius essentiali Capite tentavit Honorium damnare tamquam haereticum, *trans, antec.;* ut Corpus Capitatum seu ut Concilium a Papa confirmatum, *subdist.:* damnavit Honorium de negligentia in haeresi monotheleta compescenda, *conc.;* de errore in fide seu de haeresi monotheleta, *nego.*

656. 6. Ea quae obici solent *contra loannem XXII,* circa visionem beatificam; *contra Sixtum V,* circa authentiam Vulgatae; *contra Urbanum VIII,* circa quaestionem Galilei, et alia huiusmodi, aperte constat his in casibus non agi de definitione ex cathedra 53.

657. Appendix. *Utrum Papa ut persona privata cadere possit* tn *haeresim necne?* De hac quaestione disputant Theologi. Nobis «magis pium et probabilius videtur» tenendum, Deum sua Providentia curaturum «ne unquam Papa haereticus sit». Hanc enim sententiam, quam tenuerunt Bellarmino et SuArez, etiam in Conc.Vaticano Episcopus Zinelli, Relator fidei, laudavit, dicens: «Haec, Providentiae supernaturali confisi, satis probabiliter exsistimamus nunquam eventura. At Deus in necessariis non deest; ac proinde, si Ipse permitteret tantum malum, non deerur? media ad providendum»54.

si Silva-Tarouca, i.e., 180-83; E.Amann. *Honorius I:* DTC 7,93-132.

ss Pesch, Compendium I n.326,3; Muncunill, *De Ecclesia* 11.466-73

3» D'Herbignv, n.396,3; Pesch, Compendium I n.326. Solutionem harum difficultatum cx parte obiecti seu doctrinae, quae in eis agitatur, ulterius explicatam invenies in respectivis tractatibus dogmaticae Theologiae.

54 Conc.Vaticanum: Msi 52,1109; S.Bei.i.armino, *De Rom. Pontifice* I.4 c.6; Suarez, *De Fide* d.to s.6 n.11 Cf. Palmieri (1902) th.32 schol.i p-7o8-to; Straüb, n.1068; Michel.iTSCH, § 237,9; Dorsch, 406-408; H.van Laak, *Repetitarium* p.506-509; E.Dublanchy: DTC 7,1714-17; J.Salaverri, *El Derecho en el misterio de !a Iglesia:* RcvEspT 14 (1954) 215s.

ARTICULUS III

Sanctae Sedis Magisterium mere authenticum

Thesis 15. Decretis doctrinalibus Sanctae Sedis a Summo Pontifice authentice approbatis debetur mentis assensus internus et religiosus.

658. Su Arez, *De Fide* d.5 s.6 n.8; Franzblin, *De Traditione* (1896) th.12 princip.7 p.i 18-41: Wilmers, th.72; Dí. Groot, q.x6 a.8; Palmieri, th.32 schol.2; Straub, n.963-69; Muncunill, n.511-19: Van Laak, *Repetitorium* (1921) th.2l p.509-21: Schultes, a.67 n.5; Dieckmann, th.29 n.775-92: Lercher, th.52 n.498-502: L.Choupin, S.I., *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint Siège* (1929) 50-95; J.Salaverri, *Valor de las enciclicas a la luz de la «Humani generis»:* MiscCom 17 (1952) 135-172; Id., *La potestad de Magisterio eclesidstico y asentimiento que le. es debido:* EstEcï 29 (1955) 155-195·

659. Nexus. Ex thesi de infallibilitate Romani Pontificis infertur, ei deberi assensum mentis *absolutum* cum ex cathedra loquitur vel cum manifeste constat se intendere fideles ad talem obligare assensum. Nunc ulterius quaeritur: Quinam mentis assensus decretis Summi Pontificis praestandus sit, cum doceat gradu non attingente infallibilitatem, seu gradu supremae suae doctrinalis auctoritatis non summo?

660. Notiones. *Sanctae Sedis* nomine veniunt, non solum Romanus Pontifex, sed etiam Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Summus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet (CIC 7, cf. 246-264).

Duae praecipue in hac thesi notiones definiendae sunt: 1) *Quaenam* sint *decreta* de quibus agimus; 2) *Qualis* sit *assensus* mentis qui eis debeatur.

1) Decreta, de quibus agimus, in genere sunt sententiae a Romano Pontifice editae, ut Doctore authentico, universali et supremo quidem, sed auctoritatis gradu non attingente infallibilitatem.

Ex forma haec decreta duplicis iterum sunt classis: a) *Formalia* sunt ea,· quorum ipse Summus Pontifex exhibetur esse auctor, ut generatim sunt eius Litterae Encyclicae. b) *Virtualia* dicuntur ea decreta quae vi auctoritatis legitime a Summo Pontifice participatae eduntur, ut in genere sunt decreta Congregationum Romanarum (CIC cn.246-57).

Ex obiecto haec decreta duplicis sunt generis: a) *Disciplinaria* sunt ea decreta, quorum obiectum est aliquod disciplinae praescriptum observandum, b) *Doctrinalia* sunt ea decreta,

quorum obiectum est aliqua doctrina magisterialiter fidelibus proposita. *In thesi* agimus *de doctrinalibus.*

Ex fine his decretis intento duplex denuo eorum qualitas distinguitur: a) *Directa* sunt ea quibus *doctrina* proponitur ut eam fideles teneant *ut veram* vel *falsam,* b) *Indirecta vero* dicuntur ea quibus Ecclesia «doctrinam fidei vel morum tutari» intendit; in his ergo *doctrina* proponitur habenda ut *tuta* vel non *tuta.*

661. Decreta doctrinalia tam directa quam indirecta edi possunt et de facto saepe edita sunt praesertim a sacra *Congregatione S.Officii,* vi auctoritatis a Summo Pontifice ipsi communicatae. Vis et ratio decretorum directorum satis iam ex notionibus patent. *Decretorum vero indirectorum* vis et natura accuratius est explicanda. Vis horum decretorum ex eorum fine eruitur, qui est in *Congregatione S.Officii tutari doctrinam fidei et morum:* CIC cn.247 § I, seu declarare aliquam doctrinam esse vel *tutam* vel non *tutam.* Haec notio accuratius explicanda est.

662. «Quoad rem de qua nunc agimus, inquit Franzelin, Magisterium agit auctoritate quidem pascendi sibi divinitus commissa, non tamen tota eius intensione, si ita loqui fas est, neque ultimatim definiendo veritatem, sed quantum necessarium aut opportunum et sufficiens visum fuerit ad securitatem doctrinae; quam possumus forte dicere auctoritatem providentiae *doctrinalis...* Auctoritas inferior providentiae doctrinalis, ut eam appellavimus, non quidem independens, sed cum *dependentia a Pontifice,* communicabilis est, et ab ipso Pontifice communicatur maiore vel minori extensione quibusdam SS.Congregationibus Cardinalium... existimamus huiusmodi iudicia etiam citra *definitionem ex Cathedra posse* esse ita comparata, ut postulent *obedientiam,* quae includat *mentis obsequium,* non quidem ut credatur doctrina infallibiliter vera aut falsa; sed ut iudicetur doctrinam in tali iudicio contenta, esse *securam,* et nobis non quidem ex moiivo *divinae fidei,* attamen ex *motivo sacrae auctoritatis,* cuius munus indubitatum est prospicere sanitati et securitati doctrinae, mentis obsequio amplectendam ac contrariam reficiendam»1.

663. Consentit Billot dicens: «Fit distinctio inter decreta quibus veritas speculativa infallibiliter definitur, et decreta quibus securitati doctrinae prospicitur, quin deveniatur ad formales definitiones... Edere decretum quo non speculativa veritas definitur, sed securitati doctrinae prospicitur, nihil enim aliud est quam decernere authentice, aliquam doctrinam esse tutam, id est consonam regulae fidei, ea saltem probabilitate quae sufficiat ut quis possit illam amplecti; vel e contra, aliquam doctrinam non esse tutam, seu esse discordem a regula fidei, idque iterum tali saltem probabilitate, quae non habeat adiunctam sufficientem probabilitatem de opposito... ita quando Sacrae Congregationes declarant doctrinam quandam tuto

1 Franzelin, *De divina Traditione* (1896) th.12 p.119-22. Vide optimam elucubrationem F.Huerth, Tuto *doceri non potest:* Schol s (1930) 260-67.

tradi non posse (id est non tutam), tenemur iudicare doctrinam hanc esse, non dico in se erroneam aut falsam aut si quid aliud eiusmodi, sed simpliciter non tutam, eique tamquam non tutae amplius non adhaerere. Et si declarent doctrinam aliam tuto negari non posse (id est tutam), tenemur iudicare doctrinam hanc esse, non solum tutam, verum etiam ut tutam (et non dico ut in se certam praecise vi decisionis) sequendam atque amplectendam. Sed in rigore loquendo, id quodyiunc tutum non est, praesertim in sensu compositio decisionis, potest postea evadere tutum, si forte auctoritas competens, re iterum discusa et novis perpensis rationibus, aliam decisionem ediderit... Nequidem proprie et formaliter dici posset decisio posterior reformare praecedentem, quoniam reformationi locus non est... Etenim illud quod nunc non est tutum, attento praesenti statu rationum, potest postea fieri tutum, novis rationibus accedentibus; et ideo decisio declarans tutum id quod prius tuto teneri non posse fuerat edictum, non est stricte loquendo reformatio sententiae, sed nova declaratio non contraria priori» Hanc eandem explicationem amplectuntur Dieckmann et Choupin 3.

664. Iuxta hanc doctrinam, finis ergo decretorum indirectorum Congregationis S.Officii est declarare ac proponere aliquam doctrinam tamquam *tutam* vel *non tutam.* Hoc autem stricte significat: *a)* Positive seu *tutam* esse eam doctrinam, quae teneri possit sine periculo fidei vel morum, *b)* Negative seu *non tutam esse* eam doctrinam, quae non possit teneri sine periculo fidei vel morum. Iudicium ergo quod tale decretum profert non respicit formaliter ipsam veritatem vel falsitatem alicuius doctrinae in se ipsa inspectae; sed eius proprie relationem ad doctrinam fidei vel morum *secure tenendam.* Ideoque dari potest doctrina quae in statu praesenti scientiae iudicari debeat non tuta, quae tamen progrediente scientia valeat postea censeri tuta, ac vice versa. *Haec de decretis indirectis.*

Decreta vero *doctrinalia directa,* ut diximus, ipsam doctrinam *ut veram* vel *falsam* habendam proponunt; unde, ad modum exempli, in *Litteris Encyclicis* doctrinalibus, quae ad universum catholicum orbem diriguntur, doctrina quae in illis assertive et principaliter docetur, merito a theologis proponitur tenenda simpliciter tamquam doctrina catholica.

665. *Decreta virtualia* ut dici valeant Sanctae Sedis decreta, necesse est ut a Summo Pontifice approbentur. Haec autem approbatio dupliciter fieri solet: a) *forma communi,* qua significatur tantum decreta esse legitima, authentica et promulganda; sed hac approbatione non aequiparantur formalibus Summi Pontificis decretis; b) *forma specifica,* qua expresse edicitur, Summum Pontificem talia decreta sua facere et veluti formalia

2 Billot, *De Ecclesia* (1927) lh.19 p.445-47.

3 Dieckmann, n.787-89; L Choupin, *Valeur des décisions doctrinales du Saint Siège* (1929) 83-86: «In his adiunctis et in praesenti scientiae statu, *prudens* est et *securum* adhaerere huic thesi ut vprae vel aliam relinquere ut erroneam» (cf. id., p.91).

eius decreta habenda esse. Dicuntur autem solum *authentice approbata,* quia quamvis in forma specifica approbata fuerint, supponimus tamen ea non infallibiliter, sed gradu auctoritatis inferiore definitione ex cathedra approbata esse.

666. 2) Assensus qui his Sanctae Sedis decretis est praestandus, debet esse: a) *Mentis obsequium,* ideoque non sufficit *conformismus* practicus eorum qui, etiam mente contraria tali obsequio, *practice* tamen non secus agunt ac si illud exhiberent; b) *Actus iudicii intellectualis,* et ideo non sufficit *obsequiosum silentium oris* eorum· qui mere abstinent a *manifestando* iudicio contrario quod habent; c) *Internus* quo quis *positive* adhaeret propositioni Magisterii vereque sentit id ipsum quod magister sentit, ideoque ncn sufficit *obsequiosum silentium mentis* eorum qui mere abstinent ab *efformando* iudicio diverso; d) *Certus,* etsi non certitudine absoluta quae *possibilitatem* oppositi excludit quaeque soli infallibili decreto est debita, sed vera certitudine *relativa* quae *probabilitatem* vel formidinem oppositi excludit, ac *condicionata,* sub hac nempe condicione, nisi Ecclesia pari vel superiori auctoritate aliud decreverit. Talis assensus appellatur *religiosus,* quia est praestitus ob motivum religionis seu ob reverentiam debitam Deo qui sacra et hierarchica Ecclesiae auctoritate fideles gubernat.

667. Status quaestionis. Asserimus in thesi, *decretis doctrinalibus* Sanctae Sedis, a Summo Pontifice vel *formaliter* editis vel *in forma specifica* approbatis, etsi gradum infallibilitatis non attingentibus, assensum mentis deberi internum et religiosum, necnon certum saltem relative et condicionate, prout in notionibus explicatum est. De aliis decretis doctrinalibus, quae *decreta virtualia* appellavimus, idem consequenter, *servata tamen debita proportione, asserendum* est.

668. Adversarii. 1) *In genere* adversantur omnes qui negant doctrinalem Summi Pontificis auctoritatem, vel admittere renuunt eam esse universalem et supremam, de quibus sermo fuit in thesi de infallibilitate Pontificis.

2) *Iansenistae* tenentes ad summum sufficere silentium, quod appellant obsequiosum, erga omnia decreta lata circa facta dogmatica et circa propositionem quamlibet, quae extra ambitum depositi revelationis cadat: D 1350.

3) *Semirationalistae* propugnantes omnimodam Philosophiae independentiam a fide, obligationem assentiendi restrin-

gunt ad ea tantummodo decreta, quibus fidei dogmata *infallibiliter* definita sunt: D 1683 1722.

4) *Modernistae,* qui cum propugnent sensum religiosum fontem esse omnis religiosae obligationis, negant Ecclesiae potestatem exigendi ullum *internum* mentis assensum: D 2007.

5) Hodierni *«rerum novarum studiosi,* qui ad neglegendum, ac vel etiam ad despiciendum facile transeunt ipsum Magisterium Ecclesiae... Hoc enim Magisterium ab ipsis tamquam progressionis sufflamen ac scientiae obex exhibetur; ab acatholicis vero quibusdam iam veluti iniustum frenum consideratur quo excultiores aliqui theologi a disciplina sua innovanda detineantur... Officium quo fideles tenentur illos quoque fugere errores, qui ad haeresim plus minusve accedant, ideoque etiam Constitutiones et Decreta servare, quibus pravae huiusmodi opiniones a S.Sede proscriptae et prohibitae sunt (D 1820), nonnunquam ita ignoratur ac si non habeatur»4.

669. Doctrina Ecclesiae. Constat ex Pio IX in *Epistola «Tuas libenter»* contra *Semirationalismum;* D 1683-84, et in *Encyclica «Quanta cura»* contra *Naturalismum:* D 1698. Implicite continetur in monito a *Conc. Vaticano* edito: D 1820. Explicite urgetur obligatio assensus interni a Pio X contra *Modernistas* in *Decreto «Lamentabili»:* D 2007s. Cf. *Motu proprio «Praestantia Scripturae»:* D 2113s et *Declarat. S.Off.:* D 2198. Nuperrime doctrinam theseos clare docet Pius XII, *Encycl. «Humani generis»* in qua legimus:

«Neque putandum est, ea quae in Encyclicis Litteris proponuntur, assensum per se non postulare, cum in iis Pontifices supremam sui Magisterii potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario haec docentur, de quo illud etiam valet: Qui *vos audit me audit* (Lc 10,16); ac plerumque quae in Encyclicis Litteris proponuntur et inculcantur, iam aliunde ad doctrinam catholicam pertinent. Quod si Summi Pontifices in actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorumdem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse» 5.

670. Valor dogmaticus. Thesis ergo est de *doctrina catholica* et defendi potest tamquam *theologice certa.*

671. Probatio. Sancta Sedes 1.° *ius habet* ad exigendum assensum internum et religiosum decretis doctrinalibus formaliter a Summo Pontifice approbatis, et 2.° *de facto exigit* talem assensum. Atqui omni iuri correlata obligatio necessario respondet et exactioni iuris obligationis praestatio debetur. Ergo

4 Pius XII, *Encycl. «Humani generis·: AAS 42* (1950) 567.

5 Pius XII, *l.c.,* 568: cf. J.Salaverri, *Valor de las Enciclicas a la luz de la «Humani* generis»; MiscCom 17 (1952) 135*172; J.C.Fenton, *The ·Hυmαηί generis» and the Holy Father'i ordinary Magisterium:* AmerEcclRcv 125 (195O 53-62.

decretis Sanctae Sedis a Summo Pontifice authentice approbatis debetur mentis assensus internus et religiosus.

672. Antec. *probatur 1.° Sancta Sedes ius habet* ad exigendum talem assensum decretis authenticis, qualis correspondet potestati doctrinali qua eduntur, et qualis necessarius est ad eiusdem potestatis finem obtinendum. Atqui assensus internus et religiosus correspondet potestati doctrinali qua decreta authentica eduntur, et necessarius est ad eiusdem potestatis finem obtinendum. Ergo Sancta Sedes ius habet ad exigendum assensum internum et religiosum decretis doctrinalibus a Summo Pontifice authentice approbatis.

Ad. min. a) Potestati docendi qua decreta authentica eduntur correspondet assensus mentis internus, quia vera auctoritate doctrinali decernuntur; correspondet etiam assensus religiosus, quia potestas qua decreta authentica eduntur est vere sacra sub divina assistentia exercita.

Ad. min. b) Assensus internus et religiosus necessarius est ad eiusdem potestatis *finem* obtinendum. Nam potestatis doctrinalis, qua decreta authentica eduntur, finis est fideles ita certo ac secure ducere ad amplectendam et firmiter tenendam doctrinam fidei et morum, ut etiam a periculis errandi in doctrina fidei et morum avertantur. Iam vero sine obligatione ad internum assensum, mens fidelium libere divagaretur per doctrinas incertas et non tutas, ideoque vel certo erraret in doctrinis attingentibus fidei depositum, vel saltem periculis errandi in doctrina fidei et morum continuo subiaceret, atque de facto, supposita humana fragilitate, saepe etiam a doctrina fidei vel morum aberraret. Ergo ob motivum religiosum cavendi a periculis fidei et morum, assensus internus decretis authentice approbatis necessarius est ad finem potestatis doctrinalis Ecclesiae obtinendum.

673. *Antec. probatur 2.° Sancta Sedes defacto exigit* assensum internum et religiosum decretis doctrinalibus a Summo Pontifice authentice approbatis, a) *In genere* hoc patet *ex Conc. Vaticano:* D 1820, et ex praescripto CIC 1324, quo urgetur idem Vaticani decretum, b) De obligatione praestandi assensum etiam *erga Congregationes Romanas* constat ex Pio IX in *Epistola «Tuas libenter»: D* 1684, et implicite saltem in *Encyclica «Quanta cura»:* D 1698s. c) *Sanctam Sedem exigere assensum internum,* ostenditur ex Leone XIII in *Encyclica «Immortale Dei»:* D 1880, ex Pio X in *Decreto «Lamentabili»:* D 2007. d) Assensus, quem

Sancta Sedes exigit, est *religiosus* seu ob motivum religionis praebendus, eruitur ex eo quod sub gravi cùlpa oboedientia decretis authenticis exigatur: D 2113 2146; «ad religionem autem, inquit S.Thomas, pertinet exhibere reverentiam Deo, in quantum est primum principium creationis et gubernationis rerum»6,7 oboedientia vero nostra talibus decretis exhibemus reverentiam Deo in quantum est primum principium gubernationis supernaturalis fidelium.

674. Scholion 1. Dc natura assensus praestandi decretis, de quibus agit thesis, iuxta auctorum sententias. Cum intellectus sit potentia necessaria et ad assensum absolutum non moveatur nisi vel obiecti evidentia vel testimonii infallibilitate, quaerunt auctores, qualis sit natura assensus qui debeatur decretis doctrinalibus quae gradum auctoritatis infallibilem non attingant? Consentiunt omnes respondentes, assensum debitum *non esse absolute* vel metaphysice certum, quod tantummodo debetur decretis *infallibilibus.*

In determinanda ulterius natura talis assensus, 1) respondent eum esse *nioraliter certum* sive *formaliter* sive *aequivalenter,* Franzelin, Palmieri, Pesch, Billot, De Groot, Hurter, Hettinger, Scheeben, Muncunill, Schultes, Dieckmann, Al.-Barcena, alii 7. 2) Dicunt *praeterea* eum esse *condicionatuni,* Choupin, Wilmers, Straub, Maroto, Lercher, alii8. 3) Eum appellat *opinativum,* quod sane non videtur aliis sufficere, Schiffini 9. Nostram sententiam de hac re iam in statu quaestionis patefecimus.

675. Cum asseramus, debitum decretis authenticis assensum esse tantummodo *nioraliter certum et condicionatum,* evenire potest ut aliquando suspendi valeat. Unde quaerimus, quibus in condicionibus talem assensum suspendere liceat? Respondet Straub: Decretis, de quibus agimus, «per se convenit assensus, qui dici possit implicite vel interpretative condicionatus, quatenus Ecclesiae filius sciens decretum non esse peremptorium, ita est dispositus, ut assensum retinere minime vellet, si quando Ecclesia per sententiam infallibilem aliter iudicaret, vel ipse rem veritati repugnare deprehenderet.

Enimvero potest fieri *per accidens* ut edictum alicui appareat sive certo falsum sive rationi tam solidae oppositum, ut vis rationis huius pondere auctoritatis sacrae neutiquam elidatur. Age, quoniam rationabile obsequium deposcitur, si accidat illud, *licebit dissentire,* sin alterum, *licebit dubitare* sive etiam sententiam ab edicto sacro discrepantem adhuc probabilem existimare; nec tamen pro reverentia auctoritatis sacrae fas erit publice contradicere...; sed silentium servandum est, quod *obsequiosum* vocant, vel difficultas tribunali sacro modeste exponenda es»·, vel ad tribunal altius iudiciumque infal-

6 S.Th., 2.2 q.81 a.3.

7 Franzelin, *l.c.;* Palmieri (1902) th.32 schol.2 p.7ios; Pesch, *Praelectiones* l n.521: Billot, *l.c.;* De Groot, q.16 a.8; Scheeben, *Handbuch d.k.Dopmatik l (1873)* p.250; Hurter. *Compendium* l (1909) 535; Hettinger-Weber, *Lehrbuch der Fundamentattheologie* (1913) 735s: Muncunill, n.515; Schultes, a.67,5; Dieckmann, n.779.791; Alonso-Bàrcena, *De Ecclesiae Magisterio* (1945) th.8 p.83.

8 Choupin, *l.c.,* 82-92; Wilmers, n.241; Straub, n.968; Lercher, n.499; Ph.Maroto, *Inst. lur. Can.* l (1919) 418 «Suppositis his adiunctis et hoc scientiae statu, *prudens* est et securum tenere hoc ut verum· (Choupin, l.c.).

' S.Schiefini, *De virtutibus infusis* (1904) 215. Cf. Dieckmann, n.779.791. CnouBtN tenet assensum debere esse certum certitudine morali large intellecta, quae *theoretic** non pst certitudo stricta, sed practice ei aequivalet, etsi eam «magnam probabilitatem» dicat *(l.c.,* 83-93).

libile recurrendum...». Tamen «quisque videat, ne praeoccupatus amore opinionis suae se ipse libere, decipiat, rationem duram Domino scrutatori cordium redditurus»[11]. Hanc doctrinam amplectitur suamque facit Schultes [10]

676. Choupin vero censet, i.° si seriae dubitandi rationes appareant, licere quidem in eas inquirere, *privatim* tamen minime vero publice, ne auctoritati Congregationis derogetur; quod si rationes contra decretum omnino praevalere videantur, rem oportere ad ipsam sacram Congregationem debita cum reverentia referre; assensum tamen interim suspendere nondum licere. 2.0 Si vero rationes contra decretum omnino sint evidentes, quod Choupin fieri vix posse censet, tunc obligat tantum *silentium* quod *obsequiosum* appellant[12].

Nobis tamen videtur, *neque in hoc* 2.0 casu *merum silentium obsequiosum sufficere;* quia etsi decretum fallibile sit et graves rationes ipsi opponantur, non minus tamen iudicium theologorum falli et difficultatibus infirmari potest. Ideo censemus, etiam tunc standum esse sacrae Congregationis decreto, saltem ut probabili, donec vel ipsa Congregatio vel altius tribunal de ea re aliud decreverit.

677. Scholion 2. De obiecto proprio assensus. Aliqui auctores ut Choupin et Journet videntur tenere, Summum Pontificem in huiusmodi decretis non intendere doctrinam proponere ut veram vel falsam, ut certam vel erroneam, sed tantum *ut tutam* vel non *tutam;* ideoque videntur negare illa decreta, quae in notionibus appellavimus *directa* (n.660.664)[13][14]

Cum Palmieri, De Groot et aliis, nobis videtur, decreta, de quibus agit thesis, aliqua proponere doctrinam mere *ut tutam* vel *non tutam* (D 2183-85), alia vero doctrinam proponunt simpliciter *ut veram* vel *falsam,* ut *certam* vel *erroneam* (D 491SS). Iam vero assensus mentis, qui exigitur, natura sua postulat ut fideles interna mente teneant *id ipsum* quod Summus Pontifex simpliciter enuntiat, et directe affirment *id ipsum* quod Ipse asserit. Ergo cum decreta enuntiant aliquam doctrinam esse tutam vel non tutam, tenendum et affirmandum est eam sic esse, tutam vel non tutam; attamen cum doctrinam proponunt ut certam vel erroneam, ut veram vel falsam, tunc tenendum et affirmandum nobis est, eam revera esse certam vel erroneam, veram vel falsam, prout illam praecise decreta enuntiant, iuxta claram Leonis XIII mentem ▮

678. Obiectiones. 1. Ecclesia nequit obligare ad actus internos. Ergo nequit exigere internum mentis assensum decretis circa veritates non revelatas.

Dist. *antec.* Ecclesia nequit obligare ad actus internos potestate docendi, *nego antec.;* potestate regendi, *subdist.:* potestate Dei vicaria, *nego;* potestate sociali Ecclesiae propria, *iterum subdist.:* si actus sint mixti, *nego;* si actus sint mere interni, *iterum subdist.:* directe, trans.; indirecte, *nego.* Pariter *distincto cons., negatur consequentia.*

Ecclesia *internum mentis assensum* et quidem *super omnia firmum* de facto

10 Straub, *De Ecclesia* n.ç68s.

11 Schultes, *De Ecclesia* a.67,5,4,C.

12 Choupin, i.e., 88-92. Idem sentit F.Diekamp, *Katholische Dogmatik* I (1923) 56. Cf. Dieckmann, n.792,9.

13 Choupin, Lc., p.53-55.83-95; Ch.Journet, *L'Eglise du Verbe Incarné* I p.418-428.

14 D.Palmeri, *De Ram.Pontif.* th.32 schol.2; De Groot, Summa *de Ecclesia* q.16 a.8: Pesch, *Praelect.* I n.521; J.Salaverri, Lc., in nota 5 p.165-168; Leo XIII, *Encycl.* «Immortale *Dei:* «Oportet Apostolicae Scdis stare iudicio, et quod ipsa senserit, *idem sentire* singulos» (D 1880); J.Salaverri. *La potestad del Magisterio y asentimiento que le es debido:* EstEcl 29 (1955) 155-195·

exigit erga decreta lata circa facta dogmatica stricte dicta, seu circa sensum orthodoxum vel heterodoxum auctoris qua auctoris alicuius textus humani, prout in thesi 17 declaratur: D 1350. Ergo a pari potest etiam *assensum mentis* exigere *simpliciter firmum* suis decretis, quia in eodem genere qui maiora idem et minora potestIs. De Ecclesiae potestate propria vel vicaria, directa vel indirecta in actus internos, conferre potes probatos auctores 16l7

679. 2. Decreta Conciliorum provincialium a Summo Pontifice approbata redduntur infallibilia. Ergo a pari, decreta Sanctae Sedis ab eodem Summo Pontifice approbata fiunt etiam infallibilia.

Dist. *antec.* A Summo Pontifice approbata in forma communi, *nego antec.;* in forma specifica, *subdist.:* cum expressa manifestatione intentionis infallibiliter decernendi, *conc.;* sine tali intentione manifeste expressa, *nego.* Pariter *distincto cons., negatur consequentia tT.*

680. 3. *Liberii* subscriptio symboli sirmiensis. Vigilii damnatio «trium Capitulorum», *Honorii* doctrina de una Christi voluntate, etsi non sint definitiones ex cathedra, attamen videntur certo esse decreta a Summis Pontificibus authentice approbata. Atqui eis non debetur internus mentis assensus. Ergo non omnibus decretis a Summis Pontificibus authentice approbatis internus mentis assensus debetur.

Suppositis iis, quae in praecedenti thesi diximus de tribus huiusmodi factis, ulterius nunc ad difficultatem respondemus. *Trans, mai. Dist. min.* Talibus decretis non debetur internus mentis assensus postquam ab ipsa Sancta Sede posterius haec decreta completa vel reformata sunt, *conc. min.;* eis non debebatur internus mentis assensus antequam ab ipsa Sancta Sede ulterius completa et reformata fuerint, *subdist.:* non debebatur internus mentis assensus absolute certus et irreformabilis, *conc.;* moraliter certus et condicionatus, *iterum subdist.;* non debebatur internus mentis assensus moraliter certus et condicionatus iis decretis eo sensu intellectis, quo ea adversarii perperam interpretantur, *conc.;* illo vero sensu quem habent et in quo edita fuerunt, *nego.* De vero sensu quo haec Liberii, Vigilii et Honorii facta merito intelligenda sunt, agitur in Historia Ecclesiae et in tractatu dogmatico de Verbo Incarnato *8.

681. 4. Decretis *loannis XXII* de visione beatifica et *Sixti* V de authentia Vulgatae nec moraliter certus assensus debetur. Ergo stat difficultas.

Negatur suppositum antecedentis, seu ea, qua proferuntur, dici, posse decreta a Summo Pontifice *authentice* approbata. Nam loannes XXII tantummodo dubitanter et ut doctor privatus opinionem quandam proponebat, Sixti vero V Constitutio promulgata non fuit19.

15 Cf. Straub, l.c., n.967.

16 L.Rodrigo, *Praelectiones theologico-morales Comillenses 2,* Tractatus de Legibus (1944) n.96-102; Straub, n.665-81; G.Michiels, *Normae gener. lur. Can.* I (1949) p.262-278.

17 De duplici auctoritatis gradu intra eandem speciem approbationis «in forma specifica», cf.WILMERS, n.240; Muncunill, n.517.

18 Circa haec facta, quae Liberio, Vigilio, Honorio attribuuntur, confer omnino ea quae scripsimus in praecedenti thesi, obiect.1-5.

1» D'Herbigny, *Theol. de Ecclesia,* n.396,2,C; Pesch, *Compendium* I n.326,8-9: X.le Bachelet, *Bellarmin et la Bible Sixto.Clementine* (1911); A.Merk, *Bibet und Bulle Sixtus V:* Schol 2 (1927) 515-40; A.Vaccari, *Instit.bibl.* l,3 n.124; cf. supra tr.2 n.213.

De damnatione doctrinae de anlipodis, quae tribuitur Papae *Zachariae* (714-52), cf. S.August.. *De civitate Dei,* l.io c.9: ML 41,487, nota a); D'Herbigny, η·396,2,B·

682. 5. Saltem decreto Congregationis contra doctrinam Galilei sub *Urbano VIII* promulgato nullus mentis assensus debetur. Ergo stat difficultas.

Dist. antec. Decretum contra doctrinam Galilei fuit a Summo Pontifice in forma specifica approbato, *nego antec.;* in forma communi, *subdist.:* tali decreto non debebatur mentis assensus postquam progrediente scientia iam patuit, doctrinam Galilei defendi posse sine periculo errandi in doctrina fidei et morum, *conc.;* non debebatur mentis assensus condicionatus in illo imperfecto stadio scientiae, quando decretum latum est, *nego.*

683. Cum decretum est datum, Protestantes systema Copemici damnaverant, constanterque obiciebant, Ecclesiam Catholicam defecisse a doctrina de inerrantia Scripturae, utpote quae doctrinas Copemici et Galilei permitteret, quae cum inerrantia Scripturae conciliari non possent. Iam vero, iuxta scientiae statum ante medium saeculum XVII, nondum apparebat qua ratione cum inerrantia Scripturae systema Galilei componi posset; ideo merito tunc Sacra Congregatio, ad tutandam doctrinam de inerrantia Sacrae Scripturae, edixit: «Sententiamo e dichiariamo che tu, Galileo sudetto, per le cose dedotte in processo e da te confessate come sopra. ti sei reso a questo S.Off.° vehementemente sospetto d'heresia, cioè d'haver tenuto e creduto dottrina falsa e contraria alie Sacre e divine Scritture, ch'il sole sia centro della terra e che non si muova da oriente ad occidente, e che la terra si muova e non sia centro dei mondo, e che si possa tener e difendere per probabile un'opinione dopo esser stata dichiarata e diffinita per contraria alia Sacra Scrittura».

Ergo tota ratio condemnationis fuit necessitas, in illis adiunctis ineluctabilis, praeservandi fideles a gravi periculo dubitandi de inerrantia Scripturae. quacum nondum apparebat conciliari posse opiniones Galilei, quae tunc acriter controvertebantur. Decreto autem in hoc sensu, qui est proprius et strictus eius sensus, prestandus a fidelibus erat mentis assensus moraliter certus, relativus et condicionatus, donec videlicet progressu scientiae appareret iam disparuisse periculum deficiendi in doctrina fidei de inerrantia Sacrae Scripturae 20.

20 Textum sententiae contra Galileum vide ap. *Le opere di Galileo,* ediz. nazionale, vol.19 (1938) p.405; M.d'Herbigny, n.i38,3,B; n-396,2,D; De Vregille, *Galilée:* DAFC 2,147-92; Vacandard, *Galilée:* DTC 6,1058-94: Sanchez Navarro Neumann, San *Roberto Belarmino y el primer proceso de Galileo Galilei:* Ibérica, 36 (1931) 359-66.376-81.392-97: H. del'Epinois, *Galilée, son procès, sa condamnation:* RevQtHist 3 (1867) 68-171; Vacandard, *Etudes de critique et d'histoire religieuse i* (1913) 293-393; L.Choupin, *Valeur des decisions du Saint Siège* (1928) p.159-86; L.Pastor, *Historia de los Papas* t.25 p.226-39; t.28 p.287-304: A.Gemelli, Scienza e Fede *nelVuomo Galilei,* et O.Giacchi, *Consideration sui due processi contro Galileo:* Pubblicazioni dell'Universita Cattolica di Milano, ser.5 vol.20, Nel *terzo Centenario di Galileo* (1942) p. 1-27.383-406.

CAPUT III

De obiecto Magisterii infallibilis

ARTICULUS I

De obiecto primario infallibilitatis

Thesis 16. Obiectum primarium et directum Magisterii infallibilis sunt veritates per se revelatae.

084. S.Th., i q.36 a.2 ad 2: 2.2 q.i a.6 ad l; a.10; q.za.s; q.u 2; Suarez, *De fide d.a* 8.8 n.4-7; Wilmers, th.73s; Palmieri, § 25.26.29; De Groot, q.9 a.i; Pesch, *Praclec.* I. th.47; Id.. *Compend.* I th.40; Straub, th.24; MuNcunill, ŋ.445; Schultes, a.33; Bainvel, *De Eccl.* th.27; Michelitsch; § 24»; Zubizarreta. I n-493-97; D'Herbigny, th.38; Dorsch, p.409-13; De Guibert, th.37; Zapelena, 2 th.19; Alonso Bärcena, th.9; Calcagno, I.4 c.3 a.I.

685. Nexus. In praecedentibus thesibus egimus de infallibilis Magisterii *institutione* deque eius *subiecto.* Nunc iam logice quaerimus: quodnam sit eiusdem infallibilitatis *obiectum.* Et quidem in hoc articulo agimus de *obiecto primario.*

686. Notiones. Apud auctores varietas quoad modum, in hac re proponenda, occurrit. Nos praecipuas tantum notiones iuxta communem doctrinam explicabimus.

i. *In abstracto.* Obiectum infallibilitatis in genere sunt omnes veritates, quae ab Ecclesiae Magisterio infallibiliter doceri possunt.

Duplex hoc generale obiectùm distinguitur: a) *Directum et primarium* est illud, quod ratione sui et propter se ab actu infallibili attingitur, b) *Indirectum et secundarium* est illud, quod ratione alterius et propter aliud, id est propter obiectum primarium, ab actu infallibili attingitur.

687. 2. *In concreto. Obiectum infallibilitatis, generice* enuntiatum, est «doctrina de fide vel moribus ad aedificationem Ecclesiae pertinens» (D 786 1839), prout in thesi de Summi Pontificis infallibilitate explicatum est [1].

Iam vero, iuxta S.Thomam, «ad fidem, inquit, aliquid per-

[1] V.Gasser, *Relator fulci:* Msi 52,i226.t295 »3t6; Granderath, *Const, dogmat. Conc. Vatie.* 54-61. Cf. supra n.599».

tinet dupliciter: uno modo *directe et principaliter,* sicut articuli fidei; alio modo *indirecte et secundario,* sicut ea ex quibus sequitur corruptio alicuius articuli fidei» 2. Duplex inde distinguitur etiam infallibilitatis obiectum: aliud *directum et primarium,* quod sunt veritates formaliter revelatae, sicut articuli fidei; aliud *indirectum et secundarium,* quod sunt veritates quae virtualiter revelatae appellantur, seu quae cum formaliter revelatis sunt necessario connexae.

688. 3. *Obiectum directum,* seu veritates *formaliter revelatae* sunt illae, quas ipsa locutione attestante Deus manifestare intendit, iuxta indolem humanae loquelae et vi significationis ipsorum terminorum quos adhibet. Dupliciter eas Deus revelare consuevit: a) *Explicite* revelatae sunt illae, quae diserte in fontibus revelationis continentur, b) *Implicite* revelatae sunt illae, quae vel *in solis* explicite revelatis ex mera earum analysi inclusae deteguntur, vel *ex solis* explicite revelatis *immediate* deducuntur.

Per se revelatae sunt veritates formaliter revelatae, quas propter earum momentum soteriologicum, praecipue Deus revelare intendit; seu, ut apposite S.Thomas: «*per se* ad fidem pertinent illa, quae *directe* nos ordinant ad vitam aeternam», huiusmodi sunt praesertim *articuli fidei* qui in symbolis proponi solent.

Per accidens revelatae sunt veritates formaliter revelatae, quas propter mere externam vel contingentem earum cohaerentiam cum per se revelatis, etiam Deus revelare intendit: huiusmodi veritates plurimae sunt in Scripturis, ut exempli causa Mt 13,1-2; 2 Tim 4,9-21 3.

689. «Depositum Fidei» stricte dictum est complexus omnium veritatum a Deo *per se revelatarum,* sive explicite sive implicite, quae ab Apostolis acceptae, sancte custodiendae et fideliter exponendae ab Ecclesia sunt: D 1675 1836. Denominatio haec iam a S.Paulo adhibita (1 Tim 6,20; 2 Tim 1,14), et a S.ViNCENTio Lerinense explicata (R 2173); tandem authentice a *Conc.Vaticano* declarata est: D 18004.

690. Status quaestionis. In thesi asserimus, veritates *per se* et *formaliter,* sive explicite sive implicite *revelatas,* quae

2 S.Th., 2.2 q.ri a.2; cf. i q.32 a.4; in 1 *Cor* 11,19 lect.4·
2 S.Th., 2.2 q.i a.6 ad 1; q.2 a.5. Cf. M.Cano, *De locis* 1.12 c.3 concl.3.
4 Cf. Da Guibert, n.327; Pesch, *Praelectiones* 1 n.531; Lercher. i n.503; Dorsch, p.4ns; Franzelin, *De Traditione* th.12 schol.i prine.2 p.112-13.

fidei depositum constituunt, obiectum primarium esse ini,il libilitatis.

691. Adversarii, i) *In genere* adversantur omnes qui negant sive revelationem sive infallibilitatem. Huiusmodi sunt praesertim *Rationalistae,* qui tenent, ultra rationem hominis, nullam aliam auctoritatem doctrinalem sive revelantem sive infallibiliter declarantem posse agnosci; necnon *Naturalisai·* qui non agnoscunt nisi ea quae ad ordinem mere naturalem pertinent. De his iam in thesibus de infallibilitate egimus.

2) *In specie* adversarii sunt *Protestantes,* qui nullam aliam auctoritatem infallibilem admittere volunt nisi *solam* et *nudam* Scripturam, ut nostris diebus K.Barth: «Officium, ait, et missio Ecclesiae est annuntiare universo mundo, omnino impossibile esse ut detur aliud revelatum vel sensu stricto auctoritativum Dei verbum, aut alia *absolute obligans* divini regiminis forma, praeter *solam* sacram Scripturam». Ac pariter E.Brunner: «Nulla, inquit, ecclesiastica *definitio de fide* est infallibilis, sed semper comprobationi et revisioni *essentialiter* subiecta est»5.

692. Doctrina Ecclesiae. Obiectum Magisterii Ecclesiae dicitur *in genere* esse «doctrinam de fide vel moribus». Quid in universum sub hac denominatione comprehendatur, explicari potest verbis Leonis XIII in *Encyclica «Sapientiae christianae»:*

«Quae divinis, inquit, oraculis continentur ea *Deum* partim attingunt, partim ipsum *hominem* itemque res ad sempiternam hominis salutem necessarias. Iam vero de utroque genere, nimirum et *quid credere* oporteat et *quid agere,* ab Ecclesia iure divino praecipitur, atque in Ecclesia a Pontifice Maximo. Quamobrem indicare posse Pontifex pro auctoritate debet *quid eloquia divina contineant, quae cum eis doctrinae concordent quae discrepent:* eademque ratione ostendere quae *honesta sint quae turpia, quid agere quid fugere,* salutis adipiscendae causa, necesse sit: aliter enim neque *eloquiorum Dei certus interpres,* nec *dux ad vivendum tutus* ille esse homini posset». Hinc patet quae sint res fidei, quae morum 6.

Pius XII in *Encycl. «Humani generis»* apertissime docet, obiectum Magisterii proprium esse ipsum «Fidei depositum», dum ait: «Sacrum Magisterium, in rebus fidei et morum, cuilibet theologo proxima et universalis veritatis norma esse debet, utpote cui Christus Dominus totum *depositum Fidei* —Sacras nempe Litteras ac divinam Traditionem—et custodiendum et tuendum et interpretandum concredidit... Una enim cum sacris divinae revelationis fontibus Deus Ecclesiae suae Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in *Fidei deposito* non nisi obscurere ac velut

s K.Barth, Die *Schrift und die Kirche: Die Autnritdt und Bedeutung der Bibet* (1947) 8; E.Brunner. *Offenbarung und Vemunft* (1941) 129: cf. DivTh (Fr) 29 (1951) 319-322.

6 Leo XIII, *Encycl.* «Sapientiae Christianae»: ASS 22 (1890) 395; Msi 52,1295; Franzelin, *Theses de Ecclesia* th.5 p.54 nota 1.

implicite continentur. Quod quidem *depositum* nec singulis christifidelibus nec ipsis theologis divinus Redemptor concredidit authentice interpretandum, sed *soli* Ecclesiae Magisterio... Quod quidem Magisterium a Christo Domino institutum est, ut veritates divinitus revelatas custodiat atque interpretetur» 7.

693. Infallibilitatem Ecclesiae circa primarium obiectum eruimus: 1) ex decretis *Conc.Vaticani;* 2) ex definitione Pontificiae infallibilitatis; 3) ex definitionibus ulterioribus, quae de hac re a Conc.Vaticano praeparabantur.

r) Obiectum infallibilitatis esse veritates per se revelatas, est *a Conc.Vaticano definitum:* D 1792 1800 1836.

2) *Thesis* de obiecto directo et primario infallibilitatis, *implicite* continetur in definitione infallibilitatis pontificiae, cum eius obiectum esse Concilium dicat «doctrinam de fide vel moribus»: D 1839.

Nam Relator Episcopus Gasser, nomine *Deputationis fidei,* definitionem Patribus Concilii explicans, aiebat: <4n ista definitione agitur 4.' *de obiecto* infallibilitatis, quae promissa est ad custodiendum et evolvendum integrum depositum fidei. Hinc universim facile patet, obiectum infallibilitatis esse doctrinam de fide vel moribus. Iam in eo ipso verbo Dei continetur etiam indubitanter infallibilitatem extendi saltem ad ea, quae per se depositum fidei constituunt, ad dogmata nimirum fidei definienda, et quod eodem redit, ad haereses condemnandas... Praesens definitio obiectum infallibilitatis *solum generice* enuntiat, cum dicit, illud nempe esse *doctrinam de fide vel moribus...* In hoc obiecto, ita *generice* enuntiato, infallibilitas Pontificis nec minus nec magis late patet, quam patet infallibilitas Ecclesiae in suis definitionibus doctrinae de fide et moribus. Unde sicut nemine diffitente haereticum est Ecclesiae infallibilitatem in definiendis fidei dogmatibus negare ita in huius decreti Vaticani vim non minus *haereticum erit negare* Summi Pontificis *infallibilitatem in definitionibus dogmatum fidei»89*

Unde ipsius «decreti Vaticani vi» est *formaliter implicite definitum,* infallibilitatis obiectum esse veritates *per se revelatas,* quae ipsum *fidei depositum* constituunt.

3) *In decretis Conc. Vaticani,* quae praeparabantur, doctrina theseos directe et explicite definiebatur; unde thesis est definitioni proxima.

/n Schemate I c.g: «Obiectum infallibilitatis tantum patere docemus, *quantum fidei patet depositum, et eius custodiendi officium postulat;* adeoque praerogativam infallibilitatis ambitu suo complecti tum universum Dei *verbum revelatum,* tum id *omne quod licet in se revelatum non sit,* est tamen eiusmodi, sine quo illud tuto conservari, certo proponi, aut valide defendi non possit» '.

Consentit *Schema reformatum, c.7:* «Licet ecclesiasticum Magisterium *proprie et maxime in ipso verbo Dei scripto et tradito versetur;* nihilominus *ad*

7 Pius XII, *Encycl. 'Humani generis·:* AAS 42 (1950) 567.569.563. et *Encvcl. 'Ad Sinarum gentem*·.* AAS 47 (1955) 10-n.

8 V.Gasser, in Conc.Vaticano: Msi 52,1225.1226.1227.

9 Msi 51.543.

ea quoque omnia porrigatur necesse est, de quibus, nisi sententia feratur illa divini *depositi custodia* exerceri non potest» 10.

694. Valor dogmaticus. Thesis est *de fide divina implicite definita in Conc.Vaticano.*

695. Probatio. *Obiectum primarium infallibilitatis sunt veritates per se revelatae,* a) *Prob. ex efficaci Dei assistentia absolute promissa* apud Mt 28,20 et Io 14,25s; 16,12-15. Obiectum primarium infallibilitatis sunt illae veritates, quas Christus primo ac per se praecepit Apostolis ut sub efficaci Dei assistentia absolute promissa perenniter docerentur. Atqui veritates, quas Christus primo ac per se praecepit Apostolis ut sub efficaci Dei assistentia absolute promissa perenniter docerentur, sunt veritates per se revelatae. Ergo obiectum primarium infallibilitatis sunt veritates per se revelatae.

Mai. patet ex cognita vi assistentiae a Deo praestitae, prout in thesi de institutione Magisterii infallibilis explicatum est n.506-507.

Min. vero evidens est ex tota oeconomia revelationis a Christo instituta, necnon ex formali et explicito Christi mandato praedicandi *ipsam Christi doctrinam:* Mt 10,27; 28,20; l.c 24,44-49; Io 14,25s; i6,i2ss.

b) *Prob. ex obligatione imposita fide accipiendi* ea quae Apostoli praedicaverint: Mc 16,15-16. Obiectum primarium infallibilitatis sunt veritates quas Christus primo ac per se praecepit Apostolis praedicare, ut ab omnibus sub discrimine aeternae salutis crederentur. Atqui huiusmodi veritates sub discrimine aeternae salutis ab omnibus credendae, sunt veritates per se revelatae. Ergo obiectum primarium infallibilitatis sunt veritates per se revelatae.

Mai. patet ex eo quod talis absoluta obligatio fidei non posset imponi nisi erga veritates infallibiliter propositas, prout explicatum est n.525.

Min. est evidens ex terminis et ex indole ac fine ipsius revelationis.

696. c) *Prob. tamquam conclusio* quae immediate et necessario deducitur *ex ipsa Ecclesiae infallibilitate* iam probata. Ecclesia infallibilis est. Ergo necessario scire debet, ac proinde de facto scit, ad quas veritates eius infallibilitas extendatur. Atqui Ecclesia theoretice et practice sibi attribuit infallibili-

10 Msi 53,313·

tatem in definiendis veritatibus per se revelatis. Ergo obiectum infallibilitatis Ecclesiae sunt veritates per se revelatae.

Prima conclusio patet, quia secus Ecclesiae infallibilitas esset praerogativa, quae numquam ad actum reduci posset; hoc autem eo vel maxime repugnat, quod infallibilitas sit facultas eminenter practica.

Min. probatur quoad singula. Primo, *theoretice.* Ecclesia sibi attribuit infallibilitatem in definiendis veritatibus per se revelatis maxime in *Conc.Vaticano:* D 1800

«*fidei doctrina, quam Deus revelavit,* est tamquam divinum depositum, fideliter custodienda et *infallibiliter declaranda»;* D 1836 «Spiritus Sanctus promissus est, ut eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu *fidei depositum* sancte custodirent *et fideliter exponerent»* Petri successores; D 1839 Ecclesia «infallibilitate pollet in definienda doctrina de fide vel moribus», prout supra explicatum est cum doctrinam Ecclesiae exposuimus n.693.

Min. probatur secundo, *practice.* Ecclesia sibi attribuit infallibilitatem in definiendis veritatibus per se revelatis, praesertim cum fidei Symbola definit, quae veritates per se revelatas magni momenti continent: talia sunt *Nicaenum* D 54, *Constantinopolitanum* D 86, *Tridentinum* D 994-1000. Accedit definitio *Conc.Chalcedonensis* D 148, addens ad finem: «alteram fidem nulli licere proferre...». In definitionibus vero *Assumptionis, Immaculatae Conceptionis et Infallibilitatis* pontificiae explicite asseritur, definitiones has versari circa obiectum per se revelatum: D 1641 Immaculatae «doctrinam esse *a Deo revelatam* atque idcirco credendam»; D 1839 Romanum Pontificem esse infallibilem «*divinitus revelatum dogma* esse definimus»; Assumptionem «definimus *divinitus revelatum* dogma esse»[11].

697. Obiectiones[12]. 1. Ea quae ipsius Dei testimonio affirmata sunt, nullam ulterius firmitatem ex infallibili definitione obtinere possunt. Ergo inutilis est definitio veritatum per se revelatarum.

Dist. antec. Quoad se vel intrinsece, *conc.;* quoad nos vel extrinsece, *nego.* Veritas enim revelata *quoad se* vel intrinsece gaudet firmitate qua maior dari nequit, utpote quae in ipsius primae veritatis scientia et veracitate fundatur. Attamen *quoad nos et* extrinsece saepe accidit ut non sufficienter pateat vel factum vel sensus revelationis; et tunc necesse est ut nobis infallibiliter aperiantur, ad actum fidei supra fundamentum infallibile stabiliendum.

2. Infallibilitatis finis est fides. Atqui fides necessaria est tantum circa praecipua revelata. Ergo infallibilitas necessaria est tantum circa praecipuas veritates revelatas.

Dist. mai. Infallibilitatis finis est fides, qua sive explicite sive implicite integrum fidei depositum credatur, *conc. mai.;* quae tantum amplectatur ve-

11 Pius XII, Const. *Apost. «Munificentissimus Deus»:* AAS 42 (1950) 770. D 3033.
12 Cf. De San, *De Ecclesia* n.239; De Groot, *De Ecclesia q.g* a.i.

ritates explicite ut necessarias ad salutem credendas, *nego mai. Contradist. min. Nego cons.* et *consequent.*

3. Si Ecclesia infallibilis est circa per se revelata, actu infallibili poterit nova condere dogmata. Atqui hoc post Apostolos impossibile est. Ergo Ecclesia circa per se revelata infallibilis non est.

Dist. *mai.* Ecclesia actu infallibili, id est sola assistentia fundato, poterit dogmata constituere plane nova, nego; poterit dogmata proponere nova. *subdist.:* nova quoad nos, id est declarando vel explicando nobis ea quae in fidei deposito ab Apostolis accepto continentur, conc.; nova quoad se, id est inducendo alia, quae obiective in tali deposito non contineantur, nego. *Contradist. min.,* etc.

4. Per dogmata nova quoad nos inducitur in Ecclesiam alteritas circa veritates per se credendas. Atqui talis alteritas admitti nequit. Ergo...

Dist. mai. Inducitur alteritas circa veritates per se necessario et saltem implicite credendas, nego; circa veritates explicite credendas, *subdist.:* inducitur alteritas ita ut Ecclesia credere debeat contraria eis quae antea credebat, nego; ita ut credere debeat distinctius ea quae antea confuse credebat, *conc. Contradist. min., nego cons, et consequent.*

5. Saltem admitti deberet diversitas circa per se credenda. Atqui talis diversitas pugnat cum axiomate, quod eadem semper fuit fides Ecclesiae ⁋5. Ergo...

Dist. *mai.* Admitti deberet diversitas obiectiva credendorum, *nego;* diversitas subiectiva, *subdist.:* modalis et gradualis, seu in modo et gradu assentiendi iisdem veritatibus fidei, *conc.; substantialis,* seu in ipsa natura assensus fidei praestandi, nego. *Contradist. min. Nego cons, et consequent.*

ARTICULUS II

De obiecto secundario infallibilitatis

Thesis 17. Obiectum infallibilitatis secundarium vel indirectum sunt veritates aliae quae cum revelatis necessario connexae sunt.

698. S.Tu.. l q.i a.6 ad 2: q.32 a.4; 2.2 q.11 a.z; Quod!. 9 a.16; Suarez, *Dcfide* d.5 s.8 n.8s; *De Relig.* tr.7 l.2 c.17 n.17-23; tr io l-3 c.4 n.5-11; Wilmers, th.74-78; Palmieri. § 40; Hurter, i n.273-79,507; De Groot, q.9 a.2-6; Pesch, *Praei,* th.48-51; Id., *Compend.* l th.41-43; Straub, th.25; Muncunill, 0.482-510; Dieckmann, th.3t; Schultes, a.34-38: Michelitsch, § 242; Bainvel, De *Eccl.* th.28-30; Zubizarreta, l n.498-511; Leecher, i th.53; Dorsch, p.413-36; De Guibert, th.38; Zarelena, th.19; Alonso BArcena, th.10-14; Calcagno, I.4 c.3 a.2.

699. Nexus. Egimus in praecedenti thesi de infallibilitatis obiecto *primario* vel *directo;* restat ergo ut in hac thesi exponamus, quodnam sit eiusdem infallibilitatis *obiectum secundarium* vel *indirectum.*

700. Notiones. *Obiectum secundarium* vel *indirectum* infallibilitatis est illud, quod non propter se nec ratione sui, sed

13 Cf. S.Th .. 1.2 q.103 a.4; 107 a.i ad 1; a.3 ad t; 3 q.8 a.3 ad 3; q.70 a.i.

propter aliud et *ratione alterius* obiecti, nempe primarii, ab actu infallibili attingitur.

Hoc secundarium vel indirectum infallibilitatis obiectum constituunt omnes veritates, quae licet in se revelatae non sint, necessariam tamen cum revelatis connexionem habent, et ideo *cum revelatis connexae* vel etiam *virtualiter revelatae* appellari solent. Ea vero, «quibus res fidei et morum neque directe neque indirecte attinguntur, Ecclesia liberae peritorum disceptationi permittit», ut monet Pius XII. Talia esse possunt, iuxta Pium XI, «ea quae artis sunt (technica), ad quae neque mediis aptis est instructa neque officio praedita Ecclesia».

Veritates *virtualiter revelatae* sunt illae quae cum formaliter revelatis ita connectuntur, ut *per legitimam et necessariam consequentiam,* mediante alia veritate *naturaliter* certa, *ex illis deducuntur. Connexae* necessario cum revelatis dicuntur ideo, quia earum infallibilis certitudo nobis omnino necessaria censetur «ad *fidei depositum* integre custodiendum, rite explicandum et efficaciter definiendum. Hae veritates in *se revelatae non sunt,* neque per se ad *depositum fidei,* sed tamen ad eius custodiam spectant» [1].

Huiusmodi *veritates cum revelatis necessario connexae,* ad tria praesertim genera reduci solent, quae sunt: A. *Veritates speculativae* sive consequenter sive praesuppositive cum revelatis logice connexae; B. *Facta dogmatica* sive simpliciter talia sive praesertim doctrinalia; C. *Decreta dispositiva* de disciplina in genere, et in specie de canonizatione Sanctorum et de Ordinum religiosorum approbatione, quae cum revelatis *finaliter* connexa dicuntur, quia valde conferunt ad obtinendum revelationis finem qui est animarum sanctificatio.

701. A. *Veritates speculativae* cum revelatis connexae sunt illae, ex quarum negatione logice et metaphysica necessitate sequatur veritatis revelatae negatio. Huiusmodi veritatum connexio cum revelatis duplex esse potest: a) *praesupposititiva,* seu earum veritatum quae praesupponuntur ante revelationem et fidem; talis est exempli gratia haec: homo lumine rationis res suprasensibiles certo cognoscere potest; huiusmodi veritates appellantur *praeambula fidei* [2].

b) *Consecutiva,* seu earum veritatum quae certo et neces-

1 Msi 52,1226.1295; Pius XII, *'Humani generis»',* AAS 42 (1950) 572: Pius XI, *'Quadragesimo anno»;* AAS 23 (i93>) 190. Cf. Franzelin, *De Traditione* th.12 schcl.i princ.3-5 p.i 13-16.

2 S.Th.: «Deum esse et alia huiusmodi, quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, non sunt articuli fidei, sed *praeambula* ad articulos: sic enim fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam» (1 q.2 a.2 ad 1). Hurter, i n.273-79-507-

sario consequantur, metaphysica necessitate, ex una praemissa revelata et ex alia naturaliter omnino certa. Veritates hac ratione deductae appellantur *Conclusiones theologicae.* Ut verae conclusiones theologicae sint, necesse est ut ex revelatis eruantur syllogismo vere deductivo, seu syllogismo qui *in conclusione contineat novum conceptum* in praemissa revelata non contentum. Hoc autem evenit cum conclusio legitime deducitur ex praemissa *universali* (mai.) *naturaliter certa,* et ex praemissa *particulari* (min.) *revelata.*

Conclusionis theologicae naturam vide in aliquo exemplo. Ponamus syllogismum: Ens rationale capax est scientiae (mai.). Atqui homo est ens rationale (min.). Ergo homo capax est scientiae (conci.). Si supponamus maiorem esse naturaliter certam, *minorem* vero revelatam, habemus conclusionem vere theologicam, quia in ea continetur novus conceptus: *capax scientiae,* qui in praemissa revelata non continetur. Si vero supponamus maiorem esse revelatam, minorem vero naturaliter certam, non eruimus conclusionem vere theologicam, sed veritatem implicite revelatam in maiori; quia in conclusione affirmatur capacitas scientiae de aliquo ente rationali, id est de homine, quae iam in *maiore revelata* affirmabatur de omni ente rationali. Sit exemplum verae conclusionis theologicae: Ea quae plane identica sunt, seiuncta subsistere nequeunt (mai. naturaliter certa); atqui in Eucharistia species panis et vini seiunctae a propria substantia subsistunt (min. revelata); ergo species panis et vini non plane identificantur cum propria substantia *fconci. theologica).* Hae *proprie dictae conclusiones theologicae,* hac ratione connexae cum revelatis, sunt quae stricto sensu appellantur veritates virtud*liter revelatae* ·'.

702. B. *Facta dogmatica* possunt esse vel *formaliter revelata,* ut Ecclesiae divina institutio, Christi resurrectio, etc., vel *cum revelatis necessario connexa,* seu quae nisi teneantur, revelatio ipsa' custodiri aut proponi nequeat. Loquimur tantum de his, seu de factis *cum revelatione connexis.* Haec autem duplicis sunt generis: *a)* alia sunt *simpliciter talia,* velut Concilii Tridentini legitimitas, sine qua certitudo dogmatum ab illo definitorum in dubium vocaretur; *b)* alia vero sunt *doctrinalia,* velut *sensus orthodoxus* vel *heterodoxus* alicuius textus humani.

De factis dogmatibus doctrinalibus praesertim agimus. In eis duplex quaestio distingui solet: alia iuris et alia facti, a) *Quaestio iuris:* Num scilicet aliquis humanus textus in *se ipso* spectatus certum quendam orthodoxum vel heterodoxum sensum *obiective* exhibeat necne, b) *Quaestio facti:* Num praeterea *humanus auctor* tali textu certum quendam *sensum* exprimere *intenderit* necne. Hinc *factum dogmaticum sensu technico* est sensus orthodoxus vel heterodoxus, quem *auctor humanus, qua auctor,* suo

1 Cf. Wjlmers, n.260-62.

textu exprimere intendit. In eo ergo attendi vel maxime debet ad *sensum auctoris qua talis.*

Sensus auctoris qua auctoris, a) non est sensus *mere subiectivus,* qui ab humano auctore mere arbitrarie aliquo textu intendi possit; *b)* neque est sensus *mere obiectivus,* qui verbis materialiter in se sumptis utcumque significari possit; c.) sed est sensus *obiectivo-subiectivus,* videlicet is, qui et obvia verborum sententiarumque significatione exprimitur, et ex adiunctis, in quibus verba prolata vel scripta sunt, certo concluditur, eum esse revera *sensum ab auctore de facto intentum* 45

703. C. *Decreta dispositiva* cum revelatis *finaliter connexa* sunt leges universales a suprema Ecclesiae auctoritate latae ad fidelium vitam in Ecclesiae finem rite ordinandam. Haec decreta non sunt leges divinae, sed ecclesiasticae, quae dicuntur *finaliter* cum revelatis esse connexa, quia ordinantur ad hoc ut fideles salutem supernaturalem assequantur, iuxta modum a Deo positiva revelatione statutum. *Directe* quidem *ad potestatem regiminis* spectant, cuius proprium est universalia praescripta condere, urgere et vindicare; *indirecte* tamen *ad potestatem docendi* pertinent, quatenus quaedam doctrinae principia praesupponunt, quae errori obnoxia in Ecclesia esse nequeunt, qualia sunt, verbi causa, *a)* Ecclesiam potestate pollere ad ea omnia praescribenda, *b)* observationem praescriptorum universalium Ecclesiae esse consectaneam doctrinae fidei et morum atque idoneam ad finem Ecclesiae assequendum. Decreta haec in *Iure Canonico* praesertim collecta sunt.

704. 1) *Decreta disciplinaria in genere sunt:* sive a) *iuridica,* quae ad determinanda, urgenda et vindicanda iura et officia fidelium ordinata sunt; sive b) *liturgica,* quae ad ordinandum divinum cultum et sacrorum administrationem sunt praescripta; sive c) *magistralia,* quae ad promovendam ecclesiasticam instructionem et ad evangelicae doctrinae praedicationem moderandam disposita sunts.

705. 2) *Canonizationes Sanctorum* sunt decreta definitiva potestatis ecclesiasticae universalis, quibus servi Dei sollemniter declarantur sancti, sanctorum catalogo adscribuntur atque fidelibus totius Ecclesiae colendi et imitandi proponuntur. *Bea-*

4 Dieckmann, n.834-36.

5 Decreta disciplinaria: *a)* luridica: C1C 1-486.1409-1998.2142-2414; *b)* Liturgica: CIC 726-1321; *c)* Magistralia: CIC 1322-1408. In *Conc.Tridentino* decreta liturgica: D 626 856 878 879 888 889 93 i 935 941 943 952 954 956 984-88.

tificationes servorum Dei sunt etiam decreta potestatis ecclesiasticae universalis, sed quae supremum et definitivum auctoritatis gradum non obtinent6.

706. 3) *Ordinum Religiosorum* approbationes sunt decreta potestatis ecclesiasticae supremae, quibus vivendi ratio iuxta certam Regulam *definitive* commendatur ut apta ad perfectionem secundum consilia evangelica assequendam. Non agimus ergo de Religionibus iuris dioecesani seu auctoritate Episcoporum particularium approbatis, sed de Religionibus *iuris Pontificii,* et quidem de illis quae a Sancta Sede, non solum *decretum laudis,* sed etiam *definitivam approbationem* obtinuerunt 7.

707. Status quaestionis. Tenemus, infallibilitatis obiectum, *secundarium quidem vel indirectum,* esse omnes veritates, quae cum per se revelatis necessario sunt *connexae,* quales sunt: 1) *veritates speculativae* logice cum revelatis connexae; 2) *facta dogmatica* praesertim doctrinalia; 3) *decreta disciplinaria* in genere; 4) *edictum* sollemne *canonizationis Sanctorum;* 5) *definitiva* et suprema *Ordinum Religiosorum approbatio.*

708. Adversarii. 1) *In genere* adversantur omnes qui negant sive revelationem sive infallibilitatem. Huiusmodi sunt praesertim *Rationalistae* et *Natuialistae.* Accedunt etiam *Protestantes,* prout in praecedenti thesi relati sunt, n.691.

2) *Contra hanc thesim,* de obiecto nempe secundario vel indirecto infallibilitatis, adversantur: a) *Semirationalistae,* ut Guenther et Frohschammer, tenentes, veritates philosophicas independentes omnino esse a quacumque alia doctrinali auctoritate. Cf. Pu IX, *Breve «Eximiam tuam»; Epist. «Gravissimas inter»; «Syllabum»:* D 1656 1674-76 1703-04 1710-14.

b) *Modernistae,* asserentes, «nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinere iudicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum»; D 2005; atque docentes veritatem mutabilem esse et relativam, adeo ut verum esse possit critico vel philosopho id quod credenti sit error et vice versa: D 2023 2058 2084.

c) *lansenistae,* negantes cadere posse sub Ecclesiae definitione facta dogmatica doctrinalia sensu technico intellecta: D 1098 1350. *Pistorienses,* nollentes admittere ut definitiva Ecclesiae decreta disciplinaria cum fide vel moribus connexa,

0 CIC 1999-2141 ; F.Spedalieri, *De Ecclesiae infallibilitate in Canonis. Sanctorum* (1949).
7 CIC 487-681; lege praesertim CIC 487.488, x.°-3.°; 593.

affirmantes talia decreta posse esse noxia et in errorem inducentia, repudiantes modum vivendi Religiosorum a Summis Pontificibus definitive approbatum: D 1578 1580-92.

d) *Hodierni novitatum amatores,* quorum sententias Pius XII in *Encycl. «Humani generis»* exponit dicens: «Theologis ac Philosophis catholicis opinationes plus minusve a recto itinere aberrantes neque ignorare neque neglegere licet... Attamen constat Nobis non deesse hodie, qui rebus novis plus aequo studentes, ... sacri Magisterii moderationi se subducere contendant, ideoque in eo versentur periculo ne sensim sine sensu ab ipsa veritate divinitus revelata discedant». «Accedit quod, ut autumant, hodiernae etiam Philosophiae notionibus dogma exprimi possit, sive *Immanentisini* sive *Idealismi* sive *Exsistentialismi* aliusve systematis. Quod idcirco etiam fieri posse ac debere audaciores quidam affirmant, quia fidei mysteria nunquam notionibus *adaequate veris* significari posse contendunt, sed tantum notionibus *approximativis,* ut aiunt, ac semper *mutabilibus,* quibus veritas aliquatenus quidem indicetur, sed necessario quoque *deformetur.* Neque absurdum esse putant, sed necesse omnino esse ut Theologia pro variis Philosophiis, novas antiquis substituat notiones, ita ut diversis quidem modis, ac vel etiam aliqua ratione *oppositis, idem* tamen, ut aiunt, valentibus, easdem divinas veritates *humanitus* reddat» [8].

709. Doctrina Ecclesiae. Pius XII in eodem loco, de his novitatum studiosis ait: «Patet autem ex iis quae dicimus, huiusmodi molimina non tantum ducere ad *Relativistnum dogmaticum,* quem vocant, sed illum iam reapse continere...

«Liquet etiam Ecclesiam non *cuilibet systemati philosophico,* brevi temporis spatio vigenti, devinciri posse... Non enim veritas omnisque eius philosophica declaratio in dies *mutari* possunt, cum potissimum agatur de principiis humanae menti per se notis, vel de sententiis illis, quae tum saeculorum sapientia, tum etiam divinae *revelationis consensu ac fulcimine* innituntur... [Aiunt] quamlibet Philosophiam cum dogmate catholico componi posse; quod quidem falsum omnino esse, cum praesertim de commentis illis agatur, quae vel *Immanentismum* vocant, vel *Idealismum,* vel *Materialismum* sive historicum sive dialecticum, ac vel etiam *Exsistentialismum* sive atheismum profitentem, sive saltem valori ratiocinii metaphysici adversantem, catholicus nemo in dubium revocare potest... Magisterii profecto est, ex divina institutione, non solum veritatis divinitus revelatae *depositum* custodire et interpretari sed ipsis *etiam philosophicis disciplinis* invigilare, ne quid detrimenti ex placitis non rectis catholica patiantur dogmata». Unde concludit: «Episcopis ac Religiosarum Sodalitatum Moderatoribus, *gravissime* eorum onerata conscientia, *praecipimus,* ut quam diligentissime curent, ne in scholis, in coetibus, in scriptis quibuslibet opiniones huiusmodi proferantur, neve clericis vel christifidelibus quovis modo tradantur» [9].

710. *Conc. Vaticanum* doctrinam theseos proponit: 1) in suis decretis; 2) in definitione pontificiae infallibilitatis; 3) in definitionibus ulterioribus quas praeparabat.

[8] AAS 42 (1950) 563.564.566. Cf. n.735s.
[9] AAS 42 (!Q5O) 566.572.574-575-577·

i. *Ex Vaticani decretis* infertur, thesim nostram *in genere* esse saltem *theologice certam, ex* affirmata a Concilio omnimoda obligatione adhaerendi sententiae ab Ecclesiae latae circa has veritates cum revelatis connexas: D 1798 1817.

Theologus Vaticani P.Kleutgen, sese ad hanc Concilii doctrinam referens, ulterius asserebat: «Esse autem Ecclesiae et ius et officium de conclusionibus Philosophiae aliarumque disciplinarum iudicare... in *Constitutione* prima *de Fide definitum est»10.*

711. 2. *Ex Vaticani definitione pontificiae infallibilitatis* infertur, thesim nostram esse *theologice certam,* eo quod Concilium asserat, Pontificem definientem «doctrinam *tenendam,* ea infallibilitate pollere, qua Christus Ecclesiam suam instructam esse voluit»: D 1839. Nam idem *Relator fidei* cum id ipsum in Concilio explicavit, dixit:

«Cum dogmatibus revelatis veritates *aliae* magis vel minus stricte cohaerent, quae licet in se *revelatae non sint,* requiruntur tamen ad ipsum depositum revelationis integre custodiendum, rite explicandum et efficaciter definiendum... Huiusmodi veritates non *quidem per se ad depositum fidei,* sed tamen ad custodiam depositi fidei spectant. Hinc omnes omnino catholici theologi consentiunt, Ecclesiam in huiusmodi veritatum definitione esse infallibilem. Sed opinionum diversitas versatur unice circa gradum certitudinis: utrum scilicet infallibilitas in hisce veritatibus proponendis debeat censeri *dogma fidei, an solum theologice certa...* Patribus Deputationis unanimi consensione visum fuit hanc quaestionem nunc saltem non *definiendam, sed relinquendam* esse in *eo statu in quo est;* ita ut definiatur de obiecto infallibilitatis Romani Pontificis omnino idem credendum esse, quod creditur de obiecto infallibilitatis in definitionibus Ecclesiae... In illis ergo in quibus *theologice quidem certum est,* non tamen hactenus certum de fide est, Ecclesiam esse infallibilem, etiam infallibilitas Pontificis hoc decreto sacri Concilii non *definitur tamquam de fide credenda.* Qua vero certitudine theologica constat haec alia obiecta comprehendi intra ambitum infallibilitatis qua pollet Ecclesia, eadem certitudine tenendum est ac erit, ad haec etiam obiecta extendi infallibilitatem in definitionibus editis a Romano Pontifice» 11.

Unde ex definitione vaticana infallibilitatis pontificiae eruitur esse doctrinam *saltem theologice certam,* obiectum infallibilitatis esse etiam veritates cum revelatis certo ac necessario *connexas;* quod Patres in Concilio deducebant ex definitionis formula, in qua Concilium obiectum infallibilitatis «circumscribit et determinat per comparationem cum infallibilitate in definitionibus Ecclesiae» '2, et etiam quia retinuit verba *tenendam definit,* contra eos qui volebant ut poneretur *fide divina tenendam definit,* ideo solum ne Concilium videretur ambitum

'° J.Kleutgen, *Annotationes ad schema II de Ecclesia:* Msi 53,325.
11 V.Gasser, *Lc.:* Msi 52,1226s.
12 Msi 52,1226.1316-1317; Franzelin, *De Traditione* th.i2schol.i prine.| corull.l-2.

infallibilitatis restringere ad solas veritates per se revelatas: D 1839 I3.

712. 3) *In decretis Conc. Vaticani,* qpae praeparabantur, doctrina theseos directe et explicite definiebatur; unde thesis est definitioni proxima.

In schemate I cn.9: «Si quis dixerit, Ecclesiae infallibilitatem ad ea tantum restringi, quae *divina revelatione* continentur, neque ad alias etiam veritates extendi quae *necessario requiruntur,* ut revelationis depositum integrum custodiatur; anath. sit» 14.

Consentit *Schema reformatum,* cn.9: «Si quis duxerit, Christi Ecclesiam a vera fide deficere posse, aut certe in aliis nullis, quam in iis, quae per se ipsa in verbo Dei continentur, ab errore immunem esse; anath. sit»15.

713. Valor dogmaticus. Doctrina theseos est *saltem theologice certa* et *definitioni proxima ex eodem Conc.Vaticano.*

714. Probatio. *Obiectum infallibilitatis sunt etiam veritates certo ac necessario cum revelatis connexae.*

Praenota. Cum asserimus, Ecclesiam esse infallibilem in huiusmodi veritatibus definiendis, consequenter affirmamus. Ecclesiam posse exigere a fidelibus *assensum absolute certum et irrevocabile,* quo has veritates post Ecclesiae definitionem teneant. Nihil tamen dicimus de *qualitate* huius assensus: utrum nempe sit assensus fidei divinae formaliter vel virtualiter, immediate vel mediate, elicite vel imperate; an sufficiat assensus fidei ecclesiasticae vel religiosae, prout alii tenent, vel assensus absolutae «certitudinis theologicae», prout Relator in Conc.Vaticano loquebatur '6. Haec ulterius determinare ad tractatum de Fide pertinet17.

715. Prob. *argumento generali.* Quod finis Magisterii infallibilis exigit, et Ecclesia infallibilis sibi vindicat, id revera Ecclesiae competit. Atqui finis Magisterii infallibilis exigit et Ecclesia infallibilis sibi vindicat infallibilitatem circa veritates connexas cum revelatis, quas in statu quaestionis recensuimus. Ergo Ecclesiae competit infallibilitas circa veritates connexas cum revelatis.

Mai. a) Quod finis Magisterii infallibilis exigit id Ecclesiae competit; quia secus potestas Magisterii esset nulla, utpote quae suum finem attingere non valeret.

Mai. b) Quod Ecclesia infallibilis sibi vindicat id ei revera competit; quia vi infallibilitatis, Ecclesia necessario scire debet

13 Msi 51,701-702; 53,251.281-82; 52.3.7: 53.255-56.282-83; 53,275: 52,1241.1334. Cf. J.Salaverri: EstEcl 22 (1948) 220-224.

14 Msi 51,543·552.

15 Mst 53,313-316.

16 Msi 52.1316-17: Hurter. *Theol.* I n.499; Palmieri, *De Ecclesia* § 40 n.5.

17 Franzblin, *De Traditione* th.12 schoi.t princ.4 coroll.4; prine.7 coroll.3; Van Noort, *De Fide* n.246-50; Lennerz. *De virtut. theol.* (1930) 91; Schultes, *De Ecclesia* a.67; Lbrcher, n.616; Vellico, *De Ecclesia* 425s; Garcla, Excmus.D.Fidelis: MiscCom 6 (1946) 9-45.

ac proinde de facto scit, ad quas veritates eius infallibilitas extendatur, nam secus Ecclesiae infallibilitas esset potestas sine obiecto certo circa quod exerceri valeret, ac proinde numquam posset reduci ad actum: quod repugnat.

716. *Min. Probanda est quoad singula.*

i) Quoad veritates speculativas *logice ac necessario cum revelatis connexas.* A. *Finis Magisterii* infallibilis exigit infallibilitatem circa huiusmodi veritates. Nam finis Magisterii infallibilis exigit ea quae necessaria sunt ad *fidei depositum* fideliter custodiendum et infallibiliter declarandum. Atqui ad hunc finem necessaria est infallibilitas circa veritates logice ac necessario connexas cum revelatis, quales sunt *conclusiones theologicae* et *fidei praeambula.* Ergo finis Magisterii infallibilis exigit infallibilitatem circa veritates logice et necessario cum revelatis connexas.

Mai. patet quia Magisterii infalliblis finis est fidelis custodia et infallibilis declaratio depositi fidei: D 1800 1836; cf. i Tim 6,20.

Min. constat, quia si veritates logice et necessario connexae cum revelatis, quales sunt *praeambula fidei et conclusiones theologicae,* possent negari vel in dubium revocari, logice et necessario negari vel in dubium revocari deberet aliqua veritas revelata, quemadmodum ex notionibus patet. Praeambula fidei infallibiliter definibilia sunt, non qua praeambula, sed qua cum revelatis connexa.

717. B. *Ecclesia sibi vindicat* infallibilitatem circa veritates huiusmodi connexas, a) *Theoretice:* Pius IX, a. 1862, in *Epistola «Gravissimas inter»* contra Frohschammer, qui omnimodam Philosophiae independentiam a fide immerito propugnabat: D 1674-76. *Conc.Vaticanum* idem vindicat contra Rationalistas et Semirationalistas: D 1798 1817. Pius X eadem Ecclesiae iura defendit contra Modernistas in *Decreto «Lamentabili»:* D 2005 2007 2024. Denuo Pius XII, *Encycl. «Humani generis»,* aperte docet, veritates huiusmodi obiectum esse Magisterii Ecclesiae [18].

b) *Practice: Conc.Lateranense V,* a.1513, definivit contra «philosophantes» praecipuas animae humanae proprietates, atque in genere edixit: «Omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus»: D 738; quam

*8 AAS 42 (1950) 575. Gf. supra notis 8 ct 9.

quidem definitionem *Conc. Vaticanum* iterum confirmavit: D 1797. Addi possent aliae practicae Ecclesiae decisiones, quibus definitivum iudicium tulit de propositionibus philosophicis, ut exempli gratia, errores Nicolai de Ultricuria: D 553-570, cf. notam i ad D 553.

718. 2) Quoad facta dogmatica doctrinalia sensu technico intellecta, nam de aliis factis dogmaticis proprie non est quaestio controversa 19.

A. *Finis Magisterii* infallibilis exigit infallibilitatem circa haec facta dogmatica. Nam finis Magisterii infallibilis exigit ea quae necessaria sunt ad secure dirigendos fideles in recta fidei professione et in contrariis erroribus vitandis. Atqui ad hoc necessaria est infallibilitas in definiendo sensu orthodoxo vel heterodoxo auctoris qua auctoris alicuius textus dogmatici. Ergo finis Magisterii infallibilis exigit infallibilitatem circa facta dogmatica doctrinalia sensu technico intellecta.

Mai. patet, quia finis practicus Magisterii est obtinere ut fideles ab erroribus in fide caveant, revelationem probe intelligent, et fidem catholicam rite profiteantur: cf. D 1800 1798.

Min. constat, quia si sensus orthodoxus vel heterodoxus alicuius textus humani infallibiliter definiri non posset, nemo peremptorie cogi posset ad certam fidei formulam profitendam, nemo efficaciter cohiberi posset ab erroribus in fide admittendis et diffundendis, nulla denique praesto esset Ecclesiae omnino tuta via ad infundendam et conservandam veram fidem in animis fidelium; sapienter enim S. Thomas animadvertit: «Per verba quae quis loquitur suam fidem profitetur, et ideo si sit inordinata locutio circa ea quae sunt fidei sequi potest ex hoc corruptio fidei» 20.

719. B. *Ecclesia sibi vindicat* infallibilitatem quoad facta dogmatica doctrinalia sensu technico intellecta, a) *Theoretice,* prout abunde constat ex historia damnationis *quinque propositionum Jansenii.* Cornelius Iansenius, mortuus anno 1638, reliquit librum scriptum, cui titulus *Augustinus.* Hic liber in lucem editus est post auctoris mortem a. 1640, ac paulo post, a. 1642, ab Urbano VIII prohibitus est. Post longas circa huius libri doctrinam controversias, Innocentius X, a. 1653, *quinque propositiones ex* libro Iansenii depromptas declaravit haereticas: D 1092-1096.

19 A. GITS, *La foi dcclés. aux faits dogmatiques* (1940); J. Carreyre, *Jansénisme:* DTC 8, 318-529.

20 S. Th., *2.2* q. n a. 2 ad 2.

lansenistae reclamaverunt dicenj.es: quinque eas propositiones esse quidem damnabiles, attamen easdem minime esse damnatas in sensu quo illas lansenius in suo libro proposuit; quare Alexander VII, a. 1656, edixit, «quinque illas propositiones ex libro Cornelii lansenii excerptas ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse, declaramus et definimus»; D 1098 cum nota. Cum nondum *lansenistae* suum errorem deponere vellent, idem Alexander VII, a. 1665, iniunxit lansenistis ut formularium submissionis sub iureiurando subscriberent: D 1099. *lansenistae* nondum acquieverunt, quare Innocentius XII, annis 1694 et 1696, declaravit, formulam submissionis ab Alexandro VII praescriptam ab omnibus debere *in sensu obvio* intelligi, ac simul de novo confirmavit decreta contra iansenismum lata ab Innocentio X et Alexandro VII: D 1099 cum nota 3.

720. *lansenistae* tunc ad effugium accurrerunt asserentes: damnationi propositionum lansenii non assensum internum, sed solum *obsequiosum silentium* esse praestandum. Quare tandem Clemens XI, a.1705, decreta de hac re ab Innocentio X et Alexandro VII data confirmavit, atque obligationem imposuit interius obsequendi damnationi quinque propositionum lansenii iuxta «sensum quem illarum verba prae se ferunt»: D 1350. Igitur ex hoc longo sexaginta annorum processu apertissime patet, Ecclesiam sibi theoretice vindicasse infallibilitatem ad damnandas lansenii quinque propositiones «in sensu ab eodem auctore intento, quem illarum verba prae se ferunt»: D 1098 1350. Ergo Ecclesia sibi in hac causa vindicavit infallibilitatem quoad facta dogmatica doctrinalia sensu technico intellecta 21.

721. b) *Practice* Ecclesia sibi vindicat infallibilitatem circa eadem dogmatica facta semper ac *scripta aliqua et eorum auctores* definitive damnat. Sic, exempli gratia, *Conc.Constantinopolitanum II,* a.553, damnavit «impium Theodorum (mortuum a.428) et impia eius conscripta»: D 225. Innocentius II, a. 1140, de Petro Abaelardo, mortuo a. 1142, edixit: «capitula et universa ipsius Petri dogmata cum suo auctore tamquam haeretico damnavimus»; D 387.

Conc.Constantiense, a.1418, circa loannem Wicleff, mortuum a.1384, et loannem Hus, mortuum a.1415, proposuit Wicleffitis et Hussitis interrogationem septimam: «Utrum cre-

21 Cf. *Bullarium Rom.* 21.234s. Dieckmann, n.836-39; Schultes, a.35; A.de Becdelievre: DAFC 2,1153-92.

dat, quod condemnationes Io. Wicleff et Io.Hus factae de personis eorum, libris et documentis... fuerint rite et iuste factae, et a quolibet catholico pro talibus tenendae et firmiter asserendae»; et octavam: «Utrum credat, teneat, asserat, Io. Wicleff et Io.Hus... fuisse haereticos et pfo haereticis nominandos ac deputandos, et libros et doctrinas eorum fuisse et esse perversos»: D 659s.

Pius IX, a. 1862, iudicavit de sensu heterodoxo operum in lucem editorum Iacobi Frohschammer, mortui a. 1839, edicens, sententias, quas idem Frohschammer asseruit, alienas omnino esse a catholicae Ecclesiae doctrina, easque reiciendas, reprobandas et omnino damnandas esse: D 1667 1669 1673 1675. Leo XIII, a. 1887, «approbavit, confirmavit atque ab omnibus servari mandavit» decretum *Sancti Officii,* quo propositiones Antonii de Rosmini «in proprio auctoris sensu reprobandas ac proscribendas esse iudicavit»: D 1930a.

722. 3) Quoad decreta disciplinaria in genere, quae cum revelatis *finaliter* connexa sunt. A. *Finis Magisterii* infallibilis exigit infallibilitatem circa huiusmodi decreta. Nam finis Magisterii infallibilis exigit ea quae necessaria sint ad fidelium vitam sine errore in Ecclesiae finem ordinandam. Atqui ad fidelium vitam sine errore in Ecclesiae finem ordinandam necessaria est infallibiiitas circa decreta disciplinaria cum revelatis finaliter connexa. Ergo finis Magisterii infallibilis exigit infallibilitatem circa decreta disciplinaria in genere, quae cum revelatis finaliter connexa sunt.

Mai. patet, quia finis Magisterii infallibilis tandem ad hoc ordinari debet, ut fideles sine errore ad finem Ecclesiae assequendum dirigantur.

Min. constat ex ipsa definitione decretorum disciplinarium in genere, quae cum revelatis finaliter et necessario connexa sunt, n.703.

723. B. *Ecclesia sibi vindicat* infallibilitatem circa huiusmodi decreta.

a) Circa decreta disciplinaria *in genere* constat id quod asserimus, ex Pio VI in *Constitutione «Auctorem fidei»,* a. 1794, qua errores synodi *Pistoriensis* damnavit: D 1578.

b) *In specie,* circa *decreta liturgica* Ecclesiam sibi vindicare infallibilitatem, constat ex lege communionis eucharisticae sub una tantum specie a Conciliis Constantiense et *Tridentino* sollemniter lata: D 626 ad finem 668 931-935. Id ipsum abunde

confirmari potest ex aliis decretis, quibus *Conc.Tridentinum* sollemniter confirmavit ritus et caerimonias, quae in Sacramentorum administratione et Missarum celebratione adhibentur: D 856 879 889 942 943 954.

724. 4) Quoad decreta sollemnis Canonizationis Sanctorum a. A. *Finis Magisterii* infallibilis exigit infallibilitatem circa huiusmodi decreta. Nam finis Magisterii infallibilis exigit ea quae necessaria sunt ad fideles dirigendos sine errore ad salutem per rectum cultum et imitationem exemplorum virtutum Christianarum. Atqui ad talem scopum necessaria est infallibilitas circa decreta Canonizationis Sanctorum. Ergo finis Magisterii infallibilis exigit infallibilitatem circa decreta sollemnis Canonizationis Sanctorum.

Mai. patet ex supposita Ecclesiae potestate sanctificandi ad quam immediate ordinantur aliae eiusdem Ecclesiae potestates.

Min. constat, quia *sollemnibus* decretis Canonizationis Sanctorum Ecclesia non solum tolerat et permittit, sed etiam *commendat et praecipit universo fidelium gregi,* colendos esse aliquos *determinatos* Sanctos quos canonizat, eosdemque proponit tamquam virtutum exempla imitatione digna. Atqui mera erroris possibilitas in tam sollemni iudicio, omnem fidelium tolleret fiduciam et universum Sanctorum cultum fundamento destitueret; quia accidere poterat ut Ecclesia *sollemniter* proponeret *omnibus* et praeciperet *perpetuo* colendos et imitandos homines damnatos et pravos. Ergo ad fideles dirigendos sine errore ad salutem per rectum cultum et imitationem exemplorum virtutum Christianarum, necessaria est infallibilitas circa sollemnia decreta Canonizationis Sanctorum.

725. B. *Ecclesia sibi vindicat* infallibilitatem circa sollemnia decreta Canonizationis Sanctorum. Nam Ecclesia sibi exercite vindicat infallibilitatem circa ea decreta quae *sollemni iudicio definit.* Atqui Ecclesia sollemni iudicio definit decreta Canonizationis Sanctorum. Ergo Ecclesia sibi vindicat infallibilitatem circa decreta Canonizationis Sanctorum.

Mai. patet, quia sollemne iudicium est forma maxime propria definitionis infallibilis, ut scimus ex *Conc.Vaticano:* D 1792 et ex CIC 1323 § 2.

Min. probari potest ex formulis, quibus decreta Canoniza-

»'Cf. infra n.1230-35; Hurter, *Theol.* I n.279.

tionum exprimuntur. Exempli causa, Benedictus XIII, a.1726, edicebat:

«Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem et christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, et BB.Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, de venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E.Cardinalium... consilio et unanimi consensu, B.Ioannem a Cruce... Sanctum esse definivimus, Sanctorum Confessorum non Pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et adscribimus, eumdemque per universos Christi fideles tamquam vere Sanctum honorari mandavimus et mandamus... ab universa Ecclesia». Eadem formula, eodem anno, idem Pontifex canonizavit etiam Sanctos Aloysium Gonzaga et Stanislaum de Kostka 22.

Consentit cum hac formula ea quae nostris diebus adhibere solet Pius XII, ut die 22 iunii a.1947: «Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri lesu Christi, BB.Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra; matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E.Cardinalium. ...consilio; BB.Ioannem de Britto Martyrem, losephum Cafasso et Bernardinum Realino Confessores, Sanctos esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus; statuentes ab Ecclesia Universali illorum memoriam... pia devotione recoli debere. In nomine Pa t tris et Fi t lit et Spiritus t Sancti. Arnen» 23.

Hanc esse sententiam infallibilem aliquoties expressis verbis Pontifices declaraverunt. Ut Pius XI: «superno lumine iterum ferventiusque implorato, *infallibilem Nos,* uti Catholicae Ecclesiae supremus Magister, sententiam in haec verba protulimus: *Ad honorem* etc.». Et alibi: «Nos. ex Cathedra divi Petri, uti supremus universalis Christi Ecclesiae Magister, *infallibilem* hisce verbis sententiam sollemniter pronuntiavimus: *Ad honorem* etc.». Necnon Pius XII: «Nos universalis Catholicae Ecclesiae Magister, ex Cathedra una super Petrum Domini voce fundata, *falli nesciam* hanc sententiam sollemniter hisce pronunciavimus verbis: *Ad honorem etc.».* Et alibi: «Nos... in Cathedra sedentes, *inerranti* Petri Magisterio fungentes, sollemniter pronunciavimus: *Ad honorem* etc.» 24.

726. *De gradu certitudinis,* qua tenendum est Ecclesiam esse infallibilem in Sanctorum Canonizatione, insignium auctorum sententias referre oportet. S.Thomas: «Canonizatio, inquit, Sanctorum medium est inter haec duo (inter ea nempe quae ad fidem et ea quae ad particularia facta pertinent); quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesiae errare possit» 2S.

F.Suarez: «Quamvis non sit de fide, censeo esse satis *certam,* et contrariam esse impiam ac temerariam»26.

Benedictus XIV refert, paucos veteres negasse infallibilitatem Ecclesiae circa decreta Canonizationis Sanctorum. Ipse vero cum communi sententia tenet: «Si non haereticum, *temerarium* tamen, scandalum toti Eccle-

22 Benedictus XIII: *Bullar. Roman.* ed.Taurinen. 22 (1871) 482.486.480.
23 Pius XII: AAS 30 (1047) 209.249.281,329.377·
24 Pius XI: AAS 2S (1933) 425-426: 26 (1934) 539s; Pius XII: AAS 33 (1941) 105; 41 (1949) 137·
25 S.Th., *Quodl.* 9 a.16.
26 Suarez, *De Fide* d.5 s.8 n.8.

siae afferentem, ... *sapientem haeresim... assertorem erroneae propositionis...* dicemus eum, qui auderet asserere, Pontificem in hac aut illa Canonizatione errasse, hunc aut illum Sanctum ab eo canonizatum non esse cultu duliae colendum» 2728

Nunc autem hanc doctrinam omnes tenent saltem ut *theologice certam.* Immo, iuxta apertam Pii XI et XII mentem, dici potest *implicite definita.*

ηζη. 5) Decreta definitivae approbationis Ordinum Religiosorum.

A. *Finis Magisterii* infallibilis exigit infallibilitatem circa haec decreta. Nam finis Magisterii infallibilis exigit ea quae necessaria sunt ad fideles dirigendos sine errore ad salutem per viam evangelicae perfectionis. Atqui ad hunc scopum necessaria est infallibilitas circa decreta definitive approbantia Ordines Religiosorum. Ergo finis Magisterii infallibilis exigit infallibilitatem circa pontificia decreta definitive approbantia Ordines Religiosorum.

Mai. patet, quia fideles dirigere ad salutem per viam evangelicae perfectionis est una ex praecipuis *rebus morum,* ad quas in genere Magisterii infallibilitas extenditur.

Min. constat etiam, quia pontificia decreta *definitive* approbantia Ordines Religiosorum proponunt *universae* Ecclesiae *stabilem* vivendi rationem iuxta aliquam Regulam tamquam *viam certam* ad perfectionem evangelicam acquirendam. Vi autem infallibilitatis in rebus morum, repugnat ut Summus Pontifex *definitive* proponat *universae* Ecclesiae *stabilem* quamlibet vivendi rationem'tamquam *viam certam* ad perfectionem, quae posset esse inepta vel contraria evangelicae perfectioni.

728. In argumento animadvertas, quaeso, agi de iudicio *doctrinali,* quo edicitur: talem vivendi rationem, in se ipsa inspectam, esse aptam ad evangelicam perfectionem acquirendam, quod iudicium nequit esse falsum. Non agitur de iudicio *prudentiali,* circa opportunitatem vel convenientiam, propter extrinseca rerum adiuncta, admittendi vel permittendi aliquem Ordinem Religiosum: hoc vero aliud iudicium fortasse non necessario sit infallibile 28.

729. B. *Ecclesia sibi vindicat* infallibilitatem circa decreta definitive approbantia Ordines Religiosorum, a) Constat ex Pio VI, qui in *Const. «Auctorem fidei»,* damnavit systema Religionum eversivum, a *Synodo Pistoriensi* propositum, eo praeci-

27 Benedictus XIV, *De Cànoniz. Sanctorum* l.i c.43 n.3; c.45 n.28. Cf. Dieckmann, d.Ssis; F.Spedalieri, *De Ecclesiae infallibilitate in Canoniz. Sanctorum* (1949).

28 M.Cano, *De locis* l.5 C.5 ad-4: Aliqui dicunt eum loqui de hoc iudicio prudentiali, cum scribit: «Ordines vel probare vel refellere, quoniam non e scientia id solum, sed etiam e prudentia pendet, non ad ea pertinet in quibus Summus Pontifex errare nequit». Cf. De Groot, q.9 a.9. Suarez vero Meichiorem Cano de errore accusat: *De Fide* d.5 s.8 n.9.

se quod Ordines Religiosorum auctoritate S.Sedis et Conciliorum fuissent approbati: D 1582 1592. Hanc damnationem denuo contra *Naturalismum* confirmavit Pius IX, in *Encycl. «Quanta cura»:* D 1692.

b) *Ecclesiam exercite sibi vindicare* infallibilitatem in huiusmodi decretis, patet ex sollemni iudicio quo Ordines Religiosorum approbat. Sic, exempli causa, Paulus V, a. 1606:

«Motu proprio, inquit, et ex certa scientia ac mera deliberatione Nostris, deque Apostolicae Potestatis plenitudine, laudabile dictae Societatis Institutum et Constitutiones... perpetuo approbamus et confirmamus, ac Nostrae et Sedis Apostolicae Auctoritatis robur adiicimus». Similiter alii octo Summi Pontifices eandem Societatem approbaverunt. Hoc autem sollemne iudicium est forma propria decretorum infallibilium 29.

730. Obiectiones 3°. 1. Principia *rationis* eorumque conclusiones, utpote quae praecedunt fidem et praesupponuntur a fide, nequeunt fidei iudicio subici, ideoque neque infallibiliter definiri. Atqui eiusmodi sunt principia et conclusiones scientiarum. Ergo principia et conclusiones scientiarum nequeunt infallibiliter definiri.

Dist. mai. Principia et conclusiones quae nullam connexionem cum rebus fidei et morum habeant, *conc.;* quae talem connexionem et quidem necessariam habeant, *subdist. :* nequeunt subici iudicio fidei quo perficiantur, *nego,* quia gratia perficit naturam; nequeunt subici iudicio fidei quo corrigantur vel destruantur, *iterum subdist. :* quatenus genuina principia et legitimae conclusiones sunt nequeunt iudicio fidei corrigi vel destrui, *conc.;* quatenus, propter limitationem et fragilitatem humanam, a tali genuinitate et legitimitate deficiunt, nequeunt iudicio fidei corrigi vel destrui, *nego. Conc. min.; pariter dist. cons.* et *nego consequent.* 31

731. 2. Sine investigationis *libertate* nulla vera scientia. Atqui iudicium infallibile circa principia et conclusiones scientiarum tollit investigationis libertatem. Ergo iudicium infallibile circa principia et conclusiones scientiarum destruit veram scientiam.

Dist. mai. Sine libertate ad investigandum in propria scientiae principia et ad eruendas, iuxta aptam methodum, legitimas eiusdem scientiae conclusiones, nulla datur vera scientia, *conc.;* sine *licentia* ad assumenda principia falsa vel erronea et ad eruendas ex eis conclusiones etiam falsas vel erroneas, nulla datur vera scientia, *nego. Contradist. min.* Iudicium infallibile circa principia et conclusiones scientiarum, quae connectantur cum dogmate, tollit *licentiam* ad assumenda principia falsa vel erronea, utpote contraria principiis fidei, et ad deducendas conclusiones quae ex lumine fidei constat esse erroneas vel falsas, *conc.;* tollit *veram libertatem* ad adhibenda principia certa et ad eruendas legitimas scientiae conclusiones, *nego* (D 1674s).

Saltem «progressionis sufflamen et scientiae obex est» quidquid investigationem scientificam subordinat ideis praeconceptis. Atqui definitiones infallibiles in rebus scientiarum investigationem scientificam subordinant

29 *Constitutiones Soc.Iesu* (Romae 1937) p.XXXIV-VIII, Auctoritatem decretorum, quibus Ordines approbantur, defendunt, contra Guil.emum a Sancto Amore. S.Thomas, Opusculum, *Contra impugnantes Dei cultum et religionem* pars 3 c.21: ed. Vives (Paris) 29 p-3o; S.Bonaventura, De *perfectione evangelica* q.2 a.2: ed. Quaracchi, 2 p.iS3.

Cf. De San, n.261.277; De Gkoot, q.g a.2-6; Dieckmann, n.851.

31 S.Th., *In Boetium de Trin.* q.2 a.3.

ideis praeconceptis. Ergo definitiones infallibiles in rebus scientiarum «progressionis sufflamen et scientiae obex sunt» 32.

Dist. mai. Si tales ideae sint falsae vel erroneae, *conc.;* si tales ideae sint verae, certae et ab erroribus munientes, *subdist.:* si huiusmodi ideae sint forte divertentes vel alienae a proprio scientiae obiecto, conc.; si contra sint conducentes ad perfectius et sine erroribus assequendum proprium scientiae obiectum, ut revera sunt omnes illae quae dicuntur *connexae, nego.*

Contradist. min., nego cons, et consequent.

732. 3. Ad fidei depositum integrum custodiendum et declarandum sufficit infallibilitas circa per se revelata. Ergo non est necessaria infallibilitas circa connexa cum revelatis.

Dist. *antec.* Ad fidei depositum integrum mere obiective custodiendum et declarandum, *trans, antec.;* ad fidei depositum integrum in mentibus fidelium vere custodiendum et efficaciter ita declarandum, ut ab eis rite intelligatur, sufficit infallibilitas circa per se revelata, *nego antec.*

733. 4. Ad fidei depositum in mentibus fidelium vere custodiendum et efficaciter declarandum, sufficit Magisterium mere authenticum circa connexa cum revelatis. Ergo circa haec non requiritur infallibilitas.

Nego suppositum: id est, Magisterium distingui in authenticum et infallibile ex obiecto. Haec distinctio sumitur ex gradu auctoritatis, quo exercetur, et ex correspondent! gradu firmitatis adhaesionis, quam fidelibus imponit. Ergo si obiciens concedit conriexa cum revelatis esse obiectum Magisterii authentici, eo ipso negare nequit ea etiam esse obiectum Magisterii infallibilis.

Vel *dist. antec.* Generatim et in ordinariis rerum adiunctis, *trans, antec.;* semper et in omni casu, *subdist.:* sufficit ad obtinendum silentium obsequiosum et assensum mere condicionatum, *trans.;* ad exigendum mentis internum et absolutum assensum, nego.

734. 5. Argumentum desumptum ex eo quod Ecclesia sibi vindicat infallibilitatem circa virtualiter revelata, supponit iam notum, infallibilitatem Ecclesiae extendi ad virtualiter revelata. Atqui huiusmodi supposita veritas est etiam virtualiter revelata. Ergo tale argumentum supponit id ipsum quod est probandum.

a) Aliqui theologi ut Zapelena respondent: *Negatur min.,* quia infallibilitatem Ecclesiae extendi ad virtualiter revelata est veritas formaliter saltem implicite revelata in dogmate de ipsa infallibilitate et eius fine, ex quibus per analysim deduci potest33.

b) Dist. mai. Supponit iam notum *Ecclesiae,* infallibilitatem eius extendi ad virtualiter revelata, *conc. mai.;* supponit iam notum *theologo demonstranti,* infallibilitatem Ecclesiae extendi ad virtualiter revelata, nego *mai. Trans, min. Dist. pariter cons.* Tale argumentum supponeret id quod est probandum, si supponeret iam notum *theologo,* qui arguit, infallibilitatem Ecclesiae extendi ad virtualiter revelata, conc. *cons.;* si supponat id ipsum iam notum ipsi *Ecclesiae, nego cons.*

735. 6. *Conclusiones theologicae* proprie dictae, seu quae ex universali naturaliter certa et ex particulari revelata vere deducuntur, non sunt revera connexae cum revelatis. Ergo nequeunt esse infallibilitatis obiectum.

Prob. antec. Vera connexio supponit identificari conceptus revelationis

32 Cf. Pius XII, *Encycl. tournant generis»;* AAS 42 (1950) 567.
33 Cf. Zapbl bna, 2 (1940) th.18 obi.3 p.IOS·

supernaturalis cum conceptibus rationis naturalis. Atqui haec identitas est impossibilis. Ergo conclusiones theologicae non sunt vere connexae cum revelatis, seu conclusiones theologicae proprie dictae dari nequeunt.

Prob. mai. uno exemplo: Verbum procedit per intellectum (universalis naturaliter certa). Atqui Filius Dei est Verbum (particularis revelata). Ergo Filius procedit a Patre per intellectum (conclusio theologica proprie dicta).

Haec conclusio ut sit vere connexa cum revelatis, seu ut sit vera conclusio theologica, supponere debet, conceptum *verbi* praemissae maioris identificari cum conceptu Verbi praemissae minoris, nam secus syllogismus constaret quatuor terminis. Atqui conceptus *verbi rationis naturalis* nequit identificari cum concept^ Verbi *revelationis supernaturalis.* Ergo conclusio non datur, quia semper huiusmodi syllogismi distingui possunt hoc modo: Verbum in creatis procedit per intellectum, conc.; Verbum in divinis procedit per intellectum, nego. *Contradist. >nin.* Filius Dei est Verbum creatum, nego; divinum, conc. Et sub datis distinctionibus nego cons. et *consequentiam*

Resp. distinguendo prob. antec. Vera connexio supponit conceptus revelationis et rationis identificari necessario univoce, nego; saltem analogice, subdist. : vera analogia et quidem in revelatione fundata, conc.; analogia nec vera neque in revelatione fundata, nego.

Explico: Conceptus *verbi* in exemplo allato identificantur quidem in praemissis mai. et min., attamen non univoce, sed analogice ac sane vera analogia et in reyelatione fundata. Hoc autem sufficit ad hoc ut vera conclusio detur. Nam Deus *revelans* dixit *hominibus,* Filium suum esse Verbum (Io 1,14). Ergo ut prudens locutor intendit ut homines intelligerent notionem verbi eis notam vere et proprie verificari de Filio suo, etsi liberam omnino ab imperfectionibus et limitibus quibus verificatur in rebus creatis. Unde in exemplo allato, syllogismus vere et proprie concludit in hunc modum: De ratione transcendenti verbi intellectu humano cogniti est procedere per intellectum. Atqui Deus, ut prudens locutor, sese accommodans humano intellectui, hominibus revelavit, Filium suum esse Verbum. Ergo ratio transcendens processionis per intellectum Filio Dei vere convenit, licet modo non finito sed infinito.

736. 7. *Conclusiones theologicae* habent valorem mere relativum et evolutioni subiacent. Atqui propositiones huiusmodi nequeunt ab Ecclesia infallibiliter definiri. Ergo conclusiones theologicae non sunt obiectum infallibilitatis.

Prob. mai. Conclusiones theologicae pendent a valore alicuius systematis philosophici humani et a certo gradu evolutionis scientiae. Atqui hi mere relativi sunt et evolutioni subiacent. Ergo etiam conclusiones theologicae.

Valorem mere relativum conclusionum theologicarum ostendunt, exempli gratia, distinctione syllogismi antea allati de processione Verbi, hoc modo: Verbum procedit per intellectum iuxta systema Philosophiae Scholasticae et intra certum gradum evolutionis scientiae theologicae, *conc.;* iuxta omne possibile systema philosophicum et intra omnem possibilem gradum evo-

34 Ad hoc praecipue, reduci posse videtur argumén tatio. qua movetur ad negandam possibilitatem conclusionum theologicarum L.Charlier, *Essai sur le problème théologique* (1938). Cf. prohibitionem *S.Officii* et auctoris submissionem: AAS 34 (1942) 37.148. Vide Stegmüller-Kosteb; ThRev 38 (1939) 41-51: R.Gagnebet: RevThom 45 (1939) 108-145; Zapelena: Greg. 24 (1943) 23-47.287-326; 25 (1944) 38-73.247-282; M.Labourdette, *La Théologie et ses sources:* RevThom 46 (1946) 5-44. De hac re lege monita Pu XII in *Allocutione ad Patres O.P.:* AAS 38 (1946) 387s. Pro n.735s, cf. Pu XII *Encycl. 'Humanigeneris·: AAS* 42 (i960) 561-578·

lutionis scientiae theologicae, *nego. Concessa* min. *pariter distinguunt cons. 35*

Resp. Dist. mai. Conclusiones theologicae habent valorem relativum et evolutioni subiacent, quatenus, licet vere, tamen non comprehensive sed inadaequate proponunt veritates revelatas ac ptopterea indesinenter perfici poterunt, *conc.;* quatenus falso vel erronee proponunt veritates revelatas ac propterea indesinenter debeant obiective corrigi, *nego. Contradist. min.* Propositiones quae habent valorem relativum et evolutioni subiacent nequeunt ab Ecclesia infallibiliter definiri, si falso vel erronee proponant veritates revelatas ac propterea obiective corrigi debeant, *conc.;* si vere quidem, licet non comprehensive sed inadaequate, proponant veritates revelatas ac propterea indesinenti perfectioni ulteriori subiaceant, *nego.*

Haec solutio fundatur in principiis omnino certis, quibus, stante obiectiva immutabilitate depositi revelationis, progressus tamen in eius intelligentia, explicatione et propositione indesinenter haberi potest. Cf. n.754-761.

737. 8. Theologicae conclusiones infallibiliter definitae deberent assensu fidei teneri. Atqui utpote non revelatae formaliter, theologicae conclusiones nequeunt assensu fidei teneri. Ergo neque infallibiliter definiri.

Dist. *mai.* Conclusiones infallibiliter definitae debent assensu absolute certo teneri, *conc.,* hoc enim est quod stricte postulat *impossibilitas erroris* iudicii infallibilis; talis assensus dici debet vel theologicus, vel fidei ecclesiasticae, vel fidei divinae (immediatae aut mediatae, formalis aut virtualis), vel a divina fide elicitus aut imperatus, *trans.,* de his enim disputant theologi in tractatu de fide. *Contradist. min., nego cons. et consequentiam 36.*

35 Ad hoc praesertim reduci posse videtur argumentatio auctorum huius obiectionis: J.Daniélou, Les orientations présentes *de la pensée religieuse:* Et aprili 1946; Br.de Solaces, *Pour l'honneur de la Théologie:* BullLittEccl 48 (1947) 3-17-65-84: N.N., *La Théologie et* ses *sources:* RechScRel 33 (1946) 385-402. Vide M.Labourdette, *La Théologie et ses sources:* RevThom 46 (1946) 353-371:47 (1947) 5-19: Garrigou-Lagrange, *La nouvelle Théologie où va-t-elle?: Ang* 23 (1946) 126-145; 24 (1947) 124-133.210-214: A.Pereco, *La Teologia nueva:* CyF 5 (1949) 7-30. De hac re lege monita Pu XII in *Allocutione ad Patres S.I.:* AAS 38 (1946) 384s.

36 Cf. ea quae diximus n.714 ct in nota 17. Difbcultates historicae causae S.Io. Nepomuceni vide ap. P.David, *Bohême:* DHGE 444s; Dieckmann, n.8sis; Zapelena, 2 (1954) 349-52. Cf. J.V.Bainvel, *De Magisterio* n.107 p.114: EncCal 6.574-576; P. dê Vooght, Iéan dé Pomuk; Rev Hist-EccI 48 (1953) 777-795-

CAPUT IV

De fontibus Magisterii Ecclesiae

ARTICULUS I

De fidei deposito

Thesis 18. Revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, fuit cum Apostolis completa (D 2021).

738. S.Th., 2.2 q.i a.7; a.10 ad i ct 2; q. 1743.6; Suarez, *Def. Fidei* l.i c.18; Franzelin, *De Tradit,* th.22; Wilmers, *De Religione* th. 122-124; De Groot, q.8 a.2; Bainvel, *De Magislevio* th.13; Muncunill, *De locis* n. 128-136; Schultes, 3.69; Dieckmann, th.30; Dorsch, p.760-64; De Guibert, th.44; Lercher, n.515; Cotter, th.37; Al.-Barcena, th.15; R.Spiazzi, *Hivelazione compiuta con la morte degli Apostoli:* Lo sviluppo del Dogma (1953) p.24-57.

739. Nexus. Ex tractatu *de Christo Legato divino* constat, Christum missum esse ad praedicandam aliquam revelationem, quam omnes homines amplecti deberent. In tractatu *de Magisterio ecclesiastico* demonstratum est, Christum instituisse in Ecclesia Magisterium infallibile ad suam divinam revelationem sancte custodiendam et fideliter declarandam. Nunc ulterior duplex ponitur quaestio: i.a Haec divina revelatio estne aliquando completa? 2.a Ubinam deposita est? Primae quaestioni respondet haec thesis.

740. Notiones. Revelatio est locutio attestans, qua Deus hominibus veritates manifestavit. Duplex in ea respectus praecipuus distingui solet, alius formalis et alius obiectivus. a) *Revelatio formaliter* est ipsa locutio Dei attestans. b) *Revelatio obiective* sunt veritates a Deo locutione attestante hominibus manifestatae.

Revelatio ex destinatione duplex iterum distinguitur: a) *Revelatio privata* est ea quae personae et utilitati privatae destinata est. b) *Revelatio publica* est ea quae a Deo societati et utilitati sociorum obligatorie amplectenda imponitur. Haec revelatio publica subdivitur iterum in particularem et universalem: a) *Particularis* est ea revelatio publica, quae alicui particulari populo destinata est, ut revelatio Mosaica Veteris Testamenti, β) *Universalis* est ea revelatio publica, quae omnibus omnium

populorum hominibus data est, ut revelatio Christiana Novi Testamenti.

741. *Haec christiana revelatio* dicitur fuisse cum Apostolis completa. Hoc autem tripliciter intelligi potest: a) *Personaliter* cum Apostolis completa esset revelatio, si tota quanta esset *ipsis Apostolorum personis immediate* facta, b) *Temporaliter* cum Apostolis completa diceretur revelatio, si tota quanta esset facta *intra tempus* quo Apostoli his in terris vixerunt, usque ad mortem nempe Apostoli loannis. c) *Virtualiter* cum Apostolis completa dicenda esset revelatio, si quaelibet revelata veritas, quamvis alicui alii ex fidelibus immediate esset facta eius revelatio, tamen ab aliquo ex Apostolis ut talis agnosci deberet.

742. Status quaestionis. In thesi agimus de Revelatione *obiectiva, publica et universali,* propterea dicimus: «Revelatio obiectum fidei catholicae constituens». Asserimus eam esse *cum Apostolis completam,* non necessario personaliter, sed saltem *temporaliter et virtualiter,* ita ut post mortem S.loannis Apostoli iam nulla detur divina revelatio obiectiva, publica et universalis.

743. Adversarii. A. *In genere* sunt omnes, qui post mortem Apostolorum novam aliquam revelationem obiectivam publicam exspectant. Tales recensentur in antiquitate *Montanistae:* Kch 218 bis; medio aevo *Fraticelli:* D 489; posterius *Illuministae* aliique, de quibus egimus in thesi de perennitate Ecclesiae, n.290-92.

B. *In specie Rationalistae* et *Semirationalistae,* ut Günther et Frohschammer, qui veritates omnes etiam maxime reconditas, ope rationis naturalis ab homine detegi et evolvi posse tenent, atque ideo depositum revelationis clausum esse negant: sed potius illud dicunt esse «velut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat»: D 1636 1656 1673 1705 1800.

C. Accedunt *Modernistae,* qui et ipsam revelationis notionem pervertunt, atque eam radicaii evolutioni et continuae transformationi subiectam esse autumant: D 2020 2021 2054 2094 2145,4.°

744. Doctrina Ecclesiae. *Conc.Tridentinum aperte definivit:*

Evangelium, quod Christus proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos, tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae, omni creaturae praedicari iussit... contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt»: D 783.

Conc.Vaticanum contra *Rationalistas* et *Semirationalistas* satis aperte nostram doctrinam vindicavit: D 1800 1818 1836.

Pius IX *Semirationalistarum* praesertim doctrinam damnavit, *Encyclica «Qui pluribus», Brevi «Eximiam tuam», Epistola «Gravissimas inter»* et *«Syllabo»:* D 1636 1656 1673 1705.

Pιυχ X *Modernistarum* commenta damnavit *Decreto «Lamentabili», Encyclica «Pascendi»* et in *«lureiurando»* antimodernistico: D 2020 2021 2054 2094 2145,4. °

Pius XII, in *Encycl. «Humani generis»,* ait: «Magisterio Christus Dominus *totum depositum fidei,* Sacras nempe Litteras ac divinam Traditionem, et custodiendum et tuendum et interpretandum concredidit»: AAS 42 (1950) 567.569. Et in *Encycl. «Ad Sinarum gentem».: AAS qi* (1955) 10-11.

745. Valor dogmaticus. Thesis nostra dici potest *implicite definita* in *Conc.Tridentino et Vaticano,* locis citatis.

746. **Probatio.** Oeconomia revelationis a Christo in Apostolis instituta est definitiva et completa. Atqui intra eam, post mortem Apostolorum, exspectanda non est nova revelatio, quae sit fidei catholicae obiectum. Ergo revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, fuit cum Apostolis completa.

Ad mai. Haec praemissa patet 1.0 ex thesi de Ecclesiae perennitate, in qua probatum est, oeconomiam Ecclesiae a Christo in Apostolis institutam *a)* esse perenniter usque ad finem saeculorum duraturam; ergo definitivam; *b)* eandem esse omnibus hominibus ita necessariam, ut in ea et non nisi per eam salvari omnes possint; ergo completam *

747. *Eadem mai.* confirmatur 2.0 Gal 3,23-4,7, expresse contraponit oeconomiam mosaicam oeconomiae christianae sub hoc respectu de quo nunc agimus: etenim *a)* docet, oeconomiam revelationis mosaicae esse *mere praeparatoriam,* utpote quae data a Deo est ut homines duceret, *tamquam paedagogus,* ad Christum: Gal 3,23-24; eandem esse *imperfectam et incompletam,* quia eam dicit esse propriam *servitutis et infantiae :* Gal 4,1-3. *b)* Contra vero oeconomiam revelationis christianae effert ut *perfectam et completam* libertate et filiatione: Gal 3,25-28; 4,4-6; et eandem exhibet ut *definitivam,* id est solum ordinatam ad aeternam Dei hereditatem: Gal 3,29; 4,7; Rom 8,

1 Cf. th.7. de Ecclesiae perennitate, n.298-305.

15-18. Ergo iuxta S.Paulum oeconomia revelationis a Christo in Apostolis instituta est definitiva et completa 2.

748. *Ad min.* Intra oeconomiam Christianam, post mortem Apostolorum, exspectanda non est nova revelatio quae sit fidei catholicae obiectum; quia Christus revelationem fidei catholicae: 1.° *positive totam tradidit suis Apostolis; 2.° exclusive ita eam tradidit ut Apostolorum successores nihil novi revelatum acciperent.* Ergo intra oeconomiam christianam, post mortem Apostolorum, exspectanda non est nova revelatio fidei catholicae.

Prob. antec. 1.° *Positive* totam Christus catholicam revelationem tradidit suis Apostolis: a) *Implicite,* quia prout in th.2 probatum est, Christus suis Apostolis positive tradidit totam suam missionem, cuius catholica revelatio, ut patet, pars essentialis est: Io 17,18-20; 20,21; Mt 28,18. b) *Explicite,* quia Christus sive per se ipsum sive per Spiritum Sanctum, totam suam doctrinam omnemque veritatem revelatam suis Apostolis positive tradidit: Io 14,24-26; 15,15; 16,12-15.

2.0 *Exclusive* ita totam suam revelationem Christus tradidit suis Apostolis ut eorum successores nihil novi revelatum acciperent: quia *Apostoli* fuerunt a Christo constituti *testes* in omnes gentes, non solum *immediati,* sed etiam *exclusive* revelationis christianae; ergo eorum successores nihil novi revelatum accipere potuerunt.

749. A) Apostolos esse a Christo constitutos *immediatos testes* revelationis christianae, constat ex Lc 24,46-49; Act 1,8.22; 5,32; 10,37-43; 26,16; Io 17,20.

B) *Apostolos* esse etiam a Christo constitutos *exclusives testes* revelationis christianae, probatur ex eo quod Apostolorum successores tenerentur tradere ut revelata tantummodo ea quae ab Apostolis acceperant, prout infertur 1) *ex doctrina S.Pauli* et 2) ex *persuasione seccessorum Apostolorum.*

750. 1) *Ex doctrina S.Pauli: a)* Quia S.Paulus Apostolorum traditionem appellat *depositum,* quod inculcat esse fideliter custodiendum: 1 Tim 6,20; 2 Tim 1,13-14; 2,2; 3,14; cf. R 2173.

b) Quia apud Gal 1,1-9, S.Paulus tandem effert, ita unum esse Evangelium Christi Apostolis concreditum, ut necessario praesupponat, omnem doctrinam, quae cum Apostolorum

2 *Cf.* S.Th., ConinicMt. in *epist. ad Gal* 3,23-4,7» lect.8-9 et 1-3; R.Cornely, Cursus *Scripturae,* comment, in hunc locum epist. ad Gal; Ceulemans, in hunc locum.

Evangelic non sit consona, non posse haberi ut a Christo revelatam.

c) Quia apud Eph 2,19-22, S.Paulus deducit conclusionem ex doctrina, quam in capitibus i et 2 exponit, de mysterio recapitulationis omnium in Christo: Eph 1,9-10; quo voluit Deus iudaeos et gentiles in unum novum hominem in Christo coadunare: Eph 2,12-16. Hoc igitur unitatis mysterium explicans gentibus, concludit: *Ergo iam non estis hospites et advenae; sed estis cives sanctorum et domestici Dei: superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo lesu: in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino:* Eph 2,19-21. Igitur iuxta S.Paulum, omnis christiana aedificatio fit *supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum,* quod Christus tamquam lapis angularis in semetipso coadunavit. Atqui hoc non esset verum si successores Apostolorum tradere possent ut revelatum aliquid, quod ab Apostolis non acceperant. Ergo Apostolorum successores tenentur tradere ut revelata tantummodo ea quae ab Apostolis acceperunt 3.

751. 2) *Ex persuasione successorum Apostolorum* idem confirmatur. Nam profitentur se ut revelata non nisi ea quae ab Apostolis acceperunt fideliter custodire et aliis tradere debere:

Didache, versus finem saeculi I, vel ante 150. «Custodies quae accepisti, neque addens neque demens». Quaenam autem sint haec, ipse titulus operis ostendit: *Doctrina duodecim Apostolorum:* R is.

Clemens Rom. circa finem saeculi I: «Apostoli nobis Evangelii praedicatores facti sunt a Domino lesu Christo, lesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et Apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei»: R 20 4.

Polycarpus, ca.no: «Relinquentes vanitatem multorum et falsas doctrinas, ad traditam nobis ab initio doctrinam revertamur»: R 74. Quaenam sit haec ab initio tradita doctrina, eruitur ex iis quae ipse Polycarpus in eadem epistola superius monet: «Absens (Paulus] vobis scripsit epistolas, in quas si intueamini, aedificari poteritis in fide, quae vobis est data»: R 72.

Papias, ca.130: «Dicta seniorum exquirebam: quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid lacobus, quid loannes, quid Matthaeus, quid caeteri Domini discipuli dicere soliti essent»: R 94.

3 Propter contextum capitum i ct 2, quorum velut conclusio immediata est Eph 2,19-22, praeferendam esse censemus interpretationem fere unanimem *SS. Patrum el Exegetarum,* qui tenent, Prophetas, quos in hoc loco memorat S.Paulus, esse *Prophetas Veteris Testamenti.* Contextu ergo nobis videtur excludi interpretatio paucorum antiquorum, ut Tertulliani et Pelagii, et aliquorum recentiorum, ut Caietani et Knabenbauer, qui putant S.PAulum loqui de iisdem charismaticis Novi Testamenti Prophetis, de quibus inferius sermo est Eph 4,l r. Cf. S.Th., Comment, in *epist. ad Eph 2,19-22.*

4 Animadverte quam bene consonet hoc S.Clementis testimonium cum textu Tertulliani, quem inferius afferimus.

Iustinus, ca.155: «Quicumque persuasum Labuerint et crediderint vera esse quae a nobis docentur... eo ducuntur a nobis ubi aqua est, et eodem regenerationis modo regenerantur, quo et ipsi sumus regenerati, ... lavacrum in aqua tunc suscipiunt... Hanc autem huius rei rationem ab Apostolis accepimus»; R 126.

752. Irenaeus, ca.190: «Non oportet adhuc quarere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quae sint veritatis, uti omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones»; R 213. «Agnitio vera (Γνώσι ἀληθή;) est Apostolorum doctrina... quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens; et lectio sine falsatione, et secundum Scripturas expositio legitima et diligens et sine periculo et sine blasphemia»; R 242.

Tertullianus, ca.200: «Si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores, quam Christus instituit; quia «nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui Filius revelavit» (Mt 11,27); neque aliis videtur revelasse Filius, quam Apostolis, quos misit ad praedicandum, utique quod illis revelavit... Constat proinde omnem doctrinam... veritati deputandam, sine dubio tenentem, quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. Reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praeiudicandam, quae sapiat contra veritatem Ecclesiarum et Apostolorum et Christi et Dei... Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis»; R 293. «Veritas nobis adiudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit... Ad haereticos merito dicendum est: Qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis non mei... quid hic ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio; olim possideo; habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum heres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiuraverunt, ita teneo. Vos certe exheredaverunt semper et abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos»; R 298.

Origenes, ca.230: «Servetur ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita et usque ad praesens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica traditione discordat»; R 443.

753· *Testimonia SS.Patrum* posteriora abundant. Conferri possunt, exempli gratia, Athanasius, ca.359: R 785; Gregorius Nyssenus, ca.390: R 1043; Ephiphanius, ca.377: R 1107; Chrysostomus, ca.391: R 1181; Augustinus, ca.400: R 1623; ViNCENTius Lerinensis, ca.434: R 2173s.

Ergo successores Apostolorum persuasi erant, se ut revelata tantummodo ea tradere potuisse, quae ab Apostolis accepissent.

754. Scholion 1. Progressus dogmaticus, etiam stante impossibilitate augendi obiectivam revelationem, multipliciter tamen dari potest et datur.

Schultes, *Introductio ad Historiam Dogmatum* (1922); Marîn-Sola, *La evoluciôn homogénea del Dogma catôlico* (1923); Pinard de la Bouu.aye, *Dogme:* DAFC I (1914) 1151-1184: E.Dublanchy, *Dogme:* DTC.4 (1920) 1606-1647; L.de Grandmaison, *Le dogme chrétien* (1928); Bainvel, *De Magisterio* ɳ.126-163; De Guibert, n.398-414; Dieckmann, n.815-822. Cf. *Lo Sviluppo del Dogma seconda la Dotlrina Callolica:* Seconda settimana teologica nella Pont. Univ. Gregoriana (1953): M.Flick, *Il problema de lo sviluppo del Dogma nella Teologia contemporanea* p.5-23; R.Spiazzi, *Rivelazione compiuta con la morte degli Apostoli* p.24-57; G.Rambaldi, *Immutabilité del Dogma e delle formule dogmatiche* p.58-84; /X.Bea, *Il progressa neirinterpretazione della Sacra Scrittura* p.85-105; C.Baliç, *Il senso cristiano e il progresso del Dogma* p.106-134; G.Filocrassi, *Trddizione divino-apostolica. e Magistero* p.135-167; E.Dhanis, *Révélation explicite el implicite* p. 168-218; C.Boyer, *Rclazione tra il progresso jilosofico, teologico, dogmatico* p.219-233: Vide etiam in Greg 33 (1952) 5-182.

755. Progressus dogmaticus *in genere* definiri potest, profectus in dogmate per successiva incrementa.

Dogma stricte est veritas revelata et ab Ecclesia omnibus ad credendum proposita: D 1792. *Triplex* ergo elementum in notione dogmatis ingreditur: *alterum obiectivum,* quod est veritas revelata; *duplex aliud subiectivum,* et quidem *activum* aliud, quod est Magisterium Ecclesiae proponens; tertium vero magis *passivum,* quod sunt fideles veritatem propositam fide divina amplectentes.

756. Hinc *progressus dogmaticus obiectivus* esset profectus per successiva veritatum revelatarum incrementa. Talis quidem obiectivus progressus factus sane est, prout aperte docet S.Paulus: Hebr 1,1. Sanctus vero Thomas huiusmodi progressus triplex stadium optime distinguit: ante Legem mosaicam, sub Lege Moysi data, tempore denique gratiae 5.

Hic *progressus obectivus* post mortem Apostolorum iam dari nequit, quia ut probavimus, revelatio cum Apostolorum morte clausa est: D 2021.

Progressus vero subiectivus indesinenter dari potest et historice factus est, ex parte duplicis elementi subiectivi, quod in notione dogmatis ingreditur: 1) *ex parte propositionis Magisterii Ecclesiae;* 2) *ex parte intelligentiae membrorum Ecclesiae:* D 18006.

757. 1) *Progressum in Magisterii propositione* bene indicat Vincentius Lerinensis: R 2173, et fieri solet praesertim

3 S.Th., i q.57 a-S ad 3; 2.2 q.174 a.6; S.Gregorius I: R 2329-

6 «Uterque doctrinae divinitus revelatae fons tot tantosque continet thesauros veritatis, ut nunquam reapse exhauriatur* (Pius XII, ‹*Humani generis*:* AAS 42.568).

tripliciter: a) Cum Magisterium *declarat aliquam veritatem esse revera revelatam;* sic removetur dubium facti et augetur certitudo, quemadmodum evenit in propositione mysterii Conceptionis Immaculatae et Assumptionis B.M.Virginis: n.696; D 1641. *b)* Cum Magisterium *declarat sensum alicuius textus Scripturae vel* alicuius propositionis iamiam in Ecclesiae confessione contentae, quemadmodum evenit, exempli causa, in *Conc.Tridentino* et *Vaticano:* D 801 1788. *c)* Cum veritas indubie revelata et ut talis agnita, aptioribus tamen atque *authenticis formulis* a Magisterio exprimitur ac definitur, quemadmodum evenit cum dogmate divinitatis Christi et processionis Spiritus Sancti necnon cum mysterio conversionis panis et vini in corpus et sanguinem Christi: D 54 691 877.

758. 2) *Progressum in intelligentia* membrorum Ecclesiae bene explicat etiam Vincentius Lerinensis: R 2174 et fieri etiam solet praesertim tripliciter: a) *Ex analysi, comparatione et synthesi* veritatum revelatarum inter se et cum veritatibus naturaliter omnino certis, prout aperte monuit *Conc.Vaticanum:* D 1796. b) *Ex deductione veritatum* cum revelatis necessario *connexarum,* prout sunt theologicae conclusiones stricte dictae, quibus accedere etiam potest gradus absolutae certitudinis ex infallibili Magisterii definitione, quemadmodum ex doctrina de obiecto indirecto infallibilitatis eruitur[7], c) *Ex detecta oppositione* certa *ad errores* veritatibus revelatis contrarios, quemadmodum monuit *Conc. Vaticanum:* D 1798 [8].

759. *Causa principalis progressus* dogmatici est, sine dubio, *Magisterium Ecclesiae authenticum et infallibile,* ad hoc divinitus institutum, ut depositum revelationis custodiat, ab errorum impugnationibus defendat, a dubiorum tenebris per authenticam declarationem expediat, ad fidelium captum adaptet et explicet, cum veritatis progressu variarum scientiarum componat, etc.

Causa vero subsidiaria eiusdem progressus est *scientia Theologorum* praesertim et aliorum virorum in variis ecclesiasticis disciplinis peritorum, quemadmodum abunde constat ex historia Conciliorum et disciplinarum omnium ecclesiasticarum. Hoc iam animadvertebat Origenes: R 444; recentius vero id ipsum commendavit Pius XI: D 2192; denique Pius XII in *Encycl. «Humani generis»:* AAS 42,568s.

7 Cf. S.Th., i q.32 a.4.
8 S.Th., 2.2 q.i a.io.

760. *Occasiones vero* ansam praebentes hominesque excitantes ad progressum dogmaticum, praecipuae sunt: a) *Errores et haereses,* quae de novo oriuntur, quarum occasione dogmata religionis Christianae accuratius investigantur, clarius proponuntur, firmius probantur, melius a doctrinis hominum distinguuntur, plenius denique explicantur: Kch 744, R 1765 (S.Augustinus).

b) Vita *religiosa et praxis liturgica* fidelium, iuxta illud Caelestini I effatum: «Legem credendi lex statuat supplicandi»; D 139, quod etiam memorat Pius XI: D 2200. Hoc autem effatum, prout Pius XII *authentice* declaravit, eatenus est intelligendum quatenus Liturgia «catholicae fidei continuata professio est et Ecclesiae fidem publice testatur, ideoque Ecclesiae Magisterio argumenta ac testimonia suppeditat». Ideoque non est habenda Liturgia tamquam proprius *fons* vel experimentale critérium veritatis dogmatum fidei, sed potius ipsa veritatibus fidei subiecta esse debet; quia «Ecclesiae Liturgia catholicam *non gignit* fidem, sed eam potius consequitur», iuxta hoc principium: *Lex credendi legem statuat supplicandi 9.**

c) Praxis et experientia vitae Ecclesiae, quae conferunt praesertim ad obtinendum progressum in doctrina morum, iuxta monitum S.Augustini: R 1623.

761. *d)* Denique *revelationes privatae,* quamvis minime ad depositum fidei divinae et catholicae pertineant, ideoque dogma stricte dictum devenire nequeant, attamen ad vitam religiosam promovendam conferre et ad melius investigandam et cognoscendam revelationem christianam excitare et adiuvare possunt, praesertim si eas Ecclesia ut historice certas agnoverit. Eas tamen Ecclesia aliquando agnoscit prudenter *fide tantum historica,* quatenus nihil contra fidem et mores in eis contineatur. Quod si aliquando Ecclesia ad revelationes privatas provocat ad instituenda aliqua festa, tum revelationes privatae sunt *occasiones,* quibus attentio Ecclesiae excitata est ad verum cultum Deo vel Sanctis iuxta doctrinam revelatam tribuendum '°.

762. Scholion 2. Intelligentia, quam Apostoli habuerunt de fidei deposito, fuit perfectior ea quae hodie ab Ecclesia habetur necne?

Affirmative respondent Straub, n.221; Palmieri, *Proleg.* § 30; Dorsch, p.766, alii.

Ad hoc probandum provocant ad Io 14,26; 15,15; 16,12-15; Act 1,8; i Cor 2,6-12; 7,40; 2 Cor 4,6; 11,6; Gal 1,16; Eph 3,3-5.

Idem confirmant ex Irenaeo: R 213 242; ex Tertulliano: R 298. Ulterius addunt ex Irenaeo: «Non enim per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos... fundamentum et columnam fidei nostrae futurum. Neque enim fas est dicere quoniam ante praedicaverunt, quam perfectam haberent agnitionem... postea

9 Pius XII, Encjvl. *'Mediator Dei·:* AAS 39 (1947) 540s; Const. Apost. «Munificentissimus *Deus·:* /VAS 42 (195°) 758.760; Pius IX, *Bulla 'Ineffabilis Deus·:* Acta Pii IX, t,6oi; Pius XI, *•Quas primas·: AAS* 17 (1925) 598. Cf. W.de Vries, *Lex supplicandi, lex credendi:* EphLitur 47 (1933) 48-58; A.Eguiluz, *Lex orandi, lex credendi:* VerVid 6 (1948) 45-67; H.A.P.Schmidt. *Lex orandi, lex credendi,* in *recenlioribus* documentis *pontificiis:* PerMorCanLit 40 (1951) 5-28; F.Cabrol: DACL 2,2795-99: K.Feoerer, Liturgie *und Glaube: 'Legem credendi lex statuat supplicandi** Prosperi Aquitani: ML 51,209 (1950).

|° Cf. H.Dieckmann, n.823. De quaestionibus, quae nostris diebus agitantur circa evolutionem Dogmatum, confer H.de Lubac, S.I., Le *problème du développement du Dogme:* Rech ScRel 35 (1948) 130-160; Excm.F.Garcia, *La soluciôn de Sudrez al problema de la evolucidn o progreso dogmdtico:* EstEcI 22 (1948) 151-165, accuratius I.Alfaro, *El progreso dogmatico en Sudrez:* AnalGreg 68 (1954) 95-122· Cf. supra II n.56. Cano. *De locis* 12,3 concl.3.

enim quam induti sunt supervenientis Spiritus Sancti virtute ex alto, de omnibus adimpleti sunt, et habuerunt perfectam agnitionem» 11.

Item ex Tertulliano: «Solent dicere, non omnia Apostolos scisse... Quis igitur integrae mentis credere potest aliquid eos ignorasse, quos Magistros Dominus dedit... qui his obscura quaeque seorsim disserebat, illis dicens, datum esse cognoscere arcana, quae populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum, aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves Regni caelorum consecutum, et solvendi et alligandi in caelis et in terris potestatem? Latuit et loannem aliquid, dilectissimum Domino, pectori eius incubantem, cui soli Dominus ludam proditorem praemonstravit, quem loco suo filium Mariae demandavit? Quid eos ignorasse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit, et Moysem et Eliam, et insuper de caelo Patris vocem?... Dixerat plane aliquando: «Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modo ea sustinere» (Io 16,12); tamen adiiciens: «Cum venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem», ostendit illos nihil ignorasse, quos omnem veritatem consecuturos per Spiritum veritatis repromiserat» 12.

Accedit Epiphanius: «Verba «Annuntiabit vobis omnia» (Io 16,13) ad caeleste donum illud, quod erant adepturi, par est referri, quod nimirum habitaturus in ipsis esset Spiritus Sanctus, quo iis aperte universa declararet, quae quidem capere in hac vita poterant» 13.

Consentit S.Thomas: «Qui fuerunt propinquiores Christo, vel ante, sicut loannes Baptista, vel post, sicut Apostoli, plenius mysteria fidei cognoverunt» 1415

Dicendum ergo videtur, Apostolos plenius ac profundius cognovisse revelationis depositum *simpliciter,* quamvis *secundum quid* et in aliquibus non ita explicatius illud definierint, quemadmodum posterius Ecclesia, prout rerum adiuncta id exigebant, saepe facere debuit 15.

763. Obiectiones. 1. S.Paulo factae sunt revelationes publicae, quas reliqui Apostoli non acceperant. Atqui S.Paulus non erat inter Apostolos, qui ex Christi promissione accepturi erant omnem veritatem: Io 14,24-26; '5.15; 16,12-15. Etg° alii praeter Apostolos, qui ex Christi promissione accepturi erant omnem veritatem, novas revelationes accipere potuerunt.

Dist. mai. Ut Apostolo et intra tempus apostolicum, *conc. mai.;* secus, *nego mai. Conc. min. Dist. pariter cons.* Si eundem Apostolatum habebant, *conc.;* si non erant Apostoli, *subdist.:* intra tempus apostolicum et ab Apostolis acceptandae accipi potuerunt novae revelationes ab iis qui non erant Apostoli, *conc.;* extra tempus apostolicum et independenter ab acceptatione Apostolorum, *nego.*

2. Spiritus Sanctus non minus promissus est Apostolis auxiliator quam eorum successoribus: Io 14,16. Atqui Apostolis nova revelare potuit quae Christus non revelaverat: Io 14,26; 16,12-13. Ergo etiam Apostolorum successoribus nova revelari poterunt.

Dist. *mai.* Ut assistens ad custodiendum revelationis depositum, *conc. mai.;* ut inspirans vel loquens ad idem depositum augendum, *nego niai. Contradist. min., nego cons. et consequentiam.*

11 S.Irenaeus, *Adv. haer. 3,1-2:* MG 7.844.
12 Tertullianus, *De praescript. c.22:* ML 2,34.
13 S.Epiphanius, *Haer.* 66 n.61: MG 42,122.
14 S.Th., 1.2 q.106 a.4 et ad 2; 2.2 q.i a.7 ad 4: q.176 a.i ad 1.
15 F.Marîn-Sola, *La evolution homogénea del Dogma catôlico n.57,* exaggerare videtur, cum sua de evolutione dogmatis theoria coactus asserit: «Omnia dogmata, sive ea quae iam Ecclesia definivit sive ea quae in posterum definitura est, cognita fuerunt ab Apostolis, non solum mediate vel virtualiter vel implicite, sed etiam immediate et formaliter et explicite, scientia ipsis divinitus infusa».

764. 3. Sine novis revelationibus progressus dogmaticus dari nequit. Atqui progressus dogmaticus datur. Ergo etiam novae revelationes fiunt.

Dist. *mat.* In revelatione quae obiectum fidei catholicae constituit, *conc. mat.;* in intelligentia, declaratione et propositione depositi revelati, *nego mai. Contradist. min., nego cons. et consequentiam.*

4. Progressus obiectivus ipsius revelationis in V.T. dabatur. Atqui N.T. non peioris sed potius melioris condicionis est quam V.T. Ergo progressus obiectivus ipsius revelationis in N.T. dari debet.

Dist. mai. Ideo quia revelatio V.T. erat incompleta et ordinata ad plenam revelationem N.T., *conc.;* aliter, *nego. Conc. min. Dist.* pariter cons. Si revelatio N.T. esset incompleta et ordinata ad aliam revelationem, *conc.;* secus, *nego.* Et sub datis distinctionibus, *nego consequentiam.*

765. 5. Infallibili definitione fit ut fide credi debeat veritas quae ante definitionem credi non debebat. Atqui quod fide credi debet est revelatum. Ergo infallibili definitione fit nova revelatio.

Dist. mai. Hoc fit *quoad nos* propter Magisterii infallibilis declarationem, qua nobis patefit revelatio quae antea nobis latebat., conc.; hoc fit *quoad se eo* quod infallibili definitione aliquid in se novum reveletur, nego. Conc. min. *Dist.* pariter *cons. Quoad nos, conc.; quoad se, nego.*

6. Infallibili definitione fiunt credendae veritates quae ante definitionem erant tantum connexae cum revelatis. Ergo infallibili definitione fiunt novae revelationes.

Dist. *antec. Fide ecclesiastica* quam aliqui admittunt, trans, *antec.; fide* divina, subdist.; virtuali, mediata, indirecta vel imperata, *trans.;* fide divina formali, immediata, directa vel elicita, subdist.: si ante definitionem erant tantum connexae cum revelatis non solum quoad nos sed etiam quoad se, *nego;* si ante definitionem erant tantum connexae cum revelatis, non autem quoad se, sed solum quoad nos, tunc definitione fiunt fide formali et elicita credendae, *iterum subdist.:* si infallibili definitione proponantur ut divinitus reve'a'ae seu ut credendae, *conc.;* secus, *nego.* Sub datis distinctionibus, *nego cons. et consequentiam.*

766. 7. ı Infallibili definitione declarari potest sensus typicus alicuius textus Scripturae. Atqui hoc non videtur fieri posse sine nova revelatione. Ergo infallibilis definitio aequivalere videtur novae revelationi.

Dist. mai. Ope veritatum depositi revelationis in Scriptura vel in Traditione contentae, conc.; secus, nego. *Contradist. min.* Sine nova revelatione quae tamen iam saltem implicite contineatur in Scriptura vel in Traditione, conc.; sine revelatione prorsus nova quae neque implicite in Scriptura vel in Traditione contineatur, nego.

8. Per assistentiam Dei definitio infallibilis Ecclesiae implicat auctoritatem Dei. Atqui quod implicat auctoritatem Dei est saltem implicite revelatum. Ergo per assistentiam Dei id quod definitur infallibiliter dicendum est saltem implicite revelatum.

Dist. mai. Implicat auctoritatem Dei assistentis Ecclesiam loquentem, *conc.;* implicat auctoritatem Dei loquentis locutione attestante, nego. Contradist. min., *nego cons. et consequentiam 16.*

Cf. Muncunill, *De locis* n.1335.146-149; Schultes, *De Ecclesia* a.69: Alonso-BArcena, *De* Magisterio th. 15.

ARTICULUS II

De revelationis fonte primario

Thesis 19. Revelationis primarius fons est divina Apostolorum traditio, quae antiquitate, plenitudine et sufficientia ipsam sacram Scripturam antecellit.

767. S.Irenaeus, *Adv. haer.* (cf. R 191-262); Tertullianus, *De praescript. haeret,* (cf. R 288-300); Vinc.Lerinensis. *Commonitorium* (cf. R 2168-2175); S.Th., 2.2 q.5 a.3; 3 q.25 a.3 ad 4; M.Canus, *De locis theologicis* l.3 ; S.Rob.Bellarmino, *De controversiis* l, controversia i, *De verbo Dei scripto et non scripto;* SuArez, *Defide* d.5 s.4; Franzelin, *De divina Traditione et Scriptura; De* San, *De divina Traditione et Scriptura;* Muncunill, *De locis theologicis;* Bainvel, *De Magisterio et Traditione;* Ph.Alonso Bârcena, *De Ecclesiae Magisterio, de divina Traditione (1945)·* In tractatibus *de Ecclesia,* cf. Lercher, th.54; Dorsch, p.679; De Groot, q.19-21; Michelitsch, c.44; Schultes, c.8; Cotter, *Theol. Fundam,* th.38-40. *Monographiae;* A.Deneffe, *Der Traditionsbegriff* (1931); Ranft, *Der Ursprung des Traditionsprinzips* (1931); D.van den Eynde, *Les normes de l'enseignement* (1933); A.Michel, *Tradition:* DTC 15,1252-1350(1946); Zapelena, 2 (1954/ th.20; H.Bacht, *Tradition und Sakrament:* Schol 30 (1955) 1-32.

768. Nexus. Probavimus Ecclesiae Magisterium institutum a Christo fuisse ad revelatam doctrinam fideliter custodiendam et infallibiliter declarandam (D 1800). In thesi vero praecedenti ostendimus hoc divinae revelationis depositum cum Apostolis esse clausum. Nunc autem quaerimus: Ubinam haec divina revelatio contineatur seu quinam sint fontes ex quibus hauriri possit. Opportune quidem agendum hic esset *de utroque revelationis fonte, de Scriptura nempe ac de Traditione;* attamen brevitatis gratia de sacra Scriptura non agimus, quia de ea in proprio tractatu fit sermo, ideoque in thesi tantummodo *de Traditione loquimur.*

769. Notiones. Fons revelationis, ad fontis aquae similitudinem, dicitur in genere depositum seu locus in quo continetur et ex quo hauriri potest divina revelatio.

Traditio, graece ἡ παράδοσι , *vi vocis* significat cuiusvis rei transmissionem. Eadem vox etiam hoc vario sensu adhibetur in Scriptura

In N.T. sensu quidem lato, sed tamen proprio, vox Traditio significat doctrinae Christi et Apostolorum transmissionem, seu continuatam divinae revelationis transmissionem in Ecclesia inde ab Apostolis (cf. Lc 1,2; 2 Thess 2,

1 F.Zorell, *Novi Testamenti Lexicon Rraccum* παράδοσι . De conceptu Traditionis apud theologos inde ab anno 1850, cf. O.Mueller, Zum *Begriff der Tradition in der Théologie der letzten hundert Jahre:* MucnchThSt 4 (1953) 164-186; C.Balic, *II senso cristiano:* Greg 33 (1952) 106-134·

15; 3,6; i Cor 15,1-11). Haec autem transmissio duplici via fit, iuxta illud S.Pauli: «tenete traditiones, quas didicistis, sive *per sermonem* sive per *epistolam* nostram» (2 Thess 2,15). Quare traditionis via est duplex: a) *Scriptura divinitus inspirata,* et b) *Oralis praedicatio et fides Ecclesiae,* seu medium aliud a sacra Scriptura distinctum.

770. Unde *divina Traditio stricte dicta,* prout a Sacra Scriptura contradistinguitur, definiri potest: Continuata divinae revelationis inde ab Apostolis conservatio et transmissio *orali praedicatione et fide Ecclesiae,* seu medio a sacra Scriptura distincto: cf. 1 Cor 15,1.2.3.11.14: «Tradidi vobis quod et accepi: praedicavi vobis quod et accepistis, nisi frustra credidistis: sic praedicamus et sic credidistis». Divinae Traditionis *conservatio* est a Deo, quia «eiusdem est aliquid constituere et constitutum conservare»: 2.2 q.79 a.i.

771. *Haec stricte dicta Traditio,* si comparetur cum Scriptura, tripliciter appellari solet: a) *Constitutiva* dicitur ea cuius obiectum non est in Scriptura; b) *Inhaesiva* dicitur ea cuius obiectum explicite est in Scriptura; c) *Declarativa* appellatur ea cuius obiectum est tantum implicite in Scriptura.

772. Haec rursus *stricte dicta Traditio,* de qua solum agit thesis de revelationis fontibus, divina appellatur, quia *primum auctorem* et conservatorem habet ipsum *Deum* (cf. 1 Cor 7,10). Distinguitur a *mere apostolica,* seu ea quae *primum auctorem habet* aliquem *Apostolum* (cf. 1 Cor 7,12), necnon a traditione *ecclesiastica,* quae *primum auctorem* habet *Ecclesiam (cf.* D 879 995).

773. In hac divina stricte dicta Traditione sub actione conservativa ipsius Dei quadruplex elementum distingui potest: a) *Obiectum,* quod traditur, id est divinae revelationis Depositum;

b) *Subiectum,* quod tradit, id est Ecclesia Christi inde ab Apostolis;

c) *Actus,* quibus traditur, id est oralis praedicatio et fides Ecclesiae;

d) *Effectus* traditionis, id est monumenta praedicationis et fidei Ecclesiae.

774. A. *Ratione obiecti* Traditio dicitur *obiectiva et* solet distingui duplex:

a) *Dogmatica* est ea cuius obiectum est veritas fide divina credenda;

b) *Disciplinaris* est ea cuius obiectum est divinum praescriptum ab Ecclesiae membris perenniter observandum (cf. D 1827).

775. B. *Ratione subiecti* Traditio appellatur *subiectiva.* Subiecta autem seu *Organa Traditionis* dicuntur personae physicae vel morales, quae Traditionem obiectivam in Universa Ecclesia transmittunt. Duplicis speciei sunt:

a) *Organa Traditionis primaria seu authentica* sunt personae physicae vel morales, quae munus in Ecclesia habent custodiendi et declarandi obiectivam Traditionem: tales sunt Apostoli, Papa, Episcoporum Concilia, Episcopi.

b) *Organa Traditionis secundaria* sunt aliae personae, quae sub praecedentium vigilantia, obiectivam Traditionem in Ecclesia transmittunt: tales censentur Contionatores, Magistri, Doctores, Scriptores, Artis cultores, Fideles omnes, quatenus de revelata religione tractant vel eam profitentur.

776. C. *Ratione actuum,* quibus transmittitur, Traditio appellatur *activa,* et est complexus actuum, quibus Traditionis Organa obiectivam Traditionem in Ecclesia transmittunt. Hi actus cum S.Paulo reduci possunt ad *praedicationem et fidem Ecclesiae* (i Cor 15,1.3.11). Traditio activa duplex est:

a) *Traditio activa constitutiva* est praedicatio et fides universae Ecclesiae intra Apostolorum aetatem, sub actione Dei revelantis.

b) *Traditio activa conservativa* est praedicatio et fides universae Ecclesiae aetatum quae post Apostolorum mortem succedunt, sub actione Dei revelationem conservantis.

777. D. *Ratione effectuum* Traditionis, Traditio appellari potest *effectiva,* quae est complexus monumentorum vel operum, quibus Traditionis Organa suis actibus obiectivam Traditionem transmissam posteris reliquerunt. Haec Traditionis monumenta duplicis generis sunt:

a) *Monumenta Traditionis primaria seu authentica* sunt opera quae exstant authenticorum Traditionis Organorum qua talium. Huiusmodi sCmt acta vel scripta Apostolorum, Summorum Pontificum, Conciliorum et Episcoporum.

b) *Monumenta traditionis secundaria* sunt opera quae exstant sesundariorum Traditionis Organorum qua talium. Huiusmodi sunt acta vel scripta Sanctorum Patrum, Theologorum, Scriptorum ecclesiasticorum et fidelium, quae de rebus ad revelatam religionem pertinentibus agunt; necnon Artis christianae opera archaeologica, sculptorica, architectonica, pictorica, aliaque id genus, quibus praedicatio vel fides Ecclesiae exhibentur.

778. Fontem revelationis *esse divinam Traditionem* significat ea conservari et transmitti in Ecclesia inde ab Apostolis veritates Deo attestante revelatas, ideoque in ea contineri verbum Dei traditum.

Fons primarius dicitur divina Traditio, quia primo ac per se a Christo est ordinatus vel intentus ut divina sua revelatio continuo in Ecclesia transmittatur.

779. Fons igitur *divinae revelationis publicae,* si strictissime loquamur, est ipsum *fidei depositum* seu verbum Dei, et quidem *primario Traditum, secundario Scriptum.* Notio primigenia *depositi fidei* et notio derivata *fontis revelationis* sunt notiones correlativae, quae sub duplici aspectu respiciunt eandem realitatem *verbi Dei.* Hinc Scriptura et Traditio, qua *primigenii revelationis fontes,* proprie definiri et ab Ecclesiae Magisterio accurate discerni possunt.

a) *Sacra Scriptura,* seu verbum Dei scriptum, est depositum veritatum *Deo inspirante* revelatarum, quae in sacris Veteris et Novi Testamenti libris continentur.

b) *Divina Traditio,* seu verbum Dei traditum, est depositum veritatum *Deo attestante* revelatarum, quae in continua Ecclesiae praedicatione et fide perenniter a Deo conservantur.

c) *Magisterium* vero authenticum est doctrinalis Ecclesiae auctoritas, quae *Deo assistente* custodit, declarat et explicat verbum Dei vel revelationem in deposito fidei seu in utroque fonte contentam (D 1800 1836 3013 3014). *Magisterium* ergo, sensu stricto, cum formaliter sit verbum ministrorum Ecclesiae *sola Dei assistentia* munitum, dici proprie nequit verbum Dei neque *primigenius* divinae revelationis fons; sed potius est *custos, interpres* et *explicator* verbi Dei, quod ex fidei deposito tanquam de proprio fonte haurire necessario debet. Tale est Magisterium Apostolis ut ordinarium munus commissum et eorum successoribus formali successione transmissum.

780. Regulae fidei conceptus affinis est iis quae praecedunt, et ideo *Scriptura et Traditio* appellari consueverunt a Theologis *Regula fidei remota,* Ecclesiae vero *Magisterium Regula fidei proxima.*

Regula fidei theoretice est principium iuxta quod in universum determinatur quaenam sint veritates divinitus revelatae, quas omnes fideles credere et profiteri teneantur.

a) *Protestantes* hoc veluti principium statuerunt: «Sacras Litteras solas unicam et certissimam fidei Regulam esse credi-

mus, ad quam omnia dogmata exigere... oporteat» 2. Haec est protestantica fidei Regula.

b) *Catholici* semper veluti principium amplexati sunt id quod *Conc.Vaticanum* definivit his verbis: «Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali Magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur» (D 1792). Haec est catholica fidei Regula. In qua comprehenduntur ut fontes Scriptura et Traditio, et ut tales a Magisterio secernuntur.

781. *Scriptura et Traditio* sunt ergo *Regula fidei remota* et obiectiva, quia ex eis, veluti ex fontibus, Magisterium haurit ea quae fidelibus ut credenda proponit.

Magisterium vero est *Regula fidei proxima et* activa, quia immediate ex eo fideles discere tenentur, quid credere debeant de iis quae in fontibus revelationis continentur, et quid tenere de iis quae cum revelatis veritatibus necessariam connexionem habeant (cf. D 1798 1800).

782. Status quaestionis. In thesi tenemus divinam Apostolorum Traditionem stricte dictam esse primarium revelationis fontem; unde deducimus eas praecipuas proprietates quibus Traditio ut fons antecellit Scripturam.

783. Adversarii. 1) Traditionis principio adversabantur in genere *Gnostici,* contra quos S.Irenaeus et Tertullianus classicam de Traditione doctrinam invicte affirmaverunt 3. Contra *Donatistas,* qui renuebant admittere valorem baptismatis ab haereticis collati, S.Augustinus ad auctoritatem Traditionis provocat (R 1623 1631), et contra Pelagium asserentem: «quod non legimus (in Scriptura) nefas credamus», fontem fidei Traditionem esse affirmat4.

2) *Orientales schismatici* semper tenuerunt rectam doctrinam de utroque revelationis fonte. Solum in Ecclesia Russorum anno 1711 Procopovitch propugnavit sententiam Protestandum de «Scriptura *sola fidei regula* et veritatis christianae norma», eamque praevalere fecit, donec iterum, inde ab anno 1836, tamquam haereticam communiter reiecerunt5.

» Declaratio *Confessionis Augustanae, De Regula fidei* i: Müller-Kolde, *Die symbolischen Bûcher der evang. luther. Kirchc* 569.

3 S.Irenaeus, *Adversus haereses:* MG 7; Tertullianus, *De praescriptione haereticorum:* ML 2.

« S.Augustinus, De natura *ct gratia* c.39: ML 44.269; G.Martil, La *tradicidn en S.Agustin* (1943)·

3 M.Jugie, *Theologia dogmatica Christianorum Orientalium dissidentium* 1 p.642-52.

784. 3) *Protestantes* agnoverunt sane fontem fidei esse sacram Scripturam, sed Traditionem omnino accipere renuerunt. Iam eorum praecursor Wicleff «Veritas, inquit, quae in Scriptura non est, nusquam est»6. In protestantica vero *Concordiae Formula* n.1: «Credimus, inquiunt, unicam fidei Regulam nullam omnino aliam esse quam prophetica et apostolica scripta cum Veteris tum Novi Testamenti».

Atque huic similia asserta legimus etiam in protestanticis *Confessionibus Augustana, Helvetica, Belgica,* necnon in *Articulis Anglicanis* n.6 7. Similiter Calvin ait: «Vetus et Novum Testamentum pro *unica fidei regula* amplectimur... atque adeo in genere repudio quidquid absque auctoritate Verbi Dei [scripti] introductum est» s.

Consentiunt hodierni, ut Bartii, qui asserit, «omnino impossibile esse ut detur aliud revelatum vel sensu stricto auctoritativum Dei verbum, praeter *solani* sacram Scripturam». Cullmann vero tenet, tempora Ecclesiae postapostolicae auctoritate differre et quidem essentialiter a temporibus apostolicis: ideo iuxta ipsum, Traditio ut divina fidei norma exstitit tantum tempore Apostolorum; post mortem autem Sti.loannis Apostoli unica divina fidei norma sunt apostolica scripta ».

785. 4) *Naturalistae* et *Rationalistae, in genere,* solam rationem unicum veritatis fontem esse tenent. Cf. Pu IX, *Allocut. «Singulari quadam»; Breve «Eximiam tuam»; Epist. «Gravissimas inter»* (D 1642 1643 1656 1668).

5) *Modernistae* denique omnia evolutivae mutationi et transformationi subiciunt, atque ipsum Traditionis conceptum pervertunt. Cf. Pn X *Decretum «Lamentabili»* et *Encycl. «Pascendi»* (D 2009 2012 2019 2054 2058 2062 2083).

786. Doctrina Ecclesiae. A. De divina Apostolorum Traditione *Concilium Tridentinum* (D 783) sollemni iudicio definire intendit id quod primus eius Praeses, Cardinalis De Monte, die 26 februarii anni 1546 significavit:

«Postquam, inquit, haec sancta Synodus recepit sacros libros, consentaneum videtur ad fidei fundamenta iacienda procedere, et ut simul cum sacris libris recipiantur traditiones et in uno eodemque decreto inserantur. Nam has traditiones aequalis esse auctoritatis, cuius et ipsi sacri libri sunt, fateri tenemur»10.

« I.Wicleff, *De civili dominio* 1,44; H.B.Workman, *John Wyclif. A study nf* the *mglish medieval Church* (1926).

7 Müller-Kolde, *Die symbolischen Bûcher* 517-569; K.Müller, *Die Bekenntnisschriften der reformirten Kirche* 172.234506. Cf. J.de Guibert, *De Ecclesia* n.208-329; C.Algermissen, *La Chiesa* 700.

8 Io.Calvin, *Tractatus theologici* (Amstelodami 1667) p.gis.

9 K.Barth, *Die Schrift und die Kirche* (1947) 8; O.Cullmann, *Die Tradition* (1954). Cf. H.Bacht, *Tradition und Sakrament:* Schol 30 (1955) 1-32; cf. supra n.382.691.

1° CTr 1,493-

Hoc ipsum a Tridentino in sessione IV esse definitum aperte patet ex historia decreti. Id enim· Concilium statuere intendebat, Traditionem in materia fidei et morum, esse divinae revelationis fontem, et quidem eiusdem auctoritatis ac Scripturam, quia Traditio «ab eodem Spiritu Sancto, quo Scripturae, emanat». Idque manifeste edixit illis verbis «Synodus... omnes libros tam V. quam N.T.... necnon Traditiones ipsas... pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur» (D 783), prout invicte Concilii acta demonstrant [11].

787. B. *Traditionem* esse *primarium* revelationis fontem eoque Scripturam indigere ad eius verum sensum interpretandum, certo ex Tridentini doctrina concluditur (D 786 801; cf. 913) [12].

Concilium Vaticanum definitionem Tridentini renovavit (D 1787), atque ulterius ea quae *Concilium Tridentinum,* de criterio Traditionis ad genuinum sacrae Scripturae sensum hauriendum, docuerat, *authentice clarius declaravit* (D 1788).

Pius X in *«lureiurando» contra Modernisait errores,* profitendam mandavit doctrinam de Traditione tamquam revelationis fonte, atque *Rationalistarum* methodum in Scriptura interpretanda reiciendam edixit (D 2145,4/ 2146s).

Pius XII in *Encycl. «Humani generis»* apertissime docet: *a)* Scripturam et Traditionem esse *duos* revelationis fontes in quibus continetur *totum* fidei depositum; *b)* hoc *fidei depositum* integrum commissum esse, non singulis christifidelibus vel theologis, sed *soli* Ecclesiae Magisterio authentice interpretandum; *c)* ideo sacrum Magisterium esse *proximam et universalem* veritatum fidei *normam* seu regulam. Ex quibus etiam manifeste eruitur distinctio quae inter Magisterium et revelationis fontes interest. Legamus ipsius Pontificis textum:

«Hoc sacrum Magisterium, in rebus fidei et morum, cuilibet theologo proxima et universalis veritatis norma esse debet, utpote cui Christus Dominus totum depositum fidei—*Sacras* nempe *Litteras ac divinam Traditionem*—et custodiendum et tuendum et interpretandum concredidit... Verum est theologis semper redeundum esse ad divinae revelationis fontes: eorum enim est indicare qua ratione ea quae a vivo Magisterio docentur, in *Sacris Litteris* et in *divina Traditione,* sive explicite sive implicite inveniantur... una enim cum sacris eiusmodi fontibus Deus Ecclesiae suae Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in *fidei deposito.* nonnisi obscure ac velut implicite continentur. Quod quidem depositum nec

[11] Verba de «pari pietatis affectu· a Concilio adhibita in memoriam revocant assertum S.Basilu, *De Spiritu.Sancto* 27,66: «Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus... alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex Traditione Apostolorum, quorum *titraque vim eandem habent ad pietatem»* (R 954). CTr 1,484-485. Historiam decreti eiusque proprium sensum vide apud J.Salaverri, *La Tradiciôn valorada como fuente de revelacidn* en *el Concilio de Trento:* EstEcl 20 (1946) 33-62.

[12] Id ipsum confirmatur ex historia capitis 8 decreti de lustificatione *Concilii Tridentini.* Cf. EstEcl 20 (1946) 57-58. Qua ratione *Vaticanum* complevit in hac re *Tridentinum,* eruitur ex Fkanzelin: Msi 50.80: cf. V.Gassbr: CL 7.1435.146.

singulis christifidelibus nec ipsis theologis divinus Redemptor concredidit authentice interpretandum, sed soli Ecclesiae Magisterio» [3].

788. Valor dogmaticus. *Primo* Scripturam et Traditionem esse duos veros divinae revelationis fontes pari auctoritate praeditos, est *doctrina de fide divina sollemni iudicio in Conciliis* praesertim *Tridentino et Vaticano definita* (D 783 1787). *Secundum,* Traditionem esse *primarium* revelationis fontem, qui Scripturam antecellit, est doctrina *implicite definita* in iisdem Conciliis, aut *saltem theologice certa,* seu ex definitionibus eorundem Conciliorum certo deducta (D 786 1788). '

789. Probatio I partis. Divina Apostolorum Traditio est primarius revelationis fons.

Argumentum generale. Divina Apostolorum Traditio est continuata divinae revelationis inde ab Apostolis conservatio et transmissio orali praedicatione et fide Ecclesiae. Atqui fons revelationis primarius, seu primo ac per se a Christo ordinatus vel intentus, est continuata Evangelii conservatio et transmissio orali praedicatione et fide Ecclesiae. Ego fons revelationis primarius est divina Apostolorum Traditio.

Mai. est ipsa Traditionis definitio.

790. *Min.* probatur. 1) Ex ipsius Christi testimonio. Fons revelationis *primarius* est illud transmissionis Evangelii medium, quod Christus unicum adhibuit, et *primo ac per se* suis Apostolis adhibendum praescripsit. Atqui medium transmissionis Evangelii, quod Christus unicum adhibuit, et primo ac per se suis Apostolis adhibendum praescripsit, est continuata revelationis conservatio et transmissio orali praedicatione et fide Ecclesiae. Ergo fons revelationis primarius est continuata Evangelii conservatio et transmissio orali praedicatione et fide Ecclesiae.

Mai. per se patet, nam est ipsa obiecti primarii definitio.

Min. a) Oralem praedicationem esse medium transmissionis Evangelii *unicum* quod *ipse Christus* adhibuit, patet ex tota historia evangelica.

b) Oralem praedicationem, et consequentem fidem, esse medium conservationis et transmissionis Evangelii, quod Christus *primo ac per se* suis Apostolis adhibendum praescripsit, constat; quia de mandato scribendi Apostolis a Christo iniuncto nihil scit Ecclesia, de mandato autem orali praedicatione Con-

[3] Pius XII: AAS 43 (1950) 567SS; cf. ibid. 563: D 3013 3014.

servandi et transmittendi integram revelationem omnibus hominibus, sub continua Spiritus Sancti assistentia, et cum obligatione eam fide amplectendi, formale et expressum ipsius Christi praescriptum habemus: Mt 28,19.20; Mc 16,15-16; Io 14,16.26; 15,15.16.26; Act 1,8; 10,39-42.

791. Min. numeri 789 probatur 2) ex Apostolorum testimonio. A. *Ex ratione agendi Apostolorum.* Fons revelationis, primarius seu primo ac per se a Christo ordinatus vel intentus, illud transmissionis Evangelii medium sine dubio est, quod *omnes Apostoli* adhibuerunt ad integram Christi revelationem hominibus transmittendam. Atqui medium quod omnes Apostoli adhibuerunt ad integram Christi revelationem hominibus transmittendam, fuit non Scriptura, sed oralis praedicatio ac consequens audientium fides. Ergo fons revelationis primarius est oralis Evangelii praedicatio et consequens audientium fides.

Mai. constat ex supposito, de quo dubitare minime licet, quod omnes *Apostoli* fideliter observaverint ea quae primo ac per se ipsis Christus ordinaverit, cum ab ipso Christo integram revelationem cum mandato eam omnibus hominibus transmittendi acceperint.

792. *Min.* declaranda est per partes.

a) *Non omnes Apostoli adhibuerunt Scripturam* ad Christi revelationem hominibus transmittendam, nam *ex tredecim* Apostolis, *septem* videlicet Andreas, Philippus, Bartholomaeus, Thomas, lacobus Zebedaei, Simon Cananaeus et Matthias, nihil nobis scriptum reliquerunt.

b) Ex Apostolis, qui aliquid scripserunt, *nullus integram revelationem scripto tradere intendit,* sed potius *occasione data* et ut alicui *particulari scopo* satisfaciant, pauca scripto tradunt. Sic ergo Matthaeus scripsit Evangelium, loannes Evangelium, tres epistolas et Apocalypsim, lacobus Alphaei unam epistolam, Petrus duas epistolas, ludas unam epistolam, Paulus denique quatuordecim epistolas. De *singulari occasione* et *particulari scopo* quibus moti scripserunt, sermo est in introductione ad singulos Scripturae libros [14]. Immo ipse S.loannes, qui omnium postremus scribebat, attestatur, esse et alia plura, quae non sunt scripta, atque particularem scopum, quo ad scribendum motus est, aperte manifestat (Io 20,30s; 21,25; i Io 5,13; 2 Io 12; 3 Io 13).

[14] A.Merk, *Introductionis in singulos* Novi *Testamenti libros compendium* (1940); L.Pirot, *La Sainte Bible* t.9-12 (1935-1938); J.Huby, *L'Evangile de N.SJ-Ch.* (1954).

c) *Nullus ex* Apostolis *scribendi munus sibi vindicat; officium vero praedicationis omnes exercuerunt* (Mc 16,20; Act 1,8; 4,33; 9,20); immo Apostoli hoc *praedicandi munus sibi* ex obligatione implendum *vindicaverunt* (Act 2,32; 3,15; 4,18-20; 5,32; 10, 39-42; 13,31; 26,16-18; i Cor 9,16; i Tim 2,7 (eis ὁ [μαρτὺριον] ετέθην ἐγώ) «praedicator et Apostolus, Doctor gentium in fide et veritate»; cf. 2 Tim 1,11.

793. B. *Ex eo quod Apostoli primo ac per se ad praedicationem oralem appellant.* Fons revelationis primarius censendus est is, ad quem Apostoli primo ac per se appellant et ex quo praesertim fideles in recta fide confirmant. Atqui Apostoli primo ac per se ad oralem praedicationem appellant et ex ea praesertim fideles in recta fide confirmant. Ergo fons revelationis primarius est oralis praedicatio et quae ex ea consequitur Ecclesiae fides.

Mai. per se patet.

Min. probatur: *a)* Apostoli primo ac per se ad oralem praedicationem appellant, nam S.Paulus in *postrema* quam scripsit epistola, cum suum discipulum ac successorem monet, non *ad tredecim priores suas epistolas* neque ad alia N.T. scripta, sed *solum ad oralem praedicationem appellat* (2 Tim 1,13; 2,2).

b) Ipse S.Paulus fideles in recta fide confirmare intendit, non ex N.T. Scripturis, sed *ex orali praedicatione* (2 Thess 2,5.15; i Cor 7,17; 15,1-14; 2 Cor 1,18; Gal 1,8; Coi 2,6).

794. Min. numeri 789 confirmatur, 3) ex testimoniis Sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum.

'a) In hac re cum S.Pauli doctrina mirifice consentiunt SS.Irenaeus et Augustinus. Etenim S.Paulus, volens confirmare Corinthios in resurrectionis fide, ad 'hanc veluti supremam rationem appellabat: «Sive enim ego sive illi (Apostoli), sic *praedicamus et* sic credidistis... Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo *praedicatio* nostra, inanis est et *fides vestra*» (1 Cor 15, 11-14). Unde S.Pauli argumentatio haec est: «Nos *praedicavimus* et vos *credidistis* Christi resurrectionem. Atqui impossibile est ut *praedicatio* nostra et *fides* vestra inanes sint. Ergo verum est Christum resurrexisse» [15].

795. Non aliter S.Irenaeus arguit cum scribit: «Hanc *praedicationem* cum acceperit, et hac *fidem,* quemadmodum praediximus, Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans; et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec *praedicat* et docet et tradit, quasi unum possidens os» (R 192). Talis est simpliciter *praedicatio veritatis* [16].

Consonat S.Augustinus contra Iulianum Eclanensem scribens: «Etsi

15 Cf. A.Merk, *Traditionis momentum apud S.Paulum:* VerDom 4 (1924) 332 et 362.
16 S.Irenaeus, *Adversus haereses* 1,10,2: MG 7,552.

nulla, inquit, ratione indagetur, nullo sermone explicetur: verum tamen est quod antiquitus veraci *fide catholica praedicatur* et *creditur* per Ecclesiam totam» [17]. Ergo iuxta S.Augustinum cum S.Irenaeo et S.Paulo, veritas ut revelata tenenda est ea quae *fide catholica praedicatur et creditur* per Ecclesiam totam [18].

796. *b)* Id ipsum plurimis aliis SS.Patrum sententiis comprobari potest. Sufficiat conferre S.Clementem Romanum (R 20), S.Papiam (R 94), S.Irenaeum (R 212 213), Tertullianum (R 291 292 293 295 298), Origenem (R 443), S.Athanasium (R 785), S.Basilium (R 954), S.Gr.Nyssenum (R 1043), S.Epiphanium (R 1098), S.Chrysostomum (R 1213), S.Hieronymum (R 1358), S.Augustinum (R 1419 1623 1631 1899). S.Vincentium Lerinensem (R 2168 2169)

797. Probatio II partis. Traditio ut revelationis fons, antiquitate, plenitudine et sufficientia ipsam sacram Scripturam antecellit.

A. *Antiquitate* ille revelationis fons alium antecellit, qui tempore prior exstitit. Atqui divina Apostolorum Traditio, seu Apostolorum praedicatio et fides Ecclesiae, prior exstitit quam Scriptura N.T. Ergo antiquitate Traditio antecellit ipsam Scripturam.

Min. probatur, quia post Domini Ascensionem, 20 circiter annis exstitit Apostolorum praedicatio et fides in Ecclesia, ante annum 50, circa quem, iuxta probabiliorem sententiam, scriptus est primus N.T. liber S.Matthaei *Evangelium* [20]. Id ipsum confirmant Scripturae testimonia, quae Traditionem iam antea exsistentem praesupponunt (Lc 1,1-4; 2 Thess 2,5.15; Gal 1,8).

798. B. *Plenitudine* ille revelationis fons antecellit, qui omnes veritates *per se revelatas* seu integrum *fidei depositum* continet. Atqui continuata Evangelii praedicatio et fides in Ecclesia continet omnes veritates per se revelatas, libri autem N,T. non eas omnes continent. Ergo plenitudine Traditio ipsam Scripturam antecellit.

Mai. patet, quia de veritatibus *per se revelatis* agitur solum cum sermo est de *revelationis deposito* eiusque fontibus. Quamvis ergo ratione veritatum *per accidens revelatarum* plenior sit

17 S.Augustinus, Contra *Julianum* 6,511: ML 44,828. Cf. G.Martil, *l.c.*
18 Cf. quae scripsimus EstEcl 20 (1946) 60s.
19 Vide Rouet, Index theologicus, n.78-80.
20 Knabenbauer-Merk, *Commentarius in Evangelium S.Matthaei* (1922) introd.VII; D.Buzy, *Evangile selon Saint Matthieu;* L.Pirot, *La Sainte Bible 9* (1934) introd.; S.Rosadini. *Institutiones introductoriae in libros N.T.* v.i (1938).

Scriptura, haec est quaedam *per accidens plenitudo,* non vera ac per se plenitudo de qua nunc quaerimus 21.

Min. *a)* Continuatam Evangelii praedicationem et fidem in Ecclesia continere integrum fidei seu revelationis depositum,, ex ipsis notionibus constat, et confirmari potest ex Mt 28,19s;, Me 16,15s; quibus accedit S.Irenaei testimonium (R 213).

799. Min. *b)* Libros N.T. non continere omnes *per se revelatas* veritates, constat *primo ex* particulari scopo in illis scribendis ab hagiographis intento, prout superius explicatum manet. Constat *secundo,* quia plures citari possent per se revelatae veritates, quae in sacris Scripturis non reperiuntur, exemplo nobis sint pauca: parvulos baptizandos esse «Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit» (D 791; Origenes R 501); parvulis baptizatis neque in mortis periculo necessarium esse Eucharistiam ministrare, etsi Dominus dixerit, *nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis* (Io 6,53) D 933; non esse rebaptizandos eos qui ab haereticis fuerant valide baptizati «saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia» (S.Augustinus, R 1623); licere certis in casibus iurare, etsi Dominus asseruerit: Ego *autem dico vobis, non iurare omnino* (Mt 5,34-37); *omnes et singulos N.T. libros* esse divinitus inspiratos; quatuor Evangelia et non plura esse a Deo inspirata; septem esse solum Novae Legis sacramenta22. Constat *tertio ex* testimoniis S.Irenaei, S.Basilii, S.Epiphanii, S.Chrysostomi, S.Augustini et aliorum (cf. R 213 954 1098 1213 1419 1623).

800. C. *Sufficientia* ille fons revelationis antecellit, qui non indiget *alio fonte ut tali,* neque ad suam divinam auctoritatem stabiliendam neque ad authenticum suum sensum aperiendum. Atqui Scriptura indiget *Traditione ut revelationis fonte* ad suam auctoritatem stabiliendam et sensum aperiendum, Traditio vero *nullo alio fonte ut tali* indiget. Ergo sufficientia, Apostolorum Traditio antecellit ipsam Scripturam.

Min. a) Scriptura indiget Traditione ut revelationis fonte ad divinam suam auctoritatem stabiliendam. Nam *factum inspirationis,* ex quo divina Scripturae auctoritas dependet, est veritas *per se revelata;* ergo in revelationis fontibus contineri debet. Atqui factum inspirationis *omnium et singulorum N.T. librorum* non nisi ex divina Traditione constat, prout in thesi de

21 2.2 q.i a.6 ad i.

22 Cf. ea plura quae *Concilium Tridentinum* de cultu et de Sacramentis corumque administratione, Apostolorum Traditioni tribuit (D 800 881 908 940 942s).

inspiratione probatur 23. Ergo Scriptura indiget Traditione ut revelationis fonte ad divinam suam auctoritatem stabiliendam.

801. *Min. b)* Scriptura indiget Traditione ut revelationis fonte *ad authenticum suum sensum in pluribus aperiendum.* Nam Scriptura Magisterio Ecclesiae commissa est ut eam custodiat et authentice declaret. Iam vero Magisterium Ecclesiae, ex solo analysi Scripturae et independenter a veritatibus in alio revelationis fonte contentis, poterit quidem in multis authenticum Scripturae sensum aperire; in aliis vero plurimis, ut sunt praesertim *sensus propheticus et typicus* non raro a Deo in Scripturis intenti, ipsum Ecclesiae Magisterium non videtur posse *se ipso* Scripturas declarare, *nisi ope veritatum,* quae' *in alio revelationis fonte* continentur. Ergo Scriptura indiget Traditione ut revelationis fonte ad authenticum suum sensum in pluribus aperiendum.

802. *Min. c)* Confirmatur es testimoniis *SS.Patrum,* qui vel supponunt vel asserunt necessariam esse Traditionem ad recte interpretandas Scripturas. Sic S.Irenaeus, Tertullianus, Origenes, Eusebius, S.Augustinus, Vincentius Lerinensis et alii (cf. R 242 291 474 656 1581 2168).

803. Scholion 1. Argumentum Praescriptionis24 1) *Argumentum Traditionis stricte dictum est* illud quo ex Traditionis monumentis *directe* probatur doctrinam fidei vel morum in Ecclesia fideliter transmitti inde ab Apostolis usque ad nos. Hoc autem argumentum conficere saepe difficile et nimis longum est, immo «aliquoties etiam impossibile evadit, quia desunt documenta quae usque ad ipsos Apostolos ascendant. Quando impossibilis est aut valde difficilis huiusmodi directa probatio recurri potest ad Praescriptionem.

2) *Argumentum Praescriptionis* est illud quo ex Traditionis monumentis *indirecte* deducitur doctrinam fidei vel morum esse ab Apostolis traditam.

Principium in quo praescriptionis argumentum fundatur est hoc: Doctrina Apostolorum est quaedam legitima *possessio* solius Ecclesiae propria, cui Christus commisit suam doctrinam veluti aliquod depositum integre custodiendum et fideliter transmittendum 25.

Iam vero legitimitas possessionis in *iure* probari potest dupliciter, vel documentis positivis fidem facientibus vel Praescriptione. Cum documenta

23 S.Tromp, *De Sacrae Scripturae Inspiratione* (1945) 25 scholion 1, De criterio inspirationis: A.Merk, *Institutiones Biblicae* (1937) l-X. De Inspiratione, n.6-21.110-114. In Scriptura, inquit, «habentur tantum vestigia doctrinae de inspiratione relate ad N.T.·; A.C.Cotter, *Theologia Fundamentalis* (1940) th.51: «Unicum critérium certum et universale inspirationis biblicae est originarie revelatio publica, ac proinde pro nobis Traditio· (cf. IV,43-55).

24 Tertullianus, De *praescriptione haereticorum:* ML 2,10-87: A.et P.Walenburch, *De Controversiis* tr.7, de *praescriptionibus catholicis:* apud Micne, *Theologiae Cursus* | col.923-940: I.Otticer: ZkathTh (1881) 7tss; Ch.Pesch, *Praelectiones* | n.4tis; Lercher, n.541: Cotter, 543s; D.van den Eynde, Les normes de l'enseignement *chrétien* 198-202.

25 «Dispici debet cui competat possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eas cui nullo modo competit». «Ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa· (Tertull., *De praescr.* c.15.19.21: R 293).

positiva desunt recurri potest ad *Praescriptionem,* quae est titulus iuris in diuturna ipsa possessione fundatus, quo legitimitas proprietatis rei probatur et quo alii ab actione circa eandem rem excluduntur.

Tertullianus hanc iuridicam probandi rationem transtulit ad demonstrandam apostolicitatem doctrinae, quae in Ecclesiae possessione est, argumento quod appellatur Praescriptionis 26.

804. 3) *Duplex* huiusmodi argumentum distinguitur, aliud nempe *praescriptionis historicae* seu apologeticae. aliud vero *praescriptionis theologicae* seu dogmaticae. *Primum* ad hoc reducitur: Hanc doctrinam diuturna possessione ut ab Apostolis acceptam universa habuit Ecclesia. Atqui «quod apud multos unum invenitur non est erratum, sed traditum» (Tertull., *De praescr.* n.28). Ergo haec doctrina revera fuit ab Apostolis tradita.

Alterum Praescriptionis theologicae argumentum duplici iterum forma fit: a) *Forma positiva* ad hoc schema reduci potest: Hanc doctrinam diuturna possessione ut ab Apostolis acceptam universa Ecclesia habuit. Atqui universa Ecclesia vi infallibilitatis suae nequit diuturna possessione ut apostolicam habere doctrinam quae revera non sit ab Apostolis tradita. Ergo haec doctrina revera est ab Apostolis tradita, b) *Forma negativa* eiusdem argumenti: Haec doctrina est posterius adirtventa et contradicit illi quam prius diuturna possessione tamquam ab Apostolis acceptam universa Ecclesia tenuit. Ergo talis doctrina nequit esse ab Apostolis tradita 27.

Recte notat Cotter conceptus praescriptionis in Iure et in argumento theologico non esse univocos sed analogos. Conveniunt quidem quia in utroque casu praescriptio versatur circa aliquam veram possessionem et quia documenta ad eam directe probandam deficiunt; differunt tamen praesertim, quia legitimitatem praescriptio legalis facit, praescriptio vero theologica solum patefacit.

805. Scholion 2. Distinctio Magisterii a revelationis Fontibus28.

Ex demonstrata thesi de Traditione concludimus, distinguendos probe esse primigenios revelationis divinae Fontes ab Ecclesiae Magisterio. Sub notione quidem *generica* fontis, quam dedimus n.769 clarum est Magisterium Ecclesiae recte etiam appellari divinae revelationis fontem, quatenus pro obiecto habet veritates a Deo revelatas, ut vidimus thesi 16. In hoc sensu generico fontis, non solum Magisterium, sed etiam omnia quae appellavimus Traditionis monumenta (n.777) dici vere possunt divinae revelationis fontes.

Distinctio fit inter Fontes revelationis et Magisterium si sensu stricto et specifico sumantur (n.779). Tanquam divinae revelationis primigenii fontes, si stricte et formaliter sumantur, Scriptura et Traditio ipsum Deum, sive

V' Cf. Tertulliani tractatum *de Praescriptione* nota 19 citatum: apud R 288-300. Elementa essentialia iam habentur apud Irenaeum, Adn. *haereses:* R 191-262; et in *Demonstr. praedic, evangel.:* R 263. Cf. A.C.Cotter, *Theologia fundamentalis* 544.

27 Forma positiva: Tertull., l.c., 28: R 295. Forma negativa: Tertull., Le., 29S.35: •Tam diu regnavit error quam diu haereses non erant?» «Ante haeresis quam vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit: post rem similitudo succedit». Ubi tunc Marcion... ubi Valentinus...? Nam constat illos neque adeo olim fuisse et in Catholicam primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem». «Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse dominicum et verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum». «Posterior nostra res non est, immo omnibus prior est: hoç erit testimonium veritatis ubique occupantis principatum». Ed. Rauschen, *Florii. Patrist.* IV.

28 J.Salaverri, l.c. in nota **n;** Cll.Baumgartner, *Tradition et Magistère:* RechScRel 41 (1953) 161-187: J.Filograssl *Traditio, Magisterium et Theologia* apud *De sanctissima Eucharistia* (1953) 7-68; C.Balic. *Il senso cristiam e il progresso del Dogma: Lo sviluppo dei Dogma* (1953) 106-134. cf. n.754.

inspirantem sive revelantem, auctorem proprie habent, ideoquc *auctoritate formaliter divina* prorsus aequiparandae sunt, prout eas Concilia Tridentinum et Vaticanum aequiperaverunt: D 783 1787. Atqui nemo identificat Scripturam divinitus *inspiratam* cum ecclesiastico Magisterio sola Dei *assistentia* munito. Ergo neque cum eo identificanda est Traditio prout et quatenus revelationis fons est, seu prout ipsum Deum *revelantem* auctorem habet 29.

Concilia *Tridentinum* et *Vaticanum* aperte distinguunt tam Scripturam quam Traditionem a Magisterio ecclesiastico, cum doceant Magisterium Ecclesiae, ad quodlibet definiendum, et_Scripturam et Traditionem praesupponere ut fontes, ex quibus hauriat ea quae definire vult, prout constat ex decretis *Tridentini* (D 843a 947 957 959) et *Vaticani* (D 1781 1792 1836), nec non ex annotationibus Deputationis fidei in eodem *Concilio Vaticano:* «Ad dogmaticam, inquit, *definitionem* necessarium ac sufficiens est, ut Patribus Concilii ex *propriis* divinae *revelationis fontibus,* scilicet *ex Scriptura et Traditione,* constet esse aliquam veritatem divinitus revelatam; proindeque Patrum officium esse et *munus* hanc *divini depositi* veritatem pro suo charactere *cum auctoritate declarare et* proponere» (Msi 52,25). Eandem distinctionem pluries effert Pius XII in locis quos citavimus n.787: D 3013 3014. Cf. n.760.

806. Iuxta *Concilium Vaticanum, Scriptura et Traditio* sunt simpliciter *verbum Dei scriptum et traditum,* Magisterium vero es mere *custos* et *declarator verbi Dei* scripti vel traditi (D 1781 1792s 1800 1836), Atque ideo *Scriptura et Traditio* sunt, et quidem se *ipsis, Regula fidei quoad nos remota; Magisterium vero* est, non tamen se ipso sed *ratione verbi Dei* quod continet vel declarat, *Regula fidei quoad nos proxima.*

Denique *Scriptura* et *Traditio,* ut primigenii revelationis fontes, sunt *verbum Dei scriptum et traditum (D* 1781 1792). Atqui Scriptura non est proprie revelationis fons si *active* solum consideretur, quatenus nempe est *formaliter actio scribendi,* sed *obiective* quatenus est *verbum Dei scriptum.* Ergo a pari Traditio non est proprie revelationis fons si *active* solum inspiciatur, quatenus nempe est *formaliter actio tradendi,* sed *obiective* potius quatenus est verbum *Dei traditum* 30. Depositum enim proprie dicitur esse non vas rem continens, sed potius res in vase contenta.

807. Obiectiones 31. t. Primarius revelationis fons nequit esse corruptioni obnoxius. Atqui Traditio natura sua est corruptioni obnoxia. Ergo primarius revelationis fons nequit esse Traditio.

Conc. mai. Dist. min. Natura sua est corruptioni obnoxia Traditio humana, *conc. min.;* divina, subdist. ; si humanae custodiae et interpretationi relicta esset, conc.; si custodiae et interpretationi Magisterii infallibilis est commissa, *nego. Dist. pariter cons.* Primarius revelationis fons nequit esse

29 In hoc non recte senserunt D.Chenu, *Une Ecole de théologie* (1937), et L.Charlier, *Essai sur le problème théologique* (1938). quorum libri a *S.Congr. S.Officii* prohibiti sunt: AAS 34 (1942) 37: auctores vero ambo laudabiliter suam submissionem notificaverunt: AAS 34 (<942) 148. Cf. F.Stecmüller -M.D.Koster: ThRev 38 (1939) 4>-5i ; praesertim vero vide T.Zλρεεενλ: Greg 24 (1943) 23-47.287-326; 25 (1944) 38-73.247-282; R.Gagnebet cI M.Labourdette: RcvThom 45 (1939) 108-145; 46 (1946) 5-44· Distinctionem inter Magisterium ct revelationis fontes pluries effert Pius XII, *Encycl. «Humani generis»* (AAS 42 [1950] 561-578) lege tertus quos citavimus n.787, neque ad hanc fundamentalem distinctionem sufficienter attendit T.Zλρεεενλ, *De Ecclesia* 2 (1954) p.275-283.

1° Minus accurate nobis videntur loqui auctores qui cum de Traditione tamquam revelationis fonte tractant, eam ad vivum Ecclesiae Magisterium reducere videntur. Cf. Ch.PESCH, *Praelect.* 1 n.164; A.Deneffe, *Der Tradilionsbegriff* (1931); T.Zλρεεενλ. Lc n.805.

2* Cf. L.Muncunill, Dc *locis theol.* n.115-119; I.Müller, *De verbo Dei revelato* th.a n.24-30; th.3 n.41-50.

Traditio humana, *conc. cons.;* divina, *subdist.:* humanae custodiae et interpretationi relicta, *conc.;* custodiae et interpretationi Magisterii infallibilis commissa *nego.*

808. 2. Non est primarius revelationis fons is qui alio indiget. Atqui Traditio indiget Magisterio infallibili. Ergo Traditio non est primarius revelationis fons.

Dist. mai. Non est primarius revelationis fons is qui alio indiget *ut revelationis fonte* ad suam auctoritatem divinam stabiliendam, *conc. mai.;* qui alio indiget ut auctoritate doctrinali ad eum nobis *custodiendum* et infallibiliter *declarandum, nego mai. Contradist. min.* Traditio indiget infallibili Magisterio *ut revelationis fonte* ad suam divinam auctoritatem stabiliendam, *nego;* traditio indiget Magisterio ut doctrinali auctoritate ad eam nobis custodiendam et infallibiliter declarandam, conc.

809. 3. Traditiones in N.T. aperte improbantur (Mt 15,3; Gal 1,14; 1 Petr 1,18). Ergo Traditio nequit esse primarius revelationis fons.

Dist. *antec.* In N.T. improbantur traditiones divinae, *nego antec.;* traditiones humanae, *subdist.:* traditiones humanae impiae, pravae vel vanae improbantur, conc.; traditiones humanae Dei voluntati et Christi Evangelio consentaneae improbantur, *nego.*

810. 4. Libri sacrae Scripturae prorsus sufficiunt (Io 20,30s; 2 Tim 3, 16s). Ergo alius revelationis fons necessarius non est.

Dist. antec. Libri sacrae Scripturae prorsus sufficiunt *relative* et *positive* seu in ordine ad finem in eis intentum, conc. antec.; *absolute* et *exclusive* ita ut iam non sit admittendus alius revelationis fons, nego *antec. Dist. pariter cons.* Alius revelationis fons necessarius non est *absolute* et sub omni *respectu, nego cons.; relative seu* in ordine ad illas veritates de quibus ope Magisterii sufficienter ex Scriptura nobis constat, subdist.; et tamen alius ille fons admittendus est utpote a Deo ordinatus, *conc.;* et alius ille fons reiciendus est etsi a Deo superabundanter nobis datus, *nego.*

811. 5. Sacra Scriptura revelationis plenitudinem continet (Gal I,i8; Apoc 22,18). Ergo Traditio ratione plenitudinis Scripturam minime antecellit.

Dist. *antec.* Scriptura in locis citatis attestatur non esse quidquam humanum addendum revelationi a Deo nobis per Apostolos datae, neque licere ab ea quidquam detrahere, *conc. antec.;* Scriptura in locis citatis asserit in ea omnes veritates per se revelatas contineri, *nego.*

812. N.B. Ad solvendas difficultates, quae proponi possunt ex *Patribus,* ad contextum est attendendum. Dicta Patrum, quae obici solent, alia sunt positiva alia vero exclusiva, quae tamen iuxta eorum mentem recte explicari possunt[32].

1) *Dicta Patrum,* quibus *positive* efferunt sacrae Scripturae sufficientiam et plenitudinem, intelliguntur generatim non *absolute, sed relative,* in ordine praesertim ad aliqua *particularia vel praecipua dogmata* declaranda.

2) *Dicta Patrum,* quibus *exclusive* ad Scripturam accurrendum esse proclamare videntur, minime significant Traditionis negationem, sed generatim excludere intendunt vel spurias seu apocryphas scripturas, vel vana humanae sapientiae argumenta, vel impias hominum traditiones; vel etiam polemice a Traditione praescindendum esse dicunt, eo quod adversarii, quos convincere satagunt, eam admittere renuant.

33 I.Müller, Lc., th.2 n.31-35.

CAPUT V

De criteriis Traditionis

ARTICULUS I

Sancti Patres sunt Traditionis criterium

Thesis 20. Sanctorum Patrum consensus in rebus fidei et morum divinae Traditionis est critérium certum.

813. Franzelin, *De divina Traditione* th.13-16; Muncunill, *De locis n.153-169;* C.Schrader, *De theologico testium fonte* th.28-31; Bainvel, *De Magisterio vivo et Traditione* th.10; J.V.de Groot, *Summa Apologetica* q.20; R.Schultes, a.71; Dorsch, th.51; Dieckmann, th.33; Lercher, th.55; De Guidert, th.41; Cotter, th.39; Al.-Bârcena, p.199-211; Fessler-Jungmann, *Institutiones Patrologiae* t.i c.i § 9-16 p.26-57; O.Bardenhewer, *Geschichte der altkirchlichen Literatur* I § 2 p.34-46; B.Steidle, *Patrologia* § 4: Zapelena, *De Ecclesia 2* (1954) th.21.

814. Nexus. Probavimus divinam Traditionem esse primarium revelationis *fontem.* Diximus divinae huius Traditionis *organa* esse personas, quibus revelatio in Ecclesia transmittitur inde ab Apostolis continuo usque ad nos. Ostendimus *actus,* quibus Traditionis organa revelationem transmittunt, reduci posse, iuxta S.Paulum (i Cor 15,1s.n) [1] ad praedicationem et fidem Ecclesiae. Iam vero haec praedicatio et fides permanentes aliquos effectus protulit, qui recta Traditionis *monumenta* appellantur, ex quibus iure deducere possumus, quid praedicaverit et crediderit Ecclesia inde ab Apostolis usque ad nos. Inter haec Traditionis monumenta eminènt scripta Sanctorum Patrum. Unde quaerimus: Quid haec *Sanctorum Patrum scripta* conferant ad divinam Traditionem cognoscendam?

815. Notiones. Criterium Traditionis est norma, qua vera Traditio detegi et a falsis dignosci potest.

a) *Critérium primarium est* illud quod primo ac per se statutum est ad hoc ut directe nos ducat ad revelationem traditam: *Magisterium infallibile* est critérium primarium, ad hoc divinitus statutum ut custodiat, explicet et definiat nobis revelationem inde ab Apostolis in Ecclesia traditam.

1 Consentiunt S.Irenaeus, Adv. *haeres.* 1,10,2: MG 7.552, necnon S.Augustinus, Contra *lulianum* 6,5,11: ML 44,828.

b) *Critérium secundarium* est illud quod, propter eius connexionem cum criterio primario, indirecte nos ducit ad detegendam revelationem inde ab Apostolis traditam. Inter haec secundaria criteria eminent *scripta Sanctorum Patrum.*

Criteria haec dicuntur certa *vel probabilia,* prout nos ducant certo vel tantum probabiliter ad dignoscendam revelationem inde ab Apostolis continuo in Ecclesia traditam.

816. *Criteria secundaria* ad dignoscendam revelationem continuo in Ecclesia traditam. i.° necessaria absolute non sunt, quia de se Magisterium authenticum plane sufficit in hunc finem divina assistentia munitum; 2.° *utilia* tamen *valde sunt* ad hoc ut ipsum Magisterium authenticum facilius ac plenius fidei depositum declaret ac definiat; nam divina assistentia minime excludit humanam diligentiam in usu mediorum conducentium ad veritatis traditae agnitionem; 3.° *necessaria* ulterius *quodammodo dici possunt* ad hoc ut Theologi scientifice ac positive demonstrent, fidei depositum iugiter conservatum esse in Ecclesia ac fideliter transmissum inde ab Apostolis usque ad nos, necnon ad hoc praeterea ut subiectiva depositi revelationis cognitio profundior pleniorque obtineatur atque menti hominum facilior aptis formulis reddatur.

817. Patres Ecclesiae *vi vocis* dicuntur illi, qui quoad Ecclesiae membra relationem habent similem ei quae interest inter patrem et filium, id est, qui fideles gignunt et alunt in Christo. Tales sunt 1) *Apostoli,* iuxta illud S.Pauli; «Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos *Patres.* Nam in Christo lesu per Evangelium *ego vos genui»* (1 Cor 4,15). Inde Ecclesiae cognomen proprium est *Apostolica* a primis eius *Patribus* Apostolis mutuatum.

818. 2) *Episcopi* iure etiam *Patres* dici debent, quia ut Apostolorum successores, munus eorum gignendi et eruendi fideles in Christo, tamquam veri Patres, continuo exercent. Ideo S.Polycarpum Episcopum plebs Smyrnae acclamabat dicens: «Hic est Asiae praeceptor, Pater Christianorum». Clemens vero Alexandrinus in eodem sensu scribebat: «Patres eos dicimus, qui nos catechesi instituerunt». Immo usque ad tempora S.Augustini Patres appellabantur soli Episcopi, prout erui videtur ex innovatione quam agnoscit S.Augustinus cum connumerat inter Patres *presbyterum* S.Hieronymum anno 421 23

819. 3) *Patres Ecclesiae sensu stricto,* iuxta S.Vincentium de Lerins, sunt scriptores ecclesiastici, ut orthodoxi ab Ecclesia agniti, qui insignes sunt doctrina, sanctitate et antiquitate λ

a) *Scriptores ecclesiastici* debent esse, quia hi soli Ecclesiam posterorum post suam mortem erudire possunt.

2 *Martyrium Polycarpi 12,2:* edit. Funk, Patres *Apostoliti* t.i p.329. Clemens Alexandrinus, *Stromata* 1,I: MG 8,690; S.Augustinus, *Contra lulianum* 2jo.33s.37: R 1898-1900.
3 S.Vincentius de Lerins, *Commonitorium 28:* R 2175. Cf. J.Madoz, *El concepto de la Tradition en S.Vicente de Lerins* (1933) c.4 § 2; Id., *El Conmon. de S.V.de Lerins* (1935).

b) *Ut orthodoxi ab Ecclesia agniti* sint necesse est, quia secus non possent ut certi duces ad addiscendam revelationis doctrinam adhiberi et commendari. Haec autem Ecclesiae agnitio potest esse duplex: alia *explicita,* prout ea est quam de S.Augustino fecit Papa S.Caelestinus et Papa Gelasius de pluribus Patribus in celebri suo *Decreto* (D 128 164 165); alia vero *implicita,* quae fit sive usu Magisterii authentici, sive communi praxi in Ecclesia, scientibus nec contradicentibus ordinariis pastoribus Ecclesiarum.

820. c) *Doctrina insignes,* saltem relative, sint oportet, quia adhibentur ad fidei depositum melius cognoscendum et clarius illustrandum. Errores si quos paucos incurrerint neque hi magni momenti fuerint, eminentiae huic doctrinae, quam requirimus, non obstant. Aliqui enim huiusmodi errores in omnibus fere Patribus, etiam explicite ab Ecclesia agnitis, detegi possunt.

d) *Sanctitate praestantes* esse convenit, quia caeteris paribus, sanctitas multum confert et ad melius percipienda divina et ad ea (non quae sua cuiusque sunt) fidelius tradenda.

e) *Antiquitate* tandem gaudere debent, saltem relative, prout ipsi Patris notioni congruere videtur. De facto Patrum Ecclesiae aetas finita censeri potest *medio saeculo VIII:* videlicet, pro Oriente, anno circiter 750 cum S.Ioanne Damasceno, pro Occidente autem, anno 735 cum S.Beda Venerabili 4.

Propter has eorum insignes dotes Sancti Patres praesertim sunt illi viri qui, prout eos describit in sua *Historia ecclesiastica* Eusebius Caesariensis, «singulis aetatibus verbo et scriptis divini verbi ministri fuerunt, et quorum in scriptis doctrinae apostolicae traditio pervenit usque ad nos»5.

821. *Sanctorum Patrum conceptus* differt a notione:

1) *Scriptorum Christianorum,* qui dicuntur esse viri ad aliquam ex christianis confessionibus pertinentes, atque eruditione de rebus ad Christianismum pertinentibus insignes. In his possunt dari, sed non requiruntur, indoles ecclesiastica, neque orthodoxia, neque sanctitas, neque antiquitas: tales appellari possunt, exempli gratia, Marcion, Harnack, alii.

2) *Scriptorum ecclesiasticorum,* qui sunt Ecclesiae viri eruditione de rebus christianis insignes. In his possunt dari, sed non requiruntur, orthodoxia ab Ecclesia agnita, neque sanctitas, neque antiquitas. Ut tales habentur intra aetatem patristicam, Aristides, Tatianus, Athenagoras, Tertui.-

4 Varias sententias in hac rc vide apud *Patrologias.* Finem aetatis Patrum pro *Oriente* communiter ponunt in morte S.Ioannis Damasceni; pro *Occidente* vero plures eam finitam malunt anno 636 cum S.Isidoro Hispalensi, plurimi autem anno 604 cum S.Gregorio Magno.

5 Eusebius Caesariensis, *Historia ecclesiastica* 1,1,1; 3,37,4; 4,21; 5,22: MG 20,48.293. 377.489. Cf. J.Salaverri, *El origen de la revelaciôn y los garantes de su conservaciôn en la Iglesia segùn Eusebio de Cesarea:* Grog 16 (1935) 349-373·

lianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Arnobius, Lactantius, Eusebius Caesariensis, Didymus Alexandrinus, Rufinus, alii.

822. 3) *Doctorum Ecclesiae:* Hi sunt scriptores ecclesiastici, ab Ecclesia agniti ut insignes tam sanctitate vitae quam orthodoxia doctrinae, atque a Summo Pontifice *titulo Doctorum expresse insigniti.* In eis potest dari, sed non requiritur, antiquitas; attamen ut qtlis appellari possit Doctor Ecclesiae, praeter excellentiam doctrinae, sanctitatis et orthodoxiae, exigitur Ecclesiae *explicita agnitio et tituli Doctoris collatio* a Summo Pontifice.

823. *Doctores Ecclesiae* a Romanis Pontificibus declarati sunt 29: a *Bonifacio VIII,* a.1295, SS.Ambrosius, Augustinus, Hieronymus et Gregorius Magnus; a Pio V, a.1567, S.Thomas Aquinas, a.1568, SS.Athanasius, Basilius, Ioannes Chrysostomus et Gregorius Nazianzenus; a Sixto V, a.1588, S.Bonaventura; a *Clemente IX,* a 1720, S.Anselmus; ab *Innocentia XIII,* a.1722, S.Isidorus Hispalensis; a *Benedicto XIII,* a.1729, S.Petrus Chrysologus; a Benedicto *XIV,* a.1754, S.Leo Magnus; a *Leone XII,* a.1828, S.Petrus Damiani; a *Pio VIII,* a.1830, S.Bernardus; a Pio *IX,* a.1851, S.Hilarius Pictaviensis, a.1871, S.Alphonsus Maria de Liguori, a.1877, S.Franciscus Salesius; a *Leone XIII,* a.1882, SS.Cyrillus Alexandrinus et Cyrillus Hierosolymitanus, a.1890, S.Ioannes Damascenus, a.1899, S.Beda Venerabilis; a *Benedicto XV,* a.1920, S.Ephraem Syrus; a *Pio XI,* a.1925, S.Petrus Canisius, a.1926, S.Ioannes a Cruce, a.1931, S.Robertus Bellarmino, a.1932, S.Albertus Magnus; a *Pio XII,* a.1946, S.Antonius Patavinus. Ex his 29 Doctoribus sunt 21 de Ecclesia Occidentis, 8 de Ecclesia Orientis; 14 e Clero saeculari, 15 e Clero regulari; 2 Romani Pontifices, 3 Cardinales et Episcopi. 15 Episcopi, 8 Presbyteri, 1 Diaconus (S.Ephraem).

824. Consensum Patrum requirimus *obiectivum* et *certum, et* quidem *omnium* non physice sed tantum *moraliter.*

In rebus fidei et morum, seu in rebus ad revelationis depositum pertinentibus, nam Patres consentire possunt: 1) *Ut Doctores privati* vel ut *testes mere historici,* quod facile patebit, aut ex intentione, cum sententiam vel personalem vel libere controversam proponunt, aut ex obiecto, cum res de quibus agunt ad revelationis depositum non pertinent. De consensu in his rebus non agimus. 2) *Ut Doctores authentici* consentire possunt Patres, cum doctrinam aliquam suis gregibus tamquam necessario credendam vel tenendam auctoritative docent vel praedicant: hoc autem *soli Episcopi* inter Patres facere possunt. 3) *Ut testes fidei* consentire possunt Patres, cum attestantur doctrinam aliquam ab Ecclesia credi tamquam revelatam.

825. Status quaestionis. Ut Patrum consensus sit certum divinae Traditionis critérium requirimus ut loquantur de rebus fidei vel morum tamquam testes fidei vel tamquam doctores authentici, et ut eorum consensus sit obiectivus, certus et moraliter unanimis.

826. Adversarii, i) *Per defectum* adversantur: a) *Protestantes,* quatenus tenent, unicum veritatis revelatae critérium esse sacram Scripturam; b) *Rationalistae et Modernistae,* qui unicum veritatis religiosae critérium asserunt esse rationem naturalem vel sensum religiosum dictantem unicuique quid in rebus religionis sentiendum sit. De his adversariis iam satis actum est in thesi quae huic immediate praecedit.

2) *Per excessum* adversantur *lansenistae,* qui S.Augustini auctoritatem nimis exaggeraverunt: D 13206.

827. Doctrina Ecclesiae. 1) *Practice* consensus Sanctorum Patrum *in Conciliis Oecumenicis* adhibitus est, in rebus fidei et morum, tamquam certum et definitivum critérium.. Sic exempli gratia in Conc.*Ephesino: D* ma in fine, in *Chalcedonensi:* D 148, in *Constantinopolitano III:* D 291, in *Nicaeno II:* D 303. Ex horum Conciliorum historia constat, plura in eis collata et adducta fuisse testimonia Sanctorum Patrum, quibus praesertim innixi Episcopi ad conciliares definitiones devenerunt: vestigium aliquod huius rationis procedendi sunt verba definitionum quae ad Patrum testimonia alludunt7. *Concilium Tridentinum* saepe ad Sanctorum Patrum consensum provocat tamquam ad critérium ad dignoscendam veritatem in rebus fidei et morum: D 843a 947 959 983s. Accedunt definitiones Martini I (a.649) et Agathonis (a.68o): D 254-74 271 288 290 291.

2) *Theoretice* consensus Sanctorum Patrum, in rebus saltem fidei et morum, effertur ut critérium certum ad interpretandas sacras Scripturas a Conciliis *Tridentino* et *Vaticano:* D 786 894 995 1788.

828. Valor dogmaticus theseos. Doctrina quam enuntiat thesis dici potest *implicite definita* praesertim in Conciliis *Chalcedonensi, Constantinopolitano III, Tridentino* et *Vaticano.*

829. Probatio. Consensus Patrum in rebus fidei et morum adeo intime connectitur cum Ecclesia docente, ut error in consensu Patrum induceret errorem Ecclesiae Universae. Atqui Ecclesia Universa in rebus fidei et morum errare nequit. Ergo

6 Cf. Pius XI, *Encycl. «Ad salutem»;* AAS 22 (1930) 202-204.

7 Cf. J.Salaverri, *EI argumento de Tradiciôn patristica en la antigua Iglesia:* RevEspT 5 (i94S) 107-119; Io., *La idea de Tradiciôn en la «Historia eclesiastica» de Eusebio: Gicr* 13 (1932) 211-240.

consensus Patrum in rebus fidei et morum divinae Traditionis est critérium certum.

Min. constat ex thesibus de Ecclesiae infallibilitate.

830. *Mai.* probatur: 1) Relate ad Ecclesiam intra aetatem patristicam.

a) *De Sanctis Patribus ut testibus fidei:* Consensus Patrum attestantium doctrinam aliquam ab Ecclesia credi tamquam revelatam, est testimonium adeo insigne *scientia* propter doctrinam, *veracitate* propter sanctitatem, *extensione* propter numerum, et *valore* propter qualitatem testium, ut si esset falsum, Ecclesia sciens et tacens nullo modo permittere illud posset. Atqui tale testimonium permanenter et palam in scriptis datur sciente nec contradicente immo etiam assentiente Ecclesia. Ergo consensus Patrum attestantium doctrinam aliquam credi ab Ecclesia tamquam revelatam, adeo intime connectitur cum Ecclesia docente, ut error in consensu Patrum induceret errorem Ecclesiae universae.

831. b) *De Sanctis Patribus ut Doctoribus authenticis:* Consensus Patrum *auctoritative* docentium suos greges doctrinam aliquam tamquam *necessario credendam* vel *tenendam,* adeo magnum pondus obtinet propter eorum scientiam, sanctitatem et episcopale munus, ut si esset erroneus, reliqui Ecclesiarum Pastores et maxime *Summi Pontifices* scientes et tacentes permittere illum nullo modo possent. Atqui ut eorum epistolare commercium demonstrat, reliqui Ecclesiarum Pastores hos Patres auctoritative docentes assidue consulebant et sequebantur in doctrina, immo et *Summi Pontifices* unionem et communicationem in doctrina cum talibus Patribus vel maxime fovebant. Ergo consensus Patrum auctoritative docentium suos greges doctrinam aliquam tamquam necessario credendam vel tenendam, adeo intime connectitur cum Ecclesia docente, ut error in consensu Patrum argueret errorem Ecclesiae universae.

832. *Mai.* probatur: 2) Relate ad Ecclesiam aetatum inde a'medio saeculo V usque ad saeculum XIX exeuntem.

Consensum Sanctorum Patrum in rebus fidei vel morum diligenter exquisivit et secuta est Ecclesia inde a medio saeculo V in *Conciliis Oecumenicis* coadunata, ad declarandam vel definiendam fidei vel morum doctrinam. Ergo consensus Patrum in rebus fidei vel morum, adeo intime connectitur cum Ecclesia docente, ut error in consensu Patrum induceret errorem Ecclesiae universae.

Antecedens patet ex iis quae supra diximus exponentes doctrinam Ecclesiae circa hanc thesim. *Antecedens* constat praeterea ex historia Conciliorum Oecumenicorum, in quibus adhibita est methodus definiendi ipsa dogmata «secundum Sanctorum Patrum Doctrinam», quae quidem methodus inde iam a Concilio Ephesino anni 431 diligenter exculta est[8]. Ideo S.Vincentius de Lerins, breviter referens id quod gestum est in *Concilii Ephesini Actione* i.a, merito ait: Ephesinae Synodi Episcopis «divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata sibique in Christo consentiens Sanctorum Patrum tenuisset antiquitas» 9*.

833. Idem *antecedens* in specie probari mirifice potest insigni aliquo historiae antiquitatis facto, damnatione nempe *Monotheletismi.* Monotheletae enim annis 649 et 680 in *Conciliis Lateranensi et Romano* a Summis Pontificibus Martino I et Agathone reiecti sunt maxime propter innumera Sanctorum Patrum contra eos collecta testimonia (D 254-274 288). Postea vero, anno 681, in *Concilio Constantinopolitano III* iidem Monotheletae damnati sunt praesertim etiam propter testimonia Sanctorum Patrum, quae S.Agatho Papa adiunxit epistolae dogmaticae per suos legatos ad Concilium missae et a Concilii Patribus unanimi plausu agnitae: D 288 290 291 *.

834. *Confirmari* potest thesis argumento rationis *ex indole ipsa talis consensus in se ipso* considerati. Nam consensus in doctrina tot virorum ingenio et sinceritate insignium, in diversissimis rerum et oppugnationum adiunctis, atque etiam saepe sub mortis discrimine praestitus, explicari non potest nisi ex ipsa veritate certo cognita, iuxta illud rationis naturalis principium bene a Tertulliano his verbis expressum: «Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum» [9]. Ergo Sanctorum Patrum consensus in rebus fidei et morum divinae Traditionis est critérium certum.

835· Ipsi denique *Sancti Patres* in veritate theseos affirmanda nobiscum consentiunt. S.Basilius: «Patrum, inquit, vestigiis non insistere, neque sua sententia vocem illorum potiorem ducere, res est reprehensione digna ut plena arrogantiae»[12]. S.Augustinus: R 1898-1900. Theodoretus: R 2142. S.Vincentius de Lerîns: R 2168 ad finem et 2175 [13].

« Msi 4,1183· Cf. i.c.r RevEspT s (1945) nt-119.

' S.Vincentius de LerIns, Commonitorium 33: ML 50,684s. Cf. J.Madoz, Lc., in nota 3 c.4. Plures auctores et cum illis nuperrime Zapelena, *2* (1954) p.zçt, haec verba tribuere consueverunt ipsi *Concilio Ephesino;* at falso, prout probavimus in EstEd 19 (1945) 381-386: *Sentencia falsamente atribulda ai Concilio de Efeso.* Cf. I.Harduini, *Conciliorum collectio* 1,1399-1422.

•0 Cf. *l.c.:* RevEspT 5 (1945) 117-119.

t> Tertullianus, *De praescriptione* 28: ML 2,47.

12 S.Basilius, Epist. 52,1 : MG 32,391.

11 Cf. J.Madoz, l.c., in nota 9; et G. MArtil, Lo *tradiciin en S. Agustin* (1943).

836. Scholion 14 Condiciones requisitae pro vero argumento ex consensu Patrum.

1) Auctores saepe, praesertim in manualibus, arguunt solum *ex auctoritate* potius quam ex consensu Patrum; afferunt enim aliqua Patrum fragmenta, in quibus eadem asseritur doctrina, quam ipsi defendunt. Hoc autem nihil est aliud quam confirmare aliquam doctrinam ex auctoritate Patrum, qui citantur.

837. 2) *Argumentum vero ex consensu Sanctorum Patrum* tamquam ex criterio certo divinae Traditionis, longe difficilius est, sed ad hoc unum schema reduci potest. Sancti Patres hanc vel illam doctrinam certo docent. Atqui talis doctrina triplici condicione insignitur: A) est doctrina fidei vel morum, B) eam Patres docent tamquam testes fidei vel tamquam doctores authentici, C) eam tenent praeterea consensu moraliter unanimi. Ergo talis doctrina certo provenit ex divina Apostolorum Traditione. Singula haec in unoquoque casu sunt probanda ut verum habeatur argumentum ex consensu Patrum de quo agimus.

838. *Maior,* probanda est scientifica methodo positivo-historica; probari nempe debet hanc vel illam doctrinam certo doceri a singulis Patribus: a) *ex textu* eorum critice *genuino, non spurio, integro, non mutilo vel interpolato, originali, non in aliam linguam verso nisi* constet de versionis fidelitate; b) in *contextu* operum eorum *pleno,* non in solis fragmentis a contextu abscissis; c) *congruenter cum scopo* et indole operum ad quae textus pertinent; d) *iuxta* varia singulorum *Patrum praesupposita* philosophica, historica et religiosa; e) *secundum fidelem sensum* quem termini et sententiae habent in ipsa Sanctorum Patrum mente. Haec sane probatio saepe praesupponi potest ex toto vel ex parte iam facta ab editionibus criticis, a *Patrologia,* ab *Historia Dogmatum,* a *Theologia* sive positiva sive historica 15.

839. *Minor* etiam probanda est quoad singulas eius partes.

A. Probandum est in primis doctrinam de qua agitur esse *doctrinam fidei vel morum et* quidem non mere obiective in se ipsa considerata, sed praesertim subiective in mente Sanctorum Patrum qui illam docent; in rebus enim profanis sive ad philosophiam, sive ad scientias naturales, sive ad ipsam historiam pertinentibus, auctoritas Patrum tantum valere censenda est, quantum valeat pondus rationum quibus sua asserta probent16.

B. Probandum est deinde eandem doctrinam proponi a Patribus non ut privatis doctoribus, sed tamquam *testibus fidei* vel *doctoribus authenticis,* atque ideo non mere inquirendo, dubitando vel opinando, sed certo et indubitanter tenendo; si enim opinando aut dubitanter aliquid docerent, quamvis a pluribus Patribus hoc fieret, prout evenit ante saeculum IV circa sententiam de Regno *Millenario,* tunc eorum doctrina censenda esset sententia libera de qua disputare liceret *17.

14 Cf. Pesch, *Institutiones* I 0.581-587; De Groot. q.20a.3; Muncunill, De *locis* n.i68s; Bainvel, *De Magisterio* n.66-76; Schultes, a.61 § 7-9: Lercher, n.537-542.

15 Huius positivae methodi principia optime proponit D.Petavius, *De theologicis dogmatibus* (1644) t.i prologus. Petavium ut «eminentem virum* commendat Leo XIII in *Encycl. «Depuis le jour»* ad Episcopos Galliae: ASS 32 (1899) 197.

16 M.Cano, *De locis theologicis* I.7 c.3 conci, t.4

>' *De Millenarismo,* cLFranzelin, *De divina Traditione* th.16. Vide nostram th.7 scholion 2 0.314-317. Cf. J.SagÜes, SThS 4.6 n.324-334.

C. Probandus est denique consensus *moraliter unanimis* Patrum in eadem doctrina tenenda. Hoc autem fieri potest dupliciter: directe nempe et indirecte.

840. 1) *Directe* perquirendo singulorum Patrum doctrinam, quae si consentiens reperiatur, tunc invictum et plenum suppeditat argumentum ex eorum unanimi consensu tamquam ex divinae Traditionis criterio certo.

2) *Indirecte* et quidem multiplici ratione: *a)* Demonstrando directe consensum *Patrum Occidentaliun,* et inde concludendo *indirecte* consensum *Patrum etiam Orientalium;* quia fieri nequit ut in rebus fidei et morum Patres Ecclesiae Orientis non consentiant cum Patribus Ecclesiae Occidentis, quae sub immediata Summi Pontificis vigilantia est. *bj* Probando directe consensum *aliquorum insignium Orientis et Occidentis Patrum,* verbi gratia, Athanasii, Hilarii, Basii.ii, Ambrosii, Chrysostomi, Hieronymi, Epiphanii et Augustini, atque inde concludendo *indirecte* consensum *omnium Patrum;* quia, historia teste, in rebus fidei et morum ad hos tan insignes viros reliqui Ecclesiae Patres communiter accedebant, *c)* Ostendendo *directe* consensum omnium *alicuius aetatis Patrum, et* inde concludendo *indirecte* consensum Patrum reliquarum aetatum; quia propter Ecclesiae indefectibilitatem in rebus fidei et morum fieri nequit ut universa unius aetatis Ecclesia non consentiat cum Ecclesia universa priorum septem saeculorum, *d)* Demonstrando *praecipuum aliquod Caput doctrinae ex uno alterove Patre,* qui ab Ecclesia est agnitus tamquam *dux et antesignanus* in tali doctrina contra haereticos defendenda, prout sunt Athanasius contra *Arianos,* Augustinus contra *Pelagianos, Cyrillus* Alexandrinus contra *Nestorianos,* atque inde concludendo *indirecte* consensum ceterorum Patrum; quia, teste historia dogmatum, hos insignes in aliquo dogmate defendendo viros, reliqui Patres cum universa Ecclesia applaudebant.

841. 3) *In interpretanda sacra Scriptura,* ad hoc ut argumentum ex 'Consensu Patrum sit certum divinae Traditionis critérium, requiritur in primis ut certo constet, non solum quod in tali interpretatione consentiant Patres, sed etiam quod eam proponant tamquam sensum auctori sacro divinitus inspiratum; saepe enim Sancti Patres textui sacro tribuunt sensum mere congruentem scopo parenetico vel ascetico quem intendunt. Hoc autem praesupposito, argumentum ex consensu Patrum in interpretanda sacra Scriptura, ad hoc ut verum sit divinae Traditionis critérium, easdem condiciones induere debet, quas nuper assignavimus. Atque ideo, ex defectu nempe alicuius ex memoratis condicionibus, probe explicatur, cur hodierni exegetae a Patrum consensu recedere possint in interpretatione quorundam textuum Scripturae: verbi gratia Gen 7,2.13.23, de extensione diluvii; Is 53,8, de nativitate Christi; Hebr 6,4-6, de Baptismo [18].

842. Obiectiones 1. Auctoritas Patrum, iuxta argumentum, fundatur in auctoritate Ecclesiae; auctoritas vero Ecclesiae probatur ex auctoritate Patrum. Ergo datur in probatione circulus vitiosus.

Dist. antec. Auctoritas Patrum *theologica vel dogmatica* fundatur in auctoritate Ecclesiae; auctoritas vero Ecclesiae probatur ex auctoritate Patrum *historica vel apologetica, conc. antec.;* aliter, *nego antec. Dist. pariter cons.* Circulus vitiosus esset si auctoritas Patrum sumeretur sub eodem respectu, *conc. cons.;* si sumatur sub diverso respectu, *nego cons.*

*· C. Pesch, Institution» l n.585-587; De Groot, q.20 a.3 n.2; Bainvel, De *Magisterio* n.68; A.Bea, *Il progresso nell'interpretazione delta S.Scrittura:* Greg33 (1952) 85-105.

2. De auctoritate Patrum S.Augustinus ait: «Alios autem [auctores] ita lego ut, quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt»; Sanctus vero Thomas, «Sacra doctrina, inquit. utitur auctoritatibus aliorum doctorum Ecclesiae, quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter». Ex quibus ita arguo: Auctoritas Patrum praebet argumentum mere suasorium vel solum probabile. Ergo Patrum consensus non est certum divinae Traditionis critérium 20.

Admitto testimonia et adnoto, in textibus allatis non esse sermonem de auctoritate *dogmatica consensus* Patrum, sed de auctoritate *scientifica* singulorum vel paucorum Patrum. Unde *dist. antec.* Praebet argumentum mere suasorium vel solum probabile auctoritas *scientifica singulorum* vel paucorum Patrum, *trans, antec.;* auctoritas *dogmatica consensus* Patrum, nego antec.

843. 3. Patres ut homines fallibiles saepe erraverunt. Ergo ex eis nequit erui critérium certum.

Dist. antec. Ut Doctores privati vel ut testes historici, conc. *antec.;* ut Doctores authentici vel ut testes dogmatici, *subdist. :* dissentientes, conc.; consentientes iuxta condiciones in thesi assignatas, nego;

4. Patres consentientes systema Ptolomaei aliasque huiusmodi doctrinas falsas tenuerunt. Ergo Patres etiam consentientes erraverunt.

Dist. antec. Patres consentientes tenuerunt falsas doctrinas de rebus profanis, conc. antec.; de rebus fidei et morum, nego *antec.*

844. 5. Patres consentientes tenuerunt doctrinas falsas circa Mil*lenarismum* et circa *dilationem visionis Dei* animis iustis usque ad diem iudicii. Ergo Patres consentientes tenuerunt doctrinas falsas de rebus fidei et morum.

Dist. antec. Consensus Patrum in talibus doctrinis fuit debitis condicionibus praeditus, nego antec.; fuit debitis condicionibus destitutus, *subdist. :* et talis consensus versabatur circa sententiam quam Patres proponerent ut *prorsus certam* et ut ab omnibus fidelibus omnino *tenendam, nego;* ut solide probabilem quae tuto a fidelibus teneri possit, conc.

De Millenarismo recole quae tractavimus numeris 314-317. *De dilatione beatae visionis* usque ad diem finalis iudicii, a) *consensus dejicit,* nam animas iustas et rite purgatas visione Dei frui sine dilatione, docuerunt S.Clemens Romanus, S.Ignatius, S.Polycarpus, S.Cyprianus, S.Basilius, S.Greg.Nazianzenus, S.Hieronymus, aliique 21; b) qui talem dilationem docuerunt, illam proponunt, non ut sententiam prorsus certam et ut omnino tenendam, sed ut probabilem et tutam, S.Ambrosius, S.Greg.Nyssenus, S.Augustinus, aliique 22. En S.Augustini verba in loco citato: «Quinam sint illi beatissimi, qui iam sunt in ea possessione, *magna quaestio est.* Et Angeli quidem sancti quod ibi sint, nulla quaestio est. Sed de sanctis hominibus iam defunctis, *merito quaeritur.* Iam enim corpore quidem corruptibili, quo anima aggravatur, exuti sunt, sed adhuc exspectant etiam ipsi redemptionem corporis sui, et caro eorum requiescit in spe, nondum in futura incorruptione clarescit.

I' Io.Muncunill, *De locis* n.162-164; Oe Groot, q.20 a.i ; Schultes, a.61 n.8; Cotter, th.39; Van Laak, *Repetitorium* (1921) 586-592.

20 S.Augustinus, Ad Hieronymum Epist. 82 c.i n.J:ML 33,277: S.Th., I q.1 a.8 ad 2.

21 S.Clemens Rom.. *Epist. ad Cor. n.5-6* (edit. Funk, Patres *Apostolici* 1,104); S.Icnatius, Epist. ad *Rom.* n.4 (Funk, *l.c,,* 256); S.Polycarpus, Epist. ad *Philip.* n.9 (Funk, *l.c.,* 306); S.Cyprianus, *De mortalitate n.26; Ad Fortunatum* c.13: ML 4,601.674; S.Basilius, *Homil. de gratiar. actione* n.3 et 7; *Homil. in quadrag. Martyr,* n.8: MG 31,226.234.522; S.Greg.NaziAN., *Homil. VII in laudem Caesarii fratris* n.21 : MG 35,782; S.Hieronymus, Ad *Marcellam Epist.* 23 n.3: ML 22,426.

22 S.Ambrosius, Ad *Anatholium Epist.* 15 n.4: ML 16,997; S.Grec.Nyssen., Oratio in *funere Putcheriae:* MG 46,870; S.Augustinus, *Retractationes* l.i c.14 n.2: ML 32.606; S.Bernardus, Epist. 374 n.2: ML 182,579.

Sed utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum *est, facie ad faciem,* nihil ex hoc minus habeant, *non hic locus est disputando inquirere».*

ARTICULUS II

Theologorum consensus est etiam Traditionis criterium

Thesis 21. Theologorum consensus in rebus fidei et morum est certum divinae Traditionis critérium.

845. Franzelin. *De Traditione* th.17; Pesch, *Instit.* I th.55; Id., *Compend.* I th.45; De Groot, q.21 a.i; Muncunill, *De locis* n.170-176; Dorsch, p.748-753; Schultes, a.72; Djeckmann, n.88os; Bainvel, *De Magisterio* th.11 n.77-90; De Guibert, th.42; Lercher, th.56; Cotter, th.40; Alonso-BArcena. *De Ecclesiae Magisterio* th.19.

846. Nexus. In thesi praecedenti probavimus consensum Sanctorum Patrum esse divinae Traditionis critérium, ex intimis relationibus quae intersunt inter talem consensum et Ecclesiae authenticum Magisterium. Cum historia constet similes quasdam relationes interesse etiam inter Ecclesiae Magisterium et Theologorum consensum, ideo hanc thesim statuimus.

847. Notiones. Quid sint criterium èt consensus, atque condiciones quibus ornari necnon materia fidei et morum circa quam versari debeant, iam nobis satis patent ex praecedenti thesi. Nunc *Theologi* notio enucleanda.

Theologi sunt viri qui rerum divinarum scientiam excoluerunt, eam ex revelationis fontibus eruentes. Sub hac generali notione comprehenduntur acatholici et catholici Theologi. *Acatholici* dicuntur illi qui rerum divinarum scientiam ex fontibus revelationis eruere satagunt *solis lumine rationis et* criteriis philosophico-historicis ducti. *Catholici Theologi* sunt illi qui rerum divinarum scientiam ex fontibus revelationis eruunt *methodo* quidem *scientifica* philosophico-historica, attamen *lumine rationis fide illustratae* et authentico Ecclesiae Magisterio ut supremo criterio adiuti.

848. *Theologi Catholici, prout* a nobis definiti sunt, in Theologiae historia ad tres Ecclesiae aetates pertinere dicuntur: i.a est *aetas SS.Patrum,* inde ab Ecclesiae initio usque ad S.Ioannem Damascenum medio saeculo VIII; 2.a est *aetas me-*

dia, inde a S.Beda, ante medium saeculum VIII, usque ad ineuntem saeculum XVI; 3.ll est *aetas nova,* inde a *Concilio Tridentino,* ante medium saeculum XVI, usque ad nostra tempora. Intra triplicem unamquamque hanc aetatem merito recensetur florentissima 100 annorum periodus: in **1**.a post *Concilium Nicaenum I,* anno 325; in 2." *post Concilium Lateranense IV,* anno 1215; in 3.® *post Concilium Tridentinum,* anno 1563. In unaquaque hac splendoris periodo assignari etiam potest unus Theologus, qui singulari ratione inter alios eminuit: in **1**.a S.Augustinus; in 2.a S.Thomas Aquinas; in 3.", huc usque, FRANCISCUS SuARESIUS *

849. *Theologi, sensu* magis *stricto* sunt viri qui, post aetatem Sanctorum Patrum *fide* illustrati et Ecclesiae *Magisterio* ducti, doctrinam sacram, scriptis praesertim libris, *eminenter* tractaverunt. Argumentum ex Theologis de facto sumitur ex eorum scriptis, quare de Theologis praesertim scriptoribus in hac thesi agendum est.

850. *Theologi compilatores* dicuntur illi, Monachi praesertim, qui inde a fine aetatis patristicae usque ad finem saeculi XI, opera SS.Patrum compendiose in unum corpus collecta redigebant, ut ea ab interitu in turbulentis mediae aetatis temporibus servarent. Tunc enim Monasteria in primis unicum fere scientiarum refugium devenerunt; deinde etiam Ecclesiae Cathédrales, maxime in locis ubi Carolus Magnus mandavit ut studia instituerentur. Celebriora inde a saeculo IX recensentur studia apud Tours, Orléans, Reims, Corbie, St.Gallus, Reichenau, Fulda, Cluny, Hildesheim, Paderborn, Bee, Paris **2**.

851. *Theologi scholastici* dicuntur illi, qui inde a saeculo Xll doctrinam sacram ope Philosophiae in unum systema coordinate et rationis captui magis accommodare curaverunt. Appellantur *Scholastici,* quia haec ratio perscrutandi et tradendi sacram doctrinam nata et exculta est in scholis publicis mediae aetatis, auctoritate Ecclesiae ut plurimum erectis vel saltem sub eius iugi directione et vigilantia florentibus, et maxime in Universitatibus. Post Monachorum enim et Clericorum *Studia* natae sunt *Universitates,* quarum omnium antiquissimae, quasque aliae imitatae sunt, Parisiensis et Bononiensis habentur, utraque ab ecclesiasticis viris et in utilitatem doctrinae Ecclesiae, inde ab exeunte saeculo XII, instituta et gubernata est: Parisiis praesertim Theologia, Bononiae vero ius ecclesiasticum praecipue tradebatur. Ad harum imitationem, aliae saeculis XIII et XIV constitutae sunt Oxoniae, Salmanticae, Tolosae, Romae, Cantabrigae, Montis-Pessulani, Patavii, Palentiae, Ulyssiponae, Aureliae, Pisis, Vindobonae, Coloniae, Vallisoleti, Conimbricae, etc., etc. 3.

1 M.Grabmann, *Geschichte der katholixhen'Theologie* (1033) 14s.

2 K.Kirch, *Leit/aden der Kirchengeschichte. Das Mittelalter* § 139: D.Reichling, *Dorn· und Klosterxhulen des Mittelaltcrs: Lcxikon der Pâdagogik* 1.894-898; J.Salaverri, *Vitalidad y actualidad perenne de la Iglesia en* su misiori *educadora:* RevEspT 9 (1949) 223-264.

3 K.Bihlmeyer, *Universitriten: Kirchl. Handlexikon* 2,2507-2511: H.Schenkl, *Universitdten: Lexikon der Pddagogik* 5,309-311; I'.Pelster, Universitntcn.' LTK 10,405-408; E.Horn, *Universitdtcn:* REPT 20,266-282.

852. S.Isidorus Hispalensis et S.Ioannes Damascenus sunt *Theologi* exeuntis patristicae aetatis, qui ad usum scholarum conati sunt in syntesim reducere SS.Patrum sacram doctrinam. Isidori *Libri tres Sententiarum* et Damasceni *Expositio fidei orthodoxae* fuerunt praecipui libri textus ad Theologiam addiscendam in Scholis ante medium saeculum XI, in Occidente Isidori in Oriente autem Damasceni opus. Isidorus suas sententias collegit praesertim ex S.Augustino, Damascenus autem ex S.Gregorio Nazianzeno 4*

853. Medio saeculo XI S.Anselmus «divinitus excitatus videtur, ut exemplo, voce, scriptis, tutum iter ostenderet... duxque esset ac norma Doctoribus, qui post ipsum sacras litteras scholastica methodo tradiderunt, quorum ipse praecursor merito est nuncupatus et habitus»s. S.Anselmus suis operibus praecipua dogmata ita pertractavit, ut facilius posterioribus redderet componere perfectum Theologiae Dogmaticae systema.

854. Saeculo XII usque ad medium saeculum XIII plures conati sunt hoc perfectum Theologiae systema obtinere, operibus quae duplici praesertim titulo insigniebantur, videlicet *Libri sententiarum* et *Summae. Ex* genere Librorum sententiarum maiorem perfectionem attigerunt et maximum in posteros influxum exercuerunt Hugo a Sto.Victore (t 1141) opere *De Sacramentis christianae fidei et* maxime Petrus Lombardus (f 1160) suis *Sententiarum libris* quatuor (1150-1152), quod sane celeberrimum opus suo auctori meruit titulum *Magistri sententiarum* atque a summis Theologis, usque ad exeuntem saeculum XVI praecipue, ad docendam Theologiam adhibitum et plurimis commentariis illustratum est6.

855. Ex genere Summarum longe inter alia eminuerunt opera Alexandri Halensis (t 1245), *Summa Theologiae* in quatuor partes divisa, ac praecipue Sti.Thomae Aquinatis (t 1274) *Summa theologica* (1267-1273) in tres partes divisa. Ea quae morte praeoccupatus scribere non potuit Angelicus de Paenitentia, Extrema unctione, Ordine, Matrimonio et Novissimis, adiecta ad modum supplementi videntur iuxta lecturam Reginaldi Piperno nensis, anno 1280, ex Aquinatis *Commentariis* in P.Lombardum deprompta. In *Summa* S.Thomas mira sui ingenii virtute Philosophiam aristotelicam adhibere scivit ad aedificandum systema theologicum adeo perfectum, ut in eo summum concordiae fidem inter et rationem obtineatur, contra antinoniam rationis adversus fidem ab Averroes propugnatam; neque post tot saecula spes adhuc affulxit inveniendi aliud theologicum systema, quod eo perfectius dici valeat. *Summae* S.Thomae innumeri inter magnos Theologos, inde a saeculo XVI, commentatores exstiterunt, quos inter eminent praesertim ex *Ordine Praedicatorum* Capreolus, Caietanus, Bânez, Ioannes a Sto.Thoma: ex

4 S.Isidorus, *Libri tres sententiarum: ML* 83,538-738; S.Ioannes Damascenus, *De fide orthodoxa:* "Εκδοσι$ ακριβή; τή$ ὀρθοδόξου ττίστεω;: MG 94.782.789-1228. In manuscriptis graecis opus Damasceni dividitur in tres libros. Post tempora P.Lombardi introducta est divisio in quatuor libros. Samuel Taius, Episcopus Caesaraugustanus, post S.Isidorum. eodem saeculo VII, Sententiarum *libri quinque.* Cf. Z.Garcia Villada, *Hist, eelesidst. de Esvana t.2* p.2 c.17 § 3 p.217-223 et c.13 p.160-161 : M.Grabmann, Die *Geschichte der scholastischen Methode* 1,144-146; Id., *Geschichte der kathol. Théologie 23.*

3 Pius X, *Encycl. «Communium rerunu:* AAS 1 (1909) 377s.

6 H.a St.Victore, *De sacramentis christianae fidei:* ML 176.173-618; P.Lombardus, Sententiarum libri quatuor: ML 192,521-962. In opere Lombardi longe praevalent sententiae ex S.Augustino depromptae, adeo ut si in decem partes dividamus integrum opus, harum novem sint augustinianae: J.de Ghellinck, *Mouvement théologique du XII· siècle (1914)* 145-147: Id., *Pierre Lombard:* DTC 12,1989: Grabmann, *Gesch. der scholast. Methode* 2,385-387. «Hugonis a S.Victore et A.Halensis systemata de facto nihil aliud sunt quam elaborationes materialium theologicorum a S.Augustino traditorum»: Grabmann, *Gesch. der kathol. Théologie 22.*

Ordine Carmelitarum sic dicti *Salmanticenses;* ex *Societate Iesu* Toletus, Valentia, Suârez, VXzquez 7.

856. *Scholae,* sic dictae, *Theologicae* ortae sunt post medium saeculum XIII, cum Theologia speculativa florere incepit. Earum diversitas non ex diversa agnitione dogmatis, sed ex varia veritatum revelatarum systematica ordinatione ac praesertim ex diversa dogmatum rationali explicatione et coordinatione cum systematibus philosophicis ortum habuit. *Scholae Theologicae* praecipuae, propter condicionem principalium Theologorum ad eas pertinentium, appellatae sunt *Dominicana, Franciscana, Augustinensis, Carmelitana, Iesuitica, etc.;* propter nomen Theologi, qui in unaquaque principatum obtinuit, dictae sunt *Thomistica, Scotistica, Occhamistica, Suareciana,* etc. Hae Scholarum denominationes, quamvis characteristicae sint, tamen neque adaequatae neque exclusivae dici possunt; *Schola* enim quae *Iesuitica* dicitur, vere et proprie *Thomistica* dici debet, et a *Dominicana* solum quoad modum eatenus difert, quatenus ampliori eruditione exegetico-patristica pollens, doctrinam thomisticam magis fecundare et ulterius evolvere satagit, atque in iis, quae disputabilia sunt, maiore autonomia et opinandi libertate utitur 8.

857. Ex hoc *historico conspectu* aperte constat: 1) *Pro Theologis* non requiri *Antiquitatem,* quam postulavimus pro *SS.Patribus;* immo Theologi aetate SS.Patrum posteriores sunt. 2) Nec requiri *Sanctitatem,* quamvis haec minime excludatur, cum plures inter Theologos revera Sancti sint. 3) Nec requiri illam Ecclesiae approbationem saltem communem quam SS.Patres obtinuerunt; licet tamen haec approbatio non excludatur, nam eorum plures, maxime illi qui *Ecclesiae Doctores* proclamati sunt, vera ecclesiastica approbatione ornantur. 4) *Positive pro Theologis* requiritur *eminentia* quaedam *doctrinae* in scriptis exhibita. 5) Etiam requiritur *orthodoxia* doctrinae ab Ecclesia eatenus saltem agnita quatenus eorum scripta in usu fidelium vel scholarum sunt, sciente neque improbante Ecclesiae Magisterio.

858. Status quaestionis. Ut *Theologorum consensus* sit certum divinae Traditionis critérium, requirimus ut sint *Theologi catholici* stricte dicti, ut *eminentia et orthodoxia* doctrinae excellant, ut *de rebus fidei vel morum* scribant vel tamquam *testes fidei* Ecclesiae vel tamquam doctores, sin minus authentici, saltem argumentis convincentibus sua asserta probantes,

7 M.Grabmann, *Einfuhrung in die «Summa Theologiae» des hl.Thomas von Aquin* (1928 8-49; Id., *Gesch. der kathol. Theol.* 63-66.75-84. Auctores qui disputant de genuinitâte *Summae* Halensis vide apud Grabmann, *Gesch. der kathol. Theol.* 296 § 4. Cf. Suermondt, *De textu critico leonino Sum. theol.* S.Th. Summa, ed. P.Caramello I p.V-XIV.

» *Scholarum theologicarum* characteristicas notas vide apud M.Grabmann, *Gesch. der kathol. Theol.* 60-73.92-115; Id., *Einführung* in *die «Summa» 45s.* De libertate quam concedit Ecclesia adhaerendi cuilibet cx his Scholis, quae domicilii iure in Ecclesia potitae sunt, vide Pium XII, *Alloc. «Animus Noster*:* AAS 45 (1953) 684-687; cf. F.Pelster: EstEcl 27 (1953) 143-166; infra n.880-883·

ut eorum *consensus* sit *obiectivus, moraliter unanimis et sententia certa* expressus.

859. **Adversarii.** Rogerius Bacon, O.F.M. (1214-1294), Qui empirica methodo imbutus invenit quidem leges physicas luminicae reflexionis et refractionis, sed contra scholasticam methodum acerbius invehebatur. *Humanismi cultores,* qui litteras artesque classicas plus iusto aestimantes, contra scholasticos, quos despectione «barbaros» appellabant eo quod styli formam negligerent, multa convicia dixerunt.

Wicleff et *Protestantes* praecipui adversarii sunt, qui tot irrisoria contra Scholasticos cumulaverunt, ut ipsum «Scholasticae» nomen devenerit apud eos synonimum scientiae vacuae, fallacis et inutilis. Exempli causa Melanchthon: «Theologia, inquit, scholastica nihil est nisi vana, ficta, damnata, diabolica cavillatio et monachorum somnium» 9. *Protestantes* vero *recentiores* et *Rationalistae,* valorem historicum et scientificum Theologiae scholasticae melius perspicientes, has praecedentium insectationes expressis verbis et acerbe improbant.

Iansenistae Theologiam scholasticam, utpote Philosophia rationali infectam, despiciunt, atque solam Theologiam positivam sive biblicam sive patristicam excolendam esse autumant, et S.Augustini auctoritatem exaggerant: D 1320.

860. *Philosophi* plus minus Francisci Bacon a Berulamio sectatores, solam experimentalem methodum in scientiis adhibendam esse tenent, atque ideo speculativam scholasticae Theologiae methodum impugnant. *Cartesiani* vero Scholasticam insectantur eo quod rationem cum fide conciliare curaverit, atque inde rationem coarctari posse supponeret. Pari ratione Kant, qui absolutum rationis purae primatum propugnavit 10. *Semirationalistae vero* et *Modernistae* absolutam et omnimodam independentiam ordinum revelationis supernaturalis et rationis naturalis affirmantes, ideo methodum scholasticam acriter insectantur, quia duplicem hunc ordinem miscuit et coordinare curavit.

861. **Doctrina Ecclesiae,** i) *Scholasticam* in primis eiusque cultores Ecclesia contra impugnatores defendit. *Contra* Abbatem Ioachim, *Conc.Lateranense IV* (1215) D 431-432. *Contra* Wicleff et Hus, *Conc.Constantiense* (1418) D 609.

9 Cf. Dorsch. *De Ecclesia 750;* Felder, *Demonstr. catholica* 339.
10 Vi: mt: Bacon a Berulamio, 1561-1626; Descartes, 1596-1650; Kant, 1724-1804.

Contra Protestantes, Sixtus V (1588) scribens: Haeretici, qui «sacram Theologiam, quae Scholastica appellatur, hoc luctuoso saeculo oppugnant vehementissime, Nos summopere admonent ut eandem Theologiam, qua nihil Ecclesiae Dei fructuosius, omni studio retineamus, illustremus, propagemus... Quanto igitur magis hanc munitissiman scholasticae Theologiae arcem oppugnare et evertere conantur, tanto magis Nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere et hereditatem Patrum Nostrorum conservare et tueri, et acerrimos veritatis defensores meritis honoribus, quantum possumus, decorare»[11][12]

Contra Pistorienses, Pius VI *('«Auctorem fidei»* 1794) D 1576 1579. *Contra* Bonnetty, traditionalistam, Pius IX (1855) D 1652. *Contra* Gunther, semirationalistam, Pius IX (1857) D 1657. *Contra Modernistas* Pius X *(«Pascendi»* 1907) D 2104. Praeterea in eadem Encyclica:

«Philosophiam, inquit, ac Theologiam scholasticam derident passim atque contemnunt [Modemistae]... certum est, studium novarum rerum cum odio scholasticae methodi coniungi semper; nullumque est indicium manifestius, quod quis Modernismi doctrinis favere incipiat, quam cum incipit scholasticam horrere methodum»,[2].

2) *Consensum Theologorum* magni aestimat Ecclesia, eumque velut critérium theologicae veritatis adhibuit in *Conc. Viennensi* (1312) D 480 in fine, cf. D 483. Pius vero IX disserte statuit (1863 *«Tuas libenter»)* consensum Theologorum sequendum esse: D 1680 1683 1684 1713. Ex historia autem *Conciliorum Tridentini et Vaticani* constat in eis agnitum fuisse, ut certum veritatis fidei et morum critérium, *unanimem Theologorum* vel *Scholarum theologicarum consensum* [13].

862. Valor dogmaticus. Ex disserta Pu IX commendatione, doctrina theseos dici debet *Doctrina Catholica. Ex* practica ratione agendi in Conciliis Oecumenicis, ac praesertim in *Tridentino et Vaticano,* thesis est *theologice certa.*

863. Probatio. Theologorum consensus in rebus fidei et morum adeo intime connectitur cum Ecclesia docente, ut error in Theologorum consensu necessario induceret errorem Ecclesiae universae. Atqui Ecclesia universa in rebus fidei et morum errare nequit. Ergo neque Theologorum consensus, atque ideo talis consensus est certum divinae Traditionis critérium.

Min. constat ex thesibus de Ecclesiae infallibilitate.

11 Bullarium Romanum, ed. Taurinen. 8,1009-1010.

12 Pius X, Encyd. «Pascendi»: ASS 40 (1907) 636.

13 H.Lennerz, *Das Konzil* wn Trient *und theologische Schulmeinungen:* Schol 4 (1929) 44-51; J.Salaverri, *Autoridad dei P.Sudrez en el Conc.Vaticano:* EstEcl *22* (1948) 61-82.

864. *Ad mai.* Consensus Theologorum in rebus fidei et morum intelligitur ille quo, vel *attestantur fidem* Ecclesiae, *vel sententia certa* docent aliquam doctrinam tamquam *de fide vel moribus* esse *ab omnibus tenendam.* Huiusmodi Theologorum consensus intime connectitur cum Ecclesia docente et quidem multipliciter:

a) *Connexione originis,* quia Ecclesia docens, id est Pontifices, Episcopi, Sacerdotes, etc., inde a medio saeculo VIII, a magisterio Theologorum ut plurimum prodiit atque ab eodem semper didicit ea quae tamquam de fide vel moribus fidelibus proponenda sunt.

b) *Connexione moralis responsabilitatis,* quia inde a saeculo XII usque ad saec.XVI Ecclesia docens *scholas omnes* et magistros Theologiae instituit, direxit vel saltem eisdem ita invigilavit, ut in omnibus etiam Universitatibus Cancellarius Summum Pontificem repraesentabat cum munere curandi *de orthodoxia doctrinae* 14.

c) *Connexione causalitatis moralis,* quia post *Concilium Tridentinum* Ecclesia docens Seminaria Clericorum ordinavit, in quibus sub directa et plena Episcoporum actione professores et alumni disciplinis theologicis operam dabant.

d) *Connexione influxus instrumentales,* quia Ecclesia docens *Theologos* semper ut consultores et ut auxiliares adhibuit ad munus doctrinale exercendum, tam *modo ordinario in Curiis* Episcopalibus et Papalibus, quam *modo extraordinario in Conciliis* sive particularibus sive generalibus sive oecumenicis.

e) *Connexione approbationis saltem implicitae,* quia Ecclesia docens diligentissime curavit proscribere errores, praesertim qui a Theologis in scriptis proponebantur, atque ideo post *Concilium Tridentinum* Summus Pontifex instituit *Congregationem Indicis,* quae de hac re curam praecipuam haberet; haec autem librorum invigilantia a Benedicto XV *Congregationi S.Officii* fuit ex toto commissa 15.

865. Huiusmodi invigilantiam continuam esse patet ex frequenti eius exercitio, quod abunde probari potest ex solis casibus a Denzinger citatis inde a medio saeculo XII usque ad *Conc.Tridentinum :* de Abaelardo, D 368; de *Theologis parisiensibus,* D 442; de Guilelmo a Sto.Amore, D 458; de Petro Ioanne de Olivi, D 480; de Ioanne de Polliaco, D 491; de Marsilio Patavino, D 495; de Eckardo, D 501; de Nicolao de Uitricuria, D 553; de Dionysio Fouilechat, D 575; de Ioanne Wicleff et Ioanne Hus, D 581 et 627; de Zanini de Solcia, D 717a; de Petro de Rivo, D 719; de Petro de Osma, D 724; de Martino Luther, D 741. Haec cura indesi-

14 F.Pelster, *Universitaten:* LTK 10,405-408; H.Schenkl, *Universitatem Lexikon det Pâdagogik* 5,309-3II.

15 Wernz-Vidal, Ius Canonicum t.2 n.488: De S.Congr. S.Officii.

nenter usque ad nostra tempora perseverat, ut patet circa *Semirationalistar* Hermes et Frohschammer, D 1619 et 1666-67, et circa *Modernistes* in *Decreto «Lamentabili»,* D 2001. Propter talem ac tantam connexionem omnino infertur, errorem in consensu Theologorum circa res fidei vel morum necessario inducere debuisse errorem Ecclesiae Universae. Ca. hodiernos cf. *Humani generis.*

866. *Confirmatio* a priori *ex honesta aemulatione,* quae viget inter *Scholas theologicas, et* quam merito cupiunt et laudant Summi Pontifices, quia ad studiorum progressum multum confert: D 2192 16. Unde fit argumentum: Propter honestam aemulationem, quae fervet maxime inter varias Theologorum Scholas, alii aliorum asserta accurate perpendunt neque ea facile admittunt nisi probe demonstrata repererint, praesertim si circa res fidei vel morum versentur. Ergo unanimis Theologorum consensus in rebus fidei et morum indubium esse divinae Traditionis critérium censendus est.

867. Obiectiones 17. 1. Theologorum scientia est tantum relative vera et semper fallibilis. Ergo nequit esse certum divinae Traditionis critérium.

Prob. antec. Theologorum scientia deducitur ex deposito fidei mediantibus principiis systematum humanorum. Atqui humana systemata sunt tantum relative vera et semper fallibilia. Ergo etiam Theologorum scientia est tantum relative vera et semper fallibilis.

Dist. mai. Theologorum scientia deducitur ex deposito fidei mediantibus systematum humanorum principiis absolute veris et omnino certis, *conc. mai.;* relative tantum veris et mere probabilibus, nego *mai. Contradist. min.* Humana systemata sunt tantum relative vera et semper fallibilia quoad aliquas conclusiones quae in omni humano systemate dantur relative tantum verae et mere probabiles, *conc. min.;* quoad eorum principia absolute vera et omnino certa, nego *min.* Ad ulteriorem huius solutionis explicationem, recole quae diximus n.736.

2. Theologorum scientia est cognitio veritatum fidei per quandam analogiam cum veritatibus systematum humanorum. Atqui haec analoga cognitio nequ't esse absolute vera et omnino certa. Ergo scientia Theologorum nequit dici cognitio absolute vera et omnino certa.

Dist. mai. Theologorum scientia est cognitio veritatum fidei per quandam cum veritatibus systematum humanorum analogiam veram et in ipsa revelatione fundatam, *conc. mai.;* per analogiam non veram vel in revelatione non fundatam, *nego mai. Contradist. min.* Veritatum fidei analoga cognitio per analogiam non veram vel in revelatione non fundatam nequit esse absolute vera et omnino certa, trans, min.; per analogiam veram et in revelatione fundatam, *subdist.:* nequit esse propria, adaequata et comprehensiva cognitio, *conc.;* nequit esse absolute vera et omnino certa cognitio, quamvis sit analoga, inadaequata et abstractive, nego. Ad solutionis explicationem confer quae diximus n.735.

16 Pius XI. *Encycl. «Studiorum ducem»;* AAS 15 (1923) 314; Pius XII, *Sermo «Sollemnis* conventus»; AAS 31 (1939) 247; Alloc «Animus Noster»; AAS 45 (1953) 684-687; cf. infra n.880-883.

17 Cf. De Groot, q.21 a.t; Van Laak, *Repetltorium* (1921) 605-611; Cotter, 537.

868. 3. Praeter dogmata ab Ecclesia definita, scientia Theologorum constat elucubrationibus et subtilitatibus, quae limites probabilitatis non excedunt. Ergo standum est ut criterio definitionibus Ecclesiae, scientia vero Theologorum nequit haberi ut absolute vera et omnino certa cognitio.

Dist. *antec.* Praeter dogmata definita, scientia Theologorum elucubra-'ionibus mere probabilibus constat tantum, nego *antec.;* etiam, *subdist.;* circa res nondum plene exploratas et cum revelatis non necessario connexas, *conc.;* circa iam plene exploratas res et cum revelatis necessario connexas, *nego. Dist. pariter cons. Nego consequentiam.*

4. Theologi habent auctoritatem quam ipsi sibimetipsis attribuunt. Atqui ipsi, ut homines, fallibiles sunt. Ergo eorum auctoritas nequit esse certum Traditionis critérium.

Dist. niai. Theologi habent auctoritatem quam ipsi sibimetipsis singulis attribuunt, *trans, mai.,* quam ipsi ipsorum consensui attribuunt, *subdist.:* eam probantes ex intima connexione talis consensus cum Magisterio Ecclesiae, *conc.;* eam arbitrarie et sine probatione ipsorum consensui tribuentes, nego. *Contradist. min.* Theologi, ut homines, fallibiles sunt singuli, *conc. min.;* consentientes, *subdist.:* si independenter ab Ecclesia Magisterio doceant, *conc.;* si in connexione intima cum Ecclesiae Magisterio doceant, nego.

869. 5. Theologi consentientes erraverunt circa materiam Sacramenti Ordinis, circa sacramentalitatem Episcopatus et Ordinum Minorum, aliasque circa res huiusmodi, quas in connexione intima cum Ecclesiae Magisterio docuerunt. Ergo Theologi erraverunt etiam consentientes et in connexione intima cum Ecclesiae Magisterio docentes.

Dist. *antec.* Theologi erraverunt consentientes lato sensu atque sententia probabili vel minus firma doctrinam propugnantes, *conc. antec.;* vere consentientes atque sententia certa et firma doctrinam tenendam proponentes, *nego antec. Dist. pariter cons.* De sententiis Theologorum circa doctrinas quae citantur, confer tractatum de Sacramentis.

6. Unanimi et firmo consensui Theologorum unius aetatis non semel contradixit unanimis et firmus Theologorum consensus aetatum subsequentium. Ergo necessario aliquando Theologi vere et firmiter consentientes erraverunt.

Dist. *antec.* Consensui late unanimi et minus firmo aut circa res non certas vel cum revelatis non necessario connexas, *conc. antec.;* consensui vere unanimi et omnino firmo aut circa res certo ac necessario cum revelatis connexas contradixit consensus vere unanimis et omnino firmus aetatum subsequentium. *nego antec.*

870. 7. Inter Theologos, praeter dogmata ab Ecclesia definita, nulla est sententia cui alii Theologi non contradicant. Ergo inter eos, praeter dogmata ab Ecclesia definita, non datur consensus vere unanimis et omnino firmus.

Dist. antec. Inter Theologos nulla est sententia cui alii non contradicant Theologi plures, *nego antec.;* cui non contradicant unus alterve Theologus, *subdist.:* et hic unius alteriusve dissensus officit consensui physice unanimi (quem non requirimus), *conc.;* officit consensui mobiliter unanimi (quem sufficere tenemus), nego.

8. Cuilibet Theologo licet, veterum sententia relicta, nov. n propugnare. Ergo consensus vere moraliter unanimis semper deficere potest.

Dist. *antec.* In rebus fidei et morum atque contra Theologorum consensum vere moraliter unanimem et omnino firmum, nego *antec.;* aliter, sub-

dist. : si argumentis revera gravibus nova sententia fulciatur, *trans.;* secus *nego.*

9. Theologi antiquiores pluribus saeculis distant a tempore Apostolorum, quo clausa est christiana revelatio. Atqui testimonium quo magis a sua origine recedit eo in deterius vergit. Ergo Theologorum testimonium circa res revelatas nequit haberi pro certo Traditionis criterio.

Conc. niai. Dist. min. Testimonium mere historicum quo magis a sua origine recedit eo in deterius vergit, *trans, min.;* testimonium dogmaticum, *subdist. :* independenter ab Ecclesiae Magisterio conceptum, *trans.;* in connexione intima cum perenni et infallibili Ecclesiae Magisterio prolatum, *nego.* Lex degenerationis admitti potest in rebus mere humanis; in Ecclesiae autem rebus, quae ad eius substantiam eiusque dogmata pertinent, lex degenerationis non datur, quia perennitate gaudent sub efficaci Dei assistentia quae talem degenerationem impossibilem reddit.

871. Scholion. De auctoritate Sancti Thomae Aquinatis.

10.a S.Thoma, *De approbatione doctrinae divi Thomae* (Curs, theol. ed. Vivès. l p.288; Berthier, *S.Thomas Aquinas Doctor Communis Ecclesiae* l (1914); Kleutgen, *Théologie det Vorzeit* 4 n.54-60; Grabmann, *Einführung in die Summa* (1928) 135-148; A.d'Ales, *Thomisme:* DAFC 4.1667-1672; De Groot, *Summa apolog.* q.21 a.2; Bainvel, *De Magisterio* n.91; Felder, 2,340-345; Müller, *De verbo revelato* 171-176; Schultes, a.73; Dieckmann, n.882-891; Michelitsch, § 254; Dorsch, 754-756; Sadoc Szabo, *Die Autoritat des hl.Thomas in der Théologie (1919);* D'Herbigny, *La théologie du révélé* (1921) n.259-279: Lercher, n.546; Cotter, 539-541; *Enchir.Cleric.* Index rerum: «Thom.Aquin.» 916; DTC 15,618-761; I,M.Ramirez, *De auctoritate doctrinali S.Thomae* (1952); F.Pelster, *La autoridad de Sto.Tomds:* EstEcl 27 (1953) 143-166.

872. Loquimur de auctoritate S.Thomae *in Theologia.* Abstrahimus ergo ab omnibus illis rationibus et testimoniis, quae merito afferuntur ad demonstrandam Angelici Doctoris auctoritatem in Philosophia. In Theologia vero auctoritas S.Thomae est omnino singularis et maior, in genere, auctoritate alterius cuiuscumque Doctoris vel Theologi in Ecclesia Catholica.

1) S.Thomae *theologica auctoritas* quae appellatur *intrinseca,* est revera maxima. *Intrinsecam* dicimus auctoritatem eam quae ex intrinseco valore ipsius doctrinae oritur. Hanc optime significavit Leo XIII his verbis:

«Inter Scholasticos Doctores, omnium princeps et magister, longe eminet Thomas Aquinas... rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere, neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae iam est per Thomam consecuta»18.

18 Leo XIII. *Encycl. .Aeterni Patris·: Acta Leonis XIII* ed. Desclée i (1879) ioos; EC 416s. De partibus quas in componenda hac *Encycl.* habuit Jos.Kleutgen, S.I.. cf. M.Grabmann, *Geschichte der Kathol. Théologie* p.229, et F.Lakner, *Kleutgen und die kirclliche* Wissenschaft: ZkathTh 57 (1933) 161-214. Has Leonis XIII laudes iterum repetivit Pius XII in *Allocut. «Animus Noster·: AAS* 45 (1953) 685.

873. 2) *Angelici* vero theologica auctoritas, quae dicitur *extrinseca,* etiam maxima est. *Extrinsecam* appellamus auctoritatem quae Angelico accedit ex communi agnitione cultorum eiusdem theologicae scientiae. Hanc memorat Leo XIII:

«Doctissimi, inquit, homines, superioribus praesertim aetatibus, Theologiae et philosophiae laude praestantissimis, conquisitis incredibili studio Thomae voluminibus immortalibus, angelicae sapientiae eius sese non tam excolendos, quam penitus innutriendos tradiderunt. Omnes prope conditores et legiferos Ordinum iussisse constat sodales suos, doctrinis S.Thomae studere et religiosius haerere... Atque hoc loco magna cum voluptate provolat animus ad celeberrimas illas, quae olim in Europa floruerunt, Academies et Scholas, Parisiensem nempe, Salmantinam, Complutensem, Duacenam, Tolosanam, Lovaniensem, Patavinam, Bononiensem, Neapolitanam, Conimbricensem, aliasque permultas. lamvero compertum est, in magnis illis humanae sapientiae domiciliis, tamquam in suo regno, Thomam consedisse principem; atque omnium vel Doctorum vel Auditorum animos miro consensu in unius Angelici Doctoris magisterio et auctoritate conquievisse» [19].

874. 3) Auctoritas deriique S.Thoixiae, quae *canonica* appellari potest, maior est etiam auctoritate cuiuscumque alterius Theologi catholici. *Canonicam* dicimus appellari posse auctoritatem, quae *Angelico Doctori* competit propter approbationem explicitam, qua saepe Summi Pontifices eius doctrinam prae aliis commendaverunt.

1.° *Ante Concilium Vaticanum,* a) *in genere* plures Summi Pontifices suis laudibus S.Thomae doctrinam extulerunt, quorum praecipuos nominat Leo XIII in sua *Encyclica «Aeterni Patris»* [20]. b) *In specie,* memoria digna est approbatio Ioannis XXII in Consistorio ante Canonizationem (a. 1318) et (a.1323) in ipsa *Canonizationis Bulla* S.Thomae [21]. c) *Magis* adhuc *specialis* approbatio ea dicenda est, qua Pius V S.Thomam universalis *Ecclesiae Doctorem* declaravit [22].

875. 2.0 *Post Concilium Vaticanum* approbationem singularem et specialissimam obtinuit Doctor Angelicus, a) *In primis a Leone XIII, Encyclica «Aeterni Patris»,* in qua docetur:

«Inter Scholasticos Doctores, omnium princeps et magister, longe eminet Thomas Aquinas; qui veteres doctores sacros quia summe veneratus est,

19 Leo XIII, *l.c., 101* : EC 418. Cf. J.Maritain, *El Doctor Angelico* (1942) p.i57-i6r.

20 *Acta Leonis XIII* cd. Desclée i (1879) 102: EC 419.

21 Ioannes XXII, *Bulla canonizationis «Redemptionem»: Bullarium Romanum,* ed. Taurinen. 4 (1323) 303; *Sermo* in Consistorio, apud Guil.de Thoco, Vita *S.Thomae* c.13 n.81; Bollandus, *Acta Sanctorum* 7 (7 mart.) 680: EC 1174. Cf. Lercher, n.546.

22 Pius V, *Bulla 'Mirabilis Deus»: Bullar. Rom.* ed. Taurinen. 7 (1567) 564· Inter eos qui praeparabant schemata pro futuro Conc.Vaticano, aliqui volebant ut Concilium commendaret S.Thomam; maior vero pars consuit hoc non expedire: Msi 49,690s. Cf. Msi 5r,281, 302s,320

ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est. Illorum doctrinas, velut dispersa cuiusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coaugmentavit, miro ordine digessit et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur... illud a se ipse impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellant, et ad profligandos qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditant»23. .

876. b) *Deinde* a Pio X *Motu proprio «Doctoris Angelici»,* pro Italia et insulis adiacentibus, quo praecepit ut Summa Aquinatis tamquam liber textus adhiberetur:

«Volumus, inquit, iubemus, praecipimus, ut qui magisterium sacrae Theologiae obtinent in Universalibus, magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis, quae habeant ex apostolico induito potestatem gradus academicos et Lauream in eadem disciplina conferendi, *Summam theologicam* S.Thomae, tamquam praelectionum suarum *textum* habeant et latino sermone explicent: in eoque sedulam ponant operam ut erga illam auditores optime afficiantur». Hoc ipsum posterius *S.Congr. de Semin, et Stud. Universitatibus,* sub Benedicto XV, praescribebat Episcopis Italiae et Germaniae; Pius vero XI. in *Encyclica «Studiorum ducem»,* idem decretum sine til'a restrictione confirmabat 24.

c) *Postea* a Benedicto XV, praesertim cum in *Cod. lur. Can. praescripsit* lege universali Ecclesiae:

Philosophiae rationalis et Theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant» (cn.1366 § 2).

877. d) *Etiam* a Pio XI, dum in *Encyclica «Studiorum ducem»* confirmavit *Litteras Encyclicas «Aeterni Patris»* Leonis XIII et *Decretum «Doctoris Angelici»* Pu X: D 2191, atque dum in eadem *Encyclica* ulterius adiecit:

«Nos vero, inquit, haec tanta divinissimo ingenio tributa praeconia sic probamus, ut non modo *Angelicum,* sed etiam *Communem* seu universalem Ecclesiae Doctorem appellandum putemus Thomam, cuius doctrinam, ut quam plurimis in omni genere litterarum monumentis testata est, *suam Ecclesia fecerit».* Idem vero Pontifex, in Constitutione Apostolica *Deus scientiarum Dominus a.zga,* praescripsit: «Sacra Theologia methodo cum positiva tum scholastica tradenda est; ideo veritatibus fidei expositis et ex sacra Scriptura et Traditione demonstratis, earum veritatum natura et intima ratio

23 Lro XIII, *Encycl. «Aeterni Patris*: Acta Leonis XIII* ed. Desclèe i (1879) ioos: EC 416s.

24 Pius X *Motu* proprio *«Doctoris Angelici·: AAS* 6 (1914) 340; *S.Cong. de Sem. et Stud. Univ, ad Episc. Italiae* (920) *et Germaniae* (1921): EC 1107 et 1134; Pius XI, *Encycl. «Studiorum ducem·;* ΛΛ5 15 (1923) 323. Iam Leo XIII, rion sane praeceperat, sed utique commendaverat Galliae Episcopis Summam *theologicam* tamquam librum textus: *Encycl. «Depuis le jour»: Acta Leonis XIII* ed. Desclée 7 (1899) 293: EC 603.

ad principia et doctrinam S.Thomae Aquinatis investigentur et illustrentur» 2S.*

878. e) *Denique* a Pio XII, qui in *Sermone «Sollemnis conventus»* edixit:

«Ea est Aquinatis sapientia... quae ad dogmata fidei declaranda et defendenda maxime aptetur; ea est quae grassantes primarios errores cuiusvis temporis efficienter valeat arcere et invicte debellare. Quapropter animum afferte plenum amoris et studii erga S.Thomam: totis viribus incumbite ut luculentam eius doctrinam intellectu perspiciatis: quidquid ad eam manifesto pertinet et tuta ratione ut praecipuum in ea habetur, libenter amplectimini.» Et in *Encycl. «Humani generis»* ait: «Ecclesia probe noscit Aquinatis doctrinam cum divina *revelatione* quasi quodam concentu consonare, atque ad fidei fundamenta in tuto collocanda efficacissimam esse» -«.

879. 4) *De auctoritate* ergo S.Thomae iuxta ea quae praecedunt, admitti possunt hae conclusiones, quas defendit R.Schultes:

I. «Doctrina quaedam ex eo quod tenetur a S.Thoma, non est *de fuie tenenda* neque materiahter. neque formaliter». II. «Doctrina S.Thomae non habet eam auctoritatem, ut tamquam *theologice certa* sit tenenda». III. «Doctrina S.Thomae in rebus fidei et morum *luto* teneri potest ac debet, assensu simplici, relicta etiam sententia opposita alterius Scholae vel Doctoris»

Tuto teneri potest ac debet, utique, «quidquid ad doctrinam S.Thomae manifesto pertinet et tuta ratione praecipuum in ea habetur» (Pius XII), et nisi «cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens» reperiatur (Leo XIII) 27.

880. 5) *Indolem auctoritatis,* de qua loquimur, bene definivit De Groot, asserens: «Romani Pontifices corpus doctrinae thomisticae prae ceteris doctrinis ut *viam tutam directionemque* ad veritatem assequendam commendant»28. Ideoque merito doctrinis theologicis *Angelici Doctoris* applicari potest illa norma, quae de approbatione thesium philosophicarum eiusdem

25 Pius XI, *Encycl. ««Studiorum ducem*:* AAS 15 (1923) 3'4= EC 1174; Constit *Apost. «Deus scientiarum»:* AAS 23 (1931) 253. *S.Cong. de Sem. et Stud. Univ,* in *Ordinationibus* a. 18 § i praecipit ut a.29 *Constit. «Deus scientiarum»* «sancte servetur ad normam» *Litt. Encycl.* Leonis XIII «Aeterni *Patris»* et Pu XI *«Studiorum ducem»:* AAS 23 (1931) 268.

20 Pius XII, *Sermo «Sollemnis conventus»:* AAS 31 (i93*9) 246; «Hum. gen.»: AAS 42 (1950) 73» et in *Allocut. «Animus Noster»:* AAS 45 (1953) 685.

27 R.Schultes, O.P., *De Ecclesia* a.73; Pius XII, *Sermo «Sollemnis conventus»:* AAS 31 (1939) 246: Leo XIII, *Encycl. «Aeterni Patris»: Acta Leonis XIII* ed. Desclée i (1879) 107. Utique iam teneri nequeunt ea quae contraria sint iis quae posterius vel a Magisterio ecclesiastico definita sunt, vel communi Theologorum consensu ut certa tenentur, vel tamquam doctrinae progressu scientiarum iam exploratae haberi debent. Plures huiusmodi propositiones, quae iam suo tempore controvertebantur, recenset Io.a S.Thoma, *Tractatus de approbatione et auctoritate doctrinae D.Thomae* d.2, de propositionibus erroneis quae in D.Thomam obiciuntur: *Cursus theologicus* ed. Vivès 1,336-382

28 De Groot, O P., *Summa apolog. de Ecc.esia* q.21 a.2 p.8i$ Quid proprie significet, approbare aliquam doctrinam *ut tutam,* explicavimus in th. 15.

Doctoris edita est a S.Congr. de Semin, et Stud. Univ, et a Benedicto XV confirmata: «Proponantur, inquit, veluti *tutae normae directivae».* Quae sane norma ulterius ab eodem Pontifice declarata est in epistola ad R.P.Wlod.Ledôchowski his verbis: «Recte Nos te sensisse arbitramur, quum eos putasti Angelico Doctori satis adhaerere, qui universas de Thomae doctrina theses perinde proponendas censeant, ac *tutas ad dirigendum normas,* nullo scilicet omnium amplectendarum thesium imposito officio» 2930

881. 6) *lusta libertas et honesta aemulatio* optandae et commendandae sunt. Etenim edoctus iis, quae in *Concilio Vaticano* discusa et definita sunt, Leo XIII *Encyclicam «Aeterni Patris»* scripsit, ut efficax aliquod remedium adversus pericula *Rationalism!* provideret. Pius vero X et Benedictus XV sua praescripta ediderunt adversus *agnosticismum Modernismi.* Haec autem, quae adversus *inimicos fidei* tam sapienter Pontifices praeceperunt vel commendaverunt, aliqui catholici, partium studio ducti, ad altercationem inter *domesticos fidei* praesertim detorserunt, autumantes *Thomismum* ut systema esse ita ab *Ecclesia* praescriptum, ut alia etiam *catholicorum systemata* debuerint censeri eo ipso exclusa et saltem implicite improbata. Hac exaggerata interpretatione immerito ac perperam *honesta scholarum aemulatio, iusta investigationis libertas,* et excellentes, quos illae produnt, scientiae progressus compesci potuerunt, contra mentem ipsius Leonis XIII, qui in ipsa *Encyclica «Aeterni Patris»* aperte ait:

«edicimus libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum». Et postquam omnes hortatus est ad quaerendam «auream S.Thomae sapientiajiv, pergit: «Sapientiam S.Thomae dicimus: si quid enim est a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo' modo non probabile, id nullo in pacto animo est aetati nostrae ad imitandum proponi»

29 Benedicti XV confirmatio decreti *S.Cong. de Seni, et Stud. Univ.:* AAS 8 (1916) 157. Eiusdem Pontificis approbatio nonnarum Wlodimiri Ledôchowski de doctrina S.Thomae amplectenda: EC 929. Cf. Dieckmann, n.887-890: F.Cavallera, Autour *de S.Thomas:* BullLittEccl (1917) 115-134· De significatione approbationis Benedicti XV, cf. F.Pelster, *La autoridad de Sto.Tomds:* EstEcl 27 (1953) >56-159·

30 Leo XIII, *Encycl. «Aeterni Patris»: Acta Leonis XIII* ed. Desclée i (1879) 107: EÇ 429. Benedictus XV. *Encycl. «Ad Beatissimi»:* AAS 6 (1914) 576-577, aperte conquestus est de huiusmodi altercationibus inter auctores catholicos atque iustam etiam libertatem tuitus est, scribens: «In rebus, de quibus salva fide et disciplina—cum Apostolicae Sedis iudicium non intercesserit—in utramque partem disputari potest, dicere quid sentiat idque defendere sane nemini non licet».

Quod ex positiva commendatione Sti.Thomae nequeat concludi exc usio aliorum Doctorum, patet ex eo quod etiam S.Bonaventura pluries Summorum Pontificum laudibus commendatus est: S.Bonaventurae, *Opera theologica selecta,* Quaracchi I (1934) p.XV-XXV. Cf. Y.Conoar: DTC 15.394-396.

882. Quapropter merito Pius XI hanc domesticam catholicorum altercationem denique solvit iuxta plurisaecularem Ecclesiae traditionem, in favorem nempe *iustae libertatis* et *honestae aemulationis,* haud cunctanter edicens:

«Inter amatores S.Thomae, quales omnes decet esse Ecclesiae filios qui in studiis optimis versantur, *honestam illam quidem cupimus iusta in libertate aemulationem unde studia progrediuntur,* intercedere, at obtrectationem nullam, quae nec veritati suffragatur et unice ad dissolvenda valet vincula caritatis. Sanctum igitur unicuique eorum esto quod in *Codice luris Canonici* praecipitur (1366 § 2), atque ad hanc normam ita se omnes gerant ut eum ipsi suum vere possint appellare magistrum. At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia: neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videatur»: D 2192.

Libertatem eandem et *aemulationem* denuo Pius XII tuitus est, dicens:

«Decessorum Nostrorum monita Nostra facimus, quibus veri nominis in scientia *progressum* et *legitimam* in studiis *libertatem* tueri voluerunt. Probamus prorsus ac commendamus novis disciplinarum inventis antiquam sapientiam, ubi opus sit, aequari; ea de quibus bonae notae Angelici *Doctoris* interpretes disputare solent, *libere* agitari; nova vero subsidia ex historia deprompta in textibus Aquinatis plenius intelligendis adhiberi. Neque ullus privatus «se in Ecclesia pro magistro gerat»; nec «quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magis'ra et mater Ecclesia»; nec denique vana dissidia foveantur... *Aemulatio* enim in veritate quaerenda et propaganda per commendationem doctrinae S.Thomae non supprimitur, sed *excitatur* potius ac tuto *dirigitur» 31.*

Idem Pius XII, in sollemni *Allocutione* ad Universitatem Gregorianam, monuit, legem, qua CIC can. 1366 § 2 Sanctum Thomam ducem atque magistrum omnibus catholicis scholis praefecit, intelligendam esse sensu a Pio XI exposito verbis hoc ipso numero a nobis citatis. Ulterius autem Pius XII, iustam iterum *libertatem* commendans, addidit:

«Quod vero ad studia vestra attinet, ne indistincte permisceantur doctrina catholica et veritates naturales illi cohaerentes et ab omnibus catholicis agnitae, cum eruditorum hominum conatibus ad eas explicandas itemque cum propriis elementis peculiaribusqye rationibus, quibus varia philosophica et theologica systemata, quae in Ecclesia inveniuntur, inter sese discriminantur... Nulla huiusmodi disciplina et ratio porta est, qua quis in Ecclesiam ingrediatur; maioreque ratione nefas hanc est asserere unicam portam patere... Insignes vestri auctores et magistri pulchro consociarunt foedere fidelitatem, quam summo Doctor! continenter servabant, cum *magni aestimanda libertate,* quae doctrinarum pervestigationi debetur, a decessoribus Nostris, Leone scilicet XIII et iis qui in Petri Cathedra eum subsecuti sunt,

31 Ptvs XII, Sermo «Sollemnis conventus»; AAS 31 (1939) 247. qui etiam citat verba, quibus eandem libertatem tuiti sunt. Benedictus XV, *Encycl. 'Ad Beatissimi», et* Pius XI, *Encycl. «Studiorum ducem·: AAS 6* (1914) 576 et AAS 15 (1923) 324; D 2:92. Cf. M.La-POURDEtte, O.P.: RevThom 50 (1950) 43-44.

semper in tuto collocata. Unicuique igitur Professorum integrum sit, intra assignatos limites qui praetervehendi non sunt, alicui scholae adhaerere, quae in Ecclesia domicilii iure potita est, hac autem lege, ut veritates ab omnibus retinendas prorsus distinguat ab iis, quae lineamenta et elementa peculiaris sunt scholae, et in docendo haec discrimina notet, ut bene cordatum decet magistrum... ne scilicet vera genuinaque Ecclesiae doctrina cum variis ac propriis cuiusque scholae sententiis permisceatur; quae duo quidem semper inter se sunt apprime distinguenda» 32.

883.. 7) S.Thomae igitur doctrina *specialissime* quidem ab Ecclesia approbata est et inde specialissima etiam auctoritate gaudet *tamquam via tuta* ad assequendam veritatem. Attamen: *a)* non ideo singula eius asserta censenda sunt ab Ecclesia *sanciri ut vera; b)* neque ideo aliorum Theologorum, quorum laus in Ecclesia est, asserta, quamvis Aquinatis assertis contraria sint, dici possunt ab Ecclesia *ut falsa* vel *erronea* ullo modo *improbari; c)* neque inde *alia Theologorum systemata,* praeter thomisticum, notanda sunt tamquam *viae non tutae* ad assequendam veritatem; *d)* immo *iusta scientiae libertas* et *honesta scientificorum aemulatio,* quas positive vult et commendat Ecclesia, implicitam saltem important commendationem, ut intra normas, quas omnibus praescribit omnium magistra et mater Ecclesia, *libere* etiam et *aemulanter* varia catholicorum systemata excolantur et foveantur, ad fructus progressus scientific! quam opimos obtinendos.

EPILOG US

De valore et censura propositionum in theologia

884. De theologico propositionum valore

Io.de Torquemada, Summa *de Ecclesia* I.4 p.2 c.8-12; M.Cano, *De locis* I.12 c.6-10; F.Suârez, *De fide* d.19 s.2 n.1-24; B.Beraza, *De virtutibus* n.873-886; Montagnus, *De censuris seu notis theologicis et de sensu propositionum* apud Migne, *Cursus theologicus,* 1,1111-1222: H.Quiluet, *Censures doctrinales:* DTC 2 2101-2113; Franzelin, *De Traditione* th.12 schol.2,- Bainvel, *De Magisterio n.105.* In tractatibus *De Ecclesia:* Wilmers, n.247; De Groot, q.io a.ss; Billot, q.io th.17 § 2; Muncunill, n.520-530; Michelitsch, § 244; D'Herbigny, 0.390s; Schultes, a.70; Dieckmann, n.892-896; De Guibert, n.352. Cf. J.SalaverRI, *De valore et censura propositionum in Theologia:* EstEcl 23 (1949) 170-188; S.Cartechini, De *valore notarum theologicarum* (1951); A.Lang; *Der Bedeutungswandel der Dégriffé fides» und ftaere$is* MünchThZt 4 (1953) 133-146·

885. Praenotandum. Praesuppositis thesibus quas probavimus in tractatu de Magisterio Ecclesiastico, breviter agere intendimus de *Notis valoris et censurae* propositionum in Theo-

32 Pius XII, *Allocutio ·Animus Noster*,* habita die 17 Octobris 1953, adstantibus Moderatoribus, Professoribus, Alumnis et oiim Alumnis, qui convenerant ad celebrandum quartum expletum saeculum a Pontificia Gregoriana Universitate condita: AAS 45 (1953) 684-687.

logia, quae *necessario et immediate* deducuntur ex thesibus probatis; et quidem *praecipuas solum* huiusmodi *Notas* explicare constituimus, eas nempe quas eruimus ex propositionum relatione ad *Universale Ecclesiae Magisterium* et ad *ipsos* divinae revelationis *Fontes.*

Censurae theologicae iam media aetate adhibitae sunt a loanne XXII contra errores Fraticellorum, Marsilii Patavini et aliorum, necnon a *Conc. Constantiensi* contra Wicleff et Hus; posterius autem censurarum usus in Ecclesia frequens occurrit L

886. Notiones. *Valor* propositionum in Theologia est iudicium *positive* exprimens gradum certitudinis quae eis competit ex ipsarum convenientia cum veritate, quam revelationis Fontes et universale Magisterium exhibent.

Censura propositionum in Theologia est iudicium *negative* exprimens gradum falsitatis quae eis competit ex ipsarum aberratione a veritate, quam revelationis Fontes et universale Magisterium exhibent **1**.

Denominationes, quibus valor vel censura propositionum exprimuntur, variae sunt. Appellantur *Notae,* quia *notificant* theologicum momentum quod propositiones habent; dicuntur *Qualificationes,* quia *qualitatem* theologicam propositionum manifestant; nominantur *Valores* aut Censurae, quia exhibent categoriam *aestimationis* aut *improbationis* quas propositiones theologice merentur.

Ratio procedendi. Notas valoris et censurae propositionum in Theologia deducemus *immediate ex* probatis thesibus circa *Fontes revelationis,* qui verbum Dei scriptum vel traditum continent, et circa *universale Magisterium,* «cui custodiam interpretationemque Deus eloquiorum suorum commisit» 3.

In Notis et *Censuris* definiendis sequimur critérium *strictae interpretationis* illud quod ipsa Ecclesia nobis praescripsit his verbis: *«Declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constiterit»:* CIC can.1323 § 3.

887. i. De fide divina est propositio quae *in Fontibus* revelationis *directe vel formaliter* continetur.

1 Praecipuas *Censuras* ante *Conc.Vaticanum* adhibitas vide apud D 490 493 494 500 529 575 661 733 781 1080 1096 1288 1290 1321 1349 1451 1501-1583. Cf. J.Koch, *Philosophische und theologische Irrtumslisten von 1270-1329. Ein Beitrag zur Entwickelung der theologischen Zensuren:* Bibliothèque Thomiste XIV. Melanges Mandonnet 2 (1930) 305-329.

2 *Censura* proprie significat indicium improbans: Ovidius, *Remedia amoris* v.361-362: «Nuper enim nostros quidem carpsere libellos, Quorum *censura* musa proterva mea est»; Cf. Velleius, *Historiae* l.2 c.36; Gellius, *Noctium Atticarum* I.12 c.2. Pariter Tertullianus, *Adv. Marcionem* l.i c.29: «Huiusmodi exorbitatio reprobanda est, secundum *censuram* Institutoris»: ML 2,307. Cf. Id., *Apologeticum* c.39: *De came Christi c.4:* ML 1,532; 2,804.

3 Cf. D 783 786 1788 1792 1800 1836. Leo XIII, *Encycl. «Sapientiae christianae»:* ASS 22 (1890) 394.

Nam ex thesi 19 constat nobis, veritates a Deo per Apostolos revelatas contineri in *Fontibus revelationis,* id est in *sacra Scriptura* et in *divina Traditione* (D 783). Atqui ex *Vaticano scimus,* «plenum *revelanti Deo* intellectus et voluntatis obsequium *fide* praestare tenemur, qua ab eo revelata vera esse credimus propter auctoritatem *ipsius Dei* revelantis» (D 1789). Unde immediate sequitur, eo ipso quod plane constet propositionem aliquam directe vel formaliter in *Fontibus revelationis* contineri, dicendam esse *de fide divina.* Contraria vero consequenter appellanda est *error infide divina.*

Iam vero in *Fontibus revelationis* propositio directe vel formaliter contineri potest dupliciter, videlicet *explicite* vel implicite. *Explicite* ea quae in Fontibus *expressa* reperiatur; *implicite* vero ea quae ex *solis* explicite revelatis *immediate* eruatur. Ex quibus concludimus, propositionem *de fide divina* posse esse duplicem, aliam *de fide* divina explicite, aliam vero *de fide* divina *implicite.* Utramque vero Theologi merito appellant simpliciter *de fide divina.*

888. 2. Theologice certa est propositio quae *ex Fontibus* revelationis *deducitur,* mediante alia veritate naturaliter certa, propria et stricta deductione.

Nam ex thesi 17 scimus, dari propositiones quae formaliter vel directe *in se revelatae non sunt,* ac propterea «ad fidei depositum per se non spectant»4, quae tamen *virtualiter revelatae* dicuntur, quia ex formaliter revelatis vera et propria deductione concluduntur, mediantibus aliis veritatibus naturaliter certis. Huiusmodi veritates, propter hanc *theologicam et certam* earum *connexionem* cum revelatis appellantur *theologice certae.* Contrariae vero consequenter appellandae sunt *errores theologici.*

889. 3. De fide *in genere* est propositio quae *ad fidem pertinet,* sive directe vel formaliter, sive indirecte vel virtualiter.

Nam propositiones descriptae sub numeris 1 et 2 *conveniunt* in eo quod *ad fidem spectent;* quamvis *specifice differant* eo quod aliae directe vel formaliter, aliae vero indirecte vel virtualiter tantum ad fidem pertineant; quare secundum hanc genericam rationem, in qua conveniunt, inspectae, a Theologis dici consueverunt etiam in genere *de fide,* iuxta S.Thomae doctrinam:

«Ad *fidem,* ait, aliquid pertinet *dupliciter: uno modo directe et principaliter,* sicut articuli fidei; *alio modo indirecte et secundario,* sicut ea ex quibus

4 Msi 52,1226. Cf. th.· 7 n.700.711.

sequitur corruptio alicuius articuli. Et circa *utruque* potest esse *haeresis eo modo quo et Fides»s.*

890. Doctrina de fide vel moribus est frasis quam Patres *Conc. Vaticani* intellexerunt hoc sensu *generico.*

Nam *Relator* Ep.GASSER, nomine *Deputationis fidei* definitionem infallibilitatis pontificiae Patribus Concilii explicans, «Praesens, inquit, definitio obiectum infallibilitatis solum *generice* enuntiat, cum dicit, illud nempe esse *doctrinam de fide vel moribus».* In sequentibus vero explicat, quomodo «in hoc obiecto ita generice enuntiato» includantur, primo «veritates ad *Fidei depositum* pertinentes», deinde etiam illae, «quae licet in se *revelatae* non sint, requiruntur tamen ad ipsum depositum revelationis integre custodiendum, rite explicandum et efficaciter definiendum»6.

Igitur propositiones, quae ita *generice ad fidem spectant,* quando Theologi ulterius determinare nolunt vel nequeunt, utrum illae ad Fidei depositum pertineant *solum virtualiter et indirecte,* an *etiam formaliter et directe,* eas appellare solent *de fide in genere.* Contrariae vero consequenter dici possunt *errores circa fidem.*

891. 4. Infallibiliter certa et consequenter de fide *in genere* est ea propositio quae ab universali Ecclesiae Magisterio docetur *actu infallibili,* sive sollemni iudicio Concilii vel Papae, sive universali et ordinario Magisterio.

Nam ex thesibus 13 et 14 novimus, esse in Ecclesia *Magisterium infallibile,* quod ex suis definitionibus excludit ipsam erroris possibilitatem. Ex quo immediate sequitur, propositionem quae *actu infallibili* a Magisterio proponatur *eo ipso esse infallibiliter certain.* Contraria vero appellari iure potest *error in doctrina infallibiliter certa.*

Iam vero ex thesi 16 constat nobis, ab Ecclesiae Magisterio infallibiliter *non* definiri *nisi «doctrinam de fide vel moribus»* seu *de fide in genere* (iuxta n.3); unde immediate concludimus, propositionem *infallibiliter* a Magisterio propositam dici debere, consequenter, *de fide* in *genere*7. Et quia ab *universali* Magisterio definitur, appellatur etiam *de fide catholica* in genere.

5 S.Th., 2.2 q.i l a.2: i q.32 a.4. Consentiunt *Theologi* ut M.Cano: «Cum *veritas,* inquit *Fidei bipartita* sit, et haec *ad Fidem mediate,* illa *immediate* pertineat; necesse est *duos gradus* propositionum Fidei generales statim a principio collocare. *Prior* earum erit, quae Theologiae legitima principia sunt, hoc est, ea omnia quae *Deus* in sc ipsis Ecclesiae *revelavit. Posterior* vero gradus earum erit, quae ex *prioribus illis necessario colliguntur;* hoc enim genus conclusionum, ut cum *rebus Fidei colligatum,* ad Fidem etiam spectat» *(De locis* I.12 c.6 initio). Marîn Sola, *Evoluciôn homogenca del Dogma* n.453ss.

6 Msi 52,1225-1227; cf. Msi 49,627. Lege etiam, D 1792 1797 1798 1820. Cf. ex th.16 n.692.^

7 Consonat *Vaticani* Schema II *dc Ecclesia:* «quae a Rom.Pontifice ex cathedra loquente ab omnibus *tenenda* definiuntur, ea pro *infallibiliter veris* habenda sunt» (Msi 53,326ab).

892. 5. Doctrina Catholica *stride* est ea quam *universale* Magisterium docet *mere authentice,* actu nempe doctrinalis verae auctoritatis, sed non excludente possibilitatem erroris.

Nam iuxta thesim 15, est in Ecclesia *Magisterium universale* et *authenticum,* cui debetur assensus internus et religiosus, etsi non intendat auctoritatis actu infallibili aliquid definire: D 1684 1820; CIC 1323 § 3. Doctrina quae hoc minori auctoritatis gradu ab Ecclesia authentice docetur, quia ab *universali* Magisterio proponitur, appellari consuevit *Doctrina Catholica stricte.* Contraria vero dici potest *error in Doctrina Catholica.*

893. 6. Doctrina Catholica *in genere* est ea quae ab *universali* Magisterio docetur, sive infallibiliter sive mere authentice.

Nam propositiones descriptae sub numeris 4 et 5 conveniunt in eo quod ab *universali* Magisterio *authentice* doceantur, quamvis *specifice* differant in eo quod aliae *infallibiliter* aliae vero *mere authentice* proponantur; quare et secundum hanc genericam rationem, in qua conveniunt, iure dicuntur a Theologis *de Doctrina Catholica in genere,* prout accurate iam Bâ n e z:

«Est aliud, inquit, fides catholica et aliud *doctrina catholica.* Sunt enim aliqua quae *universaliter* docentur in Ecclesia catholica, quae tamen non sunt catholica fides» 8.

Igitur propositiones, quae ita *generice* ab *universali* Magisterio proponuntur, quando Theologi ulterius determinare nolunt vel nequeunt, utrum illae *mere authentice* an etiam *infallibiliter* doceantur, eas appellare solent *de Doctrina Catholica in genere.* Contrariae vero dici possunt *in genere errores circa Doctrinam Catholicam.*

894. 7. De fide divina et catholica *in genere est* propositio quae in Fontibus revelationis *directe* vel *formaliter* continetur et ab Ecclesia *infallibiliter ut credenda* proponitur: D 1792.

Nam ex thesi 16 scimus obiectum *directum* et primarium actus *infallibilis* Magisterii esse veritates *directe* vel *formaliter* revelatas. Unde propositio *formaliter* revelata et a Magisterio infallibiliter proposita duplicem respectum importat, *alium ad Fontes* revelationis, ex quo dicitur de *fide divina* (iuxta n.i),

8 D.BASe z, *In* 2.2 q.11 a.2. Similiter Su a r e z: «Idem, ait, est Doctrina *Catholica* quod doctrina *universalis» (De fuie* d.3 s.io n.3).

alium ad universale Magisterium, ex quo dicitur *de fide catholica* (iuxta n.4). Quare merito huiusmodi propositio denominata est *de fide divina et catholica* decreto *Concilii Vaticani:*

«*Fide divina et catholica* ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali Magisterio tamquam divinitus revelata *credenda* proponuntur»; D 1792; CIC 1323 § i 9.

895. Huiusmodi doctrina, utpote *divinitus revelata,* imponitur ab Ecclesia *ut credenda; et* ideo appellatur *Dogma fidei divinae,* quemadmodum apposite docuit Pius IX in *Epist. «Tuas libenter»:* D 1683 1684. Contraria doctrina merito appellatur *formaliter haeretica,* iuxta apertum illud Ecclesiae edictum:

Baptizatus, inquit, qui pertinaciter «aliquam ex veritatibus *fide divina et catholica credendis* denegat, aut de ea dubitat, *haereticus* est»; CIC 1325 § 2.

Iam vero ex thesibus 13 et 14, et ex nuper citato Vaticani decreto, constat nobis. Magisterium Ecclesiae posse proponere *infallibiliter* doctrinam dupliciter: a) *modo extraordinario,* id est, *sollemni iudicio* sive Oecumenici Concilii sive Summi Pontificis ex Cathedra loquentis, b) *modo ordinario,* id est, actu *ordinarii et universalis per* orbem dispersi Magisterii: D 1792 1683. Ex hoc duplici modo infallibilitatis exercendae immediate deducuntur duae aliae *Notae,* quae sequuntur, tamquam *duae varietates* sub *Nota de fide divina et catholica in genere* comprehensae, quae *accidentaliter* tantum ad invicem discriminantur, quia modi infallibilitatis exercendae, eas specificantes, *accidentaliter* tantum inter se differunt.

896. 8. De fide divina definita est doctrina *formaliter* revelata quae ab Ecclesia *infallibiliter ut credenda* proponitur *sollemni iudicio* Concilii Oecumenici vel Papae ex Cathedra loquentis.

Nam ex thesibus 13 et 14 scimus, *definitionem* stricte dictam effectum esse *sollemnis iudicii infallibilis.* Unde doctrina *formaliter revelata* sic proposita, dicitur *de fide divina,* quia est *formaliter* revelata (iuxta n.i), dicitur *de fide definita,* quia eam Ecclesia *sollemni iudicio ut credendam* proponit, *definitione,* sive Concilii sive Papae loquentis ex Cathedra, nam

«Sollemne huiusmodi iudicium pronuntiare proprium est tum Oecumenici Concilii tum Romani Pontificis ex Cathedra loquentis»: CIC 1323 § 2 10.

Iure ergo propositio, quae *sollemni iudicio ut credenda* proponitur, appellari consuevit *de fide divina definita,* et est *Dogma*

9 Huius decreti Vaticani explicationem ex Actis ipsius Concilii vide in th. 13 n.ssis. Idem assertum in CIC 1323 § is.

10 Annotationes Deputations Fidei ad Schema *Constit. ‹De Fide Catholica»:* Mst 52,25. Schema *Constitutionis* II ‹*De Ecclesia Christi»: Msi* 53,259.

fidei divinae sollemniter definitum. Contraria vero doctrina consequenter dici potest *formaliter et sollemniter haeretica.*

De intentione sollemniter definiendi Conciliorum *Tridentini* et *Vaticani* tam in *capitibus* decretorum quam in *canonibus,* vide quae dicimus infra: *Scholion,* n.906-908.

897. 9. De fide divina et catholica *stricte* est propositio *formaliter revelata* quae ab Ecclesia *infallibiliter ut credenda* proponitur ordinario et *universali* Magisterio.

Nam ex thesibus 13 et 16 scimus, doctrinam *formaliter revelatam infallibiliter* proponi ab Ecclesia *ut credendam,* non solum sollemni iudicio, sed etiam *universali et ordinario* per orbem disperso *Magisterio.* Huiusmodi doctrina hoc alio modo *infallibiliter* ab Ecclesia proposita, dicitur *de fide divina,* quia est *formaliter revelata* (iuxta n.i), dicitur *de fide catholica,* quia eam Ecclesia *infallibiliter universali* et ordinario Magisterio ut credendam proponit (iuxta n.4).

Merito ergo propositio, quam *universale* et ordinarium Magisterium ut credendam proponit, appellata est *de fide divina et catholica stricte,* et est *Dogma fidei divinae et catholicae.* Contraria vero doctrina merito dici potest *formaliter haeretica.*

De Episcoporum intentione *peremptorie* proponendi doctrinam nt *credendam,* constare debet ex modo quo eam imponunt, si nempe «iis utantur formulis, quibus pateat, se omnes obligare velle» ad talem doctrinam *assensu fidei divinae* amplectendam H. Quia tali obligatione doctrinam *universale* Magisterium *ut credendam imponit,* ideo dicitur *Dogma fidei divinae et catholicae:* D 1683.

898. 10. De fide catholica in genere est doctrina quae cum revelatis certo ac necessario *connexa* est et ab Ecclesia *infallibiliter ut tenenda* proponitur [1][2].

Nam ex thesi 17 scimus obiectum *indirectum* actus infallibilis Magisterii esse veritates certo ac necessario cum *revelatis connexas.* Huiusmodi veritates a Magisterio infallibili proponuntur proprie non *ut credendae,* quia, cum ad Fidei depositum non *pertineant directe et formaliter,* non plane constat posse eas *fide divina credi* «propter auctoritatem *ipsius Dei revelantis»: D* 1789; proponuntur autem ut *tenendae,* quia propter earum certam et necessariam *connexionem cum revelatis,* debet fidelis eas amplecti mentis assensu *absolute certo,* ad Fidei, depositum rite custodiendum.

11 Acta Vaticani: Msi 49,670. Vide th.13 scholion 3 n.583.
12 J.V.Bainvel, *De Magisterio vivo et Traditione* n-S2.

Huiusmodi doctrina, quia ex una parte, propter eius necessariam connexionem cum revelatis, *ad fidem pertinet solum virtualiter,* merito dicitur *de fide in genere* (iuxta n.3); quia vero ex alia parte ab Ecclesia est *infallibiliter ut tenenda proposita,* iure dicitur *Doctrina Catholica in genere* (iuxta n.6). Quare duplicem hunc respectum sub una denominatione comprehendentes, talem doctrinam appellare possumus *de fide catholica in genere.* Contrariam vero doctrinam consequenter appellare possumus *errorem circa fidem catholicam in genere.*

899. In hac *nota* et in duabus, quae sequuntur, praesupponimus hoc: Doctrinam nempe necessario ac *mere connexam cum revelatis* ab Ecclesia infallibiliter proponi, non ut *fide divina credendam,* sed solum ut *absoluta certitudine tenendam.* Hoc sane suppositum subiacet *Decretis Conc. Vaticani,* quemadmodum inferius succinte ostendemus in *Scholio 2* n.-gog-giz.

Qui admittunt sic dictam *fidem ecclesiasticam,* quae est mentis assensus propter auctoritatem ipsius *Ecclesiae* infallibiliter docentis, hanc *Notam* appellant *de fide ecclesiastica in genere.* Censuram autem doctrinae contrariae denominant *errorem in fide ecclesiastica in genere*

Iam vero ex thesibus 13 et 14 scimus, Magisterium Ecclesiae proponere doctrinam *infallibiliter duplici modo accidentaliter tantum diverso,* videlicet, a) *modo extraordinario,* id est, *sollemni iudicio* sive Concilii Oecumenici sive Papae ex Cathedra loquentis, b) *modo ordinario,* id est, actu *ordinarii* et uni-

13 Fidem Ecclesiasticam *tenent:* H.Kilber, apud Wirceburgenses (1880) t.i η.ιιδΛ t.8 n.71-73; Vacant, *Etudes théologiques sur les Constitutions du Conc. du Vatican 2* (1895) p.88f M.J.Scheeben, *Dogmatik* (1927) t.i n.706; G.Wilmers, *De Ecclesia* (1897) n.260-262; Id., *De Fide* (1902) 0.54-59-241-253.264-270; Ch.Pesch, Praeliy. t.8 (1922) n.265; Id., *Compend.* t.$ n.376; L.Billot, *De Virtutibus* (1905) th.13 p.267-272; Id., *De Eccles.* (1927) th.18 p.434-443; Bainvel, *De Magisterio vivo et Traditione* (1905) n.iO3; L.Choupin, *Valeur des décisions du S.Siège* (1928) p.44-49; Tanquerey, *De Ecclesia* n.837; 1°·. *De Fide* n.192; De Groot, Summa *de Ecclesia* (1906) p.386; G.van Noort, *De Fontibus revelat.* (1911) n.246-250; A.Straub* *De Eccles.* (1912) n.963-969; F.Diekamp, *Kathol. Dogmatik* (1923) t.i § 6; H.Felder, *Apologet* (1923) t.2 p.270; G.Huarte, *De Gratia et Virtut.* (1923) th.8 n.123; R.Schuites, *Introd. in Hist. Dogmat. (1922) 130;* Id., *De Ecclesia* (1925) 614-636; A.Michelitsch, *Apologet.* (1925) § 242; Io.Herrmann, *Instil. Theol.* (1926) t.2 n.1330; A.M.Elorriaga: EstEcl 5 (1926) 113-137.225-243; Ae.Dorsch, *De Ecclesia* (1928) 419-421; H.Lennerz, De *Virtut. theol.* (1938) n.iSis; L.Koesters, *Die Kirche* (1938) 224; L.Lercher-Mitzka, *Instit. theol.* (i945) t.i n.616. *Accedunt:* J.B.Franzelin, *De Traditione* (1896) th.12 schol.i princ.2 corol.2; princ.4 corol.4; D.Palmieri, De *Rom.Pontif. Prolegom. de Ecclesia* (1902) § 40 n.5; J.Mendive, *Instit. theol.* (1895) t.i 351; H.Dieckmann, De *Ecclesia* (1925) n.895; G.KI-Paris, De *Ecclesia* (1929) 169; T.Zapelena, De *Ecclesia* 2 (1954) 259; A.Landgraf, *Glaube:* LTK 3.520; A.M.Vellico, De *Ecclesia* (1940; 425; A.C.Cotter, *Theol. Fundam.* (1940) 418.518; Ph.Alonso-Bârcena, De *Magisterio (1945) 105.163;* F.X.Calcagno, *Theol. Fundam.* (1948) n.379; R.Favre, *Les condamnations avec anathema:* Bu.lLittEccI 47 (1946) 226-241; 48 (1947) 31-48, vide 42-45; P.Parente, *Theologia fundament.* (1947) p. 180.237; M.Labolrdette, O.P.: RevThom 50 (i95o) 39; De Aldama: SThS 111,4, de *Fide* (1951) n.156; S.Cartechini, De *valore notarum theologicarum (1951) P·4î* 51.

Fidem ecclesiasticam *impugnant* praesertim :S.Schiffini, De *Virtutibus* (1904) n.124-130. C.Mazzella, De *Virtutibus* (1902) 411-414; M.Tuyaerts, *L'Evolution du Dogme* (1919) 12xs; F.Marîn-Sola, *La evolution homogénea del Dogma* (1923) c.5 P-249-334; A.Gardeil, *Le donné révélé et la Théologie* (1910. 185s; Id.: RevScPhTh 13 (1924) 582-583: B.Beraza, *De Virtutibus* (1929; I47s; A.Stolz, *De Ecclesia* (1939) 48-52; Ch.Journet, *L'Eglise du Verbe incarné (1941)* p.416, cf. tamen P.424S; F.G.Martînez, *A propésito de la Hamada «Je eclcsidstica»;* MiscCom 6 (1946) 9-45; RevEspT n (1951) 209-253.

versalis per orbem dispersi Magisterii. Ex hoc duplici modo infallibiliter proponendi doctrinam, deducuntur *aliae duae Notae, accidentaliter tantum ad invicem distinctae et* sub *Nota de fide catholica in genere* comprehensae, alia *de fide definita,* alia vero *de fide catholica stricte.*

900. 11. De fide definita est doctrina quae *cum revelatis* certo ac necessario *connexa est* et ab Ecclesia *infallibiliter ut tenenda* proponitur *sollemni iudicio* Concilii Oecumenici vel Papâe ex Cathedra loquentis.

Nam ex thesibus 13, 14 et 17 constat nobis, doctrinam virtualiter tantum revelatam, seu *necessario cum revelatis connexam,* posse ab Ecclesia *sollemni iudicio infallibiliter definiri.* Unde doctrina cum revelatis connexa *sic definita,* dicitur *de fide,* quia est virtualiter revelata seu *cum formaliter revelatis necessario connexa* (iuxta n.3), dicitur praeterea *definita,* quia eam Ecclesia *sollemni iudicio infallibili ut tenendam definivit* (iuxta n.8).

Iure igitur duplicem hunc respectum coniungentes, dicere possumus, doctrinam cum revelatis *connexam et* sollemni Ecclesiae iudicio *definitam,* appellandam esse *de fide definita. Censura* autem contrariae doctrinae est *error in fide definita.*

Qui *fidem ecclesiasticam* admittunt, huiusmodi positivam doctrinam appellant *de fide ecclesiastica definita.* Contrariam vero dicunt *errorem in fide ecclesiastica definita.*

901. 12. De fide catholica stricte est doctrina quae cum *revelatis* certo ac necessario *connexa est* et *infallibiliter ut tenenda* proponitur ab *universali* et ordinario Ecclesiae Magisterio.

Nam ex thesibus 13, 14 et 17 scimus, *doctrinam* necessario *cum revelatis connexam* posse *infallibiliter ut tenendam* proponi ab *universali et* ordinario Ecclesiae Magisterio. Unde doctrina sic *cum revelatis connexa et infallibiliter* proposita, dicitur *de fide,* quia *ad fidem pertinet* utpote *cum formaliter revelatis* necessario *connexa* (iuxta n.3); dicitur praeterea *catholica,* quia eam Ecclesia *infallibiliter* ut tenendam proposuit *universali* et ordinario per orbem disperso Magisterio (iuxta n.9). Igitur duplicem hunc respectum coniungentes dicimus, doctrinam *cum revelatis connexam* et *infallibiliter ut tenendam ab universali* Ecclesiae Magisterio propositam, appellandam esse *de fide catholica stricte.* Contraria vero doctrina dicitur consequenter *error in fide catholica.*

Fidei ecclesiasticae propugnatores easdem doctrinas appellant, respective, *de fide ecclesiastica catholica,* atque *error* in *fide ecclesiastica catholica.*

902. Probe animadverte nos accurate distinguere *Nolas* descriptas sub numeris 7, 8 et 9, a *Notis* numerorum 10, 11 et 12. *Specifice* inter se differunt eo quod *tres priores* denominent doctrinas in *fidei deposito formaliter contentas, tres* vero postremae versentur circa doctrinas *cum fidei deposito mere connexas. Ideo* priores consulto appellamus *de fide divina credendas,* posteriores vero dicimus *de fide tenendas.* Plures tamen Theologi abbreviatis denominationibus de *fide definita et de fide catholica* designant propositiones, quae iuxta Vaticanum, D 1792, accuratius appellandae essent de *fide divina definita et de fide divina catholica* (iuxta n.7, 8 et 9). Hoc autem notasse sufficiat ad recte interpretandam auctorum variam terminologiam 14.

903. 13. Proximae Notis, de quibus hucusque tractavimus, aliae propositiones dici solent. Ita, exempli gratia, *proxima* vel *fidei divinae,* vel *haeresi,* vel *fidei catholicae,* vel *errori theologico,* et caetera, dicitur propositio quae unanimi fere Theologorum consensu habetur ut vel *de fide divina,* vel *haeretica,* vel *de fide catholica,* vel *error theologicus,* etc.

904. 14. Certa in Theologia dici solet propositio quae certo ac necessario deducitur ex una praemissa *theologice certa* et alia *naturaliter certa;* vel quae communi et constanti Theologorum consensu retinetur ut *theologica conclusio certa.* Contraria vero habetur ut *temeraria et falsa.* Cf. D 1684.

14 Praesupponimus doctrinam, quae *obiective non nisi connexa* cum revehatis est, per infallibilem cognitionem et definitionem Ecclesiae non fieri *obiective formaliter revelatam;* quia actus *cognitionis et enuntiationis* obiecti cogniti, ipsam *formalitatem obiectivam* eiusdem obiecti minime mutat, nisi sit actus *formalis revelationis* vel *inspirationis* Dei.

905. SCHEMA NOTARUM VALORIS ET CENSURAE PROPOSITIONUM IN THEOLOGIA

Notae	Condiciones quae requiruntur	Censurae
1. De Fide divina.	In *Fontibus* revelationis *formaliter* vel directe contenta.	Error in Fide divina.
2. Theologice certa.	Ex *Fontibus* revel, *deducta* stricte, mediante veritate naturaliter certa.	Error theologicus.
3. De Fide in genere.	*Ad revelata pertinens* sive formaliter et directe, sive virtualiter-indirecte.	Error circa Fidem in *genere.*
4. Infallibiliter certa=de Fide in genere.	Ab Ecclesiae Magisterio docetur *actu infallibili.*	*Error* in doct.‖ infallibili, vel in Fide.
5. Doctrina Catholica *stricte.*	Ab *universali* Magisterio docetur *mere authentice.*	Error in doctrina Catholica.
6. Doctrina Catholica in genere.	Ab universali Magisterio docetur sive infallibiliter sive mere authentice.	Error circa doctrinam Catholicam.
7. De Fide divina et Catholica in genere.	In *Fontibus* revel, *formaliter* contenta, et *infallibiliter, ut credenda,* proposita. Dogma Fidei divinae.	Haeretica formaliter et in genere.
8. De Fide divina definita.	*In Fontibus revel, formaliter* contenta, et *sollemni iudicio, ut credenda,* definita. Dogma Fidei divinae definitae.	Haeretica formaliter et sollemniter.
9. De Fide divina et Catholica stricte.	In *Fontibus* revel, *formaliter* contenta et *universali* Magisterio *infallibiliter, ut credenda,* proposita. Dogma Fidei div. et Cathol.	Haeretica formaliter *stricte.*
10. De Fide Catholica in genere.	*Cum revelatis* necessario *connexa,* et *infallibiliter, ut tenenda,* proposita.	*Error* circa Fidem Catholicam in genere.
11. De Fide definita.	*Cum revelatis connexa,* et *sollemni iudicio infallibili, ut tenenda,* definita.	Error in Fide definita.
12. De Fide Catholica stricte.	Cum *revelatis connexa et universali* Magisterio *infall., ut tenenda,* proposita.	Error in Fide Catholica *stricte.*
13. Proxima Notis *descriptis* 1-12.	*Proxime accedens* ad Notas descriptas, ex unanimi fere Theologorum consensu.	Proxima *Censuris* descriptis 1-12
14. Certa in Theologia.	*Ex theologice certis stricte deducta,* mediante veritate naturaliter certa. Vel *ut talis habita* unanimi Theologorum consensu	Temeraria et falsa.

906. Scholion. 1. *Concilia Tridentinum et Vaticanum etiam in Capitibus definire intenderunt.*

Sollemne iudicium infallibile in Conciliis *Tridentino* et Vaticano dupliciter expressum est: a) *forma positiva,* seu assertive, in *Capitibus;* b) *forma vero negativa,* seu damnatorie, in *Canonibus.* Haec *Tridentini* manifesta intentio abunde constat ex expressis ipsius Concilii verbis: D 792a et 870; 873a et 882; 893a et 910; 937a et 947; 956a et 960.

907. In Vaticano vero, postulata a Patribus Concilii eadem duplex definiendi forma adhibita est. *Relator* enim Episcopus Simor, nomine *Deputationis Fidei,* «Vestrum, inquit, postulatum fuit ut in hoc Concilio Oecumenico Vaticano procederetur ad hunc modum, sicut processit Conc.Tridentinum in specie: nimirum, ut *primo doctrina* Ecclesiae proponeretur, deinde autem adiungerentur Canones, in quibus condemnarentur oppositi *Catholicae doctrinae errores»*15.

Haec eadem Vaticani intentio expressa est in introductionibus ad *Constitutiones oDe Fide Catholica»* et *«De Ecclesia Christi»:* D 1781 1821. Talem vero esse sensum introductionum, constat praeterea ex Concilii Actis. Nam Rev.P.Alexander M.a Teppa postulavit ut in introductione ad *Constitutionem «De Fide Catholica»* adderentur aliqua magis explicita verba, «ut expressius, inquit, refellatur error eorum (et nominatim Denzinger), qui contendunt, ea tantum ex *Capitibus* tenenda esse ut definita, quae subiectis *Canonibus* respondent» 16.

Relator, nomine *Deputations Fidei* Ep.Gasser ei respondebat: «Idem, quamvis non verbis adeo expressis, iam reapse enuntiatur verbis: «Nunc autem *sedentibus* Nobiscum et *indicantibus* universi orbis Episcopis, in hanc Oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, innixi *Dei verbo scripto et tradito,* prout ab Ecclesia Catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, *ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium, salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare* constituimus, *adversis erroribus* potestate Nobis a Deo tradita *proscriptis atque damnatis»;* D 1781. «In his utique dicitur, inter doctrinam quae habetur in *Capitibus Constitutionis de fide* et doctrinam quae habetur in *Canonibus,* non aliam esse differentiam quam quae est inter *positivam* doctrinam de fide et *negativam. Prima* edicit quid sit de *fide tenendum; altera vero* quid sit *de fide vitandum ct damnandum»*17.

908. *Theologi* iam nunc unanimiter tenent non minus in *Capitibus* quam in *Canonibus* Conciliorum *Tridentini* et Vaticani sollemnes definitiones contineri 18. Aliquod tamen discrimen inter Capita et Canones intercedere agnoscunt. Certum enim est «Ecclesiam *in Canonibus* rationes non adducere, sed simpliciter *errores* verbis definitis *condemnare.* Rationes per-

15 *Acta Vaticani:* Ms: 51,44. Id ipsum, data occasione, in Vaticano repetitum est: Msi st, 20:5.379: 52,:22od.

16 Msi 51,394· Sane Denzinger in noveni prioribus *Enchiridii* editionibus, quas ipse paravit ab anno 1854 ad 1907, scripsit in Prologo: «Expositiones Canonum, v.gr. *Capitula Tridentini,* parentheses, rationes additae, ut plurimum non.cadunt sub definitionem, maximae tamen sunt auctoritatis». C.Bannwart in *Enchiridii* editione X ad haec animadvertebat: «Hoc exemplum a clarissimo auctore minus apte electum esse ex ipsis verbis *Tridentini* satis apparet». Quare in recenlioribus editionibus prius illud assertum omissum probe est.

17 *Acta Vatican·: Ms: 51.415; 52,1229.*

18 T.Granderath, *Constit. dogmat. sacrosancti Oecumen. Conc. Vaticani* (1892) p.74 nota 1; J.Kleutcen, Theo;. der Voraeit (i860) t.i n.50; Scheeben, *Dogmalik* t.i n.562: Huarte, *De Gratia* n.126-129; Pesch, *Praelec.* t.i n.454; Io., *Compend.* t.t n.311. In tractatibus *De Ecclesia:* Tanquerey, n.966; Wilmers, n.221; De Groot, q.13 a.3; Bainvel, n. 133.7; Straub, n.832.1027: Billot, 432; Muncunill, n.605; Felder, 258 nota 3; Lercher, n.481; Schultes, 461.626; Dieckmann, n.74S; Dorsch, 340; Zapelena, t.2 p.i8t; Stolz, 54; Schlaoen-HAVEEN, n.480; CaLCAGNO, n.358.

tinent *ad Doctrinam;* condemnatio verbis concepta pertinet *ad Canones»19.* Quare in *Capitibus,* praeter ea quae *assertive, directe* et *principaliter* Ecclesia definit, continentur etiam «rationes quae adduntur» et probationes «quae ad explicandum et illustrandum adferuntur»; atque ideo non censentur sollemniter a Concilio definita «obiter vel incidenter dicta, quae indirecte enuntiari solent, plerumque etiam argumenta allata ad probationem ipsius definitivae sententiae: Haec licet gravem habeant auctoritatem, nondum tamen sunt definitiones infallibiles» 20. Reliqua vero *Capitum asserta principalia et directa,* quamvis doctrinam contineant longe ampliorem ea quae stricte *Canonibus* respondeat, omnia censenda sunt sollemniter definita, atque fideliter interpretanda sunt tamquam vera Magisterii viventis effata, id est, iuxta illud optimum critérium, quod in ipso *Vaticano* est enuntiatum: «Decreta et Canones Concilii intelliguntur *semper in sensu a Patribus* in illis redigendis intento»21.

Igitur in Synodis *Tridentina* et Vaticana *sollemnes definitiones* factae sunt *positive et directe in Capitibus* Decretorum. *Negative* vero et *indirecte sollemnes definitiones* erui certo et immediate possunt e *contrariis erroribus* qui damnantur in *Canonibus.*

Quae diximus de *Capitibus,* censemus posse applicari ad *Praeambula,* propter summam diligentiam qua confecta sunt. Hoc tamen non omnimoda certitudine constat; nam *Relator* Archiep.SiMOR, nomine *Deputationis fidei.* ad Prooemium *Constitutionis De Fide catholica* (D 1781) in *Conc. Vaticano* animadvertebat: «Cum *Prooemium,* etsi *Capitibus* fidei et doctrinae Catholicae praemissum sit, tamen *ad fidem,* ad *ipsam doctrinam* minime pertineat, sponte intelligitur illud hac vel alia ratione concipi, his vel aliis verbis exprimi potuisse» (Msi 51,127).

909. Scholion 2. Vaticani distinctio inter credenda et tenenda.

Vaticani decretis subiacet duplex suppositum: *a)* Doctrinam divinitus revelatam infallibiliter proponit *fide divina credendam, b)* Doctrinam vero cum revelatis necessario connexam infallibiliter proponit *absolute tenendam 22.* In iis quae dicimus nn.909-913 sequimur interpretationis *critérium* ab Ecclesia praescriptum his verbis: *«Declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constiterit»;* CIC can.1323 § 3.

Credenda. Vox haec in proprio suo sensu occurrit in hac Vaticani definitione: «Porro fide divina et catholica ea omnia *credenda* sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali Magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur» (D 1792). Haec paragraphus introducta est instante Episcopo *Ratisbonensi* eo fine, ut in *Constitutione de fide* definiretur quodnam sit *obiectum materiale fidei divinae* ab omnibus *profitendae* 2J. Iuxta eam constat a Concilio proponi ut *credenda* ea omnia quae «divinitus revelata» sunt et in revelationis fontibus continentur. Ergo *credenda* sunt quae *revelata* esse constet.

19 Relator, nomine *Deputationis Fidei,* in Vaticano: Msi 51,292.

20 S.R.Bellarmino, *De Concil. et Ecclesia* l.2 c.12: I.B.Franzelin, *De Traditione* th.12 schol.t princ.i corol.5. Alia testimonia ap. Wilmers, *De Ecclesia* n.223,4: Van Laax, *Repetitor.* 454s. Cf. M.Cano, *De locis* l.5 c.5 q.4.

21 A.Filippi, Episc.Aquilan: Msi 51,133.

22 Haec distinctio conclusio est necessaria vatieanae distinctionis obiecti primarii ct secundarii infallibilitatis, de quibus in th.16 et 17.

2» Cf. supra n.552. Inde Ecclesia sumit definitionem *haeretici: CIC* 1323 1325. L.Garzend, *L'Inquisition et l'Hérésic* (1912): A.Denefpe, *Dogma: Wort und Begriff:* Schol 6 (1931) 3X1-400.505-530; A.Lanc, *Der Bcdcutungswandel der Begriffe «fides» und «hacresis»:* Münch-'IhZt 4 (1953) 133-146.

Ad idem critérium Patres Vaticani respiciebant cum infallibilitatem Romani Pontificis tamquam *«divinitus revelatum* dogma» definire intendebant, secundum hanc normam ipsis praestitutam: «Ad dogmaticam infallibilitatis pontificiae definitionem necessarium ac sufficiens, est, ut Patribus Concilii ex propriis divinae revelationis fontibus constet esse illam *divinitus revelatam;* proindeque Patrum officium est et munus hanc divini depositi veritatem pro suo charactere cum auctoritate declarare et proponere» 24.

Optimam eiusdem criterii interpretationem habemus in *Bulla «Munificentissimus Deus»,* in qua Pius XII hanc Vaticani doctrinam memorat eamque stricte applicat ad Assumptionis dogma sollemniter definiendum 25.

Ea quae ut *credenda* proponuntur, significantur verbis definitionis explicite aut implicite, directe aut indirecte, aequivalenter aut consequenter, iuxta varia criteria quae a theologis communiter adhiberi solent.

910. Tenenda. Praeter credenda, Vaticanum intendit etiam infallibiliter proponere alia quae «proprie de fide non sunt». *Commissio* enim *theologorum praesynodalis,* cum ageret de materia includenda in Concilii decretis, statuit «ut in expositione doctrinae, praeter ea quae fidem respiciunt, indicentur et declarentur etiam veritates illae, quae etsi proprie de fide non sint, sunt tamen *certae* et *indubiae,* et ad Catholicae Ecclesiae doctrinam pertinent». Haec autem definienda proponebat ut *tenenda* tamquam «certa et indubia»; nam cum in decreto de Matrimonio diceretur: «nec deinceps audeat quisquam *credere»,* unus ex consultoribus notavit: «Cum verbum *credere* indicet actum fidei, et non omnia quae in Capitibus doctrinalibus continentur dogmata fidei sint, ideo pro verbo *credere* poni posset *tenere»;* ac sane ita factum est 26.

Proprius vocis *tenere* sensus in Vaticano eruitur ex decreto in quo definitum est, Romanum Pontificem esse infallibilem «cum ex Cathedra doctrinam de fide vel moribus *tenendam* definit» (D 1839). Episcopus *Ratisbonensis,* qui, ut vidimus, primus proposuit paragraphum circa *credenda,* fuit etiam praecipuus inter eos qui pugnaverunt ut in definitione infallibilitatis praevaleret vox *tenendam.* Iam formulam explicans ab ipso propositam, vim vocis enodabat dicens: «Dicitur, quid *tenendum* sit; haec enim phrasis expressa est ad verba primae Constitutionis de fide, in qua legitur c.3: quae ab Ecclesia... *credenda* proponuntur. Ibi agitur de fidei articulis; cum igitur sermo sit hic de obiecto, non *divina fide credendo,* sed *infallibiliter tenendo,* dici similiter potest: quod *tenendum* proponitur» 27.

Vocis *tenere* sensus, in contrapositione ad vocem *credere,* patet ulterius ex *iudicio contradictorio,* in quo Concilium eam aliis vocibus praetulit. Historiam huius discussionis eiusque singulas vicissitudines novimus ex *Actis diurnis* ipsius Ep. *Ratisbonensis, ex* dissertatione quam de hac re scripsit Th. Granderath, ac praesertim ex ipsis *Concilii Actis* 28. Ex his constat, aliquos Patres voluisse ut diceretur, Romanum Pontificem esse infallibilem cum ex Cathedra aliquid definit tamquam *de fide divina credendum* vel tamquam *de fide tenendum;* atque ideo hanc restrictivam formulam eligebant, quia putabant definiri non posse *infallibilitatis* obiectum esse aliud quam

24 Msi 52.24s. Lege de hac re normas primam ad tertiam ibidem.

25 AAS 42 (1950) 7565.770; cf. M. Labourdette et J. Nicolas, *La définition de l'Assomption:* RevThom 50 (1950) 249-267; P. Franquesa, *El argumento de Tradición según la Bula «Munificentissimus Deus»:* EstMar 12 (1952) 67-96.

26 Commissio theologico-dogmatica praesynodalis: Msi 49,619-621; *Methodus* servanda: Msi 49.654s; Schema de Matrimonio: Msi 49.652; 53.719.

27 Duo Patres, qui in hoc primah partes egerunt, fuerunt Manning. Archiep. Westmonasterien, et Senestrey. Ep. Ratisbonen. Huius verba, quae citavimus: CL 7.1713.

28 Ratisbonensis Acta: Msi 53.276-86; Th. Granderath, Constitutiones *dogmaticae Concilii Vaticani* p.190-210.

quod a Concilio tamquam *fidei divinae* et catholicae obiectum iam definitum erat (D 1792).

Enixe alii contradixerunt, atque post diuturnam controversiam praevaluit formula eorum qui cum Ratisbonensi sustinebant, obiectum infallibilitatis esse in universum doctrinam, quae ex Cathedra proponeretur ut *tenenda.* Prior formula ideo reiecta est, quia infallibilitatis obiectum videbatur restringere ad solas veritates revelatas, quae proprium fidei divinae obiectum sunt. Secunda vero formula ideo electa et sancita est, quia cum constaret *obiectum infallibilitatis* latius patere quam *fidei divinae obiectum,* praeferenda erat formula amplior, quae non videretur excludere veritates *cum revelatis connexas 29.*

Vox *tenere* in eodem sensu *specifico* et proprio adhibebatur et explicabatur in definitione quae praeparabatur infallibilitatis circa connexa cum revelatis 30. Igitur dubium non est Vaticanum in suis constitutionibus distinguere intendisse veritates divinitus revelatas, quas definivit ut *credendas,* a veritatibus cum revelatis connexis, quas definivit *ut tenendas.*

911. Scholion 3. Canones Vaticani, *damnantne solum haereses stricte dictas?* Relate ad *Tridentinum,* quod PP.Vaticani tamquam exemplar sibi proposuerunt, P.Kleutgen in *Adnotationibus* ad Schema de Ecclesia scribere non dubitavit: «In Canonibus Tridentini de Sma.Eucharistia et sacrif.Missae, necnon de Matrimonio, certe non pauca definiuntur, quae per se ipsa *revelata* dici nequeunt»31. Ad *Vaticanum* quod spectat, *quaestio ponitur tantum circa Constitutionem de fide.* In ea censet Favre, Canones, qui vel circa nuda *praeambula fidei* vel circa *philosophicas doctrinas* cum revelatis coniunctas versantur, melius explicari si sumantur ut definitiones quibus non *haereses* strictae, sed *errores* damnentur 32.

Certum sane est, *Commissionem praesynodalem* hanc sibi normam, praestitisse: «Proscribantur: i.° in *Canonum* articulis *haereses* tantum, 2,° in doctrinarum vero *Capitibus* etiam reliqui *errores,* qui damnatione digni habentur». Attamen in redigendo schemate *Constitutionis de fide* ipsa *Commissio* divisionem in *Capita* et *Canones* dereliquit ideo, quia voluit «ut in singulis *gradus censurarum* perfecte respondeat *gradibus errorum· 33.*

In discusione Patres petierunt ut «*manente eadem doctrina* et *eadem errorum condemnatione,* schema quoad formam mutaretur» ita ut «primo doctrina Ecclesiae proponeretur, deinde autem adiungerentur *Canones* in quibus condemnarentur oppositi catholicae doctrinae *errores*·34. Ita sane peractum est, et ideo doctrinae, quae sub *variis censuris* in praecedenti schemate reicie-

2' Msi 51,701s; 52,3 7 1241 1334: 53,251 255s 275 28iss; J.Salaverri, *Autoridad de Suarez en el Conc.Vaticano:* EstEcI 22 (1948) 220-24; cf. C.Damen, *De submissione Encyclicis •Humani generis·:* EuntDoc 3 (1951) 46s. Dissentimus a F.G.Martlnez, Λ *proposito de la Hamada «fe eclesidstica·:* RevEspT 11 (1951) 241-53.

30 In schemate praeparato a P.Kleutgen: Mst 53,313.325s.

31 Msi 53,329. Theologus Tridentini M.Pérez Avala tenet, sub *anathemate* damnari *contumaciam* inobedientiae, non solum *fidei et legi divinae,* sed etiam *sententiae et praecepto Ecclesiae: De divinis apostol. et eccles. Traditionibus* (Parisiis 1549) p.3 a.5 ft.247-62. Aliquos Tridentini Canones esse contra errores. qui non sunt stricte *haeretici,* tenent Pesch, *Praelect. t* n.454; Scheeben, *Dogmatik | 0.562;* R.Favre, *Les condamnations avec anathema:* BullLittEccl 47 (1946) 226-41; 48 (1947) 31-48; P.Fransen, *Die Formel «si quis dixerit Ecclesiam errare·... des Trienter Konzils:* Schol 25 (1950) 492-517; 26 (1951) 191-221.

32 R.Favre, *l.c.:* BullLittEccl 48 (1947) 46-48.

33 Mst 49,654; 50,59-119. Lege explicationem primi schematis ab cius praecipuo auctore Patre Franzelin coram deputatione fidei factam: Mst 50,319-335.

. 34 Msi 50,126-312.319-28. Rationem qua schema reformatum est exponit Ep-Martln, qui cum Archiep.Dechamps et Ep.Pie reformationem peregit, adiuvante P.Kleutgen: Mst 53,161-177: 51,38-40.-Idem fuse explicat *Relator* Archiep.Simor: Msi 51,43-45.66.

bantur aliae ut *haereticae* aliae ut *erroneae,* in schemate reformato simpliciter, sine censurarum discrimine, sub *anathemate* damnantur, *«manente eadem damnatione».*

912. *In discusione* schematis reformati quamplurimas Patres emendationes contra *Canones* proposuerunt. *Relator* Ep-Gasser, nomine *Deputationsfidei,* occasione respondendi ad emendationes 28 et 29, solvit varia capita obiectionum quae contra *Canones* proposita fuerant.

Aliqui reiciebant *omnes Canones* et proponebant «ut veteri forma *anathematismorum* relicta, errores non personae damnarentur hac forma: Reicimus et damnamus eorum *errores* qui, 1.° unum verum Deum... creatorem negant...». Hoc reiectum est «quia in proposita formula introductiva non additur sub quonam titulo sub quonam charactere damnantur *haereses»* 35. Id est, cum inter propositiones damnatas plures sint *haereticae* et in damnandis ipsis propositionibus exprimi soleant diversi gradus censurarum, non sufficit *specifica* censura erroris, sed retinenda est *generica* forma *anathematum,* sub qua et *haereses* et *errores* damnari censentur.

Alii, supponentes *Canonibus* non damnari nisi *haereses* stricte dictas, impugnabant vel maxime *Canones* attinentes *errores* circa *fidei praeambula* et circa *doctrinas philosophicas.* His omnibus *Relator* Gasser respondet generatim, *anathemata* eiusmodi necessaria esse ad evertendum «perniciosissimum iudicium» eorum qui putant, «in rebus religiosis *nihil certo teneri,* sed solummodo exsistere opiniones plus minusve probabiles» (Msi 51,195).

Sed insistebant dicentes, qui *fidei praeambula* negant sunt *increduli,* quos ergo *anathemata* minime afficiunt. Quibus *Relator,* etsi increduli sint, tamen sunt *baptizati,* adeoque ab Ecclesia *iudicari* possunt. Et addebat, eadem *anathemata esse* etiam contra illos, qui «sub specie veritatis credunt *systemata philosophorum,* quamvis pantheisticorum, posse componi cum veritate catholica» 36.

Tunc urgebant alii, huiusmodi viros non esse *anathemate* damnandos, quia de Ecclesia optime meriti sunt et humiliter S.Sedis decretis se subiciunt. Quibus Relator: «Nego, ait, quod contra tales homines *anathematismi* ferantur; omnes enim anathematismi feruntur *solummodo* contra eos qui *contumaciter* Ecclesiae contradicunt et *contumaciter errorem ab Ecclesia reiectum* defendunt» 37.

At instabant alii: «Damnet fides *haereticos fidei* et ratio *haereticos rationis... ne* fides nimis tangat res *philosophicas;* nam *Canones* approbati sunt *fides* praeteritorum saeculorum, sunt *regula salutis».* Ad haec apposite Gasser: «Ecclesia, uti nostis, non solum debet damnare *haereses;* sed etiam reicere et damnare *errores,* quantum concernunt utique *doctrinam certam» 38.*

Si *Relator fidei* admisisset suppositum obicientium, Canonibus videlicet non esse damnandas nisi propositiones stricte haereticas, tunc responsio ad has omnes obiectiones simplicissima et efficaci: si na esset haec: Propositiones sub *anathemate* damnatas esse omnes *haereticas,* ideoque *Canones* propositos. ex ipso obicientium supposito, admittendos esse omnes. Hoc autem Gasser non respondit nisi relate ad duas emendationes, contra duos ex his *Canonibus* propositas, in quibus non *meros errores* contra fidei praeambula, sed *haereses* proprie dictas Synodus damnare intendebat 39.

»5 Kenrick, Hefele, Fitzgerald, Schwarzenberg, alii: Msi 51,63.103.183.402s. *Relatoris* responsio: Msi 51,196.

3» Dubreil, Rivet. Place, aliique: Msi 51,10353.183.207.308.404; Gasser: Msi 51,195.

3' Greith, Edler, alii: Msi 50.211: 51.403. *Relator* Gasser: Msi 51,195.

3« Dubreil. Simor, Marquerye. alii: Msi 51.1033s.403s; Gasser: Msi 51,196.

3' Gandolfi, Ballerine *Trevircnsis:* Msi 51.90s.107ss.183s; Gasser: Msi 51,196.198.

Ex his liceat nobis probabiliter concludere, inter Canones *Constitutionis de fide aliquos* reperiri de quibus *non manifeste* constat conditos esse contra *haereses stride dictas,* eos nempe de quibus hoc in Concilio disceptatum est. Quomodo ergo *discernendi* a Canonibus stride *haereticis?* Ex *doctrina Capitum* correspondentium, nam «inter doctrinam quae habetur in Capitibus Constitutionis *de fide* et inter doctrinam quae habetur in Canonibus non alia est differentia, quam quae est inter *positivam* doctrinam de fide et *negativam»* (Msi 51,415; 52,i229d).

913. Conclusio. Igitur *Constitutionibus* Vaticani subiacet distinctio inter *credenda* et *tenenda,* quae fluit ut conclusio theseum 16 et 17 de *duplici* infallibilitatis obiecto. Hanc distinctionem invenimus iam expressam apud Vitoria: «Dico quod ad hoc quod aliqua propositio sit *de fide* requiritur quod Concilium determinet eam esse tenendam *tamquam de fide.* Ut quod Purgatorium sit est determinatum a Conc.Florentino quod est Purgatorium et quod constat *ex Scriptura* sacra. Non tamen quidquid determinatur *tamquam verum est de fide;* sed quidquid determinatur *tamquam de fide* est *credendum* esse *de fide.* Hoc ergo requiritur» 40.

Saepe tamen auctores ad hanc distinctionem non descendunt, et cum vident aliquam doctrinam ab Ecclesia *definitam,* eo ipso illam appellant *de fide,* hanc denominationem sumentes sensu *generico,* iuxta hanc S.Thomae sententiam: *tAd fidem* aliquid pertinet *dupliciter:* uno modo *directe* et principaliter, sicut articuli *fidei;* alio modo *indirecte* et secundario, sicut ea *ex quibus sequitur* corruptio alicuius articuli. Et circa utraque potest esse *haeresis eo* modo quo *et fides»41.* In hoc sensu *generico* loquuntur communiter auctores, etiam illi de quibus in Vaticano P.Kleutgen aiebat: «Hi theologi *dogma fidei* dicunt, ut sententiam apostolica auctoritate *definitam* a sententia privati doctoris, non vero ut sententiam *sub nota haeresis* a sententia *sub minori censura* distinguant»42.

40 F.de Vitoria, In 2.2 q.i a.10 n.3,4.': idem docet q.11 a.2 0.7,2'

41 S.Th., i q.32 a.4; 2.2 q.11 a.2; *In I Cor* 11,19 lect.4. Eandem doctrinam proponunt: D.BAnez, In 2.2 q.11 a.2; G.de Valentia, In *r q.32* a.4; dp.2 q.6 pt.3; F.Sylvius, In 2.2 q.11 a.2; M.Cano, *De locis theologicis* I.12 c.6; alii plures. Cf. MarIn-Sola, *La evolución homogénea del dogma,* n.453ss.

42 Ios.Kleutgen, Annotationes in *schema II de Ecclesia:* Msi 53,329. Cf. J.B.Franzelin, *De Traditione* p.i24s; L.Garzend, *L'Inquisition et l'Hérésie* (1912); A.Deneffe, Dogma: *Wort und Begriff:* Schol 6 (1931) 381-400.505-530; A.Lanc, Der *Bedeutungsuandel der Dégriffé rfides»* und «haeresis»: MünchThZt 4 (1953) 133-146.

LIBER III

De natura supernatural! et de proprietatibus Ecclesiae

CAPUT I

De supernaturalitate et eminentia Ecclesiae

De fine Ecclesiae

Praenotandum. Cum iam in libro praecedenti probatae maneant theses de Magisterio ecclesiastico, necnon de eius Fontibus et Criteriis, iam in praesenti libro 3.0 *methodum dogmaticam* pleno iure adhibere possumus.

Thesis 22. Finis Ecclesiae est supernaturalis hominum sanctificatio vel salus.

914. S.Th., cf. 3 q.8 a.3 ad 2; Franzelin, th.20; Wilmers, th.6-8; Straub, th.çs; Dï Groot, q.2 a.3; Van Laak, Repctitorium (1911) 209-230; Muncunill, n.101-104; D'Herbigny, n.48-53; Schultes, a.n; Michelitsch, § 178.180; Dieckmann, n.900-918; Dorsch, p.504-511; Lercher, th.36; Zapelbna 2 (1954) th.22.

915. Nexus. In *prima* parte nostri tractatus probavimus, Christum instituisse Ecclesiam societatem hierarchicam et monarchicam, quae est Christi Regnum in terris. In *secunda vero* parte ostendimus, Christum instituisse in Ecclesia Magisterium authenticum et infallibile ad revelatam veritatem docendam. In *tertia* denique parte, relinquentes ad tractatum de Sacramento Ordinis quaestiones de institutione Sacerdotii in Ecclesia ad

hominum sanctificationem, investigare intendimus intimam Ecclesiae naturam, quae eius muneri sanctificandi th. 3 probato in primis respondet E

Cum autem constet societatis naturam ex eius/ine seu bono sociali vel maxime dignosci 1, ideo in hac prima tertiae partis thesi inquirimus in proprium Ecclesiae finem.

916. Notiones. Finis est id propter quod aliquid fit. Finis autem Ecclesiae tripliciter respici potest: a) *ex parte Dei,* et tunc Ecclesiae finis non est alius nisi Dei gloria; b) *ex parte Christi,* et tunc Ecclesiae finis est «salutiferum redemptionis opus perenne reddere» 3; c) ex *parte membrorum Ecclesiae,* et tunc Ecclesiae finis est supernaturale hominum bonum4. Agimus de fine Ecclesiae sub hoc tertio respectu, quatenus inquirimus in bonum sociale ad quod procurandum Ecclesia instituta et nata est.

Huiusmodi Ecclesiae finis duplex distinguitur: alius proximus et alius remotus, a) *Finis proximus* est ille quem Ecclesia immediate in terris obtinendum intendit, qui est supernaturalis sanctificatio vel salus prima seu inchoata in hac terrestri vita.

b) *Finis remotus est* ille quem Ecclesia, mediante assecutione finis proximi, tandem obtinendum intendit, qui est supernaturalis sanctificatio vel salus secunda seu consummata in aeterna vita, seu in Regno eschatologico.

917. Sanctificatio vel salus hominis in genere consistit in eius recta ordinatione ad Deum ut ad eius principium et finem, seu in morali hominis unione cum Deo5. Huiusmodi vero *unio cum Deo* duplex distinguitur: a) *Naturalis* est ea quae resultat ex abstractiva Dei cognitione, quantum viribus naturae divinitas vere cognosci potest, et ex proportionata consequenti Dei dilectione; b) Supernaturalis est ea quae resultat ex cognitione Dei viribus supra naturam, id est, sive per fidem in via sive per visionem in patria, et ex proportionata consequenti caritate in Deum. Haec supernaturalis *salus* dicitur *prima seu inchoata,* quae habetur per fidem et gratiam in hac terrestri vita; dicitur vero *secunda* seu *consummata,* quae habetur per Dei visionem et caritatem in aeterna vita.

1 Christum Ecclesiae contulisse potestatem sanctificandi in genere, probavimus iam in J.
2 S.Th., 1.2 q.i a.3; 2.2 q.174 a-2.
3 *Conc. Vaticani Constitui. De Ecclesia Christi: D 1821.*
4 Cf. T.Zapelena, *De Ecclesia 2* th.22.
5 2.2 q.81 a.8; 3 CG 130.

De interna natura et de variis gradibus supernaturalitatis sermo est in tractatibus *de Gratia* et *de Deo elevante* 6. Nobis sufficit pro nunc ut in genere loquamur de sanctificatione vel salute, quam hominibus Christus attulit, quamque homines obtinent, non per mere abstractivam Dei cognitionem ex rebus creatis sed per fidem ex divini Legati revelatione; neque per mere naturalem Dei amorem, sed per caritatem supernam cuius nobis exemplar exstitit ipsemet Filius Dei. *Sanctificatio ergo et* salus, de qua loquimur, importat quidem munditiam a peccatis et unionem cum Deo, sed iuxta doctrinam et legem, quas Christus Legatus divinus et Dei Filius nobis tradidit7.

918. Status quaestionis. In thesi *positive asserimus,* finem Ecclesiae esse supernaturalem hominum sanctificationem et salutem inchoandam in terris atque consummandam in aeterna vita; *praescindimus* tamen a quaestione, utrum salus haec supernaturalis *exclusive* per Ecclesiam et in Ecclesia obtineri possit necne, quia de ulteriori hac doctrina tractabimus in thesi 28.

919. Adversarii. 1) *Protestantes* quamplurimi, praesertim *Calvinistae,* qui tenent, Christum Ecclesiae contulisse nudum ministerium praedicandi Evangelium, sed negant ministris Ecclesiae omnem veram potestatem sanctificandi: cf. D 961. Pariter *Lutherani* docent, supernaturalem hominum sanctificationem vel salutem *a Deo in singulis immediate* perfici solum per fidem fiducialem, ergo non per potestatem sanctificandi neque per salutis alia media a Christo instituta et Ecclesiae Ministris commissa: cf. 750-753 819 822-824.

2) *Naturalistae* et *Rationalistae* omnes, qui supernaturalem ordinem et ea quae rationis lumina excedant, admittere renuunt; ideoque omnia, quae in Fontibus revelationis supernaturalia apparent vel rationis vires excedunt, verisimiliter tamquam mere naturalia explicare tentant, vel tamquam pura figmenta respuunt.

3) *Modernistae* ad praecedentes proxime accedunt, conantes explicare per evolutionem mere naturalem originem humanam omnium mediorum salutis, quae a Christo accepta in Ecclesia habentur: cf. *Decretum «Lamentabili»,* D 2040-2050.

920. Doctrina Ecclesiae. *Concilium Vaticanum* implicite doctrinam nostram docet in introductione ad *Constitutionem I de Ecclesia: D 1821.* Pius IX, in *Encyclica «Etsi multa luctuosa»,* explicite docet: «duplicem exsistere rerum ordinem simulque binas distinguendas esse potestates in terris, alteram natura-

6 Cf. B.Beraza, *De Deo elevante* (1924)5.1 c.is.
7 Ps'Dionysius, *De divinis nominibus c.12,2; 2.2* q.81 a.8: MG 3.970.

lem... alteram vero, cuius origo supra naturam est, quae praeest Civitati Dei, nimirum Ecclesiae Christi, ad pacem animarum et salutem aeternam divinitus instituta»: D 1841. Leo autem XIII non minus explicite, in *Encycl. «Immortale Dei»,* ait: «Sicut Iesus Christus in terras venit ut homines vitam habeant et abundantius habeant (Io 10,10), eodem modo Ecclesia propositum habet tamquam finem salutem animorum sempiternam» 8. Idem Pontifex sine cunctatione saepe eandem doctrinam docet in *Encycl. «Satis cognitum»:* D 1955 1959 (ASS 28,712.723s).

Pius XI aperte omnino eandem doctrinam proponit in *Encycl. «Divini illius Magistri»:* D 2203, et in ipsis primis verbis, quibus anno 1930 incepit *Encyclicam «Ad salutem humani generis* constitutae providenter Ecclesiae».

Pius XII tandem eandem doctrinam docet in *Encycl. «Mystici Corporis Christi»* cum asserit: «Sicut aeterni Patris Filius ob sempiternam omnium nostrum salutem de caelo descendit, ita Corpus Ecclesiae condidit divinoque Spiritu ditavit ad immortalium procurandam assequendamque animarum beatitatem». «Christiana respublica ex Conditoris sui voluntate sociale exsistit perfectumque Corpus..., cuius altissimus finis est: continuata nempe ipsius Corporis membrorum sanctificatio in gloriam Dei et Agni» (AAS 35, 222.226).

In *Conc. Vaticano* praeparabatur haec ulterior explicita definitio: «Si quis dixerit, Ecclesiam Christi non esse societatem ad aeternam salutem consequendam omnino necessariam... A. s.» In quo canone directe quidem definitur Ecclesiae necessitas ad salutem; sed eo ipso praesupponitur aperte eius finem positive esse hanc salutem 9.

921. Valor dogmaticus. *Thesis est Doctrina Catholica, definitioni proxima,* ex memoratis Encyclicis et ex Conc.Vaticano. Dici etiam potest *de fide divina,* quia in Fontibus revelationis reperitur formaliter contenta.

922. Probatur. 1) Ecclesia ad hoc instituta est ut continuaret ipsam Christi missionem. Atqui finis missionis Christi est supernaturalis hominum sanctificatio vel salus. Ergo finis Ecclesiae est supernaturalis hominum sanctificatio vel salus.

Mai. abunde constat ex thesibus secunda et tertia, in quibus probavimus divinam Ecclesiae institutionem. Sufficiat ergo in memoriam revocare aliqua Evangeliorum testimonia tunc allata: Mt 28,18; Lc 10,16; Io 17,18; 20,21.

Mai. Comprobatur ulterius, quia Christus Apostolis in Coena paschali mandavit ut id ipsum facerent donec Ipse veniret,

8 Leo XIII, *Encycl. «hnmortalc Dei»: ASS* 18,164.
9 *Concilii Vaticani, De Ecclesia, Schema I* cn.5,8 et 13; *Schema II* cn.6 et 15: Msi 51.55is; 53.316s..

quod tunc Dominus fecerat; Iesus autem tunc obtulit verbis de praesenti sacrificium sanguinis Novi Testamenti in peccatorum remissionem: Mt 26,26-28; Lc 22,19-20; 1 Cor 11,23-27 (D 938 949). *Confirmatur* denique eadem maior ex mente Apostolorum, qui semetipsos exhibent tamquam *Ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei:* 1 Cor 3,5; 4,1; 2 Cor 5, 18,20; in his autem conceptibus «ministri» et «ministerii» (διάκονο , ὑττηρέτη , διακονία) S.Paulus aperte includit ideam contiriuationis et ministerialis participationis in opere ipsius Christi, ad cuius veluti nutum Apostoli non nisi Eius administri sunt 10.

Min. facile probatur ex sensu ipsius nominis Iesu, *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum:* Mt 1,21; ex fine ob quem ipse Dominus aperte testatur se venisse *quaerere et salvum facere quod perierat:* Lc 19,10; ex disserta illa Patris missione, qua *misit Deus Filium suum in mundum... ut salvetur mundus per Ipsum:* Io 3,14-18; ex ratione manifesta, qua Christus patefecit propositum suum et voluntatem Patris dicens: *descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me Patris... Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam* (Io 6,38-40).

923. *Min.* ulterius *confirmatur ex* dictis et scriptis Apostolorum.

Ex S.Petro: non est in alio aliquo salus: neque enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri (Act 4,12).

Ex S.Paulo: misit Deus Filium suum... ut adoptionem filiorum reciperemus (Gal 4,4-7).

Ex S.Ioanne: In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Et scitis qui ille apparuit, ut peccata nostra tolleret. Quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum propitiationem pro peccatis nostris, ut vivamus per eum (1 Io 3,1-8; 4(9).

924. **Probatur.** 2) Finis munerum Ecclesiae est supernaturalis hominum salus. Ergo finis Ecclesiae est eadem supernaturalis hominum salus.

a) *Muneris docendi finis* est salus. Nam *praedicate,* inquit, *Evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit*

10 Cf. F.Zoreu., *Novi Testamenti lexicon graccum; cf.* J.SxLAVEnm, El *Derecho cn el Misterio de la Iglcsia:* RcvEspT 14 (1954) 263-267. Vide S.Augustinvm, *In Io* 15.1 Ir. 80 0 2, et *In t Io* 2,27 tr. 3 n.13: ML 35,1839-2005.

salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur (Mc 16,15). Idem pulchre effert S.Paulus, cum docet, missionem docendi conferri ad praedicandum; praedicationem autem necessariam esse ut homines credant in Christum ipsumque confiteantur et nomen eius invocent; Christi vero confessionem et invocationem fieri ad salutem obtinendam. Ergo tandem finis missionis docendi est hominum salus (Rom 10,9-15).

925. b) *Muneris regendi finis* est hominum salus. Nam munus regendi in Ecclesia est continuatio ipsius muneris pascendi Christi, ut constat ex textu quo S.Petro Primatus est collatus (Io 21,15-17). Atqui finis muneris pascendi Christi est supernaturalis hominum salus, quemadmodum ipse Dominus in parabola Boni Pastoris declaravit (Io 10,11.16.26-28). Ergo finis muneris regendi est supernaturalis hominum sanctificatio vel salus. Hoc ipsum probari etiam potest ex S.Paulo (1 Thess 4,1-8) ubi insistenter monet rationem agendi et praecepta fidelibus esse praescripta ideo, quia *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra* (W.3S.7).

926. c) *Muneris sanctificandi finem* esse supernaturalem hominum sanctificationem et salutem, facile patet imprimis ex vero conceptu «ministerii», quod iuxta S.Paulum non reducitur ad nudam actionem praedicandi Evangelium, ut volunt Protestantes, sed praeterea importat potestatem vere efficiendi sanctificationem, non quidem principaliter et iure proprio, sed velut instrumentaliter et iure vicario, adeo ut ministri sint vere «Dei adiutores per quos Christus operetur salutem»; Rom 15,15s; i Cor 3,5-9; 4,1; 2 Cor 5,20.

idem probatur ex fine muneris sanctificandi in singulis Sacramentis.

In Baptismo finis est supernaturalis renascentia ex Spiritu Sancto (Io 3, 3-5); in *Confirmatione* finis est collatio doni Spiritus Sancti (Act 8, 14-17); in *Eucharistia* finis est participatio illius supernae et aeternae vitae qua fideles vivant propter Christum (Io 6,53-58); in *Poenitentia* finis est vera peccatorum remissio (Io 20,21-23); in *Unctione* finis est alleviare et salvare infirmum, atque eius peccata remittere (lac 5,14-15); in *Ordine* finis est gratiam et virtutem conferre ad strenue adimplendum Evangelii ministerium (2 Tim 1. 6-9); in *Matrimonio* finis est gratiam tribuere, qua coniuges imitari valeant illam unionem et dilectionem mutuam, quibus Christus unitur Ecclesiae eamque diligit (Eph 5, 22-32).

927. Scholion 1. Ecclesia est societas supernaturalis. Probata hac thesi iam concludere possumus quaenam est *Ecclesiae natura.* Nam S.Thomas apposite docet: «dignitatem eorum quae sunt ad fidem praecipue considerari ex fine», entia vero moralia «proprie speciem sortiri ex fine»11. Cum

11 1.2 q.i a.3; 2.2 q.174 a.a·

autem probatum sit Ecclesiae finem esse supernaturalem, logice ergo concludere possumus Ecclesiam esse societatem supernaturalem, prout aperte Leo XIII asseruit his verbis: «Ergo Ecclesia societas est ortu divina: fine, rebusque fini proxime admoventibus supernaturalis» (D 1959). Denuo Pius XI in *Encyclica* «Divini *illius Magistri»,* supematuralitatem Ecclesiae edixit scribens: «Tres numerantur societates necessariae, inter se distinctae... harum duae *domestica* nempe ac *civilis* consortio, naturalis ordinis; ac tertia. *Ecclesia* nimirum *supernaturalis societas...,* in qua homines, per baptismatis lavacrum, divinae gratiae vitam ingrediuntur» (D 2203). Idem tandem Pius XII in *Encyclica «Mystici Corporis»* docere intendens: «Christiana, inquit, societas ad gradum evehitur, qui omnem naturae ordinem prorsus evincit» (AAS 35,223). Unde notiones entium socialium naturalium non nisi analogice de Ecclesia praedicari possunt.

Ex hac eximia Ecclesiae dignitate ulterius infertur «supernaturalis amor» quo eam fideles prosequi tenentur ›2. «Est enim Ecclesia civitas sancta Dei viventis, Deo ipso nata, eodemque auctore constituta: quae peregrinatur quidem in terris sed vocans homines et erudiens atque deducens ad sempiternam in caelis felicitatem. Adamanda igitur patria est, unde vitae mortalis usuram accipimus: sed necesse est caritate Ecclesiam praestare, cui vitam animae debemus perpetuo mansuram» (D i936a-b). Unde merito nos admonet S.Augustinus: «Credamus, Fratres, quantum quisque amat Ecclesiam Christi tantum habet Spiritum Sanctum», qui «ceu fons gratiarum, donorum atque charismatum omnium, pertetuo et intime Ecclesiam replet et in ea operatur»[12].

928. Scholion 2. De Ecclesia Matre nostra. S.Paulus, Gal 4,26, ait: «Illa, quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est Mater nostra (vel omnium nostrum)». Concilia autem *Lateranense IV* et *Lugdunense II* Ecclesiam appellant «Matrem universorum Christi fidelium et magistram»: D 433 436 460. Pius XI loquitur de «supernaturali munere Matris Ecclesiae» (Encycl. *«Divini illius Magistri»* D 2204). Tandem Pius XII pulchre docet Ecclesiam esse Matrem nostram ratione triplicis muneris ordinarii sanctificandi, docendi, regendi, necnon ratione donorum et charismatum quibus sanctorum numerum multiplicat: «Utique absque ulla labe refulget pia Mater (Ecclesia), a) in *sacramentis,* quibus filios procreat et alit; b) *in fide,* quam nullo non tempore intaminatam servat; c) in *legibus* sanctissimis, quibus omnes iubet, consiliisque evangelicis quibus admonet; d) in caelestibus denique *donis et charismatis, per* quae innumera parit, inexhausta sua fecundidate, martyrum, virginum confessorumque agmina. Atque eidem vicio verti nequit, si quaedam membra vel infirma vel saucia languescant, quorum nomine cotidie ipsa Deum deprecatur: *Dimitte nobis debita nostra,* quorumque spirituali curae, nulla interposita mora, *materno,* fortique animo incumbit». Quare merito ipse Pius XII ad perfectum Ecclesiae amorem hortatur omnes, dicens: «Antequam scribendi finem facimus, temperare Nobis non possumus quin iterum atque iterum adhortamur omnes, ut piam *Matrem Ecclesiam* studiosa actuosaque caritate diligant» (Encycl. *«Mystici Corporis»: AAS* 35,225,237-247).

Haec Sancti Pauli et ecclesiastici Magisterii doctrina abunde continetur in monumentis *Traditionis.* Doctrinam SS.Patrum collegerunt, J.Madoz, *Mater Ecclesia:* EstEcI 16 (1942) 433-452; J.C.Plumpe, *Mater Ecclesia, an inquiry in the concept of the Church as Mother in the early Christianity* (1943);

12 Leo XIII, *Encycl. «Sapientiae christianae»: D* 19363-6.
13 S.Aug.» *In Joan.* 32,8,: ML 35.16453; Pius XII, *·My5t.Oorp.^,* AAS 35 (1943) 223.

S.Tromp, *Corpus Christi quod est Ecclesia* (1946) p.41-44. Doctrinam S.Augustini de hac re exponunt, P.Batiffol, *Le Catholicisme de S.Augustin* (1920) p.271-276; P.Rinetti, *Sant'Agostino e l'Ecclesia Mater:* Augustinus Magister (1954) p.827-834. Ampliorem inquisitionem usque ad annum 1000 nobis offert H.Rahner, *Mater Ecclesia, Lobpreis der Kirche aus der ersten Jahrtausend* (1944). Bonas doctrinae syntheses nobis praebent J.M.Bover, *Maternité de Marie et de l'Eglise,* apud H.du Manoir, *Maria* I (1949) 668-674; M.Philipon, *Maternité spirituelle de Marie et de l.Eglise;* EtudMar (1952) p.63-86; H.de Lubac, *L'Eglise notre Mère:* Etud 276 (1953) 3-19; Id., *Méditation sur l'Eglise* (1953) ch.7 p.183-212, *Ecclesia Mater.*

929. Scholion 3. Duplex est Ecclesiae finis. Omnes catholici Theologi consentientes docent, finem Ecclesiae supematuralem esse hominum sanctificationem vel salutem. Aliqui tamen triplicem Ecclesiae finem distinguunt, *proximum,* nempe, quem in exercitio christianae religionis reponunt, *remotum,* quem animorum sanctificationem in hac vita esse didunt, et *ultimum,* quem in aeternae felicitatis possessione consistere fatentur. Ita inter alios opinantur Wilmers et Van Laak, quibus alii contradicunt, ut Straub [13]. Nobis videtur praeferenda sententia quae magis cum ratione loquendi Magisterii ecclesiastici consona apparet, prout in thesi nostra explicata est. Exercitium enim christianae religionis, si praecisum ab animorum sanctificatione sumatur eamque excludens, dici proprie non potest sociale bonum specificans Ecclesiam; ac propterea non induit rationem finis, sed potius purum medium dicendum est.

930. Obiectiones [15]. I. *Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum homo Christus lesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus (1* Tim 2,5). Unde arguitur: Unicus Mediator est Christus, quia Redemptor. Ergo nequeunt dari mediatores qui munus sanctificandi habeant, quia non sunt redemptores.

Dist. *antec.* Unicus Mediator necessarius principalis et iure proprio est Christus utpote Redemptor, *conc. antec.;* unicus Mediator ita est Christus, ut excludat mediatores contingentes, ministeriales et iure participato praeditos munere sanctificandi, nego, *antec.* Pariter *cons, distincto, negatur consequentia [16].*

931. 2. *Et alii quidem plures facti* sunt *sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium... semper* vivens ad *interpellandum pro nobis.* Atque unam *pro peccatis offerens hostiam,* in *sempiternum sedet in dextera Dei... Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* (Hebr 7.23-25; 10,12-14). Ex quibus verbis fit obiectio: In contrapositione ad pluralitatem sacerdotum et sacrificiorum, S.Paulus docet unum esse in aeternum Sacerdotem, Christum, munere sanctificandi praeditum. Ergo S.Paulus excludit alios omnes munere sanctificandi praeditos.

Dist. antec. In contrapositione ad pluralitem sacerdotum et sacrificiorum Veteris Legis, quae praenuntiabant et praefigurabant sacerdotium et sacrificium Christi, S.Paulus docet unum esse in aeternum Sacerdotem, Christum, munere sanctificandi praeditum, quo eius praenuntiatio et praefiguratio adimpletae et consummatae sunt, *conc. antec.;* S.Paulus docet in Nova

[12] Wilmers, *De Ecclesia* th.7s; Van Laak, *Institutiones Theologiae fundamentalis, De Ecclesia* 209; Straub, *De Ecclesia* n.33os.

[13] Cf. Schultes, *De Ecclesia* 87s. Van Laak, *Instil. De Ecclesia* p.2l6s.

[14] S.Th., Super *I epist. S.Pauli ad Timotheum expositio* c.2 lect.1.

Lege unum esse simpliciter et in aeternum sacerdotium munere sanctificandi praeditum, *sUbdist.:* S.Paulus docet in N.L. unum esse simpliciter et in aeternum Christi sacerdotium principale quo in cruce Christus propria virtute pro peccatis omnium satisfecit omnesque nobis gratias meruit, *conc.;* S.Paulus docet in N.L. non esse sacerdotium ministeriale quo, virtute a Christo participata, nobis applicarentur fructus satisfactionis et meritorum Christi Redemptoris, *nego.*

Pariter dist. cons. S.Paulus excludit alios omnes sacerdotes et eorum omnia sacrificia Veteris Legis, *conc. cons.;* Novae Legis, *subdist.:* sacerdotes principales et sacrificia cruenta, quibus propria virtute Deo satisfiat pro peccatis et gratiae mereantur, *conc.;* sacerdotes ministeriales et sacrificia incruenta, quibus, virtute a Christo participata, nobis applicentur fructus satisfactionis et meritorum Christi, a S.Paulo excluduntur, nego 17.

932. 3. Salus supernaturalis semel pro semper morte Christi perfecta et consummata est: *Una enim oblatione consummavit in aeternum sanctificatos* (Hebr 10,14). Ergo salus supernaturalis nequit esse finis per Ecclesiam obtinendus.

Dist. *antec.* Salus morte Christi consummata est obiective et in actu primo seu ex parte Christi, quatenus nempe Christus sua morte iam perfecte pro peccatis satisfecit et gratiam nobis meruit, *conc. antec.;* subiective et in actu secundo seu ex parte hominum, quatenus nempe hominibus iam fructus satisfactionis et meritorum Christi applicati fuerint, *nego antec.* Pariter *distincto cons., negatur consequentia.*

933. 4. Nequit esse medium ad finem sanctificationis id quod est sanctificationis fructus. Atqui Ecclesia est sanctificationis fructus. Ergo Ecclesia nequit esse medium ad finem sanctificationis.

Dist. mai. Nequit esse sanctificationis medium id quod est eius fructus circa idem subiectum et sub eodem respectu, conc. *mai.;* circa diversum subiectum vel sub diverso respectu, nego *mai.*

Contradist. min. Sanctificationisfructus est Ecclesia triumphans, conc. min.; Ecclesia militans, subdist.; est sanctificationis fructus quatenus est societas supernaturalis ex sanctificatis coacta, *conc.;* quatenus est societas supernaturalis instituta ad ministerialiter vel instrumentaliter causandam et augendam sanctificationem, nego. Et sub *datis distinctionibus, nego cons.* et *consequentiam.*

934. 5. Supernaturalis sanctificatio vel salus consistit tandem in infusione, conservatione et augmento donorum gratiae. Atqui haec necessario et immediate ab ipso Deo fiunt. Ergo nequeunt esse finis per Ecclesiam obtinendus.

Conc. mai. et *dist. min.* Infusio, conservatio et augmentum donorum gratiae necessario et immediate fiunt a Deo tamquam a causa necessaria et principali, *conc. min.;* necessario et immediate ita fiunt a Deo ut excludatur ministerialis vel instrumentalis Ecclesiae influxus libere ab ipso Deo dispositus et adhibitus, *nego min.*

Pariter dist. cons. Sanctificatio nequit esse finis obtinendus per Ecclesiam, tamquam per causam necessariam et principalem, conc. cons.; tamquam per causam ministerialem seu instrumentalem libere a Deo dispositam et adhibitam, nego cons. Et sub *datis distinctionibus, nego consequentiam.*

17 S.Th., Super epist. *S.Pauli ad Hebraeos expositio* c.7 lect.4; c.ro lect.1.

935. 6. Medium inutile est illi qui iam finem obtinuit. Atqui qui est in gratia finem Ecclesiae iam obtinuit. Ergo illi qui est in gratia Ecclesia iam inutilis est.

Dist. *mai.* Medium inutile est illi qui iam finem adaequate et perfecte obtinuit, *conc. mai.;* illi qui finem inadaequate vel imperfecte obtinuit, nego, moi. *Contract, min.* Qui est in gratia patriae finem Ecclesiae iam adaequate et perfecte obtinuit, conc. *min.;* qui est in gratia viae finem Ecclesiae iam adaequate et perfecte obtinuit, nego *min.* Et *sub datis distinctionibus, nego cons. et consequentiam.*

ARTICULUS II

Ecclesiae perfectio et absoluta independens

Thesis 23. Ecclesia est societas perfecta et absolute independens, cum plena potestate legislative, iudiciaria et coercitiva.

936. S.Th., 1.2 q.90 a.3 ad 3; De *Regim. Prine,* l.i c.i; Suarez, *Defens. Fidei* I.3 c.5-9; Muncunill, n.309.418: Bainvel, 99127; De Groot, 131-389; Dorsch, 242.519; Ottiger, 50.227; Straub, n.613.1074; Billot, th.20; Pesch, *Comp.* 1,233; Schultes, 260.333; Palmieri, i 13; D'Herbigny, η.75; Excm.G.Martinez, *Credo S.Ecclesiam Cath.* (1954). Cf. J.Salaverri, *El Derecho Ptiblico Eclesidstico en la Semana de Teologia:* EstEcl 29 (1955) 54-64.

937. Nexus. Probavimus Christum instituisse Ecclesiam ut veram societatem, cuius finis est salus hominum supernaturalis. Cum autem ex fine societatis immediate eruatur eius perfectio socialis, ideo nunc quaerimus, utrum Ecclesia relate ad societatem civilem sit necne perfecta et independens, atque praedita regiminis potestate triplici societatis perfectae propria.

938. Notiones [1] Societas est coniunctio moralis et stabilis plurium in communem finem conspirantium.

1) Societas perfecta est illa quae habet *ut finem* bonum hominum in ordine suo plenum et supremum, et *media re* vel iure possidet ad suum finem obtinendum sufficientia: Ecclesia, Status, sunt perfectae societates.

Societas imperfecta est illa quae, *ratione finis,* vel est pars alterius vel alteri societati subordinata, et *ratione mediorum,* ab altera societate dependet, quae sufficientia ad finem media illi praebeat: Provincia, Dioecesis, Ordo religiosus, Familia, sunt societates imperfectae.

Societas completa est ea quae adaequatum homini bonum et corporis et animae *directe* procurat. Erit *incompleta* si bonum

[1] I.Gonzalez Moral, *Philosophia moralis* (1945) n.920-925.

tantum vel spirituale vel temporale *directe* intendit. Completa = familia; incompleta — Ecclesia.

939. 2) Socïetas independens est ea cuius auctoritas alterius societatis auctoritati iure non subest.

Dependentia duplex distinguitur: directa et indirecta.

Directa est illa qua auctoritas *ratione sui* alii superiori auctoritati iure subdita est: Episcopus dioecesis, Gubernator provinciae.

Indirecta est illa qua auctoritas, non ratione sui, sed solum *ratione finis* altioris, ad quem ulterius sui subditi ordinantur, alii auctoritati altioris societatis subest: Pater familias relate ad auctoritatem Status; auctoritas Status relate ad Ecclesiam.

Absolute independens est illa societas, cuius suprema auctoritas auctoritati alterius societatis *nec directe neque indirecte* subordinatur.

Aliqui auctores catholici hodierni in' quaestionem vocant ipsum conceptum *potestatis indirectae* et in eius negationem inclinant, tenentes, Ecclesiam et Statum non esse sibi invicem *proprie subiecta* neque *indirecte,* quia sunt societates independentes et simpliciter perfectae, adeoque supremae in proprio quaeque ordine. Iuxta eos vera doctrina de *indirecta* subordinatione Status erga Ecclesiam non intelligit sublectionem sensu vero et proprio, sed intendit tantummodo statuere et applicare *normam practicam praevalentiae* iuxta ordinem finium, quam Status servare teneatur, non eo quod *subordinates sit neque indirecte* Ecclesiae, sed quia obligatus est a Deo ut suum proprium finem ordinate procuret2.

940. 3) Probavimus *potestatem regiminis* Ecclesiae competere. Iam vero in societate perfecta potestati regendi triplex functio assignatur: legislativa, iudicialis, coercitiva. Eandem triplicem asserimus Ecclesiae competere.

Legislativa est potestas ferendi leges, id est potestas imponendi ordinationes stabiles, quae membra societatis perfectae obligent, pro efficaci finis socialis assecutione 3.

Iudiciaria est potestas decidendi cum auctoritate de legum sensu nec non de litibus civium qua talium et de transgressionibus legum.

2 Glez, Pouvoir *du Pape en matière temporelle.*· DTC 12,2750-2772; Ch.Journet, *L'Eglise du Verbe Incamé,* 1 (1941) 301s; J.Lecler, S.J., *L'Eglise et la souveraineté de l'Etat* (1946) c.5, Les théories du pouvoir indirect, p.96-113; L.Bender, O.P.; *Ius publicum ecclesiasticum* (1948) 125; A.Stickler, *Magistri Gratiani sententia de potestate Ecclesiae in Statum:* Apol 21 (1948) 71-77; W.Onclin; EphThLov 25 (i949) 176,181; cf. O.Robleda, Sobre *el poder directo e indirecto de la Iglesia:* SalTer 39 (1951) 365-372: L.R.Sotillo, *Algunas notas sobre la potestad indirecta de la Iglesia:* MiscCom 16 (1951) 3I-34-

3 1.2 q.90 3.4: «Definitio legis: quae nihil est aliud quam quaedam rationis ordinatio ad tonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata». L.Rodrigo, *Praelectiones theologico-morales.* 2. *Do legibus* (1944) n.3-62.

Coercitiva vel coACTivA est potestas cogendi subditos ad legum observantiam per exactionem poenarum, transgressoribus legum impositarum. *Poenae* intelliguntur, non paenitentiae, sed *invitis* inflictae, *saltem spirituales,* vel *etiam temporales,* prout iudicio supremae auctoritatis necessariae videbuntur.

941. Adversarii. 1) *Nationalistae* exaggerati omnium temporum, qui aequam Ecclesiae independentiam vel negant aut saltem minuunt (cf. Gal 5,17).

2) *Imperatorum intromissiones* in rebus Ecclesiae supponunt eos practice non agnovisse plenam Ecclesiae independentiam. Sic saeculo IV Constantinus eiusque successores in causis Donatistarum et Arianorum; saec.V Theodosius II et eius successores in controversiis Nestoriana et Eutichiana; saec.VI Iustinianus suis decretis de rebus ad disciplinam et ad doctrinam Ecclesiae spectantibus; saec.VII Constantinus IV in causa Monotheletarum; saec.VIII Leo Isauricus et eius successores in lucta de cultu imaginum; saec.IX Michael III favorem Photio praestans (D 333)45

942. 3) *Schismatici Orientales,* qui sic dictum *Byzantinismum* separatum propugnantes, practice Ecclesiam Imperatori subiecerunt. Hinc postea ortus *Caesaro-papismus,* qui in Russia, inde a Petro Magno (a. 1700), auctoritatem omnem religiosam et civilem Imperatori attribuebats.

4) *Praecursores:* a) *Gallicanismi,* saec.XIII exeunte et ineunte XIV seu *legistae galli* sub Philippo IV Pulchro, et Marsilius Patavinus (D 469 cum nota; 495 497 499).

b) *Protestantisme,* saec.XIV exeunte et ineunte XV, Wiclef et Hus, presbyteri (D 592 596 635 681-683).

943· S) *Protestantes* inde a saec.XVI. *In Germania* practice invaluit axioma illud: «Cuius regio eius et religio»; Luther autem in libro *De Captiv. Babilonica* scribebat: «christianis nihil ullo iure legum imponi potest». *In Anglia* vero inter articulos fidei anglicanae, inde ab anno 1552, includitur etiam hic: «Rex Angliae est supremum caput in terris, post Christum, Ecclesiae Anglicanae»6.

4 C.Silva-Tarouca, *Institutiones Historiae ecclesiasticae* pars *2,* Ecclesia in Imperio Romano-Byzantino (1933) c.i, De Imperatore et Ecclesia.

5 M.Jugie, *Theologia graeco-russorum* 4, De Ecclesia, c.9 p.598-639.

0 Articuli Anglicani 21.35*36»; K.Müller, *Die Bekenntnisschriften der reformirten Kirche* 513519s.

6) *Gallicani rigidiores* inde a saec.XVII qui duce Richerio conati sunt ita Ecclesiam accommodare, ut fini supremo splendoris nationalis inserviret. Accedunt *Gallicani mitiores* suis articulis cleri gallicani (D 1322 1324)[7].

944. 7) *Iosephinistae,* a Iosepho II Imperatore (1765-90), qui tenent, Statui competere auctoritatem supremam in omnia quae in bonum communem civium conferunt. Accedunt, favente Leopoldo II, fratre et successore Iosephi II, *Pistorienses* (D 1504s).

8) *Liberalismus* separationem inter Ecclesiam et Statum propugnat et immunitatem libertatemque Ecclesiae negat. Inde per *Rationalismum* inductus *Laicismus* absolutus necnon *Statismus Socialistarum* et *Communistarum* (D 1697 17193.1724s). Pius XI a. 1937 improbavit hodiernum *Statismum Communistarum Encyclicis «Divini Redemptoris»* et *«Firmissimam constantiam»* et *Socialistarum Nationalium Germanorum Encyclica «Mit brennender Sorge»* (AAS 29 [1937] 65.145.189).

Accedunt *Modernistae* (D 2092s), necnon *Panchristiani* volentes Ecclesiam Christi partem facere cuiusdam amplioris confoederationis omnium Christianorum, et Romanum Pontificem decisionibus supremi Consilii foederalis obligatum volunt atque aliis Ecclesiarum principibus aequiparatum.

945. Doctrina Ecclesiae. *Contra Photium, Conc.Constantinopl. VI* a.870: D 340; cf. D 333.

Contra Gallicanos, Bonif. VIII *«Unam Sanctam»,* a.1302: D 469, necnon contra *Mars. Patav.* Ioannes XXII (D 495 497). et contra *Gflllicanorum* sequaces, *Pistorienses,* Pius VI *«Auctorem fidei»:* D 1504s rectam doctrinam defendunt.

Contra Protestantes priores, *Conc.Trident, ses.* 23, a.1563: D 960 967, definivit plenam independentiam ecclesiasticae Hierarchiae ab alia humana potestate.

Contra liberales, laicistas et *statistas,* Pius IX, post medium saec.XIX: D 1696-98; lege in *«Syllabo»* propositiones 19s 28 39 41-45 49 Si-55: D 1719SS.

946. Contra eosdem, Leo XIII pluribus *Encyclicis,* praesertim *«Diuturnum», «Immortale Dei», «Libertas», «Sapientiae christianae», «Rerum novarum»,* a 1881-91. Lege ex *«Immortale Dei»* D 1867 1869. Praeterea «Christus, inquit, Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adiuncta tum ferendarum legum,

7 Cf. M.d'Herbigny, *De Ecclesia* n.76.

veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur indicandi puniendique potestate. Hanc vero auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui iuris... Ecclesia sibi asserere itemque publice exercere nunquam desiit»8[9]10

Benedictus XV, a. 1917, dum promulgat CIC, *«Providentissima,* inquit Mater Ecclesia, ita a conditore Christo constituta [est], ut omnibus instructa esset notis, quae cuilibet perfectae societati congruunt» *(Constit. «Providentissima»* in initio CIC).

Pius XI dum Panchristianos reicit a. 1928; et dum inter se comparat societates domesticam, civilem et ecclesiasticam, a. 1929: D 2203 ».

Leo XIII *Encycl. «Satis cognitum»;* Ecclesiam ait «in sacris Litteris passim videmus vocabulis societatis perfectae nuncupatam» (ASS 28,724).

Pius XII *Encycl. «Mystici Corporis»;* «Ecclesia, inquit, perfecta genere suo societas haberi debet». Huius asserti ratio est quia «divinus Redemptor conditum ab se hominum coetum, perfectam voluit genere suo societatem constitutam, ac iuridicis omnibus socialibusque elementis instructam» (AAS 35, 222.224).

'In schemate reformato *Constitutionis de Ecclesia in Conc. Vaticano,* a.1870: *a)* Cn.12 «Si quis dixerit potestatem regiminis in Ecclesia esse tantum directivam, non vero legislativam, judiciariam et coercitivam, A.s.». *b)* Cn.13 «Si quis dixerit Ecclesiam non esse tamquam perfectam societatem sui iuris, sed civili potestati sublectam, A.S.». Eadem doctrina continebatur in schemate primo eiusdem *Constitutionis de Ecclesia,* c.3 et 10, necnon cn.io et 12 '°.

947. Stat, quaest. Intendimus probare ea quae positive asserimus in thesi. Abstrahimus ab ulteriori quaestione inter catholicos hodiernos agitata circa potestatem indirectam Ecclesiae supra Statum.

948. Valor dogmaticus. *De fide catholica* est thesis, quia ab universali ordinario magisterio ut *tenenda* proponitur.

949. Probatur. 1) Ecclesiam esse societatem perfectam.

Ecclesia habet ut finem salutem hominum supernaturalem et ut media obiectiva quidem legem evangelicam, doctrinam fidei et morum et divina mysteria, subiectiva vero potestates hierarchicas docendi, sanctificandi et regendi homines.

Atqui talis finis est bonum hominum in ordine suo plenum et supremum, media autem sunt plene in Ecclesiae potestate

§ Leo XIII: ASS 18 (1885) X65. Vide eiusdem Summi Pontificis *Encyclicas: Diuturnum*:* ASS 14 (1881) 1-14: *»Immortale Dei»:* ASS 18 (1885) 161-180; *»Libertas»:* ASS 20(1888) S93-613; *'Sapientiae christianae»: ASS 22* (1890) 385-404; *»Rerum novarum»:* ASS 23 (1891) 641-670.

9 Pius XI, *Encycl. 'Mortalium animbs»:* AAS 20 (1928) 1-16.

10 Conc. Vaticani Constitutio de Ecclesia: Schema reformatum: Msi 53,316s! *Schema primum:* Msi 5I.54O.543-552.

et ad finem obtinendum plane sufficiunt. Ergo Ecclesia est societas perfecta.

Conclusio patet ex data definitione societatis perfectae.

Maior iam est probata in thesibus de institutione et fine Ecclesiae.

Ad min. i) Salus hominum supernaturalis est bonum eorum plenum et supremum, quia nec plenius nec altius bonum dari potest.

2) M^dia sunt plene in Ecclesiae potestate, quia directe, immediate et exclusive fuerunt Ecclesiae divinitus collata: Mt i6,i8s; 18,17s; 28,18s.

3) Haec media ad finem obtinendum plane sufficiunt, quia ea sola ad Ecclesiae finem fuerunt divinitus instituta et divina assistentia usque ad consummationem saeculi munita: Mt 28,19; Io 14,16s.26.

950. Probatur. 2) Ecclesiam esse societatem absolute independentem.

A. *Absolute independens* est illa societas, cuius suprema auctoritas, nec ratione sui nec ratione finis altioris, alteri sociali auctoritati subest. Atqui suprema Ecclesiae auctoritas, nec ratione sui nec ratione finis altioris, alteri sociali auctoritati subest. Ergo Ecclesia est societas absolute independens.

Maior patet ex notione societatis absolute independentis.

Ad min. Suprema' Ecclesiae auctoritas alteri sociali auctoritati non subest: a) *ratione sui,* quia est iuris positive divini, Dei assistentia munita, hierarchica et universalissima: Mt 16, 18s; 28,18s; Io 14,15s; b) nec *ratione finis,* quia non datur socialis finis altior fine Ecclesiae.

951. B) Societas, quae tam in *fieri* quam *in facto esse* absolute independens est a societate civili, etiam iure independens absolute dicenda est. Atqui Ecclesia tam in fieri quam in facto esse absolute independens est a societate civili. Ergo etiam iure absolute independens dicenda est.

Maior patet, quia dependentia unius personae moralis ab alia fundatur vel eo quod ab ea facta sit vel eo quod in esse ab ea pendeat.

Ad min. Ecclesia absolute independens est a societate civili:

a) *in fieri* 1) quia divinitus instituta est omnino independenter ab auctoritate civili, ut constat ex thesibus de institutione Ecclesiae et Primatus, et 2) quia Ecclesia propaganda

est, ex Christi mandato, non solum independenter, sed etiam contradicente potestate civili: Mt 10,17-28;

b) *in facto esse* 1) quia Apostoli de facto Ecclesiam plantaverunt adeo contradicente auctoritate civili ut ideo martyres occubuerint (cf. Act 12,1-24; necnon Act 4,5-31; 5,17-42, ubi referuntur contradictiones principum iudaeorum); 2) quia Apostolorum successores Ecclesiam propagaverunt, non obstantibus gravissimis persecutionibus trium priorum saeculorum; et 3) quia inde a saeculo IV, Patres indesinenter propugnaverunt Ecclesiae absolutam independentiam adversus intromissiones Imperatorum [11].[12]

952. Probatur. 3) Ecclesiae potestatem esse legislativam, iudiciariam et coercitivam.

A. *Christus dedit Apostolis pro* Ecclesia potestatem moralem ligandi et solvendi amplissimam et supremam, quae etiam sese extendit ad iudicandum et puniendum reos. Atqui talis potestas in societate perfecta est vera potestas iurisdictionis legislativa, iudicialis et coercitiva. Ergo Ecclesia veram habet potestatem iurisdictionis legislativam, iudiciariam et coercitivam.

Minor patet ex notionibus potestatum societatis perfectae.

953. *Ad mai.* 1) Probatio desumitur ex Mt 16,19; 18, 16-18 [12].

a) Christum dedisse locis citatis potestatem moralem, constat ex thesibus de promissione Primatus et de institutione Collegii Apostolorum, ubi probatum est agi in eis de vera potestate sociali;

b) hanc potestatem datam esse pro Ecclesia, patet ex thesibus de perennitate Hierarchiae et Primatus;

c) eam esse amplissimam et supremam dicitur verbis «quodcumque ligaveris-solveris» et «erit ligatum-solutum in caelis»: Mt 16,19; 18,18;

d) extendi ad iudicandum et puniendum reos continetur verbis «si non audierit eos (testes) dic Ecclesiae» et «sit sicut ethnicus et publicanus»: Mt 18,17.

954. *Ad mai.* 2) *Confirmatio* desumitur ex praxi Apostolorum: 2 Thess 3,4.6.14, ubi v.4 et 6 habemus exercitium potestatis legislativae, versu autem 14 clare supponuntur po-

11 Cf. M.d'Herbigny, *De Ecclesia* n.79, ubi aliqua Patrum praeclara testimonia libertatem Ecclesiae vindicantia transcribuntur.

12 Cf. I.Knabenbauer, *Comment, in Evang. Mt* 16,19; 18,16-18; cf. n.13453.1933.

testates iudiciaria et coercitiva. Pariter in I Tim 5,9-12 de potestate legislativa, versu autem 19s de iudiciaria et coercitiva agitur. Praeterea de potestatibus iudiciaria et coercitiva sermo est in 1 Cor 4,19-5,13; 2 Cor 13,1-3.10; exercitium autem potestatis legislativae habetur in Act 15,22-29; 16,4.

955. B) *Ecclesiae semper agnita* est potestas iurisdictionis legislativa iudiciaria et coercitiva, quam semper sibi attribuit et exercuit in suos. Ergo Ecclesiae revera competit talis potestas.

Antecedens abunde constat ex historia legislationis ecclesiasticae, inde a *Condi.Apostolorum* (Act 15,6s) usque ad *Codicem Iuris Canonid* anno 1917 promulgatum. Sufficiat in memoriam revocare *Regesta, Bidlaria* et *Acta Pontificum Romanorum; Collectiones Conciliorum,* quarum amplissima a Mansi 53 voluminibus edita est; editiones *Decretalium* et legum canonicarum, quae in Praefatione ad CIC recensentur. Ex his evidentissime probatur, Ecclesiam abunde exercuisse potestatem legislativam, iudiciariam et coercitivam, et hanc potestatem semper fuisse universaliter agnitam.

In CIC agitur *de potestate legislativa* I.1-3 cn.1-1551; *de iudiciaria* I.4 cn.1552-2194; *de coercitiva* I.5 cn.2195-2414.

956. C. Ecclesia est societas hominum perfecta et independens. Atqui societati hominum perfectae et independent! necessario competit potestas iurisdictionis legislativa, iudiciaria et coercitiva. Ergo Ecclesia habet potestatem legislativam, iudiciariam et coercitivam.

Prob. min. Inter homines, experientia teste, dantur indolis varietas, voluntatis inconstantia et passionum aestus, quae contrarie opponuntur necessariae omnium cooperationi ut communis finis efficaciter obtineatur. Ergo societati perfectae et independent! necessaria est vis aliqua vel virtus efficaciter uniens, firmans, et compescens cives ita ut omnes in communem finem tendant eumque assequantur. Haec autem vis hominibus consentanea non est alia nisi potestas legislativa, iudiciaria et coercitiva. Potestas enim *legislativa* omnium in finem tendentias unit, quatenus apta ad finem proponit media ab omnibus obligatorie adhibenda; potestas autem *iudiciaria* inconstantes omnes firmat, quatenus dubia et lites civium circa legum obligationes auctoritative dirimit; potestas denique *coercitiva* passionum aestus compescit, quatenus congruentibus poenis omnes cives a legum transgressione efficaciter cohibet. Ergo societati hominum perfectae et independent! necessario competit potestas iurisdictionis legislativa, iudiciaria et coercitiva.

957. Obiectiones[13]. 1. Societas imperfecta est illa quae ratione finis est pars alterius societatis. Atqui bonum religionis, qui est finis Ecclesiae, pars est prosperitatis publicae, qui est finis Status. Ergo Ecclesia ratione finis societas imperfecta est.

13 Cf. Pesch, *Compendium* t.T n.236; Müncvnil1, De *Ecclesia* 0.317.426.437; Ds Groot, *De Ecclesia* 136.394.400.404.410. Vide etiam J.Donat, *Ethica specialis* (1941) 0.427-429.

Conc. mai. Dist. min. Bonum religionis pars est prosperitatis publicae in ordine mere naturali, conc. *min.;* in ordine supernatural!, nego min.

2. Ordo supernaturalis non destruit sed perficit ordinem naturae. Atqui in ordine naturae bonum religionis est pars prosperitatis publicae. Ergo a fortiori in ordine supernatural!.

Dist. mai. Ordo supernaturalis ordinem naturae non destruit sed perficit ita ut etiam in pluribus eum positive modificet, conc. mai.; ita ut eum positive nullatenus modificet, nego mai. Concessa min., pariter *distingue cons.* In re enim de qua agimus ordo naturalis modificatus est ita ut bonum religionis supernaturalis positive commiserit Deus curae potestatis hierarchicae independents a potestate civili.

958. 3. Societas perfecta non est illa quae proprio territorio caret. Atqui Ecclesia proprio territorio caret. Ergo Ecclesia non est societas perfecta.

Dist. mai. Societas perfecta non est illa quae caret territorio proprio in quo suam peculiarem iurisdictionem exerceat, conc. *mai.;* quae caret proprio territorio in quo dominium civile obtineat, *subdist. :* non est perfecta societas naturalis vel civilis, *conc.;* supernaturalis et ecclesiastica, nego. *Contradistincta* min., *negatur cons.* et *consequentia.* Territorium enim in quo Ecclesia pleno iure suam hierarchicam potestatem et iurisdictionem exercere potest et debet, est totus mundus, iuxta illud Christi mandatum: *Euntes* in *mundum universum...* (Mc 16,15): Cf. Mt 28,18; Act 1,8.

959. 4. Iuxta S.Optatum: «Non est Respublica in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica est, id est, in Imperio Romano». Atqui societas quae est in Republica non est ab ea independens. Ergo Ecclesia ab Statu independens non est.

Admitto verba S.Optati, sed ad eorum intelligentiam respiciendus est contextus: Donatus, inquit, «meditabatur, contra praecepta Apostoli Pauli, potestatibus et Regibus iniuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, cotidie rogare debuerat; sic enim docet beatus Apostolus Paulus: Rogate pro Regibus et potestatibus, ut quietam et tranquillam vitam cum ipsis agamus (1 Tim 2,2). Non enim Respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica, id est, in Imperio Romano, ... ubi et sacerdotia sancta sunt et pudicitia et virginitas, quae in barbaris gentibus non sunt, et, si essent, tuta esse non possent» M.

Dist. *mai.* Iuxta contextum, S.Optatus vult dicere, non est Respublica, quae in Ecclesia securitatem et commoda temporalia inveniat, sed e contra est Ecclesia quae in Republica, id est, in Imperio Romano, securitatem et commoda temporalia inveniat, *conc. mai.;* vult significare Ecclesiam esse partem Reipublicae, quae ab ea dependeat, *nego mai. Contradistincta min., negatur cons. et consequentia.*

960. 5. Ecclesia bonis temporalibus indiget. Atqui bona temporalia sub potestate Status sunt. Ergo Ecclesia ratione mediorum est ab Statu dependens.

Dist. *mai.* Ecclesia indiget bonis temporalibus sive privatorum sive Status, *conc. mai.;* praecise bonis Status, *subdist. :* tamquam mediis absolute necessariis ad suum finem supernaturalem obtinendum, nego; tamquam mediis convenientibus ut fideles finem Ecclesiae assequantur, iterum *subdist. :* et ad talia media ius habent fideles, ut cives Status, et Ecclesia, ut civium associatio

14 S.Optatus Milbvitanvs, *De schismate* Donati 3,3: ML 11,999; edit. C.Ziwsa: CSEL 26,74·

legitimo possidendi iure praedita, *conc.;* et ad talia media ab Statu exigenda iure carent fideles et Ecclesia, *nego. Contradistincta min., nego cons. et consequentiam.* l

961. 6. Christus mandavit: *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam:* Mt 10,9; cf. Mc 6,8; Lc 9,3; 10,4. Unde sic: Christus positive prohibuit possidere quidquam. Ergo Ecclesia omni iure possidendi caret.

Admitto textum et explico. Christi monitum refertur solum ad breve tempus illius missionis praeviae Apostolorum, de qua sermo est apud Mt Io, 5-15. Accipi etiam potest tamquam merum perfectionis consilium, de quo sermo est apud Lc 18,22; Mt 19,21; Mc 10,21. Apostoli enim aliqua possidebant, ut constat ex Io 4,8; 16,6; Le 22,35s; l Cor 9,14. His positis, ad obiectionem respondeo.

Dist. *antec.* Christus positive prohibuit possidere quidquam Apostolis ad breve tempus, *conc. antec.;* omnibus et stabiliter, *subdist.:* per modum consilii perfectionis id commendavit, *conc.;* per modum praecepti id prohibuit, nego.

962. 7. Ecclesia suam libertatem immunem tueri non potest. Ergo non est absolute independens.

Dist. antec. Ecclesia suam libertatem tueri non potest immunem a persecutionibus, *conc. antec.;* immunem a vera dependentia, nego.

8. Duae societates perfectae et independentes supra eosdem subditos perpetuus fons discordiarum sunt. Atqui Deus pacis nequit concipi parens discordiarum. Ergo Deus non potuit instituere Ecclesiam societatem perfectam et ab Statu independentem.

Dist. mai. Duae societates eiusdem ordinis et potestatis, *conc. mai.;* diversi ordinis et potestatis, *subdist. mai.:* sunt discordiarum fons per se, *nego;* per accidens seu propter deficientias intellectuales et morales hominum, *conc. Concessa min., pariter distinguitur cons.* et *negatur consequentia,.*

Contra potestates Ecclesiae. 9. Christus aperte improbavit «mandata hominum». Atqui decreta potestatis legislativae ecclesiasticae sunt mandata hominum. Ergo Christus improbavit potestatem legislativam Ecclesiae.

Dist. mat. Christus aperte improbavit «mandata hominum, quae irtita facerent praecepta Dei»: Mt 15,9; Mc 7,7-13, conc. mai.; quae consona essent cum lege divina, *nego mai. Contradistincta min., negatur cons. et consequentia.*

963. 10. Sicut in Vet.Test. praeceptum erat ne aliquid Legi adderetur: Deut 4,2; 12,32; sic etiam in Nov.Test. per os Pauli praescriptum est ut «bonum depositum custodiatur»: l Tim 6,20; 2 Tim 1,14. Ergo exclusa est potestas leges condendi post eas quas ab Apostolis accepit Ecclesia.

Conc. antec. Dist. cons. In utroque Testamento exclusa est potestas leges ferendi contrarias vel minus consentaneas legi divinae, conc. *cons.;* leges consentaneas legi divinae et quae iuvarent ad meliorem eiusdem observantiam, nego *cons.* Et sub data distinctione consequentis, negatur *consequentia.*

964. ii. Potestatis legislativae obiectum sunt res externae. Atqui res externae non subsunt Ecclesiae potestati. Ergo potestas legislative non est in Ecclesia.

Trans, mat. quia ad tractatum *De Legibus* pertinet determinare casus, si qui sint, in quibus Ecclesia posset actus internos praecipere vel prohibere. *Dist. min.* Quae nullam connexionem habeant cum rebus fidei, cultus et

morum, *conc. min.;* quae veram connexionem habeant cum rebus fidei, cultus et morum, *nego min.* Talia enim sunt professio et propagatio fidei, cultus liturgicus cum sacrificio et sacramentis, fidelium mores, etc.

12. Iac 4,12: *Unus,* inquit, *est legislator el iudex.* Ergo excluduntur ab Ecclesia potestates legislativa et iudicialis.

Dist. antec. Absolute, principaliter et iure proprio unus Christus est legislator et iudex, *conc. antec.;* relative, ministerialiter et iure vicario; *nego antec.* Pariter *distincto cons., negatur consequentia.*

965. 13. Apud Mt 18,15-18 sermo est de correctione fraterna. Ergo inde non probatur potestas iudicialis Ecclesiae.

Dist. *antec.* Sermo est de correctione fraterna versibus 15s, cuius tamen occasione effertur etiam versibus 17s potestas iudicialis, conc. *antec.; sermo* est tantum de correctione fraterna, *nego antec.*

14. Idem Mt 18,15-18 agit de Ecclesia particulari alicuius loci. Ergo non agit de potestate iudiciali Ecclesiae universalis.

Dist. antec. Agunt de Ecclesia particulari versus 15s, *conc. antec.;* agunt de Ecclesia particulari versus 17s, in quibus potestas ligandi et solvendi amplissima et suprema effertur, *subdist.:* agunt de Ecclesia particulari simpliciter et primario, nego; secundum quid et secundario, iterum *subdist. :* agunt de Ecclesia particulari tamquam participi potestatis quae asseritur de Ecclesia universali versu 18, *conc.;* de Ecclesia particulari sine ullo respectu ad potestatem assertam de Ecclesia universali, *nego.*

966. 15. Lex christiana non est lex timoris, sed caritatis. Atqui potestas coercitiva non amore sed timore movet. Ergo potestas coercitiva non est christiana.

Dist. *mai.* In stadio consummationis in patria ubi iam homines labiles non sunt, *conc. mai.;* in stadio probationis in via ubi adversis illecebris allecti homines labiles sunt, subdist.: lex christiana est lex caritatis positive, principaliter et primario, *conc.;* exclusive, accesorie et secundario, *nego.* Nam et sanctus iustitiae Dei timor salutaris valde in hac vita est.

16. Potestatis coercitivae Ecclesiae finis est poenis invitos delinquentes corrigere ita ut voluntarie Deo subdantur. Atqui poena invitos nullos corrigit ita ut voluntarie subdantur. Ergo potestas coercitiva Ecclesiae inutilis est.

Dist. *mai.* Talis est finis poenarum qua exemplarium, nego *mai.;* qua medicinalium, subdist. *mai. :* saltem indirecte et mediate obtinendus, *conc.;* praecise directe et immediate obtinendus, nego. *Contradistincta min. negatur cons. et consequentia.*

967. 17. Tandem potestatis coercitivae Ecclesiae scopus saltem est coercere subditos ab iniquitate. Atqui saepe omnino constat contumaces et induratos nullis poenis ab iniquitate coerceri. Ergo saltem quoad hos potestate coercitiva caret Ecclesia.

Dist. *mai.* Vel medicinaliter subditos delinquentes ut resipiscant vel exemplariter alios ne deliquant, coercere, *conc. mai.;* solum subditos delinquentes, nego moi. *Concessa min..* pariter distingue *cons.* et nega *consequentiam.*

18. Le 9,54s: *Discipuli eius lacobus et loannes dixerunt: Domine, vis dicimus ut ignis descendat de caelo el consumat illos. Et conversus increpavit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere sed salvare.* His verbis Christus docuit poenas corporales esse contrarias spiritui Evangelii. Ergo Ecclesia caret potestate coercitiva saltem ad infligendas poenas corporales.

Dist. *antec.* Contrarium est spiritui Evangelii poenas infligere iis qui Ecclesiae subditi nondum sunt, *conc. antec.;* subditis Ecclesiae, *subdist. :* poenas immoderatas vel inopportunas vel inutiles, *conc.;* moderatas vel opportunas ve) utiles, *nego. Pariter distincto cons., negatur consequentia.*

968. 19. S.Ambrosius: «Lacrymae, inquit, meae arma sunt; talia enim munimenta sunt sacerdotis. Aliter nec debeo nec possum resistere.» Et S.Io.Chrysostomus ait: «Christianis minime omnium licet delicta peccantium vi emendare» 15. Unde sic: Sancti Patres potestatem infligendi poenas corporales vel Ecclesiae negant vel ei illicitam esse asserunt. Ergo talis potestas Ecclesiae non est attribuenda.

Textus allatos explico: S.Ambrosius asserit se non debere nec posse vi armata resistere Auxentio, qui exercitibus suis res Ecclesiae inique invadebat; S.Chrysostomus vero docet, morbos animi non sanari sola vi, sed potius voluntaria medicinae spiritualis susceptione. Quibus positis sic respondeo.

Dist. antec. Sancti Patres potestatem infligendi poenas corporales Ecclesiae negant; relate ad non-baptizatos vel ad vi extorquendam fidelium conversionem vel ad res mere terrenas procurandas; illicitam vero Ecclesiae esse asserunt si poenae sint immoderatae aut inopportunae aut plane inutiles, *conc. antec.;* aliter, *nego antec.*

969. 20. Qui vi materiali caret poenas corporales exigere nequit. Atqui Ecclesia vi materiali caret. Ergo Ecclesia poenas corporales exigere nequit. .

Dist. mai. Per se ipsum, *conc. mai.; per* aliorum ministerium, *nego mai. Concessa min. et pariter distincto cons., negatur consequentia.*

'21. Ad finem Ecclesiae obtinendum sufficiunt et efficaciores sunt'poenae externae morales et spirituales. Ergo poenae corporales necessariae non sunt.

Dist. *antec.* Ut plurimum et saepe, *conc. antec.;* in omnibus casibus et semper, *nego, antec. Pariter distincto cons., negatur consequentia.*

970. 22. Potestas imponendi poenas corporales est inhumana et ad saevam crudelitatem ducit. Ergo Ecclesiae potius nocua dicenda est.

Dist. *antec.* Per se et natura sua, *nego antec.; per* accidens et ex adiunctis, *subdist.* : est inhumana et ad crudelitatem inducens ex improbando hominum abusu, conc.; ex aequo et legitimo eius usu, *nego.*

Circa inhumanitatem, quae non raro obicitur Ecclesiae ob abusus tribunalis *Inquisitionis,* probe distinguendum est inter abusus veros, et fictos quos inimici Ecclesiae innumeros confixerunt. In veris autem abusibus iterum distinguendi sunt illi, quorum responsabilitas est tribunalis ecclesiastici qua talis, ab illis de quibus responsabile est tribunal qua civile. Quae quidem si accurate distinguantur, Ecclesiae iustitia etiam in tribunali Inquisitionis, facile immunis ab inhumanitatis et crudelitatis crimine patefiet16.

971. 23. Potestas coercitiva societatis perfectae secum fert ius infligendi etiam poenam capitalem. Atqui hoc iure Ecclesia caret. Ergo caret etiam potestate coercitiva.

Duplex responsio: I.® cum illis qui negant Ecclesiae ius puniendi poena capitis: Dist. *mai.* In societate cuius finis est prosperitas temporalis, *conc. mai.;*

15 S.Ambrosius, *Sermo contra Auxentium* n.2: ML 16,1050; S.Ioan.Chrysostomus, *De Sacerdotio* 1.2 n.3: MG 48,634.

*» B.Llorca, *Historia eclesidstica* § 117 et 139; J.Guiraud, *Inquisition:* DAFC 2,823-890; E.Vacandam», *Inquisition:* DTC 7,2016-2068.

in societate cuius finis est salus sempiterna, nego *mai. Contradistincta min., negatur cons. et consequentia.*

2.a *responsio* cum illis qui concedunt Ecclesiae ius puniendi poena capitis: *Dist. mai.* Potestas coercitiva societatis perfectae secum fert ius puniendi poena capitali, decernenda tamen et exsecutioni mandanda saltem per ministerium eorum qui vi polleant, conc. mai.; decernenda et exsecutioni mandanda immediate per se ipsam, nego. *mai. Contradist.* min. Ecclesia iure caret decernendi et exsecutioni mandandi poenam capitis immediate per se ipsam, conc. min.; per ministerium brachii saecularis qui vi polleat, nego min. '7.

CAPUT II

De Corpore Christi Mystico, quod est Ecclesia, et de eius membris

ARTICULUS I

Ecclesia est Corpus Christi Mysticum

Thesis 24. Ecclesia est Christi Capitis Corpus Mysticum, cuius quasi-anima est Spiritus Sanctus; unde merito appellatur Domus filiorum Dei Patris.

972. Pius XII, *Encycl. «Mystici Corporis Christi»:* AAS 35 (1943) 193-248; S.Th., 3 q.8; 3 d.13 q.2 a.2; *De ver.* q.29 a.4 et 5; Toletus, *In* 3 q.8; SuArez, *In* 3 q.8; D.Petavius, *De Incarnatione* l.12 c.17; H.Hurter, *De Ecclesia Corpore Christi Mystico: SS.Patrum Opuscula* t.27: I.B.Franzelin, th.18; D.Palmieri, *Proleg. De Ecclesia* th.n; G.Wilmers, th.14-19; A.Straub, th.io; Ae.Dorsch, th.zss; M.d'Herbigny, th.7 et 30; l.Muncunill, n.105-112; H,Dieckmann, 0.925-948; L.Lercher, t.i n.383-396; t.4 n.1-48: S.Tromp, *Litterae Encyçlicae de Mystico lesu Christi Corpore: Textus et Documenta* Ser.theol. 26 (1943); Id., *De Spiritu Sancto anima Corporis Mystici, Testimonia selecta e Patribus graecis et latinis: Textus et Documenta* Ser.theol. 1 et 7 (1932); Id., *Corpus Christi quod est Ecclesia* (1946); E.Mersch, *Le Corps Mystique du Christ: Etudes de théologie historique* 2 v. (1936); Id., *Morale et Corps Mystique* (1937); Id., *La Théologie du Corps Mystique* 2 v. (1944)· Ex Commentatoribus doctrinae S.Pauli: F.Prat, *La Théologie de S.Paul* l (1934) 359-37°; 2 (1933) 341-362; W.Koester, *Die Idee der Kirche beim Apostel Paulus* (1928) 22-63; A.Wikenhauser, *Die Kirche ais der mystiche Leib Christi nach dem Apostel Paulus* (1940); L.Cerfaux, *La Théol. de l'Eglise s. S.Paul* (1942); J.M.Bover, *Teologia de San Pablo* (1946) 1.7 c.4; W.Goossens, *L'Église Corps du Christ d'après St.Paul* (1949); T.Soiron, *Die Kirche als der Leib Chi.* (1951). Monographias dc Mystico Christi Corpore variis linguis vernaculis scripserunt: H.Lang (1929); J.Anger (1934); C.Feckes (1934); F.Sheen (1935); E.Mura (1936); D.Haugg (1937); F.Jürgensmeier (1938); L.Deimel (1940); M.Teixeira-Leite (1944); F.Grivec (i94^)· Accedunt tractationes speciales: E.Eiorduy, *El Cuerpo mistico de Cristo en Sudrez:* RevEspT 3 (1943) 347-397-443-474; A.M.Landgraf, *Die Lehre vom geheimnisvollen Leib Christi in den frilhcn Paulinenkommentaren und in der Frûhscholastik:* DivThom (Fr) 24 (1946) 217-248. 393-428; 25 (1947) 365-436; 26 (1948) 160-180.291-323.39S-434; F.Grivec, *Skrivnostno telo Jezusa Kristus-Okroznica PP.Pija* XII (1944); K.Rahner, *Die Zugehbrigkeit zur Kirche nach der Lehre der Encyklika Pius XII «Mystici Corporis»;* ZkathTh 69 (1947) 129-188; C.Feckes, *Die Kirche ais Herrenleib: Darlegungen zur Encyk. «Mystici Corporis»* (1949); A.Mitterer, *Ceheimnisvoller Leib Christi nach St.Thomas und nach Pius XII* (1950); H.de Lubac, *Corpus Mysticum* (1949); E.Sauras, *El Cuerpo mistico de Cristo* (1952); M.Meinertz, *Theol. des N.T.* 2 p. 155-184; T.Zapelena, *De Ecclesia* 2 (1954) 331-597·

17 Cf. Ioan.Muncunill et auctores quos ipse citat in *De Ecclesia* n.442·

973. Nexus. Probavimus finem Ecclesiae esse supernaturalem hominum sanctificationem et salutem, quae tandem in unione cum Deo consistit. Nunc autem ulterius inquirere volumus in naturam huius unionis cum Deo Trino, quae in Ecclesia fit iam inde ab incorporatione et regeneratione per Baptismum «in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti» (Mt 28,19); ex ea enim plenius cognosci potest supernaturalis ipsa Ecclesiae indolis.

974. Notiones. Ecclesia est supernaturalis hominum societas a Christo instituta atque in terris militans, de qua. hucusque tractavimus. Abstrahimus ergo ab Ecclesia patienti in purgatorio et triumphanti in caelis.

Corpus intelligitur, ad similitudinem *humani corporis,* ut quid visibile et unum, atque ex variis organis coalescens. *Metaphorica* quidem denominatio est, sed haec mataphora est a Spiritu Sancto in sacris Scripturis inspirata et sensu pleno donata.

Tripliciter dici potest hominum Corpus: *Physicum* est illud cuius varia membra subsistunt subsistentia, non singulorum membrorum, sed totius corporei organismi propria: hac ratione exsistit Christi corpus in caelo et in Eucharistia. *Morale* est corpus, cuius membrorum unitas solum ab extrinseco oritur, ab uno videlicet fine intento atque a communi membrorum cooperatione in eundem finem. Mysticum est corpus sane non physicum, sed morale, cuius tamen a fine intento unitas ulterius perficitur ab interno supernaturali principio, quod realiter in omnia corporis membra vitam influit mysteriis plenam.

Pium XII audiamus: «Ecclesiam esse *Corpus* saepe sacra eloquia praedicant (Coi 1,18). Quod si Corpus est Ecclesia, unum quiddam et indivisum sit oportet (Rom 12,5). Nec solummodo unum quiddam et indivisum esse debet, sed aliquid etiam concretum et perspicibile (Leo XIII: ASS 28,710). At Corpus multitudinem quoque membrorum exigit, quae ita inter se connectantur, ut mutuo sibi auxilio veniant... Ac praeterea, sicut in natura rerum non ex qualibet membrorurwcongerie constituitur corpus, sed organis, uti aiunt, instructum sit oportet, quae non eundem actum habeant, ac sint apto ordine composita: ita Ecclesia ea maxime de causa Corpus dicenda est, quod recta consentaneaque coalescit partium temperatione coagmentationeque, ac diversis est sibique invicem congruentibus membris instructa (Rom 12,4).»

«Per vocem *Mysticum* sociale Ecclesiae Corpus, cuius Christus Caput est ac moderator, internosci potest a *physico* Eius Corpore, quod e Deipara Virgine natum nunc ad Patris dexteram sedet...; ac discerni item potest, quod ob hodiernos errores maioris momenti est, a *naturali* quovis corpore sive *physico,* sive, ut aiunt, *morali.* Dum enim in *naturali* corpore unitatis

principium ita partes iungit, ut propria, quam vocant subsistentia singulae prorsus careant; contra in *mystico* Corpore mutuae conjunctionis vis, etiamsi intima, membra ita inter se copulat, ut singula omnino fruantur persona propria... Quod si *mysticum* comparemus cum *morali,* ut aiunt, corpore, aliquid summi momenti inter utrumque summaeque'gravitatis interest. In hoc enim, quod *morale* vocant, nihil aliud est unitatis principium, nisi finis communis, communisque in eundem finem per socialem auctoritatem conspiratio; dum in *mystico de* quo agimus Corpore conspirationi huic internum aliud adiungitur principium..'., divinus nempe Spiritus» 1.

975. Caput Mystici Corporis Christus dicitur, quia relate ad Ecclesiae corpus Christus eas agit partes, quas hominis caput gerit relate ad naturale suum corpus: id est, motum interne influit et externe omnes corporis actus gubernat 2.

' Christi Corpus dicitur Ecclesia praesertim quia Christus est eius Conditor et Caput, consequenter etiam quia Ecclesiae est sustentator et Salvator.

976. Spiritus Sanctus intelligitur in thesi tertia Sanctissimae Trinitatis Persona. *Anima humana* est primum ac radicale principium unitatis et vitae humani corporis. Distinguitur a potentiis, quae sunt principia proxima quibus anima operatur, et ab effectibus quos anima eiusque potentiae producunt. In Corpore Christi Mystico dici possunt potentiae et effectus vitales gratia sanctificans, virtutum habitus et alia supernaturalia dona.

Quasi-Anima appellatur Spiritus Sanctus, quia in Corpore Christi Mystico anima proprie dici non potest, quatenus Spiritus Sanctus nequit substantialiter Corpori Mystico uniri; *analogice vero* anima appellatur, ex similitudine ad humani corporis animam, quatenus nempe Spiritus Sanctus *efficienter* et *quasi-formaliter* in Ecclesia peragit vitae effectus similes iis, quos anima hominis operatur in humano corpore.

977. Verba theseos unde merito denotant, tertiam partem ex duabus praecedentibus velut conclusionem deduci.

Domus intelligitur sensu, noft materiali de aedificio, sed formali, id est, *velut familia,* iuxta illud Domini: non sum missus *nisi ad oves quae perierunt domus Israel* (Mt 15,24), et illud S.Lucae: *eo quod esset de domo et familia David* (Lc 2,4);

Filii Dei intelliguntur ii, qui adoptivam filiationem divinam assecuti sunt saltem per Baptismi regenerationem (Io 1, 12.13; 3.5)·

1 Cf. Pius XII, *Encycl. «Mystici Corporis»;* AAS 35.199s.221s.
2 Cf. S.Th., 3 q.8 a.6.

978. Status quaestionis. Thesis, prout ex eius tenore constat, tres habet partes, quibus singulis exhibentur unitatis relationes membrorum Ecclesiae ad singulas divinas personas. Ecclesiae enim membra in Mystico hoc Corpore uniuntur: a) *Christo Dei Filio,* ut membra Capiti; b) *Spiritui Sancto, ut* corpus eius animae; c) *Deo Patri,* ut filii Patrifamilias.

979. Adversarii. Praecipui indicantur a Pio XII in *Encycl. «Mystici Corporis»,* i) Recensentur *Schismatici Orientales,* qui adeo premunt Christum esse unum Ecclesiae Caput, ut excludant Christi in terris Vicarium.

Pium XII audi: «Norunt omnes Christum Dominum... totius ab se conditae societatis adspectabile regimen Apostolorum Principi commisisse. Neque ad rem eiusmodi infitiandam asseverari potest per statutum in Ecclesia iurisdictionis Primatum, mysticum eiusmodi Corpus gemino instructum fuisse capite. Est enim Petrus vi Primatus, nonnisi Christi Vicarius, atque adeo unum tantum primarium habetur huius Corporis Caput, nempe Christus» (AAS 35,210s) 3 (cf. D 468).

2) *Protestantes,* qui fidem in Christum retinent quidem, sed tres errorum classes propugnant: *a)* alii asserentes Mysticum Christi Corpus esse, non Ecclesiam visibilem, sed invisibilem, sive eam quam lutherani definiunt congregationem iustorum, sive eam quam calviniani appellant congregationem praedestinatorum; *b)* alii prorsus secernentes Ecclesiam iuridicam a charismatica, tenent solam Ecclesiam charismaticam esse a Christo ortam, ideoque eam solam posse Mysticum Christi Corpus dici; *c)* alii adhaerentes theoriae Ecclesiae tripartitae vel aliis huic affinibus, unitatem et unicitatem organicam Mystici Corporis propriam destruunt.

Pius XII scribit: «Omnino patet gravi eos in errore versari, qui ad arbitrium suum quasi latentem minimeque conspicuam fingant Ecclesiam: itemque qui eam perinde habeant atque institutum quoddam humanum cum certa quadam disciplinae temperatione extemisque ritibus, at sine supernae vitae communicatione... Funestum etiam eorum errorem dolemus atque improbamus, qui commentitiam Ecclesiam sibi somniant, utpote societatem quandam caritate alitam ac formatam, cui quidem—non sine despicientia—aliam opponunt, quam iuridicam vocant. At perperam omnino eiusmodi distinctionem inducunt.» Prius autem scripserat: «A divina veritate ii aberrant, qui Ecclesiam ita effingunt, ut neque attingi neque videri possit, sitque tantum *pneumaticum* aliquid, ut aiunt, quo multae Christianorum communitates, licet fide ab se invicem seiunctae, inter se tamen haud adspectabili nexu coniungantur» (AAS 35,223s et 199s)4.

» Cf. M.Jugie, 4, *De Ecclesia* 414; S.Zankow, Das *Orthodoxe Christentum* (1928) 68. S.Th. *Contra impugnantes Dei* cultum c.4: Edit. Vives, t. 29, p.34.

4 Cf. Pius XI, *Encycl. 'Mortalium animos**. Agit in ea de ratione qua Ecclesiarum unio obtineri possit: AAS 20 (1928) 1-16. Pius XII, *Sermo:* «Perperam secernitur Ecclesia iuridica ab Ecclesia caritatis: sed illa Ecclesia iure fundata, cuius caput Pontifex est, eadem est Eccle-

980. 3) Integram nostram thesim negant ulterius: a) *Rationalistae eo* quod perabsurdum reputent quidquid humani ingenii vires evincat atque transcendat; b) *Naturalistae* qui in Christi Ecclesia nihil aliud nisi vincula mere iuridica et socialia cernere volunt; c) *Evolutionistae* qui doctrinam Corporis Mystici dicunt esse a S.Paulo adinventam atque ab hellenistis sive philosophis sive gnosticis mutuatam et ad Ecclesiae primitivae indigentias accommodatam.

Pius XII ait: «Dum enim ex una parte commentitius perdurat *Rationalismus,* qui perabsurdum reputat, quidquid transcendat atque evincat humani ingenii vires, dumque eidem comitatur *naturalismus vulgaris,* qui in Ecclesia Christi nihil aliud nisi vincula mere iuridica et socialia videre vult; ex altera parte falsus subrepit *Mysticismus,* qui immobiles limites removere conatur inter creatas res et Creatorem» (AAS 35,197)[5].

981. 4) Inter catholicos certo in hac re errant: *a)* qui exaggeratum quendam *mysticismum* propugnant, «quandoquidem divinum Redemptorem et Ecclesiae membra in physicam unam personam coire et coalescere dicunt, non satis considerantes S.Paulum translata tantummodo verborum significatione hac in re fuisse locutum»;

b) qui insanum *quietismum* inducunt, «quo spiritualem omnem Christianorum vitam, eorumque ad virtutem progressus, divini Spiritus actioni unice attribuunt, ea nempe seclusa quae a nobis praestari debet socia ac veluti adiutrice opera»;

c) qui fallaci *liturgismi* notione innixi, vel inferunt «non tanti esse faciendam frequentem admissorum venialium, ut aiunt, confessionem, cum praestet potius generalis illa confessio, quam singulis diebus Sponsa Christi cum filiis suis sibi in uno mystico Corpore coniunctis, per sacerdotes faciat ad altare Dei accessuros», vel insinuare conantur «supplicationes ad Deum privatim admotas parvi esse faciendas, cum publicae potius, Ecclesiae nomine adhibitae, reapse valeant, quippe quae a mystico proficiscantur Iesu Christi Corpore», vel dicunt, preces nostras «non ad ipsam Iesu Christi personam, sed ad Deum potius, vel ad aeternum Patrem per Christum esse dirigendas, cum Servator noster, prout mystici sui Corporis Caput, *mediator Dei et hominum* (1 Tim 2,5) solummodo sit habendus» (AAS 35,234-236)[6].

982. Doctrina Ecclesiae. *Prima pars,* qua dicimus Ecclesiam esse Corpus, cuius Caput est Christus, docetur a Bonifacio VIII in *Bulla «Unam Sanctam»,* ubi etiam effertur a

sia Christi, Ecclesia caritatis, universaque Christianorum Familia» (AAS 31 [1939] 250; cf. 248); cf. J.M.Alonso, *Juridismo y Caridad:* XII ScmEspaft de Teologia (1953) 451-541»' J.Salaverri, *El Derecho en el Misterio de la Iglesia:* RevEspT 14 (1954) 207-273.

5 Cf. F.Heiler, *Urkirche und Ostkirche* (1937) 6735.

6 Ob falsum mysticismum a S.Officio prohibitus est liber C.Pelz, *Der Christ ais Christus:* AAS 32 (1940) 502; submissionem vide AAS 33 (1941) 24· Contra *Quietismum, cf.* Pius XII, *Allocutione: AAS* 33 (194O 498-501.

Cum S.Paulus loquitur de Ecclesia ut de Christi corpore, *aj* alii locutionem intelligunt, iuxta theoriam *realistico-somaticam,* de reali praesentia Christi resurrecti in sua Ecclesia (sic Kastner, Haugg, Pelz), *b)* alii dicunt esse locutionem pure *metaphoricam,* qua designantur elementa visibilia Ecclesiae ut societatis (sic Deimel, Koster. Holzer), *c)* alii tenent esse quidem locutionem *metaphoricam,* quae tamen *realitatem* miram et supernam significat et continet (sic Wikenhauser, Feckes, Casel, Mitterer, Loosen, Adam, aliique). Vide has theorias ap. T.Soiron, *Die Kirche ais der Leib Christi nach der Lehre des hl.Paulus* (1951) 9-52.

Capite Christo non excludi in Corpore Mystico Christi Vicarium (D 468). Accedit doctrina *Conc.Tridentini,* ses.13 de Eucharistia, ubi haec prima pars docetur (D 875).

Et in eiusdem *Tridentini Catechismo:* «Unus est Ecclesiae rector ac gubernator, invisibilis quidem, Christus, quem aeternus Pater *dedit Caput super omnem Ecclesiam quae est Corpus eius»* (Eph 1,22). Quia «veluti Corpus cum Sancto Capite Christo Domino, totius sanctitatis fonte conjungitur» (p.i a.9 n.11.13).

983. *Secundam partem* expresse docuit Leo XIII in *Encycl. «Divinum illud munus»;* «Divinus, inquit, Spiritus in aeterno sanctitatis lumine a Patre et a Verbo procedens, amor idem et donum... plenam sui copiam effudit in Christum in eiusque Corpus Mysticum quae est Ecclesia». «Porro Ecclesiam opus esse plane divinum, alio nullo argumento praeclarius constat quam charismatum, quibus illa undique ornatur, splendore et gloria; auctore nimirum et datore Spiritu Sancto. Atque hoc affirmare sufficiat, quod cum Christus Caput sit Ecclesiae, *Spiritus Sanctus sit eius anima:* Quod est in corpore nostro anima, id est Spiritus Sanctus in Corpore Christi, quod est Ecclesia» 7.

Atque iam in *Catechismo Conc.Tridentini:* «Unus idemque est Spiritus, qui fidelibus gratiam, perinde atque anima corporeis membris vitam, impertitur... Quemadmodum enim humanum corpus multis constat membris, eaque ab una anima aluntur, quae oculis visum, auribus auditum et aliis sensibus diversas vires subministrat: ita Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, ex multis fidelibus compositum est» (p.i a.9 n.12).

984. *Tertiam partem* docet Pius XI in *Encycl. «Divini illius Magistri»:* «Ecclesia, inquimus, magna illa Christi familia» (D 2217). In Liturgia vero appellatur Ecclesia «Familia Dei» in *Canone:* «Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae», et in Orationibus divini Officii Dom. I Quadrag., Dom. Passionis, Tridui Sacri, etc. In *Catechismo vero Concilii Tridentini,* docetur doctrina duarum priorum theseos partium; de tertia autem parte: «Domus, inquit, Ecclesia idcirco appellatur, quia est veluti una familia, quam unus Paterfamilias moderatur». Pius XII: «Ecclesia est universa Christianorum Familia» 8.

985. Pius XII, «ut universalis Ecclesiae Magister, universo christiano gregi doctrinam proponit de Mystico Iesu Christi Corpore deque fidelium

7 Leo XIII, *Encycl. «Divinum illud»:* ASS 29 (1897) 650.674.

8 Pius XII, cf. notam 4. Cdtec/iismus *Concilii Tridentini,* edit. Desclée (1890), pars i, De Symbolo fidei, a.9, Credo sanctam Ecclesiam catholicam, n.4.11.12.13.

in eodem Corpore cum divino Redemptore coniunctione», per *Encyclicas Litteras: «Mystici Corporis Christi»* (AAS 35,198.237). Haec ergo *Encyclica vere* dogmatica dicenda est, et in ea agitur praesertim de Ecclesia prout Iris in terris exsistit, videlicet «ea praesertim enucleando edisserendoque quae ad *militantem* pertinent Ecclesiam» (l.c. 193).

Vide praecipue quam clare in ea proponatur:

1) Ecclesiam verum esse *Corpus* (l.c. 199s; lege supra n. 974);

2) Ecclesiam esse *Christi Corpus:* «Vidimus, inquit, ita constitutam esse Ecclesiam, ut corpori adsimulari queat; superest in praesens ut enucleate accurateque explanemus, quibus de causis eadem non qualecumque corpus, sed *Iesu Christi Corpus* praedicanda sit. Quod quidem ex eo eruitur quod Dominus noster mystici huius Corporis est Conditor, Caput, Sustentator, Servator» (l.c. 204). Haec singula ample explanat (l.c. 204-221).

3) *«Mysticum»* esse Ecclesiae-Corpus ulterius explicat (l.c. 221-225), quorum praecipua attulimus n.974, eaque magis patebunt ex iis quae de Anima Ecclesiae docet.

4) *Caput Corporis mystici esse* Christum accurate declarat: «Hoc, ait, mysticum Corpus, quod est Ecclesia, Christi nomine insigniri, ex eo evincitur, quod Ipse eiusdem Caput reapse sit ab omnibus habendus (Coi 1,18; 2,19; Eph 4,16)». Probat autem Christum esse Ecclesiae Caput, *a)* ratione *excellentiae, b)* ratione *gubernationis, c)* ratione *necessitudinis* cum membris, *d)* ratione *conformitatis, e)* ratione plenitudinis, *f)* ratione *influxus* (l.c. 208-216). In specie, *ratione gubernationis:* «Christus, inquit, Ecclesiam regit atque gubernat; proptereaque hac quoque de causa Capiti adsimulari debet. Siquidem, quemadmodum a capite, utpote potioribus dotibus praedito, omnia membra, quibus superponitur ut consulat, natura ipsa diriguntur, ita divinus Redemptor universae Christianorum reipublicae clavum tenet eiusque gubernacula moderatur» (l.c. 209). *Ratione influxus:* «Peculiari quodam modo evincitur Christum Dominum mystici sui Corporis Caput esse asseverandum, hac ratione: Sicut scilicet nervi in omnes nostri corporis artus e capite diffunduntur, iisdemque sentiendi seseque movendi facultatem impertiunt; ita Servator noster vim virtutemque suam in Ecclesiam immittit... Ex quo profluit in Ecclesiae Corpus omnis lux, qua credentes divinitus illustrantur, omnisque gratia, qua sancti fiunt sicut Ipse sanctus est... Atque idcirco membris singulas gratias *secundum mensuram donationis Christi* (Eph 4,7), eligit, determinat, distribuit. Ex quo consequitur ut a divino Redemptore, tamquam ex capitali fonte vim hauriens, *totum Corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum Corporis faciat in aedificationem sui in caritate»* (Eph 4,16; Coi 2,19) (l.c. 215SS).

5) *Animam mystici Corporis* esse Spiritum Sanctum docet his verbis: «Divinum Ecclesiae a Christo datum vitae virtutisque principium... nihil aliud est nisi Paraclitus Spiritus. Huic autem Christi Spiritui tamquam non adspectabili principio id quoque attribuendum est, ut omnes Corporis partes tam inter sese, quam cum excelso Capite suo coniungantur, totus in Capite cum sit, totus in singulis membris... Ille est, qui caelesti vitae halitu in omnibus Corporis partibus cuiusvis est habendus actionis vitalis ac reapse salutaris principium». Unde concludit cum Leone XIII: «Hoc affirmare sufficiat, quod cum Christus Caput sit Ecclesiae, Spiritus Sanctus sit eius Anima» (l.c. 218-220; cf. n.983): D 2289.

6) *Familiam Dei* constituere fideles in Corpore mystico coadunatos, inferri potest ex Pπ XII doctrina, qua fideles dicuntur «fratres secundum carnem effecti Filii Dei Unigeniti», «consortes divinae naturae», «conformesque imagini Filii Dei», quo vere «filii Dei fiunt» (l.c. 198.214).

986. Valor dogmaticus. Thesis ergo est quoad très partes *doctrina catholica,* ex universali Magisterio Summorum Pontificum in *Encyclicis* quas citavimus. *De fide divina* dici etiam potest, quia in Sacra Scriptura directe continetur.

987. Probatio. Pars. i.a i) Ecclesiam esse Christi Corpus aperte docetur a S.Paulo in i Cor 12,4-30: *a)* Unitati Corporis non obstat manifesta visibilisque diversitas donorum, ministeriorum, operationum, quia ab uno Deo Trino omnia procedunt (1 Cor 12,4-11): *b)* Ecclesiae Corpus ex diversis et variis organis constat ad similitudinem humani corporis (1 Cor 12, 14-26); *c)* Ecclesia est ergo Christi Corpus humano corpori simile (1 Cor 12,125.27). Optime S.Thomas (in l Cor 12,12) «Cum dicit *ita et Christus,* ponitur adaptatio similitudinis dicens: *Ita et Christus,* scilicet est unus, secundum illud: *Unus Dominus Noster lesus Christus per quem omnia* (1 Cor 8,6). Et tamen multa et diversa habet membra, scilicet omnes fideles, secundum illud: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra* (Rom 12,5)».

Ad illa verba: *Ita et Christus* et *vos estis Corpus Christi,* confer S.Io. Chrysostomum: «Subiunxit, inquit, ita *et Christus:* Et cum oportuisset dicere, ita et Ecclesia, hoc enim consequens erat: hoc quidem non dixit, sed illius loco Christum ponit, in altum extollens orationem... Hoc autem vult significare: Ita et Christi corpus quod est Ecclesia. Sicut enim et corpus et caput, unus sunt homo, ita et Ecclesiam et Christum unum esse dixit; ideo Christum pro Ecclesia posuit». Adde ex *Glossa ordinaria:* «Caput, inquit, et Corpus dicitur Christus, propter ineffabilem unitatem Capitis et membrorum». Vide etiam S.Augustinum: «Totus, inquit, Christus Caput et Corpus est. Caput Unigenitus Dei Filius, et Corpus eius Ecclesia, sponsus et sponsa, duo in carne una» 9.

Unde ex hoc loco S.Pauli manifeste patet Ecclesiam esse Corpus Christi, id est, quid visibile et unum quidem, sed ex variis organis coalescens, atque ad Christum pertinens; quod sane ad humani corporis similitudinem intelligendum est, prout illud ipse Apostolus effert.

988. 2) Ecclesia est Corpus Christi Mysticum: id est, corpus quidem morale, cuius tamen moralis unitas perficitur ulterius atque elevatur ab interno principio supernaturali. Hoc etiam ostendi potest ex citato S.Pauli testimonio in x Cor 12, 4-11. Sed ulterius probari potest ex Eph 4,1-8: *a)* Ibi

9 S.Io.Chrysostomus, *In t Cor* 12,12, hom.30: MG 61,250; Walafridi Strabonis (t 849) *Glossa Ordinaria:* ML 114,541; S.Augustinus, Epist. *contra Donatistas* (De unitnte Ecclesiae) c.4 n.7: ML 43.395- Cf. in hunc locum R.Cornf.ly, *Comment.;* L.Cerfaux, l.c. n.972 p.206.

S.Paulus loquitur de unione morali et de virtutibus quae ad eam maxime conferunt (Eph 4,1-3); *bj* transit deinde S.Apostolus ad declarandum internum ac supernaturale principium illam moralem unionem perficiens (Eph 4,4-8). Confer in hunc locum S.Augustinum: «Multis, inquit, membris constitutum est corpus, et vegetat membra omnia unus Spiritus... Officia membrorum dispartita sunt, sed Spiritus continet omnia»10.11

989. 3) Caput Mystici Corporis est Christus, a quo vires vitales profluunt, quibus Ecclesiae membra uniuntur et eorum operationes moderantur, *a)* Christum esse Caput infertur ex Eph 1,22s, ubi effertur, Christum a Deo Patre constitutum esse super omnia Caput Ecclesiae; Ecclesia autem dicitur esse Christi plenitudo (-πλήρωμα), quod dupliciter intelligi potest; vel *active,* id est, Ecclesia est id quod Christum complet, dum nempe ei, ut Capiti, membra praebet; vel *passive,* id est, Ecclesia est id quod a Christo completur, vita nempe et donis quae ab eo, ut Capite, in membra derivantur. Videndus omnino est textus graecus **n**. Assertum de Christo Capite habetur etiam in Coi 1,18-20.

b) A Christo vires vitales derivari, quibus Ecclesiae membra uniuntur et eorum operationes moderantur, deducitur expresse ex Eph 4,15-16, nec non ex Coi 2,19, prout a Pio XII in *Encycl. «Mystici Corporis»* explicatur (AAS 35,217; n.985,4).

c) Id ipsum confirmari potest ex Io 15,1-5, ad quem intelligendum locum confer Pium XII, *«Mystici Corporis»,* aliasque eiusdem textus declarationes ecclesiastici Magisterii (l.c. 216; D 105 135 138 180 197 200b 809), nec non S.Augustinum: «Iste, inquit, locus evangelicus, ubi se dicit Dominus vitem et discipulos suos palmites; secundum hoc dicit quod est Caput Ecclesiae nosque membra eius, mediator Dei et hominum homo Christus Iesus»12.

990. 4) Ecclesia est Corpus Christi et quidem sensu pleno, quia ut data opera explicat Pius XII (AAS 35,204-221) Christus est «mystici huius Corporis Conditor, Caput, Sustentator, Servator». Hoc autem iam ex probatis inferri potest, sed aperte continetur apud S.Paulum, Eph 5,23-30: «Christus *Caput*

S.Augustinus, In epist *ad Eph 4,4,* sermo 268 n.2: ML 38,1232; S.Hieronymus, *In epist. ad Eph* l.2 c.4 v.4: ML 26,494s: «Quod autem ait: *Unum corpus et unus Spiritus,* simpliciter unum corpus Christi intelligitur, quae est Ecclesia... et unus Spiritus Sanctus; unus quippe largitor et sanctificator est omnium».

11 Cf. I.Knabenbauer, *Comment,* in epist. *ad Eph* 1,22s. Pius XII, *«Mystici Corporis»* p.230.

12 S.Augustinus, *In Ioan. Tract.* 80,1; Io 1$,τ-3: ML 35.1839-

est Ecclesiae: Ipse *Salvator* corporis eius... Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam..., quam nutrit et fovet».

Praeterea Ecclesia dicitur *Corpus Christi,* quia, ut memorat Pius XII, «divinus Redemptor cum sociali suo Corpore unam dumtaxat constituit mysticam personam». Hoc autem ipse Pontifex confirmans auctoritate Bellarmini, ait: «haec Corporis Christi nominatio non ex eo solummodo explicanda est, quod Christus mystici sui Corporis Caput est dicendus, sed ex eo etiam quod ita Ecclesiam sustinet et ita in Ecclesia quodammodo vivit, ut ipsa quasi altera Christi persona exsistat». Hanc doctrinam docuerunt S.Augustinus: «Christus loquitur, quia in membris Christi Christus... Et ut noveritis, quia unus dicitur Christus Caput et Corpus suum, ipse dicit cum de coniugio loqueretur: *Erunt duo in carne una* (Mt 19,5). Fit ergo tanquam ex duobus una quaedam persona, ex Capite et Corpore, ex sponso et sponsa... Loquatur ergo Christus, quia in Christo loquitur Ecclesia et in Ecclesia loquitur Christus, et Corpus in Capite et Caput in Corpore». S.Gregorius: «Redemptor noster unam se personam cum sua Ecclesia, quam assumpsit, exhibuit (Eph 4,15; Coi 1,24). Christum et Ecclesia unam esse personam crebro iam diximus; illum videlicet huius Corporis Caput, hanc autem illius Capitis Corpus. Ideo Christum et Ecclesiam unam personam credimus». S.Thomas: «Tota Ecclesia, quae est mysticum Corpus Christi, computatur quasi una persona cum suo Capite, quod est Christus» 13.

Haec autem personae unitas, quae intelligenda est non physica sed mystica iuxta monitum Pu XII (AAS 35,218), eruitur ex voce illa qua Dominus persecutorem Ecclesiae increpavit dicens: *«Saule, Saule, cur me persequeris?»* (Act 9,4); nec non ex S.Paulo, cum nihil aliud adiiciens, «Christum» Ecclesiam vocat (1 Cor 12,12) et cum ad Galatas scribens iuxta originalem graecum ait: «Quicumque enim in Christum baptizati estis, Christum induistis... omnes enim vos unus estis in Christo lesu» (3,26-28).

13 Pius XII, *Encycl. «Mystici Corporis»:* AAS 35 (1943) 2713,226,230s; cf. S.Tromp, *Litterae Encyclicae,* Textus et Documenta, n.26, §§ 52,67,78; S.R.Bellarmino, *De Rom. Pontifice,* l.i c.9 3.· obi.; *De Conc. l.2* c.19.

S.Augustinus, *Enar. in Ps 30,* serm.i, n.4; cf. *Enar. in Ps* 56, n.i et 127, n.3: ML 36,232, 662 et 37.1679. S.Gregorius M., *Moral.* Praef., c.6 n.14; l.19 c.14 n.2; l.23 c.i n.i; l.35 c.14 n.24; *In septem Ps. paenit.* Ps 101.1: ML 75.525; 76,110,251,762; 79,602. S.Th. 3 q-49 a.i. Cf. Journet, *L'Eglise du Verbe incarné, 2* (1951) 126-135.

991. Pars 2.a Spiritus Sanctus est quasi-Anima Corporis Christi Mystici.

Anima humana est relate ad corpus hominis: 1) eius principium informans, 2) eius principium unitatis et activitatis, 3) eius principium vitale. Atqui relate ad Mysticum Christi Corpus Spiritus Sanctus est 1) eius principium quasi-informans, 2) eius quasi-principium unitatis et activitatis, 3) eius quasi-principium vitale. Ergo Spiritus Sanctus est quasi-Anima Corporis Christi Mystici.

Prob. min. 1) *Spiritus Sanctus est principium quasi-informans* Corporis Christi Mystici. Nam anima humana, ut principium informans, est substantia spiritualis, exsistens definitive in corpore, sed intrinsece independens ab eo tam in esse quam in operatione, atque humanum corpus elevans ad ordinem viventis vita rationali. Atqui Spiritus Sanctus est substantia spiritualis, exsistens quasi-definitive in. Corpore Christi Mystico, sed absolute independens ab eo tam in esse quam in operatione, atque Mysticum Corpus elevans ad ordinem viventis vita supernaturali. Ergo Spiritus Sanctus est principium quasi-informans Corporis Christi Mystici.

Mai. patet ex Psychologia.

Ad min. a) Spiritum Sanctum esse substantiam spiritualem et absolute independentem a Corpore Mystico tam in esse quam in operatione, constat ex eo quod sit spiritus et actus purissimus.

b) Spiritum Sanctum exsistere quasi-definitive in Corpore Christi Mystico, deduci potest ex S.Paulo; etenim x Cor 3,9.16. 17 docet Apostolus Spiritum Sanctum exsistere velut in suo templo in toto corpore Ecclesiae; idem vero Apostolus in 1 Cor 6, 15.19 monstrat Spiritum Sanctum exsistere etiam totum in singulis Ecclesiae membris. Ergo S.Paulus nos docet Spiritum Sanctum esse in Ecclesia velut totum in toto et totum in singulis eius partibus, id est velut definitive.

c) Spiritum Sanctum elevare Mysticum Corpus ad ordinem viventis vita supernaturali probabimus ostendentes eum esse velut principium vitale Ecclesiae n.993.

992. *Prob. min.* principalis. 2) *Spiritus Sanctus est quasi-principium unitatis et activitatis* Corporis Christi Mystici.

A) Spiritus enim Sanctus effertur ut primum principium unitatis in Ecclesia apud .S.Paulum 1 Cor 12,12-13.

B) Spiritus Sanctus exhibetur ut primum principium activitatis: a) *Capitis qua talis:* dum illud efformat in Christi

Incarnatione (Lc 1,35); dum illud manifestat, constituit et ducit in Evangelii praedicationem (Lc 3,22; 4,1.14.16-21); dum illud assistit in redemptrice oblatione crucis (Hebr 9,13-15)[14]. Iam vero per Incarnationem Filius Dei fit Caput corporis hominum, per Evangelii praedicationem Christus colligit Ecclesiae Corpus, per oblationem tandem Crucis munus Capitis Ecclesiae plenissime exercuit [15].

b) *Corporis qua talis* est etiam Spiritus Sanctus primum activitatis principium. Nam activitas Corporis Ecclesiae qua talis triplex est: doctrinalis, sanctificationis effectiva et regalis. Iam vero Spiritus Sanctus effertur ut primum principium activitatis sive doctrinalis (Io 16,12-15); sive sanctitatis effectivae, tam in regeneratione per baptismum quam in restauratione per paenitentiam (Io 3,5; Io 20,22s); sive regalis (Le 24,48s; Act 1,1-8; 20,28) [16].

993. *Prob. min.* principalis. 3) *Spiritus Sanctus est quasi-principium vitale* Corporis Christi Mystici. Nam anima humana, ut principium vitale, est primum ac radicale principium a quo profluit vita specifice humana, id est, vita rationalis. Atqui in Corpore Christi Mystico Spiritus Sanctus est primum et radicale quasi-principium, a quo profluit eius vita specifice christiana, id est, vita supernaturalis. Ergo Spiritus Sanctus est quasi-principium vitale Corporis Christi Mystici.

Min. prob. a) A Spiritu Sancto tamquam a primo et radical! principio profluit vita supernaturalis gratiae hominem Deo gratum facientis, ut aperte patet ex S.Paulo: Rom 8, 5-6.9-17. *b)* A Spiritu Sancto tamquam a primo et radicali principio profluit vita supernaturalis donorum gratis datorum, ut testatur etiam S.Paulus: 1 Cor 12,3-11. *c)* Hinc nimirum Spiritui Sancto merito universi vitae spiritualis et supernaturalis fructus ab eodem S.Paulo attribuuntur: Gal 5,16-25. Ideo apposite Ecclesia credere mandat «in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem» (D 86)[17].

14 Leo XIII, *Encycl. «Divinum illud»:* ASS 29 (1897) 647-649· S.Ambrosius, *De Spiritu Sancto,* l.i c.8 n.qSs: ML 16,728; S.Th., *In Hebr 9,* lect.3; S.Basilius ait: «omnis actio Servatoris nostri praesente Spiritu peragebatur», De Spiritu Sancto c.16 n.39: MG 32,14°·

15 Prus XII, *Encycl. «Mystici Corporis»;* AAS 35.206.

14 Leo XIII, *Encycl. «Divinum illud·:* ASS 29 (1897) 649s.

17 Cf. Y.Congar, *Le Saint-Esprit et le Corps apostolique, réalisateurs de l'oeuvre du Christ:* Esquisses du Mystère de l'Eglise (i953) 129-179· Spiritus Sanctus dicitur anima, ut movens ad bonum (Beumer), vel ut *inhabitans,* imperfecte titulo fidei et spei in peccatoribus, perfecte titulo caritatis in iustis (Liegé): RevScPhTh 38 (1954) 736; Ch.Journet, *L'Eglise du Verbe incarné* (per efficientiam et inhabitationem) 2,537-547·

994. Pars 3.II Ecclesia est Domus velut Familia filiorum Dei Patris.

Prob. 1) Ut praecedentium partium conclusio. Nam ex probatis infertur, Deum Patrem vere esse Conditorem et Vivificatorem Ecclesiae velut Familiae filiorum Dei. *a)* Conditor est, quia Filium suum Unigenitum, quem ab aeterno generat, misit in hunc mundum, ut homines credentes in eum filii Dei fierent atque ut tales in unum coetum coadunarentur, cui Caput constituit ipsum suum Unigenitum Filium (cf. Io 1,11-14; Eph 1,22; Rom 8,29). *b)* Vivificator est, quia Spiritum Sanctum, quem ab aeterno cum Filio spirat, in tempore misit in hunc mundum, ut Spiritus amoris substantialis Patris et Filii vivificaret velut anima coetum filiorum Dei (cf. Io 14,15-17; Rom 8,9.15-17).

Ergo ex eo quod Deus Pater constituerit Filium suum Unigenitum *Caput* coetus Filiorum Dei, atque ex eo quod dederit Spiritum amoris substantialis Patris et Filii, ut vivificaret tamquam *anima* eundem Filiorum Dei coetum seu Ecclesiam, merito concludere possumus, Ecclesiam esse Domum velut Familiam filiorum Dei Patris.

995. *Prob.* 2) Ex testimoniis Scripturae, *a)* Ecclesia a S.Paulo appellatur *Domus Dei vivi* et quidem in sensu formali, ut Familia (1 Tim 3,15; cf. 3,5 et contextum capitum 1-3); atque ideo ipse S.Paulus fideles appellat etiam *domesticos Dei* in eodem formali sensu seu de familia Dei (Eph 2,19) [18].

b) Ecclesia describitur ut Familia Domus Dei, in qua Christus est Filius in propria Domu, Moyses vero famulus eiusdem Domus, nos autem eandem hanc Domum constituimus (Hebr 3,1-6), et quidem non ut famuli solum, sed ut fratres ipsius Primogeniti (Rom 8,28-30).

c) Paterfamilias Ecclesiae est Deus Pater, tum quia ex eo *omnis Paternitas in caelis et in terra nominatur* (Eph 3,15), tum etiam quia, ut verus Patriarcha, homines in Christo Filio suo benedixit, in ipso eos elegit et tandem in suo Unigenito eosdem praedestinavit in adoptionem Filiorum Dei (Eph 1,3-6). Unde merito. Christus nos docuit Deum orare dicentes: *Pater noster,* atque monuit: *Patrem,* inquit, *nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester qui in caelis est* (Mt 6,9:23,9).

[18] I.Knabenbauer, *Comment,* in *epist. ad Eph 2,19* et 1 Tim 3,15.

996. Conclusio theseos haec est:

A. *Ecclesia est Domus* Dei Patris: *Deus Pater* in ea est velut *Paterfamilias* in Domu sua, cuius *filii* sumus nos;

B. *Ecclesia est Corpus* Christi Mysticum: Deus *Filius* in ea est velut Caput Corporis, cuius *membra* sumus nos;

C. *Ecclesia est Templum* Spiritus Sancti: Deus *Spiritus Sanctus* in ea est velut *Anima* vivificans, de cuius *vita participes* sumus nos.

D. In hac unione cum Deo Trino consistit tandem supernaturalis vita regeneratorum per Baptismum in nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti, iuxta illud Christi mandatum: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (Mt 28,19).

997. Scholion i. Doctrina S.Thomae de Corpore Christi Mystico continetur praesertim in 3 q.8; *De ver.* q.29 a.4 et 5; 3 d. 13 q.2 a.2; *Expos, in epist. S.Pauli:* Rom 8,28-30 lect 6:12,4-5 lect.2; 1 Cor 12,4-30 lect.1-3; Eph 1,22-23 lect.8; 2,19 lect.6; 4,15-16 lect.5; Coi 1,18-20.24-28 lect.5-6; Hebr 3,1-6 lect.i; *Opusc. in Symbolum,* c.12 19.

1) De Christo Capite Mystici Corporis (3 q.8 a.1,3 et 6).

Λ. *Christus ut homo est Ecclesiae Caput* (3 q.8 a.i).

De ratione Capitis sunt: *a)* sublimitas; *b)* perfectio; *c)* virtus influendi in membra. In Christo autem *a)* sublimitas habetur ex propinquitate ad Deum et ex consequenti praeeminentia relate ad nos; *b)* perfectio adest ex gratiarum et donorum absoluta plenitudine; *c)* virtus constat ex eo quod de Christi plenitudine dona et gratiae in omnes derivantur. Notandum autem est Christum ut hominem instrumentaliter, ut Deum vero auctoritative dona et gratias in Mystici sui Corporis membra influere (3 q.8 a.i ad 1) 20.

998. B. *Christi Capitis membra* (3 q.8 a.3).

Membra Christi capitis sunt omnes homines secundum varios tamen gradus. *Primo* quidem actu sunt membra, *a)* qui visione beata Deo uniuntur, *b)* qui caritate Deo adhaerent, *c)* qui saltem fide in Deum credunt. *Secundo* solum *potentia* membra sunt, *dj* infideles qui aliquando crediturі sunt, *e)* infideles qui nunquam ad fidem pervenient. *Tertio nec* quidem *potentia* sunt membra, *f)* qui aeterna damnatione a Deo aversati sunt. Notandum ergo est, iuxta hanc doctrinam, Ecclesiam latiori sensu sumi; et ideo S.Thomas: «Patres, inquit, ferebantur in Christum per fidem et dilectionem eandem, qua et nos in ipsum feriniur; et ita Patres antiqui (id est V.T.) pertinebant ad idem Corpus Ecclesiae, ad quod nos pertinemus» (3 q.8 a.3 ad 3).

999. C. *Solus Christus proprie et simpliciter est Ecclesiae Caput* (3 q.8 a.6).

Proprie et simpliciter ratio Capitis in solo Christo impletur, quia solus Christus virtute interne influit in membra, propria auctoritate ea gubernat, atque omnes omnium temporum, quotquot Ecclesiae membra sunt, sua ac-

to Cf. M.Grabmann, *Die Lehre des hl.Thomas v.A. von der Kirche* (1003); Τη.Κλβγγβιι, *Zur Lehre des hl.Thomas v.A.* vorn Corpus *Christi Mysticum* (1931); Y.Congar, *L'idée de l'Eglise chez S.Thomas:* Esquisse» du mystère de l'Eglise (1953) 59-91.

20 De ratione Christi Capitis, cf. etiam S.Th., *ad Eph 1,23* lect.8.

tione attingit. Aliis ratio capitis solum per participationem et secundum quid convenit, quatenus sola externa gubernatione et auctoritate vicaria a Christo accepta dici possunt capita, non tamen adeo ut eorum subditi membra eorum appellari possint.

1000. 2) De habitudine Christi Capitis ad eius membra fusius *agit* S.Thomas, *De ver.* q.29 a.4 et *ad Eph* 4,16 lect.5.

3) *De membrorum unione* plura videri possunt 3 d.13 q.2 a.2 sol.2 et ad 1; ubi etiam de quasi-Anima Mystici Corporis, quae est Spiritus Sanctus. *In Symbolum* autem, c. 12: «Anima, inquit, quae hoc Corpus Ecclesiae vivificat, est Spiritus Sanctus».

4) *Ecclesiam esse Domum velut Familiam* filiorum Dei Patris docetur etiam a S.Thoma praesertim *ad Eph* 2,19 lect.6; *ad Hebr* 3,1-6 lect.i 21.

1001. Scholion 2, Doctrina de Corpore Mystico in Conc.Vaticano.

De hac re nihil definitivum a Concilio propositum habemus. Tantummodo exstat *Schema* Patribus propositum, exstant etiam plures animadversiones a Patribus Concilii scripto traditas circa hanc rem, exstat denique *Schema* reformatum a P.Kleutgen iuxta Patrum emendationes, quod tamen Patribus Concilii non fuit propositum. Propter coactam ab extrinseco Ctjncilii suspensionem, Patres pervenire non potuerunt ad publicam de hac doctrina discussionem.

1002. Schema I *Constitutionis «De Ecclesia»* in suo primo capite statuebat, Ecclesiam esse Corpus Christi Mysticum, tamquam notionem prodromam, ex qua reliqua de Ecclesia doctrina erueretur: *«Caput I. Ecclesiam esse Corpus Christi Mysticum.* Unigenitus Dei Filius... in similitudinem hominum factus (Phil 2,7) visibilis apparuit in assumpta nostri corporis forma, ut terreni homines atque carnales novum hominem induentes, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis (Eph 4,24), Corpus efformarent Mysticum, cuius Ipse exsisteret Caput. Ad hanc vero Mystici Corporis unionem efficiendam, Christus Dominus sacrum regenerationis et renovationis instituit lavacrum, quo filii hominum tot nominibus inter se divisi, maxime vero peccatis dilapsi, ab omni culparum sorde mundati membra essent ad invicem, suoque divino Capiti fide, spe, et caritate coniuncti, uno eius Spiritu omnes vivificarentur, ac caelestium gratiarum et charismatum dona cumulate reciperent. Atque haec est, quae, ut fidelium mentibus obiciatur alteque defixa haereat, satis nunquam commendari potest, praecellens Ecclesiae species, cuius Caput est Christus (Coi 1,18), ex quo totum Corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in'mensuram uniuscuiusque membri, augmentum Corporis facit in aedificationem sui in caritate (Eph 4,16)» 22.

1003. *Deputatio Fidei,* in *Annotationibus* ad hoc Schema, explicabat momentum huius doctrinae et opportunitatem ac convenientiam eam definiendi, his verbis: «Ad describendam Ecclesiae naturam secundum veram et catholicam doctrinam, statuitur *primo loco,* illam esse Corpus Christi Mysticum, eo quod 1) in sacris Litteris Ecclesia Christi nullo alio schemate

21 A,Mitterer, *O.c.* n.972 opponit doctrinam S.Thomae doctrinae Encyclicae «Mystici Corporis·; contrarium sentit Ch Journet: BullThom 8 (1952) 363-373. Sententiam Mitterer videtur sequi T.Zapblbna, *De Ecclesia* 2 (1954) 372-378.

22 Msi 51.539-

frequentius, accuratius et dissertius proponitur; 2) quod eodem schemate continetur ipsa intima Ecclesiae essentia, et praestantissima, id est, divina eiusdem species ac vis, a qua veluti a parte potiori ac nobiliori descriptionis ducitur initium; accedit 3) ratio polemica, scilicet, ut statim a principio excludatur vulgata apud Novatores tam recentiores... quam vetustiores exceptio, quasi per Catholicos tota Ecclesiae veritas revocaretur ad externa et sensibilia tantum... Apparet insuper 4) nisi illa interna Ecclesiae species habeatur ob oculos, constitui aestimarique, ut par est, de iis non posse, quae ad ipsam externam eiusdem faciem spectant; et notum est omnibus 5) ipsam in primis esse Mystici Corporis speciem, quae nunc inter homines adeo carnales ac mundanos aut penitus ignoratur, aut, uti oportet, non attenditur; quare illa videbatur ante omnia in animis fidelium excitanda» 23.

1004. Patrum Concilii iudicium de hoc Schemate notum est nobis testimonio Patris Kleutgen, Theologi vaticani, qui in Annotationibus ad *Schema II Constitutionis «De Ecclesia»* haec ait: «Multis Reverendissimis Patribus in priore Schemate displicuit, definitionem Ecclesiae symbolicam, qua Corpus Christi dicitur, tamquam caput doctrinae et fundamentum eorum, quae sequuntur, proponi.» Ideo in *Schemate II* expositio in hac potius alia Ecclesiae notione fundatur: «Est igitur Ecclesia coetus fidelium Christi, atque vera societas, quavis tamen humana societate longe augustior, atque ideo Dei Civitas et Regnum caelorum merito appellata»24. Attamen ut idem Theologus adnotat: «Ad excludendum vero quidquid meri humani vel profani hoc nomen societatis suggerere posset, mox subjunguntur nomina Ecclesiae magis propria et biblica, atque horum explicatione ostenditur Ecclesiae indoles plane divina et supernaturalis origine, fine, mediis. Quae eo etiam spectant, ut occurratur calumniae, a Catholicis in describenda Ecclesia ea, quae sunt interna et spiritualia, negligi... Hoc igitur mutatum est, ita tamen ut nomen illud Ecclesiae [Corpus Christi] singulariter commemoretur, propterea quod in ipsa etiam Scriptura caeteris frequentius et expressius usurpatur, et valde idoneum est ad Ecclesiae proprietates significandas» 25.

1005. In Schemate II, iuxta haec criteria, doctrina de Corpore Christi Mystico non proponitur ut fundamentum ex quo reliqua eruantur, sed adiungitur tamquam pars revera praecipua ad intimam Ecclesiae naturam penitus cognoscendam, in hunc modum: «Scriptura... Ecclesiam non modo Regnum vocat, sed domui quoque spirituali, templo sancto et ovili assimilât, praecipue autem Corpus esse docet, cuius Caput quidem Christus, membra vero fideles sint. Itaque veluti vivi Corporis membra fideles Christi inter se iunctos et copulatos esse oportet, testante Apostolo: Sicut corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum Corpus baptizati sumus (1 Cor 12,12)»26.

Hoc II Schema neque est Concilio propositum neque a Deputatione Fidei approbatum; attamen iuvat ad concludendum, Concilium Vaticanum certo cogitasse de definienda doctrina quae tenet Ecclesiam esse Christi Capitis Corpus Mysticum 27.

Msi 51,553.
24 Msi 53.309.
25 Mst 53.309·
26 Msi 53,309·
27 E.Mersch, *Le Corps Mystique du* Christ (1933) 2,326-332; J.Madoz, *La [glesia* Cuerpo *mistico de* Cristo según *el primer rsquema 'De Ecclesia·* en *el Concilio Vaticano:* RcvEspT 3 (1943) 159-181.

xoo6. Scholion 3. Identitas Corporis Mystici et Ecclesiae hierarchicae. De conceptu Corporis Mystici comparato cum conceptu Ecclesiae visibilis, aliqui Concilii Vaticani Patres animadverterunt hos conceptus non esse aequandos, atque in specie Archiep.DuPANLOUP asseruit: «Corpus Mysticum Christi latius patet quam Corpus visibile Ecclesiae et comprehendit in totali sua extensione omnes iustos etiam eos qui (sine sua culpa) extra communionem Ecclesiae versarentur»28.

Haec autem doctrina non videtur consonare cum illa quam proponebant Schemata Concilii Vaticani, atque post *Encyclicas «Satis cognitum»* Leonis XIII et «Mystici *Corporis*» Pu XII, iam sustineri non potest. Verum sane est, Corpus Christi reduplicative qua Mysticum non esse Ecclesiam Christi reduplicative qua visibilem, quia ratio qua Corpus Christi denominatur praecise Mysticum non sunt ea quae in Ecclesia praecise visibilia sunt, sed ea quae in Ecclesia supernaturalem eius vitam constituunt. Attamen si conceptus tantum specificative sumantur, dicendum sane est. Mysticum Christi Corpus esse simpliciter visibilem Christi Catholicam Ecclesiam. Nam doctrina de Corpore Christi Mystico desumpta praesertim est ex S.Paulo. «Metaphora autem Corporis paulina non plane verificatur neque in unione illa, quae unice est vi Incarnationis, neque in Ecclesia inde ab Abel, neque in Ecclesia quae mere in sanctis vel in praedestinatis est, neque in Ecclesia exclusive discente: sed solummodo in Ecclesia Catholica hierarchica docente simul et discente. Est enim, ad mentem Pauli, Christi Corpus illa organizatio visibilis hierarchica, qualis erat tempore Doctoris gentium» 29.

1007. Inter catholicos, inde ab anno 1914, exsistunt aliqui, qui *irenismo* ducti, distinguunt plane Corpus mysticum ab Ecclesia hierarchica, eo praesertim fine ut concedant, Christianos acatholico^ bona fide errantes revera pertinere ad Corpus mysticum, ideoque salvari, licet Ecclesiae catholicae membra proprie non sint 30. Hac doctrina, possibilem putant sibi reddi additum ad Panchristianos Oecumenismum foventes, qui ad salutem obtinendam tenent necessariam et sufficientem esse internam animi unionem cum Christo, minimeque requiri uniformitatem doctrinae vel vitae vel organizationis externae; sed potius indifferens esse pertinere ad quamlibet ex Christianis sectis 31.

Post *Encyclicam «Mystici Corporis»,* catholici communissime amplectuntur traditionalem doctrinam de identitate Corporis Christi mystici et Ecclesiae Catholicae Romanae, quam nos semper propugnavimus 32.

Aliqui tamen opinantur, Pium XII identitate, quam docet, solummodo intendisse Panchristianorum *indifferentismum* proscribere, minime vero prohibuisse tenere ampliorem illum et traditionalem Corporis mystici con-

28 Msi 51.785s. OecumCTiislae affirmant: «Ecclesiae, quamvis non sint membra eiusdem corporis visibilis, pertinent tamen ad idem Corpus Mysticum» et asserunt hoc teneri etiam ab Ecclesia Romana. Cf. VVdHd *Council of Churches,* Minutes and reports of the Central Committee, IV,3 (9-15 jul. 1950) p.87. Cf. Irenikon 24 (1951) 42.

29 S.Tromp, *Corpus Christi quod* est *Ecclesia* (1946) 167-186. T.Zλρετενα, *De Ecclesia, 2* (1954) 3S9-388.

39 Cf. E.Przywara, Corpus *Christi Mysticum:* ZAszMyst 15 (1940) 197-2:5; L.Bouver, Ou en est *la théologie du Corps mystique:* RevScRel 22 (1948) 313-333.

31 G.Aulén, *L'Eglise a la lumière du N.T.,* et C.T.Craic, *L'Eglise du N.T.:* ambo ap. *Etudes Oecuméniques, Desordre de l'homme et dessein de Dieu* v.I (1949) p.23-58. Lcqc notam 28.

32 Tromp, Bover, Feckes, Mitterer, *l.c.,* n.972: F.Amiot. *L'enseignement de St.Paul* (1946): P.Parente, *Theol. Fundam.* (1947) 148-154: J.Bonsirven, *L'Evangile de Paul* (1948). Et in articulis ephemeridum: L.Malevez: NouvRevTh 67 (1945) 993-1015; D.C.Lialine: Irenik 20(1947) 34-54; H.Bleinstein: GeistLeb2o(i947) 234-238: A.Chavasse: NouvRevTh 70 (1948) 690-702; J.Brinktrine: ThGl (1948) 299; A.Liegé: RevScPhTh 32 (1948) 351-357: J.Beumer: ThGl 39 (>949) 259; 44 (1954) 321-338; H.Holstein; Et 267 (1950) 241-252; Strotmann: Iren 25 (1952) 249-262.

ceptum, iuxta quem omnes iustificati, etiamsi non sint pleno sensu visibilis Ecclesiae membra, vere tamen ad Corpus Christi mysticum pertinere dicuntur. Morel vero, doctrinam P.Tromp ex professo impugnans, censet. Pium XII docere, Corpus mysticum in *sensu eminenti vel perfecto acceptum* identificari cum Ecclesia Catholica Romana. Ipse autem, innixus praesertim doctrinis Mersch et Cerfaux, tenet Corpus mysticum *proprie et simpliciter dictum* esse complexum omnium qui habitualiter uniti sunt cum Christo per solam fidem supernaturalem, etiamsi baptismo careant vel ad quamlibet aliam sectam pertineant33*

Haec, quae post *Encyclicam «Mystici Corporis»* censebamus sustineri non posse, nunc vero putamus doctrinae catholicae adversari, post *Encyclicam «Humani generis»* quae docet: «Quidam censent se non devinciri doctrina paucis ante annis in *Encyclicis Nostris Litteris* exposita, ac fontibus *revelationis* innixa, quae quidem docet. Corpus Christi mysticum et Ecclesiam Catholicam Romanam unum idemque esse» 3 Idem supponit cum in Encycl. *«Sempiternus Rex»* ait: «Multi in orientalibus plagis ab unitate Mystici Corporis Christi... misere abscesserunt» (AAS 43 [1951] 640s).

1008. Scholion 4. De Anima mystici Corporis. Spiritum Sanctum diximus non Animam, sed quasi-Animam Corporis Christi Mystici. Non dicitur proprie anima: 1) quia non est substantia incompleta quae Mystico Corpori substantialiter uniatur ut eius proprie dicta forma, et 2) consequenter, quia vitae effectus Corporis Mystici non causât formaliter, sed solum efficienter et quasi-formaliter.

Tamen gratia sanctificans et alia interiora supernaturalia dona multo minus dici possunt Anima Mystici Corporis. Nam 1) non sunt quid substantiale neque definitive in Corpore Mystico exsistunt, 2) nec sunt intrinsece independentia ab animabus fidelium, 3) nec sunt unum principium, ac proinde unitatis ratio e$se nequeunt, 4) nec sunt primum ac radicale actuum Corporis principium, sed potius effectus qui in eo ab alio producuntur et augentur, 5) nec sunt principium simpliciter actuum Corporis qua talis, cum actus potestatum docendi, sanctificandi et regendi valide a ministris gratia carentibus exerceantur. Quapropter, cum agatur de definiendo substantiali, uno, primo ac radicali vitae et omnium actuum Corporis principio, nequit dici id esse gratiam sanctificatem et alia interna supernaturalia dona, quae non sunt nisi vitales effectus vel principia proxima quibus Spiritus Sanctus, velut Anima, in Ecclesiae Corpore operatur, ut animadvertit Pius XII 3S.

Si autem comparatio ac similitudo sub alio respectu sumatur, quatenus nempe in homine, ad corpus ea pertinent omnia quae sensibus percipi possunt, ad animam vero ea quae de se insensibilia sunt; tunc quidem ea omnia, quae in Mystico Christi Corpore sensibus immediate percipi nequeunt, eius anima appellari possent, atque ideo ad animam Ecclesiae dicendum esset pertinere, non solum gratiam sanctificantem et alia interna supernaturalia dona, sed etiam ipsas tres divinas personas, quatenus divina virtute iugiter in Ecclesia operantur et in iustorum animis praecipue inhabitant. Sub hoc alio respectu quaestionem accipere videntur plures ii auctores, qui ut Wil-

33 Cf. Rahner, Mersch, Cerfaux, Goossens, Le., n.972; V.Morel, *Le Corps mystique du Christ et l'Eglise Catholique Romaine:* NouvRevTh 70 (1948) 703-726. Nothomb: Ircn 25 (1952) 226-248. Cf. notam 25.

3« Pius XII, «Humani generis»; AAS 42 (1950) 571· Cf. M.Labourdettb, Les *enseignements de l'Encyclique* «Humani generis».· RevThom 50 (1950) 51; J.Vodopivec, *Ecclesia Catholica Romana Corpus Christi Mysticum:* Euntes docete 4 (1951) 76-95; Ch.Journet, *L'Eglise du Verbe Incamé* 2 (ro51) 53-55.59». 80-83.

33 M.d'Herbicny, *De Ecclesia* th.30; E.Dorsch, *De Ecclesia* th.26; Pius XII: AAS 35,220.

mers, Palmieri, De San et alii, tenent, animam Mystici Corporis esse gratias et dona supematuralia creata 36.

1009. Singulariter opinatur in hac re C.Journet, qui duas asserit esse in Mystico Christi Corpore animas: aliam increatam, Spiritum Sanctum: aliam vero creatam, gratiam nempe sanctificantem et alia eam comitantia creata dona 37. Verum quidem est homini in justificatione, non solum gratiam et dona creata infundi, sed etiam increatum donum Spiritus Sancti donari (D 799s). Tamen censemus gratiam sanctificantem, et dona creata eiim comitantia, non posse dici Ecclesiae animam in sensu quo loquimur, propter rationes nuper memoratas (n.1008). Nec placet asserere duas esse Mystici Corporis animas; cum enim, iuxta S.Paulum, Ecclesia dicatur Corpus ad similitudinem humani corporis, in ea duae animae distinguendae non sunt, quia neque in humano corpore duas animas distinguere licet (D 1655 cum nota).

Dona creata gratiae non apte dici possunt principium vitale, sed potius sunt vita ipsa, quam Spiritus Sanctus, tamquam vitae principium, membris corporis communicat, iuxta claram doctrinam *Catechismi Tridentini:* «Unus idemque est Spiritus, qui fidelibus gratiam, *perinde atque anima corporeis membris vitam,* impertitur» (p.i a.9 n.12).

1010. Scholion 5. De habitudine S.Mariae Virginis ad Corpus Christi mysticum.

A. Doctrina Magisterii Ecclesiae. Praesertim in epilogo Bullae *(Ineffabilis Deus», Pu* IX Acta l (1854) 617s; in *Encycl. 'Ad diem illum»* Pii X Acta l (1904) 150-161: in epilogo *Encycl. «Mystici Corporis»* Pu XII: AAS 35 (1943) 247s. Cf. S.Tromp, Text.Docum., Ser.Theol., 26, *Lit.Encycl.* Annotationes § io8s; J.M.Bover, *La Mariologla en ia Encycl. «Mystici Corporis»,* ap.Soteriologia mariana (1946) 495-520; J.Dillersberger, *Die Stellung Marias in der Heilsordnung nach «Mystici Corporis»* (1947); C.Feckes, Die *Kirche ais Herrenleib, Erlauterung zur Enzykl. «Mystici Corporis»* (1949) 169-173; H.nu Manoire, Maria, l (1949) 552-556.573-601.604-607.

B. Doctrina Scripturae. F.M.Braun. Marie et *l'Eglise d'après l'Ecriture:* EtudMar (1952) 7-21; A.Bea-A.Merk, *Marienbild des A. und N. Bundes,* ap.P.STRAETER, Maria in *der Offenbarung* (1952) 23-84.

C. Doctrina SS.Patrum. H.Holstein, A.Mueller, H.Barré, ap.Marieet *l'Eglise:* EtudMar (1951) 11-143; I.Ortiz de Urbina, H.Rahner, ap.P.STRAETER, l.c. 85-1181.37-182; G.Montague: AmerEcclRev 123 (1950) 331-337; A.Mueller, *Ecclesia-Maria* (1951); H.Rahner, Mana *und die Kirche (1951);* H.de Lubac, *L'Eglise* et *la Vierge Marie,* ap.Méditation sur l'Eglise (1953) 241-285; H.Coathalen, *Le parallélisme entre la S. Vierge et l'Eglise dans la tradition latine jusqu'à la fin du XIIe siècle:* AnalGreg 74 (1954). Cf. H.Lennerz, *Maria-Ecclesia:* Qreg 35 (1954) 90-98.

»» Cf. *Compendio della dottrina cristiana,* prescritto da Pio X aile Diocesi della provincia di Roma (1905) 119: «In che consiste l'anima della Chiesa? L'anima della Chiesa consiste in ciô che essa ha d'intemo e spirituale, cioè la fede, la speranza, la carità, i doni della grazia e dello Spirito Santo e tutti i celesti tesori che le sono derivati per meriti di Cristo Redentore e dei Santi». G.Wilmers, *De Ecclesia* th.iôs; D.Palmieri, *Proleg. de Ecclesia* th.11; De San, De *Ecclesia* 0.3675; Van Noort. De *Ecclesia* 0.74s; A.Michelitsch, *Theol. Fundam.* § 199.

37 C-Journet, *L'Eglise du Verbe Incarné* l (1941) 425.61-64. 625-630.6405; 2 (1951) $65-579. 603-705. Idem opinatur E.Sauras, *El Cuerpo mistico de Cristo* (1952) 820-44.

D. Testimonia Liturgiae. G.Frenaud, *Liturgies latines du* VIIe *au XIe siècle:* EtudMar (1951) 39-58; H.Engberding, Ph.Oppenheim, *Oestliche und lateinische Liturgie,* ap.P.STRAETER, l.c. 119-136.183-267.

E. Doctrina Theologorum, a) *Medii aevi:* I.Riudor: EstEcl 25 (1951) 181-218; A.Piolanti: EuntDoc 4 (1951) 324-338; M.Muellers, ap.P.STRAETER, l.c. 268-316. b) *Recentiorum Theologorum:* M.J.Scheeben, *Dogmatik* 3 p.455-629; J.B.Terrien, *La Mère de Dieu* p.2 l.8 c.1-3; J.Anger, *L'Eglise, société martale, ou Marie, mère du Corps mystique,* ap.La doctrine du Corps mystique, p.3 c.3; J.V.Bainvel, *De habitudine Mariam inter et Ecclesiam,* ap.De Ecclesia, p.97s; L.Colomer, *La Virgen tipo, Madré y corazôn de la Iglesia,* ap.La Iglesia, p.2 l.2 c.2; C.Feckes, Maria *und die Kirche,* ap.Das Mysterium der hl. Kirche, p.264-275; F.Jürgensmeier, *Die Gottesmutter in der Frômigkeit des Corpus Mysticum,* ap.Der mystische Leib Christi, p.326-338; H.Rondet, *La Vierge dans le Corps mystique:* EtudMar (1937) 195-232; O.Semmelroth, *Maria Urbild der Kirche* (1950); Ch.Journet, *La Vierge au coeur de l'Eglise,* ap.L'Eglise du Verbe Incarné, 2 (1951) 382-453; J.Lécuyer, R.Laurentin, M.Philipon, ap.Marie et *l'Eglise:* EtudMar (1952) 23-86, J.Beumer, C.Feckes, P.Straeter, A.Stolz, ap.P.STRAETER, Maria *in der Glaubenswissenschaft* (1952); S.Tromp, Die *Sendung Martens und dos Geheimnis der Kirche:* ThGl 43 (1953) 401-410; E.Sauras, *El Cuerpo mistico* (1952) p.486-525; R.Lauréntin, A.M.Henri, J.Bonnefoy, C.Dillenschneider, Th.Koehler, M.J.Nicolas: ap. EtudMar (1953) 2-170.

F. Locus quem occupat Maria in Corpore Çhristi mystico.

a) *Mariam esse Caput secundarium Ecclesiae,* tenet, cum paucis, A.Fernandez: CiencTom 38 (1928) 122-158. b) *Mariam esse collum Ecclesiae,* defendit, cum pluribus medio saeculo XVII anterioribus, G.M.Roschini, *Mariologia* 2 (1948) 349-367. c) *Mariam esse velut cor maternum Ecclesiae,* propugnant, cum aliquibus medii aevi, plures recentiores, ut Scheeben, Terrien, Arintero, Hugon, Aguilar, Mura, Feckes, Gillet, Musger, Garcîa-Garcés, McCarty, A.Luis, in locis citatis a Roschini, ρ·349·358, quibus adde Colomer et Tromp locis citatis sub E. d) Contrarius est usui in Theologia metaphorarum (colli, cordis, etc.) quae non sint revelatae, tamen cum Bover (l.c. p.91.248) approbat doctrinam de capitalitate secundaria Mariae, quamvis censeat non oportere eam appellare caput. Sauras (l.c).

1. Maria *typus et exemplar Ecclesiae atque gratiarum Christi Mediatrix.*

Deus Pater elegit et praedestinavit Mariam uti immaculatam et gratia plenam, ut in ea et ex ea formaretur Caput Corporis mystici et Unigenitus Patris secundum carnem; quo ipso eam proposuit ut *typum* Ecclesiae «sine macula aut ruga», et exemplum eorum in quibus formaretur Christus (Gal 4,19), membrorum nempe Corporis mystici et fratrum Unigeniti in domo vel familia Dei Patris. Unde, quia Pater disposuit ut mediante Maria daretur nobis fons ipse gratiarum Christus Dominus, ideo merito concluditur, Mariam constitutam esse a Deo *Mediatricem* omnium gratiarum, quae membris Corporis mystici derivantur a Christo Capite.

2. Maria *Mater Corporis mystici et omnium hominum Corredemptrix* (D 1978a.).

Dei *Filius,* consentiente Maria (Lc 1,45). incarnatus est in ea et ex ea natus, ut per naturam de Maria assumptam esset hominum Salvator et mystici Corporis Caput. Ergo in Virginis utero una sibi et carnem Christus assumpsit et mysticum simul Corpus adiunxit. Unde et Mariae filii mystice

dicimur, et ipsa nostrum spiritalis *Mater* est. Iuxta Crucem vero Maria, caritate qua in Deum flagrabat, pro voluntatis et dolorum Matris cum Filio perpetua coniunctione, Eum Deo Patri pro nobis obtulit, una cum maternorum iurium matemique amoris sui holocausto. Unde particeps passionum Redemptoris ac socia, meruit hominum fieri *Corredemptrix.*

3. *Maria Regina mundi et omnium gratiarum Dispensatrix in Corpore mystico.*

Spiritus Sanctus supernis suis muneribus ac donis cumulavit Mariam effecitque eam omnis sanctitatis templum, ut ex ea nasceretur Sanctus Rex saeculorum et gloriae, Christus; quo ipso Maria constituta est a Deo caeli terraeque *Regina* et Mater misericordiae, ut thesauros promeritorum Filii sui et gratiarum divini Spiritus materno veluti iure administraret. Unde Maria, divino Spiritu repleta, adstat Regina a dextris Regis in excelsis, cunctorum hominum fidissima· auxiliatrix, princeps largiendarum gratiarum ministra universorumque divini Spiritus munerum *Dispensatrix,* materno veluti amore vigilans assiduaque prece contendens ut uberrimae divitiae meritorum Capitis et inexhausta gratiarum fluenta Animae Corporis mystici in omnia eius membra iugiter effundantur (cf. Pios IX, X et XII, l. c. sub A).

1011. Obiectiones. 1. Spiritus Sanctus nequit dici substantialis forma Mystici Corporis. Ergo neque eius anima.

Dist. *antec.* Spiritus Sanctus nequit dici substantia spiritualis, velut definitive exsistens in Mystico Corpore, qui efficienter et quasi-formaliter in eo causet vitam, ad similitudinem vitae quam in humano corpore formaliter causât anima, *nego antec.;* Spiritus Sanctus nequit dici substantia incompleta, quae Corpori Mystico substantialiter uniatur ut in eo formaliter causet vitam, sicut anima in humano corpore, *subdist. : et* talis forma exigi debet pro physico corpore, quod talis informationis capax sit, *conc.;* et talis forma exigi potest pro morali corpore, ut est Ecclesia, quod talis informationis capax non est, *nego.*

2. Repugnat actui puro ut concipiatur velut in compositionem veniens. Atqui ut Anima Corporis Mystici Spiritus Sanctus concipitur velut in compositionem veniens. Ergo repugnat ut Spiritus Sanctus dicatur Ecclesiae anima.

Dist. mai. Repugnat ut Spiritus Sanctus concipiatur velut in compositionem veniens naturalem, *conc. mai.;* supernaturalem, *subdist. :* quae in Actu puro mutationem exigat, repugnat, *conc.;* quae solum in termino mutationem exigat, repugnat, nego. Contradistincta *min.,* negatur *cons. et consequentia.*

1012. 3. Illud non est primum ac radicale vitae principium in Ecclesia, quod iam aliud praesupponit. Atqui Spiritus Sanctus in Ecclesia praesupponit gratiam sanctificantem ut fundamentum relationis praesentiae eius in anima iusta. Ergo Spiritus Sanctus non est primum ac radicale vitae principium in Ecclesia.

Dist. mai. Si aliud praesupponit in eodem causalitatis ordine, *conc. mai.;* si aliud praesupponit in diverso causalitatis ordine, *nego mai. Contradist. min.* Spiritus Sanctus praesupponit gratiam sanctificantem in ordine causalitatis formalis, seu tamquam fundamentum relationis praesentiae eius ut passive ab anima iusta possessi, *conc. min.;* in ordine causalitatis efficientis, seu tamquam fundamentum relationis praesentiae eius ut active animam iustam vivificantis, *nego min.*

1013. 4. «Quod vitae principium est singulorum, id etiam totius Ecclesiae, quippe quae constat e singulis sibi iunctis, Atqui singulis gratia

sanctificans vitae supernaturalis est principium» 38. Ergo gratia sanctificans est totius Ecclesiae vitae supernaturalis principium.

Trans, mai. Dist. min. Singulis gratia sanctificans vitae supernaturalis est principium accidentale, multiplex, proximum et formale, trans, min.; substantiale, unum, primum et efficiens, *nego min.* Pariter *dist. cons.* Gratia sanctificans est totius Ecclesiae vitae supernaturalis principium accidentale, multiplex, proximum et formale, *trans, cons.;* substantiale, unum, primum et efficiens, *nego cons.*

1014. 5. Definiendum vel maxime esset quodnam sit formale principium Corporis Ecclesiae. Atqui formale principium Corporis Ecclesiae est gratia sanctificans. Ergo gratia est Corporis Ecclesiae Anima.

Dist. *mai.* Definiendum esset quodnam sit quasi-formale principium Corporis Ecclesiae, conc. mat.; quodnam sit proprie formale principium Corporis Ecclesiae, subdist. : si morale Ecclesiae corpus talis informationis capax esset, *trans.;* si morale Ecclesiae Corpus talis informationis incapax sit, *nego. Contradist. min.* Formale principium esset gratia sanctificans, si morale Ecclesiae Corpus capax esset propriae informationis, *trans, min.;* si talis informationis incapax sit, nego *min.*

1015. 6. Auctoritas est anima corporis socialis. Atqui Ecclesia est verum corpus sociale. Ergo anima Ecclesiae est auctoritas.

Dist. *mai.* Auctoritas est anima corporis socialis naturalis, *trans, mai.;* supernaturalis, *subdist. :* si m eo esse sociale separari posset ab esse supernatural!, *trans.;* si in eo esse sociale separari nequeat ab esse supernatural!, *nego. Contradist. min.* Ecclesia est verum corpus sociale mere naturale, n?go; supernaturale, subdist. : in quo esse sociale separari nequit ab esse supematurali, *conc.;* in quo esse sociale separari possit ab esse supernatural!, *nego* 39.

ARTICULUS II

De ratione qua membra Ecclesiae constituuntur

Thesis 25. Baptismus, et quidem validus, requiritur et sufficit ad constituenda Corporis Ecclesiae membra.

1016. S.Th. 3 q.8 a.3; q.70 a.i; Suârez, *Dc fide,* d.9 s.i; Bellarmino, *De Eccl. milit.* I.3 c.2-3; Cano, *De locis,* l.4 c.2-3; Franzelin, th.22-23; Wilmers, th.107-108; Tanquerey. i n.892-906; De San, n.345-359: Van LaAk, *Repetit.* (1911) p.185-197; Straub, th.31-32; Muncunill, n.615-636; Billot, th.io; D'Herbigny, th.33; Bainvel, th.19; Dieckmann, n.958-960; Dorsch, p.485-487; De Guibert, th.21; S.Fraghi, *De membris Ecclesiae* (1937); Stolz (1939) p.27-34; Vellico (1940) th.14; Journet, 2 (1951) 1056-1081 ; Sauras, *El Cuerpo Mistico* (1952) 581-609; Zapelena, 2 (1954) 341-358; L.Rodrigo, *De Legibus,* n.138-163.

1017. Nexus. Probavimus Ecclesiam esse societatem perfectam et ad modum corporis humani constitutam. Iam vero in omni societate perfecta eius cives constituuntur et

38 G.Wilmers, *De Ecclesia* n.51.

39 D.Palmieri, *De Rom. Pontif. Prolegom. de Ecclesia* th.n. Eum refutat M.d'Herbigny, *De Ecclesia* th.30.

dignoscuntur ut tales aliqua visibili norma; unde nunc quaerimus, quodnam sit elementum visibile praecipuum, quo membra Corporis Ecclesiae constituantur talia.

1018. Notiones. Membri notio probe distinguenda est a notionibus subditi et mere obligati ad Ecclesiam. *Obligatus ad aliquid* est ille, cui competens potestas aliquam obligationem imponit antecedenter ad omne sociale vinculum: sic, exempli gratia, omnes homines obligati sunt ad Deum colendum. *Subditus* dicitur ille, qui subiacet potestati *sociali* alterius.

Membrum appellatur illud, quod alicui corpori organico tanquam pars integralis unitum est.

1019. Iam si ad Ecclesiam has notiones transferimus, haec habemus quae sequuntur: a) *Obligati ad Ecclesiam* sunt illi quibus Christus obligationem imposuit sese adnumerandi suae Ecclesiae; tales sunt omnes homines viatores, prout infertur ex thesi 3.a

b) *Subditi Ecclesiae* sunt illi qui potestati *sociali* Ecclesiae subiacent; prout haec subiectio magis vel minus perfecta sit, ratio etiam subditi magis vel minus perfecte dari potest. *Subditi* igitur Ecclesiae censentur ii omnes, quibus Baptismus collatus est, quamvis sint haeretici vel schismatici vel excommunicat! vitandi, iuxta ea quae statuit CIC 87 L

c) *Membra Ecclesiae* sunt illi qui tamquam pars integralis uniti sunt Corpori Ecclesiae; prout haec unio magis vel minus plena sit, ratio etiam membri magis vel minus plene datur: *Membra Ecclesiae* censemus esse omnes *valide baptizatos,* in quibus unionis vincula cum Ecclesia non fuerint rupta aut haeresi aut schismate aut excommunione, prout in hac thesi explicamus et probare intendimus **1**.

1020. Corpus Ecclesiae est omne illud quod ad eam pertinet quatenus est. hominum visibilis societas. Corporis Ecclesiae membrum aliquis esse potest dupliciter, videlicet aut re aut tantum voto 3. *Membrum re* est ille qui vinculo reali et visibili cum corpore Ecclesiae unitus est. *Membrum* autem *voto* ille est qui propter eius bonam voluntatem (= Votum)

1 CIC 87: «Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus Christianorum iuribus et officiis, nisi, ad iura quod attinet, obstet obex, ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura». Cf. G.Michiels, *Normae general. lur. Can.* i (1949) 348.

2 Circa discrimina conceptuum membri et subditi confer A.Straub, *De Ecclesia* 0.1265; H.van Laak, *Repetitorium* (1911) 188; L.Rodrigo, *De Legibus* n.120.

3 Cf. S.Th., 3 q.68 a.2.3.

particeps a Deo fit de vita quae propria est Corporis Ecclesiae, prout in thesi de necessitate Ecclesiae explicatur (th.27).

Constituere membrum Ecclesiae est efficere ut homo viator realiter induat veram et propriam rationem membri corporis Ecclesiae.

1021. Baptizatus est ille qui Sacramentum Baptismi a Christo institutum accepit. Requirimus ergo Baptismum quem appellant *fluminis* seu aquae; ac propterea non sufficiunt nec Baptismus qui dicitur *sanguinis* seu martyrii, nec Baptismus qui vocatur *flaminis* seu caritatis, quamvis agnoscamus caritate et martyrio gratiam sanctificantem semper obtineri, «inquantum utrumque supplet vicem baptismi aquae»4.

Baptismi sacramentum suscipi potest tripliciter, nempe rite, valide et fructuose. *Baptismus rite* collatus est ille cui nihil deest ex elementis sensibilibus quibus necessario perficiendus est ritus quo confertur. Validus est *Baptismus rite* collatus *cum intentione* necessaria suscipientis et ministri. *Fructuosus* est *Baptismus* validus qui confertur subiecto *apte disposito* ad eius fructum seu gratiam suscipiendam. Distinguentes igitur haec tria: *ritum* sensibilem, *intentionem* requisitam et *dispositionem* suscipientis, pro Baptismo rite collate sufficit primum, pro valido requiruntur et sufficiunt duo priora, pro Baptismo denique fructuoso tria haec requiruntur; adeoque hae Baptismi varietates inadaequate tantum ad invicem distinguuntur.

1022. Adversarii in *genere* sunt omnes qui vel formaliter vel aequivalenter negant aliquod visibile elementum requiri ad veram constituendam Ecclesiam.

Tertullianus *montanista,* qui ut veram non agnoscebat nisi «Ecclesiam Spiritus per spiritualem hominem»5, verus inspirator fuit errorum quos propugnaverunt aetate media *Cathari, Waldenses, Albigenses, Fraticelli,* aliaeque sectae «Spiritualium» dictae, quae Christi fideles, non aliqua re visibili, sed solis internis donis Spiritus vera Ecclesiae membra constitui tenebant6.

Wicleff ex iisdem principiis suam doctrinam derivavit, ex quo suam fere integram Ecclesiologiam desumpsit Hus7, qui tenuit sola Dei *praedestinatione* membra Ecclesiae constitui (D 627-632, 647).

1023. Luther autem et Calvin, cum in doctrinis de Ecclesia manifeste dependeant a Wicleff et Hus; inde merito appellatus est Tertullianus «pater Spiritualism! Protestantium Occi-

4 Cf. S.Th., 3 q.66 a.4.11.
5 Tertullianus. *De pudic.* 21; *De virginibus velandis,* 1: ML 2,8893.1024s.
6 D 424 473 485 486 488.
7 Cf. L.Loserth, *Hus:* RealEncyclProtThK 8,472*489.

dentis»8. *Protestantes* tan lutherani quam calviniani negant ullam rem visibilem requiri ad Ecclesiae membra constituenda. *Lutherani,* quia tenent Ecclesiam nihil esse aliud quam «congregationem *iustorum* invisibilem et spiritualem, sola fide perceptibilem»; *Calviniani* vero quia propugnant «Ecclesiam esse societatem fidelium *praedestinatorum,* uni Deo cognitam, qui solus novit quos elegit» 9.

Recentius adversantur etiam Sabatier, Harnack, Barth, aliique quamplurimi, tenentes, Ecclesiam effici solummodo ex illis qui christianum sensum internum filiationis erga Deum Patrem in animis suis sentiunt, vel supernam aliquam motionem immediate a Deo acceptam percipiunt, ut fiant «congregatio vivens Christi Domini viventis». De his egimus supra n.42-43 10.

1024. Sententiae Theologorum. Plura particularia sunt in hac re, de quibus catholici Theologi disputant, in praecipuis autem omnibus communiter consentiunt cum S.Thomae doctrina. S.Thomas et Suarezius loquuntur de Ecclesia *sensu lato* intellecta et *sensu stricto.* Ecclesiam sensu lato definiunt «congregationem fidelium, qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius». Ecclesiam vero sensu stricto intelligunt eorum coetum qui per Baptismum tamquam per Sacramentum Fidei incorporantur Christo, prout in Scholio 2 videri potest infra n.1039-1041.

1025. Probe quidem notandum est, distinctionem Ecclesiae sensu *lato* sumptae ab ea quae dicitur sensu *stricto,* nullo modo importare distinctionem duarum Ecclesiarum coexsistentium; sed tantummodo significare, duplicem exstitisse eiusdem Ecclesiae stadium, atque duplicem etiam nunc posse dari modum pertinendi ad idem *numero Corpus Ecclesiae,* alium, iuxta terminologiam S.Thomae, *mentaliter* vel *voto,* alium vero *corporaliter* vel *re,* prout patebit ex iis quae dicemus in Scholio 2 n.1039, et iam breviter indicata manent supra, n.155-158 11.

Iam vero cum in thesi nostra quaeramus, quinam sint qui *re* pertineant ad Corpus Ecclesiae, quam Christus in Apostolis instituit, merito praescindimus ab iis quae auctores speculantur circa rationem *genericam* sub qua illi etiam, qui in praeparationis Ecclesiae stadio crediderunt in Christum venturum, possent dici ad eandem Christi Ecclesiam pertinere.

8 F.Heiler. *Altchristliche Autonomie und pâpstlicher Zentralismus* (1041) p.iï.

9 Luther, *Responsio ad lib. A.Catharini* (1951) E:LWeimar, 7, p.299; Calvin, Catichismus *Ecclesiae genevensis,* Ed. K.Müller, p.tas.

10 De adversariis huius theseos plura videre potes inferius, nn.1072-1075,1128, et in elucubratione nostra, *El Derecho en cl Misterio de la Iglesia:* RevEspT 14 (1954) 211-238.

11 Cf. ea quae scripsimus de multiplici sensu quem vox Ecclesia habet, supra n.t49s. 155-158. Vide G.Wilmers, *De Ecclesia* n.386; M.d'Herbigny, *De Ecclesia* n.353. I.Urban hanc veluti viam mediam ad Christianorum unionem proposuit: «Statuta distinctione inter conceptum Ecclesiae, quatenus est Corpus sociale et quatenus est Corpus mysticum Christi, nihil nos prohibet quominus Orientales, quamvis sub respectu sociali a nobis separentur, membra mystici Corporis Christi dicamus, eosque sub hoc respectu ut fratres in Christo amplectamur· *(Acta I Conventus Velrhradensis'* [1908] 25).

1026. Theologi vero, qui extra statum quaestionis nostrae non vagantur, adeoque quaerunt de membris Ecclesiae sensu stricto intellectae, id est, de membris illius Ecclesiae quae et quatenus a Christo in Apostolis instituta est, circa particularia puncta dissentiunt, praesertim circa indolem Baptismi qui requiritur.

Membra Corporis Ecclesiae re esse *omnes et solos baptizatos,* dici potest sententia vere unanimis, iuxta ea quae praecedunt.

a) Baptismum sufficere *rite collatum,* etsi invalidum ob intentionis defectum, tenent cum Bellarmino, Kilber, Straub, Pesch, alii 1213

b) Baptismum requiri *validum,* defendunt Franzelin, Palmieri, Wilmers, Van Laak, Billot, Bainvel, Muncunill, Dorsch, Schultes, Tanquerey, Zapelena, Fraghi, Stolz, Calcagno, Hervé, aliique multi13.

1027. Status quaestionis. Agimus de Ecclesia *sensu stricto,* seu de illa quae et quatenus a Christo instituta est. Quaerimus de iis qui pertineant ad eius Corpus, seu ad Ecclesiam quae et quatenus visibilis hominum societas est. Inquirimus denique quinam ad Corpus Ecclesiae *re* pertineant, id est non tantum *putative,* sed *effective;* nec tantum *voto,* sed *re.*

Thesis constat duabus partibus.

In 1.a tenemus omnes et solos baptizatos esse Ecclesiae membra, seu Baptismum de se sufficere ac requiri ad *re constituenda* Ecclesiae Christi membra.

In 2.a defendimus Baptismum requiri *validum,* sed abstrahimus ab ulteriori disquisitione, utrum nempe Baptismus requiratur *reduplicative* qua validus necne, tenentes eum requiri saltem *specificative* validum.

1028. Doctrina Ecclesiae. Pars 1.a: a) *Omnes baptizatos* esse Ecclesiae membra, seu Baptismum de se sufficere ad membra corporis Ecclesiae constituenda, docetur a *Conc.Florentino* in decreto pro Armenis: D 696; idem vero implicite definitur in *Conc.Tridentino,* cum aperte definiat, baptizatos omnes, vi Baptismatis ipsius et antecedenter ad baptizatorum voluntatem, ad universam Christi legem servandam omnino

12 S.R.Bellarmino, *De Ecclesia militanti* l.3 c.io; H.Kilber, *De principiis theolog.* apud Wirceburgenses, t.i n.93; C.Maezella, *De Ecclesia* n.595; A.Straub, *De Ecclesia* n.1304; Ch.Pesch, *Praelect.* l n.329; Id., *Compendium* l n.231; L.Lercher, *Instit. theol. l* (1927) n.419.

13 I.B.Franzelin, *Theses de Ecclesia* th.22 n.3; D.Palmieri, *De Rom. Pont. Proleg. de Ecclesia* § 11 n.7; G.Wilmers, *De Ecclesia* n.390; H.van Laak, *Repetitorium* (1911) 186; L.Billot, *De Ecclesia* th.10§3; A.Tanquerey, *Synop. theol.* l n.898; J.V.Bainvel, De *Ecclesia* n.58; G.van Noort, *De Ecclesia* n.152; I.Muncunill, *De Ecclesia* n.621; V.Zubizarreta, *Theol. Fundam,* n.393; Ae.Dorsch, *De Ecclesia* 487; A.Michelitsch, *Theol. Fundam.* § 200; R.Schultes, *De Ecclesia* a.i2; J.de Guibert, De *Ecclesia* 0.182; T.Zapelena, De *Ecclesia. 2* P.389S; M.d'Herbigny, De *Ecclesia* th.33; Lercher-Schlagenhaufen, *Instit. theol.* l n.412; A.Stolz, De *Ecclesia* 29; S.Fraghi, *De membris Ecclesiae* 67; A.M.Vellico, De *Ecclesia* th.14 p.536; P.Parente, *Theol. Fundam.* 171; F.X.Galcagno, *Theol. Fundam,* n.287; J.M.Hervé, *Manuale Theolog. t.i* n.448.

teneri: D 863s 870, cumque addat, Baptismate ipsos parvulos inter fideles computari: D 869; ratio autem horum est ea, quam ipsum Tridentinum adducit, definiens: «in Ecclesiam per Baptismi ianuam ingredi» seu «lavacro Baptismi Christi Corporis membra effici»: D 895. Hinc merito Ecclesia sua lege statuit: «Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus Christianorum iuribus et officiis» (CIC 87).

b) *Solos baptizatos* esse Ecclesiae membra, seu Baptismum de se requiri ad membra Corporis Ecclesiae constituenda, implicite definitur in *Conc.Tridentino:* D 895, ubi asserit, non baptizatos extra Ecclesiam esse, ac proinde Ecclesiae non esse de illis iudicare. Hinc etiam CIC 12: «Legibus, inquit, ecclesiasticis non tenentur qui Baptismum non receperunt». *Vaticanum* in i.° schemate *Constitutionis «De Ecclesia»,* c.i, scribebat: «Ad Mystici Corporis unionem efficiendam, Christus Dominus sacrum regenerationis et renovationis instituit lavacrum, quo filii hominum... membra essent ad invicem suoque divino Capiti... coniuncti» 1415

1029. Pius XII in *Encyclica «Mystici Corporis»,* aperte haec tradidit:

«Sicut autem humanum corpus propriis instrumentis ornatum cernitur, quibus vitae, sanitati, ac sui ipsius singulorumque membrorum incremento consulat: sic humani generis Servator... Corpori suo Mystico mirum in modum prospexit, illud sacramentis ditando... Siquidem per lustralis aquae lavacrum non modo qui sunt mortali huic vitae nati, ex peccati morte renascuntur et Ecclesiae constituuntur membra, sed spirituali etiam charactere insigniti capaces aptique fiunt ad caetera suscipienda munera sacra...» «In Ecclesiae autem membris reapse ii soli annumerandi sunt, qui regenerationis lavacrum receperunt veramque fidem profitentur» '5.

1030. Valor dogmaticus doctrinae nostrae. Pars i.8 *Omnes et solos baptizatos esse* Ecclesiae membra, est *implicite definitum in Conc.Tridentino.* Pars. 2.8 Baptismum autem requiri *validum,* est *conclusio certa in Theologia,* vel saltem *probabilior.*

1031. Probatio. Pars i.8: Membra Corporis Ecclesiae re sunt omnes et soli baptizati.

a) *Omnes:* 1 Cor 12,12s: *Sicut enim corpus unum est ei membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus* [mysticus nempe seu Ecclesia]. *Etenim in uno Spiritu omnes nos* in unum

14 Msi 51,539. Considera integrum de hac re schematis textum.
15 Pius XII, *Encycl. 'Mystici Corporis»:* AAS 35 (1943) 20ts. D.2286.

Corpus baptizati sumus. Gal 3,27-28: *Quicumque enim* in Christum (graece) *baptizati estis, Christum induistis. Non est ludaeus neque Graecus... Omnes enim vos unum estis in Christo lesu.* Coi 2,11-12 S.Paulus Circumcisioni comparat Baptismum, cui excellentiorem vim tribuit. Atqui ludaei Circumcisione incorporabantur populo electo. Ergo a fortiori Christiani Baptismo incorporantur Ecclesiae.

b) *Soli:* Io 3,5: Nisi *quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Mt 28,19: *Euntes ergo* facite discipulos *omnes homines,* baptizantes eos *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti:* vertimus attendentes ad vim textus graeci. Act 2,41: *Qui ergo receperunt sermonem Petri* baptizati sunt, et appositae sunt in *die illa animae circiter tria millia.*

1032. *c)* Sensum Ecclesiae in hac re bene exprimunt formulae quae in administratione Baptismi adhibentur. *Rituale Romanum:* «Da quaesumus, Domine, electo nostro, ut... renovetur fonte Baptismatis et inter Ecclesiae tuae membra numeretur» 16. *Manuale Toletanum:* «Consignamur divino charactere, tamquam oves Christi, atque Christo per Baptismum, tamquam membra Capiti copulamur atque connectimur»17. *Liturgia Mozarabica:* «Quicumque in Christo baptizantur, induant Christum, ut qui in nomine Trinae Maiestatis baptizati fuerint... in numero fidelium mereantur adscribi» 18. In *Ecclesia Gallicana:* «Quicumque in Christo baptizabuntur, induant Christum... gratias Domino referamus, quod augere dignatus est Ecclesiae suae congregationem per caros nostros qui modo baptizati sunt» 19. In *Ecclesia Antiochena:* «Digni fiant superna regeneratione per aquam et Spiritum: ad hoc ut sint oves veri Pastoris obsignatae signaculo Spiritus tui Sancti, et honorabilia membra in Corpore Sanctae tuae Ecclesiae» 20. In Ecclesiis *Constantinopolitana, Alexandrina, Coptica, Aethyopica* et *Graecorum:* «Ut efformetur Christus in regenerando isto, qui per me, abiectum et miserum, Baptisma regenerationis suscipit. Aedifica eum super fundamentum Apostolorum et Prophetarum... et complanta et insere ipsum ceu veritatis germen in tua Sancta, Catholica et Apostolica Ecclesia»21. In Ecclesiis *Hierosolymitana et Syrorum:* «Qui baptizantur, eos perfice et domesticos Christi tui eos constitue expurgans eos sacro tuo lavacro». «Signatur N. oleo laetitiae ut inseratur in bonam olivam in Apostolica Ecclesia». «Signatur N. agnus spiritualis in grege Christi in nomine P. et F. et S. S.» 22.

Rituale Romanum tit.2 c.4, ordo Baptismi adultorum, n.3.

17 *Manuale Toletanum,* Appendix ad Rituale Romanum, tit.a c.1 § 55.

1« Liturgia *Mozarabica, Missale mixtum* pars 1: ML 85,465s. Sententia illa: Qui in *Christo baptizati estis Christum induistis* (Gal 3,27), occurrit etiam in Officio Baptismi Ecclesiae Armenorum: J.A.Assemani, Codex *Liturgicus* 2.201.209.

›' *Ordo Baptismi* in *Ecclesia Gallicana:* J.A.Assemani, Codex *Liturgicus Ecclesiae universae 2.385.43.* Cf. similes Ordines Ecclesiarum particularium Pictaviensis in Gallia et Laudiensis in Italia: Assemani, 2.61.78.

20 Ordo Ecclesiae Antiochenae Syrorum: Assemani, 1,220.

21 Ordo Baptismi Ecclesiarum Constantinopolitanae et Graecorum, necnon Alexandrinae, Copticae et Aethyopicae: Assemani. 2,132,134.162. Ordo similis Ecclesiae Antiochenae Syrorum: Assemani, 1,230.

22 Ordo Ritualis Syrorum et Ecclesiae Hierosolymitanae; Ordo Baptismi Ecclesiae Antiochenae et Hierosolymitanae Syrorum, necnon Philoxeni Mahugcnsis Episcopi: Assemani, 2,223.232.28s.307. Cf. Assemani, 1,240.255.

Ordo Severi Antiocheni: «Qui ad s.Baptisma praeparatus est... connumera eum tuis spiritualibus sanctisque ovibus»... «effinge et forma Christum tuum in hoc, qui regenerandus est per meam tenuitatem»... «oleo ungitur iste simplex agnus, et connumeratur inter filios Patris caelestis»... «Baptizatur N. ut sit agnus in grege Christi in nomine P. et F. et S. S.» [23] *Ordo S.Iacobi Syrorum Maronitarum :* «Suscipe, Domine, agnos qui ad Baptismum accessere, eosque in grege tuo cum agnis filiis dexterae coniunge. Aperi portas tuas, s.Ecclesia, et suscipe simplices agnos, qui hodie ad Baptismum advenerunt»... «Pastor bone, qui Trinitatis signaculo oves tuas obsignasti... signetur agnus simplex gregis tui, et per signaculum tuum connumeretur cum tuis ovibus tuusque sit, et custodiatur ab omnibus malis»... «Obsignetur N. agnus in grege christiano, oleo vivo divinae unctionis in nomine P. et F. et S. S.»... «Ego te baptizo N. agnum in grege Christi in nomine P. et F. et S. S.» [24]. In Ordine *Ecclesiae Armenorum :* «Fiat corpus et membrum Ecclesiae tuae Sanctae» [25]. In *Ordine Ritualis Syrorum, Ecclesiae Hierosolymitanae* et *Severi Antiocheni :* «Expande alas tuas, Sancta Ecclesia, et simplicem agnum suscipe, quem Spiritus Sanctus genuit ex aquis Baptismatis»... «Salve novus agnus, filius ex Baptismo genitus, quem ex aquis genui in nomine Trinitatis» [26].

Iuxta haec Liturgiarum testimonia, ad membra Ecclesiae constituenda *Baptismus sufficit,* quia homines dicuntur ipso Baptismate de Ecclesia fieri; *Baptismus requiritur,* quia sine ipso non censentur de Ecclesia esse.

1033. *d) Confirmatur* eadem doctrina auctoritate SS.Patrum:

S.Irenaeus: «Sicut de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis; ita nec nos multi unum fieri in Christo Iesu poteramus, sine aqua quae de caelo est» (R 220).

Tertullianus: «Nos pisciculi secundum Ἰχθὺν nostrum Iesum Christum in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus» (R 302).

S.Methodius: «Ecclesia velut fervet turgetque et parturit, donec formetur in nobis genitus Christus; quo nimirum quisque sanctorum, qua ratione Christi particeps est, Christus nascitur... Tamquam Christi evaserint per commercium Spiritus, qui in Christum baptizati sunt, suas hic Ecclesia conferente partes ad eorum in Verbo effigiem et transformationem» (R 613).

S.Ioannes Chrysostomus: «Cives Ecclesiae... non tantum sunt liberi sed et sancti, non tantum sancti sed et iusti, non solum iusti sed et filii, non solum filii sed et heredes, non solum heredes sed et fratres Christi, nec tantum fratres Christi sed et coheredes, non solum coheredes sed et membra, non tantum membra sed et templum, non tantum templum sed et organa Spiritus. Vides quot sunt Baptismatis largitates... Hac de causa etiam infantes baptizamus... ut iis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi ut eius membra sint» (R 1228).

S.Augustinus: «Christum imitantur sancti eius ad sequendam iustitiam. Sed praeter hanc imitationem gratia eius illuminationem iustificationemque nostram etiam intrinsecus operatur... Hac enim gratia baptizatos quoque

23 Ordo syriacus Severi Patriarchae Antiocheni: Assemani, 2.268.277.297-299.

24 Ordo Ritualis Syrorum Maronitarum S.Iacobi Sarugensis Episcopi: Assemani, 2,315s. 332.347s.350.

25 Ordo Ecclesiae Armenorum: Assemani, t.172. His stmtha plura in Ordine Baptismi Ecclesiae Antiochenae Syrorum: Assemani, 1,2225.226.

26 Pulchra haec formula saepe occurrit: Assemani, 2,225.237.243.300.

parvulos suo inserit Corpori, qui certe imitari aliquem nondum valent» (R I7IS)·.

Idem in Epist. 265, n.4: «Quoscumque legimus in Corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad Regnum caelorum, non nisi baptizatos intelligere debemus» (ML 33,1087).

S.Fulgentius: «Arbitror... tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum Corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate Corporis Christi constitutus abscedat» (R 2237).

1034. Pars 2.a Requiritur Baptismus validus.

Baptismus qui requiritur ad re constituenda Corporis Ecclesiae membra est *Baptismus validus.* Nam 1) Baptismus etsi rite collatus, si sit *invalidus non sufficit,* quia in thesi quaerimus, quo homines membra Corporis Ecclesiae constituantur *re,* id est non tantum putative et apparenter, sed etiam effective et *realiter.* Atqui Baptismo invalido etsi rite collate homines constitui possunt Ecclesiae membra tantum putative et apparenter, non vero effective et realiter. Ergo baptismus etsi rite collatus, si sit invalidus non sufficit ad re constituenda Corporis Ecclesiae membra.

2) *Baptismus validus requiritur,* quia ad membra Corporis Ecclesiae constituenda re, id est effective et realiter, Baptismus ille requiritur quo homines reddantur *capaces* participandi bona socialia Ecclesiae specifica et praecipua, qualia sunt Sacramenta. Atqui tantum Baptismo valido homines redduntur *capaces* participandi talia bona socialia Ecclesiae, id est Sacramenta. Ergo Baptismus validus requiritur ad re constituenda Corporis Ecclesiae membra.

3) *Baptismus validus requiritur,* quia ad membra Corporis Ecclesiae re constituenda requiritur, iuxta Scripturam et sensum Ecclesiae, ille Baptismus, quo revera fiat illa *regeneratio* vel renascentia, qua homines vere Christo uniantur eique ut Capiti Corporis Ecclesiae incorporentur. Atqui solo Baptismo valido revera fit illa regeneratio vel renascentia, qua homines vere Christo uniuntur eique ut Capiti Corporis Ecclesiae incorporantur. Ergo Baptismus validus requiritur ad re constituenda Corporis Ecclesiae membra.

1035. Scholion 1. *Quid minimum requiratur ut homo sit Ecclesiae membrum. Triplex* est praecipua responsio ad hoc quaesitum etiam inter Theologos catholicos qui tenent, membrum Ecclesiae esse hominem baptizatum qui non sit manifeste haereticus aut schismaticus aut perfecte excommunicatus.

Prima sententia plurium cum Bellarmino respondet: Ecclesia est societas hominum visibilis et iuridica, plane uti civilis societas. Atqui societatis hominum visibilis et iuridicae membrum est ille in quo tantum externae condiciones implentur quae de iure requiruntur. Ergo minimum quod requiritur et sufficit ad constituendum Ecclesiae membrum est Baptismus rite collatus, quamvis ob intentionis defectum sit invalidus, ideoque characterem animae internum et invisibile non imprimat.

Reponunt alii: Ecclesia est societas visibilis et iuridica quidem, attamen hominum renatorum (Io 3,5); quemadmodum igitur ut quis esse possit cives societatis civilis praerequiritur eius naturalis nativitas, ita etiam ut quis esse possit cives Ecclesiae praerequiritur eius supernaturalis renascentia. Haec autem Baptismate invalido non confertur vere et realiter; ac proinde Baptismate mere rite collato homo tantum apparenter et putative fit Ecclesiae

membrum, prout ipse Bellarminus concedit scribens: «Posset etiam respon deri, et melius, eos qui non sunt baptizati et tamen habentur pro baptizatis, esse de Ecclesia secundum apparentiam exteriorem tantum, id est, putative, non vere» 27.

1036. *Secunda sententia* plurimorum Theologorum cum Billot respondet: Ecclesia est societas hominum regeneratorum. Atqui haec superna regeneratio non datur nisi in Baptismo valido, quo regenerationis character imprimitur. Ergo minimum quod requiritur et sufficit ad constituendum Ecclesiae membrum est Baptisma validum quo character animae imprimatur.

Obiciunt alii: Character qui Baptismo calido confertur non sufficit ad constituendum Ecclesiae membrum, quia proprie non est principium vitae spiritualis, et quia characterem susceptum retinent indelebilem damnati, qui tamen neque in potentia sunt Ecclesiae membra 28.

1037. Tertia *sententia* non paucorum cum Suârez respondet: Ecclesia est societas fidelium, eorum nempe qui Christo Capiti uniuntur per actum aliquem vitae spiritualis. Atqui minimum, quod requiritur et sufficit ut talis societatis membrum aliquo vitae spiritualis actu Christo Capiti uniatur est fides. Ergo minimum quod requiritur et sufficit ad constituendum Ecclesiae membrum est fides.

Observant alii: Fides ut actus vitae spiritualis requiri potest ad habendum membrum Corporis Ecclesiae viventis qua viventis aliquali vita interna et supernaturali, sed non ad constituendum membrum Corporis Ecclesiae visibilis qua talis, de quo nunc proprie quaeritur.

1038. Igitur minimum, quod sufficit ad constituendum Ecclesiae membrum, est:· In.I.a sententia, ut *putative* membrum sit, adeoque ius habeat quo *extrinsece* reputetur de Ecclesia, quamvis revera *incapax sit* participandi de vita interna Corporis Ecclesiae. *In* 2.a *sententia,* ut *materialiter* membrum sit, adeoque ius habeat quo *intrinsece* reputetur de Ecclesia, ita ut revera *capax sit* participandi de vita interna Corporis Ecclesiae. *In* J.a *sententia,* ut *formaliter* membrum sit, adeoque *ius* habeat quo *effective* reputetur de Ecclesia, ita ut *de facto* participet de aliquali vita interna Corporis Ecclesiae. Aliis verbis, ad rationem membri Ecclesiae *sufficit:*

In i.a, ut sit velut palmes non inhaerens, sed mere adhaerens viti;

In 2.", ut sit velut palmes inhaerens viti, quamvis iam sit aridus;

In 3.", ut sit velut palmes inhaerens viti, et de aliquali eius succo fruens.

1039. Scholion 2. *Mens Theologorum de Ecclesia sensu lato et sensu stricto.* S.Thomas loquitur de Ecclesia duplici hoc sensu intellecta.

1) *De Ecclesia in sensu lato haec praesertim docet* 29.

a) «Corpus Ecclesiae constituitur ex hominibus, qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius.»

b) «Patres antiqui pertinebant ad idem Corpus Ecclesiae ad quod nos pertinemus, quia ferebantur in Christum per fidem et dilectionem eandem, qua et nos in Ipsum ferimur.»

27 R.Bil1armiso, *De Ecclesia milit.* l.3 c.10, obic. quarto, resp. ad primum: ed. Vivés, 2.343· Cf. I.3 c.z.

2' Suàrez, *De Fide* d.9 s.1 n.22; Bellarsuno, De *Ecclesia milit.* l.3 c.4.

S.Th.: *a)* 3 q.8 a.3: W 3 q-8a,3 ad 3;c> 3 q.8 a.3 ad 2; *d)* 2.29.43.5 ad 4; e; 2.2 q.t a.9 ad 3: *f)* 3 q.8 a.4 ad 2. De Ecclesia sensu lato vide etiam S.August., Enarrat, in *Psal 90,2.1 i R* 1479) et *De calech. rud.* c.3 n.6; c.19 n.33: ML 37.1159: 40,313-335: *De Civ. Dei* 18.51,2: X4L 41,614. Cf. Catechismuni *Conc.Tridentini,* In Symb. a.9 n.14: Y.Congar, *Ecclesia ab Abel:* Festschritf fur K.Adam (1952) p.79-108.

c) «Peccatores non sunt membra Christi... nisi forte imperfecte per fidem informem, quae unit Christo secundum quid et non simpliciter.»

d) «Fides informis est communis omnibus membris Ecclesiae.»

e) «Ecclesia per fidem unitur.»

f) «Ecclesia secundum statum viae est congregatio fidelium.»

2) *De Ecclesia in sensu stricto S. Thomas haec tenet 30:*

a) «Post adventum etiam Christi homines per fidem Christo incorporantur; sed alio signo manifestatur fides rei iam praesentis. Ad hoc autem datur Baptismus, ut aliquis per ipsum regeneratus incorporetur Christo factus membrum ipsius.»

b) «Per Baptismum homines Christo incorporantur.» Hoc est velut aliquod principium, quod ut tale saepe S.Thomas assumit ad arguendum.

c) «Baptismus ordinatur ad quandam spiritualem regenerationem, qua homo sit membrum Christi.»

d) «Si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necesse est eos baptizari, ut per susceptionem characteris Christo configurarentur et aliis membris Christi conformarentur.»

e) «Adulti prius credentes in Christum sunt ei incorporati mentaliter; sed postmodum cum baptizantur incorporantur ei quodammodo corporaliter, scilicet per visibile sacramentum, sine cuius proposito nec mentaliter incorporari potuissent.» Baptismi votum vel explicitum vel implicitum esse necessarium aperte docet S.Thomas.

1040. Suarez similiter loquitur de Ecclesia sensu lato et sensu stricto.

1) *De Ecclesia* in *sensu lato praecipua eius asserta haec sunt 31:*

a) «Ecclesia produci incepit in Adamo et Eva... Pars materialis corporis Ecclesiae sunt homines viatores... licet non omnes, ut de paganis liquet.»

b) «Eadem est Ecclesia ante et post Christum... quia unitas fidei in omni Ecclesiae statu eadem perseveravit.»

c) «Ante iustificationem potest homo esse unitus cum Christo, sed imperfecte et ut membrum mortuum», per fidem nempe et spem.

d) «Omnes qui fidem habent Ecclesiae membra sunt, qui vero ea carent extra Ecclesiam sunt.»

e) «Fides est forma quae unit Ecclesiae membra.»

f) «Ecclesia est congregatio fidelium, seu corpus morale ex hominibus veram fidem Christi profitentibus compositum.»

2) *De Ecclesia in sensu stricto haec Sudrez praesertim docet 32:*

a) «De Ecclesia secundum eum statum integrum, quem ex Christi institutione habet loquitur Conc.Florentinum cum vocat Baptismum spiritualem ianuam, per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae» (D 696). «Nullus est intra hanc Ecclesiam nisi baptizatus.»

b) «Per Baptismum efficimur membra Christi et Ecclesiae et capaces aliorum sacramentorum.» «Baptizatus est Christo et Ecclesiae incorporatus.»

S.Th.: *a)* 3 q.68 a.i c et ad 1; *b)* 3 q.68 a.4; a.5 c ct ad 1: q.69 a.2 c et ad 1; *c)* 3 q.62 a.2;q.69 a.6; *d)* 3 q.68 a.i ad 3; *e)* 3 9-69 a.5 ad 1; a.4 ad 2. Cf. 1 q.117 a.2 ad 1.

31 F.Suàrez: *a) De Fide d.9* s.2 n.3; s.i n.3 et 5; W De *Fide* d.9 s.i n.18; s.4 n.6; *c) In 3* q.69 d.28 s-3 n.12; *dj De Fide* d.9 s.i n.5: *e) De Fide* d.9 s.i n.18 et 24; *f) De Fide* d.9 s.i n.3; s.2 n.3. De Ecclesia ab Abel, cf. Concar, l.c. nota 29, et S.Tromp, Corpus *Christi quod est Ecclesia* (1946) 122-128.

32 F.Suarez: *a) De Fide* d.9 s.i n.19 cf. n.17; d.12 s.4 n.22; *b) In 3* d.26 s.2 n.8; d.27 s.i n.8; d.ti s.i n.7; *c) In 3* d.26 s.2 n.4; d.27 s.3 n.7: *d) In 3* d.34 s.i n.2; *e) In 3* d.27 s.2 n.7.9s Certum ergo est Suârez requirere Baptismum ad hoc ut homo sit membrum Corporis Ecclesiae quam Christus instituit: De Fide d.12 s.4 n.22. De ortu Ecclesiae eiusque membris quid actum fuerit in Vaticano, cf. J.Bevmer, *EkMesiologische Frage aufden Vatican:* MünchThZt s (•954) 336-345·

«Baptismo datum est ut ianua ad ingrediendum Christi Ecclesiam et participanda alia eius sacramenta.» Haec et similia exprimunt aliquod velut principium ex quo saepissime arguit Suârez.

c) «Baptismus facit hominem membrum Christi.» «Solus Baptismus est regeneratio in Christo et ianua ingrediendi Ecclesiam; et sicut Ecclesia una est, ita unus est regenerationis modus.»

d) «Per characterem baptismalem consignatur homo ut sit Ecclesiae membrum et capax sacramentorum.»

e) «Sola fides non sufficit catechumeno ad gratiam consequendam, nec contritio illi sufficeret nisi votum Baptismi includeret.» «Baptismus est omnibus necessarius, quia omnes indigent incorporari Christo eiusque charactere consignari.» Ulterius Suarez probat Baptismi votum vel exphcitum vel implicitum esse adultis necessarium: «Aliqui dicunt, propositionem illam: Extra Ecclesiam non est salus, intelligendam esse de generali Ecclesia, prout fuit semper, et non de sola Ecclesia, prout specialiter est a Christo instituta; sed non placet responsio... Melius ergo respondendum: nemo salvari potest nisi hanc Christi Ecclesiam vel in re vel in voto saltem et desiderio ingrediatur. .. Estque manifestum, quia nullus est in re ipsa intra hanc Ecclesiam nisi baptizatus sit, et tamen salvari potest; quia sicut illi sufficit votum baptismi, ita etiam votum ingrediendi Ecclesiam.»

1041. M.Cano intelligi bene potest iuxta hanc distinctionem Ecclesiae latiori sensu vel restrictiori sumptae, cum scribit: «Intelligendum est Ecclesiam dupliciter posse dici. Primum eam, quam fidelium omnium ab initio mundi usque in finem congregatio conficit, quomodo D.Thomas de Ecclesia loquitur 3 q.8 a.3, illique omnes, qui esse nunc eandem Ecclesiam dicunt, quae fuit in populo iudaeorum. In quem sensum Catechumeni sunt membra Ecclesiae verissima, non Baptismi sacramento, sed fide, quae omni tempore populum Dei ab infidelium coetibus discriminavit. Deinde et ea Ecclesia dicitur, quae in Christi nomine per Baptismum cogitur, qui et fidei sacramentum est, et proprie Ecclesiae membra partesque facit. Huius Ecclesiae nec Catechumeni partes sunt, et illi omnes sunt partes, qui a Baptismo Christi characterem habent». De Ecclesia sensu lato loquitur etiam Molina 33.

1042. Obiectiones 34. i. Ante Baptisma multi habent fidem. Atqui fide pertinent ad Ecclesiam, quae est societas fidelium. Ergo Baptisma non requiritur ad constituendum Ecclesiae membrum.

Conc. mai. Dist. min. Qui habent fidem et quidem caritate perfectam pertinent ad Ecclesiam voto, *conc. min.;* pertinent ad Ecclesiam re. *subdist.:* pertinent re ad Ecclesiam sensu lato, *trans.;* sensu stricto, ad eam nempe Ecclesiam quae a Christo in Apostolis instituta est, *nego.* Pariter dist. cons. Baptisma re susceptum non requiritur ad constituendum Ecclesiae membrum voto, *conc. cons.;* ad constituendum Ecclesiae membrum re, *subdist.:* Ecclesiae sensu lato, *trans.;* sensu stricto, *nego.*

2. Instas: Saltem catechumeni pertinent ad Ecclesiam. Ergo saltem pro eis Baptisma non requiritur.

Dist. *antec.* Catechumeni pertinent ad Ecclesiam ut eius membra, *nego antec.;* ut Ecclesiae subiecti, subdist.: tamquam subditi in quos Ecclesia iurisdictionem habeat, *nego;* ut ad Ecclesiam obligati, et quia voluntarie se

M.Cano, *De locis* I.4 c.2 resp. ad obiect; L.Molina, Concordia, p.3 q.i4a.i3 d. 46 n.18, Ed. Jo.Rabeneck (1953) P283.

14 Kilber, n.gt; De San, n.367-374; Van Laak, 187-193; Dorsch, 492-494: De Ou*. Bert, ŋ.190.

submittunt condicionibus requisitis ad Baptismum Ecclesiae suscipiendum, *conc.* Pariter *dist. cons.* Baptisma non est necessarium catechumenis ut catechumeni sint, *conc. cons.;* ut subditi et membra Ecclesiae sint, *nego cons.*

1043. 3. «Eadem est Ecclesia ante et post Christum» (Suârez, *De fide,* d.9 s.i n.18). Atqui ante Christum natum Ecclesiae membra constituebantur sola fide. Ergo non Baptismo sed sola fide membra Ecclesiae constituuntur.

Dist. mai. Ecclesia sensu latiori seu spiritualiter intellecta, de complexu nempe omnium divinitus evocatorum ad aliqualem unionem cum Christo sive venturo sive qui iam advenit, *trans.* Ecclesia visibilis sensu stricto intellecta «secundum eum statum integrum quem ex Christi institutione habet» (Suârez, l.c., n.19), *nego.* Contradistincta *minore, nego* consequens et consequentiam.

4. Non solum spiritualiter, sed etiam visibiliter «ad idem corpus Ecclesiae Patres antiqui (V.T.) pertinebant ad quod nos pertinemus» (S.Th. 3 q.8 a.3 ad 3). Atqui ad Ecclesiae corpus Patres antiqui pertinebant per solam fidem. Ergo Baptismus non requiritur ad constituenda corporis Ecclesiae membra.

Dist. mai. Ad idem corpus Ecclesiae sensu latiori intellectum de iis «qui ferebantur in Christum per fidem et dilectionem eandem, qua et nos in Ipsum ferimur» (S.Th., l.c.), trans. Sensu strictiori intellectum de sociali coetu supernatural! et visibili a Christo in Apostolis instituto, ut «Ipsi incorporemur quodammodo corporaliter per visibile sacramentum» (S.Th. 3 q.69 a.5 ad 1), *nego.* Contradist. *min., nego* consequens et consqam.

5. Iuxta S.Paulum, corpus Ecclesiae et mysticum Christi Corpus adaequate inter se convertuntur (1 Cor 12,27; Eph 1,22s.; 4,4; 5,25-30). Ergo corporis Ecclesiae membra sunt iidem qui sunt membra Corporis mystici. Atqui iuxta S.Paulum (Eph 4,15s; Col 2,19) membra mystici Corporis sunt ii omnes qui cum Christo uniuntur aliquali gratia interna, id est, saltem gratia fidei, quam in eos ut Caput influit Christus. Ergo corporis Ecclesiae membra sunt ii omnes qui saltem fidem internam habent, etsi Baptismum non receperint.

Concessis antecedente et primo consequente, *dist.* min. Membra mystici Corporis sunt ii omnes qui cum Christo uniuntur aliquali gratia per visibiles sacramentorum et ministrorum Ecclesiae «iuncturas subministrationis» collata, prout Paulus effert (Eph 4,11-16), *conc.* Per nudam gratiam internam fidei, *nego.*

1044. 6. Baptismus ut validus est invisibilis. Ergo Baptismus ut validus non requiritur ad constituendum Ecclesiae visibilis membrum.

Dist. *antec.* Baptismus reduplicative qua validus est invisibilis, *trans, antec.;* Baptismus specificative qui validus est invisibilis, subdist. ; inadaequate, *conc.;* adaequate, *nego.*

7. *Instabis:* Quod Baptisma, rite collatum infanti, sit specificative validum, pendet tantum ab intentione Ministri. Atqui intentio Ministri est adaequate invisibilis. Ergo et Baptisma infantis specificative validum est adaequate invisibile.

Conc. mai. Dist. min. Intentio Ministri est adaequate invisibilis in Baptismo rite collate sed invalido, *conc. min.;* in Baptismo rite collate et valido, *subdist. :* intentio Ministri est adaequate invisibilis per accidens et immediate, *trans.; per se* et mediate, *nego.*

In Baptismo *rite et valide* collate, intentio Ministri in conferendo ritu, qui significat id quod efficit, ita per se includitur in ipsa actione humana coi-

lationis ritus, ut in virtute eiusdem intentionis ipse ritus externus ponatur; unde ipsa Ministri intentio per se et mediate visibilis est in ipso ritu actione humana posito; quemadmodum mens loquentis per se et mediate fit sensibilis in loquela, quamvis per accidens et immediate sit invisibilis. In utroque autem casu visibilitas per se et mediata sufficit. «In verbis, quae proferuntur, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit, nisi contrarium exterius exprimatur» (S.Th., 3 q.64 a.8 ad 2).

In Baptismo autem rite *sed invalide* collate, invaliditas pendet tantum ab intentione *restrictiva,* qua Minister positive impedire intendit ne signum sensibile efficiat id quod per se significat. Haec autem restrictiva intentio est *adaequate invisibilis,* et non nisi per exceptionem datur.

ARTICULUS III

Causae quae baptizatum ab Ecclesiae corpore separant

Thesis 26. Haereticus, apostata et schismaticus ipso facto; excommunicatus vero legitima auctoritate ab Ecclesiae corpore separantur.

1045. S.Rob.Bellarmino, *De Eccl.milit.* l.3 c.4-6; Franzelin, th.22-23; Wilmers, th.in-114; De San, n.338-344, 360-374; Straub, th.33-34; Muncunill, n.637-653; Billot, th.11-12; D'Herbigny, th.32; Dieckmann, η.960-961; Dorsch, p.488-499; De Guibert, th.21; S.Fraghi, *De membris Ecclesiae (1937);* Stolz, p.27-34; Vellico, th.14; Journet, 2, p.1056-1081; Sauras, *El Cucrpo mistico* p.616-631; Zapelena, 2 (1954) 389-397; LRahner, *Die Zugehoiigkeit zur Kirche nach der Encycl. «Mystici Corporis»:* ZkathTh 69 (1947) 129-188.

1046. Nexus. In praecedenti thesi vidimus Baptismum membra corporis Ecclesiae constituere. Iam vero, Baptismus characterem animae indelebilem imprimit neque proinde iterari potest; unde quaeritur, utrum etiam ratio membri Ecclesiae sit inamissibilis, an aliquae dentur causae quibus baptizati ab Ecclesiae corpore separari possint. Huic quaestioni respondet haec thesis.

1047. Notiones. *Membri* notio iam in praecedenti thesi explicata est.

Haereticus est ille qui post receptum Baptismum pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat.

Apostata vero appellatur ille qui post receptum Baptismum pertinaciter a fide christiana totaliter recedit [1]. Divisiones quae sequuntur *de haeretico* eaedem valent omnino de apostata.

Haereticus materialis est ille qui veritatem fide divina et catholica credendam denegat quidem, sed ex ignorantia in-

1 S.Th., 2.2 q.u a.2 ad 3: CIC 1325 § 2.

vincibili vel ex errore bona fide accepto. *Bona fides* in errante est iudicium prudens quo errans censet se non errare, sed contra, veritati adhaerere. *Haereticus formalis* est ille qui veritatem credendam denegat ex ignorantia vincibili vel ex errore mala vel dubia fide accepto.

Haereticus manifestus est ille cuius error aut dubium in fide, nulla tergiversatione celari potest. *Occultus* autem dicitur ille cuius error aut dubium in fide sufficienter celatus manet.

Haereticus publicus est ille qui alicui ex sectis haereticis aperte adhaeret. *Privatus* autem ille est qui nulli ex sectis haereticis aperte adhaeret.

De apostata eaedem divisiones et definitiones fieri possunt.

1048. *Schismaticus* est ille qui post receptum Baptismum subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat 2. *Schismaticus* potest etiam esse *materialis* aut *formalis, occultus* aut *manifestus, privatus* aut *publicus.* Huiusmodi autem varietatum definitiones eaedem sunt quas nuper de *haereticis* dedimus, supposito tamen conceptu *schismatici* in locum conceptus *haeretici.*

1049. *Excommunicatio* est censura seu poena qua homo baptizatus delinquens et contumax excluditur a communione fidelium, donec a contumacia recedens absolvatur. Appellari potest *formalis,* quae attingit hominem revera delinquentem et contumacem. Dici vero potest mere *materialis,* quae fertur in subiectum quod per invincibilem errorem censetur delinquens et contumax quin tale revera sit. Potest esse *totalis* vel *partialis* prout excommunicatum a fidelium communione excludat in omnibus vel solum in aliquibus bonis quae sub Ecclesiae iurisdictione cadunt. Bona autem supernaturalia *interna,* veluti gratia sanctificans et virtutes infusae, censura ipsa non auferuntur. *Vitandus* dicitur excommunicatus qui *nominatim* a Sede Apostolica exclusus est a communione fidelium, atque vel ab ipso iure vel publico decreto sententiave nominatim denuntiatus est *vitandus 3.*

Excommunicationem perfectam dicimus illam qua Sedes Apostolica proprie intendit hominem delinquentem et contumacem ab ipso Ecclesiae corpore separare. Ergo praeter privationem bonorum spiritualium quae sub Ecclesiae iurisdictione cadunt, excommunicatio *perfecta* ut propriam et charac-

2 S.Th., 2.2 q.39 a.i; CIC 1325 § 2.
3 CIC 2241 2257 2258 2343 § 1 n.i; S.Th., 4 d.18 q.2; Suarez, *De censuris* in communi, d.8 s.i n.177; F.X.Wernz, *Ius Decretalium* 6 n.145» 179-197·

teristicam sui rationem importat hanc *intentionem manifestam* separandi ab Ecclesiae corpore. Sed quia praevalens Ecclesiae intentio est «excommunicationem ad medelam et non ad interitum inducere»4, ideo si per contritionem ad gratiam et caritatem excommunicatus redierit, ipso facto excommunicatio eius desinit esse *perfecta,* quamvis iuridice revera maneat *excommunicatus vitandus* nec *licite* valeat participare de fidelium communione donec absolvatur 5.

1050. Ab unione cum Ecclesia consulto dicimus *separari* huiusmodi haereticos, apostatas, schismaticos et excommunicatos; quo significare volumus, haeresim, apostasiam, schisma et excommunicationem esse velut *obices* mere impedientes unionem. Quare ipsis ablatis, Baptismus, efficacia qua de se pollet ad homines Ecclesiae incorporandos, ipse sufficit ad unionem iterum instaurandam.

1051. Adversarii. *In specie* negant haereticos et schismaticos excludi ab Ecclesiae Corpore schismatici et protestantes omnes qui adhaerent theoriae *trium ramorum* Ecclesiae, vel doctrinas proprias *Panchristianorum* propugnant. Hi enim ad summum Baptismi necessitatem agnoscunt; in reliquis autem tenent, nullas condiciones ad pertinendum ad Ecclesiam esse statuendas, quibus ullo modo impediatur iusta libertas et aequale ius Ecclesiarum, quae semetipsas Christianas merito appellant: «Ecclesia est una, scripsit Zankow, et comprehendit omnes qui in Christo baptizati sunt; septa vero Ecclesiarum usque ad caelum non perveniunt»6. Accedunt *Irenistae,* quorum sententiam explicavimus n.1007.

1052. Sententiae Theologorum. Circa particularia puncta ulterioresque quaestiones, quae in hac re occurrunt relate ad baptizatorum separationem ab Ecclesia, Theologi catholici varias propugnant sententias, quarum praecipuas, informationis gratia, recensemus.

1) Membra corporis Ecclesiae *non esse haereticos formales et manifestos,* dici bene potest sententiam esse unanimem inter catholicos.

4 S.Th., *Suppi, q.23* a.i; *4* d.18 q.2 a.4 soî.T.

5 Iuxta S.Thomam, excommunicatio *minor* dicitur illa qua fideles «separantur tantum a participatione Sacramentorum»; *maior* vero appellatur illa qua baptizati separantur «et a participatione Sacramentorum et a communione fidelium»: S.Th., 4 d.18 q.2 a.l sol.i.

6 S.Zankow, *Das Orthodoxe Christentum* 75s: Hoc dictum «Die Scheidewände unter den Kirchen reichen nicht bis zum Himmel hinauf», attribuit Theologo ac Metropolitae Moskoviensi Philareto. Cf. F.Heiler, *Urkirche und Ostkirche* 227. Cf. *Etudes oecuméniques, Désordre de l'homme et dessein de Dieu* v.#-5 (i949)· De *Panchrisiianis* plura vide n.H26s.

a) Haereticos formales, sed *occultos,* non esse Ecclesiae membra, defendunt aliqui auctores, ut SuXrez, Molina, Billuart, Franzelin, Michelitsch, Stolz, Fraghi, Journet, Zapelena, aliique pauci. *Communior vero est sententia contraria* 7.

b) Haereticos *mere materiales,* etsi *manifestos, esse* Ecclesiae membra, propugnant Franzelin, De Groot, D'Herbigny, Caperan, Terrien, aliique pauci. Sententia vero contraria *communior* est8.

1053. 2) Membra corporis Ecclesiae *non esse schismaticos formales et manifestos,* est sententia fere uninamis inter catholicos 9.

a) Schismaticos formales, sed *occultos,* esse Ecclesiae membra, ab auctoribus catholicis communiter conceditur.

b) Schismaticos *mere materiales* et manifestos esse Ecclesiae membra, tenent auctores qui idem defendunt de haereticis mere materialibus et manifestis.

1054. 3) Membra corporis Ecclesiae non esse eos qui *excommunicatione perfecta* ab Ecclesia excommunicat! sunt, sententia est communis inter catholicos.

a) Ecclesiam velle quidem punire excommunicatione membra delinquentia, attamen de facto non intendere a corpore Ecclesiae separare excommunicatos, quamvis eos declaret vitandos, tenent D'Herbigny, Dieckmann, Spacil, Sauras, cum BAnez, Valentia, SuArez et Guarnieri >°.

b) Excommunicates *partiali excommunione* esse Ecclesiae membra, est sententia communis inter Theologos, qui etiam communiter tenent, haereticos et schismaticos *mere materiales et occultos* membra esse corporis Ecclesiae.

1055. Status quaestionis. Agimus de Ecclesia sensu *stricto,* seu de illa quae et quatenus a Christo instituta est, et

7 Haereticos occultos excludunt ab Ecclesia: I.de Turrecremata, Summo de Ecclesia l.4 pars 2 c.rS,3." via; F.Suàrez, *De Fide* d.9 s.t n.5.13.18; L.Molina, *Concordia,* p.3 q.t4 a.13 d.46 n.t8; C.R.Billuart, *De* regulis *fidei* dis.3 a.2 § 4; l.B.Franzelin, th.23; A.Michelitsch, § 202; S.Fracui. 90; A.Stolz, 32: Journet, 2, 1064; Zapelena. 2,389.

Haereticos occultos includunt in Ecclesia: M.Cano, *De locis* l.4 c.6 ad 12; Bellarmino, *De Ecclesia militante* l.3 c.io; Kïlber. n.93; Mazzella, n.605: Palmieri, § 11 n.6; Van Laak, .190; De San, n.35S-358; Wilmers, n.399: Pesch. *Praei.* l n.329: Tanquerey, n.903; Straub, n.1285; Billot, th.ti p.296: Muncunill, n.648; Felder. 45; Zubizarreta, n.397; D'Herbigny, n.350; Schultes, a.12; Dieckmann, n.961; Vellico, 543; Parente, 171; Hervé, n.453.

§ Haereticos materiales, etsi manifestos, includunt in Ecclesia: Franzelin, th.23; J.V.de Groot, *De Ecclesia* q.3 a.3; D'Herbigny, n.355: L.Caperan, *Le problème du salut des infidèles* (1912); J.B.Terrien. *La grâce et la gloire* l (1901) 33°.

Haereticos manifestos etiam materiales excludunt de Ecclesia: De San, n.359: Billot, th.11 p.296; Straub, n.ias4; Muncunill, n.653; Van Noort. n.153; Zubizarreta. n.397; Michelitsch, § 201; Dorsch, 495; Lercher, n.407; Dieckmann, n.961; De Guibert, n.187: Fraghl 85; Stolz, 31; Vellico, 540.

' Haereticos et schismaticos formales ct manifestos excludunt pariter de Ecclesia: Kilber, n.90; Franzelin, th.22: Van Laak. 189.191 ; Van Noort. n.i53s; Mazella. n.600.607; Tanquerey, 0.9035; Wilmers, n.397.400; Zubizarreta, n.399.403; Billot, th.12; Straub, η.1254.1268; Muncunill, 0.637.645; Michelitsch, § 201; D'Herbigny, th.32; Dieckmann, n.961; Schultes, a.12; De San, n.357s; Felder, 44: Lercher, n.407.410; Fraghi, 8i.iot; Stolz, 30.33; Vellico, 540.545; Parente, 171; Calcacno. n.288.

l° D.Bànez, In 2.2 q.i a.10: G.de Valentia, *De Fide* d.i q.i punct.7 § 14s; F.Suàrez, *De Fide* d.9 s.t n.5 et 14; A.F.Guarnieri, De *Ecclesia militante, Capite et* membris eiusdem l.i c.9 (1694) 35-37; D'Herbigny, n.350,3: Dieckmann, n.960; T.Spacil, *De membris Ecclesiae:* «Bogoslovni Vestnik· 6 (1926) 13; M.Pena, *¡Pertenecen los excomulgados a la Iglesia?:* RevEspT 5 (1945) 121-132. Ad hanc sententiam accedit A.Gommencinger, *Bedeutet di Exkommunikation Verlust der Kirchcngliedschaft?:* ZkathTh 73 (1951) 1-71, et E.Sauras, *El Cuerpo* mistico (1952) 629-631.

de iis qui non mere *putative,* nec solum *voto,* sed *re* membra Ecclesiae per Baptismum semel constituti sunt. Thesim dividimus in duas partes. *In* 1.a *dicimus:* haereticos, apostatas et schismaticos *formales et manifestos* ipso facto ab Ecclesiae corpore separari. *In* 2.8 *parte tenemus:* excommunicatos excommunicatione *totali, formali et perfecta,* seu hac intentione legitime lata, ab Ecclesiae corpore etiam separari.

Abstrahimus ergo ab ulterioribus quaestionibus, quae inter auctores catholicos disputantur, de haereticis, apostatis et schismaticis mere materialibus aut occultis; neque infitiamur Ecclesiae membra eos esse qui solum excommunicatione materiali, aut partiali, aut imperfecta puniti sunt.

1056. Doctrina Ecclesiae. Pars 1.8 *implicite definita* est in Concilii Florentini *decreto pro Iacobitis:* D 714. *De haereticis* autem et *apostatis* doctrinam nostram deducimus etiam ex formula fidei «Clemens Trinitas», ex can.23 Concilii Lateranensis II, et ex Bulla Pu IX *«Ineffabilis Deus»: D* 18 367 1641.

Pars 2.a, in qua tenemus, excommunicatos perfecta excommunicatione, quam Summus Pontifex decernere potest, ab Ecclesiae corpore separari, docetur tanquam *doctrina catholica* a Pio XII in *Encycl. «Mystici Corporis»:* AAS 35 (1943) 202s.

1057. Integram hanc thesim nostram docent aperte Pius XII et *Catechismus Concilii Tridentini* [1]

Pius XII scribit: «In Ecclesiae autem membris reapse ii soli annumerandi sunt, qui regenerationis lavacrum receperunt veramque fidem profitentur, neque a Corporis compage semetipsos misere separarunt, vel ob gravissima admissa a legitima auctoritate seiuncti sunt... Quamobrem qui fide vel regimine invicem dividuntur, in uno eiusmodi Corpore, atque uno eius divino Spiritu vivere nequeunt... Neque existimandum est Ecclesiae Corpus, idcirco quod Christi nomine insigniatur, hoc etiam terrenae peregrinationis tempore, ex membris tantummodo sanctitate praestantibus constare, vel ex solo eorum coetu exsistere, qui a Deo sint ad sempiternam felicitatem praedestinati... Siquidem non omne admissum, etsi grave scelus, eiusmodi est ut—sicut schisma, vel haeresis, vel apostasia faciunt—suapte natura hominem ab Ecclesiae Corpore separet».

In *Catechismo Concilii Tridentini* legimus:

«Tria tantummodo hominum genera ab Ecclesia excluduntur, primo infideles, deinde haeretici et schismatici, postremo excommunicati: ethnici quidem, quod in Ecclesia nunquam fuerunt..., nec illius Sacramenti participes in populi christiani societate facti sunt; haeretici vero atque schismatici, quia ab Ecclesia desciverunt, neque enim illi magis ad Ecclesiam spectant, quam transfugae ad exercitum pertineant, a quo defecerunt: non negandum tamen quin in Ecclesiae potestate sint, ut qui ab ea in iudicium vocentur, puniantur et anathemate damnentur. Postremo etiam excommuni-

11 Catechismiu *Concilii Tridentini* pars i de duodecim Symboli articulis, a.p, «Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam·, n.8, quinam ab Ecclesia excluduntur; Pius XII, *Encycl. •Mystici Corporis·:* AAS 35 (1943) 201s.

cati quod Ecclesiae iudicio ab ea exclusi, ad illius communionem non pertineant, donec resipiscant. De caeteris autem quamvis improbis et sceleratis hominibus, adhuc eos in Ecclesia perseverare dubitandum non est».

1058. Valor dogmaticus. *Prima pars,* de haereticis, apostatis et schismaticis, est *implicite definita,* praesertim in Concilio *Florentino:* D 714. *Secunda pars,* de excommunicatis excommunicatione perfecta, est *doctrina catholica,* praesertim ex verbis Encyclicae Pu XII *«Mystici Corporis»,* nuper a nobis citatis.

1059. Probatio. Pars i.a: Haeretici, apostatae et schismatici non sunt Ecclesiae membra.

Probatur argumento communi. Membra Corporis Ecclesiae visibilis *re* non sunt illi baptizati, qui formaliter et manifeste abruperunt sociale vinculum fidei vel regiminis a Christo ut essentiale in sua Ecclesia statutum. Atqui formales et manifesti haeretici, apostatae vel schismatici formaliter et manifeste abruperunt sociale vinculum fidei vel regiminis a Christo ut essentiale in sua Ecclesia statutum. Ergo haeretici, apostatae et schismatici formales et manifesti membra Corporis Ecclesiae visibilis re non sunt.

Ad mai. a) Sociale vinculum fidei et regiminis est a Christo ut essentiale in sua Ecclesia statutum, quia necessario includitur in potestatibus docendi et regendi, quas Christus ut essentiales in Ecclesia statuit, prout in thesi 3 probatum est.

Ad mai. b) Membra Corporis Ecclesiae visibilis re non sunt illi qui essentiale vinculum sociale formaliter et manifeste abruperunt, quia ex ipsa natura societatis hominum qua talis, illi desinunt esse membra corporis eius qui formaliter et manifeste essentiale aliquod vinculum sociale abrumpunt.

Ad min. Formales et manifesti haeretici, apostatae et schismatici formaliter et manifeste abrupisse essentiale vinculum sociale fidei vel regiminis Ecclesiae, constat ex ipsis notionibus. Ideo non sunt de Ecclesia, quae est *Congregatio fidelium,* quia schismatici non sunt *congregati* et haeretici non sunt *fideles.*

1060. *Confirmatur* eadem doctrina auctoritate testimoniorum SS.Patrum.

a) *De haereticis.* Tertullianus: «Si haeretici sunt, Christiani esse non possunt» (R 298). S.Hilarius: «Catholicus sum: nollo esse haereticus. Christianus sum, non Arianus». S.Hieronymus: «Haeretici in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes». S.Augustinus: «Praecidite vos a membris Ecclesiae, praecidite vos a Corpore eius. Sed quid adhuc dicam ut se ab Ecclesia segregent, cum hoc iam fecerint? Haeretici enim sunt;

iam foris sunt». Controversia de rebaptizandis haereticis, quae inde a medio saeculo III agitata est, supponebat ab omnibus agnitum, haereticos extra Ecclesiam esse 12.

b) *De schismaticis.* S.Cyprianus: «Quod vero ad Novatiani personam pertinet... scias nos primo in loco nec curiosos esse debere quid ille doceat, cum foris doceat. Quisque ille est et qualiscumque est, Christianus non est qui in Christi Ecclesia non est... Qui nec fraternam caritatem nec ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat amisit». S.Hieronymus: «Inter haeresim et schisma hoc esse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat; schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separet... Caeterum nullum schisma non sibi aliquam confingit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur». S.Augustinus; «Haeretici et schismatici congregationes suas ecclesias vocant. Sed haeretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant quae credimus. Quapropter nec haeretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, quoniam diligit Deum, nec schismatici, quoniam diligit proximum» (R 1562). S.Fulgentius: «Firmissime tene et nullatenus dubites, omnem extra Ecclesiam catholicam baptizatum participem fieri non posse vitae aeternae, si ante finem vitae huius Catholicae non fuerit redditus atque incorporatus Ecclesiae. Firmissime tene et nullatenus dubites, non solum omnes paganos, sed etiam omnes iudaeos et omnes haereticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam catholicam praesentem finiunt vitam, in ignem aeternum ituros» (R 2274 2275). Pelagius I: «Noli catholicam semper mentem aliqua schismaticorum communione polluere. Unum Christi Corpus, unam constat esse Ecclesiam... noster Salvator edocuit: abscissum a vite palmitem nisi igni ad comburendum aptum esse non posse... Nec existimes illos vel esse vel dici Ecclesiam posse. Etenim cum, sicut diximus, Ecclesia una sit... nullam aliam esse constat nisi quae in apostolica est radice fundata»13.

1061. *Ratio* eandem doctrinam suadet; nam si haeretici et schismatici formales et manifesti Corporis Ecclesiae membra essent, actum esset de visibili Ecclesiae unitate et unicitate; quod repugnat. Ecclesia est *congregatio fidelium:* schismatici desinunt esse *congregati,* haeretici desinunt esse *fideles.*

1062. Probatur 2.a pars. **Excommunicatos nempe excommunione perfecta non esse Corporis Ecclesiae membra.**

a) *De iure.* Ius est Ecclesiae faciendi ut excommunicati excommunione perfecta iam non sint Corporis Ecclesiae membra. Hoc deducimus e Mt 18,15-18. Nam ex contextu imme-

12 Tertullianus, *De praescriptione* n.37: ML 2.50: S.Hilarius, *Ad Constantium Augustum:* ML 10,558; S.Hieronymus, *In epist. ad Tit.* c.3 v.io: ML 26,598; S.Augustinus, *Sermo* 181: ML 38,981; *De quaestione Baptismi haereticorum* cf. D 46s cum notis, nccnon R 308 591 592a 593 600 1636 2273; S.Ambrosius, «Omnes quoque haereticos et schismaticos a Regno Dei et ab Ecclesia intellige separatos», in Lc.11,24, I.7, n.95: ML 15,1723.

13 S.Cyprianus, *Epist.* 55 ad *Antonianum* n.24: ed. Hartel: CSEL 3,642; S.Hieronymus, *In epist. ad Tit. c.3 v.io: ML* 26,598; S.Augustinus, *De Fide et Symbolo* c.io n.21: ML 40.193: S.Fulgentius, *De Fide ad Petrum* C.37S n.?8s: ML 65,703s; Pelagius I, *Epist. ad Ioan. Patricium:* ML 69,411.

diato patet, in hoc loco praecipue agi de correctione fidelium delinquentium necnon de facultate Ecclesiae data separandi contumaces a communitate ecclesiastica per sententiam iudicialem 14. Unde sic arguo: Apud Mt 18,18, potestate ligandi et solvendi datum est Ecclesiae ius separandi peccatores contumaces a communitate ecclesiastica per sententiam iudicialem, vi cuius fiant sicut ethnici et publicani. Atqui huiusmodi separatio est excommunicatio perfecta qua fit ut peccatores contumaces iam non sint Corporis Ecclesiae membra. Ergo'ius est Ecclesiae faciendi ut excommunicati excommunione perfecta iam non sint Corporis Ecclesiae membra. *Mai.* eruitur ex ipso analysi textus Mt 18,18 in contextu versuum Mt i8, 15-17. *Min.* patet, quia si excommunicatione fit ut peccatores sint sicut ethnici et publicani, ergo aliis verbis fit ut iidem iam non sint Corporis Ecclesiae membra.

Confirmatur eadem doctrina *velut a priori.* Nam Ecclesiae, quae vera et propria hominum societas est, negari nequit ius, quod omni hominum societati competit, plene videlicet eiciendi e Corpore sociali delinquentes, qui bono communi sociorum grave nocumentum afferunt. Hoc autem est ius excommunicandi eos excommunicatione perfecta, qua Ecclesia decernit delinquentes a suo Corpore separare.

1063. b) *De facto.* Excommunicatio perfecta de facto erit illa in cuius decreto aperte constet, Ecclesiam revera intendere a suo Corpore excommunicatum separare. Nam prout ait S.Thomas, «Excommunicatio quaedam poena est et medicinale remedium» 15. Iam vero, *qua poena* supponit verum ligamen morale subsistens inter Ecclesiam et delinquentem; *qua medicinalis* autem non proprie intendit mortem, sed potius sanationem delinquentis. Hanc indolem *poenae medicinalis* induit omnis excommunicatio iure vigenti statuta (cf. CIC 2257s. 2241). Certum quidem est excommunicationem quamlibet spiritualibus Ecclesiae bonis delinquentem privare, et animam eius non externe dumtaxat, sed etiam interne obligare (D 763 1546). Attamen quia «Ecclesia excommunicationem ad medelam et non ad interitum inducit» 16, ideo suapte natura non quaelibet excommunicatio ab ipso Ecclesiae Corpore separat. Separare autem de facto potest ex intentione Ecclesiae, secundum ius quod ipsi ad hoc faciendum competere probavimus.

De facto igitur probe videndum est, utrum Ecclesia excommunicatione intendat peccatorem ab ipso suo Corpore eicere,

14 Strack-Billerbeck, *Kommentar zum Neuen Testament aus Talmud und Midrasch* I, *Das Evang. nach Matth.* i6,iq. Cf. th.3 0.1353.

15 S.Th., *Suppi,* q.22 a.6 sed contra; cf. H.Dieckmann, *De Ecclesia 0.960*.* A.Gommenqinger, *Bedeutet die Exkonimunikation Verlust der Kirchenglicdschaft?:* ZkathTh 73 (1951) 1-71.

16 S.TH., *Suppi,* q.23 a.i; 4 d.18 q.2 a.4 sol.x.

an solummodo eum vel tamquam aegrotum sanare vel tamquam delinquentem punire ut a contumacia recedat. Excommunicationem perfectam de facto decerni dicendum est, cum ex eius decreto aperte constet, Ecclesiam revera intendere a suo Corpore excommunicatum separare.

De facto haec Ecclesiae intentio separandi excommunicatum ab ipso suo Corpore, saepe agnita est, prout testimonia quae sequuntur comprobant.

S.Cyprianus: «Spiritali gladio superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia eiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum Domus Dei una sit et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit». Origenes: «Non solum per Apostolos suos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum, sed etiam per eos qui Ecclesiae praesident, et potestatem habent non solum solvendi sed et ligandi, traduntur peccatores in interitum camis, cum pro delictis suis a Christi Corpore separantur... et per Sacerdotes de Ecclesia pelluntur». S.Ambrosius: «Bonus itaque Doctor... venit in virga, quia a communione sacra convictum removit. Et bene dicitur tradi Satanae, qui separatur a Christi Corpore... Nam et sequestrare oportet graviter lapsum, ne modicum fermentum totam massam corrumpat». S.Gregorius: «Nihil vobis cum illo commune sit, sed a familiaritate et communione vestra per omnia segregandus est. Nam... melius est de ovili dominico morbosam ovem eicere, quam unius vitio sanas amittere»17.

1064. *De facto* haec eadem intentio separandi excommunicatum ab ipso Ecclesiae Corpore, videtur includi in formulis maximarum excommunicationum.

Conc.Arausicantim I, anni 441: «Modus et forma excommunicationis... Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei et iudicio Sancti Spiritus, a gremio Sanctae matris Ecclesiae et a consortio totius Christianitatis eliminamus, quousque resipiscant et Ecclesiae Dei satisfaciant». S.Gregorius VII: «Stephanum Ecclesiae invasorem et simoniacum... excommunicavimus et a gremio Sanctae Ecclesiae separavimus». «Silvium Ducem et populum Venetiae... extra consortium membrorum Christi et Ecclesiae facti estis sectantes et recipientes eos qui pro suis sceleribus excommunicat! sunt». *Pontificale Romanum:* Citatis verbis Mt 18,8; 1 Cor 5,11-13; 2 Io ios, pergit: «Dominica itaque atque Apostolica praecepta adimplentes, membrum putridum et insanabile, quod medicinam non recipit, ferro excommunicationis ab Ecclesiae Corpore abscipdamus, ne tam pestifero morbo reliqua Corporis membra, veluti veneno inficiantur... Idcirco eum cum universis complicibus fautoribusque suis, iudicio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, et beati Petri Principis Apostolorum, et omnium Sanctorum, necnon et mediocritatis Nostrae auctoritate et potestate ligandi et solvendi in caelo et in terra Nobis divinitus collata, a pretiosi Corporis et Sanguinis Domini perceptione, et a societate omnium Christianorum separamus, et a limitibus sanctae matris Ecclesiae in caelo et in terra excludimus, et excommunicatum

17 S.Cyprianus, *Epist. 4. ad* Pomponium n.4: ed. Hartel: CSEL 3,477: Origenes, *In lib. iudic. homil.* 2 n.$: MG 12,961; S.Ambrosius, *De Poenitentia* 1.i c.15 n.78s: ML 16,510: S.Gregorius I, Epist. 74 ad *Eusebittm Thesalon- Episcopum:* ML 77,1213s.

et anathematizatum esse decernimus; et damnatum cum diabolo et angelis eius et omnibus reprobis in ignem aeternum judicamus; donec a diaboli laqueis resipiscat, et ad emendationem et paenitentiam redeat, et Ecclesiae Dei, quam laesit, satisfaciat, tradentes eum Satanae in interitum camis, ut spiritus eius salvus fiat in die iudicii (r Cor 5.5)»1819

Decreta explicita Summi Pontificis quibus nominatim fit excommunicatio. Pius X: «Supra nominatos Sacerdotes... auctoritate omnipotentis Dei excommunicamus, anathematizamus atque ab Ecclesiae communione segregatos ac prorsus schismaticos habendos et a Catholicis universis vitandos esse praecipimus et solemniter declaramus». Sub Pio XI, *Sacra Congregatio Sancti Officii,* «de expresso Ssmi.Domni. Nostri Pii div. Prov. Pp. XI mandato, solemniter declarat atque edicit, praefatos Sacerdotes... nominatim ac personaliter excommunicatione mulctari, e gremio sanctae Dei Ecclesiae penitus eici, omnibus publice excommunicatorum plecti poenis, vitandos esse atque ab omnibus fidelibus vitari debere» 1«.

1065. Scholion. *Ratio subditi differt a ratione membri Ecclesiae.*

Baptizatus manet semper Ecclesiae *subditus,* iuxta edictum CIC cn.87, prout concluditur ex S.Thomae doctrina: «Quia character baptismalis, quo quis populo Dei annumeratur, est indelebilis; ideo semper remanet baptizatus aliquo modo de Ecclesia; et sic Ecclesia semper de ipso iudicare potest» 20. Attamen Corporis Ecclesiae *membrum* dici simpliciter nequit baptizatus qui sit haereticus vel apostata vel scliismaticus vel excommunicatus, quemadmodum in thesi probatum est. Quare ratio subditi Ecclesiae differt a ratione membri Corporis Ecclesiae; adeoque merito concludere licet cum Heriberto Episcopo regiensi in Aemilia e saeculo XI: «Unum quippe Corpus est tota sancta universalis Ecclesia, sub Christo lesu, suo videlicet Capite, constituta... Et sicut est una anima, quae diversa corporis membra vivificat, ita totam simul Ecclesiam unus Spiritus Sanctus vegetat et illustrat... Istud est Corpus extra quod non vivificat Spiritus... De hoc Spiritu non vivit haereticus, non vivit schismaticus, non vivit excommunicatus; non enim sunt de Corpore. Ecclesia autem Spiritum vivificantem habet, quia Capiti suo Christo inseparabiliter adhaeret» 21.

1066. Obiectiones. 1. Haeretici, schismatici et excommunicat! quilibet iudicio Ecclesiae semper subiacent (CIC 87). Atqui iudicio Ecclesiae subiacent tantum ii qui intra Ecclesiam sunt (D 895). Ergo haeretici, schismatici et excommunicat! quilibet sunt Ecclesiae membra.

Dist. mai. Iudicio Ecclesiae subiacent ideo quia semper Ecclesiae subditi manent, *conc. mai.;* ideo quia membra Ecclesiae sunt, nego mai. *Contradist. min.* Iudicio Ecclesiae subiacent tantum ii qui Ecclesiae subditi sunt, *conc. min.;* tantum ii qui Ecclesiae membra sunt, nego min. Omnes enim qui membra Ecclesiae sunt, etiam eiusdem Ecclesiae sunt subditi; sed non omnes Ecclesiae subditi eo ipso sunt eius membra.

2. Ex Mt 13,24-30 cum Mt 13,36-41; ex 2 Tim 2,20; ex 1 Cor 3,11-17; ex i Cor 15,12, et ex aliis Scripturae locis, aliqui, innixi in interpretationi-

1* *Conc.Arausicanum* I: Msi 6.441; S.Gregorius VII, *Epist.* 18 *ad Canonicos anicienses:* ML 148.472: *Epist.* 27 *ad Domn. Silvium Ducem et populum Venetiae:* ML 148,483: *Pontificale Romanum, Ordo excommunicandi* 3. Anathema seu solemnis excommunicatio pro gravioribus culpis.

19 Pius X: AAS 3 (tqti) 54: Pius XI: AAS 14 (1922) 593·

20 S.Th., *Suppi,* q.22 a.6 ad 1. Cf. CIC 87.

2J S.Grbgorio I tribuebatur «Expositio in septem Psalmos paenitentiales» (ML 79,602), quae tamen auctorem habere videtur Heribertum. iuxta A.Mercati, *L'autore della •Expositio in septem Psalmos paenit.·:* RevBén 31 (1914-1919) 250-257. Cf. O.Bardenhewer, *Geschichte der altkirchlichen Literatur* 5 (1932) 299·

bus aliquorum Sanctorum Patrum, inferre conantur, haereticos et schismaticos, iuxta haec Scripturae testimonia, esse Corporis Ecclesiae membra.

Tamen ex obvio textuum et contextuum sensu, in locis citatis, vel non agitur de haereticis et schismaticis formalibus et manifestis, vel non asseritur eos esse praecise *membra* Ecclesiae prout ratio membri differt a ratione *subditi* Ecclesiae, vel non est sermo de Ecclesia sensu stricto prout est visibile Corpus sociale.

1067. 3. Saltem durante sic dicto *Schismate Occidentali* (1378-1417), dabantur factiones vel sectae schismaticae, quae tamen plures ad eandem Christi Ecclesiam pertinebant. Ergo schisma non ipso facto ab Ecclesiae corpore separat.

Resp. Nego suppositum, illud nempe fuisse schisma ab Ecclesiae Corpore separans. Nam durantibus illis disceptationibus, quibus omnes conabantur detegere, quisnam revera esset legitimus S.Petri successor ut ei omnes debitam praestarent oboedientiam, non dabatur *schisma formale seu* ex animo secessionis profluens, immo nec *materiale proprie dictum schisma* dabatur, prout latius explicamus in Scholio ad thesim 31, n. 1278-1283.

4. Schismaticus formalis et manifestus, qui non sit formaliter haereticus, potest esse Christo unitus fide, spe informi, dolore attritionis et amori initiali. Atqui his principiis supematuralibus homo actu unitur Corpori Christi mystico. Ergo schismaticus formalis et manifestus non est ipso facto ab Ecclesiae corpore separatus.

Conc. mai. Dist. min. Talibus principiis supematuralibus Corpori Christi mystico unitur homo in quo non sit abruptum aliquod ex tribus essentialibus vinculis fidei, regiminis et sacrorum communionis, quibus membra ut talia uniuntur Capiti in Corpore mystico, *conc.* Homo in quo est abruptum aliquod ex tribus essentialibus vinculis quibus membra ut talia in Corpore mystico uniuntur, *nego.* Et sub his distinctionibus negatur consequens et consequentia.

5. Excommunicatus etiam vitandus, qui non sit formaliter haereticus vel schismaticus, potest esse perfecte Christo unitus etiam gratia et caritate 22. Atqui baptizatus qui sit perfecte Christo unitus etiam gratia et caritate, est actu membrum mystici Corporis seu Ecclesiae. Ergo excommunicatus etiam vitandus non est a Corpore Ecclesiae revera separatus.

Dist. mai. Excommunicatus excommunicatione partiali, vel mere materiali, vel imperfecta potest esse perfecte Christo unitus gratia et caritate, *conc.;* excommunicatione totali, formali et perfecta, neg„. Concessa min. pariter distingui potest consequens et negatur consequentia.

22 Cf. E.Sauras, *Ei Cuerpo mtstico* (1952) 629-631.

ARTICULUS IV

Sanctitas et praedestinatio non sunt de ratione membri Ecclesiae

Thesis 27. Neque omnes neque soli, sive praedestinati sive iusti, Corporis Ecclesiae membra sunt.

1068. R.Bellarmino, *De Ecclesia militante* l.3 c.7-9; F.Suarez, *De Fide d.g* s.i n.6-12; Billot, *De Ecclesia* th. 13; D'Herbigny, *De Ecclesia* ŋ.346: Dorsch, *De Ecclesia* Ass.28s; De Guibert, *De Ecclesia* n.176; Lercher-Schlagenhaufen, th.39; A.Stolz, *De Ecclesia* c.3; Schultes, *De Ecclesia* a. 12; S.Fraghi, *De membris Ecclesiae* c.2.

1069. Nexus. Probavimus thesibus 25 et 26 homines Baptismo constitui Corporis Ecclesiae membra; attamen non absolute membra sunt sed hypotetice, nisi nempe ipsi baptizati aut ex parte sui haeresi vel schismate a Corpore Ecclesiae semetipsos excludant, aut ex parte Ecclesiae excommunicatione perfecta excludantur. Nunc quaerimus, utrum ex parte Dei aliquid ulterius requiratur necne. Fideles optime a S.Petro appellati sunt genus *electum, gens sancta* (1 Petr 2,9), quod dictum perperam interpretati sunt Protestantes. Quare contra eos in thesi asserimus, praedestinationem et sanctitatem nec requiri nec sufficere ad constituenda Corporis Ecclesiae membra.

1070. Notiones. Praedestinati sunt illi qui inde ab aeterno a Deo praeordinati in aeternam salutem, eam aliquando de facto obtinebunt.

Iusti sunt illi qui actu in statu gratiae sanctificantis reperiuntur.

1071. Status quaestionis. Non omnes sive praedestinati sive iusti sunt Ecclesiae membra. Hoc 1.° asserto dicimus, dari posse praedestinatos et iustos, qui tamem non sunt Corporis Ecclesiae membra; ergo praedestinationem et iustitiam non sufficere ad constituenda Corporis Ecclesiae membra.

Non soli sive praedestinati sive iusti sunt Ecclesiae membra. Hoc 2.0 asserto dicimus, posse dari non praedestinatos et peccatores, qui tamen sint Corporis Ecclesiae membra; ergo praedestinationem et iustitiam non requiri ad constituenda Corporis Ecclesiae membra.

1072. **Adversarii.** A. *Praedestinatione* sola constitui Ecclesiae membra, tenent: Ioannes Wicleff, asserens «praescitum esse membrum diaboli»: D 588, et in suo tractatu *De Ecclesia* hanc thesim statuit: «Ecclesia secundum partem peregrinantem non habet aliquem praescitum partem sui, sicut non habet secundum partem triumphantem» Ioannes Hus eundem errorem docuit: «Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas», et iterum: «Praescitus nunquam est pars sanctae Ecclesiae; et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae»: D 627-629 631s.647. Calvin et *Calvinistae:* «Quid est Ecclesia? Corpus ac societas fidelium quos Deus ad vitam aeternam praedestinavit» [1].

1073. B. *Sanctitatem* vel iustitiam esse condicionem sine qua non sunt homines Corporis Ecclesiae membra, asseruerunt plures rigoristae et pessimistae inde a *saeculo II. Montanistae* ut veram Christi Ecclesiam solum agnoscebant suam «Ecclesiam Spiritus», quae membris integritate morali insignitis constabat; potestatem autem supra peccatores gravioribus delictis maculatos Ecclesiae denegabant: R 385-387. *Saeculo III Novatiani* semetipsos *Catharos* seu mundos appellabant, atque respuebant Ecclesiam illorum qui peccatores lapsos ad paenitentiam admittebant [3]. Inde a *saeculo IV Donatistae* docuerunt, veram non esse «eam Ecclesiam quae nunc habet permixtos malos»: R 1714; et ideo S.Optatus Parmenianum donatistam redarguebat dicens:

«Ecclesiam tu apud vos solos esse dixisti, quia vobis specialem sanctitatem de superbia vindicare contenditis, ut ubi vultis, ibi sit Ecclesia, et non sit ubi non vultis. Ergo ut in particula Africae, in angulo parvae regionis, apud vos esse possit; apud nos in alia parte Africae non erit?»[4]

Saeculo V similia tenuerunt *Pelagiani,* asserentes:

«Vitam iustorum in hoc saeculo nullum omnino habere peccatum et ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici... quasi non sit Christi Ecclesia, quae toto terrarum orbe clamat ad Deum: Dimitte nobis debita nostra»: R 1976.

1074. *Medio aevo,* saeculo nempe XIII *Waldenses,* catharismum Novatiani renovantes, administrationem sacramento-

1 J.Wicleff, *De Ecclesia* i: ed. Loserth (1886) 3.
2 J.Calvin, *Catechismus Ecclesiae genevensis:* ed. K.Müller, *Die Bekenntnisschrtften der reformirten Kirche* 125.
3 Eusebius, *Historia Ecclesiastica* l.6 c.43: MG 20,616.
4 S.Optatus Milevitanus, *De Schismate Donatistarum adversus Parmenianum* l.2 c.i: ML 11,941s; ed. C.Ziwsa: CSEL 26,32-33.

rum solum a sanctis concedebant fieri posse, licet ordinem presbyteratus non haberent, et peccatoribus, etsi vere paenitentibus, communicare recusabant: D 424. *Saeculo autem XIV Fraticelli* Donatistarum errores de sanctitate membrorum Ecclesiae propagaverunt: D 485 486.

Huiusmodi doctrinas amplexatus est *saeculo XVI* Luther scribens:

«Sanctam Christianorum Ecclesiam Communionem Sanctorum fides nominat... hoc est, eiusmodi communio in qua non nisi Sancti versantur... Credo in terris esse quandam Sanctorum congregatiunculam et communionem ex mere sanctis hominibus coactam, sub uno Capite Christo, per Spiritum Sanctum convocatam, in una fide, eodem sensu et sententia, multiplicibus dotibus exornatam, in amore tamen unanimem et per omnia concordem, sine sectis et schismatibus. Horum me quoque partem et membrum esse constanter credo». His similia profitetur *Confessio Augustana* 5.

1075. *Saeculo XVII* exeunte, iansenista Paschasius Quesnel docuit similia:

«Ecclesia sive integer Christus incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra». «Nihil spatiosius Ecclesia Dei: quia omnes electi et iusti omnium saeculorum illam componunt»: D 1422-1428.

Accedunt *saeculo XVIII Pistorienses,* qui ad Corpus Ecclesiae tantum «perfectos adoratores in spiritu et veritate» pertinere docebant: D 1515.

His adiunguntur nostris diebus ii quos in *Encyclica «Mystici Corporis»* gravi censura notavit Pius XII scribens:

«Funestum etiam eorum errorem dolemus atque improbamus, qui commentitiam Ecclesiam sibi somniant, utpote societatem quandam caritate alitam ac formatam, cui quidem—non sine despicientia—aliam opponunt, quam iuridicam vocant. At perperam omnino eiusmodi distinctionem inducunt» (AAS 35,224).

1076. Doctrina Ecclesiae. Iam erui potest ex verbis Pn XII nuper citatis, quibus addenda sunt ea quae in eadem *Encyclica* leguntur:

«Neque existimandum est Ecclesiae Corpus, idcirco quod Christi nomine insigniatur, hoc etiam terrenae peregrinationis tempore, ex membris tantummodo sanctitate praestantibus constare, vel ex solo eorum coetu exsistere, qui a Deo sint ad sempiternam felicitatem praedestinati» (AAS 35,203).

Conc.Vaticanum in Schemate i.° *Constitutionis de Ecclesia* proponebat:

5 Luther, *Catechismus maior:* ed. MCller-Kolbe, *Symbolische Bûcher der evang. luther. Kirche 456s; Confessio Augustana* a-7s; *Apologia Confessionis Augustanae:* ed. MDller-Kolbe, *Lc.,* 40,152. Cf. M.d'Herbigny, *De Ecclesia* n.6o.

«Visibile est totum Ecclesiae Corpus, ad quod non iusti tantum aut praedestinati pertinent, sed etiam peccatores, professione tamen fidei et communione cum eo coniuncti». Quae profecto doctrina graviori censura proponebatur definienda in Schemate 2.0 *Constitutionis de Ecclesia* eiusdem Conc. Vaticani: «Longe a fide recta aberrant ii, qui contendunt, non esse Ecclesiam fidelium coetum externum, sed invisibilem societatem iustorum aut praedestinatorum». Huic manifestae capitum doctrinae accedit «cn. 4: Si quis dixerit, Ecclesiam cui factae sunt promissiones divinae, non esse coetum fidelium externum et visibilem, sed spiritualem societatem praedestinatorum vel iustorum soli Deo cognitam, A. S.» 6.

1077. Valor dogmaticus. Doctrina theseos, ex damnationibus loannis Hus: D 627-629 631S.647, collato 661, Protestandum: D 838, et Pistoriensium: D 1515, dici saltem debet *theologice certa;* ex praeparatis decretis *Conc. Vaticani,* est *proxima fidei definitae.*

1078. Probatur 1) Argumento generali: *Si omnes et soli* sive praedestinati sive iusti essent Corporis Ecclesiae membra, Ecclesia esset nobis plane invisibilis. Atqui argumentis independentibus ab hac thesi probabimus Ecclesiam esse etiam distincte visibilem: th.28. Ergo nec omnes nec soli sive praedestinati sive iusti sunt Corporis Ecclesiae membra.

Mai. patet, quia omnimoda certitudine cognoscere non possumus quinam in Ecclesia sint praedestinati, quinam iusti, prout ex doctrina *Conc.Tridentini* eruitur: D 802 805s 825s. Ergo si soli praedestinati aut soli iusti essent Corporis Ecclesiae membra, scire prorsus non possemus quinam sint Ecclesiae fideles, quinam vero eorum Pastores, ac proinde Ecclesia esset nobis plane invisibilis, neque ab ullis exigi poterat oboedientia tamquam a fidelibus, neque ulli ius regendi sibi attribuere possent tamquam Pastores.

1079. Probatur 2) Argumentis particularibus. A. Non *omnes* sive praedestinati sive iusti sunt Corporis Ecclesia membra. Nam Baptisma re susceptum requiritur ad hoc ut quis sit Corporis Ecclesiae membrum, prout probavimus in th.25. Atqui non omnes sive praedestinati sive iusti re susceperunt Baptisma. Ergo non omnes sive praedestinati sive iusti sunt Corporis Ecclesiae membra.

Min. patet: a) *De praedestinatis,* quia tales sunt inde ab aeterno, Baptisma vero re suscipiunt in tempore; ergo ante susceptum Baptisma praedestinati non sunt Corporis Ecclesiae membra. *Min.* patet: b) *De iustis,* quia ante Baptisma *re*

6 *Conc.Vaticanum, Constitutio de Ecclesia* Schema i c.4: Msi 51.54i; Schema 2 c.5 et cn.4: Msi 53,3118.316.

susceptum multi homines omni tempore assequi potuerunt adeoque sine duhio assequuti sunt iustitiam per actus caritatis vel perfectae contritionis, prout erui facile potest ex i Io 4,7.16; Rom 13,9s; Mt 22,37-40; cf. D 1031-1033 1070s.

1080. B. *Non soli* sive praedestinati sive iusti sunt Corporis Ecclesiae membra. Nam Christus aperte docuit, intra suam Ecclesiam exsistere peccatores iustis mixtos, qui etiam in fine damnandi sunt, prout facile probari potest ex parabolis de sagena: Mt 13,47-50, de convivio nuptiali: Mt 22,2-14, et de virginibus: Mt 25,1-13; ergo intra Ecclesiae membra dantur etiam praesciti et peccatores; adeoque non soli sive praedestinati sive iusti sunt Corporis Ecclesiae membra.

1081. C. *In specie* peccatores numerari intra Corporis Ecclesiae membra, necessario includitur in facto quo Christus Paenitentiae Sacramentum instituit ad peccata membrorum Ecclesiae remittenda, prout eruitur ex Io 20,23 et ex *Conc.Tridentino:* D 894s. Id ipsum aperte supponebat S.Paulus cum reprehendebat peccatores qui ad Ecclesiam pertinebant, ut constat ex l Cor 5,1-5.12. Idem praeterea suppositum patet ex Ecclesiae sensu, quae omni tempore sibi vindicavit ius imponendi salutares paenitentias fidelibus peccatoribus eosque reconciliandi; hoc autem suum proprium ius Ecclesia enixe contra omnes impugnatores defendit et indesinenter exercuit.

1082. D. Indubiam mentem Ecclesiae de hac re haud cunctanter et cum omnimoda claritate expressit S.Gregorius I in homiletico commentario parabolae de convivio nuptiali, Mt 22,1-13:

«Ipsa qualitate convivantium aperte ostenditur quia per has Regis nuptias praesens Ecclesia designatur, in qua cum bonis et mali conveniunt... Quousque namque hic vivimus, necesse est ut viam praesentis saeculi permixti pergamus. Tunc autem discernimur cum pervenimus. Boni enim soli nusquam sunt nisi in caelo; et mali soli nusquam sunt nisi in inferno... In hac ergo Ecclesia nec mali sine bonis nec boni sine malis esse possunt... Terrere autem vos non debet quod in Ecclesia et multi mali et pauci sunt boni... quia in Ecclesia sancta quanto sanctiores quique sunt, tanto pauciores... Generalis sententia subinfertur, qua dicitur: Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Tremendum valde est quod audivimus. Ecce nos omnes iam vocati per fidem ad caelestis Regis nuptias venimus, incarnationis eius mysterium et credimus et confitemur, divini Verbi epulas sumimus; sed futuro die iudicii Rex intraturus est. Quia vocati sumus, novimus; si sumus electi, nescimus»7.

' S.Gregorius I, *Homiliae in Evangelia* l.2 honul.38 n.7s 14: ML 76,1285-1290.

1083. Obiectiones 8. 1. Ex Io 10,27-28: *Oves meae vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur* me: et ego *vitam aeternam do eis; et non peribunt in aetemum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.*

Inde obiectio: Oves Christi sunt membra Corporis Ecclesiae. Atqui oves Christi sunt ii quibus Christus dat vitam aeternam et qui non peribunt in aetemum. Ergo membra Corporis Ecclesiae sunt ii qui vitam aeternam obtinebunt et non peribunt in aetemum, id est, sunt praedestinati.

Admitto textum et adnoto: In eo proprie oves Christi dicuntur esse ii qui vocem eius audiunt et eum sequuntur. Iis promittitur quidem vita aeterna, attamen non absolute, sed sub hac condicione, quam saepe ipsemet Christus expressit: Qui *perseveraverit usque infinem, hic salvus erit:* Mt 10,22; 24,13.

Ad obiectionem: Trans, mai. Dist. min. Oves Christi sunt ii qui vocem eius audiunt et sequuntur eum, et quibus Christus promittit vitam aeternam, si perseveraverint usque in finem in eius oboedientia et sequela, id 'est in eius Ecclesia, *conc. min.;* oves Christi sunt omnes et soli praedestinati quibus Christus ut absolute futuram promittat vitam aeternam, nego min. Pariter dist. *cons.* Membra Corporis Ecclesiae sunt omnes et soli praedestinati quibus Christus promittat ut absolute futuram vitam aeternam, *nego cons.;* membra Corporis Ecclesiae sunt ii qui vocem Christi audiunt et sequuntur eum, et quibus Christus promittit vitam aeternam, si usque in finem perseveraverint in eius oboedientia et sequela, id est, in eius Ecclesia, *conc. cons.*

1084. 2. Ex Eph 5,23: *Christies Caput est Ecclesiae: Ipse salvator Corporis eius.*

Hinc obiciunt: Corpus Ecclesiae constituitur ab iis qui salutem aeternam obtinebunt. Atqui tales sunt soli praedestinati. Ergo Corpus Ecclesiae constituitur solis praedestinatis.

Admitto textum et adnoto: In eo Christus dicitur salvator Corporis Ecclesiae, quatenus, ut eius Caput, exercet erga membra sui Corporis mystici salutiferas functiones similes iis quas caput hominis exercet in membra corporis humani; quod sane verum est etiam si aliqua membra perirent, non obstante influxu salutifero capitis.

Ad difficultatem: Dist. mai. Corpus Ecclesiae constituitur ab iis qui Christo incorporati Baptismate influxum salutiferum accipiunt ab eo tamquam a Capite Corporis mystici, *conc. mai.;* Corpus Ecclesiae constituitur ab iis qui non sunt incorporati Christo Baptismate et solum propter votum implicitum pertinendi ad Ecclesiam, a Deo vitam aeternam obtinebunt, *nego mai. Contradist. min.* Soli praedestinati sunt illi qui inde ab aeterno a Deo praeordinati in aeternam salutem, eam de facto obtenturi sunt, *conc. min.;* soli praedestinati sunt illi qui Christo incorporati Baptismate influxum salutiferum accipiunt ab eo tamquam a Capite Corporis mystici, *nego min.*

1085. 3. Ex Hebr 3,6: *Christus vero tamquam Filius in Domo sua: quae Domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.*

Hinc arguunt; ad Domum Dei, seu ad Ecclesiam, pertinent ii qui usque in finem perseveraverint. Atqui tales sunt praedestinati. Ergo Ecclesia constituitur solis praedestinatis.

Dist. *mai.* Ad Ecclesiam pertinent baptizati quamdiu fideles maneant Christo et spem vitae aeternae retineant, *conc. mai.;* ad Ecclesiam pertinent etiam non baptizati, qui solum de facto vitam aeternam obtenturi sunt, *nego mai. Contradistincta min., nego cons. et consequentiam.*

• Cf. I.Muncunill, *De Ecclesia* n.631-636; H.van Laak, Repelilorium (1911) 194-196.

1086. 4. Ex Eph 5,25-27: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut sanctificaret illam, mundans lavacro aquae* in *verbo vitae, ut exhiberet Ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam..., sed ut sit sancta et immaculata.*

Inde obiciunt: Ecclesia Christi est sancta et immaculata, non habens maculam nec rugam. Atqui ad talem Ecclesiam soli sancti pertinere possunt. Ergo membra Corporis Ecclesiae sunt soli sancti.

Dist. mai. Ecclesia triumphans est absolute sancta et immaculata, *conc. mai.;* Ecclesia militans, *subdist.:* est absolute sancta ex parte Capitis et /tnimae, id est Christi et Spiritus Sancti, necnon ex parte eius divinarum institutionum, *conc.; ex* patte membrorum, *iterum subdist.:* quatenus hoc pendet a voluntate et intentione Christi, *conc.;* quatenus hoc pendet a cooperatione hominum, iterum *subdist.:* in multis membris, *conc.;* in omnibus eius membris, *nego. Contradistincta min., negatur cons. et consequentia.*

ARTICULUS V

Ecclesiae necessitas ad salutem

Thesis 28. Ecclesia est omnibus necessaria ad aeternam salutem etiam medii necessitate.

1087. S.Th., 3 Q-73 a-3; 3 q-68 a.i et 2; S.R.Bellarmino, *Controv.* I.3, *de Ecclesia* c.3; Franzelin, th.24; Palmieri, p.15; Straub, n.345; D'Herbigny, n.85-91; Dorsch, 539; Zapelena, th.23; De Guibert, n.194; Muncunill, n.323; Schultes, 268; Bainvel, 89; Lercher, n.432; Dublanchy, *Eglise:* DTC 2155-75; Capéran, *Le problème du salut des infidèles* (i934); Journet, *L'Eglise du Verbe Incarné* 2 (1951) 1081-1114; *Le salut hors de l'Eglise:* LumVie 18 (1954).

1088. Nexus. Probavimus i.° in thesi 3.", Ecclesiam Christi esse omnibus obligatoriam; 2.0 in thesi 22.a, Ecclesiae finem esse supernaturalem hominum salutem; 3.0 in thesi 27.a, non omnes nec solos sanctos esse Corporis Ecclesiae membra. Quare nunc ulterius inquirimus in naturam necessitatis pertinendi ad Ecclesiam ut salutem assequamur. Asserimus esse necessitatem non solum praecepti, sed etiam medii.

1089. Notiones. Ecclesia est illa societas visibilis a Christo instituta, de qua tractamus.

Necessarium ad salutem est illud sine quo salus obtineri nequit.

Necessarium necessitate praecepti, *vi vocis,* est illud quod requiritur ea ratione qua est necessaria impletio praecepti, ut finis obtineri possit.

Necessitate praecepti ergo est necessarium ad salutem illud cuius *culpabilis* omissio impedit assecutionem salutis. Ergo id

quod impedit assecutionem salutis est *culpa quam incurrit* ille qui praeceptum transgreditur.

Unde haec necessitas *datur solum pro subiecto* ad praeceptum adimplendum: i) *capaci; ergo* solum pro adulto, qui solus capax est incurrendi in culpam; 2) *habili; ergo pro eo* qui sciat illud praecipi et possit praeceptum implere; 3) *responsabili;* ergo pro eo qui iure non sit vel excusatus vel dispensatus.

1090. Necessarium necessitate medii, *vi vocis,* est id quod requiritur ea ratione qua est necessarius usus medii, a quo *positive* et *necessario* pendet assecutio finis.

Necessitate medii ergo est necessarium ad salutem id a quo *vel tamquam a causa vel tamquam a condicione sine qua non,* pendet assecutio salutis h

Unde haec medii necessitas *datur pro omni subiecto;* nec ab ea excusat: 1) *incapacitas* actus humani; ergo viget tam pro parvulis quam pro adultis: 2) *inhabilitas; ergo* ligat tam scientem et potentem quam nescientem et impotentem adhibere tale medium; 3) *irresponsabilitas;* ergo urget tam eum qui culpabiliter quam illum qui inculpabiliter omitteret usum medii.

1091. Igitur *necessitate medii necessarium* ad salutem est id quo, *etiam inculpabiliter omisso, salus obtineri nequit.* Haec est notio communiter admissa.

Necessarium necessitate medii dicitur tale vel *absolute* seu *in re,* vel *disiunctive,* id est, *vel in re vel in voto:*

1) *Necessarium in re* est illud medium, quod nulla ratione suppleri potest;

2) *Necessarium vel in re vel in voto* est illud medium quod, cum in re haberi nequit, suppleri potest re vicaria (puta, caritate vel martyrio) coniuncta cum voluntate adhibendi medium. Talis voluntas dicitur *votum,* quod potest haberi dupliciter: a) *explicitum,* ut voluntatis actus; b) *implicitum,* prout in ipso actu caritatis vel martyrii inclusum merito censetur. Baptisma flaminis et sanguinis «nominantur baptismata in quantum *supplent vicem* baptismi aquae» (3 q.66 a.n). «Contritio *supplet vicem* baptismi» (3 q.68 a.3).

1 Plures Theologi tenent, *de ratione medii* necessarii ad aliquem effectum obtinendum esse, ut sit *causa positive influens* in talem effectum: ita Franzelin, th.24 p.432; Van Laak, *Instit. Theol. Fundam., de Ecclesia* 197; Bainvel, *De Ecclesia* 89; De Guibert, *De Ecclesia* n.194; Zapelena, *De Ecclesia 2* (1940) th.22. Censent vero alii Theologi, medium necessarium ad salutem dici id quod vel per modum causae influit in salutem vel *ut praevia condicio ad salutem, positive requiritur:* ita Straub, *De Ecclesia* n.346: Dorsch, *De Ecclesia* 540; Lercher, n.432 quibus accedere etiam videtur Zapelena, *l.c.* Alii denique Theologi ab hac ulteriori determinatione abstrahunt: ita Palmieri, *Prolegomena de Ecclesia* §7: Ottiger, *De Ecclesia* 263: D'Herbigny, *De Ecclesia* ŋ.86; Dieckmann, *De Ecclesia* n.956. De conceptu necessarii necessitate medii apud Scholasticos, cf. J.A.de Aldama, *La necesidad dc medio en la Escoldstica postridentina:* ArchTG 8 (1945) 57-84.

Denique *necessitas medii* oriri potest dupliciter: 1) *ex natura rei,* si nexus, quo finis a medio pendet, profluit ex ipsa rerum natura; 2) *ex positiva institutione,* si talis nexus statuitur voluntate eius, qui potestatem habet ad illum inducendum.

1092. Status quaestionis. Asserimus Ecclesiam esse omnibus necessariam ad salutem, *necessitate non solum praecepti, sed etiam medii;* attamen non ex natura rei, sed ex positiva Dei institutione; et quidem affirmamus necessitatem non in re, sed saltem in voto, quod non requirimus explicitum, sed sufficere dicimus implicitum.

1093. Adversarii. 1) *Indifferentismi* religiosi defensores, qui ad salutem sufficere dicunt rectitudinem moralem cum qualibet fide coniunctam (D 1646 1677).

2) Propugnatores *Ecclesiae tripartitae* (D 1685), qui tenent, aequo iure salvari posse tam Catholicos quam Schismaticos Orientales et Anglicanos.

3) *Panchristianismi* fautores (D 2199), qui salutem assequi aequa ratione posse autumant eos omnes qui ad quamlibet ex christianis confessionibus pertineant 2.

Hos adversarios damnare intendebat *Conc. Vaticanum,* in quo citabatur ut talium errorum propugnator calvinianus quidam saeculi XVII Iurieu 3.

4) *Schismatici Orientales,* qui non sunt infecti triplici praecedentium errore citato, satis bene interpretantur illud effatum: «Extra Ecclesiam non est salus» 4. Stricte ergo Schismatici qua tales non sunt adversarii. De interpretatione eiusdem effati apud varias confessiones protestanticas, confer D'Herbigny 5.

5) *Irenistae* hodierni, putantes doctrinam de Ecclesiae necessitate esse obicem ad fraternam omnium Christianorum unitatem instaurandam, distinguunt Ecclesiam quatenus est *Corpus sociale* ab Ecclesia quatenus est *Corpus mysticum,* et tenent, ad salutem obtinendam satis esse ut quis ad *Corpus mysticum* pertineat. Unde concludunt, alios Christianos, quamvis sub respectu sociali a Catholicis separati sint, membra tamen Corporis mystici revera esse, nihilque prohibere quominus Catholici eos ut fratres in Christo amplectantur et cum illis veram quamdam Ecclesiarum unionem efficiant6.

2 Pius XI, *Encycl. "Mortalium animos":* AAS 20 (1928) 5-16.

3 Msi 53,312. P.Jürieu, *Le vrai système de l'Eglise et la véritable analyse de ta foi* (Dordrecht 1686) 54.79.141.561. Cf. Msi 51,566-568.

4 M.Jugie, *Theol. Christ. Orient.* 4, *De Ecclesia* 316-319. Contradicit tamen St.Zankow, *Dos Orthodoxe Christentum des Ostens* 77.

3 M.d'Herbicny, *De Ecclesia* n.89.2.

0 Cf. Acia *l Conventus Vclehradensis* tsss; G.Tincs. *Les Notes de l'Eglise* 340s; V.Morel. *Le Corps mystique du Christ et l'Eglise Catholique Romaine:* NouvRevTh 70 (1948) 703-726. Vide quae de huiusmodi *Irmistis* diximus supra n.too7, et n.1027 nota 8. De opinione M.Cani cf. F.Suàrez, *De Eide* d.12 s.4 n.22.

Pius XII lamentatur quia «aliqui necessitatem pertinendi ad veram Ecclesiam, ut sempiterna attingatur salus, ad vanam formulam reducunt» (D 3019) et ait: «Multi in orientalibus plagis ab unitate mystici Corporis Christi longam per saeculorum seriem misere abscesserunt» (AAS 43 [1951] 640s).

6) L. Feeney eiusque sectatores qui tenent ad salutem non sufficere *votum,* sed requiri esse re de Ecclesia 7.

1094. Doctrina Ecclesiae constat: Ex *professione fidei Waldensibus* praescripta sub Innoc. III, a.1208: D 423. «Extra unam, sanctam, Romanam, catholicam Ecclesiam neminem salvari credimus».

Ex *Conc.Lateran. IV,* sub eodem Innoc. 3.1215, contra *Albigenses:* D 430. «Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur».

Ex Bonifacio VIII in *Bulla «Unam sanctam»* a.1302: D 468. Lege omnino et animadverte classicam imaginem arcae Noe, qua apte significatur medii necessitas.

Ex *Conc.Florentino,* sub Eugenio IV a. 1442, decretum pro *Iacobitis: D* 714. «Neminem posse salvari nisi in Catholicae Ecclesiae gremio et unitate permanserit».

Ex Pio IX contra *indifferentismum:* D 1647 1677 1717; ubi explicatur, qua ratione sufficiat ad salutem pertinere ad Ecclesiam *in voto* illis, qui «praecepta Dei sedulo servantes Deo oboedire parati sunt».

In *Concilii Vaticani* schemate reformato de Ecclesia dicebatur: «Fidei catholicae dogma esse definimus, extra unam Ecclesiam Christi nullam esse sperandam salutem». Hoc assertum explicabatur de *necessitate medii in voto.* Et quamvis dictio *necessitas medii,* quae erat in primo schemate, suppressa est, tamen sensus idem retinebatur, prout ek *annotationibus* adiunctis constat8.

Pius XII in Encyclica *«Mystici Corporis»* clare distinguit inter eos, qui *re* Ecclesiae tanquam membra incorporantur, atque eos qui *voto* tantummodo Ecclesiae adhaerent. Agens enim de membris, quibus Corpus mysticum hisce in terris componitur, ait: «In Ecclesiae autem membris *reapse* ii soli adnumerandi sunt qui regenerationis lavacrum receperunt veramque fidem profitentur, neque a Corporis compage semetipsos misere separaverunt vel, ob gravissima admissa, a legitima auctoritate seiuncti sunt». Circa finem vero eiusdem Encyclicae, inter eos qui ad Ecclesiae Catholicae compagem *re* non pertinent, illos commemorat qui «inscio quodam *desiderio* ac *voto* ad mysticum Redemptoris Corpus ordinentur», quos minime a salute

7 Cf. G.Puerto. *Fuera de la Iglesia no hay salvación:* IlustCler 46 (1953) 254-264.
8 Msi 53.312; cf. 51,541· P.Kleutgen relationem vide Msi 53.323·

aeterna excludit, attamen eos monet ut «ab eo statu se eripere studeant, in quo de sempiterna cuiusque propria salute securi esse non possunt», quandoquidem «tot tantisque caelestibus muneribus adiumentisque carent, quibus in Catholica solummodo Ecclesia frui licet». Quibus sane verbis tan eos reprobat qui omnes *solo voto implicito* Ecclesiae adhaerentes a salute aeterna excludunt, quam eos qui falso asserunt, homines in qualibet religione aequo modo salvari posse °.

S.Officium denique, occasione damnationis Leonardi Feeney, accurate explicavit hanc doctrinam: «inter ea, inquit, quae semper Ecclesia praedicavit et praedicare nunquam desinet, illud quoque infallibile effatum continetur, quo edocemur *extra Ecclesiam nullam esse salutem.* Est tamen *hoc dogma* intelligendum eo sensu, quo id intelligit Ecclesia ipsa. Non enim privatis iudiciis explicanda dedit Salvator noster ea, quae in *fidei deposito* continentur, sed ecclesiastico Magisterio.

Et primum quidem Ecclesia docet, hac in re agi de severissimo *praecepto* lesu Christi. Ipse enim expressis verbis Apostolis suis imposuit ut docerent omnes gentes servare omnia quaecumque Ipse mandaverat (Mt 28,19s). Inter mandata autem Christi non minimum locum illud occupat quo baptismo iubemur incorporari in Corpus mysticum Christi, quod est Ecclesia, et adhaerere Christo Eiusque Vicario, per quem Ipse in terra modo visibili gubernat Ecclesiam. Quare nemo salvabitur qui, sciens Ecclesiam a Christo divinitus fuisse institutam, tamen Ecclesiae sese subiicere renuit vel Romano Pontifici, Christi in terris Vicario, denegat oboedientiam.

Neque enim in praecepto tantummodo dedit Salvator ut omnes gentes intrarent Ecclesiam, sed statuit quoque Ecclesiam *medium esse salutis,* sine quo nemo intrare valet Regnum gloriae caelestis. Infinita sua misericordia Deus voluit ut illorum auxiliorum salutis quae divina solum institutione, non vero intrinseca necessitate, ad finem ultimum ordinantur, tunc quoque certis in adiunctis effectus ad salutem necessarii obtinere valeant, ubi *voto* solummodo vel *desiderio* adhibeantur. Quod in Sacrosancto Tridentino Concilio claris verbis enuntiatum videmus tum de sacramento regenerationis tum de sacramento paenitentiae (D 797.807).

Idem autem suo modo dici debet de Ecclesia, quatenus generale ipsa auxilium salutis est. Quandoquidem ut quis aeternam obtineat salutem, non semper exigitur ut *reapse*

° Prus XII. «Mystici Corporis·: AAS 3$ (1943) 202,243. Verborum Pii XII explicationem dumus, quam *S.Officium* dat in epistola qua reprobavit Lconardum Feeney: AmerEcclRev 127 (1952) 307-311; Of. J.C.Fbnton in eadem ephemeride p.450-461.

Ecclesiae tanquam membrum incorporetur, sed id saltem requiritur, ut eidem *voto* et desiderio adhaereat. Hoc tamen votum non semper explicitum sit oportet, prout accidit in catechumenis; sed ubi homo invincibili ignorantia laborat, Deus quoque *implicitum votum* acceptat, tali nomine nuncupatum, quia illud in ea bona animae dispositione continetur, qua homo voluntatem suam Dei voluntati conformem velit». Haec doctrina confirmatur ex verbis Pii XII, quae nuper attulimus, necnon ex citatis etiam epistolis Pii IX (D 1647 1677), atque additur: «Neque etiam putandum est quodcumque *votum* Ecclesiae ingrediendae sufficere ut homo salvetur. Requiritur enim ut votum, quo quis ad Ecclesiam ordinetur, *perfecta caritate* informetur: nec *votum implicitum* effectum habere potest, nisi homo/idem habeat supernaturalem» (Heb 11,6; D 801) 10.

1095. Valor dogmaticus. Ex Ecclesiae documentis patet, *dogma fidei esse* necessitatem pertinendi ad veram Ecclesiam. *Necessitas medii,* iuxta eadem documenta, est vel *implicite definita* vel saltem *theologice certa.* Nam documenta inculcant *neminem* extra Ecclesiam posse salvari (D 423 430); ergo neque infantes. Atqui infantes non subiacent necessitati praecepti; ergo docetur *necessitas medii.*

1096. Probatio. Pars i.a: Ecclesiam esse necessariam ad salutem necessitate medii.

Necessitas medii in genere probatur.

A. Baptismus omnibus necessarius est ad salutem necessitate medii vel in re vel in voto. Atqui finis immediatus et necessarius baptismi est aggregare homines ad Ecclesiam. Ergo Ecclesia est omnibus necessaria necessitate medii vel in re vel in voto. *Conclusio* patet, quia si Baptismus est necessarius ad salutem, a fortiori necessarium ad saluterç dicendum est illud, propter quod immediate et necessario obtinendum ipse Baptismus datur.

Mai. prob. ex Io 3,5, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Ubi 1) sermo est de necessitate baptismi pro omnibus; ergo etiam pro parvulis; atqui parvulis necessitas praecepti induci nequit; ergo baptismus dicitur necessarius necessitate medii.

2) Apud Io 3,5 sermo est de renascentia spirituali; ergo necessaria pro vita supernaturali, velut naturalis generatio pro

10 *S.Officii* epistolam et commentarium vide in AmerEcclRev 127 (1952) 307-3n,450-461; SalTer 41 (i953) 22-26.

vita naturali; atqui haec est necessaria necessitate medii; ergo etiam illa. Quod ibi sermo sit de necessitate *solum* in *voto* patet ex interpretatione *Conc.Tridentini* textus Io 3,5: D 796; necnon ex iis quae statim dicemus n.noo.

1097. Min. prob. 1) Finis *immediatus* baptismi est aggregare ad Ecclesiam, ut constat ex 1 Cor 12,13. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus,* ubi ratio finis (el$) effertur: ήμεϊ ττάντε ε!$ εν σώμα έβατττίσθημεν (vide *Conc. Trident.:* D 895; lege etiam *Conc.Florent.:* D 696). 2) Finis *necessarius* baptismi est aggregatio ad Ecclesiam. Nam licet finis principalis baptismi sit gratiam conferre, tamen, ut in tractatu de sacramentis probatur, baptismus valide susceptus semper ac necessario characterem indelebilem confert et Ecclesiae aggregat, atque ideo iterari nequit (D 852). Atqui dari potest baptismus validus qui non conferat gratiam. Ergo finis necessarius baptismi non est gratiam conferre, sed aggregare ad Ecclesiam 8.

Min. postrema patet, quia dari potest baptismus rite et cum debita intentione collatus, ac proinde validus, sed subiecto non apte disposito ad accipiendam gratiam sanctificantem; ex quo evenit ut sit mere infructuosus (cf. n.1021).

1098. B. Ab salutem homini necessarium est necessitate medii pertinere ad Christum. Atqui nemo pertinet ad Christum nisi aggregetur ad Ecclesiam. Ergo ad salutem necessarium est necessitate medii pertinere ad Ecclesiam 9.

Mai. prob. a) quia pertinere ad Christum per fidem est medium indispensabile ad salutem, quae non nisi a Christo haberi potest: Io 3,14-18.36; Act 4,12; *b)* quia sicut per generationem ab Adamo venit peccatum originale, ita per iustitiam a Christo venit hominibus salus: Rom 5,12.15-18; *c)* quia Christus est unicus Mediator a quo redemptio et salus: 1 Tim 2,4-6.

Min. prob. quia Ecclesia est locus in quo Cristus suum salutis opus perenniter exsequitur (D 1821): nam soli Ecclesiae Christus commisit suam missionem salutiferam: Io 17,18; 20,21; et quidem exercendam sub ipsius Christi assistentia: Mt 28,20; adeo ut par sit relatio salutis ad Christum et ad Ecclesiam; Lc 10,16: qui *vos audit me audit: et qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.*

8 Cf. *Decretum S.Officii.* D 1848; S.Th., 3 9-68 a.i ad 1 et 3: 4 d.6 q.i a.3 soti ct 3.

9 Hoc argumentum a *Concilii Vaticani* Theologis proponebatur in Schemate *Constit. de Ecclesia* c.6: Msi 5«.54« ; 53.312; cf. S.Th., 3 q-68 a.i ct ad 1.

1099. C. Ad salutem homini necessarium necessitate medii est uniri Christo et vitam Spiritus Sancti participare. Atqui hoc obtinent solum illi qui pertinent ad Corpus Christi Mysticum Spiritu Sancto vivificatum, quod est Ecclesia. Ergo homini necessarium est necessitate medii pertinere ad Ecclesiam 10.*

Mai. prob, a) ex Io 15,1-6, ubi necessitas unionis cum Christo effertur explicite; *b)* ex Gal 5,16-25, ubi necessitas participandi de vita Spiritus Sancti inculcatur.

Min. constat *a) ex* thesi de Corpore Christi Mystico, quod est Ecclesia ipsa visibilis; *b) ex* Eph 5,23-29, ubi Christus exhibetur ut Salvator Corporis Ecclesiae, pro qua seipsum tradidit et quam unice ut suam sponsam diligit, nutrit et fovet n.

1100. Pars 2.a In specie, necessitatem medii pertinendi ad Ecclesiam esse, non absolutam, sed *disiunctivam,* id est, *vel in re vel in voto* saltem implicito, probamus.

A. Ex argumento desumpto ex necessitate baptismi hoc solum probatum est, prout expresse adnotavimus.

B. Alia argumenta intelligenda sunt etiam de necessitate medii vel in re vel in voto. Nam caritas vel contritio perfecta iustificat. Atqui in caritate perfecta implicite saltem continetur votum pertinendi ad Ecclesiam. Ergo necessitas medii pertinendi ad Ecclesiam non absoluta, sed disiunctiva, id est vel in re vel in voto implicito, intelligenda est.

Mai. patet ex Mt 22,37-40; Io 14,21-24; Rom 13,8-10; i Cor 13,1-8; i Petr 4,8; 1 Io 4,73.16. Confer contra Baium D 1031-1033 1070s.

Minor constat ex rei natura. Nam si caritas est perfecta, id est, amor Dei appretiative summus, sine dubio implicite continet sinceram voluntatem praestandi omnia quae Deus voluerit12.

1101. Pars 3.® Necessarium esse necessitate praecepti pertinere ad Ecclesiam.

A. Necessarium est omnibus hominibus necessitate praecepti assequi aeternam salutem. Ergo etiam sunt necessaria

io Hoc argumentum iam adhibitum est a S.Augustino (R 1824). proponebatur etiam a Theologis in *Concilio Vaticano:* Msi 5I.54I: 53.312.

n Cf. *Conc. Vaticanum,* Schema *de Ecclesia:* Msi 53.3*2;

12 De necessitate medii disiunctiva, in re vel in voto, vide explicationes Pu IX (D 1677) et Schematis *de Ecclesia Conc. Vaticani: Msi* 53,312.323; cf. supra n. 1094

necessitate praecepti omnia ea quae requirantur ad salutem. Atqui pertinere ad Ecclesiam est necessarium ad salutem. Ergo etiam praeceptum.

B. Praeceptum ingrediendi Ecclesiam et in ea perseverandi constat *a)* ex Lc 10,10-12.16, ubi de praecepto intrandi in Ecclesiam.

b) Ex Mt 18,17s, ubi continetur praeceptum perseverandi in Ecclesia.

c) Ex Me 16,15s, ubi praeceptum iniungitur sub discrimine salutis.

1102. *Confirmatur* tandem necessitas pertinendi ad Ecclesiam ex testimoniis SS.Patrum.

S.Ignatius (f 107) «quotquot redierint ad unitatem Ecclesiae, et hi Dei erunt... ne erretis, fratres mei: si quis schisma facientem sectatur, Regni divini hereditatem non consequitur» (R 56).

S.Irenaeus (ca.180) «In Ecclesia posuit Deus... universam operationem Spiritus, cuius non sunt participes omnes qui non currunt ad Ecclesiam» (R 226).

Origenes (ca.250) «Si vult aliquis salvari ad hanc domum veniat... extra hanc domum, id est extra Ecclesiam, nemo salvatur» (R 537).

S.Cyprianus (a.25i) «Non perveniet ad Christi praemia qui reliquit Ecclesiam Christi. Habere non potest Deum Patrem qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisque extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit evadit» (R 557). Id. (a.256) «Salus extra Ecclesiam non est» ›3.

Lactantius (ca.310) «Sola Catholica Ecclesia est quae verum cultum retinet. Hoc est templum Dei; quo si quis non intraverit vel a quo si quis exierit, a spe vitae et salutis alienus est» (R 637).

1103. S.Hieronymus (ca.378) «Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in *arca Noe* non fuerit, periet regnante diluvio» (R 1346). Comparatio cum *arca Noe,* quae deinceps saepe apud auctores ecclesiasticos reperitur, adhibita iam est a S.Cyriano (R 557; cf. D 468)¶415

S.Augustinus (ca.417) «Fiant fideles Corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi non vivit nisi Corpus Christi» (R 1824, cf. R 1478). Id. (ca.418) «Extra Catholicam Ecclesiam totum potest (homo) praeter salutem... nusquam nisi in Ecclesia Catholica salutem poterit invenire» (R 1858).

S.Fulgentius, *De fide* (ca.530) «Firmissime tene, omnes... qui extra Ecclesiam Catholicam praesentem finiunt vitam, in ignem aeternum ituros» (R 2275 2273; inde definitio *Conc.Florentini,* D 714).

1104. *Catechismus Conc.Tridentini,* hanc traditionem et S.Thomae doctrinam colligens, ait: «Universalis etiam ob eam causam dicitur Ecclesia, quod omnes, qui salutem aeternam consequi cupiunt, eam tenere et amplecti debeant; non secus ac qui *arcani,* ne diluvio perirent, ingressi sunt». Pariter S.Thomas: «... unitas Corporis Mystici, sine qua non potest esse salus; nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut neque in diluvio absque *arca Noe,* quae significat Ecclesiam» *5.

▮» S.Cyprianus, *Epist.* 73: ML 3.1169.
14 *Arcae* Noe similitudo innuitur in 1 Petr 3,20s; cf. S.Th., 3 q.73 a.3.
15 Catechismus Conc.Tniicnlini pars 1 a.ç n.17; S.Th., 3 q.73 a.3.

1105. Scholion. *Infantes et adulti extra Ecclesiam diversimode a caelo privati.* Igitur *infantes,* qui incapaces sunt eliciendi votum implicitum pertinendi ad Ecclesiam, si excepto casu martyrii, moriantur sine baptismo, a beatitudine supernaturali privantur; attamen non ideo dicendum est eos poenis inferni torqueri, quia sine personali peccato gravi decesserunt, prout in tractatu de praedestinatione et voluntate Dei salvifica explicatur.

1106. *Adulti vero* ratione plene compotes, qui sine baptismo et privati voto saltem implicito pertinendi ad Ecclesiam decesserunt, in praesenti gratiae ordine, de facto, non sine sua culpa tali voto privantur et damnantur, prout docuit Pius IX (D 1677). Nam iuxta doctrinam S.Thomae:

«Hoc ad divinam providentiam pertinet ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis, in silvis vel inter bruta animalia nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium» (Act. 10) [16].

1107. Obiectioncs [17]. I. Iuxta thesim. omnes homines, qui decedunt non pertinentes ad corpus Ecclesiae, damnantur. Atqui hoc dici nefas est. Ergo falsa thesis.

Dist. mat. Omnes infantes, qui decedunt non pertinentes ad corpus Ecclesiae, a beata Dei visione privantur, quin tamen poenis inferni puniantur, *conc. mai.;* omnes adulti, qui decedunt non pertinentes ad corpus Ecclesiae, a beata Dei visione privantur et poenis inferni puniuntur, subdist.: si cum voto pertinendi ad corpus Ecclesiae decesserint, *nego;* si tali voto carentes decesserint, *iterum subdist.:* et hi tali voto privantur et damnantur propter personalem eorum aliquam culpam, *conc.;* absque personali eorum aliqua culpa, *nego. Contradistincta min.,* negatur *cons. et consequentia.*

1108. 2. Extra Ecclesiam Catholicam fieri possunt et fiunt actus perfectae caritatis. Atqui actu perfectae caritatis homo iustificatur et salvatur. Ergo extra Ecclesiam Catholicam dari possunt et dantur iustificatio et salus.

Conc. mai. Dist. min. Actu perfectae caritatis homo iustificatur et salvatur, quatenus in tali actu, saltem virtualiter et implicite, votum pertinendi ad Ecclesiam includitur, conc. min.; sine tali voto, saltem virtuali et implicito, homo iustificatur et salvatur, *nego min.* Pariter *distincto cons., negatur consequentia.*

1109. 3. Sectae haereticae et schismaticae habent vera Sacramenta, quibus gratiam conferunt. Ergo versantes bona fide in talibus sectis iustificantur et salvantur.

Dist. *antec.* Sectae haereticae et schismaticae habent vera Sacramenta, quae, ut talia, re vel voto incorporant Catholicae Ecclesiae eos qui bona fide ea susceperint, conc. *antec.;* quae, ut talia, incorporant falsis sectis, *subdist.:* apparenter et mere materialiter, *trans.;* realiter et formaliter, *nego.* Pariter dist. cons. Versantes bona fide in falsis sectis gratia Sacramentorum iustificantur et salvantur, quatenus re vel voto Catholicae Ecclesiae realiter et formaliter incorporantur, conc. *cons.;* quatenus apparenter et mere materialiter falsis sectis videantur incorporari, *nego cons.*

16 S.TH., *De writ.* q.14 a.t l ad r. Recentiorum conamina salvandi infantes qui moriuntur sine baptismo, cf. W.A.van Roo, *Infants dying without Baptism:* Greg 35 (1954) 40O-473.

17 Cf. T.Zapelena, *De Ecclesia 2* (194°) th.22.

1110. 4- Puer baptizatus in secta acatholica iustificatur. Atqui baptismate suscepto in secta acatholica puer non incorporatur Catholicae Ecclesiae. Ergo extra Catholicam Ecclesiam datur iustificatio et salus.

Conc. niai. Dist. min. Baptismate suscepto in secta acatholica puer non incorporatur Catholicae Ecclesiae, secundum externam apparientiam et vulgarem existimationem, *conc. min.;* secundum internam realitatem et theologicam veritatem, *nego min.* Puer enim valide a quocumque baptizatus, re et veritate incorporatur plene Catholicae Ecclesiae; principaliter enim «Christus est qui baptizat»[18], quamvis ministerialiter utatur acatholicis hominibus, baptizantibus cum intentione faciendi quod facit Catholica Ecclesia, prout in tractatu de Sacramentis demonstratur.

1111. 5. Adultus attritus et bona fide baptizatus in secta acatholica iustificatur. Atqui tamen nec voto nec re incorporatur Catholicae Ecclesiae. Ergo extra Catholicam Ecclesiam est iustificatio et salus.

Conc. mai. Dist. min. Adultus attritus et bona fide baptizatus in secta acatholica non incorporatur voto Catholicae Ecclesiae, eo quod sit solum attritus, *trans, min.;* non incorporatur re Catholicae Ecclesiae, *subdist.:* apparenter et mere materialiter, *conc.;* realiter et formaliter, nego. In distinctione minoris dixi, *transeat* adultum mere attritum non incorporari voto Catholicae Ecclesiae, quia alii auctores tenent, attritionem cum baptismate valide suscepto aequivalere voto, quod nos requirimus[19]. Subdistinctionem addimus, quia secundum communem theologorum doctrinam, qui bona fide et cum sola attritione baptismum validum accipit in secta acatholica, fit quidem schismaticus vel haereticus *mere materialis,* re autem et formaliter incorporatur Catholicae Ecclesiae, cum schisma et haeresis mere materiales a Corpore verae Ecclesiae non separent, prout ostenditur in th.26 de Ecclesiae membris.

1112. 6. Ut explicatum est, pertinentia ad corpus Ecclesiae est homini necessaria ad salutem vel in re vel in voto. Atqui impletio praeceptorum est homini necessaria ad salutem vel in re vel in voto. Ergo pertinentia ad Ecclesiae corpus est homini necessaria ad salutem ut praeceptorum impletio.

Conc. mai. Dist. min. Impletio praeceptorum est necessaria ad salutem vel in re vel in voto, infanti, nego *min.;* adulto, *subdist.:* ei qui inculpabiliter non possit omittere impletionem praeceptorum, *conc.;* ei qui inculpabiliter possit omittere praeceptorum impletionem, *nego.* Et sub data distinctione, nego cons. et *consequentiam.*

[18] S. Augustinus, *Epist.* 89 n.5: ML 33.312.
[19] T. Zapelena, l.c., obi.4.

ADNOTATIO

De ratione qua homines pertineant ad Animam et ad Corpus Ecclesiae

ii 13. De conceptibus Animae et Corporis Ecclesiae.

Ae.Dorsch, *De Ecclesia* ass.26 p.447-458; M.d'Herbigny, De *Ecclesia* th.30-33 : Lercher-Schlagenhaufen, institut. i n.437; D.Palmieri, De *Rom. Pontif., Prolegom. De Ecclesia* § n n.1-3; G.Wilmers. De *Ecclesia* th.i6s; cf. n.392,2; R.Schultes, De *Ecclesia* a.12 n.7; A.Michelitsch, *Theol. Fundam.* § 198s; ChJournet, *L'Eglise du Verbe Incarne* 2,561-565.573-577. 954-958.

1114. Post ea quae tractavimus de Corpore Christi Mystico, th.24, de necessitate, et quidem medii, pertinendi ad Ecclesiam, th.28, et de membris Corporis Ecclesiae, th.25 et 26, iuvat aliqua adnotare circa conceptus Animae et Corporis Ecclesiae.

Duplex apud auctores recurrit non solum loquendi sed etiam concipiendi modus in hac re. Utramque explicandi rationem breviter proponemus et quidem sub uno eodemque schemate, ut utriusque discrimina clarius pateant.

1115. A. Primus modus. Cum S.Rob.Bellarmino tenet: a) *Corpus* Ecclesiae esse «totam organizationem externam et visibilem quam Christus dedit Ecclesiae»;

b) *Animam* vero Ecclesiae appellat «complexum donorum, virtutum et gratiarum vitae supernaturalis qua singuli fideles Deo et Christo conjunguntur»;

c) Inde deducit, *(Animam multo latius patere quam Corpus* Ecclesiae»;

d) Agnoscit quidem varios dari gradus quibus magis minusve perfecte quilibet ad Corpus vel ad Animam Ecclesiae pertinere possit;

e) Infert, *ad salutem necessarium* esse perfecte *pertinere ad Ecclesiae Animam;*

f) Tandem concludit, in articulo mortis, qui caritatem habent salvantur, etiam si extra Corpus Ecclesiae re exsistant; peccatores vero qui caritate carent damnantur, quamvis intra Corpus Ecclesiae re sint [1].

1 S.R.Bellarmino, *De Ecclesia militante* I.3 c.2. Cf. A.Michelitsch, *Theol. Fundam.* § 198s; E.Hugon, *Hors de VEglise point de salut* (1927) 305.

1116. B. Secundus modus. Cum recentioribus praesertim tenet: a) *Corpus* Ecclesiae esse societatem hominum Baptismate regeneratorum qui vinculis professionis fidei, subordinationis hierarchicae et communionis sacrorum cum ea uniuntur;

b) *Animam* vero Ecclesiae appellat Spiritum Sanctum, quatenus ei attribuuntur functiones animae qua talis, quales sunt, informare et vivificare Corpus Ecclesiae, cuius vicissim proprium est esse ab eius anima informatum et vivificatum;

c) Inde deducit, *Animam latius non patere quam Corpus Ecclesiae;*

d) Agnoscit quidem varios dari gradus quibus magis vel minus perfecte in singulis haec activa et passiva informatio et vivificatio obtineri possit;

e) Infer, *ad salutem necessarium* esse perfecte *pertinere ad Corpus-animatum Ecclesiae aut re aut saltem voto;*

f) Tandem concludit, in articulo mortis, qui caritatem habent salvantur ideo quia ad Corpus-animatum Ecclesiae perfecte pertinent aut re aut saltem voto; peccatores vero qui caritate carent damnantur ideo quia ad Corpus-animatum Ecclesiae perfecte non pertinent nec re nec voto 2.

1117. Nobis praeferendus videtur secundus explicationis modus, quia magis consonat cum doctrina qua tenemus, Animam Corporis Christi Mystici esse Spiritum Sanctum, th.24, et quia melius excludit periculum distinguendi duas Ecclesias, alteram invisibilem, visibilem alteram.

Ceterum nostra explicatio bene declarat omnia quae in hac re explicanda sunt. 1) Accurate declarat notionem *Animae* Corporis Ecclesiae. Nam Anima Corporis Ecclesiae eatenus est Spiritus Sanctus quatenus Corpus Ecclesiae velut informat et vivificat, seu primum ac radicale principium est universae vitae illius. Haec autem informatio et vivificatio plures sane gradus admittere potest, quorum minimus est eorum, qui charactere baptismale insigniti, vincula externa fidei, oboedientiae et communionis manifeste rupta non habent; adeoque a Spiritu Sancto informante et vivificante accipiunt non solum illam, quam retinent, externam unionem cum Ecclesia vitamque eius socialem, sed etiam gratias actuales ad eandem unionem et vitam augendam et perficiendam. Quapropter omnes, qui actu *Corporis Ecclesiae membra* sunt, aliquem, quamvis imperfectum, *influxum animicum Spiritus Sancti* informantis et vivificantis accipiunt, ideoque etiam actu, aliquo vero modo, *ad Animam* Ecclesiae pertinent Qui autem actu membra Corporis Ecclesiae non sunt, nullum influxum a Spiritu Sancto accipiunt, *quatentes Spiritus Sanctus proprie est Anima* informans et principium vivificans Ecclesiae Corpus; ideo-

2 Cf. Ae.Dorsch, *De Ecclesia* ass.26 p.447-458. Cf. Ch Journet, *L'Eglise du Verbe incarné* (1941) 38-52- In hoc auctore non placet distinctio duplicis Animae Ecclesiae; cf. D'Ilerbigny, n.343; Ch Journet, *Coexleruivilé de l'dmc el du corps de l'Egtise:* RevThom 49 (1949) 197-205.

que neque actu ad Ecclesiae *Animam* pertinere dicendi sunt. Atque inde intelligitur ratio qua asseramus, *Animam qua talem non latius patere quam Corpus qua tale* Ecclesiae.

1118. 2) Probe agnoscit multiplicem influxum quem Spiritus Sanctus extra Ecclesiae *Corpus* exercet. Nam certum sane nobis videtur, eos, qui actu extra Corpus Ecclesiae sunt, nullum a Spiritu Sancto qua *Corporis Ecclesiae Anima* influxum accipere. Attamen non inde concludere licet, eos ab omni prorsus Spiritus Sancti influxu destitui.

Etenim Sanctus Spiritus, «Dominus et vivificans», praeter functiones animicas permanenter informandi et iugiter vivificandi Corpus Ecclesiae, plures alias etiam extra illud exercet actiones, in ordine ad idem Ecclesiae Corpus restaurandum et vivificandum. Quapropter Spiritus Sanctus innumeris suis gratiis multipliciter et allicit baptizatos a Corpore Ecclesiae avulsos ut redeant ad unitatem et *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundun* (Io 1,9) ut veritatem agnoscat et corpori Ecclesiae veraciter adunetur aut saltem voto aut etiam re 3.

Hae autem aliaeve huiusmodi actiones non sunt attribuendae Spiritui Sancto, *quatenus ut Anima* quasi-formaliter informat et principialiter vivificat Ecclesiae Corpus; sed *quatenus ut Deus = Amor* extra Corpus Ecclesiae indesinenter operatur, universali sua voluntate salvifica ductus, qua *omnes homines vult salvosfieri et ad agnitionem veritatis venire:* 1 Tim 2,4.

CAPUT iii

De proprietatibus et Notis verae Ecclesiae

ARTICULUS 1

De Unicitate et Visibilitate Ecclesiae

Thesis 29. Christus Ecclesiam suam instituit unicam et visibilem, et quidem ut veram a falsis discernibilem.

XII9. F.SuArez, *De fide* d.9 s.4.8: Id., *Defensio fidei* 1.i c.?s; Palmieri, *De Rom. Pont. Proleg. de Ecclesia*^ 10.48; Wilmers, n.29.35; Dorsch, 556.614; Pesch, *Compend.* 1 n.240.224; De Guibert, n.84.98; D'Herbigny, n.59; Schultes, a.17; Lercher, n.299; Zapelena, th.6.

1120. Nexus. Egimus de natura sociali et supernaturali Ecclesiae. Iam nunc de eiusdem Ecclesiae proprietatibus tractare intendimus, de illis praesertim, quibus vera Christi Ecclesia a falsis discernatur. Incipimus autem ab illis quae logicum ceterarum fundamentum sunt, videlicet ab Ecclesiae unicitate et visibilitate.

3 Cf. Lercher-Schlagenhaufen. *institutiones* 1 n.437. Comparationem boni dissidentis cum catholico peccatore vide ap. Journet, *L'Eglise du Verb.Incar.* 2 677s.

1121. Notiones. *Proprietas* est id quod alicui rei pertinere concipitur. *Accidentalis* est ea proprietas quae rei ad modum accidentis contingenter inhaeret. *Essentialis* autem ea est quae ex rei essentia resultat eique necessario inest. Haec essentialis proprietas distinguitur in genericam, specificam et individualem, prout ex rei essentia generica, specifica vel individual! dimanet.

Proprietas constitutiva appellatur, quatenus *in ordine ontologico* pertinet ad ea quibus res in suo esse sive essentiali sive accidentali constituitur. *Distinctiva vero* appellatur ea proprietas, quae ulterius induit rationem qua in *ordine logico* res ab aliis similibus discernatur.

1122. *Unum* proprie opponitur diviso, et est id quod est indivisum in se, seu quod intraneam divisionem excludit.

Unicum proprie opponitur multiplici, et est id quod est *numerice unum, vel' individuum, seu* id quod omne aliud eiusdem speciei individuum excludit. In entibus moralibus, prout est Ecclesia, unitas ab unicitate facile distingui potest; ita, exempli causa, Regnum aliquod individuum, etiam stante eius unicitate, potest tamen in se esse aut unum aut divisum, prout eius cives sub eodem regimine in eundem finem mutuo conspirent vel non.*

1123. Visibile *stricte* est id quod aptum est ut *per visum* percipiatur. *Visibile late* est id quod aptum est ut *per sensus* percipiatur. *Visibile adaequate* est id cuius omnia elementa visibilia sunt. *Visibile inadaequate* est id cuius non omnia, sed aliqua tantum elementa visibilia sunt.

Societas hominum, prout est Ecclesia, potest esse visibilis tripliciter: i) *Materialiter* qua hominibus constans, seu ratione *elementi materialis,* quod sunt homines visibiles; 2) *Formaliter* qua societas, seu ratione *elementi formalis,* quod est hominum unio et conspiratio in communem finem; 3) *Distincte* qua talis individua societas, seu ratione *proprietatum individuantium,* quae sunt proprietates distinctivae quibus haec numerice societas ab aliis similibus discernatur.

Societas hominum visibilis potest esse vel manifesta vel occulta. *Manifesta* est ea societas cuius elementa visibilia ita patent ut a sensibus attingi physice possint. *Occulta* est ea visibilis societas cuius visibilia elementa ita ab obice quolibet obteguntur ut a sensibus percipi physice nequeant.

1 Cf. D.Palmieri, *Proleg. de Ecclesia* § 48.

1124. Status quaestionis. De Christi Ecclesia asserimus in thesi: 1) eam esse *unicam;* 2) eam esse etiam *formaliter visibilem,* quamvis solum inadaequate et saltem late visibilem; 3) eam esse *distincte visibilem, seu* ut veram a falsis discernibilem.

1125. Adversarii. 1) *Contra unicitatem Ecclesiae.* Non tantum unitatem, sed unicitatem etiam Ecclesiae negant *Indifferentistae, Latitudinarii, Panchristiani,* qui eatenus unicitatis Ecclesiae adversarii sunt quatenus tenent, plures dari Christianas confessiones ad invicem regimine prorsus independentes, quae tamen pari iure Ecclesiae Christi sunt; quare iuxta eos Ecclesia Christi non est una numero seu individua, sed est complexus plurium individualium Ecclesiarum sub eadem specie Ecclesiae Christi comprehensarum 2.

1126. Ad particularia descendentes: a) *Indifferentistae* tenent, quavis in religione et in qualibet christiana confessione aequo iure Deo placere eique servire homines posse atque ab eo pari fiducia aeternam salutem sperare, ut ex Pu IX *Allocutione «Singulari quadam» et Encyclica «Quanto conficiamur moerore»* comprobari potest: D 1646 1677.

b) *Latitudinarii,* quales fuerunt ex Anglicanis Palmer, ante conversionem, et Pusey, evolventes theoriam Ecclesiae trium ramorum, affirmant, tres Christianas confessiones, videlicet, Romano-Catholicam, Graeco-Orthodoxam, Anglo-Catholicam, etsi retenta earum in regimine plena independentia, esse tamen veluti tres ramos aequo iure pullulantes ex eodem christiano trunco et efformantes sic dictam Ecclesiam tripartitam, prout ex Epist. *S.Officii «Apostolicae Sedi»* patet: D 1685 1686.

c) Accedunt *Irenistae* hodierni tenentes, catholicos, etsi ratione Corporis socialis ab aliis christianis separatos, posse tamen cum eis veram quandam unionem Ecclesiarum efficere, ratione Corporis mystici, cuius sunt membra, ut in n.1093 explicatum est.

1127. *d) Panchristiani* denique, seu Oecumenismi fautores, nostris diebus vel maxime adversantur doctrinae de Ecclesiae unicitate, tentantes constituere unionem quandam foederativam omnium Christianarum confessionum, salva tamen uniuscuiusque earum independentia. Ad hanc foederationem Ecclesiarum promovendam plures habiti sunt Congressus internationales, quorum praecipui hi sunt: anno 1910 in *Edinburgh* «Missionario-

2 D'Herbigny. *De Ecclesia n.227,3;* L.Marchal. *Puséyisme:* DTC 13,1363-1425: R.Aubert, Le S.*Siège et* l'union *des Eglises* (1947); lu. *Problèmes de i'Unité chrétienne,* cum appendice de Congressu habito in Lund (X952).

rum Congressus», in quo duplex praecipua factio apparuit sub hoc duplici lemmate: Vita et *Actio* atque *Fides et Ordo;* deinde anno 1925, in *Stockholm* sub lemmate Vita et *Actio,* tentaverunt obtinere Ecclesiarum collaborationem, praescindendo prorsus a quaestionibus dogmaticis et organizationis; anno autem 1927, in *Lausanne* sub lemmate *Fides et Ordo,* conati sunt adinvenire aliqua dogmata el principia organizationis in quibus omnes convenirent, ut supra ea aedificaretur Ecclesiarum foederatio.

Postea anno 1937 duo alii Congressus habiti sunt, alius in *Oxford* sub lemmate Vita et *Actio,* alius vero in *Edinburgh* sub lemmate *Fides et Ordo,* quibus finitis, instituta est eodem anno 1937 communis factio sub lemmate *Mundialis Conventio Ecclesiarum,* ad coadunandos et dirigendos utriusque prioris tendentiae scopos: inde tandem anno 1948 in *Amsterdam,* iam sub lemmate *Mundialis Conventio Ecclesiarum,* habitus est fundationalis Congressus, ad quem invitatae sunt Ecclesiae quae saltem crederent Christum esse Deum et Salvatorem hominum, quo praepararetur exoptata ominium Christi Ecclesiarum *Confoederatio* 3.

Post publicationem Actorum et resolutionum Conventus amstelodamensis, anno 1949, Commissio permanens Consilii Oecumenici Ecclesiarum declarationem complementariam edidit in Toronto, mense iulio anni 1950, in qua aperte fatetur: «Divisiones quae dantur inter Ecclesias sunt in contradictione cum ipsa natura Ecclesiae». Anno vero 1952 lemmatis *Fides el Ordo* sequaces, in suo Congressu habito in Lund, agnoverunt divisionem Ecclesiarum componi nom posse cum unitate in Christo.

/n *Evanston* anno 1954 *Mundialis Conventio Ecclesiarum* suum secundum Congressum celebravit. Thema fuit: *Christus, unica mundi spes.* Unanimitas, ut ipsi fatentur, non est obtenta, quia diversimode inter ipsos concipiuntur adspectus *eschatologicus* et adspectus *temporalis* ipsius obiectl spei Christianae; ac praesertim, quia protestantes liberales longe a conservativis distant in interpretandis Scripturae locis qui de spe in Christo agunt. Tamen enixe omnes tentaverunt pervenire ad unanimitatem in *theoretice* determinanda doctrina de spe in Christo, ut de ea *practice* testimonium efficax universo mundo darent. Etiam in Evanston actum est de gravi problemate agitato in Lund, ubi est quaesitum: «Possuntne dici in Christo unitae Ecclesiae quae sunt inter se divisae? Si negative: Quae unitas exsistere debet inter Ecclesias ut dici possint in Christo unitae?» Agnoverunt omnes divisionem esse peccatum Ecclesiarum et enixe inculcaverunt omnium obligationem tendendi ad discernendam et instaurandam unitatem quam Christus vult. In Evanston multo magis quam unquam alibi *Oecumenistae* patefecerunt suam voluntatem unitatis Ecclesiarum plene instaurandae.

3 S.Zankow, *Das Orthodoxe Christentum* 75-79: F.Heiler. *Urkirche* und *Oslkirche* 14-19; A.Garmendia de Otaola, *La Conferenda mondial Pan-Protestante para el ano 1948:* RazFe 137 (1948) 340-347: cf.CivCatt (1948, 4.°) 441 ; F.M.Sanz, *Las Conferendas de Lambeth y Amsterdam:* RcvEspT 8 (1948) 677-694. De conventu habito in Amsterdam a die 22 augusti ad diem 4 Septembris anni 1948, amplam informationem reperies apud A.Jansen, *La première Assemblée du Conseil Oecuménique des Eglises:* La Documentation Catholique 46 (1949) 541-567.665-700.735-746. Huius Conventus Acta, dissertationes et conclusiones vide apud *Conseil Oecuménique des Eglises: Désordre de l'homme et dessein de Dieu. Documents de l'Assemblée d'Amsterdam* 5 *v.* (1949). A.Delmêe, *De mot. oecumenica:* Apol 23 (1050) 31-103.

4 Minutes *and reports of the third Meeting of the Central Committee of the World Council of Churches,* Toronto. July 9-15 (1950) p.85: Ircnik 24 (1951) 39; QDümont, *La conférence de Lund:* VieSpir 88 (1953) 98; Irenik 25 (1952) 309-406; M.Bévbnot: Istina (1954) 164-75. De Oecumenismo cf. *XII Semana Espanola de Teologla, El movimiento ccumenista* (1953); E.F.Hanohoe, *Catholic Ecumenism,* Washington C.U. <1953).

5 Circa Evanston: C.Dumont, Versl'UnCh 0.65-66(1954) 73-90; Istina t (1954) 80-106, 132-158,311-329; D.C.Lialine: Irenik 27 (1954) 369-406; DocCath 51 (1954) 1313-1335: C.DvMONT-B.OuvtER: RcvNouv 19 11954) 7Ô-S7. *Docamenta,* ap.Istina 1 (1954) 107-128. 176-21S.530-362.441-509.

1128. 2) *Contra visibilitatem Ecclesiae* adversantur *Protestantes:* a) *Lutherani* dicentes, veram Ecclesiam esse congregationem iustorum: «Credo in terris esse quandam Sanctorum congregatiunculam et communionem ex mere sanctis hominibus coactam, sub uno Capite Christo, per Spiritum Sanctum convocatam», docuit Luther, quem sequitur *Confessio Augustana 6. Lutheranis* accesserunt lansenista Quesnel necnon *Pistorienses:* D 1422-1428 1515. b) *Calviniani* tenentes, veram Ecclesiam esse congregationem solorum praedestinatorum: «Quid est Ecclesia? Corpus ac societas fidelium quos Deus ad vitam aeternam praedestinavit», sic Calvin; unde *Scotorum Confessio* infert: «Haec Ecclesia invisibilis est, uni Deo cognita, qui solus novit quos elegerit»7. Similia docuerat antea lo.Hus: D 627-632 647. c) *Rationalistae* recentiores, ut Sabatier et Harnack, qui negant a Christo procedere formam externam et socialem Ecclesiae, et affirmant Ecclesiam Christi constitui ab illis qui mere spiritualem et internam conscientiam divinae suae filiationis relate ad Deum ut Patrem sentiunt, formam vero externam et socialem Ecclesiae posterius ortam esse a primaevo Christianismo plane confictam8.

1129. **Doctrina Ecclesiae.** 1) *Unicitatem* prout ab unitate distinctam docent Bonifacius VIII in *Bulla «Unam Sanctam»* et Leo XIII in *Encyclica «Satis cognitum»:* D 468 1955s. Praeterea Pius XI in *Encyclica «Mortalium animos»* Panchristianorum doctrinas exponit ac reicit, et tandem docendo asserit:

«Christianorum coniunctionem haud aliter fovere licet, quam fovendo dissidentium ad unam veram Christi Ecclesiam reditum... Cum enim Corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesia, unum sit (1 Cor 12,12), compactum et connexum (Eph 4,15), corporis eius physici instar, inepte stulteque dixeris mysticum Corpus ex membris disiunctis dissipatisque constare posse». Cf. recentem instructionem S.Officii *de motione oecumenica 9.*

1130. 2) *Visibilitatem Ecclesiae Conc.Vaticanum implicite definivit:* D 1793 1794 1823.

Eam Leo XIII explicite docet in *Encyclica «Satis cognitum»:*

6 Luther, *Catechismus maior:* ed. MÜLLER-Kolbe, *Symbolische Bucher der evangel, lutherischen Kirche* 456s; *Confessio Augustana,* a.7s; ed. Müller-Kolbe, *l.c., 40·* Cf. Wilmers⁸ *De Ecclesia* n.36. Luther, *Resp. ad lib. A.Catharini* (1521): «Sicut Petra ista (Christus) sine peccato invisibilis et spiritualis est sola fide perceptibilis, ita necesse est Ecclesiam sine peccato invisibilem et spiritualem sola fide perceptibilem esse»: Ed.Weimar, t.7 p.209.

7 Calvin, Catechismus *Ecclesiae genevensis:* ed. Karl Müller, *Die Bekenntnisschriften der reformirten Kirche* 125. Petrus Jurieu, Calvinista, qui cum suis coaetaneis Bossuet et Fenelon acres polemicas sustinuit, tenebat, Protestantes devenisse ad negandam Ecclesiae visibilitatem, ut evadere possent illam Theologorum catholicorum difficultatem: Si Christi Ecclesia, urgebant, est visibilis, ubinam erat calviniana vel lutherana Ecclesia quae videri posset ante Lutherum et Calvinum? Cf. D'Herbigny, *De Ecclesia* n.60,2 cum nota 1.

8 Cf. ea quae de iis diximus th.i n.42s et th.3 n.i24-127.

9 Pius XI, *Encycl. ^Mortalium animos·: AAS* 20 (1928) 14s; Pius XU, *Encycl. •Mystici Corporis·* (AAS 35.202s). *De motione oecumenica:* S.Oftic. (AAS 42 (1950I 142-47)·

«Ecclesia quidem, si extremum illud quod vult.Çcausaeque proximae sanctitatem efficientes spectentur, profecto est *spiritualis:* si vero eos consideres, quibus cohaeret, resque ipsas quae ad spiritualia dona perducunt, *externa* est necessarioque conspicua... Externa sunt ordinaria et praecipua participandae instrumenta gratiae: Sacramenta dicimus, quae ab hominibus ad id nominatim lectis, certorum ope rituum, administrantur. lussit lesus Christus Apostolis perpetuisque Apostolorum successoribus, gentes ut edocerent ac regerent: iussit gentibus, ut illorum et doctrinam acciperent et potestati oboedienter subessent. Verum isthaec in christiana republica iurium atque officiorum vicissitudo non modo permanere, sed ne inchoari quidem potuisset nisi per interpretes ac nuntios rerum sensus. Quibus de causis Ecclesiam cum *corpus,* tum etiam *corpus Christi* tam crebro sacrae litterae nominant (i Cor 12,27). Propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia» (ASS 28,709s).

Similiter Pius XII in *Encyclica «Mystici Corporis»* (AAS 35,199s): «Quod si corpus est Ecclesia... non solummodo unum quiddam et indivisum esse debet, sed aliquid etiam concretum ac perspicibile... Quapropter a divina veritate ii aberrant, qui Ecclesiam ita effingunt, ut neque attingi neque videri possit, sitque tantum «pneumaticum» aliquid, ut aiunt, quo multae Christianorum communitates, licet fide ab se invicem seiunctae, inter se tamen haud adspectabili nexu coniungantur.»

Pariter explicita est de visibilitate Ecclesiae Pu XI doctrina in *Encyclica «Mortalum animos».* Ait enim:

«Ecclesiam vero suam instituit Christus Dominus societatem perfectam, natura quidem externam obiectamque sensibus, quae humani generis reparandi opus, unius capitis ductu (Mt 16,18s; Lc 22,32; Io 21,15-17), per vivae vocis Magisterium (Mc 16,15), perque Sacramentorum, caelestis gratiae fontium, dispensationem (Io 3,5; 6,48-59; 20,22s; cf. Mt 18,18), in futurum tempus persequeretur; quam-ob-rem et Regno (Mt 13) et domui (Mt 16,18) et ovili (Io 10,16) et gregi (Io 21,15-17) eam comparando similem affirmavit»10,11

n 31. 3) In *Vaticano Concilio* praeparata erat explicita definitio Unicitatis et Visibilitatis Ecclesiae.

a) *De Unicitate:* in I Schemate, cn.4: «Si quis dixerit, veram Eclesiam non esse unum in se corpus, sed ex variis dissitisque christiani nominis societatibus constare, per easque diffusam esse; aut varias societates ad invicem fidei professione dissidentes atque communione seiunctas, tamquam membra vel partes unam et universalem constituere Christi Ecclesiam: A.s.». Idem pressius in Schemate reformato, cn.5: «Si quis dixerit, sectas omnes vel aliquot, quae a Romana Ecclesia dissident, una cum hac, Christi Ecclesiam universalem componere: A.s.» ››.

b) *De Visibilitate:* in 1 Schemate, cn.3: «Si quis dixerit, divinarum promissionum Ecclesiam non esse societatem externam ac conspicuam, sed totam internam ac invisibilem: A.s.». Idem distinctius in Schemate reformato,·

10 Pius XI, *l.c.*. 8.

11 *Conc. Vaticanum:* Msi 51.551: 53,316. Hanc doctrinam fusius explicat idem Concilium in correspondentibus capitibus, I Schematis 5.0 et Schematis reformati 6.': Msi 51,541; 53,3 us.

en. 4: «Si quis dixerit, Ecclesiam, cui factae sunt promissiones divinae, non esse coetum fidelium externum et visibilem, sed spiritualem societatem praedestinatorum vel iustorum soli Deo cognitam: A.s.» 12.

1132. Valor dogmaticus theseos. Thesim integram tenemus, non solum ut *doctrinam catholicam, ex Bulla* Bonifacii VIII et ex *Encyclicis* Leonis XIII, Pu XI et Pu XII, quas citavimus, nec solum ut *definitioni oecumenicae proximam ex* citatis *Concilii Vaticani* Actis, sed etiam ut *implicite definitam* in eiusdem *Vaticani* decretis, a) *Unicitas* Ecclesiae *implicite definita* est in definitione vaticana Primatus, quia in ea dicitur: «Ut... *credentium* multitudo *universa* in fidei et communionis unitate conservaretur... in Petro instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum» (D 1821), et ulterius: «Credendum ab omnibus Christi fidelibus est... Pontificem Romanum verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem exsistere», vel eundem «omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungi» (D 1826 1839). Iam vero haec *unicitas supremae potestatis* a Christo institutae *simul cum omnimoda universalitate subditorum eius,* omnium videlicet Christianorum, includit unicitatem Ecclesiae et prorsus excludit legitimitatem quorumcumque coetuum Christianorum a Romano Pontifice independentium. b) *Visibilitas* autem Ecclesiae, non solum *formalis,* sed etiam *distincta, implicite definita est a Conc. Vaticano,* prout ex verborum tenore facile patet: D 1793s.

1133. Probatur 1) Unicitas Ecclesiae probatur argumentis a Leone XIII in *Encyclica «Satis cognitum»* propositis: ASS 28,712. D 1955s.

a) Ecclesia est pro omnibus hominibus unum singulare ovile sub unico Pastore Christo et sub unico Christi Vicario Petro Petrive successore, prout constat ex thesibus de Petri Primatu et de Petri in Primatu successore Romano Pontifice (th.5 et 9; cf. Io 3,14-18; 10,14-16; 21,15-17). Atqui tale ovile excludit omne aliud ab unico Pastore et eius unico Vicario independens, ut per se patet. Ergo Ecclesia Christi est unica.

b) Ecclesia Christi est una singularis domus super unicam petram fundamentalem aedificata: *Super* hanc *petram aedificabo Ecclesiam meam,* ut constat ex thesi de promissione Pri--matus (th.4; cf. Mt 16,18s). Atqui talis individua domus excludit omnem aliam extra unicum hoc fundamentum exstructam, ut est manifestum. Ergo Ecclesia Christi est unica.

12 Conc.Vaticanum.· Msr 51,551; S3.316; et fusius in correspondentibus capitibus 4.* et 5.°: Nisi 51,540s; 53.3*os.

1134. *c)* Ecclesia est unum singulare Corpus Christi mysticum instar corporis Eius physici compactum, sub regimine principali unici Capitis Christi, a Spiritu Sancto tamquam ab unica quasi-anima vivificatum, prout scimus ex thesi de Ecclesia Corpore Christi Mystico (th.24). Atqui tale mysticum Corpus instar physici corporis humani compactum, non patitur membra autonoma quae viverent ad invicem separata, ut essent coetus christiani alii ab aliis seiuncti et independentes (cf. i Cor 12,20-27). Ergo Ecclesia quam voluit Christus est unica. Minor evidens est et nervose eam exprimit Pius XI verbis supra citatis (n.1129).

1135. *d)* Christus voluit ut Ecclesia sua esset societas monarchica simul ac omnibus prorsus hominibus obligatoria. Atqui talis societas nequit non esse unica. Ergo Christus voluit ut Ecclesia sua esset unica. *Ad mai.* Christus voluit primo ut Ecclesia sua esset societas monarchica id est ab unico eius in terris Vicario suprema ac plena potestate gubernata, prout probavimus thesibus 6.a et 10.a; voluit secundo omnes homines obligatione constringere ad hanc suam societatem amplectendam et quidem necessario necessitate medii ad salutem, ut probatum est in thesibus 3-a et 28.a

Ad min. Talis societas nequit non esse unica: primo, quia utpote monarchica ab unico Christi Vicario gubernata, nequeunt dari alii coetus legitime christiani ab eius suprema auctoritate independentes, cum talis Christi Vicarius divinum mandatum acceperit sibi subditos faciendi omnes homines; secundo, quia utpote omnibus hominibus obligatoria, nequeunt superesse homines pro aliis coetibus christianis confingendis ab unico Christi Vicario independentibus, cum omnes prorsus homines strictissime obligentur ut unico in terris Christi Vicario plene subdantur. Quare merito concludit Leo XIII: «Plane plus una ut esse posset Ecclesia, excedere terris et genus hominum fingere novum atque inauditum oporteret» (ASS 28,712).

1136. **Probatur** 2) Visibilitas formalis Ecclesiae argumento probatur quod evolvitur in Schemate reformato *Concilii Vaticani* ,3. Formaliter visibilis ea societas est, cuius socia-

13 *Conc. Vaticani* Schema reformatum *de Ecclesia:* «Longe a fide recta aberrant ii qui contendunt, non esse Ecclesiam fidelium coetum externum, sed invisibilem societatem iustorum vel praedestinatorum. Cum enim in Ecclesia divinitus institutum sit *Magisterium,* quo quae corde credenda et ore confitenda sunt populis proponuntur; *Ministerium* etiam, quo ritibus sacris Deo cultus perhibetur et divina plebi mysteria.dispensantur; *Regimen* denique, quo fideles salutari disciplina continentur: ipsum Ecclesiae Corpus visibile sit necesse est; quippe quod eos omnes complectatur, qui eiusdem fidei eorundem Sacramentorum communione inter se coniuncti atque eidem Summo Capiti, id est Romano Pontifici subiecti sunt; etiamsi aliqui eorum nec iusti sint nec praedestinati, sed peccatores et reprobi fuerint»: Msi 53,310·.

lia vincula sunt visibilia. Atqui vincula socialia, quibus unio Ecclesiae et conspiratio in eius finem efficiuntur, sunt visibilia. Ergo Ecclesia est formaliter visibilis.

Mai. patet ex ipsa notione visibilitatis formalis. *Min.* probatur, nam vincula socialia, quibus unio Ecclesiae et conspiratio in eius finem efficiuntur, sunt *Magisterium authenticum,* quo veritates fidei corde credendae et ore confitendae fidelibus proponuntur, *Ministerium sacrum,* quo sacris ritibus Deo cultus perhibetur et sacramenta fidelibus dispensantur; *Regimen sociale,* quo fideles salutari disciplina in Ecclesiae finem ordinantur et diriguntur. Atqui haec nequeunt non esse visibilia. Ergo vincula socialia, quibus unio Ecclesiae et conspiratio in eius finem efficiuntur, sunt visibilia.

1137. Probatur 3) Visibilitas distincta Ecclesiae, qua ut vera a falsis discernibilis est, probatur ut sequela theseon de Eccjesiae unicitate et necessitate. Nam Ecclesia Christi est societas unica atque omnibus hominibus obligatoria et necessaria. Atqui societas unica omnibus necessaria et obligatoria necesse est ut sit distincte visibilis seu ut vera a falsis discernibilis. Ergo Ecclesia Christi est societas distincte visibilis seu ut vera a falsis discernibilis.

Mai. constat, quoad Ecclesiae unicitatem ex probata iam prima huius thesis parte, quoad eius obligatorietatem et necessitatem ex thesibus 3.a et 28.“ iam probatis. *Ad min.* Quia si Ecclesia non esset distincte visibilis seu ut vera a falsis discernibilis, non posset omnibus imponi ut unica obligatoria et necessaria, cui sese omnes annumerarent.

X138. *Visibilitas* non solum *formalis* sed etiam *distincta* probari etiam potest ex Is 2,2s: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei lacob, et docebit nos* vias *suas et ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem. Et iudicabit gentes et arguet populos multos;* eadem apud Mich 4,1-3.

Unde arguo: Leo XIII in *Encyclica «Satis cognitum»* (ASS 28,713) cum SS.Augustino et Optato Milevitano docet, «Isaiam futura prospicientem sub specie montis vidisse ac praesignificavisse Ecclesiam unam quotquot essent ubique et quovis tempore mortales complexuram» 14. Ergo in verbis Isaiae revera habemus descriptam Christi Ecclesiam. Atqui montis templi symbolo Isaias videt et adumbrat Ecclesiam elevatam super omnes montes, insignem, longe lateque per orbem omnibus adeo conspicuam, ut gentes undique ad eam confluant et populi certatim ad eam accurrant. Ergo in

14 Optatus Mil^yttanus, *Dr Schismate Donàthta^im* I.3 n.2: ML 11,996s; S.Augustinus, *In epistolam S.loannis ad Parthos* tr.x n.13: ML 35,1988.

verbis Isaiae Christi Ecclesia describitur non solum formaliter sed etiam distincte visibilis.

Cons, primum patet ex thesibus de auctoritate doctrinali Romani Pontificis (th. 14s), et quia ex *Vaticano* scimus eum esse Magistrum authenticum, «ut, Spiritu Sancto assistente, traditam per Apostolos Revelationem seu fidei depositum sancte custodiret et fideliter exponeret» (D 1836). Min. subsumpta et postremum *cons,* manifeste constant ex lectione ipsorum Isaiae verborum 1s.

1139. Obiectiones. A. Contra *unicitatem Ecclesiae.* 1. Unicitati sociali non obstant factiones contrariae, de regimine contendentes et a potestatibus mutuo independentibus gubernatae. Atqui varii Christianorum coetus sunt factiones contrariae, de regimine Ecclesiae contendentes et a potestatibus mutuo independentibus gubernatae. Ergo varii Christianorum coetus non obstant unicitati sociali Ecclesiae.

Dist. *mai.* Tales factiones non obstant unicitati sociali si tantum de facto, sed non de iure sint regimine independentes, trans, mai.; si non solum de facto, sed etiam de iure constitutae sint regimine independentes, *nego mai. Contradist. min.* Varii Christianorum coetus sunt factiones contrariae, et non solum de facto, sed etiam de iure constitutae regimine independentes, *conc. min.;* sunt factiones contrariae et tantum de facto, sed non de iure constitutae regimine independentes, nego min. Et sub datis distinctionibus, nego *cons. et consequentiam.* In distinctione *maioris* primo dixi, trans., quia nollo immorari in decidenda hac generali quaestione, quamvis revera Status, durantibus eorum bellis civilibus, et Ecclesia, durante sic dicto Schismate Occidentali, nobis videantur habuisse factiones tantum *de facto,* sed non *de iure,* independentes regimine, quae tamen non obstabant sociali unicitati Statuum vel Ecclesiae.

1140. 2. Unicitati Ecclesiae non obstant factiones mutuo dissentientes in doctrina fidei vel morum, quae quidem semper in Ecclesia et etiam intra Romano-Catholicam Ecclesiam dantur. Atqui varii Christianorum coetus dissidentes sunt factiones mutuo dissentientes in doctrina fidei vel morum. Ergo varii Christianorum dissidentium coetus unicitati Ecclesiae non obstant.

Dist. mai. Unicitati Ecclesiae non obstant tales factiones dissidentes si agnoscant unicam supremam omnium Christianorum auctoritatem ad definitive decidendum circa doctrinas fidei vel morum, et si dissentiant solum in doctrinis nondum ab ea definitive decisis, *conc. mai;* si non agnoscant unicam supremam omnium Christianorum auctoritatem ad definitive decidendum circa doctrinas fidei vel morum, et si dissentiant in doctrinis iam ab ea definitive decisis, *nego mai. Contradist. min.* Coetus Christianorum dissidentium sunt factiones quae non agnoscunt unicam supremam Christianorum auctoritatem ad definitive decidendum in rebus fidei et morum, et dissentiunt in doctrinis iam ab ea definitive decisis, *conc. min.;* sunt factiones quae agnoscant unicam supremam omnium Christianorum auctoritatem ad definitive decidendum in rebus fidei et morum, et dissentiunt tantum in doctrinis nondum ab ea decisis, *nego min.* Et sub datis distinctionibus, *nego cons.* et *consequentiam.*

1141. 3. Ecclesiae Christi finis specificus est sanctificatio sacramentalis fidelium. Atqui plures coetus Christianorum mutuo dissidentium suos

15 Ios.Knabenbauer, *Cursus Scripturae, [n Isaiam 2,2s.* Cf. T.Zapelena, *De Ecclesia* th.6 Alterum argumentum.

fideles sacramentaliter revera sanctificant. Ergo piures coetus Christianorum dissidentium revera sunt Christi Ecclesiae eiusdem speciei.

Dist. mai. Ecclesiae Christi finis specificus est sanctificatio sacramentalis fidelium, potestate sua propria a Christo unice Apostolis eorumque legitimis successoribus collata, *conc. mai.;* potestate quocumque modo mutuata tandem a potestate unice propria Apostolorum eorumque legitimorum successorum, nego mai. *Contradist. min.* Piures coetus Christianorum dissidentium suos fideles sacramentaliter sanctificant, potestate quocumque modo mutuata tandem a potestate unice propria Apostolorum eorumque legitimorum successorum, *conc. min.;* potestate eorum propria per legitimam successionem ab Apostolis accepta, nego min.

1142. Etenim, ut scimus, ex Christi institutione in Eius Ecclesia potestatem omnem, etiam sanctificandi, acceperunt ut propriam solummodo Petrus, tamquam Christi Vicarius, et Apostolorum Collegium cum Petro et sub Petro a Christo constitutum, et quidem «in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae» (D 1824). Ergo eadem universa potestas pertinet ut propria solummodo legitimis successoribus Petri et aliorum Apostolorum, qui sunt Romanus Pontifex et Episcopi residentiales, Christi Vicario subditi atque cum eo pacem et communionem habentes, prout constat ex thesibus 3.®, 5.®, 6.®, 8.® et 9.® Cum autem potestas *Ordinis* conferatur sacramentaliter ex opere operato eiusque validae collatio et susceptio indépendantes sint a fide et probitate conferentis ct suscipientis eam (cf. CIC 2372); ideo coetus Christianorum dissidentium potestatem *Ordinis* valide obtinere possunt, mutuatam tandem quocumque modo, sive mediate sive immediate, ab aliquo qui eam habeat ut propriam; atque inde sequitur eos posse suos fideles sacramentaliter sanctificare si eis sacramenta rite conferant. Hanc tamen sanctificationem non ipsi proprie efficiunt, sed unica vera Christi Ecclesia eam per ipsos tamquam per suos ministros confert, quia potestas ipsa qua confertur, non est ipsorum propria, sed solummodo ut propria pertinet ad unicam veram Christi Ecclesiam 16.

1143. Obiectioncs. B. *Contra visibilitatem Ecclesiae.* 1. Obiectionum, quae contra Ecclesiae visibilitatem desumi solent ex Mt 13,44; Lc 17, 20; Io 4,23; Rom 14,17; i Cor 12,6.11, solutiones indicatas vide in thesi 1, n-79-83 17.

2. Ex t Petr 2,5, ubi Ecclesia appellatur *Domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per lesum Cliristum.* Atqui domus spiritualis in qua offeruntur hostiae spirituales est invisibilis. Ergo Ecclesia est invisibilis.

Dist. *mai.* Ecclesia appellatur «Domus spiritualis» ad offerendas «spirituales hostias» primario et principaliter spirituales, *conc. mai.;* exclusive spirituales, nego mai. Nam ipse S.Petrus in 1 Petr 5,1-6 describit Ecclesiae functiones et officia hierarchica, quae non nisi visibilia esse possunt. *Contradistincta min., negatur cons.* et *consequentia.*

1144. 3. Ex Hebr 12,18-24, ubi ait: Non *accessistis ad* t r a c t a b i l e m *montem, et accensibilem ignem... et tubae sonum, et vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum... Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem caelestem, et multorum milium Angelorum frequentiam... et spiritus iustorum perfectorum.* Ex quibus ita arguunt:

[16] Haec doctrina fudus traditur in tractatibus de Sacramentis.

17 Cf. Ae.Docsch, *De Ecclesia* 622-628; Io.Mvncusti l, De *Ecclesia* n.171-178; T.Zapelbna, th.6.

S.Paulus contrapositionem facit inter coetum populi electi Vet.Testamenti, et Ecclesiam a Christo mediatore velut Novum Testamentum fundatam. Atqui coetus populi electi Vet.Testamenti effertur ut mons variis sensibus perceptibilis. Ergo Ecclesia Nov.Testamenti exhibetur ut invisibilis.

Dist. mai. Contrapositio inter coetus utriusque Testamenti fit a S.Paulo praecise ratione visibilitatis unius et invisibilitatis alterius, *nego mai.;* contrapositio fit ratione diversi spiritus, *timoris* nempe ac servitutis in Vet.Testamento, *amoris vero* et perfectionis in Nov.Testamento, *subdist. mai. :* atque ita quidem ut relate ad Nov.Testamentum S.Paulus extollat positive ut praecipua et primaria ea quae in eo sunt spiritualia et superna, *conc.;* ita vero ut Apostolus excludat a Nov.Testamento ea quae in eo visibilia et temporalia sunt, *nego. Transmissa min.,* pariter *dist. cons.* et *nego consequentiam.*

1145. 4. Ecclesia est obiectum fidei divinae: «Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam»: D 6. Atqui fides divina est de obiectis quae non videntur. Ergo Ecclesia est invisibilis. Tale est argumentum princeps Protestandum.

Dist. mai. Quatenus nobis cognoscibilis est propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, *conc. mai.;* quatenus nobis externe perceptibilis est sensibus, nego *mai. Contradist. min.* Fides divina est de obiectis non naturali hominis perspicientia, sed supernatural! Dei revelatione cognitis, *conc. min.;* fides divina est de obiectis, quae naturali hominis perspicientia sub nullo respectu cognoscibilia sunt, nego *min. Et* sub datis distinctionibus, nego *cons.* et *consequentiam.*

Etenim obiectum fidei divinae est quidquid a Deo locutione attestante manifestatum est. Iam vero Deus locutione attestante manifestare potest res quae nulla naturali hominis perspicientia cognoscibiles sint, et tunc res huiusmodi solummodo fide divina cognosci possunt. Potest vero Deus locutione attestante manifestare etiam res quae naturali hominis perspicientia cognoscibiles sint, et tunc huiusmodi res duplici modo ab homine cognosci possunt, uno modo propter ipsam rerum veritatem naturali perspicientia cognitam, alio modo propter auctoritatem ipsius Dei revelantis seu fide divina. In Ecclesia vero plura supernaturalia elementa sunt a Deo revelata quae non nisi fide divina cognosci possunt, quamplurima autem etiam sunt a Deo revelata quae sensibus et intellectu naturaliter percipi possunt. Haec postrema elementa duplici modo cognoscibilia sunt, uno modo propter ipsam eorum veritatem naturaliter perspectam, alio modo fide divina ob auctoritatem Dei revelantis. Plura de ratione invisibilitatis actus fidei videbis in tractatu *De Fide 18.*

1146. 5. Elementa formalia et distinctiva verae Ecclesiae sunt character baptismalis, fides intellectualis, gratia sanctificans, aliaque huiusmodi. Atqui haec omnia sunt invisibilia. Ergo Ecclesia saltem formaliter et distincte visibilis non est.

Dist. *mai.* Ea quae enumerantur sunt elementa interna formalia et distinctiva verae Ecclesiae quatenus Ecclesia est ens supernaturale, conc. *mai.;* sunt elementa externa formalia et distinctiva verae Ecclesiae quatenus Ecclesia est ens sociale, nego mat. *Concessa min.,* pariter *dist. cons.* Ecclesia visibilis non est ratione elementorum internorum quibus formaliter constituitur in suo esse supernaturali, conc. *cons.;* ratione elementorum externorum quibus formaliter constituitur in suo esse sociali, nego *cons.*

18 Cf. Dorsch, l.c., 622-626; Muncunill, l.c., n.i77.

1147. 6. Ecclesia maxime specificatur et discernitur ab omni alia societate ratione praecise elementorum internorum quibus formaliter constituitur in suo esse supernaturali. Atqui, iuxta concessa, Ecclesia visibilis non est ratione talium elementorum internorum. Ergo Ecclesia discernibilis non est qua supematuraliter et specifice distincta ab omni alia societate.

Conc. mai. Dist. min. Ratione elementorum internorum, quibus formaliter constituitur in suo esse supernaturali Ecclesia visibilis non est immediate et directe, *conc. min.;* mediate et indirecte, *nego* min. Pariter dist. *cons.* Qua supematuraliter et specifice distincta ab omni alia societate Ecclesia discernibilis non est, immediate et directe, *conc. cons.;* mediate et indirecte, nego *cons.* Nam elementa interna et supernaturalia Ecclesiae immediate in se ipsis, et directe in formali supernaturalitatis ratione sensibilia quidem non sunt; attamen mediate ex eorum effectibus in vita sociali hominum, atque indirecte ex eorum cognoscibili et certo cognita connexione cum aliis visibilibus eiusdem Ecclesiae elementis, omnino sensibilia fiunt, quod sane sufficit prout ex notionibus theseos erui potest.

ARTICULUS II

Proprietates Ecclesiae quas profitemur in Symbolo

Thesis 30. Unitas, Catholicitas, Apostolicitas, Sanctitas sunt Ecclesiae Christi proprietates necessariae.

1148. *Catech. Canc.Trid., In Symbolum* a.9 c.14-19; S.Th., In *Symbol.* c.12; Suarez, *De fide* d.9 s.5-7; Mazzella, th.27-31: Palmieri, *Proleg. de Eccles.* § 48-52; Van Laak, De *Eccles.* 238-293; De Groot, q.5 a.1-5; Straub, th.31.35-37; Ottiger. th.9-12; Billot, q.2-6; De San, 11.110-123.142-158.172-184.190-197: Muncunill, n.179-230; Dorsch, th.38-43; Van Noort, *De Eccles,* n.ioi-122; Bainvel, De *Eccles,* th.3-10; De Guibert, th.n-14; Lercher, th.43; Zapelena, th.iis; Y.de la Briere, *Eglise:* DAFC 1,1277-1289; C.Algermissen, *La Chiesa e le Chiese* 42-61.

1149. Nexus. Ex probatis divina institutione et perennitate Ecclesiae cum Hierarchia et Primatu, iure concludebamus veram Christi Ecclesiam esse solam Romano-Catholicam. Nunc autem post probatam visibilitatem distinctam Ecclesiae Christi, ulterius progredimur quaerentes, quaenam sint proprietates, quibus vera Christi Ecclesia a falsis discernatur.

1150. Praenotandum. Doctrina de proprietatibus veram Christi Ecclesiam discernentibus, adumbrata quidem est a SS.Patribus, sed proprie exculta est inde a saeculo XVI. Ex SS.Patribus provocaverunt S.Irenaeus contra *Gnosticos* ad *Apostolicitatem successionis,* S.Cyprianus contra *Novatianos* ad *Unitatem,* S.Pacianus contra omnes haereticos ad *Catholicitatem,* S.Augustinus contra *Manichaeos* ad *Sanctitatem* L Con-

1 S.Irenaeus, *Adv. haeres.* 3: R 209-13; S.Cyprianus, *De cathol. Ecclesiae unitate:* R 555-57." S.Pacianus, *Epist.* 1 c.4: R 1243; S.Augustinus, *De moribus Ecclesiae* 1.i : ML 32, 1309-44.

tra *Protestantes* plures recensebantur proprietates ad veram discernendam Ecclesiam. Sic M.de Medina assignat decem, Sanderus duodecim, Bozius centum, S.Bellarminus quindecim, quas tamen iam reduci posse ait ad quatuor quae in Symbolo recitantur 2. Hic *quaternarius Notarum numerus* saeculo XVI inchoatus et saeculo XVII evolutus, plene tandem statutus est saeculis XIX et XX (cf. D 1686) 3. Haec argumentatio ex proprietatibus et Notis inde ab initio et semper adhibita est sive ad illustrandos et confirmandos ipsos fideles catholicos, sive ad convincendos haereticos et schismaticos, qui tamen veram in Christum fidem retinebant; pro illis vero qui vera in Christum fide carent, efficax probatio non censetur. Hinc alia demonstratio ex miraculo morali Ecclesiae, ad omnes persuadendos de se efficax, inde a saeculo XIX exculta est et a *Conc.Vaticano* commendata (D 1794)4.

1151. Notiones. Proprietas est id quod alicui rei pertinere concipitur. *Accidentalis* est ea quae rei ad modum accidentis contingenter inhaeret. *Essentialis* ea est quae ex rei essentia resultat eique necessario inest.

Quia totum esse Ecclesiae ex positiva Christi voluntate profluit, ideo *proprietates Ecclesiae necessariae* eae sunt, quae ex Christi institutione ei inseparabiliter conveniunt, sive ex natura sive ex causis eius emanent.

Plures assignari possent ex natura sociali et supernaturali et ex causis Ecclesiae deductae. Agimus tantum de quatuor quas in Symbolo profitemur. Has theologi omnes tam *catholici* quam *schismatici* orientales censent esse omnino *necessarias* et *essentiales.*

1152. Doctrina Ecclesiae. Eas quatuor esse proprietates Ecclesiae necessarias patet ex fide in Symbolis.

Symbolum Apostolicum (s.II): D 2 6 9 11 (Sancta, Catholica, Una, Apostolica Ecclesia).

Id. Nicaeno-Constantinopol. (381): D 86 (U.S.C.A.).

Id. Leonis IX *ad Antioch.* (1053): D 347 (S.C.A.U.).

Professio fidei Waldens. (1208): D 423 (Ú.S.C.A.).

Id. Conc.Lugdunen. (1274): D 464 (S.C.A.U.).

2 M.de Medina, *De recta in Deum fide* I.7 c.26; Sanderus, *De visibili monarchia Ecclesiae* I.7 (1571) 237-40; Bozius, *De signis Ecclesiae* (1591); S.Bellarmino, *Contorv.* 4, I.4 *De Notis Ecclesiae* c.3-18. Cf. S.Th., *In Symbolum,* c.12: Ed. Vivés, 27 p.222.

3 Cf. De Guibert, n.107; Zapelena, th.i3 scholia 1 et 3 p.471 et 481; G.Thils, *Les Notes de VEglise* (1937)·

4 Cf. Vacant, *Etudes théologiques sur les Constit. du* Vatican.n.700-720. De hac demonstrationis via agemus in *Excursus* n. 1276s.

Bulla «Unam Sanctam». (1302): D 468 (U.S.C.A.).
Symb. Conc.Trident. (1546-1564): D 782 994 (U.S.C.A.).
Conc. Vaticanum (1870): D 1782 (S.C.A.R.); D 1794 (S.C.U.).
In Schemate reformato *de Ecclesia,* in *Vaticano* cn.16: «S.q. negaverit, solam Ecclesiam Romanam veram esse Christi Ecclesiam, Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam, A.S.» (Msi 53.317)·

1153. Valor dogmaticus. Igitur Ecclesiam esse necessario seu indefectibiliter Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam, est *Articulus Fidei divinae et catholicae* ab omnibus profitendus.

1154. I. Unitas est Ecclesiae proprietas necessaria (cf. Leo XIII: D 1954).

Notiones. Unitas est proprietas qua res est indivisa in se et divisa a qualibet alia. Unitas ergo excludit divisionem rei intraneam et non patitur ut res sit pars alicuius totius.
Unitas socialis, de qua loquimur, est plurium conspiratio in finem, sub suprema sociali potestate.
In Ecclesia distinguitur *triplex: fidei, regiminis* et *cultus,* seu «mentium, voluntatum et agendorum», ut ait Leo XIII in *Encyclica «Satis cognitum»:* D 1956.
Unitas fidei est concursus mentium in eadem fidei professione, sub supremo Ecclesiae Magisterio.
Unitas regiminis est conspiratio voluntatum in eundem finem socialem sub Ecclesiae suprema potestate regendi.
Unitas cultus est convenientia in celebratione sacrificii et in usu sacramentorum et actuum liturgicorum, sub Ecclesiae suprema potestate sanctificandi.

1155. Ad hanc triplicem unitatem socialem requiritur et sufficit subiectio supremae potestati docendi, regendi et sanctificandi a Christo institutae. Haec autem, si *Primatum supponimus,* erit monarchica, si vero *a Primatu praescindimus,* erit oligarchica, seu Collegium in Apostolis institutum, quod in Episcopis Apostolorum successoribus iugiter perdurat.
Unitas iuris est potestas, a Christo Ecclesiae collata, auctoritative exigendi ab hominibus triplicem dictam unitatem.
Unitas facti est eadem triplex unitas, ad quam homines obligantur, ab Ecclesiae membris de facto praestita.

1156. - Adversarii, a) *Unitatem regimini.*·· nc.'.nit "inm qui se Christianos appellant et autonomiam sectarum indcpcndentium propugnant.

Sic *Orientales,* maxime qui Ecclesias *autocephalas* agno.i mit, dicentes: «septa Ecclesiarum caelum non attingunt»s.

Etiam *Protestantes* omnes et *Anglicani,* ex quorum prine ipiis natae sunt tot Ecclesiae nationales vel saltem sectae ihn tia nae independentes, quae unitatem regiminis universalis admittere renuunt.

Hodierni latitudinarii, qui evolventes theoriam unitatis latioris, a calvinista Iurieu anno 1686 propugnatam, adhaerent thesi *Ecclesiae tripartitae,* ab Anglicanis Pusey et Palmer ca.1865 explanatae, vel defendunt adhuc magis latam unitatem *panchristianam* (cf. D 1685 2199)6. Vide quae diximus supra th.29 n.i 127.

1157. b) *Unitatem fidei* et consequenter *cultus* negant *Protestantes, Latitudinarii, Rationalistae* et *'Modernistae. Lutherani* et *Calviniani* priores theoretice hanc unitatem tenebant; sed ex eorum principio privatae interpretationis Scripturae, ortae sunt plures diversae confessiones. Hinc calvinista Iurieu defendit, unitatem fidei requiri solum circa *articulos fundamentales 'I.* Sed cum ab eis nulla agnoscatur auctoritas, quae definiat quinam sint tales articuli; ideo latitudinarii consequenter iam unitatem in fidei professione non requirebant. Tandem *Protestantes rationalistae,* ut Sabatier et Harnack, contenti interna «religione spiritus», nullam omnino fidei professionem exigunt. His accedunt *Modernistae:* D 2059.

1158. Probatur unitatem esse Ecclesiae proprietatem necessariam.

A. *Unitas Ecclesiae, ex Christi metaphoris: cf.* Leo XIII: D 1956.

Christus instituit Ecclesiam, societatem perennem, ut Regnum, ut Domum, ut unum Ovile, ut unum Corpus. Atqui societas perennis, a sapientissimo Architecto ad horum similitudinem aedificata, necessario erit una. Ergo Unitas est Ecclesiae proprietas necessaria.

5 Fr.Grivec, *Acta IV Conventus Velehradensis* (1925) 61. hanc sententiam Platoni Kijovensi attribuit; cf. Fr.Heiler, 227; St.Zankow, 61 nota 30, ait cam attribui Philareto Moskoviensi; cf. etiam Fr.Grivec, *Doctrina Byzantina de Primatu et Unitate Ecclesiae* (1921) 57-64.

6 D'Herbigny, n.227,5. agit de latitudinariis anglicanis. De divisionibus Panchnstianorum Commissio permanens Concilii Oecumenici Ecclesiarum declaravit mense iulio 1950: «Divisiones quae dantur inter Ecclesias sunt in contradictione cum natura Ecclesiae»; Irenikon 24 (1951) 39· Idem agnoverunt *Oecunienistae* in Evanston anno 1954. cf. n. 1127.

7 P.Jurieu, *Le vrai système de l'Eglise* (1686).

Mai. patet ex thesibus de institutione Ecclesiae et Primatus et eorum perennitate.

Min. Quia iuxta Christi doctrinam, si non esset una, neque esset perennis neque illa quam Ipse voluit. Ex Mt 12,25: *Omne regnum divisum contra se, desolabitur.* Ex Mt 12,25: Omnis *civitas vel domus divisa contra se, non stabit.* Ex Io 10,16: *Alias oves oportet me adducere et fiet unum ovile et unus pastor.* Ex i Cor 12,12: *Corpus unum est... omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus.*

1159. *Unitas iuris, ex triplici Ecclesiae potestate a* Christo instituta. Christus instituit in Collegio Apostolorum, perenniter duraturam triplicem potestatem docendi, regendi et sanctificandi, et homines obligavit ut huic potestati sese submitterent. Atqui in hoc consistit unitas iuris, de qua in notionibus. Ergo Ecclesia necessario erit una, unitate iuris.

Mai. patet ex thesi de institutione Ecclesiae: cf. Mt 28,18; Mc 16,15; Lc 10,10-16. Vide th.3 n.i 17-150.

Min. constat: quia si Apostoli et eorum successores perenniter ius et obligationem habent docendi, regendi et sanctificandi; fideles autem habent correlativam obligationem credendi, oboediendi et sacramenta suscipiendi; inde sequitur in Ecclesia esse indefectibiliter unitatem iuris triplicem, fidei, regiminis et cultus.

1160. C. *Unitas facti, ex sacerdotali Christi oratione: Io* 17,1-26. Christus petivit a Patre sollemniter, instanter et ob suprema motiva, perfectam Ecclesiae unitatem. Atqui talis Christi oratio non potuit non esse efficax. Ergo Ecclesia necessario est una unitate facti. Atqui haec unitas non esset perfecta nisi detur saltem in essentialibus. Ergo Ecclesia erit de facto una unitate fidei, regiminis et cultus, quae maxime essentialia in Ecclesia Christi sunt.

Mai. a) Oratio Christi sollemnis ad Patrem: Io 17,1-5. *b)* Petitio unitatis pro Apostolis: motiva et instantia; Io 17, 6-19. *c)* Petitio unitatis pro Ecclesia: unitas perfecta, insistentia: Io 17,20-26.

1161. D. *Unitas facti et iuris, ex S.Paulo:* Eph. 4,1-16. a) *Unitas facti,* ex fine vocationis fidelium: Eph. 4,1-6. Iuxta S.Paulum vocatio christiana ab omnibus vel maxime exigit unitatem, tam externam corporis socialis, quam internam animorum, quae sub uno Domino, una fide, uno baptismate, ducat

tandem ad plenam sublectionem Deo Patri. Ergo iuxta S.Paulum unitas facti est Ecclesiae proprietas necessaria.

b) *Unitas iuris, ex* fine institutionis ministrorum Ecclesiae: Eph. 4,11-16.

Iuxta S.Paulum Christus instituit Ecclesiae ministros ad aedificationem Corporis socialis, ad unitatem fidei et ad sanctificationem fidelium, in perfecta subordinatione Christo ut Capiti. Ergo iuxta S.Paulum unitas iuris est Ecclesiae proprietas necessaria.

Nota, apud S.Paulum sufficienter significari unitatem tam iuris quam facti esse *triplicem,* scilicet, in fide, in regimine et in cultu, patet ex Eph 4,5: unus *Dominus, una fides, unum baptisma;* Eph 4,11: *pastores et doctores ad consummationem sanctorum.* Sacramentum unitatis esse Eucharistiam vide apud J.Salaverri, *La Eucaristia, Sacramento de Union:* EstEcl 26 (1952) 453-465·

1162. E. *De unitate Ecclesiae testimonia Patrum. Didache* (pt.ioo); R 6,4; S.Ignat. (ca.107): R 56; Hermas (ca.150): R 93; Hegesippus (ca.t8o): R 188; Irenaeus (ca.196): R 192 241 257; Tertullian. (ca.200): R 292 296; Clem.Alex. (ca.202): R 435; Cyprian, (a.251): R 555s 587: Hilarius (ca.358): R 865; Optat.Milev. (ca.370): R 1242.

1163. II. Catholicitas est Ecclesiae proprietas necessaria.

Notiones. Catholicitas, etymologice καθ' δλον, significat universalitatem.

Vox non occurrit formaliter, at certe virtualiter in Evangelio Mc 14,9: *Ubicumque praedicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo* ει ὀλου τον κὸσμον. Id. Mt 26,13.

Ut epitheton Ecclesiae apparet primo apud S.Ignatium Antiochenum (t 107): *Epist. ad Smirneos* 8,2 (R 65,2): «ubi fuerit Christus Iesus, ibi Catholica est Ecclesia Et posterius (ca.157) in *Martyrio S.Polycarpi,* ex Ecclesia Smyrnae, 1 (R 77): «Ecclesia Dei, quae Smyrnae peregrinatur, omnibus ubique terrarum sanctae et Catholicae Ecclesiae paroeciis». Id. 8 (R 79). Etiam Antiochiae fideles i.° appellati sunt «Christiani» Act 11,26 s.

8 S.Paciani pulchrum memora dictum: «Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen: illud mc nuncupat, istud ostendit... Quare ab haeretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, cum Catholicus nuncupatur»: R 1243· Cf. S.V.Lerinen.: R 2168. S.August.: R 1548 1580. De notione Catholicitatis, cf. A.G.\RCfAUiEGo. *Katholike Ehhlesiu desde S.Ignacio hasta Origencs* (1953); J.Salaverri, *Ei dogma de la Catolicidad de la Iglesia y la Espiritualidad misionera:* MisExtr n.12 (1953) 6-32.

1164. *Catholicitas stricte* est Ecclesiae unius lata diffusio per orbem cum membrorum multitudine conspicua.

Importat duo: 1) velut *fundamentale,* est *unitas;* nam Ecclesia nequit dici per orbem diffundi nisi praesupponatur una; 2) velut formale, est lata diffusio cum membrorum multitudine conspicua.

Catholicitas iuris est virtus seu ius et officium divinitus Ecclesiae datum aggregandi sibi ubique terrarum omnes homines. Tali iuri correlata est obligatio hominum sese ubique aggregandi Ecclesiae. *Catholicitas facti* est actualis magnus numerus membrorum Ecclesiae ubique terrarum.

1165. *Catholicitas facti* distinguitur multiplex:

a) Esset *physica* si omnes homines ubique comprehenderet; *b)* est *moralis* si hominum multitudine et locorum diversitate splendeat; *c) Cath. moralis* esset *simultanea,* si simul ad omnes et ubique diffusa esset; *d) Cath. moralis* est *successiva,* si tantum temporibus successivis ad omnes hommes et ubique pervenit.

Cath. mor. simultanea: e) dicitur *temporanea,* gi per aliquod tempus est duratura; *f)* dicitur *perpetua,* si semel acquisita, est semper in essentialibus perduratura.

Moralis Catholicitas facti: g) est *absoluta* ea quae Ecclesiae competit in se sine respectu ad alios coetus; *h)* est *relativa* ea maior catholicitas quae ei competit si comparetur cum aliis coetibus christianis.

1166. Status quaestionis Asserimus Ecclesiae *Catholicitatem iuris* plenam et perfectam; *catholicitatem vero facti,* non physicam, sed moralem, absolutam et relativam, simultaneam et perpetuam.

1167. Setentiae catholicorum de accidentalibus in hac re.

a) *Catholicitas facti* asseritur: 1) inde *ab aevo apostolico,* a Murray, Billot, Van Laak, aliis: 2) inde *a tempore S.Irenaei* saec.II (R 192), a Bellarmino, SuÁrez, Mazzella, aliis; 3) dari *iam saeculo* III, a Hurter et aliis; 4) inde *ab Imperio Constantini I,* saec.IV, a Wilmers et aliis; 5) *imperfecta* aevo apostolico, *perfecta a tempore S.Augustini, a* Mendive 9.

1168. b) *Catholicitas facti,* ut proprietas necessaria, asseritur solum *successiva* a Driedo, M.Cano, Bellarmino. Ab aliis communissime tenetur *simultanea 10.*

9 1) P.Murray, *De Ecclesia 2,62;* L.Billot, *De Ecclesia* q.5 th.6 § *2;* Van Laak, De *ecclesia tractatus dogmaticus 262s. 2)* S.Bellarmino, *Controv. de Ecclesia* l.4 c.7; SuArez, *Def. fidei* l.r c.16 n.9, quem sequitur Mazzella, *De Ecclesia n.698.* 3) H.Hurter, *Theol. compend.* :,300. 4) G.Wilmers, th.92 n.329. 5) J.Mendive, *Instil. Theol.* l n.T4t.

>ü Driedo, *De Scripturis el Dogmatibus* I.4 c.2; M.Cano, *De locis* I.4 c.6 resp. ad 13; S.Bellarmino, *De Eccles.* I.4 c.7.

c) *Catholicitas facti* non solum absoluta, sed *etiam relativa* seu in comparatione cum aliis sectis Christianis singillatim sumptis, asseritur communissime, saltem ut probabilior sententia 11.

d) *Catholicitas facti* asseritur *perpetua,* non necessario physice, sed solum *moraliter,* ut probabilior sententia, a Suarez, Van Laak et Zapelena 12.

1169. Adversarii. 1) Omnes, qui veram Ecclesiae unitatem non tenentes, fundamentum verae *catholicitatis* tollunt, de quibus in parte praecedenti fuit sermo. In specie *Anglicani, Lutherani* et *Calviniani;* fautores hodierni *Panchristianismi,* qui nomen *Catholicitatis* confoederationi omnium Christianarum confessionum reservare volunt13.

2) Omnes tam protestantes quam anglicani et schismatici, qui ex eorum principiis logice et de facto ducuntur, sive volentes sive nollentes, ad amplectendas *ecclesias nationales* autonomas.

3) *Schismatici orientales* quam plurimi qui genuinum catholicitatis conceptum iam non tenent. Etenim abstrahentes a catholicitate locali, eam reducunt ad universitatem illorum omnium qui iuxta eorum placita vel de facto pertinent, vel de iure pertinere debent ad Ecclesiam Christi 14.

1170. Valor dogmaticus. Cum Ecclesia tenemus tamquam *de fide catholica* catholicitatem iuris plenam et perfectam, necnon veram catholicitatem facti moralem. In reliquis, de quibus inter catholicos disputatur, nostram sententiam defendimus ut probabiliorem.

1171. Probatur 1) Catholicitas iuris.

Christus commisit uni Ecclesiae ius vel officium aggregandi sibi ubique omnes homines, cum obligatione hominum tali iuri vel officio correlata. Atqui in tali iure vel officio cum obligatione correlata est catholicitas iuris. Ergo Ecclesia necessario est catholica catholicitate iuris.

Min. patet ex notionibus.

11 Cf. De Guibert, 0.125,3. Eam ut certam tenere videntur: Stapleton, *Principiorum fidei doctr. demonstratio: Contr.* 1 1.40.3s; Suarez, *Def. fidei* l.i c. 160.19-24; Billuart, *Dereg. fidei* diss.3 a.4 § 2 0.3; Murray, *De Eccles.* 2,69-71; Hurtfr, th.60; De Groot, q.5 a.4; Wilmers, n.333: Mazzella, 0.701; Billot, th.7 § 2; De San, *De Eccles.* n.163-66; Van Laak, *De Eccles. tract, dogmat.* 254-62; Straub, n.1346; Lercher, n.439· Non audet hoc tenere Schultes, a.21 0.4e.

>2 Van Laak, *De Eccles.* 251; Zapelena, th.n schol.i.

13 Fr.Heiler, *Urkirche und Ostkirche* (1937) Einleitung: Der Namen Kathohsch und seine Geschichte, 1-19.

14 M.Jugie, *Theol. Orient.* 4,565-72; A.Deubner, *La traduction du mot* Καθολικήν *dans le texte slave du Symbole:* OrChr 16 (1929) 54-66; B.Schultze, *L'idea di 'Sobornost* nella chiesa russa di oggi:* Documenti e studi di espansione cristiana 5 (1948) 3XQ-3SO·

Mai. probatur: *a)* ex Mt 28,18-20: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo* (ius et mandatum exercendum ubique, obligationem correlatam includens): *Docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine P. et F. et Sp.St.* (ius aggregandi omnes, simul et absolute): *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (ius uni Ecclesiae, quia omnia omnibus et quidem physice): *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (catholicitas iuris perpetua).

Mai. probatur: *b)* ex Mc 16,15-16.20: *Euntes in mundum universum* (mandatum exercendum ubique): *Praedicate Evangelium omni creaturae* (ius aggregandi omnes uni Evangelio seu Ecclesiae): Qui *crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur* (obligatio iuri correlata erga omnes physice, simul, perpetuo et absolute): *Illi profecti praedicaverunt ubique, Domino coopérante et sermonem confirmante* (mandati impletio Domino assistente).

1172. **Probatur** 2) Catholicitas facti.

Catholicitas facti est actualis magnus numerus membrorum Ecclesiae ubique moraliter, simultaneus, perpetuus. Atqui ex attestatione divina talis magnus numerus membrorum convenit Ecclesiae. Ergo Ecclesia necessario erit catholica catholicitate facti.

Mai. est definitio catholicitatis facti cum eius proprietatibus.

Min. probatur: A. ex Mt 13,24-30.36-43: *Parabola zizaniorum. Magnus numerus,* quia est velut densa plantatio crescens in agro. *Ubique,* quia ager est mundus. *Moralis,* quia simul cum tritico crescunt zizania. *Simultaneus,* quia est velut una plantatio. *Perpetuus,* quia messis consummatio saeculi est.

1173. Minor probatur: B. ex Ps 71 qui, ut ait S.Hieronymus, «ad prophetiam Christi et Ecclesiae pertinet» et ut messianicus habetur ab antiquis interpretibus iudaeis, nec non ab omnibus SS.Patribus et exegetis christianis. In hoc psalmo sermo est de Christo Rege et de eius Regno. Asseritur: a) *numerus* subditorum *magnus* (v.i 1.18) *Omnes gentes servient ei... et benedicentur in ipso omnes tribus terrae: omnes gentes magnificabunt eum;* b) *ubique* (v.8.20) et *dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum... et replebitur maiestate eius omnis terra; c) moralis* (v.9.12) *inimici eius terram lingent... quia liberabit pauperem a potente;* d) *perpetuus* (v.5.7.15.17.20) et *permanebit cum sole in generatione et*

generationem... donec auferatur luna... et adorabunt de ipso semper... nomen eius benedictum in saecula... et nomen maiestatis eius in aeternum; e) *simultaneus* quia numerus magnus ubique et semper (a, b, d) 15.

1174. Minor confirmatur: C. *Catholicitas facti* prophetice a Christo annuntiatur Lc 24,46-47: *Quoniam sic scriptum est et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortis tertia die: et praedicari in nomine eius paenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab lerosolyma;* et Act 1,8: et *eritis mihi testes in lerusalem, et in omni ludaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae;* necnon apud Mt 8,11; 24,14: *Praedicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus et tunc veniet consummatio.* Eandem catholicitatem prophetice praenuntiatam invenimus in Is 2,2; Dan 2,35; 7,14; Zach 9,10; Mal 1,11; Ps 2,8; 21,28; aliisque locis Veteris Testamenti 16.

1175. D. *De catholicitate facti testimonia Patrum: Ecclesia Smyrnae* (ca.157): R 79; Irenaeus, (ca.180): R 192; *Canon Muratorianus* (ca.200): R 268,55; Cyprianus (a.251): R 556 587; Cyryll.Hierosol. (a.348): R838S; Pacianus (ca.390): R 1243; Augustinus (ca.408): R 1422; (ca.391): R 1548; (a.393): R 1562; (a.397): R 1580 17.

1176. III. Apostolicitas est Ecclesiae proprietas necessaria.

Notiones. Apostolicitas *fundamentaliter* est perennis in Ecclesia identitas missionis, quam Christus Apostolis tradidit cum Ecclesiam instituit. Apostolicitas distingui solet saltem triplex:

1) *Originis,* quae est essentialis identitas, non solum specifica sed individua constitutionis hodiernae Ecclesiae cum ea, quae cum Apostolis et ab Apostolis orta est.

2) *Doctrinae,* quae est obiectiva et individua identitas doctrinae Ecclesiae hodiernae cum doctrinae deposito ab Apostolis accepto et tradito.

3) *Successionis,* quae est iuridica identitas potestatis do-

15 Ex Mt 2,11, collate Ps 71,10.15, inferri potest, messianicum esse Ps 7t. Cf. Knabenbauer in Ps 71. Sensus versuum, quos ex Vulgata citamus, coincidit cum sensu novae versionis Psalmorum. Cf. E.Pannier, *Les Psaumes,* ap. L.Pirot, *La S.Bible, 5* (1937); E.Kalt, *Die Psalmen,* ap. Herders, *Bibelkommentar, 6* (1937).

16 Cf. Zapelena, th.i 1,2 p.412.

17 Cf. Ottiger, 2,450-54. S.Ambrosius, *In Luc.* I.9 n.29: «Pauperibus atque divitibus, humilibus atque potentibus, servis ac dominis in Ecclesia Dei aequa dimensio, nulla discretio est>: ML 15,1800. De relatione Catholicitatis ad Missiones inf delium cf. Ch.Journet, *L'Eglise du Verbe Incarné,* 2,1207-1252: J.Salaverri, *El dogma de la Catolicidad y la Espiritualidad misionera:* MisExtr n.12 (i9S3) 6-32.

cendi, sanctificandi et regendi Ecclesiae hodiernae cum ordinaria Apostolorum potestate legitima successione transmissa.

1177. Identitati 1) *Originis* non obstant accidentales modificationes quibus Ecclesiae paticulares donantur ut Christi Ecclesia sese accommodet omnibus ut omnes lucrifaciat. Identitati 2) *Doctrinae non* opponuntur ulteriores declarationes, quibus Ecclesia depositum explicat et intelligentiis nostris accommodat. Identitati 3) *Successionis* non officiunt determinationes iuris ecclesiastici, statutae ad aptiorem applicationem iuris divini.

1178. Ex hierarchica Ecclesiae constitutione infertur, apostolicitatem tam originis quam doctrinae necessario includi sub apostolicitate successionis in potestate docendi, regendi et sanctificandi.

Apostolicitas successionis distinguitur duplex: 1) *materialis,* est mera continuatio unius personae post aliam in aliquo munere, sine necessaria eiusdem iuris permanentia; 2) *formalis,* est suffectio unius personae in iura et obligationes alterius circa aliquod munus, sine ulla iuris mutatione.

Apostolicitas successionis formalis est ergo illa apostolicitas successionis antea sub 3) definita; quae erit *directa* si successione non interrupta ascendit ad aliquem Apostolum, primum eiusdem Ecclesiae pastorem; erit vero *indirecta* si primus in successorum serie iurisdictionem rite accepit ab aliquo alterius Ecclesiae pastore, qui eam legitime conferre poterat.

1179. Adversarii. 1) Radicitus *omnem apostolicitatem* Ecclesiae negant *Evolutionistae,* tam *rationalistae* quam *modernistae,* qui Ecclesiam legi evolutionis in omnibus subiectam dicunt (cf. D. 2053-2065).

2) *Apostolicitatem doctrinae* non tenent *Protestantes, Latitudinarii* et *Panchristiani,* qui post Iurieu identitatem et unitatem doctrinae tantum in essentialibus quibusdam paucis dogmatibus exigunt, vel nullam doctrinae identitatem necessariam censent: cf. supra n.1157.

3) *Apostolicitatem successionis,* vel omnino negant illi qui post Marsilium Patavinum hierarchiam divinitus institutam in Ecclesia inficiantur, vel eam ita explicant ut sint contenti successione mere materiali, ut *Anglicani* et plurimi *Schismatici,* vel tandem propugnant, ut *Protestantes,* successionem apostolicam non esse Ecclesiae proprietatem necessariam [18].

18 Adversariorum Apostolicitatis sententias vide: *i.°* *Rationalistarum* in th.3 n.124-27; 2.0 *Latitudinariorum* inter adversarios panis praecedentis huius theseos; 3.° *Protestandum* n th.3 n.123; 4.0 *Schismaticorum* apud Jugie, 4.574-77.

1180. Probatur Apostolicitas successionis formalis, in qua aliae includuntur.

A. Quod Christus instituit perenniter in Ecclesia est eius proprietas necessaria. Atqui Christus perenniter instituit iuridicam identitatem potestatis Ecclesiae omnium aetatum cum ordinaria Apostolorum potestate, formali successione transmittenda. Ergo apostolicitas successionis formalis est Ecclesiae proprietas necessaria.

Consequentia patet, quia in minore est definitio apostolicitatis successionis. *Mai.* constat, est enim ipsa definitio proprietatis necessariae.

Min. explicatur: 1) Christus instituit iuridicam identitatem potestatis, quia non aliam potestatem nisi suam ipsam missionem contulit Apostolis, et quidem perenniter duraturam, prout iam probatum manet ex Io 17,18; 20,21; Mt 28,18-20; Io 14,16.26.

Min. explicatur: 2) Identica Apostolorum potestas est perenniter successione formali transmittenda, quia perennitas a Christo promittitur eisdem Apostolis: Mt 28,20; Io 14,16; atqui non eisdem physice; ergo eisdem moraliter seu iuridice, id est, absque ulla iuris mutatione, seu successione formali.

1181. B. S.Irenaeus et Tertullianus efferunt successionem formalem ab Apostolis esse Ecclesiae proprietatem distinctivam; ergo etiam necessariam. *Antecedens* iam probatum est in thesi 8 de successoribus Apostolorum. Cf. R 209-213 292s 296-298 341. Cf. S.Cyprianum: R 589.

1182. IV. Sanctitas est Ecclesiae proprietas necessaria.

Notiones. Sanctitas maxime Deo convenit, qui appellatur Apoc 4,8 et Is 6,3 Sanctus, *Sanctus, Sanctus Dominus Deus.*

Prout Deo convenit, iuxta Ps.-Dionysium, «*Sanctitas* est ab omni scelere libera, et omnino perfecta, et omni ex parte immaculata puritas». Hac definitione describitur sanctitas quae est Deo substantialis; ideo S.Thomas: hac sanctitate, inquit, «significatur puritas divinae bonitatis» 19

Sanctitas etiam rebus creatis per participationem convenit, ex earum nempe Deo dedicatione vel varia cum Deo unione, prout est omnium primum principium et ultimus finis oeconomiae salutis supernaturalis. Haec participata sanctitas distinguitur duplex:

19 Ps.-Dionys., *De divinis nominibus* c.izn.2: MG 3.97°; S.Th.. i q.36 a.i ad 1; 2.2 q.81 a.8; cf. L.Lercher, *Inslit.* 3 n.oo; S.Ambrosius: «Solus per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Iesus» *In Luc.* 2.19: ML 15.1573·

i) *Ontologica* est illa sanctitas quae rebus ut talibus accedit; 2) *Moralis* sanctitas est illa quae personis ut talibus competit, ratione nempe suorum actuum humanorum vel moralium.

1183. 1) *Sanctitas ontologica* Ecclesiae necessario convenit multiplici de causa:

a) ratione eius Sanctissimi Auctoris et Capitis, qui est *Christus; b)* ratione eius quasi animae seu vitae principii, qui est *Spiritus Sanctus; c)* ratione eius finis, qui est sanctificatio et salus hominum: *d)* ratione mediorum, quae sunt doctrina fidei et morum, leges et praecepta, sacrificium et sacramenta; *e)* ratione fructuum, qui sunt gratiae, virtutes et charismata. Haec autem omnia sancta sunt.

1184. 2) Ecclesiae necessario convenit etiam *sanctitas moralis* ratione membrorum. *Sanctitas moralis* est virtus, qua mens, ab immunditia libera, «seipsam et suos actus firmiter applicat Deo»20. Igitur duo importat: *munditiam a peccatis* et *unionem mentis firmam cum Deo;* et potest esse vel *actualis* vel *habitualis,* prout habeatur per modum actus vel per modum habitus.

Sanctitatis moralis tres gradus assignari solent:

a) *Sanctitas ordinaria,* quae importat absentiam et fugam peccati mortalis, cum gratia et observatione praeceptorum.

b) *Sanctitas perfecta,* quae importat absentiam peccati mortalis et fugam venialium, cum gratia et observatione etiam consiliorum.

c) *Sanctitas heroica,* est sanctitas perfecta, quae excellit etiam in minimis et maxime arduis rebus.

1185. Status quaestionis. Ecclesiae necessario competere sanctitatem ontologicam, patet ex dictis sub 1). Ecclesiam esse necessario sanctam sanctitate morali asserimus in hoc sensu, quatenus inter Ecclesiae membra necessario semper erunt sancta: *a)* aliqua, sanctitate heroica, *b)* plura, sanctitate perfecta, *c)* plurima, sanctitate ordinaria.

1186. Adversarii. 1) *Per excessum* opponuntur thesi *rigoristae, pessimistae* et *puritani,* qui exigunt ut Ecclesiae membra sint omnes et soli sancti. De his sermo fuit in thesi 27 de membris Ecclesiae. Praecipui sunt *Novatiani, Donatistae, Fra-*

20 S.Th., 2.2 q.8i a.8. Vide I.Solano: SThS 3 1,231-234. Cf. J.Salaverri, *Lo divino y lo humano en la Iglesia:* EstEcl 27 (1953) 167-201.

ticelli, Wicleff, Hus necnon *lansenistac* ut Quesnel et *Pistorienses* (cf. D 485 596 616 638 642 656 1423-1428 1515).

2) *Per defectum* adversantur *Protestantes* tenentes, sola imputatione iustitiae Christi, per fidem solam fiducialem sine operibus, homines iustificari (D 821-24); ideo conceptum ipsum sanctitatis pervertunt. De *ontologica* Ecclesiae sanctitate detrahunt *Protestantes,* dum naturam et efficaciam sacramentorum et sacrificii eucharistici vel evertunt vel negant (D 8445s).

3) *Orientales* magis immorantur in explicanda ontologica Ecclesiae sanctitate, et saepe de morali sanctitate tacent[21].

1187. Probamus sanctitatem moralem esse Ecclesiae proprietatem necessariam.

A. *De sanctitate morali ordinaria.*

a) *Ex Ecclesiae sanctitate ontologica activa.* Ecclesia est multiplici ratione *ontologice et active* sancta. Atqui sanctitati ontologicae et activae in Ecclesia necessario respondere debent fructus sanctitatis moralis saltem ordinariae. Ergo Ecclesia est necessario sancta sanctitate morali saltem ordinaria.

Mai. patet ex notionibus sub. 1): Ex eius Capite, Anima, sacrificio, sacramentis, virtutibus, donis etc. quibus efficitur sanctitas membrorum Ecclesiae.

Min. constat ex necessaria similitudine inter effectum et causam, quae si non adesset, rationem exsistendi Ecclesia non haberet, prout ipse Dominus arguit apud Mt 7,17-19.

1188. b) *Ex Ecclesiae fine.* Ecclesiae finis est salus hominum supernaturalis, quae non nisi sanctitate saltem ordinaria obtineri potest. Atqui finis Ecclesiae, a prudentissimo auctore institutae, necessario obtinendus est. Ergo Ecclesia necessario erit sancta sanctitate morali saltem ordinaria.

Min. confirmari potest *ex parabola seminantis,* in qua annuntiantur fructus centesimus, vel sexagesimus, vel trigesimus eorum quae in Regno Dei seminata sunt in terram bonam: Mt 13,23.

1189. B. *De sanctitate morali perfecta. Ex indole propria Legis Novi Testamenti.* Finis proprius Legis Novae, prout contradistinguitur a Veteri, est sanctitas moralis perfecta. Atqui talis finis indefectibiliter obtinendus est. Ergo Ecclesia indefectibiliter erit sancta sanctitate morali etiam perfecta.

21 Cf. Jugie, 4,540-46; Spacil, *Conccp. Eccl. iuxta Orient,* n.77-80.

Mai. probatur ex perfectione Legi Veteri a Christo addita in censtituenda Nova Lege: Mt 5,17-20.2158.2753.3353.3853. 43SS. Confirmatur ex Mt 19,16-25, ubi effertur perfectio quam Christus exigit ab iis qui eum sequuntur, et explicatur illud: Si *vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus; et veni, sequere me.*

Min. deducitur ex eo quod Christus praecepit «servare omnia quaecumque mandavit Apostolis», et ad hoc promisit: *ecce ego vobiscum sum:* Mt 28,19s. Ergo nunquam deerit virtus ad efficaciter obtinendam moralem perfectionem, quam Christus voluit et observandam mandavit in Ecclesia; et consequenter sanctitas etiam perfecta indefectibiliter in Ecclesia invenietur.

1190. C. *De sanctitate morali etiam heroica.*

a) *Ex eo quod Christus voluerit Ecclesiam Sponsam se dignam:* Eph 5,23-30. Ecclesia exhibetur ut Sponsa Christi, quam Dominus diligit, nutrit et fovet, ut eam reddat omnino sanctam et se dignam. Atqui Ecclesia non esset omnino sancta ut Sponsa Christo digna, nisi sanctitate etiam heroica corresponderet amori heroico quo Dominus seipsum tradidit pro ea. Ergo Ecclesia necessario erit sancta sanctitate morali etiam heroica.

1191. b) *Ex praecepto et exemplo caritatis heroicae a* Christo Ecclesiae datis: 1 Io 3,16: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Unde arguimus: Christus dedit exemplum et praeceptum caritatis heroicae, ut characteristicum suae Ecclesiae, illudque praenuntiat fore de facto implendum. Ergo Ecclesia indefectibiliter erit sancta sanctitate etiam heroica.

Antec. Exemplum et praeceptum heroicae caritatis ut characteristicum: Io 13,34s; 15,9-20. Praenuntiatur de facto implendum: Io 16,1-4.20.33. Non restringitur solis Apostolis: ex Io 3,16 et ex 1 Petr 2,21. *Antec.* etiam probari potest ex Mt 10,175.24-28, ubi Christus exigit a suis ut propter nomen eius persecutiones et mortem perpetiantur.

1192. D. Pro *Ecclesiae sanctitate morali testimonia SS.Patrum. Epist. ad Diognet.* 5,8-16: R 97; Aristides, *Apol.* 15: R 112; Iustinus, *Apol.* 1,14: R 118; Theophil., *ad Autolyc.* 3,15: R 186; Irenaeus, *Adv. haer.* 3,24,1: R 226; Min.Felix, *Octav.* 31: R 271; Tertull., *Apologet.* 38s: R 280s; Origenes, *Contra Celsum* 1,26; 3,29: R 516 525; Adamantius, *Dialogus* 5,28: R 544; Lactantius, *Div. Inslit.* 5,13,1 iss: R 640; Cyrill.Hierosol., *Catecheses* 18,23: R 838 22.

22 SS.Patrum plura alia testimonia vide apud Straub, 0.1323-25.1331-34·

1193. Obiectiones 23. A. *Contra unitatem. 1.* Unitas, quam commendat Chris'tus apud Io 17,21-23, sicut et perfectio quam in sermone montano commendavit, Mt 5,48, est exemplar aliquod ideale ab extrinseco Ecclesiae propositum. Atqui tale exemplar, utpote Ecclesiae extrinsecum, nequit esse eius proprietas necessaria. Ergo unitas quam Christus Ecclesiae commendavit non est eius necessaria proprietas.

Dist. mai. Unitas quam Ecclesiae Christus commendavit est exemplar ideale mere theoreticum, nego *mai.;* practicum, *subdist. :* quod Ecclesia, gratia Dei adiuta, vere semper imitari potest et de facto imitatur, *conc.;* quod in tota sua ideali perfectione ab Ecclesia adimpleri debeat vel possit, *nego. Contradist. min.* Tale exemplar ut theoreticum nequit esse Ecclesiae proprietas, *conc. min.;* ut practicum, *subdist. :* nequit esse Ecclesiae proprietas quatenus in tota sua ideali perfectione impleri non potest, conc.; quatenus vere imitabile et de facto imitatum est, nego.

1194. 2. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine Christi ibi est Christus in medio eorum: Mt 18,20. Atqui ubi est Christus ibi est Ecclesia. Ergo ad unitatem Ecclesiae habendam sufficit quaelibet congregatio in nomine Christi.

Iuxta contextum loci citati, *dist. mai.* Ubi sunt duo vel tres congregati ad orandum in nomine Christi ibi adest Christus eorum orationem exaudiens, conc. mai.; ibi adest Christus praecise tamquam Caput sui Mystici Corporis constituti, nego mai. *Contrad. min.* Ubi est Christus praecise tamquam Caput sui Mystici Corporis constituti, ibi est Ecclesia, conc. *min.;* ubi est Christus mere ut orationes deprecantium exaudiens, ibi est Ecclesia, nego min. Nam in domo Cornelii antequam baptizaretur, adfuit vere Christus illius familiae orationes exaudiens: Act 10; attamen ibi non erat Ecclesia, quia nondum baptizati fuerant.

1195. 3. Io uno *Spiritu omnes nos in unum Corpus baptizati sumus... et omnes* in uno *Spiritu potati sumus:* 1 Cor 12,13. Atqui unitas, cuius ratio et principium est unus Spiritus, interna et spiritualis dicenda est. Ergo unitas Ecclesiae est interna et spiritualis.

Attento ipso textu, *dist. min.* Unitas cuius ratio et principium animicum est unus Spiritus, primario et praecipue interna et spiritualis dicenda est, conc. *min.;* mere interna et spiritualis dicenda est, *subdist.: si* positive excludat unitatem Corporis visibilem, conc.; si secum etiam ferat unitatem Corporis visibilis, *nego.* Nam expresse effert: *omnes nos in* unum Corpus *baptizati sumus, in* quibus visibilitas exprimitur. Pariter *dist. cons.*

1196. 4. *Quoniam* unus *panis, unum Corpus multi sumus; omnes enim* (yap) *de uno pane participamus :* 1 Cor 10,17. Unde, causa et ratio unitatis Corporis Ecclesiae visibilis est participatio de uno eodemque pane eucharistico. Ergo unitas saltem fidei et regiminis non requiruntur.

Dist. antec. Causa exemplaris et ratio symbolica unitatis Corporis Ecclesiae visibilis est participatio de uno eodemque pane eucharistico, conc. antec.; causa adaequata et ratio sufficiens unitatis Corporis Ecclesiae est talis participatio, nego *antec.* Rationem distinctionis habes in *Conc.Tridentino:* D 882, et apud SS.Chrysostomum et Augustinum: R 1194 1519 1824. Cf. J.Salaverri, *Sacramento de unidn:* EstEcl 26 (1952) 453-465.

23 Cf. Zapelena, 417.424; Muncunill, 11.189-192.2055.218-222.230; Dorsch, 578». 605.614; D'Herbiony, n.210.235.260; De Guibert, n.118.126.130.136.

*I*197. 5. Prout constat ex thesi 18, in scholio 1, datur in Ecclesia verus progressus dogmaticus, vi cuius nequit esse unum idemque semper id quod creditur. Atqui ex unitate credendorum pendet unitas fidei. Ergo in Ecclesia nequit dari vera unitas fidei.

Dist. *mai.* Obiective, *nego mai.;* subiective, subdist. : vi cuius nequit esse unum idemque quod creditur explicite, *conc.;* implicite, *nego. Contradistincta min., negatur cons. et consequentia.*

1198. B. *Contra catholicitatem.* 6. Pertinentes ad Ecclesiam sunt Genus *electum et Cives Sanctorum:* 1 Petr 2,9; Eph 2,19. Atqui *Pauci sunt electi et Pauci sunt qui inveniunt arctam viam quae ducit ad vitam:* Mt 7,14; 20,16. Ergo Ecclesia non est multorum seu catholica.

Dist. mai. Pertinentes ad Ecclesiam sunt genus electorum ad gratiam et cives Sanctorum sanctitate quae progredi possit, conc. mai.; sunt genus electorum praecise ad gloriam et cives Sanctorum sanctitate consummata, subdist. : pertinentes ad Ecclesiam triumphantem in patria, conc.; militatem in via, nego. *Contradistincta* min., nego *cons. et consequentiam.*

*I*199. 7. Proprietas Ecclesiae necessaria nunquam ab ea deesse poterit. Atqui catholicitas facti defuit initio, cum Ecclesia erat «pusillus grex» (Lc 12,32), et deficiet in fine, cum «Filius hominis veniens non inveniet fidem in terra» (Lc 18,8). Ergo catholicitas facti non est Ecclesiae proprietas necessaria.

Dist. mai. In illo tamen gradu qui respondeat diversis stadiis evolutionis Ecclesiae, ad analogiam corporis hominis, cui illam Christus assimilavit, *conc. mai.;* in eodem invariabili semper perfectionis gradu, nego *mai. Contradist. min.* Catholicitas facti defuit initio et deerit in fine, in illo perfectionis gradu qui respondet organismo perfecte evoluto et vigore pleno, *conc.* min.; in illo gradu correspondent! organismo nascenti et adolescenti, aut ad suum finem appropinquanti, nego min.

1200. 8. Harnack affirmat non esse ipsius Christi asserta ea omnia quae universalismum et catholicitatem significant, quamvis in eius ore ab Evangelistis ponantur. Ergo iuxta eum, non Christus, sed Evangelistae voluerunt Ecclesiae catholicitatem.

Nego antec. Nam i.°, quod gratis Harnack asserit, iure a nobis negatur; 2.°, quod Hamack asserit componi non potest cum genuinitate, veracitate et integritate Evangeliorum in tractatu praecedenti iam probatis 24.

1201. C. *Contra apostolicitatem.* 9. Verba Christi, ex quibus arguimus, probant quidem, solos Apostolos illos, qui relictis omnibus secuti sunt Christum, directe et immediate missionem Christi accepisse; probant etiam hanc Christi missionem perpetuandam esse usque ad consummationem saeculi. Atqui ad hoc non est necessaria nec sufficit successio formalis, sed solum requiritur et sufficit ut semper exsistant Apostolorum aemulatores, qui relictis omnibus se totos tradant ministerio continuandi opus Christi. Ergo ex verbis Christi Domini non probatur, apostolicitatem successionis formalis esse Ecclesiae proprietatem necessariam.

Conc. mai. primam partem; sed dist. *secundam.* Probant etiam Christi missionem perpetuandam esse ab illis qui nullo vero modo possint dici ipsi *Apostoli, nego;* ab illis qui vero modo possint dici *ipsi Apostoli, subdist. :* qui possint dici ipsi Apostoli saltem moraliter et iuridice, *conc.;* qui possint dici ipsi Apostoli personaliter et physice, *nego. Contradist. min.* Ad hoc ut missio

24 Ad singula vide D'Herbigny, De *Ecclesia* n.250.

Christi perpetuetur in illis qui nullo vero modo possint dici ipsi Apostoli, sufficiunt Apostolorum aemulatores continuantes opus Christi, *conc. min.;* sufficiunt hi Apostolorum aemulatores ut missio Christi perpetuetur in illis qui possint dici *ipsi Apostoli* moraliter et iuridice, *subdist. :* si successione formali ab Apostolis polleant, *conc.;* sine tali formali successione, nego. Ratio distinctionis sumitur ex eo quod Christus dicat directe et immediate ipsis Apostolis: «Sicut misit *me* Pater et ego mitto *vos»;* «Ecce ego *vobiscum* sum usque ad consummationem saeculi»; «Spiritus ipse *vos* docebit omnia». Ergo promissiones factae sunt *ipsis* Apostolis, et usque ad consummationem saeculi implebuntur in ipsis saltem moraliter et iuridice, id est, in formalibus eorum successoribus.

X2O2. 10. Ecclesia Christi est ea in qua fructuose et efficaciter exercentur potestates ab Apostolis acceptae docendi, sanctificandi, regendi homines. Atqui hae potestates fructuose et efficaciter exercentur in Ecclesia quae successione formali caret. Ergo apostolicitas successionis formalis non est Ecclesiae proprietas necessaria.

Dist. min. Hae potestates fructuose et efficaciter exercentur in Ecclesia quae caret successione formali in potestate ordinis, *nego min.;* quae caret successione formali in potestate iurisdictionis, *subdist.:* fructuose et efficaciter exercentur vi delegationis vel supplentiae saltem implicitae illius qui vere habet successionem formalem, *conc.;* sine hac delegatione vel supplentia saltem implicita, nego.

1203. ii. Ex S.Paulo: *Estis... superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Ipse enim dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas... in aedificationem Corporis Christi :* Eph 2,20; 4,11. Ex quibus verbis ita arguunt: Ecclesia Christi aequo iure immediate aedificata est supra Apostolos ac supra Prophetas. Atqui Ecclesia aedificata immediate supra Prophetas non eget apostolicitate successionis, sed obtinet successionem propheticam quae sufficit. Ergo apostolicitas successionis non est Ecclesiae Christi proprietas necessaria.

Dist. *mai.* Ita tamen ut Prophetae necessario coordinentur et subordinentur Apostolis, *conc. mai.;* sine tali coordinatione et subordinatione, *nego mai. Contradistincta minori, nego cons. et consequentiam.* Ratio distinctionis desumitur ex nota S.Pauli doctrina, qua nobis exhibet omnes Ecclesiae charismaticos in perfecta coordinatione et subordinatione relate ad Apostolos.

1204. D. *Contra sanctitatem.* 12. Sanctitas moralis est fructus libertatis. Atqui fructus libertatis non sunt necessarii. Ergo sanctitas moralis non est proprietas Ecclesiae necessaria.

Dist. *mai.* Sanctitas moralis est fructus libertatis hominum cum efficaci Dei auxilio, *conc. mai.;* sine efficaci Dei auxilio, nego *mai. Contradist.* min. Fructus libertatis independenter ab efficaci Dei auxilio non sunt necessarii, *conc. min.;* dependenter ab efficaci Dei auxilio, *subdist.:* non sunt necessarii necessitate antecedenti libertatis exercitium, *conc.;* non sunt necessarii necessitate consequenti libertatis exercitium, *iterum subdist. :* non sunt necessarii necessitate logica, vi cuius, salva omnino creaturae libertate, infallibiliter tamen ab efficaci Dei providentia obtinentur, nego; non sunt necessarii necessitate physica, vi cuius efficax Dei providentia creaturam necessario determinaret ad unum, conc.

1205. 13. Christus sanctitatem moralem proposuit ut exemplar, sed efficacem suam providentiam non promisit ad illam obtinendam. Atqui sine

efficaci Dei providentia nequit Ecclesia indefectibiliter esse sancta. Ergo sanctitas moralis nequit dici proprietas Ecclesiae necessaria.

Dist. mai. Ad moralem sanctitatem obtinendam Christus efficacem suam providentiam Ecclesiae non promisit, explicitis et expressis verbis, *trans, mai.;* implicite saltem attamen vere et certo non promisit, nego *mai. Contradist. min. Nego cons. et consequentiam.*

14. Ab observantia consiliorum evangelicorum pendet sanctitas perfecta Ecclesiae. Atqui illam Christus non absolute et efficaciter voluit, quia illam non praecepit. Ergo neque sanctitatem perfectam absolute et efficaciter voluit, adeoque non est proprietas Ecclesiae necessaria.

Dist. *min.* Christus observationem consiliorum non absolute et efficaciter voluit exigere ab omnibus et singulis fidelibus, *conc. min.;* ab ipsa Ecclesia, ideoque a fidelibus generatim et indeterminate sumptis, *nego* min.

1206. 15. Proprietas Ecclesiae necessaria praedicari debet de omnibus qui vere Ecclesiae membra sint. Atqui sanctitas moralis praedicari nequit de peccatoribus qui tamen vere Ecclesiae membra sunt. Ergo sanctitas moralis non est proprietas Ecclesiae necessaria.

Dist. *mai.* Praedicari debet in genere et indeterminate de omnibus qui vere Ecclesiae membra sint, *conc. mai.;* praedicari debet determinate et in individuo de singulis qui vere Ecclesiae membra sint, *subdist. :* si esset proprietas quae praedicetur de Ecclesia ratione praecise singulorum eius membrorum, a quibus singulis deesse nequeat, *conc.;* secus, *nego.* Sic Ecclesia dici potest baptismate regenerata ratione singulorum eius membrorum, a quibus singulis baptismalis regeneratio deesse nequit. *Contradistincta* min., nego *cons.* et *consequentiam.*

1207. 16. Ut de Ecclesia praedicari possit moralis sanctitas ut proprietas eius necessaria, requiritur simpliciter ut eius membra sint sancta. Atqui maior pars membrorum Ecclesiae sunt vel esse possunt peccatores. Ergo de Ecclesia praedicari nequit moralis sanctitas ut proprietas eius necessaria.

Dist. mai. Ut moralis sanctitas sit Ecclesiae proprietas necessaria requiritur simpliciter ut eius membra potiora, seu quae vere Ecclesiae adhaerent et plene de eius vita participant, sint sancta praecise quia sic ei adhaerent et de eius vita participant, *conc. mai.;* requiritur simpliciter ut eius membra deteriora, seu quae nec vere Ecclesiae adhaerent nec plene de eius vita participant sint sancta, *nego mai. Contradist. min.* Peccatores sunt membrorum Ecclesia maior pars, sed deterior et ideo praecise peccatores quia nec vere Ecclesiae adhaerent nec plene de eius vita participant, *conc. min.;* peccatores sunt potior Ecclesiae pars, quae vere Ecclesiae adhaereat et de eius vita plene participet, *nego min.* Et sub datis distinctionibus, nego *cons. et consequentiam.* Ratio distinctionis est, quia Ecclesia est, iuxta doctrinam S.Pauli et ipsius Christi, velut aliquod organismum. Iam vero organismus dicitur sanus simpliciter si eius organa potiora sana sint etiamsi organa deteriora infirma sint. Iterum arbor denominatur a propriis eius fructibus, ab illis nempe qui obtinentur maturi ideo praecise quia vere adhaeserunt arbori et de eius vita plene participaverunt; non autem denominatur a fructibus deterioribus qui de arboris vita imperfecte participes fuerunt[25].

1208. 17. Bonum ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu. Atqui in Ecclesia sunt plures defectus peccatorum. Ergo Ecclesia mala potius quam sancta dicenda est.

23 Cf. J.Salaverri, Lo *divino y to humano en la Iglcsia:* EstEcl 27 (1953) 167-201 : Ch.Journet, *L'Eglise du Verbe Incanui,* 2,893-934.1115-1129.

Dist. min. Peccata sunt proprie defectus Ecclesiae, *nego min.;* sunt potius defectus membrorum Ecclesiae, *subdist.:* sunt defectus membrorum Ecclesiae qua deficientes voluntarie a perfecta ratione membri et qua se subtrahentes influxui vitali Ecclesiae, *conc.;* sunt defectus membrorum Ecclesiae qua talium et qua se subiicientes influxui vitali Ecclesiae, *nego.* Pariter *distincto cons., negatur consequentia.*

ARTICULUS III

Notae discernentes veram Ecclesiam

Thesis 31. Unitas, Catholicitas, Apostolicitas, Sanctitas sunt etiam Notae, quae soli Romanae Ecclesiae conveniunt, eamque propterea ut veram Christi Ecclesiam a falsis discernunt.

1209. S.August., Contra *epist.fundamenti* c.4 n.5: R 1580; R.Bellarminus, *Controv.* 4 I.4 *De Notis Ecclesiae;* Suarez, *De fide* d.9 s.9; Mazzella, th.36; Pesch, *Praelect. l* th.38-40'; Wilmers, th.83-106: Palmieri, *De Rom. Pont. Appendix;* De Groot, q.6s; Billot, q.2-6; Van Laak, *De Eccles.* 295-308.326-370; De San, n.i24-i4i.i59'i7i«r8$-i8ç.T98-2!3; Van Noort, n.123-149; Michelitsch, § 181-197; Bainvel. th.3-10: Straub, th.38s; Otticer, th. 15-22; Muncunill, n.231-273; Schultes, a.18-28; Dorsch, th.45-47; D'Herbigny, th. 17-28; Dieckmann, n.572-598; De Guibert, th. 15s; Lercher, th.44s; Zapelena, th. 13; Y.dela Briere, *Eglise:* DAFC 1,1289-1297; Poulpiquet. *L'Eglise catholique* (1923): G.Thilç, *Les Notes de l'Eglise* (1937); cf. Zapelena: Greg 19 (1938) 88-109.445-468; Id., *De Ecclesia* th. 13 scho!.3; S.Tyszkiewicz, *La sainteté de l'Eglise christoconforme* (1945); M.Juglë, *Où Se trouve le christianisme intégral* (1947).

1210. Nexus. In praecedenti thesi probavimus, quatuor Ecclesiae attributa, quae recitantur in Symbolo, esse proprietates Ecclesiae necessarias, seu quae ex Christi institutione verae Ecclesiae deesse nequeunt. Nunc ulterius asserimus? 1) easdem proprietates esse etiam Notas, seu criteria quibus vera Christi Ecclesia a falsis discerni possit; 2) easdem quatuor convenire Romano-Catholicae Ecclesiae; 3) easdem quatuor non reperiri in aliis coetibus christianis. Tribus ergo partibus constat thesis.

1211. Notiones. *Criteria* legitimitatis Ecclesiae Christi sunt signa sensibilia, ex quibus vera Ecclesia visibilis a falsis dignoscitur. Alia sunt *accidentalia,* seu contingenter vel ab extrinseco manifestativa, prout sunt miracula. Alia vero sunt *essentialia,* seu necessario vel ab intrinseco ex ipsa re manantia; et tunc appellantur *Notae,* et quidem Ecclesiae *visibilis qua talis.*

Nota ergo Ecclesiae est proprietas eius necessaria et visibilis, qua vera Christi Ecclesia a falsis dignoscitur. Quare in-

signita esse debet quatuor condicionibus, videlicet, debet esse: a) *Proprietas necessaria,* secus enim non esset Ecclesiae distinetiva, utpote quae ei deesse posset; b) *Visibilis,* saltem mediate vel indirecte, secus enim non distingueret Ecclesiam ut visibilem; c) Notior *quoad nos ipsa Ecclesia* in concreto ut vera, secus enim nihil prodesset ad veram Ecclesiam dignoscendam; d) *Facile cognoscibilis,* quia notam facere debet veram Ecclesiam, quae ab omnibus est necessario amplectenda.

1212. Nota Ecclesiae solet ab auctoribus distingui duplex: a) *Positiva,* seu functionem habens affirmantem, est ea qua in aliquo christiano coetu detecta, eo ipso cognoscitur *eum esse* veram Christi Ecclesiam; est ergo verae Ecclesiae *Nota exclusiva.* b) *Negativa,* seu functionem habens negantem, est ea qua deficiente in aliquo christiano coetu, eo ipso cognoscitur *eum non esse* veram Christi Ecclesiam; non est ergo necessario verae Ecclesiae Nota exclusiva. Omnis ergo proprietas necessaria Ecclesiae est eo ipso Nota eius negativa et vicissim. Omnis vero Nota positiva Ecclesiae est proprietas eius necessaria, sed non vicissim 1.

1213. Proprietas Ecclesiae necessaria induere etiam potest et de facto in vera Ecclesia induit *indolem supernaturalem;* sed ratio Notae proprie dictae ab hac indole supernatural! abstrahit. *Ratio sigilli* divini seu *miraculi moralis* accedere quidem potest et de facto in vera Ecclesia accedit ad rationem Notae; sed ratio Notae stricte dictae praescindit etiam ab hac sigilli divini ratione. Argumentatio ergo ex Notis, de qua in hac thesi, differt et abstrahit ab argumentatione ex sigillo divino, de qua in sequenti Excursu pauca dicemus, n. 1276s.

1214. Romanam Ecclesiam intelligimus universam per orbem dispersam Ecclesiam, quae unionem et communionem cum Romana Ecclesia servat. Soli huic Ecclesiae quatuor Symboli Notas competere dicimus, quo sane duo significare intendimus: 1) *positive* eas quatuor Notas de facto in Romana Ecclesia dari; 2) *negative* easdem quatuor Notas non dari in aliis Christianorum coetibus, sive schismaticis ut sunt Orientales dissidentes, sive haereticis ut sunt Protestantes et Anglicani.

1215. Adversarii2. 1) *Protestantes Lutherani, Calviniani, Zwingliani* et *Anglicani* tenent Notas Ecclesiae esse «pu-

1 R.Sciiultes, *De Ecclesia* 160s, ab hac communi Theologorum doctrina dissentit, quia conceptum Notae aequiparat conceptui sigilli divini cum asserit: «Notae sunt *facta supernaturalia, signa divinitus data* in testimonium £cclesiae... Notae Ecclesiae sunt *positivae,* quod ex ipsa notione Notarum consequi videtur. Nota vero *negativa* in re nostra est *extra quaestioncin».* De efficacia Viae-Notarum, cf. G.Thils, *Les Notes de l'Eglise* (1937): Zapelena: Greg 10 (1938) 88-109.445-468: E.Valentini, *De firmitate argumenti ex Via Notarum:* Salesianum 1 (1939) 201-218.

2 D'Herbigny, n.214-219; De Guibert, n.108; Jugie, 4,578-588; T.Spâcil, *De Ecclesia iuxta Theol. Orientis separati:* OrCh 2 (1924) 89-91: Zankow, 73-79; Heiler, 545-555; cf. etiam Jugie, *Où se trouve le Christianisme intégral?* (i947)·

ram verbi Dei praedicationem et *rectam* sacramentorum administrationem». Puritas tamen et rectitudo, quas proponunt, non sunt ipsa Ecclesia notiores nec certo cognosci possunt nisi ex doctrinali ipsius Ecclesiae auctoritate, quam ideo iam cognitam praesupponere debent. Ergo nequeunt esse Notae 3.

1216. 2) *Orientales Schismatici* priores inde a saeculo XVII de Notis Ecclesiae scribentes, easdem proponebant, quas Catholici, atque eas vel suis Ecclesiis applicare conabantur vel de Ecclesia transcendenti, non de terrestri Ecclesia, praesertim explicabant. Post Macarium Bulgakov, medio saeculo XIX, communiter tenent «eam esse veram Ecclesiam, quae vere et absque mutatione conservat infallibilem doctrinam antiquae Ecclesiae universae et ei fidelis perstat in omnibus» 4.

Indubium quidem est veram Ecclesiam necessario ac semper docturam esse doctrinam consonam cum antiquae Ecclesiae doctrina, sed haec consonantia nequit dici Nota Ecclesiae, quia non est visibilis, nec facile cognoscibilis, nec notior ipsa Ecclesia; surgente enim nova haeresi solum ex iam cognita vera et infallibili Ecclesia sciri omnino certo potest utra sententia conformis sit cum doctrina antiquae Ecclesiae. Caeterum Orientales, qui talem Ecclesiae Notam adstruunt, gratis et falso supponunt auctoritatem Ecclesiae ad infallibiliter decidendum in controversiis circa doctrinam restringi ad septem priora Oecumenica Concilia.

1217. Sententiae Theologorum 5.

1) *Quatuor Notis simul sumptis* dignosci veram Ecclesiam, tenent omnes.

2) *Ex defectu* etiam *unius* harum Notarum concludi, coetum qui ea careat non esse veram Christi Ecclesiam, tenetur ab omnibus.

3) *Quatuor* has notas etiam *singillatim* sumptas, quatenus in earum concreta exsistentia rationem *sigilli diuini* secum ferunt, Notas esse positivas, tenent etiam omnes.

4) Abstrahendo a ratione sigilli divini, sed *incluso* in unitate et apostolicitate *Primatu,* quatuor simul sumptae ab omnibus ut Notae positivae admittuntur.

5) Praescindendo a ratione sigilli divini et a Primatu, quatuor simul sumptas *esse Notam positivam,* qua dignoscatur vera Ecclesia et quidem *via assertionis,* tenent plures.

6) Abstrahendo a ratione sigilli divini et a Primatu, quatuor simul sumptas *aequivalere Notae positivae,* quatenus soli Ecclesiae Romanae convenire ostenduntur *via exclusionis,* fere ab omnibus tenetur.

3 Cf. D'Herbigny, n.214-219; Dorsch. th.45; Muncvnill, n.237-240; Wilmers, th.84; Ottiger, th.14·

4 D'Herbigny, n.2i8s; Bainvel, th.3; Schultes. a.i8n.io; Jugie, 4,581-588.

3 Dorsch, 641-53; Zapelena, th.13, schol.1-5; Thils, *Les Notes de l'Eglise* (1937).

1218. N.B. *Probatio ex Notis via assertionis* ad hoc reducitur: Quatuor hae Notae in sola vera Ecclesia reperiri possunt. Atqui de facto reperiuntur in Ecclesia Romano-Catholica. Ergo sola Romano-Catholica est vera Ecclesia. Haec est probatio *ex Notis positivis* stricte dicta, quia in propositione maiori habetur definitio Notae positivae.

Probatio ex Notis via exclusionis, ad hoc reducitur: Quatuor hae Notae a vera Ecclesia deesse nequeunt. Atqui non desunt Romano-Catholicae Ecclesiae, omnibus vero aliis christianis coetibus desunt. Ergo sola Romano-Catholica est vera Christi Ecclesia. Haec est probatio quae procedit a definitione Notae *negativae,* quae est in propositione maiori, sed *aequivalet* demonstrationi ex Notis positivis pro Romano-Catholica Ecclesia, quia omnes alii christiani coetus excluduntur 6.

1219. Status quaestionis, a) Quatuor Symboli proprietates probamus esse verae Ecclesiae Notas, non sub omni sed sub certo quodam respectu, videlicet sumimus *unitatem et catholicitatem* non iuris, sed *facti; apostolicitatem successionis* non formalis, sed *materialis'; sanctitatem moralem non* internam, sed *operibus manifestam.* Nam sub aliis respectibus non certo nobis constat eas induere *rationem Notae* 7.

b) *Abstrahimus a ratione sigilli divini* seu miraculi moralis, quia de probatione ex miraculo morali Ecclesiae in tractatu praecedenti actum est et breviter agemus n. 1276s.

c) *Praescindimus a Primatu,* tum quia iam in th.i l ostendimus quomodo ex eo concludatur solam Romano-Catholicam esse veram Christi Ecclesiam, tum etiam quia nolumus a limine nobis abalienare haereticos et schismaticos in Christum credentes, ad quos etiam thesis nostra dirigitur, qui nihil obstinatius agnoscere renuunt quam Ecclesiae Primatum.

d) Intendimus denique arguere *ex quatuor Notis simul sumptis,* quatenus nempe soli Ecclesiae Romano-Catholicae convenire ostenduntur *via exclusionis,* prout a nobis numero praecedenti explicatum est.

1220. Doctrina Ecclesiae, *a)* Ecclesiam instructam esse manifestis Notis quibus dignosci possit, est *definitum* in Vaticano (D 1793). *b)* Quatuor Ecclesiae proprietates, quae recitantur in Symbolo, esse Ecclesiae Notas, si simul sumantur et incluso in unitate Primatu, est *doctrina catholica, ex*

6 Zapelena, 472.476-4873; Jugie, *Schisme Byzantin. Conclusion,* 2.°: DTC 14, 1466*68*
7 Notiones has vide explicatas in thesi quae huic praecedit.

decreto «Apostolicae Sedis» ad Episcopos Angliae: D 1686. *c)* Easdem proprietates simul sumptas, abstrahendo a Primatu,· esse Notas quibus vera Christi Ecclesia a falsis dignoscatur, est *doctrina certa in Theologia, ex* argumentis quibus thesim probamus.

1221. Probatio sic evolvitur.

1.a Pars. Quatuor Symboli proprietates sunt vere *Notae* (1222).

2.“ Pars. *Ecclesiae Catholicae conveniunt:*

A. *Unitas,* ut constat ex vigentia Cod.luris Can. summam unitatem exigentis;

B. *Catholicités,* quam patefaciunt statisticae comparatae confessionum Christianarum;

C. *Apostolicitas,* quam probat continua successio Romana inde a S.Petro;

D. *Sanctitas,* quam demonstrant:

1) Monumenta historica, ut sunt, *a)* Acta Conciliorum, *b)* scripta SS.Patrum, *c)* Acta Sanctorum;

2) Processus, *a)* Beatificationum, *b)* Canonizationum;

3) Instituta perfectionis, *a)* Clericorum, *b)* Religiosorum (1223-1240).

3·α Pars. *Aliae christianae confessiones his Notis carent* (1241).

A. Carent vel unitote vel *catholicitate.*

1) *Protestantibus* decst, si simul sumantur, unitas, si singillatim, catholicitas.

1? Protestantes *simul sumpti* carent unitote, *a)* regiminis et *b)* fidei, immo, *c)* non nisi quandam Ecclesiarum foederationem appetunt.

2.° Protestantes *singillatim* sumpti carent *catholicitate,* id est, magna diffusione, *a)* numerica, *b)* geographica, *c)* perpetua (1242SS).

2) *Schismaticis* deest, si simul sumantur, unitas, si singillatim, catholicitas.

f. Schismatici *simul sunipti, a) Unitate* regiminis carent, *b) Unitatem* excludunt eorum principio autocephaliae, *c) Unitati* opponuntur a fortiori, ii qui Panchristianismo adhaerent.

2.0 Schismatici *singillatim* sumpti carent *catholicitate,* id est, magna diffusione, *a)* numerica, *b)* geographica, *c)* perpetua (1245s).

B. *Apostolicitatis Nota* deficit in aliis sectis.

1) Deest ipsis *apostolicitas successionis formalis.* »

1.° Quia carent vel unitate vel catholicitate sine quibus dari nequit successionis formalis apostolicitas.

2.° Quia carent corpore Pastorum constituto sub *Primate,* prout illud Christus in Apostolis constituit: *a) Protestantes,* eo quod a saeculo XVI Primatum repudiaverint; *b) Schismatici,* eo quod a saeculo XI negaverint Primatum, et quidem contra agnitionem Orientalium in Conciliis: ante Photium, Ephesino, Chalcedonensi et Constantinopolitano III; β) tempore Photii, Constantinopolitano IV; y) pro unione, Lugdunensi II et Florentino (124-ss).

2) *Apostolicitas successionis materialis* in aliis sectis non splendet ut in Ecclesia Catholica.

f. *Protestantes, a)* omnes Sede ab Apostolis immediate fundata carent; *b) Episcopaliani* successionem solum indirectam in Ordine habent; *c)* qui Episcopatum non agnoscunt omni prorsus successione carent.

2.° *Schismatici, a)* aliquas habent Sedes, Antiochenam et Alexandrinam, ab Apostolis fundatas, sed *b)* eorum successio est solum *indirecta.*

3.° *Protestantium et Schismaticorum* mere materialis in Ordine successio non est Nota ad dignoscendam Ecclesiam, quia dari potest inter haereticos qui sunt extra veram Ecclesiam (1250-1253).

C. *Sanctitatis Nota* aliae sectae carent.

1) *Protestantium* multiplices sectae:

1.° *De iure,* seu iuxta eorum principia, omni christiana sanctitate carere deberent.

2.° *De facto* continuata sanctitate carent ob defectum institutionum perfectionis.

3.0 *Fructus* sanctitatis, quos obtinent, aliarum causarum effectus sunt (1254-1258).

2) Schismaticorum Ecclesiae a sanctitatis Nota deficiunt:

1.° *Schismatici relate ad Protestantes: a)* Plura sanctitatis media adhibent, a) doctrinalia, β) liturgica, y) sacramentalia; *b)* Copiosiores sanctitatis fructus obtinent, «) ex mediis adhibitis, β) ex suis Clericis et Monachis, y) ex agnitione et cultu Sanctorum.

2.0 *Schismatici relate ad Catholicos: a)* Pauciora sanctitatis media adhibent, carent enim, a) universali auctoritate, β) infallibili Magisterio, y) plenitudine Sacramentorum; *b)* Pauciores sanctitatis fructus obtinent, a) in pietatis operibus, β) in perfectione Ministrorum, y) in numero et comprobatione Sanctorum; *c)* Media ad sanctificandum, quae Schismatici adhibent, nequeunt dici propria ipsorum, sed Ecclesiae Catholicae, a qua illa deprompta retinent (1259-1263).

1222. **i.a** Pars: Unitas, Catholicitas, Apostolicitas, Sanctitas, sunt Notae quibus vera Christi Ecclesia discernitur.

Probatur ex data Notae notione. Nam quatuor haec Symboli attributa sunt proprietates Ecclesiae necessariae. Atqui sunt praeterea visibiles, facile cognoscibiles et notiores ipsa Ecclesia ut vera in concreto dignoscenda. Ergo sunt etiam Notae, quibus vera Christi Ecclesia a falsis discerni possit.

Mai. probata est in thesi quae huic praecedit.

Min. patet ex applicata Notae notione ad has quatuor proprietates, si sumantur sub illo respectu quem diximus in Stat, quaest. Sunt enim manifesto visibiles, facile cognoscibiles, et notiores ipsa Ecclesia ut vera in concreto dignoscenda: a) *Unitas facti* socialis Ecclesiae in fidei professione, in regimini oboedientia et in cultus praestatione; b) *Catholicitas facti* moralis, quae est magna diffusio numerica et geographica fidelium Ecclesiae per orbem; c) *Apostolicitas successionis materialis,* quae est mera continuatio unius personae post aliam in gerendo aliquo munere; d) *Sanctitas moralis* ordinaria, perfecta et heroica, quia caritatis operibus manifestatur, quibuscum semper coniuncta est.

1223. 2.a Pars: Quatuor hac Notae Romano-Catholicae Ecclesiae conveniunt.

A. Romano-Catholicae Ecclesiae convenit unitas.

In Ecclesia Romano-Catholica omnes totius orbis fideles de facto subordinati sunt et oboediunt uni supremae potestati Sanctae Romanae Sedis, in fidei doctrina, in regimine et in cultu, et quidem perfecte et manifeste. Ergo Romano-Catholicae Ecclesiae perfecte et manifeste convenit unitas.

Antecedens probatur ex *Codice Iuris Canonici,* quatenus plane notum est eum ubique vigere et ab omnibus observari; quod etiam comprobatur ex *Actis Apostolicae Sedis,* in quibus quotidianum et universale talis unius potestatis exercitium exhibetur. Etenim ex solo indice CIC patent: i) *Universalis potestas legislativa* quam S.Sedes exercet (l.i cn.8-24); 2) *Subtectum* huius supremae potestatis esse *Romanum Pontificem Conciliumque Oecumenicum* ei subordinatum (1.2 cn.218-229), *organa* vero praecipua quibus eam exercet esse *Sacras Congregationes* et *Tribunalia Curiae Romanae* (1.2 cn.246-264); 3) *Subditos* talis potestatis esse *omnes totius orbis fideles* sive clericos sive religiosos sive laicos (1.2 cn. 108-214 265-725); 4) *Obiectum* talis potestatis esse: a) *Sanctificationem* et divinum cultum (I.3 cn.731-1321); b) *Magisterium* et fidei doctrinam I.3 cn. 1322-1408); c) *Administrationem et regimen,* praeditum potestate etiam iudiciali et coercitiva (I.3 cn.1409-1551 et I.4-5 cn.1552-2414). Ergo unitas quae de facto viget in Ecclesia Romano-Catholica est perfecta et manifesta, et in Regimine et in Magisterio et in Cultu, et quidem iam a multis saeculis, exsistens, nam Codex Iuris Canonici confectus praesertim est ob finem «colligendi in unum universas Ecclesiae leges ad haec usque tempora editas»[8].

Igitur de perfecta et manifesta Ecclesiae Romano-Catholicae unitate, praeclarissimum S.Irenaei testimonium deinceps etiam ad nostra usque tempora verissimum esse comprobatur (R 192).

[8] Benedictus XV, *Const. Apost.* •*Providentissima Mater Ecclesia*· inter documenta per modum Introductionis edita in CIC. Licet CIC solam Ecclesiam Occidentalem respiciat, saepe etiam ad Orientalem se refert. Nuper Pius XII promulgavit Ius ecclesiasticum *De disciplina Sacramenti Matrimonii* necnon *Ius de iudiciis pro Ecclesia Orientali:* AAS 41 (1949) 89-119; 42 (1950) 5-120. Orientales *iure suo* plane Romano Pontifici subduntur: cf. E.F.Regatjllo, *Institutiones Iuris Canonici* l (1946) n.32; Conte a Coronata, *Instit. lur. Can.* l (1948) η.ι,I.

1224. B. Romano-Catholicae Ecclesiae convenit catholicitas.

Romano-Catholicae Ecclesiae convenit de facto magna diffusio numerica et geographica, simultanea et perpetua, ac quidem cum magna unitate coniuncta. Ergo Romano-Catholicae Ecclesiae manifeste de facto convenit catholicitas.

Antecedens aperte patet ex statisticis. Sufficiant eae quae sequuntur 9.

Summa incolarum terrae attingit vel superat numerum 2.500.000.060. Ex iis:

Iuxta A. *Fischer*	*Catholici*	*Protestantes*	*Alii Christiani*
Summa totalis.....	400.000.000	*208.000.000*	179.000.000

Christiani universi igitur sunt 787.000.000 = 37 % hominum.

Iuxta D'Espièrres sunt	*Catholici*	*Protestantes*	*Alii Christiani*
in Europa.....	209.672.679	127.212.452	110.812.834
in *America*.....	136.3S7-425	39.610.824	414.019
in Asia..	19.196.956	5-047-539	23.208.948
in Africa.....	6.256.905	6.872.266	8.825.455
in *Oceania*.....	2.085.814	6.711.616	364.041
Summa totalis.....	373-569-779	185.454.697	143.625.297

9 A.Fischer, *Freytag-Bemdts Taschenatlas* (1938): H.A.Krose, S.I., *Religionsstatistik:* LTK 8 (1936) 790-93; Io.: ThRcv 37 (T938) 150; A.d'Espierres. *La Religion dans les dif. pays du monde* (1934); J.Despont, Nouvel *Atlas des Missions* (1951) 46s; *Herder Korrespnndcnz,*. Juni 1953. ap. DocumCath 50 (1953) 875s; alias statisticas ap. A.Bouffard, PrètMiss (1953) 41-105; Zapei.ena, *De Ecclesia* 1, Appendix, 510; D'Herbigny, th. 17; C.Aï.germissen, *La Chiesa e le Chiese* 71-74; cf. L.Hertun'G, *Numerus Christianorum ineunte saeculo IV; Numerus Catholicorum inde a saeculo V:* ZkathTh 58 (1934) 243-53; 62 (1938) 02-108. Pagani et Christiani tempore Conc.Vatic. ap. C.Martin, Conc. Vaticani documentorum *collectio* (1873) 1Ũ9.

Iuxta Krose	*Catholici*	*Protestantes*	Alii *Christiani*
in *Europa*	211.734.000	117.782.000	137.462.000
in *America*	141.526.000	58.346.000	1.282.000
in Asia	19.450.000	6.176.000	13.272.000
in *Africa*	7.595.000	5.434.000	4.783.000
in Oceania	1.883.000	6.681.000	
Summa totalis	382.190.000	194.419.ooo	156.799.000

Iuxta Krose, Confessionum relatio % ad numerum incolentium terram:

Diffusi per orbem		*Incolentes praesertim Asiam*	
Christiani	733408.000 = 36%	*Confutiani*	352.15o.ooo – 17 %
Catholici	382.190.000 = 19 %	*Hinduisti*	245-734.000 = 12 %
Protestantes	>94-419 000 — 9 %	*Buddhisti*	2II.2S5.OOO = 10 %
Alii christiani	156.790.000 = 8 %	*Taoist-Sintoisti*	58.000.000 — 3 %
ludaei	15.265.000 — I %	*Mahomedani*	234.066.000 «= II %
Sine religione	77.630.000 – 4 %	*Aliae confess*	114.874.000— 6%

Iuxta J. Despont, Secret, gener. Propag. Fidei, 1951

Christiani	8T6.477.s47 – 36%	*Pagani*	913.105.260 — 41.O %
Catholici	453.35i.586 = 20 %	*Brahm.-Hindous*	574.778.360 – 25.5 %
Protestantes	202.007.811 = 9%	*Bouddistae*	225.021.000 «= 10.0 %
Orthodoxi	161.118.150 — 7%	*Animistae*	113-305.900 =» 5.5 %
ludaei	it.699.833 — i %	*Musulmani*	374-494 360 = T7,o %
Mundi incolae	2.438.576.447 = T00 %	*Sine religione*	91.505.600 = 5,5 %

Iuxta Herder ex Encyclop. Britanica ed. 1953

Christiani	750.292.154	*Mahometani*	315 699.603
Catholici	425.508.220	*Confuciani*	300.290.500
Protestantes	196.503.520	*Bouddistae*	150.300.000
Orthodoxi	128.280.414	*Hindous-Taoistae*	330.892.200
ludaei	11.532.500	*Relig. naturalis*	121.150.000
Mundi incolae	2.367.737000	*Sine religione*	387.579.r53

1225. His quae praecedunt inspectis manifeste patet Ecclesiae Romano-Catholicae *catholicitas.* Etenim *a)* Patet *magna diffusio numerica* tam absoluta quam relativa seu comparata cum diffusione numerica aliarum Christianarum confessionum etiam simul sumptarum, quas superat; immo neque in mundo est alia religio quae tot sequaces habeat, *b)* Evidens

est *magna* eius *diffusio geographica,* cum in omnibus mundi partibus floreat, et quidem ita ut ubique una eademque sit ac vere supranationalis, quod sane de aliis Christianis confessionibus dici nequit10. *c)* Haec magna *diffusio* manifesto est *non physica sed moralis,* quia de facto nunquam physice attigit omnes homines omniaque loca, et quia non paucas variationes in diversis regionibus passa est. *d)* Eadem tandem *diffusio perpetua* est et *simultanea,* quia postquam Ecclesia adulta eam assecuta est, semper ac simul eam usque ad nostra tempora retinuit.

Iure ergo ac merito etiam hodie asserere possumus id quod suo tempore S.Augustinus tenebat, veram nempe Ecclesiam Nota catholicitatis ab omnibus agnosci et a sectis haereticis vel shismaticis discerni (R 1548)11.

1226. C. Romano-Catholicae Ecclesiae convenit apostolicitas.

Nam Ecclesiae Romano-Catholicae aperte competit habere Sedem Romanam ab Apostolis Petro et Paulo fundatam, in

10 Cf. D'Herbigny, n.207.
11 S.Augustinus, *De vera Religione 7,12; Defide rerum quae non videntur* 6,7: ML 34,128; 40,176.

qua, serie nunquam interrupta, Episcopi directe successerunt, et ex qua aliae Sedes universi orbis potestatem, successione indirecte apostolica, semper mutuatae sunt (cf. R 297). Atqui in hoc evidenter consistit apostolicitas successionis materialis tam directae quam indirectae. Ergo Romano-Catholicae Ecclesiae evidenter ac plene convenit apostolicitas successionis materialis.

1227. Igitur Ecclesia Romano-Catholica plenissimo iure potest protrahere usque ad hodiernum diem argumentum, quod iam saeculo II S.Irenaeus faciebat dicens: «Fundantes igitur et instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt... Succedit autem ei Anacletus; post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens... Duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius». Atque eadem ratione aliis sine interruptione sibi invicem succedentibus, nunc ducentesimo sexagesimo primo loco ab Apostolis Episcopatum obtinet Pius XII. «Hac ordinatione et successione, ea quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate» (R 211; Kch 126) 12.

1228. D. Romano-Catholicae Ecclesiae de facto convenit sanctitas.

Ecclesiae Romano-Catholicae manifesto convenire sanctitatem moralem, etiam perfectam et heroicam, probamus ex triplici praesertim capite: 1) ex historicis antiquitatis monumentis; 2) ex Canonizationis Sanctorum processibus; 3) ex permanentibus perfectionis Institutis.

1) *Ex historicis antiquitatis monumentis* probamus praesertim, sanctitatem moralem floruisse in Ecclesia *ante tempora schismatis Orientalium* (a.865 vel 1053: cf. D 330 350). a) Ex Actis *Conciliorum* generalium et particularium universae Ecclesiae, quae ordine chronologico a Mansi 53 voluminibus in folio collecta sunt, quorum 19 priora volumina annum 1070 attingunt; b) *Ex scriptis SS. Patrum* tam graecorum quam latinorum, quae ordine chronologico Migne in sua *Patrologia* 387 voluminibus collegit, quorum 100 priora uniuscuiusque seriei vo-

12 S.Irenaeus, *Adv. haereses* 3,3,3: MG 7,849; Tertullianus, *De praescriptione haeret.* 32,36,37: ML 2,40.49s.

lumina continent ea quae scripta sunt ante orientale schisma; c) *Ex Actis Sanctorum* tam martyrum quam confessorum, quae a *Bollandistis* 65 voluminibus in folio edita sunt.

1229. Iam vero: a) *In Actis Conciliorum* exhibentur criteria et normae non solum doctrinae, sed'etiam sanctitatis vitae quam fideles ducebant; b) *In scriptis SS.Patrum* habemus praeclara exempla non solum scientiae, sed etiam moralis eorum perfectionis in Ecclesia; c) *In Actis* denique *Sanctorum* narrantur eximia facta quae probant quamplurimos exstitisse Martyres et Confessores de quorum sanctitudine morali etiam perfecta et heroica dubitari nequit. Ergo ex historicis antiquitatis monumentis abunde constat sanctitatem moralem etiam perfectam et heroicam convenire Ecclesiae *ante tempora schismatis Orientalium.* Atqui Ecclesia ante tempora' schismatis Orientalium Apostolicae Romanae Sedi oboediebat et cum ea communicabat. Ergo ex historicis antiquitatis monumentis abunde constat Ecclesiae Romano-Catholicae convenire moralem sanctitatem etiam perfectam et heroicam.

1230. 2) *Ex Canonizationis Sanctorum processibus* probamus sanctitatem moralem etiam perfectam et heroicam floruisse in Ecclesia Romano-Catholica *inde* praesertim *a saeculo X exeunte,* quando Romani Pontifices sibi reservaverunt definitivam harum causarum decisionem.

Facta quae in *hac argumentatione praesupponuntur.* Romani Pontifices, de facto iam Ioannes XV (a.985-996), strictus vero Alexander III (a. 1159-ii81), sibi reservant ultimum iudicium in Sanctorum causis. Post ortum Protestantismum rigidiores in dies regulae processus Canonizationis Sanctorum statuebantur a Leone X (a.1513-1521), Sixto V (a.1585-1590), Urbano VIII (a.1623-1644) et Benedicto XIV (a.1740-1758). Accuratissimum tandem ius vigens denuo a Benedicto XV in *Codice luris Canonici* promulgatum est (a.1917) I3.

1231. a) *Processus, qui ante Beatificationem et Canonizationem instruuntur.* alius est dioecesanus, plures vero alii sunt romani. *Primus* est processus informativus, coram tribunalia dioecesana, de scriptis, de vita et moribus, de non cultu servi Dei.

Processus vero *romani* sunt: a) *Introductorius,* in quo examini ac disceptationi subiciuntur eadem fere quae in processu dioecesano acta sunt, atque complentur; b) *De Venerabili,* circa famam et heroicitatem virtutum servi Dei, quae iudicio contradictorio probandae sunt: hic processus subicitur iudicio triplicis *Congregationis* alia quae appellatur *antepraeparatoria,* alia *praeparatoria* et tertia *generalis,* in qua Cardinales votum consultivum ferunt, iudicium vero ipsi Summo Pontifici reservatur, qui decretum de he-

13 CIC I.4 p.2. Dc causis Beatificationis ct Canonizationis, cn.1999-2141; A.Michel. *Sainteté Note de l'Eglise:* DTC 14,854-60.

roicitate virtutum promulgare iubet, atque inde servus Dei appellari potest *Venerabilis;* c) *De miraculis,* a peritis medicis examinandis et comprobandis, qui processus triplicis *Congregationis* approbationi, pariter ac praecedens, subiciendus est; d) *Processus de fluto» ad Beatificationem,* sic appellatus, quia decreto concluditur, quod «tuto ad Beatificationem procedi possit», quem ergo sollemnis sequitur *Beatificatio.*

1232. b) *Canonizationis processus* fit triplex: c) *Primus* circa salutares Beatificationis effectus; f) *de novis miraculis,* quae triplici Congregatione approbanda sunt, ut de miraculis ante Beatificationem dictum est; g) *Processus de «tuto» ad Canonizationem,* qui tribus *Consistoriis* evolvitur: *Consistorio secreto,* in quo soli omnesque Cardinales interrogantur et suffragium «placet» dant; *Consistorio publico,* in quo dioeceses causaeque ponentes per oratorem Beati laudes efferunt eiusque Canonizationem implorant, ad quos Secretarius respondet hortando ad orationem; *Consistorio semipublico,* in quo Cardinales et Episcopi Romae degentes, post maturum causae studium, suffragium Secretario tradunt; tandem haec suffragia Summus Pontifex pro placito sancit et diem pro sollemni Canonizatione indicat[14].

1233. *His suppositis iam fit argumentum.* Ex processibus Beatificationis et Canonizationis manifeste apparet comprobata moralis sanctitas etiam perfecta et heroica, et quidem divinitus miraculorum suffragio confirmata. Atqui in Romano-Catholica Ecclesia post rigidiorem Canonizationis processum quamplurimi viri beatificati et canonizat! sunt. Ergo ex processibus Beatificationis et Canonizationis manifeste comprobatum apparet, Ecclesiae Romano-Catholicae convenire sanctitatem moralem etiam perfectam et heroicam.

1234. *Ad min.* Ante saec.XVI formali decreto a Papa canonizati sunt 53 Sancti, ex. gr. SS.Eduardus Rex, Anselmus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, Antonius Patav., Ludovicus Rex, Thomas, Bonaventure, R.a Penafort, Birgitta, Catherina, Vinc.Ferrer, alii. Inde vero a saec.XVI, vigente iam rigidiore Canonizationis processu, plures canonizati sunt: *a)* Et quidem 34 ex iis qui ante ortum Protestantismum vixerant, ex gr. SS.Franc.de Paula, Antoninus, Laur.Iustiniani, Elisabeth Lusit., Septem Fundatores Ordinis Servitarum, Hiacyntus, aliique; *b)* permulti ex iis, qui vixerunt post ortum Protestantismum, ut S.Th.a Villanova, S.Ioan.de Deo, S.Ig.de Loyola, S.Phil.Neri, S.P.de Alcantara, S.Camil.de Lellis, S.F.Xavier, S.Car. Borromeo, S.F.a Borgia, S.Vinc.de Paulo, S.Teresia, S.Aloisius, S.F.de Sales, S.Ioan.a Cruce, S.P.Claver, S.Ios.Calasanz, aliique innumeri. Adeoque quatuor saeculis, ab orto Protestantismo anno 1517 usque ad annum 1917, in quo novus CIC promulgatus est, sollemniter in Ecclesia Catholica proclamati sunt 113 Sancti et 542 Beati ›s.

1235. *Posterius* autem iuxta rigidam processus Beatificationis et Canonizationis formam in CIC promulgatam, plurimae sollemnes Beatificationes et Canonizationes celebratae sunt, adeo ut solus Pius XI proclama-

is Cf. D'Herbigny, n.275.

15 Ottiger, 2,970-75; Michelitsch, § 188; D'Herbigny, n.276,2,B; Alcbrmissen, 405-409.

verit 496 Beatos et 34 Sanctos, quos inter recensentur S.Teresia a puero Iesu, S.P.Canisius, S.Sof.Barat, S.Ioan.Viannei, S.Ioan.Eudes, S.Rob.Bellarmino, S.Ioan.Bosco, S.Ioan.Leonardi, S.Gemma Gallgani, aliique. Ergo ex processibus Beatificationis et Canonizationis abunde constat in Ecclesia Romano-Catholica sanctitatem moralem etiam perfectam et heroicam floruisse inde a saeculo X exeunte ad nostram usque aetatem.

1236. 3) *Ex permanentibus perfectionis Institutis* probamus sanctitatem moralem etiam perfectam et heroicam Ecclesiae Romano-Catholicae convenire. Instituta permanentia de quibus loquimur sunt, a) *Status Clericorum saecularium,* b) *Status Religiosorum.* Ex eis arguimus: Status Clericorum et Religiosorum natura sua ducit ad sanctitatem moralem etiam perfectam et heroicam. Atqui uterque status in Romano-Catholica Ecclesia de facto semper floruit. Ergo ex permanentibus perfectionis Institutis constat sanctitatem moralem etiam perfectam et heroicam Ecclesiae Romano-Catholicae convenire.

1237. *Ad mai.* a) *Status Clericorum saecularium* natura sua ducit ad sanctitatem moralem etiam perfectam et heroicam, quia in genere importat, praeter ea ad quae omnes fideles tenentur, obligationem observandi ea quae Clericis praescribuntur in CIC 1.2 p.i; atque in specie quia postulat deditionem divino cultui et sacris ministeriis, exigit ulterius praestationem oboedientiae quae inde saltem a saeculo V in Ordinatione formaliter promittitur, exigit praeter castitatem etiam coelibatum, saltem in Ecclesia occidentali, in qua paulatim inde a saeculo IV invaluit et post S.Gregorium Magnum iure communi praescriptus est,6.

1238. *Ad mai.* b) *Status Religiosorum* natura sua ducit ad sanctitatem moralem etiam perfectam et heroicam, adeo ut ab ipsa Ecclesia agnoscatur esse et appelletur proprie dictus *status perfectionis acquirendae* 17. Ratio autem est, quia in genere postulat, praeter ea ad quae omnes fideles tenentur, observantiam eorum quae eis praescribit CIC 1.2 p.2; atque in specie quia importat obligationem tendendi in perfectionem per observantiam consiliorum evangelicorum iam inde a tempore *Ascetarum* saeculi II; quia exigit vitam ducere a mundo separatam et a plurimis de se licitis rebus abstinentem inde a tempore *Anacoretarum* S.Antonii Abbatis saeculo III exeunte; exigit communem vivendi rationem inde a tempore *Coenobitarum* S.Pachomii saeculo IV ineunte; exigit subiectionem alicui

16 Wernz-Vidal, *Ius Canonicum* 2 n.86-128.
17 Pius XII, *Allocutio «Annus sacer»: AAS* 43 (1951) 26-36.

Regulae inde a tempore *Monachorum* S.Basilii et S. Martini Touronensis medio saeculo IV; exigit observantiam Regulae strictioris votorumque stabilitatis et oboedientiae inde a tempore *Ordinum* S.Benedicti saeculo VI; exigit impletionem trium votorum, paupertatis, castitatis et oboedientiae deditionemque apostolatui animarum inde a tempore *Ordinum mendicantium* S.Francisci et S.Dominici saeculo XIII; exigit denique ampliorem apostolatui omnis generis deditionem inde a tempore *Clericorum Regularium* S.Ignatii saeculo XVI aliorumque plurimorum Institutorum quae deinceps erecta sunt[18].

1239. *Ad min.* a) *Statum Clericorum saecularium* in Ecclesia Romano-Catholica semper floruisse, constat ex Historia Ecclesiae; ad officium enim Clericorum praesertim saecularium semper pertinuit ordinare, dirigere et promovere Ecclesiae Romano-Catholicae vitam moralem, asceticam et religiosam. Hunc autem Clericorum statum nostris diebus vel maxime florere patet praeterea iam ex eorum numero, qui attingunt vel superant 260.000, et ex territorialibus iurisdictionibus curae eorum praecipue commissis, quae numerantur circiter 2.000, id est 1.514 Patriarchatus, Archidioeceses et Dioeceses, atque 486 Delegationes, Administrationes, Vicariatus, Praefecturae vel Missiones Apostolicae [19].

1240. *Admin,* b) *Statum Religiosorum* in Ecclesia Romano-Catholica semper floruisse, constat ex eorum Historia, quam nuper edidit Heimbucher; patet ex ingenti eorum numero Sanctorum, Beatorum, Venerabilium et Servorum Dei, virorum et feminarum; patet ex insignibus et permanentibus caritatis operibus quae semper exercuerunt, praesertim vero inde a saeculo VI Ordo S.Benedicti, inde a saeculo XII Cistertienses et Praemonstratenses, inde a saeculo XIII Franciscani, Dominicani, Augustiniani et Carmelitani, inde a saeculo XVI Societas Iesu, atque omni laude maiora caritatis Instituta a SS.Ioanne de Deo et Vincentio de Paulo fundata, quorum caritatem deinceps innumera alia Religiosorum et Religiosarum Instituta aemulata sunt; exeunte vero saeculo XIX et ineun-

18 Cf. B.Llorca, *Manual de Hist. edes.* (1042) n.76s.ni-ii5-i38.i6os.i88.2io; J.Marx, *Hist, edes.* § 47.70.84-86.103.129s. 157; Z.G.-Villada, *Hist. edes, de Espana 2* p.i c.i4s; Kirch, *Leitfaden KG* i § q8ss.

19 Cf. D'Herbigny, n.207; C.Streit, *Atlas hierarchicus* (1929); L.Gramatica, *Testo e Atlante di Geografia ecclesiastica e missionaria* (1928); K.Guggenberger, *Klerus:* LTK 6 (1934) 41-44. recenset Sacerdotes saeculares 257 000. regulares 64.000, summa 321.000, ex quibus in Europa 252.000, in America 51.500, in Asia 10.500, in Africa 4.800, in Oceania 2.200; cf. Zapelena, th.13 p.467. Numerus territorialium jurisdictionum ex Annuzjrio *Pontificio* a.1955 p.1285.

te nostro saeculo vel maxime eminent caritatis opera quae SS.Ioannem Bosco et losephum Cottolengo fundatores habent. Accedit eximium supra omnia caritatis opus evangelizationis infidelium, quod inde praesertim a saeculo XVI prae aliis exercent Religiosi. Statum Religiosorum nostris diebus vel maxime florere constat ex *Statisca Sacrae Congregationis de Religiosis,* 1942, ubi Ordines et Congregationes iuris Pontificii recensentur, virorum 156 cum 220.041 sociis, et feminarum 732 cum 586.646 sociis 20.

Ergo ex permanentibus perfectionis Institutis constat sanctitatem moralem etiam perfectam et heroicam Ecclesiae Romano-Catholicae convenire.

1241. 3.“ Pars: Quatuor praedictae Notae reliquis Christianis Confessionibus non conveniunt.

Quatuor Notae, desunt caeteris Christianorum Confessionibus. Ergo soli Romano-Catholicae Ecclesiae conveniunt eamque propterea ut veram Christi Ecclesiam a falsis discernunt. Conclusio patet ex probatis duabus partibus quae praecedunt. Antecedentis assertum est probandum.

1242. A. Protestantibus et Schismaticis desunt vel unitas vel catholicitas.

1) Protestantibus, si eorum sectae *simul* sumantur, deest de facto unitas, si *singillatim* considerentur, eis deest catholicitas facti. Ergo Protestantibus desunt de facto vel unitas vel catholicitas.

1.° *Protestantium sectae,* si simul sumantur, carent unitate facti, immo iuxta eorum principia eam nunquam de facto obtinere poterunt. Ergo Protestantibus, si eorum sectae simul sumantur, deest de facto unitas.

1243. *-Antec. Protestantium sectae, si simul sumantur: a)* carent *unitate regiminis,* quia dividuntur in plus quam 100 praecipuas denominationes diversas et ad invicem independentes; *b)* carent *unitate fidei,* quia iam nequeunt assignari fidei articuli in quibus conveniant, quemadmodum apparuit anno 1925 in Stockholm, ubi 680 delegati a 103 sectis ex 37 na-

20 M.Heimducher, *Die Ordcn und Kongregationcm der kathol. Kirche* 2 v. (1934): *S.Congr. dei Relig. Statistica degli Ordini e delle Congregationi religiose di diritto pontificio* (1942); Sturm Schulz-Fink, *Orden:* LTK 7 (1935) 748-61 ; Algermissen, 409-17; Annuoriufn *Pontificium* anni 1942 recenset 163 Ordin. et Congreg. Religiosorum, et 1071 Cong. Religiosarum iuris Pontificii; Id., anni 1955 recenset Congr. Iuris Pontificii: Vivorum 185, feminarum 1.376.

tionibus convenerunt sub lemmate *Vita et Actio,* ex condicto suppressa est omnis quaestio de fide: dissensus Protestantium in fide expresse patuit in Congressu eorum, anno 1927 in Lausanne coadunato sub lemmate *Fides et Ordo,* in quo ad nullam concordem conclusionem circa doctrinam fidei devenire potuerunt; nec meliores unionis fructus videtur obtinuisse utraque tendentia in conventibus quos anno 1937 celebraverunt *Vita et Actio* in Oxford, *Fides et Ordo* in Edimburgo; constituerunt tamen *Consilium Oecumenicum Ecclesiarum* ut in posterum utriusque tendentiae labores dirigat; huius *Oecumenici Consilii* coadunatio I in Amsterdam anno 1948 et II in Evanston anno 1954 habita exiguos collegit fructus, ut diximus th.29 n.1127; c) his conaminibus *foederationis* potius quam unionis, Protestantes patefaciunt defectum verae unionis, quam quaerunt, immo hac vera unione carere fatentur, neque eam posse obtinere videntur quandiu principia retineant de nationali independentia religiosa, de libero doctrinae examine individuali, id est dum negent unam debere esse in Ecclesia supremam docendi, regendi, sanctificandi potestatem 21.

1244. 2.0 *Protestantium sectae, si singillatim sumantur carent vera catholicitate.* Nam singulis Protestantium sectis de facto desunt: a) *magna diffusio numerica,* quia numerosiores sunt *Calviniani* = 90.000.000, *Lutherani* — 70.000.000, *Anglicani* = 30.000.000; b) *magna diffusio geographica* deest eis, quia vel restringuntur praesertim quibusdam populis, ut Lutherani populis germanicis, Anglicani vero populis anglosaxonis, vel intra eandem sectam independentes sunt iuxta nationes, quod de omnibus protestanticis sectis iure dici potest; c) *perpetuitas* tandem necessario eis deest, quia Protestantium sectarum nullae saeculo XVI antiquiores sunt 22.

1245. 2) Schismaticis, si eorum sectae *simul* sumantur, *deest de facto unitas,* si *singillatim* considerentur, eis deest *facti catholicitas.* Ergo Schismaticis desunt de facto vel unitas vel catholicitas.

i.° *Schismaticorum sectae,* si *simul* sumantur, carent de facto *unitate* saltem in *regimine,* immo iuxta eorum principia

21 D'Herbigny, n.205*; Zapelena, th.13 part.i p.446-52; Algermissen, 770-76; Heiler. 14-19; I.Giordani. *Crisi protestante c unità della Chiesa.* (1939); JuGiE, *Schisme Byzantin:* DTC 14.1400. Cf. supra n.1127 ct infra n.1272.

22 Zapelena, Appendix, 2 p.$ 10-15; R.H.Benson, Non *Catholic denominations* (1910). Vide supra n.1127 ct infra n.1272. Cf. C.Crivelli, *Pequeno diccionario dc las sectas protestantes* (1948).

eam nunquam obtinere poterunt. Ergo Schismaticis, si eorum sectae simul sumantur, deest de facto unitas.

Antec. Schismaticorum sectae, si simul sumantur: *a)* carent de facto unitate saltem regiminis, quia dividuntur in 20 circiter sectas vere independentes, sive *absolute independentes* quae appellantur *Autocephalae,* sive *relative independentes* quae denominantur *Autonomae 2i; b)* iuxta eorum principia unitatem de facto obtinere nunquam poterunt, quia stante eorum principio autocephaliae vel autonomiae nequeunt agnoscere *unam supremam auctoritatem* quae de facto eos in regimine uniat, et quia universale Concilium, quod pro eis suprema auctoritas esse posset, propter eandem causam, post Nicaenum II anni 787, nullum, iuxta ipsos, habitum fuit, nec perdurante separatione ab Ecclesia Occidentali ullo modo haberi potest, prout ipsi communiter cum Philareto fatentur[24]; c) haec a fortiori valent de Orientalibus hodiernis *Panchristianismum* cum Protestantibus foventibus, qui vago tantum unitatis conceptu contenti et salva uniuscuiusque sectae independentia in regimine, in doctrina et in cultu, solam quandam foederationem omnium Christianorum adinvenire satagunt. Panchristianis vere applicari potest illud Tertulliani dictum: «Schisma est unitas ipsis» [25].

1246. 2.° *Schismaticorum sectae,* si *singillatim* sumantur, *carent catholicitate* facti. Nam singulis Schismaticorum sectis de facto desunt: a) *Magna diffusio numerica,* quia numerosiores sunt Patriarchatus *Moscovita* — 100.000.000, Patriarchatus *Rumenicus* = 13.000.000, Ecclesia Synodalis *Graeciae* = 7.000.000; b) *Magna diffusio geographica* deest eis, quia singulae sectae indolem nationalem fere exclusivam induunt et ideo secundum vicissitudines politicas, pro variatione nationalitatum, independentes ad invicem fiunt, prout patuit maxime post magna postrema hominum bella inde ab anno 1918; c) *Perpetuitas* tandem necessario eis deest, quia Schismaticorum sectae praecipuae saeculo XI vel ad summum saeculo IX antiquiores non sunt[26].

23 D'Herbigny, n.2O3s; Zapelena, th.13 part.2 p-453-57: Jugie, 4,225-40; A.Fortescue, *Eastern Churches:* CE 5 (1909) 230-40; J.Lippl, *Griech. Kirche:* LTK 4 (1932) 697-703; Dumont, O.P., *Eglises orientales:* Tableau (1936); Jugie, *Schisme Byzantin. Unité:* DTC 14,1407-u.

24 Jugie, 4,305; Heiler, 215-20.225S; Zankow, 88; Jugie, *Schisme Byzantin et Conc. Oecuménique:* DTC 14,1425-35· Unitatem quandam non iurisdictionalem sed mere conventionalem ostenderunt anno 1948; cf. V.Grumel, *l.c.,* nota 43.

25 Heiler, 225-28; Zankow, 75-77; Tertullianus, *De Praescr.* 42: ML 2,70. Cf. n.1127·

26 Zapelena, Appendix 3 p.5i6s; Y.Congar, *Chrétiens desunis: Principes d'un Oecuménisme catholique* (1937); cf. Heiler, 153-178; J.Schweigl, *Die Hierarchien der getrennten Orthodoxie:* OrCh 13 (1928) 5-74; MJugie, *Schisme Byzantin. Les autocéphalies:* DTC 14, 1372-86.

1247. B. Protestantibus et Schismaticis deest vera apostolicitas.

1) Apud Protestantes et Schismaticos dari nequit vera apostolicitas successionis formalis.

1.° Vera *apostolicitas successionis formalis* dari nequit nisi *intra unitatem et catholicitatem.* Atqui Protestantibus et Schismaticis deest vel unitas vel catholicitas ut probavimus. Ergo apud Protestantes et Schismaticos dari nequit vera apostolicitas successionis formalis.

Mai. constat; quia Apostolicitas successionis formalis, id est sine ulla iuris mutatione, importat ius et obligationem unionis et communionis cum omnibus universi orbis Apostolorum successoribus (cf. Io 17,11).

2.0 *Vera apostolicitas successionis formalis* dari nequit apud eos qui corpus Pastorum Ecclesiae non retinent constitutum ea *ratione qua Christus constituit Collegium Apostolorum,* id est sub una S.Petri et successorum eius auctoritate primatiali 27. Atqui Protestantes et Schismatici corpus Pastorum non retinent constitutum sub una S.Petri et successorum eius auctoritate primatiali. Ergo vera apostolicitas successionis formalis dari nequit apud Protestantes et Schismaticos.

1248. *Ad min.* a) *De Protestantibus ex* historia constat eos ortum habuisse saeculo XVI per negationem oboedientiae Apostolicae Romanae Ecclesiae, quam usque tunc primatiali S.Petri auctoritate praeditam esse agnoverant; eorum autem pertinacia in rebellione manifeste patuit eo quod invitati et enixe rogati noluerint ad Concilium Tridentinum accurrere eorum causa convocatum.

1249. *Ad min.* b) *De Schismaticis* etiam ex historia constat eos ortum habuisse saeculo IX vel XI per denegatam subiectionem Apostolicae Romanae Ecclesiae, cuius primatialem S.Petri auctoritatem, usque tunc ab Orientalibus semper agnitam, negaverunt, et quidem: a) contra explicitam attestationem quam Orientales manifestaverunt in Conciliis *Ephesino* (a.431), *Chalcedonensi* (a.451), *Constantinopolitano III* (a.680); β) contra sollemne iudicium quo Photii seditionem reiecerunt in Concilio *Constantinopolitano IV* (a.870); y) contra apertam retractationem quam post Michaelis Cerularii tem-

27 Leonis M. et Innocenth III doctrinam vide supra n.234-28o: R 2191.

pora Orientales praestiterunt in Conciliis *Lugdunensi II* (a. 1274) et *Florentino* (a. 1439) 28.

1250. 2) Apostolicitas successionis materialis non adeo plene et evidenter constat convenire Protestantibus et Schismaticis, ut Romano-Catholicae Ecclesiae. Ergo apostolicitas sucessionis materialis *nequit ut Nota contra Romano-Catholicam Ecclesiam a Protestantibus et Schismaticis proferri.*

i.° *Protestantibus* a) non competit habere aliquam Sedem ab Apostolis fundatam, in qua, serie nunquam interrupta, Episcopi *directe* successerint. Ergo apostolicitas successionis materialis non adeo plene et evidenter convenit Protestantibus, ut Romano-Catholicae Ecclesiae.

b) *Protestantium sectae episcopalianae* successionem materialem ratione Ordinis Episcopatus ab Apostolis habere possunt, sed *indirecte* tantum et mutuatam tandem vel ab Ecclesia Romano-Catholica vel ab Ecclesiis Schismaticorum. Ergo eam non sibi ut propriam adscribere possunt.

1251. Num de facto apostolicitas successionis materialis ratione Ordinis concedenda sit Protestantium sectis episcopalibus, pendet a quaestione de valore Ordinationum, quibus Episcopatum obtinent; *Anglicanorum* enim *Ordinationes* detectae sunt invalidae ob defectum formae tempore Leonis XIII (D 1963-1966) 29. Unde iure dubitari potest de visibilitate et facili cognoscibilitate apostolicitatis successionis materialis Protestantium, ac propterea non constat eorum apostolicitatem, si quam habeant, esse vere *Notam* quam in sui favorem iure afferre possint. ı

c) *Protestantium sectae non Episcopalianae,* inter quas praecipuae recensentur *Lutheranae, Calvinianae, Presbyterianae et Congregationalistae,* utpote Episcopatu carentes, omni apostolicitate successionis, etiam mere materialis ratione Ordinis, destituuntur.

1252. 2.0 *Schismaticis a)* competit quidem habere Sedes, praesertim *Antiochenam* et *Alexandrinam,* ab Apostolis fundatas; sed *b)* non adeo constat in eis Episcopos, *serie nunquam interrupta, directe* inde ab Apostolis ad nostra usque tempora successisse. Ergo apostolicitas successionis materialis non adeo plene et evidenter convenit Schismaticis, ut Romano-Catholicae Ecclesiae 30.

28 Orientales novem priorum saeculorum agnovise Primatum successorum S.Petri in Romana Ecclesia, ostendunt auctores acatholici ut S.H.Scorr, *The Eastern Churches and the Papacy* (1&28) 350s; Fr .Heiler, *Urkirche und Ostkirche* (1937) 220-23; T.G.Jalland (1944). Cf. n.453.

29 Cf. D'Herbigny, n.32Q.

30 Cf. P.B.Gams, *Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae* (1873); C.Eubel, *Hierarchia catholica medii aevi* (1913). Vide Episcoporum series in sedibus praesertim Antiochena, Hierosolymitana, Alexandrina et Constantinopolitana.

1253. 3.° *Schismaticorum et Protestantium* sectas, *ratione Ordinis Episcopatus,* successionem ab Apostolis materialem habere concedimus. Attamen haec materialis in potestate Ordinis successio censeri nequit *Nota* sufficiens ad veram Ecclesiam dignoscendam. Nam cum haec potestas tradatur *sacramento Ordinis,* valide conferri, suscipi et exerceri potest a subiecto capaci, dummodo necessariae ad valorem adhibeantur materia, forma et intentio; ac propterea valide copferri, *suscipi* et *exerceri* potest etiam ab Haereticis et Schismaticis, quamvis propter haeresim et schisma membra Ecclesiae non sint. Ergo mere materialis in potestate Ordinis successio censeri nequit Nota sufficiens ad veram Ecclesiam dignoscendam 31.

1254. C. Protestantibus et Schismaticis deest nota sanctitatis.

x) Protestantium sectis: x.°, *de iure deneganda est omnis sanctitas;* 2.°, *de facto deest continuata Sanctitas perfecta et heroica;* 3.°, *attribui nequeunt illi sanctitatis fructus qui apud Protestantes bona fide errantes reperiuntur.* Ergo Protestantium sectis deest Nota sanctitatis.

Ad antec. x.° De iure Protestantibus deneganda est omnis sanctitas. Nam fundamentum omnis christianae Sanctitatis sunt opera libere facta ob motivum caritatis. Atqui Protestantes denegaverunt homini libertatem et tenent solam fidem sine caritatis operibus iustificare. Ergo de iure deneganda est Protestantibus omnis Sanctitas.

Mai. Abunde probatur ex Scriptura: cf. Mt 16,27; 25,34-46; Rom 2,13; x Cor 7,19; 13,1-13. *Min.* patet ex Protestantium doctrinis, quas Ecclesia Catholica damnavit: In *Bulla «Exurge Domine»* Leonis X, a. 1520: D 7715.775s; necnon in *Conc.Tridentino:* D 797 814-817 819 821 823s. Vide etiam libertatem hominis contra Iansenium vindicatam ab Innocentio X: D 1094 32.

1255. *Ad antec.* 2.° *De facto Protestantibus deest continuata Sanctitas* perfecta et heroica. Nam continuata Sanctitas perfecta et heroica obtinetur mediantibus Institutionibus permanentibus, quae in observationem consiliorum evangelicorum intendant. Atqui de facto Protestantes tales Institutiones reiecerunt, immo eas irridere non desinunt. Ergo de facto deest Protestantibus continuata Sanctitas perfecta et heroica.

Mai. patet ex iis quae diximus superius de permanentibus

31 Schismatici vel haeretici valide conferentes vel exercentes Ordinis potestatem, quamvis a vera Ecclesia avulsi, agunt tamen ut eius ministri, atque ulterius vera Ecclesia tacite vel aperte cis concedit eam iurisdictionem, quae ad bonum animarum bona fide errantium necessaria sit: cf. CIC cn.209; Zapelena, ρ·457·

32 Ottiger, 2,1026-30.1034-37.1041-44; Michelitsch, § 189: Lutheri, Calvini et Zwinglii sententias citant.

perfectionis Institutis, atque ex ipsa rei natura apparet eius veritas.

Min. constat ex historia, nam Protestantes de facto theoretice et practice aboleverunt caelibatum Clericorum et Instituta Religiosorum quibus homines vitae perfectae devoventur. Immo, consequenter ad eorum principia de iustitia imputata et de sufficientia fidei sohus ad sanctitatem obtinendam, irrident atque minus utile reputant studium mortificationis, virginitatis et abnegationis, quod fundamentum est votorum paupertatis, castitatis et oboedientiae Religiosorum; irrident etiam studium humilitatis et crucis Christi, quod vitae heroicae Christianorum fundamentum est[33].

1256. *Ad antec.* 3.0 *Protestantium sectis attribui* ergo *nequeunt ii sanctitatis fructus qui apud Protestantes bona fide errantes reperiuntur.* Nam sanctitatis fructus, quos agnoscimus dari apud Protestantes bona fide errantes, Protestantium sectis attribui nequeunt, si ab aliis causis revera de facto operantibus producuntur. Atqui tales sanctitatis fructus non a Protestantium sectis, sed ab aliis causis revera de facto operantibus producuntur. Ergo Protestantium sectis, attribui nequeunt ii sanctitatis fructus qui apud Protestantes bona fide errantes reperiuntur.

Mai. patet tamquam conclusio eorum quae probavimus sub i.° et *2.°*

1257. *Min.* Causae revera et de facto operantes, quae producunt sanctitatis fructus quos videmus apud Protestantes bona fide errantes, sunt: i.a *Voluntas salvifica Dei, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (1 Tim 2,4), ac propterea gratias suas hominibus bonae voluntatis distribuit etiam extra veram Ecclesiam bona fide vagantibus; 2.® *Nativa vis doctrinae revelatae et exemplorum Christi,* quae in sacris Scripturis continentur ad utilitatem omnium qui ea legere vel audire valeant; 3.® *Efficacia Sacramentorum* Baptismi, sacrae Ordinationis et Eucharistiae, quae quamvis Sacramenta verae Ecclesiae sint, tamen valide administrari et suscipi possunt a subiectis capacibus etiam extra veram Ecclesiam vagantibus, dummodo materia, forma et intentio necessariae ad valorem rite adhibeantur; 4.® *Moralis influxus* et salutaria exempla *Romano-Catholicae Ecclesiae,* quam praesertim sic dicta *Alta Ecclesia Anglicana, Lutherana* et *Americana* inde

33 Cf. Ottiger, 2,988-1024; A.Michel, *Sainteté dans les Protest.:* DTC 14,860-63.

a medio saec.XIX imitata est in cultu liturgico, in Institutionibus statui Religiosorum simillimis 34, in caritatis operibus, in praxi Exercitiorum spiritualium, in usu confessionis et in aliis. Immo *Ecclesia Anglicana* ad imitationem Catholicae Ecclesiae, fucatam quandam *Sanctorum Canonizationem* anno 1924 celebravit, qua undecim viros ad caelitum honores evexit, videlicet, Tertullianum, Catherinam de Siena, Ioannem Wicleff, Wesley, Parker, Crammer, Keble, Nightingale, Land, Carolum I et Henricum VI, natione omnes anglos exceptis Tertulliano et Catherina. Haec ergo omnia dici nequeunt sectarum Protestantium proprii fructus, sed ab aliis causis revera de facto operantibus producuntur 35.

1258. *Casus indiani Sadhu-Sundar-Singh* ad christianismum in Ecclesia Anglicana conversi, si in aliquibus adiunctis verus esset, bonum exemplum esse posset ad ostendendam largitatem voluntatis Dei salvificae erga animas naturaliter bonas, quae Deum bona fide quaerunt; nullo autem modo hic casus in confirmationem erroris anglicani adduci potest, neque Ecclesiam Anglicanam prae Romano-Catholica Ecclesia ullo modo commendat36.

1259. 2) Schismaticorum sectis deest Nota sanctitatis 37.

i.° *Schismatici* si cum Protestantibus comparentur:

a) *Plura sanctitatis media* adhibent. *Sanctitatis media,* quae Schismatici retinent, sunt: α) *doctrinalia et moralia,* qualia sunt, sacra Scriptura integra, fidei Symbola antiqua, septem priorum Conciliorum oecumenicorum decreta, SS.Patrum antiquorum opera; β) *liturgica,* qualia sunt, cultus sacri varia officia in honorem Dei, B.M.Virginis et plurium Sanctorum; γ) *septem N.L.Sacramenta,* quae recte fidelibus administrant. Haec autem sanctitatis media plura sunt, ut patet, iis quae Protestantes retinent.

1260. b) Copiosiores sanctitatis fructus obtinent. Sanctitatis fructus, quos Schismatici exhibent, sunt: α) ii qui ex *mediis adhibitis* profluunt: ex professione rectae doctrinae fidei et morum, ex praxi orationis et idonei cultus liturgici, ex usu omnium Sacramentorum; β) *status Clericorum et Monachorum,*

34 A.Urrutia, *Familiae religiosae apud Anglicanos:* CommentRelig 27 (1948) 90,204; 28 (1949) 67-83.

35 D'Herbigny, n.227,5-338; Bainvel, 62s; Algermissen, 639-44.675-77; A.d'Ales, *Saints:* DAFC 4,1136. Cf. L.Marchal, *Puseysme:* DTC 13.1367-1425.

36 L.de Grandmaison, *Le Sadhu Sundar Singh:* RcchScRel 12 (1922) 1-29; V.O.Pfister, *Die Legende Sundar Singhs* (1926).

37 Jugie, 4.544-65; Ottiger, 2,1053-58; D'Herbigny, n.330; cf. Heiler, 548-50; Jugie, *Schisme Byzantin. Moyens de sanctification:* DTC 14.1454-63·

seu hominum qui se praesertim devoverunt divino cultui et vitae asceticae; y) *Martyres, vel Sancti* publico decreto ut tales ab Ecclesiis Schismaticorum inde a saeculo XII declarati. Hi autem sanctitatis fructus copiosiores quidem dicendi sunt iis quos Protestantes exhibent. Ergo contra Protestantes, Schismatici suam sanctitatem efferre quidem possunt.

1261. 2.° *Schismatici,* si cum Catholicis comparentur, eorum *Sanctitas longe inferior est sanctitate Catholicorum,* tam ratione mediorum quam ratione fructuum.

a) *Ratione mediorum* sanctificationis: nam Ecclesia Romano-Catholica, praeter omnia illa media quae Schismaticos habere concedimus, habet ulterius: a) *auctoritatem universalem,* 'a potestate Status independentem, quae efficaciter Ecclesiae libertatem tueatur et normas disciplinares praescribat variis temporum necessitatibus accommodatas; β) *infallibile Magisterium* ad doctrinam fidei et morum custodiendam, declarandam et ab erroribus de novo surgentibus iugiter tuendam; y) *integritatem omnium Sacramentorum* absque ea laxa divortiorum facultate, ab Schismaticis concessa, quae Christianorum morum sanctitati grave vulnus inflixit.

1262. b) *Ratione fructuum* sanctitatis Ecclesia Romano-Catholica Schismaticos longe superat: ct) propter *perfectiorem* et *pleniorem gradum* in professione doctrinae fidei et morum, in praxi orationis et liturgici cultus, in usu omnium Sacramentorum; β) propter longe *maiorem numerum* et *perfectiorem formationem* et vitam status *Clericorum et Religiosorum, de* quibus superius loquuti sumus; y) propter ingentem *Martyrum numerum et evidentem virtutum heroicitatem* plurimorum *Sanctorum,* rigidis Canonizationis et Beatificationis processibus comprobatam inde praesertim a saeculo XII [38].

Unde manifestum est Schismaticorum sanctitatem, cum sanctitate Catholicorum comparatam, omni ex parte esse longe inferiorem. Ergo iam eo ipso patet Schismaticos non posse eorum sanctitatem adducere contra Catholicos tamquam Notam ad veram Ecclesiam dignoscendam. Sed ulterius addimus:

1263. c) *Schismaticorum sanctitas* nequit dici sectarum schismaticarum qua talium propria, sed potius illius Ecclesiae a qua hae sectae sese avulserunt. Nam praecipua sanctificatio-

38 Benedictus XIV, *Dc Servorum Dei beatifications et Beatorum canonizations* l.i c.46 n.4; Jugie, 4.550-53-559; D'Herbigny, n.276.

nis media et sanctitatis fructus Schismaticorum deprompta sunt ab illa Ecclesia quae ante saeculum IX in communione cum Apostolica S.Petri Sede erat et successori S.Petri in Primatu oboediebat. Ergo propria potius dicenda sunt illius Ecclesiae a qua hae sectae sese avulserunt. Hoc autem confirmari videtur, quia post separationem, haec sanctificationis media apud Schismaticos apparent velut *torpore pressa, vigore exhausta, vita destituta, ad degenerationem prona,* dum e contra eadem media in Romano-Catholica Ecclesia gaudent *agilitate, vigore et vita,* quibus semper ad novas temporum necessitates spirituales fidelium mirifice adaptantur Unde concludere licet ea apud Schismaticos esse velut elementa ab illo trunco abulsa ex quo vera eis efficacitas et vitalitas dimanat.

1264. Scholion. *Argumentatio menti Schismaticorum accommodata. Ex* principiis, quae a Catholicis simul et ab Schismaticis admittuntur, demonstrari potest Schismaticis, et quidem efficacius, iuxta Jugie, quam ex Notis, eorum Ecclesiam non esse veram Christi Ecclesiam[40].

1) *Vera Christi Ecclesia gaudet dono perpetuo infallibilitatis* in docenda sua doctrina (Mt 28,18-20; Io 14,26). Atqui Schismaticorum Ecclesia hanc infallibilitatem amisit, quia inde a saeculo XII nullam controversiam infallibiliter dirimere neque organum infallibilitatis, *Concilium Oecumenicum,* coadunare potuit. Ergo.

2) *Vera Christi Ecclesia nihil contrarium doctrinae Christi docere potest* (Mt 28,20). Atqui Schismaticorum Ecclesia theoretice et praesertim practice docet Matrimonium dissolvi posse propter *plures* causas (plus quam 20). Ergo.

3) *Vera Christi Ecclesia deficere nequit ab adimplendo officio praedicandi Evangelium* omnibus gentibus (Mt 28,19; Act 1,8). Atqui Schismaticorum Ecclesia inde a saeculo XII ab adimplendo tali officio defecit. Ergo.

1265. 4) *Vera Christi Ecclesia,* utpote infallibilis et indefectibilis, *deficere nequit neque a fidei veritate neque a sua divina constitutione sociali.* Atqui Schismaticorum Ecclesia inde a saeculo XII defecit a veritate processionis Spiritus Sancti a Patre per Filium vel a Patre et Filio, cum doceat Eum procedere a solo Patre; defecit etiam a divina Ecclesiae constitutione sociali, cum agnoscere renuat supremam S.Petri et successorum eius auctoritatem. Ergo.

5) *Vera Christi Ecclesia debet esse una,* sociali unitate communionis in caritate (Io 13,25; 17,21). Atqui Schismaticorum Ecclesia hac sociali unitate

3' M.Jucie, 4.544-47: cf. Heiler, 378S.388.561-65.

40 M.Jugie, 4,59i-97· Hoc argumentum fusius evolvit ipse Jugie in opere *Où se trouve le Christianisme intégral?* (1947). Admittere tamen non possumus sententiam Martini Jugie tenentis, p.246, traditionalcm methodum probandi ex Notis veram Ecclesiam, «substituendam esse methodo comparativa, qua solum asseritur, Ecclesiam Romano-Catholicam esse *magis* Unam, *magis* Sanctam, *magis* Catholicam et *magis* Apostolicam quibuslibet aliis Christianis Confessionibus». Nam si concedit Ecclesias dissidentes vere habere essentiales proprietates, quibus Christus suam insignivit Ecclesiam, non potest negare easdem vere esse Christi Ecclesias. Quod si in Romano-Catholica huiusmodi proprietates perfectiori gradu dantur, inde solum concludi potest, Romano-Catholicam Ecclesiam *gradu* tantum differre ab Ecclesiis dissidentibus, adeoque eam ad summum esse primam inter eas quae pariter sese Christi Ecclesias nuncupare possunt; quam sane conclusionem *Panchristianismi* fautores facile, puto, subscribere possent. Cf. T.Zapelena, th.i3 schol.5.

caret, cum theoretice et practice teneat principium independentiae singularum Ecclesiarum autocephalarum vel autonomarum. Ergo.

6) *Vera Christi Ecclesia,* utpote societas perfecta, *in prosequendo suo fine debet esse a dominio Status independens.* Atqui Schismaticorum Ecclesiae saepe theoretice ac praesertim practice dominio Statuum subditae sunt. Ergo.

7) *Vera Christi Ecclesia copiosos sanctitatis fructus iugiter proferre debet* (Io 14.12-14; 15,5.7.16; Mt 7,17-20). Atqui inter Schismaticos inde a saeculo XII exigui sanctitatis fructus collecti sunt. Ergo.

1266. *Ratio praecipua* horum defectuum, quibus Schismaticorum Ecclesiae laborant, prout ipse Heiler insignis earum admirator agnoscit, ponenda merito est in earum separatione a Primatu S.Petri et successorum eius: cui Christus claves Regni caelorum dedit, quem fundamentum et iudicem summum in Ecclesia constituit, cui curam confirmandi fratres et pascendi suum gregem commisit (Mt 16,18s; Le 22,31s; Io 21,15-17). Atque ideo carent *vero ac visibili principio* unitatis, infallibilitatis, foecunditatis, vigoris, independentiae, libertatis et vitae, quod Christus divinitus statuit[41].

1267. Obiectiones[42]. A. *Contra argumentum Notarum in genere.* I. Auctores catholici non consentiunt inter se neque in notione Notae neque in definitione singularum Notarum neque in earum numero. Ergo probatio ex Notis dicenda est saltem obscura et inefficax: G.Thils, 290-293.

Dist. antec. Qui non sufficienter penetraverunt rationem argumenti ex Notis, *conc. antec.;* qui rationem huius argumenti bene perspexerunt, subdist.: dissentiunt in disquisitionibus ulterioribus et in subtilitatibus, quae in scientia humana, et maxime in rebus quae pendent ex aestimatione morali, nunquam desunt, *conc.;* dissentiunt in essentialibus ex quibus pendeat efficacia argumenti ex Notis, *nego.*

1268. 2. Argumentum ex Notis nititur in hoc syllogismo: Christus insignivit suam Ecclesiam quibusdam proprietatibus distinctivis; atqui huiusmodi proprietates solummodo reperiuntur in Ecclesia Catholica; ergo Ecclesia Catholica est vera Christi Ecclesia. Atqui in hoc syllogismo nec maior nec minor perfecte probantur. Ergo argumentum ex Notis nihil probat: Thils, 328.

Conc. mai. Dist. min. Maior et minor syllogismi non probantur perfecta probatione metaphysica vel mathematica, conc. *min.;* probatione respondenti indoli rei de qua agitur, id est probatione gignente certitudinem moralem, *nego min.* Pariter distingue cons. et *nega consequentiam.*

1269. 3. Efficacior, quae proponitur, argumentatio desumitur ex Notis simul sumptis. Atqui ex Notis simul sumptis probatio nititur in ratione miraculi moralis, quam induunt quatuor Symboli proprietates simul sumptae. Ergo tandem ex Notis proprie non fit efficax probatio: Thils, 209.

Conc. mai. Dist. min. Probatio niti potest in ratione miraculi moralis, quae accedit Notis prout in catholica Ecclesia verificantur, tantum, nego min.; etiam, *subdist.:* et tunc est probatio via empirica, conc.; est probatio via Notarum, nego.

41 Cf. F.Heiler, *Urkirche und Ostkirche* 561-565.

42 G.Thils, Les Notes *de l'Eglise* (1937): M.Jugie, Où se trouve le *Christianisme intégral?* (1947): Zapelena, 1,468.470; Muncunill, n.239.243.249 258.264.272; D'Herbicsy, n.225. 266.279.331.341; Dorsch, 622.634.643.645.649.652.669-678; Lercher, n.454.

1270· 4- Via Notarum adinventa est ad convincendos Protestantes qui agnoscant divinam auctoritatem Christi et Scripturae. Atqui hodierni Protestantes talem auctoritatem non agnoscunt. Ergo via Notarum est hodie inutilis.

Dist. mai. Occasio inducens ad evolvendam viam Notarum fuerunt Protestantes credentes, *conc. mai.;* via Notarum natura sua valet ad convincendos Protestantes credentes, subdist. : etiam, *conc.;* tantum, *nego;* valet enim ad convincendos etiam Schismaticos credentes necnon ad Catholicos in sua fide confirmandos et erudiendos. *Contradist. min.* Divinam Christi et Scripturae auctoritatem non agnoscunt hodierni Protestantes plures Rationalism! vel Modernism! sequaces, *conc. min.;* plures alii qui a Rationalismo et Modernisme immunes perseverant, nego min. Quamvis via Notarum hodie minus utilis sit relate ad eos qui Rationalismo vel Modernismo sint infecti; attamen valde utilis est relate ad credentes Protestantes et Schismaticos quamplurimos qui hodie exsistunt.

1271. 5. Quatuor Symboli proprietates, licet minori gradu, at certe in aliqua mensura reperiuntur etiam in Ecclesia Orientali Orthodoxa et in praecipuis sectis Protestantium praesertim episcopalianis. Ergo in argumento ex Notis falsa est minor, quae dicit, quatuor huiusmodi proprietates reperiri *solum* in Ecclesia Catholica: Thils, 339; Jugie, 246.

Dist. *antec.* Et eo ipso quod minori gradu reperiantur in talibus Ecclesiis, patet eas non posse notificare tales Ecclesias ut veras contra Ecclesiam Catholicam, *conc. antec.;* et eo quod aliquo modo in talibus Ecclesiis reperiantur, concedendum est eas participare de verae Ecclesiae proprietatibus, *subdist. :* participant de quatuor Ecclesiae proprietatibus in illa essentiali mensura, quam Christus voluit, nego; participant de iisdem proprietatibus in mensura plane insufficienti, *iterum subdist. :* et haec participatio attribuenda potius est voluntati Dei salvificae universali, et exercitio potestatis Ordinis, quae suos effectus producit ex opere operato etiam si minister et suscipiens non sint verae Ecclesiae membra, et delegationi aut supplentiae saltem implicitae illius qui veram iurisdictionis Ecclesiae potestatem habet, conc.; et haec participatio ita eisdem Ecclesiis attribuenda est, ut eam possint dicere sibimetipsis propriam et non potius a vera Ecclesia, ut diximus, mutuatam, nego.

1272. 6. Unitas saltem et quodammodo etiam catholicitas Ecclesiarum dissidentium a Catholica manifeste demonstratae sunt in conventibus, quos anno 1948 habuerunt *Orthodoxi Orientales in Moscu, Anglican» in Lambeth* et *Panchristiani in Amsterdam.* Ergo duae saltem Notae praecipuae ipsis negari nequeunt.

Dist. *antec.* In conventibus citatis patuit, Ecclesias dissidentes anxie quaerere aliquam saltem apparentem unitatem et catholicitatem, quas propterea agnoscunt ipsis deesse, conc. *antec.;* patuit eas obtinuisse aliquam veram unitatem et catholicitatem, subdist. : conventionalem, occasionalem et transitoriam, *trans.;* unitatem et catholicitatem realem, permanentem et in una fide unoque regimine universorum fundatam, nego. Rationem distinctionum invenies in genuinis et fidedignis Actis horum trium conventuum, in quibus *expresse excluditur unitas regiminis* inter varias Ecclesias concurrentes, et decissionibus ipsorum magnorum conventuum *vis mere consultiva,* auctoritativa vero et *obligatoria nulla* conceditur43.4

43 Cf. *The Lambeth Conference* (1948); *The Encyclical Letter from the Bishops together with Resolutions and Reports:* A.Jansen, *La VIIIe Conference de Lambeth;* V.Grumel, *Le Ve Centenaire de l'Autocéphalie de l'Eglise russe et* la *Conférence des Eglises Orthodoxes Autocéphalcs;*

1273. B. *Contra singulas notas.* 7. Contra unitatem Ecclesiae obici solent: *a)* dissensus inter S.Cyprianum et S.Stephanum Papam in quaestione de rebaptizandis haereticis; *b)* oppositio Episcoporum occidentalium condemnationi sic dictorum *Trium Capitulorum* a *Conc. Constantinopolitano II* definitae; *c) schisma Acacianum* ab anno 484 ad annum 519 protractum.

In his similibusque casibus, qui citari possent, vel non deventum est ad pertinaciam in errore vel schismate, ut in casibus *a) et b),* vel si pertinacia adfuit, unitas servata est eo ipso quod a gremio Ecclesiae schismatici aut haeretici separabantur, ut in casu sub c)[44].

1274. 8. Saltem tempore sic dicti *Schismatis Occidentalis,* inde ab anno 1378 ad annum 1417, unitas Ecclesiae Catholicae in plures oboedientias divisa est. Ergo si semel non fuit una, neque unquam fuit vera Ecclesia.

Dist. *antec.* In plures oboedientias divisa est, quarum omnes legitimae, *nego antec.;* quarum una, Romana videlicet, legitima erat, aliae vero schismaticae, *subdist. :* schismate formali, *nego;* schismate mere materiali, *iterum subdist. :* schismate reali et proprio, seu ex voluntate pertinaci non oboediendi vero Summo Pontifici, *nego;* schismate improprie dicto, seu ex voluntate ancipiti et condicionata non oboediendi Pontifici dubio, *iterum subdist.:* et tali apparenti schismate obscurabatur unitatis Ecclesiae visibilitas, *conc.;* visibilitas ipsa tollebatur, *nego.* Harum distinctionum explicationem habes paulo inferius in scholio, n.1278-1283.

1275. 9. Tempore Concilii Ariminensis defuit catholicitas. Nam postquam Episcopi ab Arianis circumventi formulae propositae subscripserunt, S.Hieronymus non dubitavit asserere: «Tunc *Usiae* nomen abolitum est: tunc *nicaenae Fidei* damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis et Arianum se esse miratus est»[45].

Iuxta contextum loci citati, *dist. antec. :* S.Hieronymus vult dicere: Doluerunt universi Episcopi et mirati sunt se ut Arianos publicari eo quod bona fide subscripserint formulae quam sensu plane orthodoxo intellexerant, *conc. antec.;* S.Hieronymus vult significare, ingemuisse universam Ecclesiam et miratam esse eo quod Episcopi sui revera haeresim Arianam amplexati fuerint, *nego antec.* Nam paulo inferius in eodem numero ipse S.Doctor addit: «Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia haeretici ferebantur, contestantes Corpus Domini et quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, aiebant, sensum congruere cum verbis; neque in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri. Decepit nos bona de malis exsistimatio. Non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare.»

1276. Excursus. De Ecclesia quatenus per se ipsa est magnum motivum credibilitatis.

Post probatam veritatem Ecclesiae Romano-Catholicae ex quatuor eius *Notis,* libenter etiam probationem instituere in-

A.Jansen, *La première Assemblée du «Conseil Oecuménique des Eglises»: Tres* hae informationes apud Document. Cathol. 46 (1949) 287-312.365-378.541-567-665-700.735-746. De Conventibus in Amsterdam (a.1948), Lund (a.1952) et Evanston (a.1954) vide quae annotavimus n.1127.

44 Cf. B.Llorca, *Historia Eclesidstica* 120.r72.200.

S.Hieronymus, *Dialogus contra Luciferianos* n.19: ML 23,172.

tendebamus, ex *vera miraculi ratione* quam induunt eaedem quatuor eius proprietates, prout de facto verificantur in Romano-Catholica Ecclesia b

Prout nobis videtur, huius probationis proprius locus est in tractatu *De Ecclesia,* adeoque iure in hoc tractatu huiusmodi probatio evolvitur ab auctoribus, ut Dîeckmann, n.599-631; D'Herbigny, th.29; De Guibert, th.3. Ipsum etiam *Vaticanum Concilium* definivit, veram *Ecclesiam* dignoscibilem esse hac via, ex eo nempe quod per se ipsa sit de facto verum morale miraculum, quod veritatem sui de se- ipsa testimonii irrefragabiliter demonstret.

Huiusmodi argumentationis normam ac rationem exhibet *Concilium Vaticanum:*

<'Ad solam enim Catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem Fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam *Ecclesia per se ipsa,* ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile»; D 1794.

1277. *Ratio miraculi moralis* facile detegi potest in unitate, *catholicitate, apostolicitate et sanctitate,* prout in *concreto, experientia texte,* verificantur in Romano-Catholica Ecclesia. *Nam* 1.° *tam eximia* perfectione, *tam constanti* duratione, *tam extensa* amplitudine ex'sistunt in Ecclesia Catholica, ut neque a longe in ullo alio hominum coetu, *tali gradu* reperiri unquam potuerint. Ergo eo ipso habendae sunt ut *effectus prorsus insoliti. Accedit 2.°* easdem qualitates obtineri, conservari et diffundi *mediis, secundum humanam virtutem,* revera *imbecillimis* **1**. Ergo eo ipso tribui debent causae supernae. *Adde* 3.0 *difficultates ingentes,* quae iugiter opponuntur ad has qualitates in tali perfectionis gradu obtinendas, conservandas et augendas: difficultates dico a) *ab intrinseco ortas, ex eo* nempe quod *mediantibus hominibus infirmis ac fragilibus,* necnon vigore et aestu passionum in contrarium potius pronis, obtinendae, conservandae et augendae sunt3; difficultates dico b) *ab extrinseco natas,* ex *multiplicibus persecutionibus vel impedimentis* in contrarium pugnantibus, quae sponte profluunt ex praeiudiciis vel appetitionibus indolis praesertim religiosae, aut so-

1 Historiam quod attinet huius probationis, vide quae scripsimus in introductione, n.7-9: cf. Dieckxïann, n.607-610. Relate ad adversarios, cf. S.Tromp, *De Revelatione christiana* (î945) 113-117· Lege J.Balmes. *El Protest, compar, con el Catol.* c.3.

2 S.Th., i CG 6; cf. S.Cyprmn., *De catholicae Ecclesiae unitate 5: R* 556.

3 S.Th.. i CG 6.

cialis, aut politicae, aut historicae 4. Unde immediate apparet, solum *ex causa vires humanas superante* atque has ingentes difficultates vincente, tam eminentem qualitatum perfectionis gradum haberi posse 5.

Iam vero, Ecclesia Romano-Catholica asserit se esse unicam veram Ecclesiam a Christo institutam, et in confirmationem sui asserti provocat ad verum miraculum morale quod sua ipsa exsistentia implicat. Ergo revera est id quod de se dicit. Hoc argumentum breviter tantum insinuare voluimus, abstinentes ab eius plena expositione, quia in praecedenti tractatu *De Revelatione christiana* iam sufficienter explanatum est6.

1278. Scholion. De Schismate Occidentali (1378-1417) 7.

Historia huius infausti sic dicti Schismatis, nostris diebus iam plane aperta est. Iuxta eam Ecclesia Catholica videtur fuisse scissa ab anno 1378 ad annum 1409, *in duas oboedientias, Romanam* videlicet et *Avignonensem* ad quas, inde ab anno 1409, accedit *tertia,* nempe Pisana. Ergo per 38 annos unitas regiminis videtur defuisse in Catholica Ecclesia.

Ad lucem Historiae concedi potest, funestam hanc 38 annorum periodum sane fuisse brevem quemdam ac tristem confussionis apparentem hiatum in Ecclesiae Catholicae unitate 8.

1279. Ad inde ortam difficultatem solvendam, *tres praecipuae solutiones* a Theologis proponuntur: 1.° Erant in Ecclesia plures oboedientiae. Dist. Quarum una legitima erat, Romana nempe, aliae vero schismaticae, et ideo ab Ecclesiae unitate abscissae, conc.; quarum omnes legitimae intra Ecclesiae unitatem perseverantes, nego. Ita fere Straub 9.

2.a Erant in Ecclesia plures oboedientiae. Dist. Omnes legitimae, *nego;* quarum una, Romana nempe, erat legitima, aliae vero schismaticae, subdist.: materialiter, conc.; formaliter, nego. Sic De Groot et De San lo.

1280. 3-s Erant in Ecclesia plures oboedientiae. Dist. Omnes legitimae, nego; quarum una, Romana videlicet, legitima erat, aliae vero schismaticae, subdist.: schismate formali, *nego;* schismate mere materiali, *iterum subdist.:* schismate reali et proprio, seu ex voluntate firma et absoluta non oboediendi vero Pontifici, nego; schismate apparenti et improprie dicto, seu ex voluntate ancipiti et condicionata non oboediendi Pontifici dubio seu de quo non constabat eum esse verum, *iterum subdist.:* schismate tali quo *obscu-*

4 S.Augustinus, *De fide rerum quae* non *videntur c.6* n.7: ML 40,176; M.J.Concar, *Schisme:* DTC 14,1288-1200. Brevem variorum schismatum historiam vide apud J.Marx, *Lehrbuch der Kirchengeschichte* § 28.36.40.65.74.76.06.160.

5 S.I.Chrysostomus, *Homilia de capto Eutropio* l (a.300): MG 52,397.

6 S.Augustinus, Sermo *de Symbolo c.6* n.14: ML 40.635: R 1535.

7 *Schisma Occidentis* (1378-1417) historice bene explicatum habes apud L.Salambier, *Le grand schisme d'Occident* (1921); brevius lo.. *Schisme d'Occident:* DAFC 4,1228-1241; E.Krebs, *Abendlandisches Schisma:* LTK 9,250-261; L.von Pastor, *Historia de los Papas* l.1 c.2; Cristiani, apud G.Jacquemet, Tu *es Petrus, Encyclopédie sur la Papauté* (1934) 429; E.van Steenberghe, *Schisme d'Occident:* DTC 14.1468-1492.

8 Cf. Zapelena, *De Ecclesia* 1.468; Cotter, *Theol. Fundam.* 479.

9 A.Straub, *De Ecclesia* n. 1477-1485.

10 De Groot, Summa Apolog. *de Ecclesia* 212; De San, *De Ecclesia* n.374 ad 2.

rabatur unitatis visibilitas *conc.;* quo unitatis visibilitas ipsa *tollebatur, nego.* Sic fere Dorsch 11. Id ipsum vero enucleatius apud D'Herbigny 12.

Hae omnes solutiones supponunt iam historice probatum, unum legitimum, ex duobus vel Iribus contendentibus, eum esse qui Romae succedebat et degebat, prout constat ex operibus quae nuper attulimus in nota 7.

1281. *Sic dictum Schisma Occidentis* dici nequit *formale et proprium* schisma, quia iuxta antiquam schismatis notionem, quam nobis transmisit S.Thomas in sua Summa, plus quam 100 annis ante quam sic dictum Schisma Occidentis inciperet, proprie dicti «schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici et membris Ecclesiae ei sublectis communicare recusant»13. Iam vero tunc temporis *nemo subesse renuebat Summo Pontifici,* immo conabantur omnes scire quisnam esset revera legitimus Summus Pontifex, ut ipsi oboedientiam praestarent. Non erat ergo *voluntaria scissio ab unitate,* sed mera *disceptatio circa quaestionem facti,* utrum nempe hic an ille esset verus Summus Pontifex. Haec autem controversia obscurabat quidem unitatis visibilitatem, attamen eam minime tollebat, quia *animum unitatis* communem omnibus aperte patefaciebat. Quemadmodum in aliquo Regno, durante contentione et bello civili inter factiones disputantes de legitimo successore, nemo dicit Regnum ipsum esse divisum neque unitatis visibilitatem disparuisse, sed solum unius eiusdemque Regni varias factiones litigare de legitimitate personae quae eos regere iure debeat.

1282. Merito ergo praeclarus Historiae cultor protestanticus Ferdinandus Gregorovius concludebat: «Regnum temporale talibus in angustiis certo periret: sed organizatio Regni ecclesiastici erat adeo mirabiliter perfecta et idea Primatus adeo indestructibilis, ut hoc Schisma, gravissimum quidem super omnia, nihil aliud fecerit quam demonstrare Ecclesiae indivisibilitatem»1415

1283. De facto autem *unitas in fide et in cultu* patefiebat. Unitas vero regiminis etiam dabatur, nam legitimus Pontifex potestatem regiminis exercebat: t) *per se ipsum,* ut patet, in eam partem fidelium, qui ei oboediebant; 2) *per sui delegatos,* in alias fidelium partes, quae, stante tunc errore communi aut dubio positivo et probabili, oboediebant aliis, quos legitimos putabant. Nam a remotissima antiquitate in Ecclesia viget hoc principium: In errore communi aut in dubio positivo et probabili, jurisdictionem supplet Ecclesia (CIC 209) >s. Ergo verus Summus Pontifex in illis adiunctis, supplendo iurisdictionem, suam propriam regiminis potestatem exercebat etiam per Pontifices, Episcopos et Presbyteros aliarum factionum, tamquam per sui delegatos.

11 Dorsch. *De Ecclesia* 669-674.
12 D'Herbigny, *De Ecclesia* n.279.
15 S.Th., 2.2 q.39 a.i. In CIC 1325 § 2.
24 F.Grecorovius. *Geschichte der Stadt Rom* in *Mittelalter* I.12 c.6 § 2.
15 Cf. L.Rodrigo, *Praelectiones Thcologica-morales* n.64-70; Wernz-Vidal, *Ius Canonicum* t.2 n.378-382.

CAPUT IV

Recapitulatio tractatus de Ecclesia

ARTICULUS UNICUS

Triplex potestas est primaria Ecclesiae lex

Thesis 32. Christus Dominus triplicem potestatem, quam Apostolis eorumque successoribus impertiit, docendi nempe, regendi, sanctificandi homines, primariam legem statuit totius Ecclesiae (Pius XII, *Encycl. «Mistici Corporis»:* AAS 35 [1943] 209).

1284. S.Th., 2.2 q.39 a.3: Comment. *in Mt* 28,18; F.Suârez, *Def. Fidei* l.3 c.6 n.1,15; J.6 c.7 11.4.14; M.J.Scheeben. *Handbuch der kathol. Dogmatik* (1874-1903) I § 10; 3 § 268-273: 4§ 329 n.58; I.B.Franzelin; *Theses de Ecclesia* th.5; cf. th. 17 et 19; L.Billot, *De Ecclesia* q.8; H.Dieckmann, *De Ecclesia* n.900-918; D.Palmieri, *De Rom. Pontifice, Protegom. de Ecclesia* § 45; A.Stralb, *De Ecclesia* th.20; Ae.Dorsch, *De Ecclesia* ass. 12; M.d'Herbigny, *De Ecclesia* n.125; L.Lercher-Schlagenhaufen. *Instit. Theol.* I th.46; A.Michelitsch, *Theol. fundam.* § 208; R.Schultes, *De Ecclesia* a.39; De Guibert, *De Ecclesia* n.216; H.Felder, *Demonst. Cathol.* 199; A.Stolz, *De Ecclesia* 36; J.Anger. *La doctrina dii Corps Mystique* (1946) part.i c.2 p.65-77; part.3 c.t a.T p.248-256; E. Mura, *Lc Corps Mystique du Christ* i.2,21 -i 20.336-410; C.Algermissen, *La Chiesa e le Chiesc* part.i c.5-8 p.22-41; Ch.Journet, *L'Eglise du Verbe Incarné* (1941) 180-184; Jo.Fuchs, *Magisterium, Ministerium, Regimen* 11941); E.Mersch, *La Théologie du Corps Mystique* (1946) t.2 c.i8s p.241-332; G.Phillips, *Compend. lur. Eccles.* § 8,48; F.X.Wernz-Vidal. *Ius Canonicum* t.2 n.48; L.Rod.Sotillo, *Compend. lur. Publ. Eccles.* (1947) 11.124-126: J.Salaverrt, *La triple potestad de la Iglesia:* MiscCom 14 (1950) 5-84; T.Zapelena, 2 (1954) th. 16 schol.

1285. Nexus. Haec thesis est velut *recapitulatio* tractatus de Ecclesia. Nam praesupponentes probatum in tractatu de Christo Legato divino, potestatem messianicam, quam Iesus ut homo a Patre accepit, *triplici munere* comprehendi, *Magistri* videlicet, *Regis, Sacerdotis,* iam in tractatu de Ecclesia probavimus: Primo, Christum Dominum hanc eandem messianicam potestatem Ecclesiae tradidisse cum illi *triplex officium iniunxit, docendi* nempe, *regendi, sanctificandi* homines. Deinde vero id ipsum accuratius tribus singulis libris singulatim explicavimus: et quidem l.i vidimus, *Christum,* a Patre ut Regem missum, suam *Ecclesiam instituisse ut Regnum,* eique in perpetuum contulisse suam regendi potestatem hierarchicam et monarchicam; 1.2 ostendimus, *Christum,* Magistri munere a Patre insignitum, *Ecclesiae tradidisse suum docendi officium* authenticum et infallibile; l. tandem 3 probavimus, *Christum,* a Patre Sacerdotem constitutum, aeterni sui *Sacerdotii participem et*

heredem suam Ecclesiam fecisse *ad hominum sanctificationem et salutem.* Nunc vero integrum tractatum recapitulamus in hac thesi, quam libenti gratoque animo ab *Encyclica «Mystici Corporis»* Pii PP.XII deprompsimus.

1286. Notiones. Primariam legem Ecclesiae intelligimus illam, quam primo ac per se Christus statuit velut normam iuxta quam universa Ecclesiae constitutio ordinaretur. Haec ergo primaria lex est fundamentalis et constitutiva totius Ecclesiae.

1287. Potestas Ecclesiae dupliciter considerari solet: 1) *In se ipsa,* id est, secundum eius intrinsecas et formales rationes; 2) *In subiecto* qui eam exercet, id est, secundum modum quo subiecto confertur [1].

1288. 1) *In se ipsa* considerata *potestas Ecclesiae triplex* distinguitur ex triplici eius actu, *obiecto, fine:* a) *Potestatis docendi* proprium est *authentice docere,* seu proponere *veritatem revelatam* vel cum revelatis connexam, ut *assensu intellectus* eam homines amplecti teneantur et fidem christianam recte teneant, b) *Potestatis regendi* proprium est *regere,* seu ferre *leges vel praecepta* fini Ecclesiae conducentia, ut *oboedientia voluntatis* ea fideles observent et suas actiones iuxta Christi legem componant, c) *Potestatis sanctificandi* proprium est *sanctificare, seu* ministrare *media ad sanctitatem* conferendam instituta, ut apta animi dispositione ea *fideles suscipiant et* sanctitatem supernaturalem obtineant.

1289. Sub hoc respectu etiam triplicem S.Thomas potestatem Ecclesiae distinguit:

«Euntes ergo docete omnes gentes. Hic iniungit officium; et triplex iniungit officium. Primo docendi; secundo baptizandi; tertio officium informandi quantum ad mores... Et dicit: Euntes ergo docete, quia hoc est primum in quo debemus instrui, scilicet in fide... Et ex hoc inolevit in Ecclesia, quod primo catechizat baptizandos, id est instruit in fide. Et postquam docti sunt de fide, dat officium baptizandi: Baptizantes eos etc., quasi diceret: Qui ad dignitatem promovetur, oportet quod primo notificetur ei dignitas. Sed numquid sufficit ad salutem credere et baptizari? Non; immo etiam requiritur instructio morum; ideo dicit: Docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis» 2.

Haec *tripartita* potestatis ecclesiasticae distinctio fit *secundum intrinsecas et formales ipsius potestatis rationes specificas,*

1 L.Anger, *La doctrine du Corps Mystique de Jésus-Christ* (1946) pars 3 c.X a.i p.254.8.
2 S.Th., *Comment,* in Mt 28,18s; Id., *Contra impugnantes Dei cidtùm* p.2 *c.25.*

prout patet ex triplici data notione, quam eruimus ex *triplicibus* potestatis *actu, obiecto, fine.*

1290. 2) Eadem autem Ecclesiae potestas si *ad extrinsecas rationes* attendimus, quas induit *ex modo quo subiecto confertur,* videmus eam subiecto tradi *dupliciter:* partim nempe *sacra Ordinatione,* partim vero *auctoritativa missione*3. Hinc eadem *intrinsece et formaliter triplex potestas, extrinsece* seu *ex duplici modo* quo subiecto confertur, merito distinguitur etiam *duplex:* a) *Potestas Ordinis* est ea quae subiecto confertur *sacra Ordinatione,* qua ex opere operato character imprimitur, et ideo sacramentalis appellatur, b) *Potestas Iurisdictionis* est ea quae subiecto confertur *auctoritativa missione,* qua ius ad eam exercendam datur et hinc *lurisdictio sensu ampliori* denominari consuevit4. Hac etiam ratione eam divisit S.Thomas:

«Duplex, inquit, est spiritualis potestas: una quidem sacramentalis, alia iurisdictionalis. *Sacramentalis* quidem potestas est quae per aliquam consecrationem confertur... *Iurisdictionalis* autem est quae ex simplici iniunctione hominis confertur»56

Haec ergo bipartita potestatis ecclesiasticae divisio fit secundum modum quo potestas subiecto traditur, prout ex ipsis S.Thomae verbis aperte constat.

1291. Sententiae. 1) Inter catholicos auctores nemo negat potestatem Ecclesiae esse *triplicem,* docendi nempe, sanctificandi et regendi, pariterque omnes admittunt eam etiam dividi in potestatem *Ordinis* et *Iurisdictionis.* Opinandi diversitas inter eos versatur circa ulteriorem quaestionem: utrum nempe docendi, sanctificandi et regendi potestates sint *tres realiter et specifice distinctae* potestates, an *docendi potestas* nihil aliud sit quam *pars potestatis «regiminis seu iurisdictionis»* (CIC 196)6.

3 L.Billot: «Divisio in Ordinis et Iurisdictionis potestatem fit secundum diversum derivationis modum, dum scilicet potestati, quae consecratione datur, contraponitur illa alia, quae non consecratione provenit, sed simplici investitura vel mandati vel legis» *(De Ecclesia* q.8 § 3); De San, *De Ecclesia* n.224.

4 lurisdictio, a Ius dicere, *sensu originario* et *stricto significat* potestatem ius dicendi vel *iudicandi.* Deinde adhibita haec vox est sensu *latiori* ad significandam potestatem *regendi* cum triplici eius functione, legislative nempe, iudiciali et coactiva. Tandem in *Iure ecclesiastico sensu ampliori* adhibetur ad significandam omnem potestatem Ecclesiae, quae eodem modo ac iurisdictio stricte dicta confertur, id est *auctoritativa missione,* prout patet ex S.Th.. 2.2 q.39 a.3; *Suppi,* q.19 a.3; q.20 a. l. Cf. Steinwester, *lurisdictio,* apud Pauly-Wissowa, *Real-Encyclopddie der Classischen Altertumsivissenschaft* 10,1155-1158. M.de Roulers, *La notion de Jurisdiction* (1937) 34s: usqu wad annum 1210 vocis «lurisdictio» sensus erat amplissimus neque ea designabatur potestas regendi ut distincta a potestate Ordinis. Pariter M.van de Kerekhove, *De notione iurisdictionis:* lusPont 16 (1936) 49-65.

3 S.Th., 2.2 q.39 a.3· Idem in *Catech.Tridentino p.2.* de Ordine, n.7-9.

6 S.Thomas et F.Suârez possunt adduci in favorem utriusque sententiae, prout constare videtur ex locis eorum in Bibliographia citatis. Cf. I.B.Franzelin, *Theses de Ecclesia* th.5 n.4 i.° Distinctionem *specificam* tenemus in sensu quem tenet Franzelin, non in sensu quem cum Wemz et aliis tenet Zapelena. qui *species* appellat eas quae non nisi *partes* eiusdem potestatis sunt, ut *sacrificalis* et *sacramentalis* facultas.

1292. 2) *Potestates Ecclesiae* esse realiter et *formaliter solum duas* tenent communiter *Canonistae* et cum eis plures *Theologi,* asserentes sanctificandi potestatem esse ipsam potestatem *Ordinis,* potestates vero regendi et docendi esse duas veluti partes in quas subdividatur eadem formatis potestas *Iurisdictionis* (CIC 196), quamvis improprie eas aliqui duas iurisdictionis *species* appellant, quas alii ut Lercher (n.455), Mazzella (n.756), Palmieri (§ 45), Straub (n.642s), cum Tarquini (l.i n.4) *partes* dicunt.

Hanc sententiam defendunt Palmieri, Straub, Dorsch, Lercher-SCHLAGENHAUFEN, SCHULTES, FELDER, JoURNET, WeRNZ-ViDAL, FuCHS, R.Sotillo et Zapelena, locis citatis in Bibliographia. quibus addi possunt alii ut Turrecremata, *Summa de Ecclesia* l.11 c.93; Wilmers, *De Ecclesia* n. 166; De San, De *Ecclesia* n.283-285; De Groot, *De Ecclesia* q. 11; Mazzella, *De Ecclesia,* n.755-756; L.de Hammerstein, *De Ecclesia et Statu iuridice consideratis* p. 155; F.M.Marchesi, *Sum. lur. Pubi. Eccl.* n.52: aliique plurimi praesertim *Canonistae.*

Scheeben praefert quidem divisionem bipartitam; sed singulariter in hac re opinatur dum ait, Magisterium, quatenus est authentica attestatio doctrinae Christi, est pars vel functio potestatis Ordinis, quatenus autem est auctoritativa praescriptio doctrinae Christi est pars vel functio potestatis Iurisdictionis (l.c. in Bibi, n.1284). Haec opinio videtur esse aliquod leve vestigium doctrinae Protestantium, qui tenent divisionem *bipartitam,* sed *Magisterium* adscribunt potestati *Ordinis,* ut patet ex *Apologia Confessionis Augustanae,* a.28 § 13: «Placet nobis vetus partitio in potestatem Ordinis et potestatem Iurisdictionis... potestatem Ordinis, hoc est ministerium verbi et sacramentorum..... potestatem Iurisdictionis, hoc est auctoritatem excommunicandi obnoxios publicis criminibus, et rursus absolvendi eos, si conversi petant absolutionem». Merito hanc opinionem improbat Wernz, *Ius Decr.* 1,2 n.3.

Zapelena (p.171), singularem *quadripartitam divisionem* inducens, asserit: «adsunt in Ecclesia quatuor potestates specifice diversae: sacrificalis, sacramentalis, magisterii et regiminis».

1293. 3) *Alii quamplurimi Theologi* et *pauci Canonistae* censent bipartitam potestatum divisionem, quippe quae ex ratione ipsis extrinseca desumatur, *theologice non sufficere ad eas formaliter et specifice distinguendas.* Quare potestates Ecclesiae considerantes secundum earum *intrinsecas etformales* rationes, quibus adaequate *specificantur, tripartitam* tenent divisionem in potestates docendi, sanctificandi et regendi *realiter et specifice distinctas.*

Hanc sententiam propugnant Franzelin, Billot, Dieckmann, D'Herbigny, Michelistch, De Guibert, Stolz, Anger, Mura. Algermissen, Mersch et Phillips, locis citatis in Bibliographia, quibus adiungendi sunt alii ut F.Walter, *Manual del Derecho eclesidstico* (1844) § 13-17; Phillips-Crouzet, *Du Droit Ecclésiastique l.*l introd. § 8 et l.i § 32; J.Bouché: DDC

1,684s; W.Onclin: EphThLov 25 (1949) 176; S.Tromp, *Corpus Christi quod est Ecclesia* (1946) p.18-19; A.M.Vellico, *De Ecclesia* (1940) p.549-550; G.Philips, *La Sainte Eglise Catholique* (1947) p.126.138.289-328; F.X.Calcagno, *Theologia Fundamentalis* (1948) n.197-98; aliique ex *Theologis* recentioribus, ut Nicolas, O.P.: RevThom 46 (1946) 391s, etCoNGAR: RevSc PhTh 37 (1953) 75l et BullThom 8 (1953) 1211-14. Adde J. Soglia, *Inst. lur. Eccl.* 1,135.

4) *Ex Acatholicis* adversantur thesi nostrae omnes *Rationalistae, Naturalistae, Modernistae,* aliique, quos recensuimus in thesi 3 n.i23-i27, et in thesi 8 n.337-343.

1294. Status quaestionis. 1) Duo praesupponimus iam probata: a) *Esse doctrinam catholicam de fide divina, triplicem dari in Ecclesia potestatem* docendi, sanctificandi et regendi, quemadmodum in thesi 3 probatum est; b) *Ecclesiae potestatem duplici modo subiecto conferri,* partim nempe *sacra Ordinatione,* partira vero *auctoritativa missione,* atque inde recte potestatem hierarchicam in *duo genera* dividi ratione nempe *Ordinis* et ratione *Iurisdictionis,* supponimus esse *doctrinam de fide definitam, de hierarchia* ratione *Ordinis,* in *Conc.Tridentino: D* 966s 960; de *hierarchia* vero ratione *Iurisdictionis,* in *Conc.Vaticano:* D 1827 1829 1831; cf. CIC 108 § 3, prout probavimus in thesi 8. De his, quae iam probavimus thesibus 3 et 8, nunc non agimus.

2) *In hac thesi duo asserimus:* a) In i.a *parte, triplicem Ecclesiae potestatem,* docendi nempe, sanctificandi et regendi, dicimus esse *primariam Ecclesiae legem,* b) In 2.a parte, has Ecclesiae potestates tenemus esse tres *realiter et specifice distinctas.* Cardo quaestionis versatur circa potestates *docendi* et *regendi,* quas non dicimus *divisas,* sed *distinctas,* et quidem *formaliter* et *specifice* distinctas tenemus cum Franzelin.

1295. Doctrina Ecclesiae. *Primae partis* assertum invenimus praesertim in *Litteris Encyclicis* Leonis XIII «Satis *cognitum» et* Pu XII *«Mystici Corporis»,* prout ex huius partis probatione patebit. Accedunt sollemnes *Allocutiones «Si diligis» et «Magnificate Dominum»,* ad omnes ex toto orbe Romae convenientes Episcopos habitae, in quibus Pius XII «singillatim explanavit ea quae triplici munere ac praerogativa ex divina institutione Episcopis Apostolorum successoribus sub auctoritate Romani Pontificis competunt, id est, Magisterium, Sacerdotium, Regimen»: AAS 46 (1954) 313-318 *de Magisterio;* 667-670 *de Sacerdotio;* 670-677 *de Regimine.*

Secundae partis doctrinam eruimus theologica argumentatione ex praecedenti parte.

1296. Valor theologicus. Prima pars est *Doctrina Catholica* ex citatis *Encyclicis* Leonis XIII et Pu XII. Secunda pars nobis videtur defendi posse ut *conclusio certa,* ex rationibus quas in probatione afferimus, aut ut *probabilior* ob auctoritatem auctorum qui contrarium tenent.

1297. Pars i." Triplex Ecclesiae potestas est primaria Ecclesiae lex.

Probatur i) ex continuata perduratione munerum Christi in Ecclesia. Primariam legem Ecclesiae statuit Christus illis mandatis, quibus totam suam missionem Apostolis commisit. Atqui talibus mandatis Christus Ecclesiae commisit triplicem suam docendi, regendi, sanctificandi potestatem. Ergo primariam legem Ecclesiae statuit'Christus hanc triplicem potestatem.

1298. *Mai.* probatur ex Leonis XIII *Encyclica «Satis cognitum»,* in qua docet:

a) *Quid primo ac per se intenderit Christus* in sua condenda Ecclesia: «Quid enim in condita condendave Ecclesia petiit, quid voluit Christus? Hoc scilicet: Munus idem idemque mandatum in eam continuandum transmittere, quod Ipse acceperat a Patre. Id plane statuerat faciendum, idque re effecit.» Quod Leo XIII probat ex Christi verbis apud Io 17,18; 20,21 (ASS 28,712).

b) *Missionem Apostolis commissam esse* non tantum similem, sed *eandem* ipsam missionem Christi: «Maturo in caelum reditu, qua Ipse potestate missus a Patre fuerat, eadem mittit Apostolos... Quamobrem Legati Apostoli a lesu Christo sunt non secus ac Ipse Legatus a Patre». Haec autem Pontifex probat ex verbis Christi apud Mt 28,18-20; Mc 16,16; Lc 10,16; Io 20,21 *(l.c.,* 717). Cf. S.Th., *In Rom 1,1* lect.i: «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, scilicet ex eadem dilectione et cum *eadem* auctoritate».

c) *Supremam* in individuo suam *potestatem Dominum Petro tradidisse:* «Christus Dominus Petro eiusque successoribus tribuit ut essent Vicarii sui, atque eandem in Ecclesia perpetuo gererent potestatem, quam ipse gesserat in vita mortali» *(l.c.,* 736).

1299. *Min.* probatur ex Pu XII *Encjvlica «Mystici Corporis»,* in qua docet:

a) Christum commisisse suis mandatis *triplicem potestatem triplicis* sui *muneris* propriam: «Apostolos elegit, mittens eos sicut Ipse erat missus a Patre Doctores nempe, Rectores, sanctitatisque effectores in credentium coetu. Per eos ergo, qui sacra potestate in Ecclesia fruuntur, ex ipso divini Redemptoris mandato, munera Christi Doctoris, Regis, Sacerdotis perennia fiunt» (AAS 35,200.204).

b) Ecclesiam in *triplici sua potestate* exercenda esse meram *Conditoris sui continuatricem:* «Ecclesia, Conditoris sui vestigiis insistens, docet, regit, divinumque Sacrificium immolat. Immo Christus est qui in Ecclesia sua vivit, qui per eam docet, regit, sanctitatemque impertiit» *(l.c.,* 214.238).

c) *Supremum* etiam *Capitis Ecclesiae munus* a Christo exerceri per suum in terris *Vicarium:* «Est enim Petrus, vi Primatus, non nisi Christi Vicarius, atque adeo unum tantum primarium habetur huius Corporis Caput, nempe

Christus: qui quidem arcana ratione Ecclesiam per sese gubernare non desinens, adspectabili tamen modo per eum, qui suam in terris personam gerit, eandem regit Ecclesiam... unum solummodo Caput constituens Christus eiusque Vicarius» *(l.c., 211;* cf. D 468; cf. *l.c.,* 227.242).

1300. *Probatur* 2) *ex ministeriali participatione munerum Christi in Ecclesia.* Primariam legem Ecclesiae statuit Christus eam constituendo sui ministram ac mysteriorum Dei dispensatricem. Atqui Christi ministra et mysteriorum Dei dispensatrix constituta Ecclesia a Christo est triplici docendi, regendi et sanctificandi potestate. Ergo primariam legem Ecclesiae statuit Christus hanc triplicem potestatem.

1301. *Mai.* probatur ex Leone XIII et ex Pio XII in citatis Encydicis, ubi *Ecclesia hac lege genita* effertur, ut esset *particeps* et *ministra* munerum Christi: «Cum divinum munus Christi perenne ac perpetuum esse oporteret, idcirco nonnullos Ille sibi adiunxit alumnos disciplinae suae, fecitque potestatis suae participes... Hac ratione atque hoc principio Ecclesia genita». Haec Leo XIII (ASS 28,709). Quibus addit Pius XII: «Dei Verbum per saeculorum decursu utitur Ecclesia sua, ut inceptum opus perennet» (AAS 35,199).

Mai. probatur etiam ex *Scriptura: a)* ex S.Paulo: Sic *nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (1 Cor 4,1). *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti* (2 Cor 3, 5-6). *Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos* (2 Cor 5,20). Cf. Rom 15,18-19; 2 Cor 13,3.

b) Ex *verbis* ipsius Christi: Et *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Mt 28,20); *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret* vobis *omnia, quaecumque dixero vobis* (Io 14,26).

Ex his aperte patet Ecclesiam potestatibus suis esse ministram et participem ipsorum Christi munerum.

1302. *Min.* probatur ex Pu XII *Encyclica «Mystici Corporis»,* in qua docet:

a) Ipsum *Christum ministerio Papae* et *Episcoporum* suam Ecclesiam *regere:* «Adspectabili ordinariaque ratione divinus Redemptor per suum in terris Vicarium Corpus suum Mysticum gubernat» *(l.c.,* 210). «Et ipsae [particulares Ecclesiae] a Christo lesu proprii uniuscuiusque Episcopi voce potestateque reguntur» *(l.c., 211).*

b) *Per eosdem ministros ipsum Christum* suam Ecclesiam *docere:* «Universam Ecclesiam suam illuminat Christus... Ipse est qui in fideles lumen fidei infundit, Ipse qui Pastores et Doctores, imprimisque suum in terris Vicarium, supernis scientiae, intellectus, sapientiaeque donis divinitus ditat, ut fidei thesaurum fideliter adversent, estrenueque defendant, pie diligenterque explicent atque corroborent; Ipse denique est, qui, etsi non visus, Ecclesiae Conciliis praesidet atque praelucet» *(l.c.,* 216).

c) *Per Sacerdotes* denique ipsum *Christum* suam *sanctificare* Ecclesiam: «Sanctitatis auctor est atque effector Christus... Et quando Ecclesiae Sacramenta externo ritu administrantur, Ipsemet effectum in animis operatur» *(Ic.,* 217).

d) *Ecclesiam* omni sua potestate esse *participem et ministram numerum* ipsius Christi: «Per iuridicam, ut aiunt, missionem, qua divinus Redemptor Apostolos in mundum misit sicut Ipse missus erat a Patre (Io 17,18; 20,21), Ipse est qui per Ecclesiam baptizat, docet, regit, solvit, ligat, olfert, sacrificat» *(l.c.,* 218).

1303. Min. probatur etiam ex Leonis XIII *Encycl. «Satis cognitum»,* in qua haec docet: «Quo modo doctrina caelestis fuit commendata [Apostolorum] Magisterio, sic etiam non nisi Apostolis, quique eis iure successissent, data divinitus facultas est perficiendi atque administrandi divina mysteria, una cum regendi gubernandique potestate... Quae quidem officia apostolici muneris omnia generatim Pauli sententia complectitur: Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei» (1 Cor 4,1) (ASS 28,723s).

Eadem prima pars confirmari etiam potest ex Allocutionibus «Si *diligis»* et *«Magnificate Dominum»,* in quibus Pius XII singillatim egit de triplici munere Magisterii, Sacerdotii et Regiminis, quod ex divina institutione Episcopis, Apostolorum successoribus, sub auctoritate successoris Sancti Petri competit: AAS 46 (1954) 313-318.667-677.

1304. Pars 2.a Tres Ecclesiae potestates realiter et specifice differunt.

Probatur i) *tamquam conclusio necessaria partis praecedentis.* Ecclesiae potestates docendi, sanctificandi et regendi nihil aliud sunt quam *continuata perduratio* et *ministerialis participatio* trium Christi munerum *Doctoris, Sacerdotis* et *Regis.* Ergo eiusdem sunt naturae eademque ratione differunt qua tria Christi messianica munera, quippe quorum nihil aliud sunt quam continuatio et ministerialis participatio. Atqui tria Christi munera Doctoris, Sacerdotis, Regis realiter et specifice differunt. Ergo etiam tres Ecclesiae potestates docendi, sanctificandi et regendi realiter et specifice differunt.

1305. *Antec.* abunde constat ex probatione primae partis. Ulterius autem posset confirmari aliis Magisterii ecclesiastici testimoniis. Sufficiat confirmationis gratia, unum ex Pii XII *Encyclica «Mediator Dei»,* in qua docet:

«Christus, utpote veritatis Magister, illuminat omnem hominem (Io 1,9), ut rite mortales immortalem Deum agnoscant... Qua vero Pastor, gregem moderatur suum, eum ad vitae pascua perducit, ac legem ea ratione condit, ut nemo ab eo, a rectoque demonstrato itinere abstrahatur... [Ut Sacerdos tandem] in novissima cocna, sollemni ritu atque apparatu, Novum celebrat Pascha, quod quidem, divinitus instituta Eucharistia, continuandum consulit; postridie vero salutiferum suae vitae Sacrificium offert, suoque ex transverberato pectore ea quodammodo effundit Sacramenta, quae Redemptionis thesauros hominum animis impertiant... Quem per terrenae suae vitae cursum sacrum instituit ac praestitit cultum, eum vult intermitti nun-

quam. Siquidem non orbatum hominum genus derelinquit, sed... eidem auxiliatur per Ecclesiam suam, in qua divina praesentia sua volventibus saeculis perennat... Ecclesia igitur commune habet cum Incarnato Verbo propositum, officium, munus: hoc est, veritatem docere omnes, homines recte regere ac moderari, gratum acceptumque Deo oferre Sacrificium»»7.

1306. *Min.* subsumpta facile ab omnibus conceditur: nam a) munera *Prophetae* vel *Doctoris, Sacerdotis* et *Regis* in Scriptura ut *realiter distincta* exhibpntur, adeo ut etiam a diversis personis exerceantur et diversis unctionibus tribuantur, ut patet ex Lev 8 et 9; 1 Reg 16; 3 Reg 19,16. Christus autem in eadem Scriptura describitur ut Propheta, ut Sacerdos et ut Rex, analoge seu ad modum aliorum, quippe cuius non erant nisi figurae alii Prophetae, Sacerdotes et Reges: Deut 18,15-19; Ps 109; Is 35 8.

1307. b) *Tria* autem *Christi* messianica *munera specifice differre,* patet ex eorum *ratione* et *natura,* atque ex eorum *obtectis formalibus,* quae Ipsemet Dominus expressit cum de semetipso dixit: *Ego sum via, veritas et vita:* Io 14,6. Hoc illustrat sequens paradigma:

Christus	'ut *Magister* docet *veritatem* divinam' et fovet *fidem:* ut *Rex* ostendit *viam* caelorum et alit *spem:* ut *Sacerdos* confert *vitam* gratiae et auget *caritatem:*	credentium 9.

Ad capiendam vim huius primi argumenti bene tenendum est, *munera messianica* non esse de illa potestate *auctoritatis,* quam Christus habebat *ut Deus* et quae proinde hominibus communicari non potest, sed de potestate quam Christus habuit ut *homo* et quae hominibus per ministerialem participationem communicata est eadem ipsa, prout expresse docent Pius XII et Leo XIII (n.1297-1303), secundum S.Thomae doctrinam (3 q.<>4 a.3.4.5; 4 CG 74).

7 Pius XII, *Encycl. «Mediator Dei»:* AAS 39 (1947) 527s. Cf. J.Salaverri, *El Derecho en el Misterio de la Iglesia:* RevEspT 14 (1954) 260-73.

8 Eusebius Caesariensis ostendit *Prophetas, Sacerdotes* et *Reges* Veteris Testamenti diversis chrismationibus ungi, et pulchre explicat inde, cos nihil aliud esse quam *typos Christi Magistri, Sacerdotis* et *Regis: Hist.Eccles.* I.i c.3: MG 20.67-76. Idem docet *CR,* p.i a.2 n.6-8. Eandem doctrinam habes ap. S.Til, *In Ps* 44,5; *In Rom* 1,1 lecti; 3 q.31 a.2: «Christus specialiter filius dicitur esse Abrahae et David (Mt 1,1). ... quia Christus futurus erat Rex, Propheta et Sacerdos. Abraham autem Sacerdos fuit et Propheta (Gn 15,9; 20,7). David autem Rex fuit et Propheta·.

9 E.Mura, *Le Corps Mystique du Christ* v.2 (1037) p.2. Zapelena, 2 p.issss, non attigit vim huius argumenti, quia non satis distinguere videtur Christi potestatem *auctoritatis,* quae incommunicabilis creaturis est, a potestatibus *messianicis,* quas Christus habuit ut *homo* et quae ab hominibus participari ministerialiter possunt.

1308. *Probatur* 2) *ex rationibus intrinsecis et formalibus ipsarum potestatum:*

Potestates specificantur per earum actus proprios, formalia obiecta et intrinsecos fines. Atqui actus proprii, obiecta formalia et fines intrinseci trium Ecclesiae potestatum specifice differunt. Ergo tres Ecclesiae potestates docendi, sanctificandi et regendi specifice differunt.

Mai. admittitur ab omnibus, iuxta illud scholasticorum axioma: «Potestas per usum innotescit, quia potentiae notificantur per actus»10.

1309. *Min.* constat ex notionibus, quas dedimus, trium Ecclesiae potestatum, et illustrationis gratia exhibentur in paradigmate quod sequitur:

Potestas	Actus	Obiecta formalia	Fines intrinseci
Magisterii.	*Docere.*	*Veritas* revelata vel cum revelatis connexa.	Obtinere assensum *intellectus.*
Regiminis.	*Praecipere.*	*Actiones* conducentes ad Ecclesiae finem.	Exigere *oboedientiam voluntatis.*
Sacerdotii.	*Ministrare.*	*Media* ad sanctificationemdivinitus instituta.	Conferre gratiam *animae et sacrificium offerre.*

1310. *Probatur* 3) *ex specifice ac formaliter diversis iuribus et correlatis obligationibus,* quae triplici Ecclesiae potestati correspondent.

Omnis potestas importat ius aliquod sibi proprium et obligationem tali iuri correlatam. Ex formaliter et specifice diversis iure proprio obligationeque correlata, merito noscimus potestates formaliter et specifice diversificari. Nunc autem indoles potestatum Ecclesiae tota quanta derivatur ex divina Christi institutione, eatenus nempe quatenus Christus positive statuit ut *Regenti, Magistro, Sacerdoti,* legitime in sua Ecclesia constitutis, iura propria competerent quibus ex parte fidelium

10 S.Th., *Suppi.* q.34 .l.4; cf. q.37 a.i ad i.

correlatae obligationes responderent. Atqui ex divina Christi institutione iura propria et correlatae obligationes trium Ecclesiae potestatum formaliter et specifice differunt. Ergo etiam tres Ecclesiae potestates formaliter et specifice differunt.

1311. *Min. probatur:* Ex divina Christi institutione, *Regenti* in Ecclesia proprium *ius* est exigendi et fidelibus *obligatio* praestandi *sublectionem voluntatis* per oboedientem exsecutionem illarum actionum per se externarum, quae auctoritative *praecipiuntur; Magistro* in Ecclesia proprium *ius* est exigendi et fidelibus *obligatio* praestandi de se *subiectionem intellectus per* internum mentis assensum iis, quae authentice *docentur; Sacerdoti* in Ecclesia proprium *ius* est ministrandi et fidelibus *obligatio* animo obsequenti *suscipiendi media sanctificationis,* quae sacerdotaliter *conferuntur.* Atqui actus proprii et obiecta formalia horum iurium et obligationum formaliter et specifice differunt. Ergo ex divina Christi institutione iura propria et correlatae obligationes trium Ecclesiae potestatum formaliter et specifice differunt.

Circa mai. ad tergiversationes cavendas, nota: 1.° Vocem «praecipere» consulto non adhiberi nisi de potestate *regendi,* cuius haec est propria notio. 2.0 Dicentes, regendi facultatem versari per se circa externas actiones, minime negamus dari iurisdictionem *in foro interno,* sed haec non est confundenda cum potestate in ipsos internos actus, nam *alterius rationis est,* ut recte adnotat Franzelin. 3.0 Eo quod dicatur, Magistro deberi de se intellectus subiectionem, non excluditur voluntatis obligatio quam ipse actus per se exigat. 4.0 Neque est silendum, characterem iuridicum iurisdictionis fori interni a catholicis multis impugnari, licet forte immerito.

1312. *Probatur* 4) *ex specifica distinctione eorum quae contrarie opponuntur* triplici Ecclesiae potestati. Contrariorum eadem est ratio. Atqui Haereticus, Schismaticus et Excommunicatus realiter et specifice differunt. Ergo etiam eorum contraria realiter et specifice differunt. Atqui contrarie opponuntur *Haereticus potestati docendi, Schismaticus potestati regendi, Excommunicatus potestati sanctificandi.* Ergo etiam hae tres potestates realiter et specifice differunt.

1313. *Probatur* 5) ex Christi mandato Mt 28,18-19, iuxta hanc S.Hieronymi expositionem:

«Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Primum docent omnes gentes, deinde doctas intin-

gunt aqua. Non enim potest fieri ut corpus Baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem... Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Ordo praecipuus: lussit Apostolis ut primum docerent universas gentes, deinde fidei intingerent Sacramento, et post fidem et Baptisma, quae essent observanda praeciperent... ut quicumque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quae praecepta sunt» 1112

1314. *Unde sic:* Ex Christi mandato iuxta S.Hieronymi explicationem, tres Ecclesiae potestates aliae aliis latius patent et natura praecedunt. Atqui potestates quae aliae aliis latius patent et natura praecedunt realiter et specifice differunt. Ergo tres Ecclesiae potestates docendi, sanctificandi et regendi realiter et specifice differunt.

Mai. patet ex textu citato, nam *potestas docendi prior* aliis *natura* est et *ad omnes* prorsus *homines* tam baptizatos quam non baptizatos extenditur; *potestas sanctificandi* per Baptisma *media* est inter potestates docendi et regendi, atque *ad eos* tantum *qui crediderint* extenditur; *potestas* denique *regendi* trium *postrema* est, et *solum ad baptizatos* extenditur.

1315. Ratione habita naturae specificae trium Ecclesiae potestatum, easque comparantes cum triplici illa notione qua, ex hominum varia relatione ad Ecclesiam, eos divisimus· in obligatos ad Ecclesiam, subditos Ecclesiae et membra Ecclesiae '2, haec nobis videntur concludi posse, i) *Potestas docendi* in tota sua amplitudine est potestas *Legati in obligatos* ad Ecclesiam, seu quae extenditur *ad omnes homines* tam baptizatos quam non baptizatos. 2) *Potestas regendi* seu iurisdictionis stricte dictae est potestas *Superioris in subditos* Ecclesiae, qui sunt omnes et *soli baptizati.* 3) *Potestas sanctificandi* in tota sua plenitudine, non solum Baptismate, sed etiam aliis sanctificationis mediis, est potestas *Ministri in membra* Corporis Ecclesiae, seu quae extenditur de se solum ad *baptizatos,* qui praeterea vinculis fidei, oboedientiae et communionis *uniti cum Ecclesia* sunt; vita enim gratiae, quam potestas sanctificandi confert, de se solum a Capite Christo in membra Corporis eius Mystici derivatur.

1316. *Probatur* 6) *ex eo quod potestas regendi natura sua non includit potestatem docendi.* Ecclesia eatenus habet potestatem «verae propriaeque iurisdictionis», quatenus est societas,

11 S.Hieronymus, *Comment, in Evang. Mt* 28,19s: ML 26.219· Idem docet S.Thomas loco supra citato nota 2. Circa argumentum, quod ex hac doctrina S.Hieronymi et S.Thomae eruimus, confer J.Anger, *Lc.,* in nota 1.

12 Cf. superius, th.25 n. 1018.1055.

«non minus quam ipsa Civitas, genere et iure perfecta»: D 1869. Atqui societas civilis, quamtumvis perfecta concipiatur eius jurisdictionis potestas, caret proprie dicta potestate authentice docendi pariter ac potestate sanctificandi. Ergo potestas authentice docendi pariter ac potestas sanctificandi nequit dici pars potestatis verae propriaeque iurisdictionis *specifice* intellectae [\

Min. probatur, quia civilis societas perfecta non est supernaturalis nec gratiae et veritatis societas; potestatem autem docendi pariter ac potestatem sanctificandi obtinet Ecclesia, non praecise qua hominum supernaturalis societas perfecta, sed ' quia Dominus positive eam fecit supernaturale suum Regnum «gratiae et veritatis»: Io 1,17; Io 1,14. Ac propterea, cum potestas *docendi* non sit *de ipsa ratione formali* potestatis *iurisdictionis stricte dictae,* potuit Deus instituere suam Ecclesiam cum supernatural! ipsa potestate perfecta iurisdictionis, sine potestate docendi; aliter nempe suae reservando providentiae custodiam veritatum religionis et morum sive naturalium sive a Deo revelatarum.

1317. Igitur ex disputatis concludimus, tria munera *Magisterii, Sacerdotii* et *Regiminis,* quae a Christo accepit Ecclesia, *formaliter* inter se et *specifice* distingui. Tamen non sunt *divisa nec separata* in subiectis iure divino ea tenentibus. Quemadmodum enim in Christo tria messianica munera Magisterii, Sacerdotii et Regiminis fuerunt coniuncta, ita etiam in Papa et in Episcopis, Apostolorum successoribus, eadem munera coniuncta sunt, atque in illis potestates Magisterii, Sacerdotii et Regiminis ab uno eodemque Spiritu *Veritatis* (Io 14,16,17,26; 15,26), *Sanctitatis* (Rom 15,16; 1 Pet 1,2) et *Unitatis* (1 Cor 12,4-11; 2 Cor 13,13) vivificantur et virtutem accipiunt (Act 1,8; Rom 15,13; 2 Tim 1,7). Unde in Ecclesia dantur *tres ordines* verae et stricte dictae *potestatis,* qui inter se *formaliter* et *specifice* differunt. Quod si hos tres ordines potestatis ecclesiasticae velimus designare per notas characteristicas quibus formaliter et specifice diversificantur, eos appellare possumus ordinem *doctrinalem,* ordinem *sacrificalem* ac *sacramentalem,* et ordinem *iuridicum,* adeoque *authenticitatem doctrinalem* probe distinguimus ab *authenticitate* mere *iuridica.* Attamen minime *tres hierarchias* adstruimus, quia *modus* quo munera in Ecclesia conferuntur est tantum *duplex.*

1318. Scholion 1. Argumenta alius sententiae. Theologi defendentes bipartitam potestatum Ecclesiae divisionem urgent praesertim se-

>3 Cf. L.Billot, *De Ecclesia* q.8 § i.

quens argumentum: Magisterium Ecclesiae non tantum habet ius et officium proponendi evangelicam veritatem, sed etiam pollet facultate, relate ad baptizatos, imperandi actum fidei et de fidei causis iudicandi. Atqui imperium et iudicium sunt proprii et specifici actus potestatis iurisdictionis stricte dictae. Ergo potestas docendi est potestas iurisdictionis formalis et strictae 14.

Respondemus in forma, iuxta doctrinam in hac thesi propositam, hoc modo: Dist. *mai.* Magisterium Ecclesiae pollet facultate, relate ad baptizatos, imperandi actum fidei et de fidei causis iudicandi, id est, imperio et iudicio doctrinali seu circa ipsam veritatem propositionis et directe attingenti internum ipsum intellectus assensum, *conc. mai.;* imperio et iudicio disciplinari seu circa rectitudinem actionis et directe attingenti per se externam actus praestationem, nego *mai. Contradist. min.* Imperium et iudicium disciplinare seu circa rectitudinem actionis et directe attingens per se externam actus praestationem, sunt actus proprii et specifici potestatis regendi, *conc. min.;* imperium et iudicium doctrinale seu circa ipsam veritatem propositionis et directe attingens per se internum ipsum intellectus assensum, sunt proprii et specifici actus potestatis regendi, seu iurisdictionis specifice dictae, *nego min.*

1319. Ad solutionis intelligentiam in memoriam revoca haec quae sequuntur. Magisterium convenit quidem cum potestate regendi in *ratione generica potestatis,* quatenus nempe importat ius aliquod sibi proprium et obligationem tali iuri correlatam. Tamen potestatum specificatio non sumitur ex earum ratione generica, sed ex uniuscuiusque *proprio actu et obiecto formali* quod directe attingitur. Adeoque *Magisterium* pollet facultate *imperandi* quidem, sed *doctrinaliter,* id est, ius habet exigendi et quidem *directe internum ipsum intellectus assensum;* pollet etiam facultate *iudicandi* sane, sed *doctrinaliter,* id est, ius habet authentice decidendi de *conformitate* vel *difformitate doctrinae* cum fidei deposito; huiusmodi autem *formali obiecto* et *proprio actu* vere specificantur *imperium* et *iudicium* potestatis docendi. *Potestas* vero *regendi* pollet omnino facultate *imperandi,* sed *disciplinariter,* id est, ius habet exigendi *directe externam actus praestationem;* pollet etiam facultate *iudicandi* quidem, sed *disciplinariter,* id est, ius habet authentice decidendi de *rectitudine actionis,* seu de eius conducentia ad finem intentum; manifeste autem patet huiusmodi formale obiectum et actum proprium, quibus *regendi* potestas specificatur, realiter et *specifice differre* a formali obiecto et proprio actu, quibus *docendi* potestas specificatur.

Sed urget adversarius: «Imperium doctrinale est vera iurisdictio, quae nihil est aliud quam ius regendi cum imperio actus subditorum in societate perfecta». *Resp.* cum distinctione: Imperium *doctrinale* est vera iurisdictio *stricte et specifice* dicta, quae nihil est aliud quam ius regendi cum imperio..., nego; est vera iurisdictio *late* vel generice *dicta,* quae est etiam ius *docendi* cum auctoritate..., *concedo.* Quamvis ergo *docere* formaliter et specifice non sit formaliter et specifice regere, ut patet; tamen authentice docere importat se ipso exigentiam assensus mentis seu quoddam *doctrinale imperium* formaliter et specifice distinctum ab imperio disciplinari regentis et praecipientis. Hoc doctrinale imperium intellectum ipsum directe obligans, quod proprium est Magisterii authentici qua talis, fundatur in illo Domini dicto: «Qui vos audit, me audit» (Lc 10,16), pariter ac imperium iurisdictionale qua tale, solam directe voluntatis obligationem inducens, fundatur in illo:

n L.LERCHER-Scia-^c.sxHAvrEN, Irislii. *Theolog.* i th.46 n.456.

«Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo» (Mt 18, 18; 16,19). Imperium doctrinale est illud «imperium in mentes» de quo in Vaticano (n.1333).

1320. Notandum tamen probe est, imperium et iudicium *potestatis regendi* practice saepe *de facto coniungi* cum imperio et iudicio *potestatis docendi,* cum versantur circa idem *materiale obiectum,* quod unaquaeque potestas attingit tamen sub propria uniuscuiusque formali ratione. Hoc tamen ideo facilius in Ecclesia occurrit, quia *idem est subiectum utriusque potestatis.* Quare in decreto *materialiter uno* potest et debet saepe distingui *actus formaliter duplex,* alius *doctrinalis potestatis docendi,* alius vero *disciplinaris potestatis regendi.* Probe id ipsum animadvertebat theologus Conc.Vaticani in *Adnotationibus* ad II Schema *Constitutionis de Ecclesia 15.*

«In Conciliorum, inquit, decretis prohibitio vel praeceptum a definitione sive iudicio de doctrina distinguatur necesse est. Primum enim Ecclesia definit opiniones illas esse pravas; tum eas ut tales prohibet et in contumaces poenas sancit. Iam vero Ecclesiae definienti mentis obsequium debetur, etiamsi nullum praeceptum adiungat; Ecclesiam enim docentem audire tenemur... Ecclesia in eiusmodi edictis nominatim non prohibet nisi actus externos, quippe quos solos poenis, quas adiungit, in suo iudicio vindicari possit», prout manifeste patet ex formulis adhibitis in Canonibus Conciliorum: «Si quis dixerit etc. Si quis non confiteatur etc.»: D 54 113-124 213-227 811-873 1801-1818.

1321. *Duplex actus formalis, doctrinalis* alius potestatis docendi et internum ipsum intellectus assensum iniungens, alius vero *disciplinaris* potestatis regendi et externos actus contrarios poenis vindicans, clare exprimitur in formula definitionis dogmaticae Immaculatae Conceptionis B.M.V.: D 1641.

1322. *Canonistae* ad defendendam solam bipartitam potestatum Ecclesiae divisionem moventur etiam magnam partem consideratione plurium proprietatum, quibus potestates docendi et regendi inter se conveniunt et a potestate sanctificandi diversificantur. Hae autem sunt proprietates quas ecclesiasticae potestates induunt ex duplici modo quo subiecto conferuntur, prout in notionibus explicavimus n.1290. Huiusmodi proprietates sunt quae sequuntur.

1323. A. *Potestas Ordinis,* quia in eius collatione *indelebilis character* subiecto imprimitur, ideo semel accepta neque amitti neque iterari ullo modo potest. *Potestates vero docendi et regendi,* quia nullus in earum collatione character imprimitur, pariter ambae amitti et iterari possunt. *Primatus* tamen per voluntariam tantum eius abdicationem amitti potest.

H I.Kleutgen, *Relatio de Schemate reformato Constit. de Ecclesia:* Msi S3,33ob-c. Idem saepe animadvertit Franzelin, *Theses de Ecclesia* th.s.IV.2.». 3.0 Ad hoc non satis attendunt ii qui defendunt divisionem potestatum bipartitam, et ideo saepe confundunt actum magisteriale proprie dictum cum actu mere disciplinare circa obligatos ad doctrinam tenendam.

1324. B. *Potestas Ordinis,* quia *ex opere operato confertur,* certis quibusdam ritibus eius collatio divinitus alligata est, et ideo neque augeri nec minui neque auferri voluntate Ministri eam conferentis potest. *Potestates* vero *docendi et regendi,* quia ex opere operantis conferuntur, nulli formae earum collatio est divinitus alligata, et ideo voluntate illius qui eas confert, augeri vel minui vel etiam auferri possunt. *Primatus* tamen supremus, quia ipsomet iure divino subiecto tribuitur, nullis voluntatum humanarum varietatibus subiacet.

1323. C. Potestas Ordinis, quia suos effectus producit ex opere operato, ideo eius minister invariabiliter ritus sensibiles ponere curat, per quos Deus tamquam per instrumenta producit gratiam quam ritus significant. *Potestates* vero *docendi et regendi,* quia suos effectus producunt ex opere operantis, ideo qui eas exercent, vario modo secundum adiuncta dirigere curant actus hominum, ut hoc iuvamine ipsi se disponant ad obtinendam vel conservandam vel augendam Dei gratiam.

1326. *Haec omnia verissima quidem sunt,* tamen non sufficiunt ad intrinsece et specifice distinguendas Ecclesiae potestates. Omnes enim hae proprietates dici possunt *mere modales,* quatenus, prout ex earum explicatione patet, omnes derivantur ex *diverso modo* quo subiecto conferuntur, vel etiam ex *duplici modo* quo suos effectus producunt. Huiusmodi autem *modalitates* non attingunt rationes formales et intrinsecas, ex quibus *formalis specificatio et realis distinctio* potestatum derivanda est. Etiam ex *diverso modo* quo Summus Pontifex suam supremam docendi et regendi potestatem obtinet, sequuntur aliquae *magni momenti qualitates* ipsi propriae, quae potestatibus docendi et regendi Episcoporum non conveniunt; nemo tamen inde iure deducere posset novam aliam *realem et specificam* distinctionem intra ipsam docendi vel regendi potestatem Papae et Episcoporum.

1327. *Sub adspectu* tamen *practico et iuridico* libenter agnoscimus, singulari consideratione dignas esse praedictas *modalitates,* quae derivantur ex duplici modo quo potestates subiecto conferuntur. Merito igitur ad eas praesertim attendunt iuristae, quibus vel maxime interest determinare rationes, quibus potestates valeant conferri vel auferri, obtineri vel amitti, augeri vel minui, iterari vel secus, variabili vel invariabili ritu formave committi. Ex hac practica et iuridica ratione intelligimus, cur *Codex Iuris Canonici* bipartitam tantum potestatum Ecclesiae divisionem memoret.

1328. Scholion 2. De distinctione potestatis Ecclesiae in Conc.Vaticano (cf. J.B.Franzelin, *Theses de Ecclesia,* th.5 IV 3.0 p.55-60).

In Actis Conc.Vaticani aliqua occurrunt de distinctione ecclesiasticarum potestatum: t) In discussione Constitutionis *de Ecclesia;* 2) In decreto *de Primatu eiusque infallibilitate.*

1) *In discussione Constitutionis de Ecclesia,* mens Vaticani exhibetur: A) *In Schemate I;* B) *In Schemate reformato seu II.*

1329. A. *In Schemate I:* a) In c.4.0, *triplex potestas ex triplici eius obiecto* clare distinguebatur: «Est in Ecclesia visibile *Magisterium,* a quo cre-

denda interius exteriusque profitenda fides publice proponitur; visibile quoque *Ministerium,* quod visibilia Dei mysteria, quibus interior sanctificatio hominibus et debitus Deo cultus comparatur, munere publico moderatur ac curat; visibile *Regimen,* quod membrorum inter se communionem ordinat, externamque omnem et publicam fidelium in Ecclesia vitam disponit ac dirigit» (Msi 5i,54od). Patres *Deputationis fidei* hanc ipsam capitis quarti doctrinam inculcabant, eam illustrantes in *Adnotatione* 6.a: «Statuit in Ecclesia esse visibile *Magisterium,* visibile *Ministerium,* visibile *Regimen* a Christo Domino institutum, per quam *triplicem* potestatem externam ac con'spicuam vera Ecclesia Christi cohaeret *triplici externo nexu*» (Msi 5i,502b-c).

1330. b) *In c.ro,* post memoratum triplicem potestatum actum, adducitur etiam bipartita potestatis Ecclesiae divisio: «Christi Ecclesia est societas inaequalium... propterea maxime quod in ea est potestas divinitus instituta, qua alii ad *sanctificandum, docendum et regendum* praediti sunt, alii destituuntur. Cum vero Ecclesiae potestas alia sit et dicatur *Ordinis* alia *Jurisdictionis,* de hac altera speciatim docemus, eam esse... absolutam et omnino plenam, nimirum legiferam, iudiciariam et coercitivam» (Msi 5i,543b-c). *Deputationis* Patres hanc doctrinam declarantes, aiebant: «His verbis, *Potestas ad sanctificandum, docendum ac regendum,* continetur generalis quaedam ecclesiasticae potestatis descriptio», quam declarationem ulterius illustrabant verbis Gregorii XVI, quibus probe ex suis obiectis distinguuntur Magisterii et Regiminis potestates: «Habet Ecclesia *ex divina institutione* potestatem, non *Magisterii* solum, ut res fidei et morum doceat ac definiat... verum etiam *Regiminis,* ut quos semel gremio suo excepit filios in tradita doctrina contineat ac confirmet, legesque ferat de iis omnibus, quae ad animarum salutem, sacri *Ministerii* exercitium ac Dei cultum attinent» (Msi 51,583d. 586d). Deinde ipsi *Deputationis* Patres declarant, cur etiam *bipartita* divisio «in obliquo» memoretur: «In proposito Schemate generatim ac in *obliquo* asseruisse *Ordinis* potestatem eamque a potestate *Iurisdictionis* distinctam, satis visum est»; atque illustrationis gratia citant hunc Suarezii textum: «Duplex distingui solet potestas ecclesiastica, scilicet, *Ordinis* et *Iurisdictionis:* ad haec enim duo membra, alia, quae adnumerari solent, reducuntur» (Msi 51, 588d.s89c) W.

Haec sunt quae in *Schemate I* eiusque *Adnotationibus* habentur; unde in eo potestas *ex obiecto* distinguebatur *triplex, bipartita* tamen eiusdem potestatis divisio in *obliquo* etiam proponebatur.

1331. c) In discussione huius *Schematis* pauca de hac quaestione dicta sunt; unde concludere licet, Concilii Patres facile admisisse utramque potestatis partitionem. Aliqui tamen, ut Gastaldi, Moreno et Volaterranus, non omissa tripartita, volebant ut bipartita distinctio proponeretur «in recto» *7. Alii vero solam tripartitam potestatum distinctionem proponebant, ut Arrigoni, Von Ketteler, Moneti, Bononiensis, Liparensis, Troianus, Aprutino et Dionysiensis 18. Unus denique Massiliensis observavit: «Potestatem ecclesiasticam *tripartitam* in c.4 exhiberi, *bipartitam* autem in 10: uni e duobus standum»; ipse autem bipartitam proposuit (Msi 51.928d.946c). Igitur ex discussione *Schematis,* si quae maior praeferentia Patrum apparuit, haec potius in favorem *tripartitae* distinctionis vergit.

16 F.Suarez, *Defensio Fidei* I.3 c.6 n.1.
17 Msi s1.S92d.893a.899c-d.915c·
18 Mst 5t,832d.833a.865a-b.866b.868d.869a.9O7d.9o8a.

1332. B. *In Schemate II,* reformato iuxta observationes Patrum, si quae esset definitiva vel praevalens Concilii mens, ea sine dubio patefieri deberet.

a) *In c.j triplex* iterum potestatum distinctio recurrit. In eo enim docetur Apostolos a Christo triplici munere insignitos esse: «Novi et aeterni Foederis *Sacerdotes* atque orbis totius *Doctores* et *Rectores»;* atque hac sollemni definitione concluditur: «Tamquam fidei catholicae Dogma tenendum est, divina ordinatione nonnullos in Ecclesia potestate sanctificandi, docendi et regendi donatos esse, qua caeteri carent» (Msi 53,3090.310a). Hoc ipsum in *Annotationibus* explicatur his verbis: «Quamvis tum in explicatione doctrinae, tum in conclusione, qua Dogma ipsum enuntiatur, potestas *triplex* distinguitur, sanctificandi scilicet, regendi et docendi, non tamen in potestates has singulas inquiritur. De potestate enim sanctificandi seu Ordinis late egit *Conc.Tridentinum* in *sessione* 23.°; de potestate vero docendi et regendi in hac *Constitutione* infra c.7 et 8 dicetur» (Msi 53,320b). Ergo videtur intendi explicatio potestatum Ecclesiae iuxta *tripartitam* earum distinctionem.

1333· b) Haec autem intentio ulterius evidens fit ex c.7 et 8, in quibus *separatim* agit *de Magisterio* in c.7 et *de lurisdictione* in 8, atque in illis unamquamque potestatem a Christo esse institutam, ex propriis et diversis Scripturae textibus probat, atque easdem ex uniuscuiusque obiecto et fine distinguit: «C.7. *De Ecclesiae Magisterio.* Dei Filius... Apostolis eorumque successoribus *Magisterium* tradidit... atque Ecclesiae, quam veritatis magistram fidissimam effecit, *imperium* quoque in mentes detulit, eidem, haud secus ac sibi, ut fides ab omnibus adhiberetur, praecipiens» (Msi 53,312d.313a-b)19. «C.8. *De ecclesiastica lurisdictione.* Est praepositis Ecclesiae veri nominis potestas iurisdictionis, cui in fidelibus officium *obtemperandi* respondet... atque a Deo ipso constituta est, sicut sanctificandi et docendi, ita etiam haec regendi potestas» (Msi 53,3143-0)20. Dubium igitur non est in *II Schemate* lurisdictionem intelligi sensu stricto eamque aperte distingui a Magisterio.

1334. c) Attamen *bipartitam* etiam potestatum divisionem directe includit hoc *II Schema.* Nam in c.4, de Hierarchia agens, aiebat: «Inter Sacerdotes, Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei (Act 20, 28), Presbyteris tam *Ordine* quam *lurisdictione ex* divina institutione superiores esse» (Msi 53,3ioa-b). Atque ulterius in cn.3 adiungebat: «Si quis negaverit in Ecclesia divina ordinatione Hierarchiam ex Episcopis, Presbyteris aliisque Ministris ita constitutam esse, ut Episcopi tam Presbyteris quam reliquis Ministris potestate Ordinis et Iurisdictionis superiores sint, omnes autem unius Summi Pastoris Romani Pontificis regimini subiaceant: A. S.» (Msi 53,316b). Ratio autem huius definitionis in *Annotationibus* datur haec: «Decretum hoc a Tridentino eo differt, quod non Ordinis potestatem tantum, sed etiam et amplius Iurisdictionis pertractat... Itaque cum in *Tridentino* (D 960 967) Episcopi dicantur Presbyteris superiores simpliciter, in hoc decreto additur: Iam *Ordine quam lurisdictione»* (Mst 53.320c.321a).

1335. In hoc *II Schemate videmus* accurate inclusa plura, quae in discussione praecedentis *Schematis* Patres Concilii proposuerant. Discussioni

1' Ad hanc doctrinam probandam citantur: Mt 28,20; Io 14,16.17; 16,13; Eph 4,14; Lc 10,16; Mc 16,16.

2» In probationem adducuntur: Io 20,21: 2 Cor 5.20; Eph 6,20; Act 20.28. *Theologus Concilii,* qui hoc *Schema* rcdcgii. prae oculis habere videtur efficacem tam distinctionem quam scripturisticam probationem trium Ecclesiae potestatum a Vancsa episcopo Eogarasiensi propositam: Mst 51,942a; necnon argumentationem qua Valerca Patriarcha Hierosolymitanus speculative eandem distinctionem propugnavit: Msi 52,358-359·

Patrum non potuit subici hoc *Schema,* quia propter civiles Italiae perturbationes necesse fuit suspendere Concilium. Attamen ex eo merito concludendum esse censemus, in Conc. *Vaticano* Patres utramque potestatis partitionem admisisse, neque eos unquam intendisse quaestionem hanc disputatam decidere, quamvis ad explicandam potestatum Ecclesiae *naturam,* potius *ad tripartitam* earum distinctionem accurrissent. Idem tenet Franzelin 21.

1336. 2) In *decreto de Primatu et Infallibilitate Summi Pontificis:* D 1822-40. Quaestio de potestatum Ecclesiae distinctione occurrit tantum *indirecte.* Inde tamen aliqui auctores, ut Billot, concludere conantur realem et specificam potestatum docendi et regendi distinctionem; alii vero, ut Rodrîguez Sotillo, potius contrarium ex eodem decreto deducere tentant 22. Mens *Conc. Vaticani* erui potest tam ex doctrina de Primatu quam ex capite de Infallibilitate Summi Pontificis.

1337. A. *In decreto de Primatu,* a) Saepe in hoc decreto occurrit denominatio *Primatus iurisdictionis,* quam tamen non omnes eodem prorsus modo intelligebant. Plures enim eam adhibebant *sensu generico et* ea significabant *supremum gradum potestatis ecclesiasticae,* ad excludendam denominationem *Primatus honoris,* quem solum *heterodoxi* concedebant: D 1822-23. In hoc *generico* sensu loquebantur decem illi galli Episcopi, quando petebant, ut in decreto «post vocem Primatus, ad errorum adversantium condemnationem, adderetur, non honoris tantum, sed et Iurisdictionis, Magisterii scilicet et Regiminis» (Msi 51,959b).

1338. b) Alii vero vocem Iurisdictionis intelligebant potius *sensu specifico,* de sola potestate Regiminis, ut Episcopus Epivent, quando proponebat: «In Prooemio, ubi dicitur. *Primatum Iurisdictionis,* addatur, *et Magisterii.* Idem fiat postea post illa verba, *potestate Iurisdictionis»* (Msi 51. 940b) 23. Huic *Relator* respondit: «Sed potestas Magisterii ecclesiastici... tum in Episcopis omnibus tum in Episcopo Episcoporum, ad potestatem Iurisdictionis pariter spectat, secus ac heterodoxi opinantur, de quibus vide ad *Schema* de Ecclesia Christi *Adnotationem 20»* (Msi 52,10a). Hac responsione *Relator* nullo modo volebat de heterodoxia notare Episcopum emendatorem, sed certe adhibebat denominationem *potestatis Iurisdictionis* sensu generico, prout diximus. Nam heterodoxi *Adnotationis* 20, quos citat, sunt solummodo *Protestantes, Schismatici, lansenistae, Gallicani* rigidiores et *Regalistae,* qui Summo Pontifici aut nullum, aut solum honoris Primatum, aut potestatém Statui subditam vel Concilio inferiorem concedebant, quemadmodum late in eadem *Adnotatione* 20 exponitur 24. Quare in hac responsione vocem *Iurisdictionis* Relator sumit sensu *generico,* ac proinde merito dicit, «ad eam spectare potestatem docendi pariter ac regendi», scilicet tamquam duas *sive partes sive species* eiusdem genericae potestatis, quam citati heterodoxi negabant. Nullum ergo inde proprie dictum argumentum inferri potest pro alterutra sententiarum, de quibus controvertitur.

21 Franzelin sententia de hac re adeo bene exhibet praevalentem in Concilio mentem ut non immerito dixeris, Theologum pontificium, qui magnam partem in praeparandis et discutiendis Vaticani *Schematibus* habuit, sobrie et accurate eandem Concilii mentem exposuisse th.5 operis De *Ecclesia* posthume editi anno 1887. De Franzelin actione in *Vaticano,* cf. Msi 40,737-740; 53.161-163: CL 7,1611-1628.1647.

22 L.Bilior. *De Ecclesia* q.8 § 1: L.Roo.Sotillo, Compendium *Iuris publici ecclesiastici* n.tz6a: Wernz-Vidal, Ius Canonicum n.48 nota 20. Sotillo etiam in hoc adhaeret Zapelé-na, 2 Ü954) tS4.

23 Idem videntur sensisse alii, ut Episcopi Guierrv et Amat, quando petebant, ut vocibus «gubernandi» vel «pascendi» adderetur vox «docendi·: Mst 51.964d.965b.

2« *Adnotationem* hanc 20 vide apud Msi 51,589-597.

1339. B· *In capite de infallibilitate.* Quaestio nostra tangitur ipso capitis initio: D 1832. Huius formulae auctor fuit *Episcopus Paderbornensis,* qui eam concepit et obtinuit ut discutienda Concilio proponeretur his verbis: «In suprema apostolicae Iurisdictionis potestate supremam quoque Magisterii potestatem comprehendi» (Msi 52,6c; 53,2490.2503).

a) Late in Concilio discussum est de quaestione, utrum Infallibilitas *immediate ex ipso Primatu* concludatur necne 2S. Ad rem nostram quod attinet verum est quod animadvertit Hefele: «In Primatu Summi Pontificis supremam quoque Magisterii potestatem contineri, nemo negat» (Msi 52,1183).

1340. De ulteriori tamen quaestione nostra, utrum nempe potestates docendi et regendi sub Primatu comprehendantur tamquam *partes unius specificae* potestatis primatialis, an tamquam *duae species distinctae* sub generica potestate Primatus contentae, dissentiebant Concilii Patres.

Cassiliensis unicitatem tenebat: «Potestas, inquit, docendi, ut videtur, pars est Primatus et exhiberi debet tamquam pars Primatus, saltem meliug foret, eam non exhibere tamquam distinctam... Quare omittantur verba, *una cum pastorali officio,* quia munus docendi est pars pastoralis officii, non aliquid simul cum eo»: D 1838 (Msi 53,257b.258a.26oa-c). Idem videtur admisisse Gasser (Msi 52,i2i8d). Atque soli hi duo unicitatem defendebant.

1341. b) *Distinctionem vero specificam* potestatum docendi et regendi, sub generica potestate Primatus comprehensarum, propugnavit strenuus defensor infallibilitatis pontificiae, Ios.Valerga, Patriarcha Hierosolymitanus: «Duplicem esse Pontificis potestatem, aliam Regiminis aliam Magisterii: unaquaeque proprium habet obiectum et ad proprios tendit effectus, et unaquaeque in suo ordine plena asseritur a lugdunensibus et florentinis Patribus, et de hoc nemo catholicus ambigit... Potestas Regiminis ordinatur ad externam oboedientiam obtinendam... At vero potestas Magisterii in rebus fidei ordinatur non ad oboedientiam mere extrinsecam, ut potestas Regiminis sed ad internum atque sincerum mentis assensum exigendum, cuius ratio formalis non alibi reperitur quam in auctoritate Magisterii» (Msi 52,3580-359^.

Eandem distinctionem urgebat Card.RAUSCHER: «Cum in Schemate asseratur, in suprema iurisdictionis potestate supremam quoque Magisterii potestatem comprehendi: ante omnia animadverto, inter potestatem Ecclesiam regendi sive Regiminis et potestatem fideles docendi sive Magisterii distinguendum esse... Erraret qui exsistimaret, obligationem iuri Ecclesiae gubernandi respondentem ad animi sensus nullatenus referri, principaliter tamen et proxime externum oboedientiae actum exigit; Magisterii autem efficacitas tota ab actu interno assensionis pendet» (Msi 52,725a-b). Huic respondebat Archiepiscopus *Granatensis:* «Emmo. Oratori non placuerunt ista verba, quia dicit, in ista paragraphe confunditur potestas regendi cum potestate docendi. Sed patet has potestates in hac paragraphe non confundi, sed iungi, quia revera *iunctae* sunt in Romano Pontifice tam potestas regendi quam potestas docendi» (Msi 52.823C-824C). In hac autem responsione, ut patet, salva manet distinctio utriusque potestatis.

25 Infallibilitatis necessariam in Primatu inclusionem negabant Rauscher, MacHalle, RamadiE, Colet, Hefele, aliique Concilii Patres (Msi 52.TO7b.78sc-d.toi6a-b.ti24b-c. n83b-c): eam vero defendebant Nobili-Vitelleschi, Parmensis, Paderbornensis. Casalensis, aliique (Msi 52.8o<)d.8ioa-c.88ib.<n7a-c.Q47b). *Concilium* tandem, abstrahendo ab hac controversia decidenda, definivit, rinfallibilitatem esse praerogativam, quam Unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est»: D 1838. Sensum definitionis, ad rem nostram quod attinet, accurate nobis explicat eiusdem Concilii theologus insignis Franzelin, *l.c.,* in n.1328.

1342. c) Motus rationibus a Valerga praesertim adductis, Episcopus *Paderbornensis* proposuit corrigere formulam quam ipsemet redegerat. In nova redactione vox *Jurisdictionis* disparuit: «Ipso autem apostolico Primatu supremam quoque Magisterii potestatem comprehendi» (Msi 52, 1122c). Qua quidem mutatione Schema omnibus «multum placuit» (Msi 53, 2640.2653-0). Haec fuit formula definitive approbata: D 1832. Finita discussione, septem diebus ante eius sollemnem promulgationem, eam explicabat *Relator* Episcopus Gasser, inquiens: a) «Supremum Magisterium Pontificis est pars Jurisdictionis ipsius, nam lurisdictio eius duabus clavibus absolvitur, id est, clavi scientiae et clavi potestatis» (Msi 52,i2i8d). Quomodo haec intelligenda sunt?: de duabus partibus integrantibus eandem *speciem,* an de duabus speciebus comprehensis sub eodem *genere* potestatis? Responsionem videtur ipse *Relator* dedisse paulo inferius dicens: β) «Nos deducimus ex Primatu supremam potestatem docendi, *tamquam speciem a suo genere, et* ex suprema potestate docendi, respectu habito ad finem illius et ad promissiones Christi, deducimus infallibilitatem. Ergo reapse nullus circulus adest vitiosus» (Msi 52,I22od.l22la) 26.

Concludendum ergo nobis videtur, ex decreto dc Primatu et infallibilitate Summi Pontificis nullum proprie dictum argumentum proferri posse in favorem alterutrius sententiae, quamvis inter Concilii Patres certe plures tenebant potius *realetn et specificam* trium potestatum distinctionem 2728

1343. Scholion 3. Patris Franzelin doctrina de triplici potestate. Antiquam bimembrem potestatum divisionem tenent etiam *Protestantes,* ita tamen ut *Magisterium* sub *Ordinis* potestate comprehendant, prout patet ex verbis *Apologiae Confessionis Augustanae,* n.i292 citatis, et ex Melanchthon 2S.

Adversus hanc Protestandum interpretationem Walter excoluit doctrinam de tripartita potestatum divisione, quam deinde ulterius evolvit Phillips. Attamen immerito ambo refecerunt classicam in Schola bimembrem partitionem 29.

Franzelin rem totam funditus iuxta *Theologiae principia* bene tractavit, atque optime tenet: 1.' retinendam omnino esse bimembrem divisionem recte intellectam; 2.0 in ea lurisdictionem intelligendam esse sensu *generico,* atque ideo sub se comprehendere duas *distinctas* potestatis *species,* aliam *regendi* seu «jurisdictionis *specifice* dictae», aliam vero *docendi* seu Magisterii; 3.0 attamen *propter rationes theologicas* admittendam esse etiam *triplicem distinctam potestatem,* respondentem triplici distincto messianico muneri *Christi Doctoris, Sacerdotis, Regis;* 4.° denique potestates *Magisterii et Regiminis* non *divisas,* sed *coniunctas* esse in sublecto cui conferuntur, adeoque in ipsa supremi Magisterii definitione exerceri etiam supremam potestatem lurisdictionis, erga quam omnes officio hierarchicae subordinationis obstringuntur 30.

Concedi potest Franzelin nondum proposuisse notionem *imperii doctrinalis* potestatis *docendi* specifice distincti ab imperio mere iurisdictionali

26 Distinctionem *duarum* clavium, clavis nempe scientiae et clavis potestatis, in eodem sensu ac illam adhibuit Episcopus Gasser, occurrit apud Suàrez, *Defensio Fidei* l.6 c.7 n.4; *Dc Religione* tr.io l.3 c-4n.11 ; *Dc Poenitentia* d.t6 s.4 n.4S. In eodem sensu eam in Concilio memoravit Cardinalis Guidi: Msi 52,744b. Io.de Turrecremata. *Summa de Ecclesia* l.i c.93 conci.8s, potius duplicem hanc clavim distinguit intra eandem *indicandi* potestatem.

27 Plenius de hac quaestione tractavi apud MiscCom 14 (1950) 5-84.

28 Apologia Confessionis Augustanae a.28 § 13; Melanchthon, *Loci theologici:* Corpus Reformatorum, v.21,501.

29 F.Walter, *Manual del Derecho eclesidslico* § 13; G.Phillips, *Du Droit Ecclésiastique* t.i § 8 et 32.

30 I.B.Franzelin, *Theses de Ecclesia* th.5.*,IV,2.' et 3/ (1887) p.46-64.

potestatis regendi, prout illam explicavimus n.1319; sed censemus hanc notionem exigi ab *authenticitate* ipsa *doctrinali* Magisterii qua talis et apprime concordat cum universa doctrina P. Franzelin, qui probe etiam hanc doctrinalem authenticitatem distinguit ab *authenticitate iuridica.* In schemate Vaticani sermo est de «imperio in mentes» proprio Magisterii (n.i333).

Qui attente legat thesim Patris Franzelin eamque probe comparet cum thesi nostra, facile intelliget doctrinam utriusque esse prorsus eandem31. Cardo controversiarum versatur circa distinctionem *formalem* et *specificam* potestatum *docendi et regendi.* Ad cavendas autem confusiones, quae in hac re saepe occurrunt, probe ad tria cum Franzelin animadvertere necessc est: 1.° Totum obiectum *Magisterii* esse etiam obiectum *materiale* potestatis *Regiminis;* ideoque attente videndum est in omni potestatis actu circa doctrinam, utrum sit actus *formalis* et *specificus Magisterii,* an vero sit actus proprius potestatis *Regiminis,* prout etiam nos cum P.Kleutgen animadvertere curavimus n.1320. 2.° Vocem *lurisdictio* adhiberi duplici sensu, *generico* nempe et *specifico,* et ideo non esse interpretandos sensu *specifico* textus Patrum Vaticanorum, quos ipsi sensu *generico* intellexerunt. 3.0 Prae oculis vel maxime habendam esse *propriam et specificam naturam theologicam potestatis docendi;* adeoque falsum esse suppositum illorum qui censent, distinctione *specifica* Magisterii a Regimine, negari characterem proprie et *stricte auctoritativum* muneris docendi, quem omnino tenent et accuratius explicant distinctionis specificae patroni 32.

Qui ad haec *tria,* quae notavimus, attente respexerit et non tantum rationes *iuridicas,* sed potius *theologica argumenta* probe perpenderit, facile agnoscet, admittendam plane esse cum Franzelin utramque potestatum distinctionem, aliam bimembrem, *Ordinis* nempe et *Jurisdictionis,* aliam vero trimembrem, *Magisterii* videlicet, *Sacerdotii* et *Regiminis,* cum alia nihil dc alia detrahat atque utramque exigant *theologici fontes 33.*

1344. Scholion 4. De vero statu quaestionis in hac re. Salvis sobrietate et concisione, quas haec tractatio nostra exigit, tamen iam aliquid addidimus, praesertim nn.1291s 1298 1307 1311 1316s 1343, ut mentem nostram clarius exprimeremus, ne eam adversarius noster «inadvertenter transformet».

31 De hac re vide clucubrationem nostram: *La triple potestad de la Iglcsia:* MiscCom 14 (1050) 5-84.

32 Ad haec tria non sati» attendere videntur L.R.Sotillo, *Compendium Iuris public: ecclesiastici* (1051) n.iaôbis, et E.F.Recatillo, Institutiones luris Canonici 2 (1951) η.τ?8. Quibus adde Zapelena 2(1954) 151-171.

33 Post *Encyclicas* Leonis XIII *tSalis cognitum»* et Pu XII *«Mystici Corporis»,* triplicis potestatis accurata distinctio tenenda est. K.Hofmann, *Jurisditkion:* LTK 5,724s, recte lamentatur eo quod adhuc non fuerit facta «aliqua profunda et completa mopographia circa conceptum et historiam lurisdiclionis ecclesiasticae». Cf. J.Baucher, *jurisdiction:* DTC 8,1976-96: E.Cuq, *Jurisdiction,* apud Darkmberc-Saglio, *Diction, des antiq. grecq. et* rom. 3,726-31: Steinwenter, *lurisdictio,* apud Paulys-Wissowa, Rea! *Encyclop. der klass. Altertumswissenschajt* 10,1155-58. De ipsa *iurisdictionis* notione plura adhuc inexplorata manent. Imperatoribus usque ad lustinianum iurisdictio nihil erat «aliud quam competentia iudiciaria. Sub IustiNIANO (527-65) facta est synonima potestatis in sensu omnino generico. A saec.VII usque ad medium saec.Xll in terminologia Iuris Can. non adhibetur vox iurisdictio: M.van de Kekekhove, *Dc notione iurisdictionis:* lusPont 16 (1936) 59-65. A tempore Gratiani (1140) usque ad annum 1210 vox *iurisdictio* raro occurrit apud Canonistas et quidem in sensu tam amplo ut ea nondum distinguatur potestas regendi a potestate Ordinis: M.de Roulers, *La* notion *de Jurisdiction* (1937). Merito adnotat P.Fedele: «Difficile est invenire thema adeo alliciens et inexploratum ut est conceptus iurisdictionis in Iure Canonico»: EphlurCan 1 (1945) 124.

Ratio praecipua dissidii consistit in ipso statu *quaestionis 3*.*

Status quaestionis ap. Franzelin

a) Verissima est divisio inter potestatem *Ordinis* et *Iurisdictionis;* attamen potestas Iurisdictionis, quae in bimembri illa partitione *generice* sumitur, debet in sacra Theologia distingui in potestatem *Regiminis seu Iurisdictionis specifice dictae,* et in potestatem *authentici Magisterii* (p.46).

b) Tota potestas *docendi* et regendi in complexu spectata, significatione nominis *generica,* est et rectissime dicitur *potestas Jurisdictionis* (50).

c) Quod *potissimum* a nobis *quaeritur* est: utrum et quomodo in ipsa illa potestate Iurisdictionis *genetice* spectatae, duae rationes formales. potestas divini *Magisterii* et potestas ecclesiastici *Imperii* seu *Iurisdictionis specifice dictae* inter se distinctae censeri debeant (52).

Status quaestionis ap. Zapelena

a) Potestas hierarchica omnis est duplex: *Ordinis* et *Iurisdictionis;* potestas ergo Magisterii ecclesiastici non est nova quaedam potestas formaliter et specifice diversa a potestate Iurisdictionis, sed est quaedam species Iurisdictionis, id est, potestas iurisdictionis doctrinalis (p. 152).

b) Potestates *regendi* et *docendi* sunt *duae species* unius *generis,* quod est *lurisdictio.* Aliis verbis, non tantum Regimen, sed etiam Magisterium est vere et proprie dicta *lurisdictio* (164).

c) Punctum quaestionis non versatur in hoc, utmm hae duae potestates Magisterii et *Regiminis* specie differant inter se; sed in hoc, utrum potestas Magisterii ecclesiastici sit reducenda ad potestatem Iurisdictionis. Aliis verbis, num *potestas Magisterii* in Ecclesia sit *formaliter lurisdictio* (155.160).

En ex eorum verbis, manifesta *diversitas status quaestionis* horum auctorum. Franzelin supponit id quod Zapelena sibi proponit probandum, et viceversa. Ambo conveniunt in admittenda *divisione bipartita* potestatum Ordinis et *Iurisdictionis,* et in comprehendendis sub notione generica *lurisdictionis* potestatibus *Regiminis* et *Magisterii.* Diversitas consistit in proponenda quaestione singulari et propria, quam solvere intendunt.

Franzelin potissimum quaerit: *Quomodo Magisterium et Regimen vere et formaliter distinguantur?*

Zapelena potissimum quaerit: *Quomodo Magisterium vere et formaliter sit lurisdictio?*

Zapelena contendit *suum* quaestionis statum esse *verum* statum quaestionis. Nobis contra videtur verum quaestionis statum esse quem proponit Franzelin; et ideo nostrorum argumentorum conclusio semper est: *Potestates Magisterii et Regiminis inter se formaliter et specifice differunt.* Zapelena concedit singula argumenta nostra probare quidem id ipsum quod cum Franzelin probare intendimus; sed asserit, hoc non esse puntum quaestionis. Id ipsum, eodemque prorsus iure possumus dicere de argumentis quae ipse affert pro sua sententia; sed brevitatis gratia abstinemus a labore, nobis facillimo, distinguendi et solvendi sub hac ratione singula eius argumenta. Alibi hoc faciemus.

Hoc unum dicimus, eum adeo praemere *naturam iuridicam* potestatis *docendi,* ut minime distinguat *authenticitatem doctrinalem* ab *authenticitate*

34 T.Zapelena, 2 th.16 p.151-171; I.B.Franzelin, th.$ p.46-64.

iuridica et naturam propriam Magisterii evacuet, illud reducendo ad *meram partem* potestatis *Regiminis.* Adeoque, quamvis saepe asserat *Magisterium* et *Regimen esse duas species eiusdem generis* potestatis *Iurisdictionis,* attamen revera minime salvat distinctionem specificam, quam affirmat; sed naturam authentici Magisterii eodem modo explicat, sicut illi auctores qui aperte docent *Magisterium* esse *partem Regiminis,* ut sunt, inter alios, Tarquini (l.i n.4 nota), Mazzella (n.756), Palmieri (§ 45), De Groot (q.u initio), Straub (n.642s), Lercher (n.455), Marchesi, *Summa lur. Pubi. Eccl.* n.52.

Denique, ut videret suam rationem intelligendi Vaticanum de hac re non esse accuratam, sufficeret ipsi attente legere ea quae de hoc scripsit Franzelin, quae etiam confirmata sunt iis que nos investigavimus 35.

is I.B.Franzelin, th.5 p.56-60; cf. quae exposuimus supra n.1328-1342 et fusius, *La triple potestad de la Iplesia:* MiscCom 14 (1951) 47-84; cf. etiam quae de eius methodo et ratione agendi cum adversariis improbavimus, in *EI tratado 'De Ecclesia· del Padre Zapelena:* EstEc I29 (t95S) 217-231·

CONCLUSIO

«In Ecclesia Christus»

1345. Cum Christus Dominus ac Redemptor dixerit: *Ego sum via, veritas et vita* (Io 14,6), merito cum Sancto Cypriano concludere possumus: «Christum igitur habemus *itineris Ducem, lucis Principem, salutis Auctorem*» [1]. Iam vero «Christus munus idem idemque mandatum in Ecclesiam continuandum transmisit, quod Ipse acceperat a Patre» (Leo XIII) [2]. Ergo «per eos, qui sacra potestate in Ecclesia fruuntur, munera Christi *Doctoris, Regis, Sacerdotis* perennia fiunt, atque ipse Christus est qui in Ecclesia sua vivit et per eam docet, regit, sanctitatemque impertit» (Pius XII) [3] «in *aedificationem Corporis Christi, ut veritatem facientes in caritate, crescamus in illum per omnia, qui est Caput, Christus*» (Eph 4,12.15). Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum: Amen (1 Petr 5,11; Apoc 1,6).

1 S.Cyprianus, Quod *idolo dii non sint c.i 5.* conclusio: ML 4,602; cd. Hartel: CSEL 3,1 p.31. De indole huius operis S.Cypriani vide R 549; B.Steidle, *Patrologia* § 28,1, a; B.Altaner, *Patrologie* § 34,A,2.

2 Leo XIII, Encycl. *'Satis cognitum*:* ASS 28 (1896) 712.

3 Pius XII, *Encycl. «Mystici Corporis»: AAS* 35 (1943) 200.238.

TRACTATUS IV

De sacra Scriptura
tractatio dogmatica fundamentalis

z

Auctore

P. Michaels Nicolau, S.I.

INTRODUCTIO

Bibliographia generalis

1. Praeter auctores qui universam tractant Theologiam, de quibus mentionem fecimus in *Introductione in Theologiam,* n.34ss, et praeter plurimos qui universam Theologiam fundamentalem evolvunt, quos memoravimus *tbid.* n.62; nunc veniunt speciatim commemorandi sequentes:

a) Documenta ecclesiastica.

Benedictus XV, *Litterae Encyclicae «Spiritus Paraclitus» (*15 *Septembris 1920) in natali MD S.Hieronymi, Ecclesiae Doctoris: AAS 12* (1920) 385-422; EB 444-495 [457-5°8]·

Leo XIII, *Litterae Encyclicae «Providentissimus Deus» fr8 novembres 1893) de studiis Scripturae Sacrae:* ASS 26 (1893-1894) 269-292; EB 81-134 [66-119].

Pius XII, *Litterae Encyclicae «Divino afflante Spiritu» (30 septembres 1943) de Sacrorum Bibliorum studiis opportune provehendis:* AAS 35 (1943) 297-325; EB 538-569.

*Enchiridion Biblicum. Documenta ecclesiastica Sacram Scripturam spectantia auctoritate Pontificiae Commissionis de re biblica edita*2 (Neapoli-Romae 1954) [EB].

Enquirididn biblico bilingue. Magisterio oficial de la Iglesia sobre la S.E., con un apéndice patrlstico-tomistico. Segovia [Continet versionem hispanam a lesu Diaz ex praecedenti Enchiridio Biblico].

Documentes biblicos. Ediciôn preparada por Salvador Munoz Iglesias. Madrid 1955 [Numeratio huius editionis textus originalis et versionis hispanae documentorum biblicorum non semper sequitur numerationem Ench. Biblici.—In pg. 1-150 invenitur introductio, in qua compendio proponuntur controversiae biblicae].

2. *b)* Opera introductoria generalia.

Bellarmino, S.Robertus (1542-1621), *De verbo Dei* (Prima controversia, in Opera omnia t.i (Parisiis [Vivès] 1870).

Cornely. R.—Merk, A., S.I., *Introductionis in S.Scripturae libros compendium*10 (Parisiis 1929).

Fillion, L.Cl., *L'Etude de la Bible. Lettres d'un professeur d'Ecriture sainte à un jeune prêtre* (Paris 1922).

Gil Ulecia, A., *Introducciân general a la Sagrada Biblia* (Madrid 1950).

Hôpfl, H.—Gut, B., O.S.B., *Introductio generalis in Sacram Scripturam*5 (Neapoli, Romae 1950).

Institutiones biblicae scholis accommodatae. V.i: *De Sacra Scriptura in* universum6 (Romae 1951).

Lusseau, H.—Collomb, M., *Manuel d'études bibliques.* Tome premier. *Introduction générale*2 (Paris 1936).
Perrella, Gaetano M., C.M., *Introduzione generale alla Sacra Bibbia* (Marietti 1948).—*Introducciôn general a la Sagrada Escritura.* Version y adaptaciôn espanola por el P. Juan Prado, C.SS.R. (Torino-Madrid 1954).
Robert, A.—Tricot, A., *Initiation biblique. Introduction à l'étude des Saintes Ecritures*3 (Paris 1954).
Simon, H.—Prado, J., C.SS.R., *Propedeulica biblica* sive *Introductio in universam Scripturam*6 (Taurini 1950).
Steinmüller, John, *General Introduction to the Bible*4 (New York 1948). *Introducciôn general a la Sagrada Escritura.* Versio ex anglica lingua a J.A.Jolly (Buenos Aires 1947).

3. *c)* Opera specialia de inspiratione et veritate sacrae Scripturae.

Bainvel, J.V., De *Scriptura Sacra* (Paris 1910).
Bea, Augustinus, S.I., De *Scripturae Sacrae quaestiones historicae et dogmaticae*2 (Romae 1935)·
— *De inspiratione et inerrantia Sacrae Scripturae. Notae historicae et dogmaticae quas in usum privatum auditorum composuit* (Romae 1947).
Billot, Ludovicus, S.I., De *inspiratione Sacrae Scripturae*2 (Romae 1906).
Courtade, G., artic. *Inspiration et inerrance»* DBS 4,482-559.
De San, Ludovicus, S.I., *Tractatus de divina Traditione et Scriptura* (Brugis 1903).
Dorsch, Aemil., S.I., *De inspiratione S.Scripturae*2 (v.3 in *Institutiones Theologiae fundamentalis)* (Oeniponte 1927).
Durand, Alfred, S.I., *Inspiration de la Bible:* DAFC 2,894-917.
Florit, E., *Ispirazione biblica*2 (Roma 1951).
Franzelin, Joannes Bapt., S.I., *Tractatus de divina Traditione et Scriptura*4 (Romae 1896).
Goupil, Auguste-Alexis, S.I., *La règle de la foi.* Tome II: *La Sainte Ecriture. Inspiration. Interpretation. Canonicité* (Paris-Laval 1936).
Mangenot, E., *Inspiration de l'Ecriture:* DTC 7,2068-2266.
— *Inspiration: 083,897-911.*
Müller, Iosephus, S.I., De *verbo Dei revelato*2 (Oeniponte 1923).
Muncunill, Ioannes, S.I., *Tractatus de locis theologicis* (Barcinone 1916).
Pesch, Christianus, S.I., De *inspiratione Sacrae Scripturae* (Friburgi Brisgoviae 1906).
— *Supplementum continens disputationes recentiores et decreta de inspiratione Sacrae Scripturae* (Friburgi Brisgoviae 1926).
Schiffini, Sanctus, S.I.. *Divinitas Scripturarum adversus hodiernas novitates asserta et vindicata* (Augustae Taurinorum 1905).
Stentrup, Ferdinandus Aloisius, S.I., De *locis theologicis* (Oeniponte 1889).
Tromp, Sebastianus, S.I., De *Sacrae Scripturae inspiratione*5 (Romae 1953).
Van Laak, Hermannus, S.I.. De *Sacrae Scripturae inspiratione atque inerrantia tractatus dogmaticus* (Romae 1910).
Vosté, Iacobus, O.P., De divina *inspiratione et veritate Sacrae Scripturae*2 (Romae 1932).
Zannecchia, D., O.P., *Divina inspiratio Sacrarum Scripturarum ad mentem S.Thomae Aquinatis* (Romae 1898).
Lusseau, H., Essai sur *la nature de l'inspiration ccrituraire* (Paris 1930).

4. Locus huius tractatus in Theologia fundamentali. Post probatum factum revelationis divinae per lesum Christum, et post probatam exsistentiam magisterii authentici et infallibilis circa hanc revelationem, quaestio se offert *ubi nos hanc revelationem divinam simus inventuri;* quinam scilicet sint *fontes revelationis,* ubi verbum Dei revelatum possit inveniri (cf. *Introductio in Theologiam* n.57).

Responsum dat *tractatus de fontibus revelationem continentibus.* Sunt autem hi fontes duo: Traditio et sacra Scriptura. Sic mos invaluit ut plerique auctores de utroque fonte simul tractent 1.

De Traditione vero commode agitur cum tractatur de magisterio vivo Ecclesiae, cuius una est nota ut sit *magisterium traditionale,* scilicet ab aliis accipiens et ad alios transmittens veritates. Ntlnc autem *de sacra Scriptura* est agendum.

5. Methodus tractationis. Ex dictis eruitur praesentem tractatum esse *dogmaticum,* i.e., praesupponit auctoritatem doctrinalem lesu Nazareni, Apostolorum et Magisterii Ecclesiae; et ideo procedit dogmatice, sicut in Theologia dogmatica; quamquam in aliquibus, ut in facto inspirationis statuendo, etiam methodo historica aut non stricte dogmatica procedere potest. Simul vero hic tractatus *pertinet ad Theologiam fundamentalem,* utpote fundamentum praebens pro aliis partibus Theologiae dogmaticae.

6. Necessitas sacrae Scripturae eiusque praestantia. Ad veritates religiosas tradendas, quas accepimus per revelationem a Deo, sufficeret quidem magisterium vivum et authen-

1 *De Traditione el Scriptura simul in eodem tractatu* agunt sequentes auctores, ut videre est in eorum operibus, quorum nomina sive in Bibliographia generali in Theologiam (Introductio, n.34ss). sive in peculiari bibliographia pro Apologetica (introductio, n.62) aut pro Tractatu sacrae Scripturae (n.3), supra recensuimus: Ita iam S.Robertus Bellarmino (De verbo Dei, prima controversia: l.l -3 (de sacra Scriptura] : I.4 [de verbo Dei non scripto]); J.Kleutgen (Von der Glaubensnorm [Scriptura et Traditio; postea de Magisterio ecclesiastico] in «Théologie der Vorzelt»); F.A.Stentrup (De locis theologicis); S.Aliberch (De verbo Dei, seu de locis theologicis fundamentalibus, constitutivis aut remotis: De verbo Dei scripto, De verbo Dei tradito); l.Perrone (De verbo Dei scripto et tradito); G.B.Tepe (De verbo Dei scripto et tradito); Io.B.Franzelin (De divina Traditione et Scriptura); L.de San (De Traditione et Scriptura); H.Hurter (De fontibus divinae revelationis: De Traditione divina, De sacra Scriptura); F.Schouppb (De regula fidei: de sacra Scriptura, de sacra Traditione; de Ecclesiae magisterio); G.van Noort (Dc fontibus revelationis); E.Hettinger (Von der Glaubensrcgel...); Io.Muncunill (De locis theologicis); A.Michelitsch (De fontibus magisterii Ecclesiae sive de regula fidei remota: De Sacra Scriptura, De traditione); H.Felder (Dc iontibus revelationis sive de regula fidei remota: De Scriptura, De Traditione); I.Müller (De verbo Dei revelato: de Traditione, de Scriptura); Th.Specht (Die Quellen der Offenbarung); A.A.Goupil (La règle de la foi: le magistère vivant, la tradition, la sainte Ecriture); V.Zubizarreta (De fontibus revelationis scu de locis theologicis, ubi praesertim de sacra Scriptura et dc Traditione); B.Goebel (Hinterlegung der Offenbarung in der hl.Schritt und Tradition); L.Lercher (De Traditione et Scriptura); L.Lerciier-F.Schlagenhaufen (De Traditione ct Scriptura); A.Tanquerey (De fontibus revelationis: de Traditione, de Scriptura sacra); I. Mors (De fontibus revelationis).

ticum Ecclesiae; at sine auxilio omnino peculiari Dei *hoc magisterium sufficeret tantum stricte:* circumstantiae enim concretae divinae revelationis essent obscurae et paulatim magis obscurarentur..., atque ipsae veritates certae nimis ieiune et abstracte proponerentur... Hoc autem devitatur per libros conscriptos per ipsum Deum, per libros scilicet sacros, quorum Deus auctor est principalis, quibus dignatus est nobis circumstantias illas concretas divinae revelationis per monumenta perennia patefacere; ita ut, sicut habemus commercium cum Deo per locutionem, haberemus etiam per litteras, essetque in earum relectione fons gaudii et gratiae.

Sic Scriptura sacra praestat Traditioni in quantum *illa continet veritates per accidens revelatas.*

η. De dignitate, laude et momento actuali et perenni sacrae Scripturae iam ex eo constat—ut unum nunc tantum commemoremus—quod sacra Scriptura, utpote apertissime continens revelationem divinam, sit *anima totius Theologiae* (cf. EB 114 [99]). De alia vero praestantia, in quantum scilicet confert pro vita christiana eiusque pabulo, postea (n.27oss) erit agendum.

8. Hinc nihil mirandum, si studium et propensio sacrae Scripturae non tantum apud theologos, verum etiam apud laicos invaluit hodie summopere; ut in motu biblico diversarum nationum, in hebdomadibus sic dictis biblicis, in circulis studiorum de re biblica, in «horis biblicis», in commentariis librorum sacrorum etiam pro vita christiana, in ephemeridibus... et in aliis abunde ostenditur.

9. Obiectum nostrae tractationis non est nunc, ut patet, sacram Scripturam exponere, neque pericopas aliquas speciatim tractare enucleandas. Sed neque illum scopum habemus ut peculiarem introductionem faciamus in singulos libros sacros, eorum authentiam probando, controversias quae de iis sunt significando, argumentum eorum praecipuum proponendo, selectiora loca perlegendo, et difficultates et dubia, si quae sunt, removendo. Id relinquitur *Introductioni speciali et Exegesi* librorum singulorum.

Nostrum erit *tractationem dogmaticam assumere et principia exponere, quibus studium sacrae Scripturae regi debeat.*

CAPUT I

De inspiratione sacrae Scripturae

ARTICULUS 1

De facto inspirationis

10. Primum principium dogmaticum, quod venit exponendum et probandum, est *factum inspirationis librorum sacrorum,* unde constat eorum indoles divina.

Thesis 1. Sunt libri qui «Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem».

Franzelin, *De divina Traditione et Scriptura*4 p.292-315; Pesch, *De inspiratione S.Scripturae* n.8-22.377-396; Bea, *De Scripturae Sacrae inspiratione*2 n.26-32; Merk, *Institut, biblicae*6 l.i n.6-29; Höpfl-Gut, *Introductio generalis in S.Scripturam*5 n.31-57; Tromp, *De S.Scripturae inspiratione*5 prop.i.

n. Notiones. Inspiratio, latius sumpta, est impulsus Dei supernaturalis, quo homo movetur ad illa quae sunt ad salutem, v.gr., gustus indeliberatus pro re bona et salutari, pius credulitatis affectus... «

Pressius sumpta est impulsus supernaturalis quo homo movetur *ad communicandum* cum aliis ea quae Deus vult communicanda.

Potest esse inspiratio *prophetica,* si communicatio fiat per locutionem; *biblica,* de qua agimus, si communicatio fiat per scriptionem.

12. Tria momenta considerari possunt in inspiratione: inspiratio *active* considerata est ipsa actio Dei inspirantis; actio *ad extra et* proinde communis tribus personis Trinitatis, sed *appropriate* Spiritui *Sancto,* sicut universa opera salutis ex amore Dei procedentia.—Inspiratio *passive* considerata est receptio huius actionis Dei in mente et in facultatibus scriptoris humani.—Inspiratio *terminative* consideratur in libro scripto.

13. Deum esse auctorem libri significat Deum esse auctorem (in sensu quidem litterario) per antonomasiam vel simpliciter; sive Deum esse *causam principalem scriptionis,* ac

proinde auctorem humanum esse causam instrumentalem (sane rationalem).

14. Formulae duae: *«libri Spiritu Sancto inspirante conscripti»* et alia *«Hbri habentes Deum auctorem»* formaliter non idem significant. Etenim *inspiratio* dicit tantum impulsum vel motionem, *auctor* vero dicit plenam causalitatem efficientem et, de se, causalitatem principalem. Ideo aliquis potest esse inspirator alicuius libri, quin sit eius auctor; et, vice versa, potest aliquis esse auctor libri, quin fuerit eius inspirator.

Non ergo coincidunt hi conceptus. Insuper «inspiratio» habet prioritatem *ontologicam* respectu «auctoris», siquidem ratio ontologica, cur Deus sit auctor, est: quia *inspiravit.* E converso, conceptus «auctoris» habet prioritatem *logicam* (sive in ordine cognitionis) respectu conceptus «inspirationis», siquidem cognoscimus Deum inspirasse libros *quia scimus (ex fontibus revelationis) Deum esse auctorem.*

Hinc ex effectu possumus cognoscere causam, sicut ex causa effectum; atque ex alterutro conceptu penetrare in alterum [1].

Duae illae formulae, etsi formaliter diversificentur, in sensu tamen obiectivo et ecclesiastico sunt *aequivalentes* (cf. D 1787).

15. Huiusmodi libri inspirati, habentes Deum auctorem, dicuntur libri sacri sensu maxime proprio, quandoquidem habent characterem sacrum *propter specialem relationem originis qua referuntur ad Deum.*

Character sacer alicuius rei semper dicitur propter relationem rei ad Deum: sic loquimur de locis sacris, de vasis sacris, de personis sacris...

Relatio ad Deum quae hic attenditur est *retalio originis;* sunt enim libri qui veniunt a Deo. Sed non qualiscumque relatio originis hic consideratur, sed *specialis,* scilicet *relatio auctoris,* quae in thesi probatur. Alii autem libri, ut *Imitatio Christi, Exercitia Sancti Ignatii...* qui aliquando inspirati a Deo dicuntur, quia certo quodam sensu ortum ducunt a Deo propter peculiarem influxum Dei in eorum compositionem, non habent hanc *specialem* relationem originis, sc. auctoris, quam nunc consideramus.

Definitione descriptiva possumus dicere: apud nos libros sacros de facto nominari illos libros qui inveniuntur in *canone,* i.e. in regula et catalogo sacrarum Scripturarum.

1 Ex hoc quoque responsum da disputationibus recentioribus, utrum ex notione auctoris an ex notione inspirationis explicanda sint tractatus et natura inspirationis. Nos incipiemus ex notione auctoris, non quidem vaga et abstracta, sed prout in concreto cognoscitur ex fontibus revelationis. Cf. Pesch, *De inspiratione. Supplementum* n.io.

16. Liber canonicus, ut nomen indicat, est liber qui invenitur in canone sive in regula et catalogo ecclesiastico sacrarum Scripturarum.

De eius conceptu est ut sit *liber sacer* (sive inspiratus) *et insuper Ecclesiae custodiae traditus ut talis (cf.* D 1787).

De facto omnis liber sacer et inspiratus inspiratione publica (publice credenda et ad bonum publicum) debuit tradi custodiae Ecclesiae; ac proinde liber publice inspiratus debuit includi in canone et esse liber canonicus. Neque inveniuntur de facto libri inspirati qui non sint publice inspirati, ac proinde traditi custodiae Ecclesiae et canonici. Quapropter libri sacri sive inspirati et libri canonici *indiscriminatim* sumuntur 23Si vero attendimus ad conceptus, liber quo *inspiratus* habet *fundamentum* ut possit esse canonicus; vel inspiratio libri designat characterem internum libri, quo habet Deum auctorem: canonicitas autem designat insuper characterem externum libri, quo traditus est Ecclesiae \

17. Status quaestionis. In hac thesi non descendimus ad quaestionem *quot* sint tales libri sacri, vel *quinam* sint. Quaestio agitur alia, nimirum, characterem proprium horum librorum (aliquorum, quicumque hi sunt) esse inspirationem per Spiritum Sanctum seu *influxum a Deo tamquam ab auctore.* Hoc quidem si demonstrabimus, Deum scilicet esse auctorem principalem sive per antonomasiam librorum, per se patebit libros fuisse inspiratos sive Deum esse *auctorem inspirantem.*

18. Adversarii, a) *Rationalistae* qui, negantes ullum interventum Dei supernaturalem, negant etiam hunc interventum Dei ad scribendos libros.

b) *Modernistae* tribuunt nimiae simplicitati aut ignorantiae hanc nostram thesim (D 2009); et inspirationem divinam librorum sacrorum eatenus tantum admittunt, quatenus et naturaliter etiam poetae dicuntur calescere agitante deo (D 2090, ubi optime exponitur modernistarum theoria).

19. Doctrina Ecclesiae. Invenitur iam in *Statutis Ecclesiae antiquis* (saec.V-VI), praescribentibus ut episcopi consecrandi interrogarentur, sicut etiam hodie interrogantur in examine praevio: «Credis etiam novi et veteris Testamenti, Legis et Prophetarum, et Apostolorum, unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem?»4.

2 Cf. verba Rdmi.V.Gasser, relatoris, in Concilio Vaticano: CL 7,138-141.239 ad exceptionem 59. De possibilitate librorum inspiratorum qui deperditi sint, cf. n.56.

3 Cf. iterum verba Rdmi.Gasser; *ibid.,* 7,1416.239 ad exceptionem 59 (coi.225).

4 Ita in *Pontificali Romano. De consecratione electi in episcopum.* Haec formula eadem est nec differt substantialiter ab illa quae olim praescribebatur; cf. EB 30 [23].

Adverte hic et in sequentibus documentis afferendis vocem «Testamenti» non supponi tantum pro foedere sive oeconomia salutis, sed etiam pro libris 5[6] id quod magis explicite constat ex recensione *Legis et Prophetarum et Apostolorum,* quibus libri sacri designabantur.

Vox autem *auctor* adhibetur et hic et in sequentibus documentis (in quibus interdum magis explicite dicitur [cf. D 783 1787]) ut vera causa *librorum,* et causa scilicet simpliciter vel principalis. Id quod etiam constat ex tota traditione Patrum «.

Neque ex eo quod haec formula primitive fuisset contra manichaeos, statuentes duplex principium, aliud bonum pro N.T., aliud malum pro V.T.: non ideo praescinditur a quaestione *de auctore librorum,* quae in hac thesi attenditur. Nam, sicut manichaei dicebant principium bonum esse auctorem librorum N.T., ita dici debet idem principium esse auctorem librorum V.T. 7*

20. Eadem doctrina pariter invenitur *in symbolo fidei* S.Leonis IX (1053), in epistola ad Petrum episcopum Antiochenum (D 348; EB 38 [26]).

Item *in professione fidei* ab Innocentio III (1208) Durando de Osca et Waldensibus praescripta (D 421; EB 39 [27]).

Item *in professione fidei proposita Michaeli Palaeologo,* et in Concilio Lugdunensi (1274) ab ipso.oblata (D 464; EB 40 [28]).

Pariter in Concilio Florentino, *in decreto pro lacobitis* (1441), ubi iam occurrit: Deum esse auctorem novi et veteris Testamenti «quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti sancti locuti sunt» (D 706; EB 47 [32]); atque insania manichaeorum, qui «duo prima principia posuerunt... et alium N.T. Deum, alium Veteris esse Deum dixerunt» (D 707), diserte proscribitur.

Similiter *in Concilio Tridentino,* sess.4.ll (1546), ubi, pariter ac traditiones quae «ab ipsis apostolis, Spiritu Sancto dictante... ad nos usque pervenerunt», Concilium iterum suscipit ac veneratur «omnes *libros* tam Veteris quam Novi Testamenti, *cum utriusque unus Deus sit auctor»* (D 783; EB 57 [42]).

5 Cf. 2 Cor 3,14. Inde a temporibus Origenis nomen *Testamenti,* tam inter graecos quam inter latinos, pervulgatum est ad designandos *libros* continentes veterem et novam oeconomiam salutis; Cornely, *Introductionis Compendium*10 diss.i c.i n.7,i.b.

6 Testimonia *Augustini, Ambrosii et Hieronymi* de hac rc vide infra inter Patres. In universum, cf. A.Bea, *Deus auctor Scripturae. Herkunft und Bedeutung der Formel:* Ang 20 (1943) 16-31: ubi demonstratur abunde in hac formula agi de auctore libri sive de auctore in sensu litterario.

7 Lege v.gr. *Acta disputationis S.Archelai cum Manete haeresiarcha* 13 (scripta ante a.350) ubi proponitur doctrina manichaea: 'Sed et ea quae in prophetis et lege *scripta sunt,* ipsi [Satanae] nihilominus ascribenda sunt; ipse est enim qui in prophetis *tunc locutus est,* plurimas eis de Deo ignorantias suggerens... voluit... et *scribere pauca quaedam vera,* ut per haec etiam cetera, quae sunt falsa, crederentur. Unde bonum nobis est ex omnibus quae usque ad loannem *scripta sunt,* nihil omnino suscipere... Non est igitur sine periculo cuiquam vestrum pariter cum lege et prophetis Novum Testamentum, tamquam unius sint, utraque docere»... MG 10,1452s. Textus coincidit substantialiter cum editione *Beeson* (GChrS) c.15 p.24ss; Bea, *ibid.,* p.29.

Item apud Serapion de Thmuis (t post a.362): «Tripartita nequitia contra legem locuta est... Manichaeo autem ad mentiendum, esse Legem cuiusdam mali, splendore carentis et ex toto tenebricosi... Quam ob rem percontari oportet: Si malus ille sine splendore et totus et ex toto tenebrae, legem *scripsit,* quomodo cognovit adventum Filii?». *Adversus Manichaeum* c.40,8-14.16-18; cf.BEA, *ibid.,* p.29.

21. *In Concilio Vaticano* sess-3.a (1870) proponuntur ver·: ba theseos propositione causali cur libri sint sacri; quae quidem propositio ut. vera sit, debet esse verum in quod dicitur («eos Ecclesia pro sacris et canonicis habet...») et *ratio cur dicitur* («propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem...») (D 1787; EB 77 [62]). Atque in canone (D 1809; EB 79 [64]) *inspiratio* librorum sacrorum definitur, quae debet explicari prout in capite respondenti exposita fuit.

Atque, ut adnotabat Franzelin ad hoc schema a se factum et a Concilio admissum, «actio illa inspirationis erat huiusmodi, ut Deus sit *librorum auctor seu auctor scriptionis,* ita ut ipsa rerum consignatio seu scriptio tribuenda sit principaliter operationi divinae in homine et per hominem agenti, et proinde libri contineant scriptum verbum Dei»[8].

22. Haec doctrina, ut patet, invenitur etiam in celebrioribus *Encyclicis* de re biblica: *«Providentissimus Deus»* (1893) Leonis XIII (passim; v.gr. D 1952); *«Spiritus Paraclitus»* (1920) Benedicti XV, occasione centenarii natalitii S.Hieronymi (D 2186; EB 448 [461]...); *«Divino afflante Spiritu»* (1943) Pii XII (EB 538-556).

Contra modernistas Pius X (D 2009s 2090 2102; EB 200s [193s] 271s [264s] 280 [273]).

23. Valor dogmaticus. Ex praecedentibus constat thesim esse *de fide divina et catholica.*

24. Probatur ex sacra Scriptura.

Modus procedendi erit arguendo ex sacra Scriptura, non quidem ut ex libro inspirato habente Deum auctorem (hoc enim nondum est probatum essetque petitio principii), sed *ex sacra Scriptura N.T. ut ex fonte historico* continente doctrinam lesu et apostolorum, quorum infallibilitas, etiam singulorum apostolorum, in docendo res religiosas iam constat.

ludaei habebant persuasionem se habere libros inspiratos a Deo auctore. Atqui Christus et Apostoli approbant hanc persuasionem. Ergo illa persuasio est vera.

25. A. De persuasione iudaeorum circa libros suos sacros. In libris sacris iudaeorum interdum Deus exhibetur ut *iubens* scriptionem, *determinans* scribenda, et auctor humanus fideliter exsequens ut *instrumentum* iussa Dei.

8 CL 7,5220.—Relate ad influxum Cardinalis Franzelin pro explicanda natura inspirationis biblicae, cf. sis G.Courtadb, /.-B. *Franzelin. Les formules que le Magistère de ('Église lui a empruntées:* RechScRcI 40 (1952) 318-323.

Ita *de Moyse: Dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monumentum* in *libro, et trade auribus losue...* (Ex 17,14). Et iterum: *Dixit Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba haec, quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus...* (Ex 34,27).

Ita *ad Isaiam: Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem et scribe in eo stylo hominis* (i.e. intelligibili pro hominibus] (Is 8,1). Et iterum: Nunc ergo ingressus *scribe ei super buxum et in libro diligenter exara illud, et erit in die nouissimo in testimonium usque in aeternum* (Is 30,8). Nihil mirum si postea sermo est de *libro Domini* (Is 34,16).

Apud leremiam apparet quomodo Deus iubeat prophetae, scribere et determinet scribenda: *Tolle volumen libri et scribes in eo omnia verba quae locutus sum tibi...* (1er 36,1s); leremias vero vocat secretarium Baruch, et *scripsit Baruch* ex ore Ieremiae *omnes* sermones Domini; *quos locutus est ad eum...* (v.4). Postquam legit Baruch audiente populo de volumine in quo scripsit *verba Domini* (v.6), *interrogaverunt eum dicentes: Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos* ex ore eius. *Dixit autem eis Baruch: Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos, et ego scribebam in volumine atramento (v.i7s).*

David «egregius psaltes Israel» commemorat etiam, iam moriturus, actionem Dei per eum: *Spiritus Domini locutus est per me et sermo eius per linguam meam...* (2 Reg 23,2).

Atque, in universum, *prophetae* dicuntur «os» *lahveh* (Is 30,2; 1er 15,19) et *proferunt verba Domini:* «Haec dicit Dominus...» (passim in Scriptura), cum irruit in *eos Spiritus Domini* (Ez 11,5). Nihil igitur mirum, si postea in cantico Zachariae dicetur *Dominus locutus fuisse per os sanctorum prophetarum* (Lc 1,70; cf. 1 Petr 1,20).

Habacuc quoque dicit: Et *respondit mihi Dominus et dixit: Scribe visum et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum,* quia *adhuc visus procul et apparebit in finem et non mentietur...* (Hab 2,2s).

Cf. etiam Ez 24,2; Dan 8,26.

Hanc auctoritatem divinam non modo partibus singularibus Scripturae tribuisse iudaeos, sed etiam *toti* collectioni manifestum est. Ipsi enim non tantum dictis quae referuntur directe dicta a Domino, sed omni dicto Scripturae applicant formulam «Scriptura dicit» vel similem, ita ut omni parti tribuant eandem prorsus auctoritatem ac proinde eandem originem divinam.

26. *Auctores profani* iudaeorum, ut Philo, Flavius losephus, testantur eandem persuasionem.

Sic *Philo* (natus a.c.30 ante Christum), inter alia, extollit Moysen et prophetas, ut divino numine afflatos, *«per quorum os Pater omnium oracula*

*edidit» 9*10. Atque propheta «quae inspirantur, loquitur, quasi alio insufflante. *Prophetae enim sunt interpretes Dei, qui eorum organis utitur ad manifestanda ea quae vult»* >°. Et Ieremias «valde inspiratus oraculum dixit, *ex persona Dei loquens...»* H.

Flavius Iosephus, inter alia, haec dicit: «... solummodo prophetis qui antiquissima et veterrima ex *inspiratione divina* cognita habuerint [licet historiam scribere] ... Itaque apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo, dissentientium atque inter se pugnantium: sed duo dumtaxat et viginti libri, totius temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini... Quanta porro veneratione libros nostros prosequamur, re ipsa apparet. Quum enim tot iam saecula effluxerint, nemo adhuc nec adiicere quicquam illis, nec demere, aut mutare aliquid est ausus. Sed omnibus iudaeis statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum atque innatum est, Dei ut haec esse praecepta [θεού δόγματα] credamus, iisdemque constanter adhaerescamus, et eorum causa, si opus fuerit, libenter mortem perferamus»12.

27. B. Christus et apostoli confirmant persuasionem tunc vigentem IUDAEORUM, qui credebant suos libros sacros ad Deum ut ad auctorem referri. ·

Haec testimonia possunt reduci ad tria capita, ex quibus *complexive* efficitur argumentum:

a) Illa testimonia tribuunt Scripturae *auctoritatem divinam, absolutam et infallibilem:* v.gr. Mt 5,18 *(Iota unum aut unus apex non praeteribit a Legq...);* Lc 24,44.46 *(Quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me... quoniam sic scriptum est, et sic oportebat...);* Io 5,39 *(Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere...);* Io 10,35 *(Non potest solvi Scriptura).*

Cf. Mt 4,4.7.10; Act 15,15; Rom 1,17... et sic in N.T. invenitur quasi modus absolutus loquendi, supremae auctoritatis et valoris, «Scriptura dicit» vel similis expressio circiter *centies et quinquagies... 13.*

b) Testimonia *tribuunt Deo vel Spiritui Sancto causalitatem Scripturae, creaturae vero instrumentalitatem.*

Ita S.Petrus, apostolus, cui primatus iam collatus fuerat, loquitur in medio fratrum (Act 1,16): ... *oportet impleri* Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David *de Iuda...*—Similiter Petrus et Ioannes, venientes ad suos in conventu Christianorum, provocant ut omnes unanimiter fatean-

9 *De fuga* § 36 n.97; cf. Pesch, n.14 P«i8.
10 *De monarchia* § 9; cf. Pesch, n.îS p.19.
11 *De cherubim* § 14 n.49; cf. Pesch, n.14 P· 18. In universum doctrinam *Philonis* de S.Scriptura exponit Pesch. n.13-18.
12 *Contra Apionem* 1.7s; *Opera Flavii Iosephi* (ed. F.Didot) 2,340s.
13 Pesch, *De inspiratione* n.383.

tur: *Domine... qui* Spiritu Sancto per os patris nostri David, pueri tui, dixisti... (Act 4,19-25), referentes verba psalmi 2 scripti a Davide 14.

Item S.Paulus (Hebr 3,7; 9,8; 10,15) referens ut dicta a Spiritu Sancto verba Scripturae.

De psalmo et dicto David (Ps 109,1) in Spiritu, cf. verbum Iesu in Mt 22, 43; Mc 12,36.

Sunt etiam alia dicta, quae immediate sonant inspirationem propheticam, et saltem analogice referri possunt ad inspirationem biblicam. Ita S.Petrus (Act 3,21): ... *quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo prophetarum* et sequentia verba ex Deut a Moyse.—S.Paulus (Act 28,25): Spiritus *Sanctus locutus est per Isaiamprophetam...*—Iterum S.Petrus (1 Petr 1, 11): Spiritus Christi significavit in prophetis... praenuntians eas quae in Christo sunt passiones...

c) Testimonia Iesu et apostolorum exhibent Scripturam ut *verbum Dei.*

Sic Deus perhibetur loquens hominibus temporis praesentis, cum res fuerit antea prolata (Mt 22,31): *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo* dicente vobis: *Ego sum Deus Abraham...*

Et dicta hagiographi dicuntur dicta Dei (Hebr 4,4); et vice versa dictum Dei dicitur dictum Scripturae (Rom 9,17; Gal 3,8).

28. C. Testimonia classica.

28. In sequentibus textibus apparet in Vg vox *inspirata, inspirati,* quae explicite factum inspirationis refert. Hinc huiusmodi textus frequentius adhibiti et *classici* dicti sunt. Cum autem sacram Scripturam adhibeamus nunc ut fontem historicum, oportebit ad fontem originarium, graecum, attendere; et inde demonstrationem petere, simul etiam concordantiam comprobare textus originalis cum sensu vocis latinae *inspirata.*

29. 2 Tim 3,16. S.Paulus, apostolus infallibilis, auctor epistolae 15, in vincula coniectus (2 Tim 2,9) et non multum ante mortem (2 Tim 4,6),

14 Etiam legendo in Act 4.25 duo διά, sc. *per* Spiritum Sanctum et *per* os David, *secundum* est *evidenter instrumentale, et* primum διά designaret pleonastice actionem causae principalis ad modum instrumenti vel *principii activi nobilioris.* Cf. Mc 12,36; Mt 22,43: David dixit in Spiritu Sancto.

15 D 2 Tim. sicut et de *1 Tim* et *Tit* (epistolae dictae *pastorales)* mota sunt dubia utrum S.Paulo tribuendae sint, et utrum integrae an partialiter. Aliqui hoc denegaverunt a) *propter diversitatem linguae et styli cum ceteris S.Pauli epistolis:* at novae voces et nova scribendi ratio facile vel novis adiunctis auctoris vel materiae tribui possunt. Simili modo solvi potest difficultas b) *quod epistolae pastorales non tam agant de fide promovenda in novas conversiones,* quam de fide iam acceptata conservanda: id enim diversis adiunctis temporis vel loci explicari potest. Item c) *dicunt tales epistolas supponere ecclesias monarchice constitutas:* at hoc est sane argumentum pro eo quod ecclesiae non democratice, sed monarchice regebantur, apprime consonans cum reliqua praxi Sancti Pauli; et haec ratio denegandi hisce epistolis authentiam paulinam tantum a priori cogitari poterat. Similiter difficultas obicitur dj ex *erroribus praesertim gnosticorum, qui in his epistolis describerentur quasi iam tunc serpentes* (1 Tim 1,4-8; 4,7; 6,20; 2 Tim 2,18; Tit 3,9): at errores gnostici, qui in his notantur et corriguntur, incipien-

hortatur Timotheum ul rite fungatur munere doctoris commisso, contra illos qui resistunt veritati, reprobos circa fidem (3,1-9); habet etiam Timotheus doctrinam ct exemplum Pauli (3,10-14) et insuper *sacras litteras (V.T.),* quas ab infantia (cum esset ex matre iudaea) Timotheus didicerat (3,15), quaeque utiles erunt...

V.i6. *Omnis scriptura divinitus inspirata* [πάσα γραφή θεόπνευστο] *utilis est...*

Vis argumenti est in verbo θεόπνευστο , quod sive sumatur ut appositum voci «scripturae» (omnis scriptura divinitus inspirata est utilis), sive sumatur ut attributum (omnis scriptura est divinitus inspirata), certe *denominat Scripturam ut terminum actionis Dei inspirantis.*

30. Etenim vox θεόπνευστο , licet ratione terminationis possit de se habere sensum activum (divinitus spirans), hic certe habet *sensum passivum* (divinitus inspirata) 16.

Nam *a)* non raro, immo saepe, talis terminatio adhibetur sensu passivo: θεόδοτο (datus a Deo), θεόγνωστο (notus a Deo)...

b) Ex traditione iudaica de libris sacris (cf. textus supra allegatos n.27, et Act 1,16; 4,25; 2 Petr 1,20) et ex Patribus immediatis (cf. n.33-40) constat Scripturam habitam fuisse apud iudaeos *ut terminum actionis divinae.* Ergo et hic intelligi ita debet: Scriptura est *divinitus insufflata,* divinitus inspirata.

31. Talis est autem Scriptura *in quantum scripta,* nam in tantum potest habere effectus qui sequuntur (utilis ad docendum, ad arguendum...) in *quantum legi potest.*

Potest interrogari quid sibi velit *omnis scriptura,* πάσα γραφή '7. Hic sine dubio designat *collectionem* librorum V.T., quos Timotheus didicerat ab

tes sunt et nondum attingunt vim quam habuerunt saeculo II; unde huiusmodi epistolae antiquiores multo sunt (cf. de his difficultatibus contra pastorales D 2174).

Ideo haec non destruunt *traditionem inde a primordiis Ecclesiae universaliter firmitefque perseverante, prout multimodis ecclesiastica monumenta vetusta testantur (D* 2172), quae tales epistolas tribuit Sancto Paulo (etsi fortasse scripsit ope secretarii). Cf. etiam *Fragmentum Muratarianum* R 268, lineis 60*62; et Gaechter, *Summa Introductionis in N.T.* n.49,264-269. Recenter P.de Ambroggi, *Questioni sull'origine delle epistole pastorali a Timoteo e a Tito:* ScuolCatt 79 (r951) 409-434·

16 Apud hellenistas profanos hoc vocabulum, quod in N.T. est *apax legomenon,* invenitur raro et adhibetur plerumque certo sensu passivo, aliquando dubio; cf. Pesch, *De inspiratione* n.4; Bea, *Notae historicae et dogmaticae* (1947) P·3· H.Cremer-Kögel *(Wôrterbuch der neutestamentlichen Grdzitdt*l ' (Gotha 191i) 492, similiter atque alii protestantes, vocem interpretantur: «mit Gottes Geist begabt, gôttlichen Geist atmend»; i.e. praeditus spiritu divino, spirans spiritum divinum. Sed argumenta ibidem proposita rem non evincunt neque nostra destruunt, unde facile apparet praeiudicium protestantium: sacram Scripturam dignosci eo quod *divina spiret.* Etiam apud Origenem, ibi citatum, «idcirco sacra volumina *Spiritus plenitudinem spirant»,* quia prophetae impleti sunt per actionem Dei, et «ex *plenitudine eius* [Dei] *accipientes prophetae,* ea quae erant de plenitudine sumpta cecinerunt» *(In 1er hom.* 21 n.2: MG 13.536). Ideo et quia libri divinitus inspirati sunt, *consequenter* vicissim divinum spirant.

17 Cf. Zorell, *Lexicon graecum N.T.*2 (1931) 265; Kittel, *Theologischcs* V/orterbuch 1,750-754·

infantia; et, cum dicatur *omnis* scriptura, ergo *non tantum liber aut unica sententia scripturistica.* Cum autem dicatur πάσα γραφή, sine articulo determinante, probabilius habet sensum indeterminatum, scilicet, distributivum: quidquid dicitur scriptura.

Ergo *factum inspirationis* constat omnino ex hoc textu, siquidem Scriptura affirmatur *terminus actionis divinae.* Cuius quidem actionis natura clarius ex sequentibus apparebit.

32. 2 Petr 1,20.21 [18]. S.Petrus, apostolus, auctor huius epistolae, hortatur ad fidem, eo quod ipse fuerit testis gloriae Domini in monte sancto (v.16-18), et insuper *propter sermonem propheticum* de Messia, i.e. propter prophetias complexive sumptas (v. 19). De hoc sermone prophetico, qui ceteroquin in tantum tunc cognosci poterat in *quantum scriptus manebat I9,* dicit interpretationem non fieri proprio marte:

V.20. *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae* [ea quae est in Scripturis] *propria interpretatione non fit* [res ergo dicenda valet directe *de Scriptura prophetica,* analogice vero de omni Scriptura; rationem affert S.Petrus in sequenti versu, ubi est argumentum theseos:]

V.21. Non *enim voluntate humana* [ergo voluntate divina] *allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati,* ὑπό •πνεύματο âγiou φερόμενοι [ducti, impulsi a Spiritu Sancto; ergo Spiritus Sanctus erat agens principale et principium activum] *locuti sunt a Deo homines,* ἐλάλησαυ από θεού ἀνθρωποι, [unde etiam apparet Deum esse originem locutionis hominum prophetarum].

Verum quidem est Vg habere: *locuti sunt sancti Dei homines,* sicut et aliqui codices graeci habent ἁγιοι 0eov; sed in hoc casu, iuxta criticam textualem, applicari debet principium *lectio difficilior praeferenda* 2°: nimis enim facile ex ΑΠΟ orta est lectio ΑΓΙΟΙ.

Ergo ex testimonio infallibili S.Petri, Spiritus Sanctus exhibetur, saltem quoad Scripturam propheticam, causa principalis et auctor Scripturae; homines vero instrumentum.

33. Probatur ex testimoniis Patrum. Hoc argumentum ex consensu Patrum *historice et pure apologetice* bonum

18 Pro commentario, cf. L.Pirot, *La Sainte Bible* 12 (1938) in hunc locum; W.Vrede. *Die heilige Schrift* 9 (Bonn 1932) 128s.

S.Petrum esse auctorem huius epistolae constat ex titulo illius, et eo quod auctor viderit Transfigurationem Domini (cf. 1 Petr 1,1; 1,16-18). Nullum dubium esse potest de origine petrina huius epistolae, etsi de ea non abundent testimonia explicita in primaeva traditione; quare inter libros deuterocanonicos numerata fuit (cf. *Historiam canonis,* infra n.57). Vide etiam, sis, Simôn-Prado, *Novum Testamentum 2* (1938) n-927s; L.Pirot, *La Sainte Bible 12* p.478.480.

19 Praeterea S.Petrus iam antea loquitur de prophetis *qua scriptoribus:* Act 1,16ss; 2, 25.30s; 4,25·

20 Cf. supra, normas pro critica textuali. *De revelatione* n.243.

est argumentum pro exsistentia inspirationis librorum sacrorum, siquidem ratio sufficiens huius consensus nequit esse alia nisi traditio certa apostolorum et divina revelatio. Sed etiam *dogmatice* omnino legitimum nunc est argumentum, atque adhibendum, siquidem iam constat consensum Patrum in stabilienda aliqua veritate ut ad fidem pertinente certum esse critérium divinae traditionis.

Patres testantur et aperte et metaphoris Deum esse auctorem principalem librorum sacrorum, scriptorem vero humanum fuisse instrumentum in manu Dei. Sic dicunt Scripturam «esse *oracula et eloquia divina, litteras esse humano generi longe a patria peregrinanti a Patre caelesti datas et per auctores sacros transmissas» 21.* Sic vocant auctorem humanum *lyram* vel *calamum in manu Dei,* vel *tabellarium afferentem litteras a Deo.* Atque haec ita *testantur ut pertinentia ad. fidem Ecclesiae.*

34. S.Clemens Romanus: «Inspexistis diligenter Scripturas, quae verae sunt et *datae per Spiritum Sanctum.* Non fugit vos nihil iriiustum neque perversum scriptum esse in illis» 222 3S.Iustinus: «Neque enim natura aut humani ingenii acie res tam magnae ac divinae cognosci ab hominibus possunt, sed eo quod tum in sanctos homines descendebat dono, quibus quidem nec verborum artificio opus fuit, nec pugnaciter quidquam et rixandi studio dicere, sed *puros se ipsos divini Spiritus operationi praebere, ut divinum illud delapsum e caelis plectrum, velut quodam citharae aut lyrae instrumento, ita iustis hominibus utens,* divinarum nobis et caelestium rerum cognitionem recluderet» 2}. Athenagoras sermonem facit directe de prophetis: «... testes habemus prophetas, qui *divino Spiritu afflati* de Deo ac rebus divinis pronuntiarunt. Atque id quidem ipsi quoque confirmabitis... alienum esse a ratione, ut Dei *Spiritui, qui prophetarum ora tamquam instrumenta pulsavit,* credere supersedentes, humanis opinionibus adhaerescamus» 24. Et iterum: «[Prophetae] *impellente Spiritu Sancto,* quae ipsis inspirabantur, ea sunt locuti, *utente illis Spiritu Sancto velut si tibiam inflet* tibicen» 2S.

35. S.Theophilus Antiochenus: «... in sacras scripturas incidi *sanctorum prophetarum, qui per Spiritum Dei* et praeterita eodem quo gesta sunt modo, et praesentia eodem quo geruntur praedixerunt, et futura eodem ordine quo perficientur...»26. «Moyses autem, qui multis annis ante Salomonem fuit, *vel potius Verbum Dei sic per eum veluti per instrumentum loquitur:* In principio creavit Deus caelum et terram» 27. «Consentaneae inveniuntur prophetarum et evangeliorum sententiae *propterea quod omnes uno Dei afflati Spiritu locuti sunt»28.*—S.Irenaeus: «... rectissime scientes quia scripturae *quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae» 29.*

21 Encyclica •Prmidentissimuss: EB 81 [66],
22 Ad Cor 1,45: R 22.
23 Cohort, ad graecos 8: R 149.
24 Legatio pro Christianis 7: R 162
23 Ibid., 9: R 163.
26 Ad. Autolycum 1,14: R 175.
27 Ibid., 2,10: R 179.
22 Ibid., 3,12: R 185.
25 Adversus haereses 2.28,2: R 203.

36. S.Hippolytus expresse affert rem *ut pertinentem ad fidem*. «[Haeretici] divinis scripturis audacter manus intulerunt, eas a se emendatas esse dicentes... Quantae porro audaciae sit eiusmodi facinus, ne ipsos quidem ignorare verisimile est. *Aut enim sacras scripturas a Sancto Spiritu dictatas esse non credunt, ac proinde infideles sunt;* aut semetipsos Spiritu Sancto sapientiores esse existimant...»30. Et alibi: «Nihil omnino mentitur scriptura, nec Spiritus Sanctus decipit servos suos prophetas, *per quos* placuit voluntatem Dei hominibus annuntiare»31. «Hi namque patres spiritu prophetiae aptati digneque ab ipso Verbo honorati, quo nimirum *velut organa in se ipsis semper unitum Verbum tamquam plectrum haberent,* cuius nutu atque afflatu, quae Deus vellet haec prophetae annuntiabant; non enim ex sua facultate loquebantur, ne erres, nec quae ex animo essent haec praedicabant» 32.

37. Clemens Alexandrinus: «Possem etiam alias tibi scripturas afferre paene innumerabiles, quarum ne apex quidem unus praeteribit, qui non perficiatur. *Os enim Domini, Spiritus Sanctus, ea est elocutus» 3334*Origenes: «Exquisitissima cura et studio *Spiritus Sanctus per ministros verbi ista subiecit,* ne unquam vobis latere posset ratio secundum quam divina sapientia omnem *scripturam divinitus datam* vel ad unam usque litterulam attigit...» M.

38. S.Cyrillus Ierosolymitanus cum velit catechumenis *dogmata praecipua* breviter exponere, meminit *de divinis scripturis* 35. Et ait: «Ista [dogmata] vero nos docent divinitus inspiratae Veteris et Novi Testamenti Scripturae...»36. S.Gregorius Nyssenus: «Divinitus inspirata scriptura (Ἡ θεόπνευστος γραφή), sicut ipsam divinus apostolus nominat, *Sancti Spiritus est scriptura...» 37.* S.Chrysostomus: «At ubi in malitiam magnam omne hominum genus prorupit, neque tunc sese totum ab hominum genere avertit Opifex omnium; sed quia sua familiaritate postea indigni facti fuerunt, iterum suam erga illos amicitiam innovare volens, *quasi longe absentibus litteras mittit, conciliaturus sibi universam hominum naturam. Et has quidem litteras dedit Deus, attulit autem Moyses»*38. Et alibi,

30 *Contra Artemonem;* Fragmentum apud Euseb., *Hist. eccles.* 5,28: R 400.
31 *In Dan* 4.6: R 390a.
32 *De Antichristo* 2: R 388.
33 *Protreptiru»* 9,82,1 : R 404.
34 *In Ps* ! n.4: R 483. Cf. *In 1er hom 21,2;* MG 13.536; R 488.
33 *Catech.* 4.3 33-37: MG 33.457 493».
33 *Catech.* 4,33: MG 33.493-496.
37 *Contra Eunomium* 7: R 1045 Et iterum alio in loco, ubi apparet Scripturam esse terminum actionis Dei in hagiographis, et sensus passivus vocis θεό-Γτνευστο : «... Numine afflati sancti vates virtute Spiritus Sancti inspirantur: et ideo omnis Scriptura divinitus inspirata (θεΟΙτνευστο$) dicitur, quia sit divinae inspirationis doctrina». *Contra Eunomium 7:* MG 45.744
38 *In Gen. hom. 2,2:* MG 53,28.

agendo de quodam loco epistolae ad Rom.: «... cum vero scribat Paulus, vel potius non Paulus, sed Spiritus gratia dictet epistolam ad integram civitatem ac tantum populum, et per illos orbi terrarum universo...» 39.

39. S. Ambrosius: «... et in scriptura divina θεόπνευστο omnis ex hoc dicitur, quod Deus inspiret quae' locutus est Spiritus»40. S. Hieronymus: «... Non adeo hebetis fuisse me cordis et tam crassae rusticitatis... ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverim, *aut non* divinitus inspiratum»41. S. Augustinus: «Et de illa civitate, unde peregrinamur, *litterae nobis venerunt; ipsae sunt scripturae* quae nos hortantur ut bene vivamus»42. Et iterum pulcherrime: «Cum illi [evangelistae] scripserunt quae ille [Christus] ostendit et dixit, nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit, quandoquidem *membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt.* Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, *hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit» 43.* Theodoretus: «Quid mea refert sive huius [Davidis] omnes, sive illorum [aliorum auctorum] aliqui sint, *cum constet divini Spiritus afflatu universos [psalmos] esse conscriptos?»44.*

40. S. Gregorius Magnus *fidem traditam* breviter exponit: «Quis haec [librum Iob] scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus *fideliter credatur.* Ipse igitur haec scripsit qui scribenda dictavit. Ipse scripsit qui et in illius opere inspirator exstitit, et per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit. Si magni cuiusdam viri susceptis epistulis legeremus verba, sed quo calamo fuissent scripta quaereremus, ridiculum profecto esset epistularum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint indagare...»45. Alibi vero: «Quid est autem Scriptura sacra, nisi *quaedam epistola omnipotentis Dei* ad creaturam suam?»46. Similiter S. Isidorus Hispalensis: «Hi sunt scriptores sacrorum librorum, divina inspiratione loquentes, atque ad eruditionem nostram praecepta caelestia dispensantes. *Auctor* autem earumdem Scripturarum *Spiritus Sanctus esse creditur»47.*

41. In praecedentibus ubi sermo apertius est *de prophetis,* nota vocem *prophetiae* saepe non restringi pro inspiratione ad loquendum, sed posse frequenter accipi pro omni inspiratione sive ad loquendum sive ad scribendum.

42. Obiectiones 48. 1. Libri sacri *potuerunt oriri Udem mediis prorsus naturalibus, quin Deusfuerit auctor per actionem supernaturalem.* Ergo hoc non

39 In 'Salutate Priscillam et Aquilam· (Rom 16,3), 1: MG 51,187.
40 De Spiritu Sancto 3,16,112: R 1286.
41 Epist. 27 (ad Marcellam) 1: R 1347.
42 In *Ps go,* 2,1: R 1479.
43 De consensu evangelistarum 1,35,54: R 1609. Cf. R 1766.
44 In *Pspraefat.:* R 2158.
45 Moral, praefat. 1,2: R 2302.
44 Epist. 1.4,31: ML 77,706.
47 De ecclesiasticis officiis 1,12,13: ML 83,750.
48 Aliqua in iis praeoccupantur ex doctrina postea tradenda, quae tamen hic commodius proponi ut obiectionea videbantur.

est asserendum, quia non sunt multiplicanda entia supernaturalia sine necessitate.

Dist. antec. Libri sacri potuerunt oriri iidem etiam cum charactere interno auctoritatis divinae, qui eis accedit ex eo quod Deus sit eorum auctor, *nego antec.;* potuerunt oriri *iidem in aspectu externo, subdist.:* semper, nego; aliquando, *trans.*

2. Atqui, etiam accedente libris sacris auctoritate divina, hi libri potuerunt oriri iidem solis mediis naturalibus. Prob. Ut auctoritas divina libris sacris accedat, *sufficit approbatio eorum divina consequens.* Atqui mera approbatio consequens non mutat ortum libri pure naturalem. Ergo etiam accedente libris auctoritate divina, libri sacri potuerunt oriri iidem solis mediis naturalibus.

Nego min. subsump. Ad probationem dist. mai. Sufficit approbatio librorum consequens ut eis auctoritas divina accedat *ratione infallibilitatis, conc. mai.;* ut eis auctoritas divina accedat *ratione scriptionis, eo* sensu quod Deus sit auctor librorum, nego mai. Conc. min. (cf. n.78-81). *Pariter dist. cons.*

3. Atqui per consequentem librorum approbationem potest eis accedere auctoritas divina eo sensu ut Deus sit eorum auctor. Prob. Sicut Pontifex approbans encyclicam compositam sive exaratam a theologo dicitur *auctor encyclicae,* etiam Deus approbans librum conscriptum ab homine dici potest *auctor libri.*

Nego min. subsump. Ad probat, nego *paritatem.* Pontifex approbans encyclicam compositam ab alio et suo nomine illam promulgans dicitur auctor encyclicae *ratione auctoritatis pontificiae* quam illud documentum induit; sed non *ratione scriptionis* illius, nisi theologus omnino dependenter ab eo, in sententiis, etc., scribendis illam exaraverit. Deus vero dicitur, ut probatum est, auctor librorum simpliciter et per antonomasiam; ergo et ratione scriptionis. Cf. n.81.

4. Libri possent dici habere Deum auctorem, si Deus tantum invigilaret eorum scriptionem pure naturalem, ne ingrederentur errores.

Nego. Mera assistentia, sicut *labor censorius ne errores misceantur,* non *faceret Deum auctorem. Cf. n.84.*

5. Historia originis aliquorum librorum sacrorum ostendit ortum eorum pure naturalem vel labore hagiographi (cf. Lc i.iss; 2 Mach 2,24-32) vel propter preces aliorum (cf. de origine Mc tractatum de *revelatione* n.279-282). Ergo saltem pro aliquibus libris non est asserenda origo eorum per actionem Dei supematuralem.

Dist. antec. Haec historia originis librorum ostendit laborem humanum instrumenti adhibiti a Deo vel occasionem compositionis librorum, *conc. antec.;* haec historia infirmat actionem Dei peculiarem circa hos libros, quae constat ex probatis, cum ostensum sit Deum esse eorum auctorem, nego antec.

6. *Inst.* Si preces humanae aliorum vere movent hagiographum ad scribendum, ut supponi potest in casu Marci, non est asserenda actio Dei peculiaris.

Resp. Et haec motio per preces hominum est tantum *ratio visibilis vel causa moralis humana* scriptionis, conc.; negatur ideo motio divina et influxus Dei in ipsam scriptionem, nego.

7. *Inst.* Iuxta aliquos non requiritur ut Deus immediate agat in voluntate hagiographi, sed potest uti talibus precibus hominis ut liber oriatur (cf. n.97). Ergo non est asserenda haec actio Dei supernaturalis.

Dist. antec. Iuxta aliquos sufficeret ut Deus uteretur illis precibus externis, quibus providentia sua sic obtineret motionem hagiographi et induceret illum ad scribendum, si Deus id tantum vult providentia sua ordinaria et voluntate ordinaria, *nego antec.* (tunc enim Deus non fieret auctor libri

sensu proprio, cum non minus esset auctor rerum quas sua providentia ordinaria gubernat et vult); iuxta aliquos illud sufficeret, si Deus haberet *voluntatem absolutam* ut illa motio hagiographi obtineretur, *conc. antec.* Cf. infra n.97. Et nota hanc esse opinionem aliquorum tantum: quia sic—dicunt Deus iam habet *peculiarem voluntatem* circa librum conscribendum. Sed insuper aliae actiones Dei supernaturales requiruntur ut Deus possit dici auctor librorum, ut infra dicemus.

8. Atqui non requiritur peculiaris actio Dei supernaturalis ut Deus dicatur auctor librorum. *Prob.* Sicut cum dicimus Deum iubere *per superiorem,* non requiritur peculiaris actio Dei supernaturalis, quia praeceptum dat superior et Deus extrinsece se habere potest; ita, cum dicimus Deum loqui *per os David vel per auctores sacros, non* requiritur peculiaris actio Dei supernaturalis.

Nego min. subsump. Ad probat, *nego paritatem.* In praeceptis superiorum praeceptum est proprie superioris qui illud fert (qui etiam de se inopportune iubere potest et non iuxta motionem divinam, sensu ampliore intellectam; ideo et Deus extrinsece ad illud praeceptum se habere potest); praeceptum dicitur esse Dei *morali quadam aestimatione,* quia Deus vult ut illud praeceptum (nisi sit peccaminosum) adimpleas. Sed cum dicimus Deum esse auctorem librorum id dicimus *sensu proprio,* ut documenta Scripturae et consensus traditionis testantur, nec tantum morali quadam aestimatione.

9. Spiritus Sanctus, vel Deus, dicitur loqui per *os* David (Act ı,ıóï 4,25...); S.Petrus loquitur de *sermone* prophetico et de *prophetia* Scripturae, et quod sancti *locuti sunt.* Ergo hi saltem textus probant de inspiratione *prophetica,* non de inspiratione biblica.

Resp. Etiamsi hi textus agerent tantum de inspiratione prophetica, analogice possent applicari ad inspirationem biblicam; haec enim inter se assimilantur, eo quod alia sit impulsus ad communicandum ore, alia vero ad communicandum scripto; sic inspiratio prophetica potest complere studium inspirationis biblicae. Sed etiam in illis textibus est sermo de inspiratione biblica, quia in tantum Spiritus Sanctus illud dixit per os David, in quantum David illud scripsit; atque in tantum S.Petrus appellare ad psalmos poterat et ad sermonem propheticum seu ad prophetiam *Scripturae,* in quantum psalmi et prophetiae *scripta* fuerant et manebant.

10. Patres sic aliquando loquuntur de inspiratione, ut eam sensu latissimo intelligent·9. EJrgo eorum testimonium nequit pro thesi afferri.

Dist. *cons.* Nequit eorum testimonium afferri, cum loquuntur sensu lato de inspiratione, *trans, cons.;* semper loquuntur hoc sensu lato, *nego cons.*

49 Ita v.gr. S.Augustinus, rescribens ad S.Hieronymum: «... haec tibi non tantum donante, uerum *etiam dictante Spiritu Sancto, ut* in magnis et laboriosis quaestionibus, non tamquam ludentem in campo Scripturarum, sed in montibus anhelantem adiuves» *(Epist.* 82,2: ML 33,276). Pariter Clemens Alexandrinus, loquens de iis quae a gentilibus *afflatu Dei scripta sunt fProtrepticus* 6: MG 8,180); et referens verba Platonis et Democriti dc inspiratione poetarum, etc. (Strom. 6,18: MG 9,400s).—G.Bardy, *L'inspiration des Pires dc l'Eglise:* RechScRel 40 (1952) 7-26, investigat qua ratione Patres habiti sunt ut inspirati.

11. Aliquando Patres loquuntur de scriptis per *Spiritum Sanctum,* quae evidentissime non sunt inspirata. Ergo eorum testimonium non est convincens. Prob. *antec.* S.Clemens Romanus, loquens de suis epistolis dicit: «Gaudium enim et laetitiam nobis praestabitis, si, oboedientes facti iis quae *scripsimus per Spiritum Sanctum,* resecetis illegitimum zeli vestri studium...»50.

Resp. S.Clemens, idem dic de aliis Patribus, non hic loquitur de scriptis per Spiritum Sanctum, quasi de auctore principali epistolae et sensu presso atque stricto; sed loquitur de scriptis per Spiritum Sanctum, ut sibi assistentem. Ergo ex toto contextu debet examinari modus quo actio Spiritus Sancti inducitur, tam hic quam in aliis Patribus.

12. Patres etiam citant interdum libros apocryphos, quasi libri essent inspirati. Ergo erraverunt in dando testimonio de libris inspiratis.

Dist. antec. Aliqui Patres erraverunt aliquando de aliquibus libris apocryphis, quasi libri essent inspirati, vel quoad libros aliquos particulares, *conc. antec. ex* historia canonis; Patres erraverunt in dando testimonio de facto generali inspirationis, de quo hic agimus, *nego antec.*

13. Testimonia adducta ex N.T., ex verbis Christi et apostolorum, probare tantum possunt inspirationem pro libris V.T.; quia ad scripta N.T. non alludunt, immo neque exsistebant cum Christus verba proferebat. Ergo non probatur inspiratio librorum N.T.

Nego suppositum. In hac thesi nolumus probare inspirationem librorum praecise N.T., nec tractamus quinam libri sint inspirati; probamus tantum *factum inspirationis.* Probatio pro singulis libris apparebit ex cognito criterio inspirationis; cf. n.43-55.

14. Deus non potest auctor dici saltem multarum sententiarum quae sunt in Scriptura (cf. n.120). Ergo Deus non potest dici auctor simpliciter, librorum Scripturae.

Nego antec. Deus enim potest et debet dici auctor omnium sententiarum quae sunt in Scriptura, ut suo loco demonstrabitur, n.106-127.

15. In libris sacris sunt dubia expressa, v.gr. Io 2,6: hydriae capientes metretas binas *vel* ternas; 1 Cor 1,16: *nescio si* quem vestrum baptizaverim... Atqui Deus nequit dubitare; omnia enim scit certo. Ergo Deus nequit esse auctor aliquarum sententiarum Scripturae.

Nego suppositum. Deus certe nequit dubitare, nec eius dubium exprimitur in praecedentibus; sed tantum Deus dicit loannem, Paulum dubitare vel coniectare... (cf. n.124,1.°).

16. Si Deus est auctor Scripturae, est etiam *auctor* siue inspirator et approbator *affectuum praesentium hagiographi,* qui exprimuntur in libro sacro. Atqui sunt sententiae quae exprimunt affectus praesentes moraliter malos, ut imprecationes (cf. Ps 108). Ergo Deus nequit esse auctor harum sententiarum.

Conc. mai. Nego min. Solutionem vide in n.124,3·°4.°; 125-127.

17. S.Paulus tribuit aliquam sententiam Scripturae non Domino sed sibi: Nam ceteris ego dico, non Dominus... (1 Cor 7,12). Ergo Dominus non est auctor omnium sententiarum Scripturae.

Resp. Etiam in hac sententia Dominus vere dicit *Paulum dicere...* Ceterum hic agitur de privilegio «paulino» promulgando immediate ab ipso Paulo; vel iuxta alios agitur de solutione matrimonii per potestatem mediate divinam et immediate apostolis et Ecclesiae concessam 51.30

30 1 Cor 63,2: R 29.
31 Cf. Noldin, *De Sacramentis* n.520.

ARTICULUS II

De criteriis inspirationis

43. Ubi iam constat exsistere *aliquos* libros inspiratos, qui scilicet Deum habent auctorem, quaestio se offert *quinam* libri tanto gaudeant privilegio et *quo criterio* possint dignosci.

Thesis 2. Critérium universale ad libros inspiratos dignoscendos, fide catholica credendos, est magisterium authenticum et traditionale Ecclesiae, innixum divinae de hac re revelationi.

Bea, *De Scripturae Sacrae inspiratione*2 n.99-125: Franzelin, *De divina Traditione et Scriptura*4 p.344-368; Pesch, *De inspiratione* n.583-635; Bainvel, *De Scriptura Sacra,* n.158-173; Dorsch, *De inspiratione*2 p.212-246; Mangenot, *Canon des livres saints:* DTC 2, 155S-1569.

44. Notiones. Critérium universale intelligitur nunc illud quod potest inservire pro *omnibus* libris inspiratis dignoscendis et pro omnibus generatim hominibus, ita ut hi certo valeant omnes libros inspiratos dignoscere. Contraponitur *criteriis particularibus,* quae possent inservire pro aliquibus libris (v.gr. testimonium sacrae Scripturae), vel pro aliquibus hominibus (v.gr. testimonium internum Spiritus Sancti).

Notandum est tale critérium universale quaeri, quod gignere valeat *fidem divinam et catholicam* qua inspiratio horum librorum credatur. Inspiratio enim librorum sacrorum et canonicorum est factum pertinens ad fidem divinam et catholicam (cf. thesim praecedentem n.19-23), quae divinam revelationem supponit.

Haec divina revelatio est *critérium mediatum et ultimum* ad libros inspiratos cognoscendos. Huic criterio innititur magisterium authenticum Ecclesiae dum transmittit acceptam traditionem: hoc magisterium authenticum et traditionale Ecclesiae constituit *critérium immediatum et proximum.*

45. Adversarii sunt *protestantes* qui, reiecta traditione Ecclesiae, ad alia criteria confugere cogebantur.

A) Sic *antiquiores* appellabant 1) ad *criteria potissimum interna,* ut Ioannes Gerhardus (t 1637) [*]

1 *Loci theologici 1,3* (ed. 1637 p.22); Bελ, η.1ο1.

2) ' vel ad munus propheticum et apostolicum auctoris, ut M.Chemnitius 2;

3) vel ad *testimonium ipsius sacrae Scripturae,* quam volunt unicum critérium veritatis revelatae;

4) vel desumebant *ex investigatione historica scientifica* in originem canonis;

5) vel recurrebant ad *internum Dei testimonium,* sic praesertim Calvinus 3.

6) Lutherus vult critérium desumi ex intensitate qua «Christus praedicatur', nimirum iuxta doctrinam ipsius de justificatione per solam fidem; et ideo, iuxta Lutherum, nequit dici inspirata epistola Iacobi, in qua dicitur: *fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa* (Iac 2,17)4.

B) *Protestantes posteriores* (orthodoxi scilicet, non liberales, qui hanc quaestionem non iam curant5) adiungunt ad *lumen internum, tamquam critérium principale,* alia criteria subsidiaria sive interna sive externa.

46. Doctrina Ecclesiae. Praxis Ecclesiae talis fuit ut iam ab initio sibi ius vindicaverit determinandi quinam libri sint inspirati; idque *a)* dum designabat libros legendos in conventibus ecclesiasticis, et *b)* in catalogis paulatim confectis ab auctoritate ecclesiastica de libris publice legendis et vulgandis: alii habebantur secreti sive «apocryphi».

Tandem Ecclesia progressa est ad definitiones dogmaticas de collectione sive canone librorum sacrorum. Sic reperimus *canonem* Damasi (Synodi Romanae) anno 382 (D 84); item *epistolam* S.Innocenth I *ad Exsuperium Episcopum Tolosanum* anno 405 (D 96; EB 21s [16s]); pariter *decretum* Gelash anno 495 (D 162; EB 26s [19s]); *decretum pro Iacobitis in Concilio Florentino* anno 1441 (D 706; EB47-49 [32-34]); *definitiones Concilii Tridentini (D* 784; EB 57-60 [42-45]) et *Concilii Vaticani* (D 1809; EB 77 [62]).

Confer etiam *Fragmentum Muratorianum* (EB 1-7; R 268); *Concilium Laodicenum* c.annum 360 (EB 11-13 [8-10]); *Concilium Hipponense* anno 393 (EB 16-20 [n-15]), *Concilium Carthaginense (III)* anni 397 (D 92) et anni 419 (EB 19 [14]).

Ecclesia vero id decidebat non praecise inquisitionem scien-

2 *Examen Concilii Tridentini* (Francof. ad Moen 1578) pars 1 p.38; Bea, n.101.

3 *Institutio religionis christianae* l.i c.6-8; Bea, n.101.

4 Cf. O.Scheel*, *Luthers Stellung zur hl.Schrift* (Tübingen 1902) 42-55: M.Metnertz, *Luthers Kritik atn Jacobusbriefe nach dem Urteil seiner Anhânger:* BiblZeitschr 3 (1905) 273-286; Bea, n.101.

5 Etenim hi liberales considerant libros inspiratos quatenus mere referunt conscientiam religiosam temporis primaevi.

tificam instituendo, sed traditionem maiorum consulendo, videlicet «quia a Patribus ita accepimus in Ecclesia legendum» (Concilium Hipponense: EB 20 [15])6.

47. Valor theologicus theseos deducitur ex hac doctrina et praxi Ecclesiae. Ex eo enim quod ipsa per se decidit libros legendos ut inspiratos, exercite dicit se esse critérium ad rem cognoscendam. Sed in nostra thesi volumus insuper ostendere hoc critérium esse *universale, sc. pro* omnibus hominibus et pro omnibus libris; atque etiam hoc critérium Magisterii inniti divino testimonio habito per revelationem. Thesis igitur, cum appareat tamquam conclusio ex praxi et ex definitionibus Ecclesiae de canone, est *saltem theologice certa.* Saltem, inquam, i.e. nisi, quis velit thesim implicite inveniri in ipsis definitionibus Ecclesiae de canone.

48. **Probatur** i.° reiciendo criteria proposita ab adversariis, ut insufficientia, i) *Characteres interni* ex indole libri (adesse in eo vaticinia, miracula, doctrinam sublimem...) etiam *possunt inveniri in aliis libris* (puta v.gr. in epistolis S.Ignatii) vel haberi per solam revelationem. Tales etiam characteres interni sublimiores possunt *deesse in libris inspiratis* vel difficilius in iis agnosci, v.gr. in epistola ad Philemonem (ut merito nunc—post tractatum de magisterio Ecclesiae, in praesenti tractatu dogmatico—inspirationem talis epistolae ex doctrina Ecclesiae affirmare licet).

Iudicia insuper de sublimitate alicuius libri sunt valde *subiectiva et indeterminata.*

49. 2) *Munus propheticum et apostolicum auctoris* non sufficit ad discernendum librum inspiratum canonicum. Nam *sunt scripta inspirata quae non sunt apostolorum* (Me, Lc, Act); et probabile est exstitisse epistolas apostolorum quae non habebant auctoritatem canonicam (cf. de epistolis deperditis: i Cor 5,9; et infra, n.56).

Si hoc critérium verum esset, prophetae vel apostoli semper ac scriberent de rebus religiosis fuissent inspirati. Iam vero, licet prophetae et apostoli in actu prophetandi vel praedicandi habuerint inspirationem *ad loquendum,* non ideo probatur eos habuisse semper inspirationem *ad scribendum,* vel eos non potuisse scribere de rebus religiosis quin fuissent inspirati.

6 De historia definitionis canonis in Tridentino, repetente quod in Florentino definitum fuerat, et non instituente per Patres novas inquisitiones scientificas, agit R.Criado, S.I., *El Concilio de Trento y las estudios biblicos:* RazFe 131 (1945) 151-17^.

50. N.B. *De apostolatu* ut *critérium inspirationis.* Quidam auctores catholici (ut Zarb, Lagrange 7) habent apostolatum ut critérium inspirationis.

Quaeritur quo sensu id admitti possit. Concedendum sane est libros inspiratos canonicos non *potuisse oriri post mortem apostolorum* (quia revelatio publica tunc iam clausa fuit, libri vero inspirati custodiae Ecclesiae traditi pertinent ad revelationem publicam). Concedendum etiam est *apostolos manifestasse quinam libri essent inspirati* (siquidem haec res revelata erat magni momenti); at apostoli, ut id scirent, opus habuerunt revelatione vel illustratione Spiritus Sancti: id quod tenet critérium in thesi statutum.

Quod si auctores primaevi interdum provocant ad originem apostolicam librorum sacrorum 8, id fit ex circumstantiis, ad probandam legitimam traditionem et auctoritatem horum librorum; non quod formalis ratio argumentandi in favorem chara cteris sacri librorum sit necessaria connexio inspirationis cum munere apostolico.

51. 3) *Testimonium sacrae Scripturae* circa factum inspirationis librorum pro aliquibus libris inservire potest, sed non est *critérium universale.*

Ex testimonio Christi et apostolorum constat *in genere de inspiratione Veteris Testamenti,* cum illud citant sub formula *scriptum est.* Sed non de omnibus libris V.T. habentur citationes in Novo, ut sic eorum inspiratio constet ex ipsa sacra Scriptura; neque iudaeorum sententiae de ambitu canonis erant satis clarae 9.

Ex testimonio Sancti Petri (2 Petr 3,15s) aequiparantur ceteris Scripturis *epistolae Sancti Pauli;* quin tamen inde constet quot sint hae epistolae vel quaenam.

De inspiratione Apocalypsis constat ex testimonio auctoris proferentis mandatum scribendi a Deo (1,11...), vocantis librum suum prophetiam, i.e. librum inspiratum (22,7.9s) et comminantis iram Dei omni qui ad verba huius prophetiae aliquid apposuerit vel diminuerit (22,18s); id quod non proportionate comminaretur auctor, si liber fuisset pure humanus.

52. 4) *Inquisitio scientifico-historica* in formationem canonis nequit esse critérium universale; eo quod non omnibus generatim hominibus, sed *paucis tantum excultis accessibile foret.*

7 S.M.Zarb, *De criteria inspirationis et canonicitatis SS.Librorum:* DivThom (Pi) 34 (1931) 147-186; M.-J.Lagrange, *Histoire ancienne du cdnon du Nouveau Testament* (Paris 1933) I7I-Î7S; item A.Durand. *Inspiration de la Bible:* DAFC 2,910s, et alii. Cf. de hac quaestione G.M.Perrella, *De apostolico et prophetico munere ut inspirationis et canonicitatis criteria, altero pro* N. *altero pro V.T.:* DivThom (Pi) 35 (1932) 49-61.145-176 (in p.si ampla recensio auctorum iuxta diversas opiniones); F.Ogara, S.I., Notae *quaedam praeviae et de apostolatu ut criteria inspirationis:* Greg t6 (1935) 5.77;58s; Bea, n.106.

8 V.gr. Tertullianus: «Constituimus imprimis evangelicum instrumentum apostolos auctores habere...»; *Adversus Marcionem* 4,2: R 339. Cf. *ibidem,* 4,5: R 341. Similiter *Fragmentum Muratorianum* lin.73-80 excludendo Pastorem Hermae: R 268. Etc.

9 Cf. quae postea dicemus in *Historia canonis* n.60-62. Adverte tamen etiam libros V.T. qui non afferuntur in Novo sub formula «scriptum est», et deuterocanonicos. fuisse traditos christianis ut inspiratas ab apostolis; siquidem erant in versione alexandrina, qua utebantur christiani. quamque apostoli nulla facta monitione tradiderant; cf. n.63.

Quin et ipsi protestantes concedunt hac via non perveniri ad plenam certitudinem. Fuerunt quidem libri non admissi in aliquibus regionibus (cf. postea historiam canonis n.57ss) qui tandem canonici habiti sunt ob decisionem Ecclesiae: ideo et quaestio redit cur Ecclesia talem habeat auctoritatem, et quo criterio certo et stabili utatur. Quodsi Ecclesia instituit inquisitionem historicam, id non facit mere sub aspectu scientifico, sed sub aspectu studii rei traditae.

5) *Testimonium internum Spiritus Sancti,* licet aliquando possit esse sufficiens habenti illud, sed *non est medium ordinarium;* et illusionibus subiectivis valde exponitur, ut constat ex discordiis reformatorum.

6) *Critérium Lutheri* gratuitum est, et falso supposito nititur, iustificationis scilicet per solam fidem.

53· 7) *Num possit sufficere testimonium ipsius hagiographi?* Adverte *a)* hanc esse quaestionem de iure, de possibilitate, et *nos attingere in hac thesi quaestionem de facto,* quodnam de facto sit critérium universale.

b) Adverte etiam *non necessario hagiographum habere conscientiam suae inspirationis* (cf. n.iois). Quod si habeat, *ipse* quidem certus erit; sed hoc non sufficit ut alii id certo admittant, praesertim quia illusio aut error in affirmanda propria inspiratione timeri posset. Deberet ad miraculum appellare, quod quidem esset critérium pro adstantibus, sed non pro universali Ecclesia et pro tempore futuro, nisi accederet traditio moraliter certa.

Sed neque tunc id solum, sub aspectu pure humano, sufficeret ad credendam inspirationem librorum *fide divina;* quia deberet constare de testimonio Dei circa hos libros, hoc autem testimonium haberetur *per revelationem* et nobis transmittendum esset per auctoritatem infallibilem. Unde tandem de facto requiritur magisterium traditionale et infallibile, transmittens revelationem Dei.

Sic concludimus nullum critérium ex propositis et ex possibilibus, quae occurrunt, et antea examinata sunt, posse sufficere ad credendam fide divina et catholica inspirationem librorum qui in canone continentur.

Ergo critérium universale ad cognoscendos fide divina et catholica libros inspiratos unice potest esse *testimonium formale Dei factum apostolis, et ab eis traditum Ecclesiae,* nobis autem propositum per magisterium authenticum Ecclesiae hanc traditionem conservans.

54. **Probatur 2.0** positive considerando ipsum factum inspirationis. Si inspiratio consideratur *active* in Deo, est aliqua actio Dei *supernaturalis,* quae proinde nequit cognosci ex studio pure naturali aut ex ordine mere naturali, sed opus est testimonio ipsius Dei. Hoc autem testimonium Dei non necessario apparet per miraculum, si *terminative* consideretur inspiratio in libro aut *passive* in hagiographo: quia ex solo examine libri et hagiographi non necessario apparet effectus supernaturalis. Ergo ut fides divina imponi posset, opus esset revelatione divina vel testimonio formali ipsius Dei.

Inspiratio igitur debuit innotescere formali revelatione divina; quae, ut esset publica et omnibus fidem divinam imponeret, debuit fieri per legatos Dei (lesum Christum, apostolos, Ecclesiam), debuitque conservari et explicari per authenticum et traditionale magisterium Ecclesiae.

55. **Probatur 3.°** ex doctrina Patrum cur aliqua scripta prae aliis habeantur inspirata: quia scilicet haec et tantum haec ad hunc usum tradita sunt.

Id sane eluxit in modo quo Patres examinabant authentiam evangeliorum (supra in *tractatu de Revelatione* I.2), recurrentes ad securas traditiones, ut illa admitterent legenda.

Atque in universum audiantur verba S.Cyrilli Ieroso-lymitani: «Harum [Scripturarum] lege libros XXII, nihilque cum apocryphis habeto commune. Eos solos studiose meditare et versa, quos etiam in ecclesia cum certa fiducia legimus; multo prudentiores et religiosiores te erant apostoli et veteres episcopi, ecclesia,e rectores qui eos tradidere...»10.11Pariter S.Augustinus: «Sane de apocryphis iste [adversarius] posuit testimonia quae sub nominibus apostolorum Andreae loannisque conscripta sunt. Quae si illorum essent, recepta essent ab ecclesia, quae ab illorum temporibus per episcoporum successiones certissimas usque ad nostra et deinceps tempora perseverat» H.

Vide etiam quae postea dicemus in *Historia canonis* (n.03ss), atque etiam auctores qui, ut Bea n.xi5-i2i, doctrinam hanc Patrum per diversas ecclesias exponuntI2.

10 Catecheses 4.35: R 819.

11 Contra adversarium Legis et Prophetarum 1,20,39: R 1896.

12 Cf. etiam, v.gr., Tertullianus, *De praescriptione* c.36: R 297; *Adversus Marcionem* 4.5: R 341; et S.Augustinus, *Contra epistolam Manichaei 5 6* (ubi habet illud celebre: «Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas»: R 1581): item *De doctrina christiana* 2,8,12: R 1584; *Contra Faustum Manichaeum* 33,6: R 1607.

56. Scholion. Num aliquis liber inspiratus perire potuerit 13. Res est obscura, atque in ea doctorum est dissensio; neque Ecclesia quidquam definivit.

Videtur dicendum: i) Si liber inspiratus non fuerit *canonicus,* i.e. custodiae Ecclesiae traditus: *probabiliter* perire potuit, quia probabile est exstitisse epistolas inspiratas deperditas, v.gr. aliam epistolam ad Corinthios, praeter i et 2 Cor, sicut S.Paulus ait: *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis* (i Cor 5,9); et etiam aliam ad Laodicensium ecclesiam, de qua S.Paulus ait ad Colossensses: ... *facite ut* [haec epistola] *et in Laodicensium Ecclesia legatur, et eam, quae Laodicensium est, vos legatis* (Coi 4,16).—Sed hoc *non est certum,* quia et auctores graeci negant exsistentiam tertiae epistolae ad Corinthios, et verba illa *Scripsi vobis in epistola...* referunt ad eandem epistolam, ad praecedentia (5,2) de incestuoso. Pariter epistola ad Laodicenses intelligitur ab aliis de aliqua ex nostris epistolis canonicis, quae vel scripta fuerit ex urbe Laodicea vel ad modum encyclicae legeretur et a Laodicensibus mittenda esset ad Colossenses, vel denique intelligi possit epistola scripta ab ipsis Laodicensibus.

2) *Si liber inspiratus fuerit traditus custodiae Ecclesiae,* ipsa exsistentia libri et veritates in eo contentae erant veritates pertinentes ad depositum revelationis; et, licet possint deperdi veritates minoris momenti (cogita numeros, chronologiam, nomina profana vel pure scientifica in V.T.) propter finem temporalem qui erat in earum revelatione (cf. n.121, obiect.23), at id difficilius admitti posse videtur de integro libro. Aliter tamen opinatur Franzelin 14.

13 Cf. Pesch, n.588-590; Bea, n.125.
14 *De Deo Trino* (1895) th.4 n.i p.37.

AR TIC UL US III

Summarium Historiae canonis

Cohaerenter cum crïteriis inspirationis tractatur de *canone* librorum sacrorum eiusque historia.

Io.Ruwet, *Instit. biblicae i* 1.2 (hunc auctorem in proxime disserendis praesertim sequemur); Cornely-Merk, *Introductionis Compendium* diss.i; Hoepfl-Gut, *Introductio generalis* pars 2 c.i; Prado, *Propedeutica* l.i c.2; E. Mangenot, *Canon des livres saints: DTC* 2, 1550-1605; brevius. Id., *Canon catholique des Saintes Ecritures:* DAFC 1.435-455; F.Vigou-Roux. *Canon des Ecritures:* DD 2,134-184; S.Zarb, O.P., *De historia canonis utriusque Testamenti*2 (Romae 1934).

57. Notiones. Canon idem valet ac *arundo, regula;* et sic sermo est, v.gr., de canone fidei, i.e. de regula fidei sive norma. Sensu derivato *canon librorum sacrorum* indicat collectionem librorum sacrorum sive catalogum eorum, quo determinatur vel regulatur quinam libri sunt Ecclesiae concrediti et regula inspiratae veritatis.

Libri protocanonici dicuntur illi de quorum canonicitate in nulla ecclesia est dubitatum; scilicet, *nunquam et nusquam* de iis est dubitatum. Secus dicuntur deuterocanonici; scilicet illi de quorum inspiratione *aliquando vel alicubi* est dubitatum.

Libri deuterocanonici sunt sequentes: in Vetere Testamento *Tobias, ludith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, i et 2 Machabaeorum,* fragmenta quaedam ex *Esther* (in Vg 10,4—16,24), item ex *Daniele* (3,24-90; 13; 14); in Novo Testamento epistolae sequentes: *Hebr, lac, 2 Petr, 2 et 3 Io, ludae, et* insuper *Apocalypsis.*

Libri apocryphi sunt illi, similes quidem libris inspiratis ob argumentum vel titulum, sed quos Ecclesia recipere noluit; ideo secreti manere debebant (apocryphi), non vulgandi aut non publicandi erant. Protestantes vocant hos libros *pseudepigraphos,* et nomen apocryphi reservant ad deuterocanonicos.

58. Praenotanda [1]. Si nunc volumus historiam conficere canonis christiani librorum sacrorum, non erit sane exspectandum ut iam Patres apostolici hanc vocem adhibeant «canonis», aut eiusdem explicitum conceptum exhibeant. Forma-

1 Cf. Gaechter, *Summa Introductionis in* N. T. n.42.

lis enim enumeratio libroru m sacrorum, sive canon, potius facta est postquam libri orti sunt qui erant de canone excludendi, vel errores de hac re propalari coeperunt. Sic mirum non erit quod aliquis haereticus, Marcion (c.annum 140), primum *expressum* canonem stabiliret, ad suum utique lubitum, cui postea ecclesiastica auctoritas proprium canonem opponere debuit (cf. tamen n.70).

Sic reperiemus, occasione dubitationum vel disputationum, *definitiones Ecclesiae* circa collectionem seu canonem librorum sacrorum, quas supra n 46 indicavimus.

Ecclesia vero in his definitionibus dandis non quidem declaravit sacros libros qui antea non fuissent tales, quasi aliquid innovando; sed *fidem iam antea traditam explicite declaravit.* Atque, sicut in universum de evolutione dogmatis dicitur, mutatio seu evolutio in tantum locum habuit, in quantum clarior cognitio successit minus clarae atque propositio explicita rei solemnius facta est.

Ad explicandas autem differentias et dubitationes de re in aliquibus ecclesiis particularibus animadverte talem fuisse structuram Ecclesiae universalis primis saeculis, ut non omnia sicuti hodie possent celeriter ab uno Pontifice Romano provideri ac gubernari. Insuper neque omnes libri N.T. eadem celeritate ubique sunt noti atque diffusi.

De canone Veteris Testamenti

59. A. Apud ludaeos. Catalogus librorum sacrorum V.T. non invenitur ante Christum; sed exstant indicia exstitisse collectiones authenticas eorum librorum qui agnoscebantur ut sacri.

Sic collectio quantum ad *Legem* indicatur Deut 31,9-13. 24; los 24,26; i Reg 10,25; 4 Reg 23>1'3; 2 Par 34>29-32; Neh 8,8s.

Quantum ad *scripta posteriora,* signa habentur curae iudaeorum colligendi et servandi libros, qui nunc efficiunt V.T., apud Prov 25,1; 2 Par 29,30; Dan 9,2; 2 Mach 2,13s; Eccli 47,1 is.17s; 49,13-15; et in prologo huius libri a nepote lesu filii Sirach.

Et huiusmodi quidem libri *aestimabantur ut libri sacri.* Quod et de *Lege* iam ab initio constat ex modo quo testimonia, supra de ea allata, loquuntur; similiter et de scriptis, quaecumque ea sunt, de quibus los 24,26 et l Reg 10,25 (cf. et Deut 34,9; i Reg 8,9s).

Idipsum merito admittitur de aliis libris, nominatim de *Prophetis* et *Psalmis* (cf. n.25 et Dan 9,2; postea de iis 2 Mach 2,13, collatum cum 1 Mach 12,9).

Ergo iam ante exsilium Babylonicum collectio erat librorum sacrorum.

60. Collectio facta tempore Esdrae et Nehemiae (canon esdrinus) fuit in usu in Palaestina; hinc canon Palaestinensis dicitur. Et hic canon postea, in concilio iudaeorum lamniae (c.annum 100 post Christum) habito, definitus et clausus est. Caret hic canon libris deuterocanonicis.

Nihil mirum si, ineunte aevo christiano, quidam iudaei aliquos tantummodo libros agnoscunt (protocanonicos). Sic *Flavius losephus* dicit esse apud illos «*duos dumtaxat et viginti libros,* totius temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini. Ex his *quinque* quidem sunt Moysis, qui et leges continent, et seriem rerum gestarum a conditu generis humani usque ad ipsius mortem... A Moysis autem morte ad imperium usque Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit apud Persas [i.e. usque ad tempora Esdrae], prophetae qui Moysi successere res sua aetate gestas *tredecim* libris complexi sunt; *quatuor* vero reliqui hymnos in Dei laudem et praecepta vitae hominum exhibent utilissima. Ceterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam sunt quidem singula litteris mandata; sed nequaquam tantam fidem et auctoritatem meruerunt, quantam superiores ii libri, propterea quod minus explorata fuit successio prophetarum...» 2.

61. In *Talmude babylonico* (saeculo II et III) enumeratio fit librorum sacrorum, quorum origo deducitur pariter usque ad tempora Esdrae 3.

Atque in *libro apocrypho (4 Esdr 14,42-47)* Esdras dicitur dictasse 94 libros (sic iuxta versiones orientales), e quibus novissimi 70 conservandi erant pro sapientibus; priores vero qui scripti fuerant—ergo 24 libri—in palam ponendi ut legerentur a dignis et indignis. Hi libri videntur esse libri 24 qui habentur in hebraicis editionibus sacrae Scripturae.

Ex praecedentibus *Elias Levita* (f 1549) et alii volunt canonem librorum canonicorum tempore Esdrae ab ipso Esdra (vel una cum sociis) absolutum et clausum fuisse. Sic quoque *protestantes orthodoxi,* unice admittentes hunc canonem palaes-

2 *Contra Apionem* 1,8: *Opera* (ed.Didot) 2.340s.
3 *Jn tractatu Baba Bathra Talm. bab.* (i4b-isa); *Instit. biblicae i6* 1.2 n.12.

tinensem; ratio autem videtur in eo poni quod deficientibus prophetis (cf. i Mach 4,46; 14-41) defuerit instrumentum divinae approbationis4.

62. Canon Alexandrinus. At vero alii huic canoni palaestinensi opponunt canonem alexandrinum efformatum per iudaeos alexandrinos; qui quidem canon alios libros sacros (deuterocanonicos) comprehendit.

Et merito: Non enim potest affirmari nullum librum inspiratum ortum fuisse post Esdram; nam aliqui agniti sunt non modo a iudaeis hellenistis seu alexandrinis et ab Ecclesia, sed etiam ab ipsis iudaeis palaestinensibus, qui aliquando agnoverunt ut canonicos *Baruch et fragmenta Danielis et Esther, l Machabaeorum, Ecclesiasticum, Sapientiam, Tobiam et Iudith.*

Neque ulla est ratio solida dubitandi tempore translationis LXX fuisse in canone *Baruch,* itemque tunc temporis iudaeos usos fuisse libris *Iudith et Tobiae.* Fragmenta quoque *Danielis* ab initio aderant in libro s.

De libris vero recentioribus *(Eccli, Sap, l et 2 Mach)* dubia exstitisse videntur, praesertim quod munus propheticum cessasse!. Sed non probabitur Deum non posse alia instrumenta, praeter prophetas, adhibere ad confirmationem dandam librorum inspiratorum.

Sic iudaei hellenistici, legentes sacram Scripturam in versione LXX, admiserunt deuterocanonicos simul cum protocanonicis, nulla facta distinctione auctoritatis; uti constat ex codicibus christianis graecis primaevis, qui referunt ea quae erant in codicibus iudaeis.

Ex his ergo omnibus *canon alexandrinus re* vera, etiam praescindendo ab aliis argumentis, *admittendus est.*

63. B. Apud christianos. 1) Apostoli certe appro' baverunt et tradiderunt christianis canonem librorum V.T., quos saepe citant sub formula *scriptum est.* Et licet *directe* id dici nequeat de libris deuterocanonicis, quia nunquam illos afferunt sub formula *scriptum est6;* at nullum est dubium eos *tradidisse* gentilibus ignaris litterarum hebraicarum, et ipsis iudaeis maiorem partem hellenistis, exemplaria alexandrina sacrae Scripturae quae continebant libros deuterocanonicos; ex alia parte citationes V.T. fiunt ab apostolis ex versione alexandrina maximam partem.

4 *Instit. biblicûe* i6 1.2 n.xj.
s Cf. *ibid.,* n.i7s.
6 Haec non allegatio non sufficit, ut patet, ad hos libros excludendos; quia neque alii libri ex protocanonicis allegantur ab cis, nec ideo dc eorum inspiratione est dubitatum.

Atqui apostoli debebant tradere et custodire incorruptum depositum fidei, etiam et maxime quoad libros sacros, nec ulla tamen facta est monitio de exclusione librorum deuterocanonicorum. Nec valet dicere apostolos, utpote palaestinenses, canonem palaestinensem fecisse suum; lectionem vero LXX effecisse ut omnes canonem alexandrinum sequerentur: etenim minime constat tempore apostolorum palaestinenses nullum librum deuterocanonicorum agnovisse (cf. supra n.62); neque id referebat quod Ecclesia disceret a iudaeis quinam essent libri sacri, sed ab ipso Christo Domino et ab apostolis directe.

64. 2) Testimonia saeculorum II et III 7. Per duo fere saecula priora non apparent dubia in Ecclesia circa inspirationem librorum deuterocanonicorum; quin et diserte iis usi sunt vel iis testimonium reddunt in ecclesia *romana* S.Clemens Pontifex, Hermas, S.Hippolytus; in ecclesia *gallica* S.Irenaeus; in ecclesia *africana occidentali* Tertullianus, S.Cyprianus; in ecclesia *orientali* S.Polycarpus et S.Athenagoras. Quod si S.Iustinus unum tantum alterumve testimonium desumit ex deuterocanonicis adverte eum disputare ad gentiles vel cum Tryphone iudaeo, quem vult admonitum se controversiam instituturum «de illis quae apud vos communi consensu admittuntur» 8.

In ecclesia *alexandrina,* praeter testimonia ex Clemente, abundantiora exstant ex Origene, viro eruditissimo, qui non modo deuterocanonicos ut inspiratos adhibet, sed etiam hexapla conscripsit et distinxit (cf. *De revelatione* n.204) «ut cum iudaeis disserentes, non proferamus ea quae in eorum exemplaribus desunt» 9. Hisce adde S.Gregorium Thaumaturgum, S.Methodium, S.Dionysium Alexandrinum.

Prima indicia dubiorum constant iam ex S.Melitone Sardensi (f ante 194-5) et ex Origene; et causae videntur esse in eo quod, cum iudaei negarent auctoritatem deuterocanonicorum, christiani hisce uti non poterant ut argumentis; unde, sparsis dubitationibus magis ac magis, factum est ut illos libros, de quorum inspiratione disceptabatur, aliqui non auderent inter canonicos recensere. Sic ipse Origenes 10 et S.Melito Sardensis11, qui aliquando tradiderunt canonem incompletum Veteris Testamenti.

7 Cf. *Instit. biblicae i*6 1.2 n.21-26.
8 *Adversus Tryphonem* 120: MG 6,756.
9 *Ad Africanum* 5: MG 11.60.
10 Cf. *Comment,* in Ps 1 (apud Eusebtum. *Hist, eccles.* 6,25: MG 20,580); *De oratione* 14: MG 11,461 C; περι ἀρχών 4.33·' MG ïï.407.
>> Apud Eusebium, *Hist, eccles.* 4,26: MG 20,396s.

65. 3) Testimonia saeculorum IV et V [12]. In his saeculis Patres sine dubio agnoscunt deuterocanonicos, cum illos citent sub formula *scriptum est,* vel ad probanda dogmata; licet quidam tradant catalogum incompletum. Sed nemo *certo et semper* negavit inspirationem deuterocanonicorum.

Ipsi protestantes concedunt quidem sententiam Patrum favere dogmati catholico; sed opponunt illos Patres argumenta sine diligentia selegisse. At falso id dicitur, cum notum sit Patres in re polemica magna cura agere debuisse. Atque de apocryphis, qui citantur, unus tantum alterve Pater eos fere omnes tamquam inspiratos habuit; paucos vero explicite plures Patres, ut 3 Esdrae. Se nunquam in omnibus ecclesiis consensu universali.

S.Hieronymus, post annum 389, *privata* quidem sententia negavit inspirationem deuterocanonicorum; sed agnovit Ecclesiam occidentalem favere huic sententiae [13].

66. 4) Testimonia mediae aetatis [14]. Medio aevo in Oriente dubia evanescunt. Atque in Occidente usque ad saeculum X nemo, praeter Iunilium Africanum (c. annum 550), discessit a canone integro promulgato in *Concilio Carthaginensi IV* et a *Romanis Pontificibus.*

Non fuerunt ignota, praesertim post renascendam litterarum in aevo carolino, dubia antiqua et sententia S.Hieronymi; sed paucos movit talis auctoritas ut deflecterent a recto tramite. *Concilium vero Florentinum* (a. 1441) sancivit doctrinam communem. Unde mira est contraria sententia S.Antonini († 1459) [15] et Caietani († 1534) [16,17] redeuntium ad sententiam S.Hieronymi.

67. 5) A saeculo XVI ad nostra tempora [18]. Pseudoreformatores saeculi XVI, reicientes auctoritatem Ecclesiae, etiam a fide de canone Scripturarum recesserunt. Carlostadius (a. 1520) volebat canonem palaestinensem [18]. Lutherus criterio

12 Cf. *Instit. biblicae* [16] 1.2 n.27-32.

13 Ita in Praefatione in libros Samuel: «Hic prologus Scripturarum, quasi galeatum principium omnibus libris quos de Hebraeo vertimus in Latinum, convenire potest: ut scire valeamus quidquid extra hoe est, inter *apocrypha* esse ponendum»: ML 28.600-602. Cf. etiam *Praef. in Esdram:* ML 28,1472; *Praef. in libros Salomonis:* ML 28.1307s. Unde magnum influxum exercuit in S.Hieronymum. ut videtur, eius commoratio in Palaestina et quod aliqua non reperirentur in codicibus Hebraeis. Scribit tamen in *Epist. ad Principiam* (anno 396): «Ruth et Esther et *luditn* tantae gloriae sunt, ut *sacris* voluminibus nomina indiderint»: ML 22,623.

14 Cf. *Instit. biblicae 16* 1.2 n.33s.

15 Chron. 1,3,5.9; *Summ. Thenlog.* 3,18,6: cf. *Instit. biblicae* 16 1.2 n.34.

16 *In omnes libros Script, comment.* 2 (Lugduni 1639) 400; cf. *Instit. biblicae* [16] *1.2* n.34.

17 Cf. *Instit. biblicae* [16] I.2 n.35-38.

18 In suo libello *De canonicis Scripturis.*

suo subiectivo, sc. examinando libros utrum in ipsis praedicaretur doctrina de iustificatione per fidem in Iesum, tendebat ad excludendos deuterocanonicos (excepto fortasse i Mach), sed etiam Esther, Par, Eccl, ex protocanonicis; in sua autem *versions* germanica (a. 1534) deuterocanonicos, separatos a ceteris, vertit cum titulo «apocrypha».

Concilium Tridentinum in ipso limine (8 februarii ad 8 aprilis 1546) statuit quaenam essent Scripturae canonicae, recipiendo canonem Concilii Florentini, nec controversia fuit de rescindendis deuterocanonicis; quin et pari pietatis affectu receperunt Patres omnes libros nullo facto inter eos discrimine auctoritatis (D 783s) 19.

Ideo perperam B.Lamy (f 1715), et Io.Iahn (f 1816), et A.Loisy (1890) conati sunt distinguere in libris sacris varium gradum auctoritatis.

Concilium Vaticanum renovavit decretum Tridentini (D 1809).

Inter *protestantes,* post rationalismum, reiecta inspiratione supernatural!, canon V.T. iam non habet nisi sensum alicuius collectionis fortuitae vel litteraturae nationalis hebraicae.

Apud *graecos orthodoxos* invaluit sententia veterum protestandum de non admittendis deuterocanonicis.

De canone Novi Testamenti[20]

68. Processus collectionis librorum inspiratorum N.T. brevi finitus est pro libris plerisque, cum satis constaret ex traditione apostolica eorum origo divina, v.gr. de quatuor evangeliis. De aliis libris dubia fuerunt in nonnullis ecclesiis, donec ad finem saeculi IV in tota fere Ecclesia evanuerunt. Sed nihil mirum quod scripta N.T., ad ecclesias particulares directa, non statim collectione completa ubique servata sint.

Sunt initia huiusmodi collectionum quoad *epistolas S.Pauli* id quod refert S.Petrus in 2 Petr 3,15s. Quoad *evangelium Lc,* habitum fuisse ut inspiratum, probabiliter eruitur ex 1 Tim 5,18 ubi pariter citantur Deut 25,4 et Lc 10,7 sub formula *dicit Scriptura.*

n> Cf. R.Criado, S.I., *El Concilio de Trentu y lus estudios biblicos:* RazFe 131 (1945) 153-172. De deuterocanonicis in Concilio Tridentino cf. etiam P.G.Duncker, O.P., *De .singulis S.Scripturae libris controversis in Concilio Tridentino:* Studia Anselmiana 27-28 (Romae 1951) 66-93.

20 Praeter auctores supra in bibliographia totius articuli laudatos, cf. M.-J.Lagrange, *Histoire ancienne du canon du Nouveau Testament* (Paris 1933): et ex acatholicis Theodor Zahn, *Geschichte des neutestamentlichcn Kanons 2* vol. (Erlangen 1888-1890); eiusdem auctoris *Forschungcn zur Geschichte des ncutestamentlichen Kanons* 10 vol. ab anno 1881.

69. 1) Testimonia saeculorum ï et II. In his saeculis non ex catalogo explicito colligendi sunt libri qui habiti sunt inspirati, sed implicite ex citationibus auctorum; et hoc, licet nomen auctoris sacri taceatur aut verba non perfecte congruant cum textu sacro (sic v.gr. apud S.Irenaeum, qui certo utebatur scriptis N.T.). Res enim potius memoriter narrabant hi scriptores, quam ex libro exscribebant 21.

Ex scriptis S.Clementis, S.Ignatii, S.Polycarpi... et PP.Apostolicorum, saeculi I exeuntis et II ineuntis, constat exstitisse scripta N.T. fere omnia, et *maxima reverentia habita fuisse 2223*

Immo *sunt testimonia explicita de inspiratione:* S.Clemens Romanus dicit S.Paulum -πνευματικώ dedisse epistolam ad Corinthios *2}; Epistola Barnabae* citat Mt 22,14 sub formula sicut *scriptum est 24;* S.Ignatius pluries evangelia aequiparat Legi et Prophetis 25. Saepius autem V.T. citatur sub formula *sicut scriptum est;* id quod mirum videri non debet ob consuetudinem tunc vigentem.

Post medium saeculum II: S.Iustinus novit *apostolorum commentaria, quae vocantur evangelia,* quae sine dubio sunt quatuor evangelia nostra e quibus eius discipulus Tatianus scripsit Diatessaron; et dicit in conventibus Christianorum legi *commentaria apostolorum aut scripta prophetarum 26,* aequiparando illa hisce libris sacris. Novit praeterea Apocalypsim quam *prophetavit* S.Ioannes 27; novit quoque omnes epistolas, praeter Philem, 2 et 3 Io, ludae. S.Theophilus Antiochenus novit etiam aliquos libros *ut inspiratos,* uti expresse constat.

70. *Ipsi haeretici* citabant aliquos libros N.T. ut scripturas.

Marcion reiecit quidem V.T.; et, iuxta accusationem catholicorum, ex evangeliis quatuor recepit unum Lc; ex epistolis vero S.Pauli decem sibi selegit. Occasione autem Marcionis et haeresium gnosticarum potest dici maior cura fuisse in canone explicite determinando; sed canon iam exsistebat, licet implicite; nec Marcion primus fuit in illo efformando; neque fieri potuit ut ipsa Ecclesia eos libros ab haereticis probatos recepisset in canonem, si ipsa illos non probasset.

Etenim S.Irenaeus omnes fere libros N.T. ut inspiratos

21 Ab his autem citationibus parum exactis distingue *agrapha,* v.gr. in Act 20,35, quae per traditionem oralem noscebantur.

22 Vide Funk, *Patres apostolici* 1, ad indicem finalem locorum S.Scripturae.

23 *Epist. ad Cor* 47,3: Funk 1,160.

24 *Epist. Barnabae* 4,14: Funk 1,48.

25 *Ad Smyrnaeos* 7,2; *Ad Philadel.* 8s: Funk 1,282.270.272.

26 *Apolog.* 1,67: R 129.

27 *Contra Tryphonem* 81: MG 6,669·

refert, appellando ad traditionem apostolorum. Eodem modo ad traditionem appellant Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus... Quare Marcion suum fecit canonem ex canone iam exstante in Ecclesia.

71. 2) Testimonia a saeculo II exeunte ad saeculum IV. In hoc tempore inveniuntur clara testimonia in omnibus ecclesiis maioribus. Canon in *Fragmento Muratoriano* (ante annum 180) recenset Evangelia, Act, Epist.Pauli (excep.Hebr), Apoc, i et 2 Io, Epist.ludae inter libros sacros *publice legendos* in ecclesia 28.

In Gallia S.Irenaeus, in Africa occidentali Tertullianus et S.Cyprianus testimonia pariter pluribus libris reddunt.

Alexandriae canon N.T. invenitur integer. Clemens Alexandrinus, ex dicto Eusebii Caesariensis, «in libris *Hypotyposeon,* omnium... utriusque Testamenti Scripturarum compendiosam instituit enarrationem, ne illis quidem praetermissis de quibus ambigitur» 29. Origenes omnia scripta N.T. habuit ut inspirata, connumerando pariter omnes epistolas catholicas cum aliis scriptis N.T. 30; unde ipse spernit dubia quae novit.

Eusebius (t 340) distinguit libros canonicos ab omnibus receptos ab iis de quibus controvertitur (lac, ludae, 2 Petr, 2 et 3 Io), qui «a plurimis' tamen genuini habentur»; de Apocalypsi haeret dubius utrum inter spurios an inter canonicos sit habendus 31.

Quantum ad *libros apocryphos,* quidam (ut *Pastor)* sunt habiti ut inspirati apud aliquos scriptores atque etiam in aliqua ecclesia particulari per certum temporis spatium; sed non in universa Ecclesia, et post saeculum IV fere a nemine.

72. 3) A saeculo IV ad nostra tempora. *Usque ad saeculum VI:* In Occidente, aucto commercio cum Oriente, epistolae ad Hebr, 2 Petr, et ludae, quae ante saeculum IV videbantur ignorari, notae factae sunt et in canonem admissae; et 2 et 3 Io quae raro citabantur, probabiliter propter brevitatem, distinctius in catalogis sunt designatae. In Oriente diversae ecclesiae sunt distinguendae, quo tandem gradu libri deuterocanonici fuerint admissi 32.

Media aetate: plures scriptores graeci repetunt antiquos canones, ideoque omittunt Apocalypsim. «Latini vero scriptores

2 8 R 268.
29 Hist. *eccles.* 6,14: MG 20,549.
30 In lesu Nave homil. 7.1 : R 538.
31 Hist, eccles. 3,25: MG 20,268-272.
32 Instit. biblicae 16 1.2 n.59.

qui dubia recensuerunt praesertim de epistolis catholicis minoribus, ex operibus Sancti Hieronymi illa hauserunt; nemo tamen propterea ullum N.T. scriptum e canone eiecit vel minoris dixit esse auctoritatis...» 33.

Et mira est sententia Caietani qui, male interpretatus S.Hieronymum (quasi hic dubia quae recenset sua ipse faceret), docuit epistolas Hebr, lac, 2 et 3 Io, ludae, dubias esse quoad auctores minorisve auctoritatis, adeo ut hisce «non possit, si quod dubium in fide acciderit, determinari». Similiter de Mc 16,9-20 (etsi Caietanus id habet ut genuinum) non esse «solidae authoritatis ad firmandam fidem, sicut sunt reliqua Marci indubitata»34.

73. *Tempore Concilii Tridentini35.* Primi reformatores utendo falsis criteriis, de quibus supra n.45, non consentiebant inter se de canone N.T.

Inter catholicos, ob rationes litterarias, duce Erasmo, dubia mota sunt de aliquibus libris vel pericopis, quod deessent in aliquibus codicibus. Sed Concilium Tridentinum, propositis dubiis de Hebr, lac, 2 Io, Apoc, et praesertim de pericopis evangeliorum de quibus disceptabatur, omnes libros in suo decreto recensitos cum omnibus suis partibus dicit esse pro sacris et canonicis suscipiendos (D 784; EB 60 [45]).

74. *Post Concilium Tridentinum36.* Inter protestantes J.S.Semler (f 1791), et J.D.Michaelis (1791) dubia moverunt iam pristina de aliquibus libris. Sed, exorto rationalismo, tendentia fuit negandi authentiam librorum N.T. et revocandi illos ad finem saeculi II. Sic apud tales protestantes canon est nomen sine re, et idem valet ac «primitiva litteratura christiana».

Inter catholicos iam non sunt controversiae de ambitu canonis; atque Vaticanum renovavit decretum Tridentini (D 1787; EB 77 [62]). Tantum recenti tempore disputatum fuit de authentia auctoris alicuius libri (Hebr, 2 Petr) vel partis, v.gr. de pericopa adulterae (Io 7,53—8,11) utrum esset loannis.

33 *Instit. biblicae* 6 1.2 p.6o.
34 *Ibid.*
35 *Instit. biblicae* 6 1.2 n.61-63.
36 *Instit. biblicae* 6 1.2 n.64.

ARTICULUS IV

De natura inspirationis

Franzelin, *De divina Traditione et Scriptura4,* de divinis Scripturis thesis 3s P.3Î6-343; Pesch, *De inspiratione* l.2 c.2; Bea, *De inspiratione* n.33-65; Hoepfl-Gut, *Introductio generalis* n.59-93; Troxip, *De inspiratione5* sectio altera; E.Mangenot, *Inspiration de l'Ecriture:* DTÇ 7.2098-2177; A.Durand. *Inspiration de la Bibtc:* DAFC 2,897-906; H.Lusseau, *Essai sur la nature de l'inspiration scripturaire* (Paris 1930).

75. Postquam constat factum de inspiratione, Deum scilicet esse auctorem librorum sacrorum, et cognoscitur quinam libri revera sunt tales (art.I-III), ipsa natura inspirationis venit iam intimius perquirenda.

De inspiratione vero potissimum agitur *prout recipitur in homine;* cum de inspiratione prout est in Deo illud dici valeat quod de natura actionum Dei *ad extra* dicere possumus (cf. *De revelatione* n.48).

76. Inspiratio est charisma extraordinarium, a) *Est sane charisma:* nimirum *donum supernaturale* gratiae [quod proinde nemo exigere aut mereri potest] pertinens ad ordinem *gratiae gratis datae,* quae scilicet pro bono communitatis primario datur.

bj Et quidem charisma *extraordinarium:* 1) quia se habet non ut habitus permanens, sed per modum actus; non enim *semper datur,* ut constat ex historia. 2) *Requirit etiam specialem motionem a Deo;* solo enim concursu Dei naturali vel ordinario adiutorio gratiarum scriptor humanus remaneret auctor principalis libri nec Deus esset auctor per antonomasiam.

c) Hoc charisma *reducitur ad donum propheticum;* siquidem per prophetas Deus loquitur ad homines. Diversitas a prophetia habetur ex parte termini (scriptio, non locutio); et praeterea quia ad prophetandum stricte, seu ad loquendum nomine Dei, requiritur *revelatio;* ad inspirationem autem non requiritur, ut ex infra *dicendis* patebit.

77. In sequentibus ita agemus, ut primum reiciamus falsas explicationes de natura inspirationis, quae peccant *per defectum;* dein proponamus *veram explicationem de illa de eiusque constitutivis;* ex quo tandem apparebit falsitas illarum explicationum quae peccant *per excessum,* illae nimirum quae requirunt exstasim vel revelationem vel conscientiam inspirationis.

Falsae explicationes per defectum

Thesis 3. Inspiratio librorum sacrorum non est explicanda per consequentem eorum approbationem (I), «nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant» (II).

Pars prima

78. Adversarii sunt defensores systematis *approbationis consequentis:*

P.Leopardus Lessius, S.I. (1554-1623), professor Lovaniensis, admisit *possibilitatem* (non factam) ut liber aliquis *humana industria scriptus,* efficiatur scriptura sacra, si Spiritus Sanctus postea publice testetur nihil in eo esse falsum; intelligit tamen, si liber scribatur *ex instinctu divino.*

En eius verba: «...si aliquod opus pium et salutare, humana industria ex divino instinctu compositum, publico testimonio Spiritus Sancti approbaretur tamquam in omnibus suis partibus verissimum; tale opus habiturum auctoritatem aeque infallibilem atque Scriptura sacra, et recte Scripturam sacram et verbum Dei appellatum iri. Nam eiusdem est auctoritatis epistola a rege dictata et ab eo subscripta. Qui modus, etsi de facto putem eum non inveniri in aliquo Scripturae canonicae libro, non tamen est impossibilis» 1.

Iac.Bonfrere, S.I. (1573-1642), professor Duacensis in Belgio, docuit tribus modis posse concipi Spiritum Sanctum cum sacris scriptoribus sese habere, «antecedenter videlicet,-concomitanter et consequenter; qui omnes tres modi videntur sufficere, ut aliquid sit Scriptura sacra et verbum Dèi». Postea vero explicat quid intelligat per modum consequentem: *«Consequenter* se habere posset Spiritus Sanctus, si quid humano spiritu absque Spiritus Sancti ope, directione, assistentia, a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen Spiritus Sanctus testaretur omnia quae in eo scripta essent vera esse... Hoc tertio modo etsi non existimem Spiritum Sanctum aliquando usum in iis quos habemus sacrae Scripturae libris, absolute tamen nihil vetat uti, vel etiam aliquando usum...» 2.

1 Apud G.Schneemann, S.I.. *Controversiarum de diyinae gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus* (Friburgi B. 1881) 466s. Ulteriora de his circa mentem Lessii et modum eum interpretandi edidit et disputavit J.Kleutgen, *ibid.,* 469-473.478SS. Cf. etiam CL 7,140s; et recentius S.Pagano, *Evolution de la troisième proposition de Lessius sur l'inspiration dans la controverse de Louvain* (1587-1588): Rev. Univer. d'Ottawa 22 (1952) 129-·150·; J.de Frajne, SX, *Less:us'Leer over de Inspiratie der h. Schrift:* Bijdragen 15 (1954) 256-271.

2 *In totam Scripturam Sacram praeloquia* c.8 s.1.7: Migne, Cursus *Scripturae* 1,109.114.

Attingit proinde quaestionem iuris seu de possibilitate, non quaestionem de facto.

Daniel Haneberg († 1876), professor Monacensis *(Munich)* ad medium saeculum XIX, aliter dicit: attingit quaestionem de facto, et affirmavit sufficere ad inspirationem approbationem consequentem quoad relationes vel libros empirico-historicos; sic Ecclesia illos approbavit recipiendo eos in canonem 3. Reicitur in Vaticano, et postea retractavit sententiam4.

79. Doctrina Ecclesiae contra hanc theoriam invenitur expresse *in Concilio Vaticano* (D 1787), siquidem Concilium requirit ad inspirationem positivum Dei influxum inspirantis et facientis librum, et dicit non sufficere meram approbationem *Ecclesiae.* Sed declaratio non ferit directe doctrinam Lessii et Bonfrerii, quaestionem iuris attingentem 5 et loquentem de approbatione Spiritus Sancti; consequenter tamen ipsa doctrina Lessii et Bonfrerii nequit sustineri.

Valor theologicus theseos facile derivatur ex hac declaratione Concilii ut *doctrina catholica;* verba enim Concilii Vaticani spectant immediate ad approbationem *Ecclesiae,* verba autem theseos habent tenorem generaliorem.

80. Probatio. Sola approbatio consequens non facit ut aliquis sit auctor simpliciter sive scriptor alicuius libri; sicut si episcopus approbat aliquem librum, non ideo est eius auctor. Unde Deus non esset tunc auctor sive scriptor librorum sacrorum: libri haberent quidem auctoritatem divinam, sed non originem divinam.

81. Dices 1): Encyclica vel litterae pastorales a theologo conscriptae, vel instrumentum conscriptum a notario, fiunt respective verbum pontificis vel episcopi vel regis post subsequentem approbationem, et omnes ita illa habent et ita dicunt.

Resp. Adverte talia documenta eatenus fieri verbum Papae vel episcopi vel regis, quatenus induunt *auctoritatem* pontificiam, episcopalem vel regiam, *non autem sub ratione scriptionis,* quae est in quaestione; ad hoc enim requiritur ut illa documenta iussu pontificis, episcopi vel regis scribantur et *cum plena dependentia ab eorum directione.*

3 *Versuch einer Geschichte der biblischcn Offenbarung* (Regensburg 1850) 714; Pesch, *De inspiratione* n.326; Bea, n.17 p.20.

4 In 4.· editione eiusdem operis (1876): cf. Pesch, *ibid.;* Bea, *ibid.*

5 Cf. verba Rdnii.Gasser, relatoris in Concilio Vaticano: CL 7,140s, de doctrina Lessiiet Lovaniensium.

Dices 2): Etiam verba pure humana, dicta Arati et Epimenidis (Act 17,28: *ipsius enim et genus sumus;* Tit 1,12: *Cretenses semper mendaces),* facta sunt verba Dei per approbationem consequentem Dei, quae fit ab hagiographis. *Resp.* Illa verba post approbationem hagiographorum facta sunt dicta Dei *per modum citationis* et qua citationes; sed *manent verba hominum.* Post approbationem sunt quidem infallibiliter vera et Deus id testatur; sed non ideo fuerunt dicta a Deo (cf. n. 106,4; I23s).

Pars secunda

82. Adversarii sunt defensores systematis *merae assistentiae.*

Io Hannes Jahn, professor Vindobonensis (t 1816), docuit inspirationem consistere in assistentia divina qua errores in scriptione arcerentur *(inspiratio concomitans);* ideo et vocem «inspirationis», cum significet influxum positivum, non bene indicare hoc officium mere negativum in hac divina assistentia 6.

Richardus Simon (1638-1712) ponebat inspirationem in «directione» Spiritus Sancti, ne scriptores sacri inciderent in errores. Non tamen clare explicat in quo consistat illa directio 7.

83. Doctrina Ecclesiae. Verba theseos desumuntur ex Concilio Vaticano (D 1787), ubi reicitur doctrina lo.Jahn, dum ratio affertur cur Ecclesia libros habeat pro sacris et canonicis.

Valor theologicus theseos constat ex hoc, *saltem ut doctrina catholica;* saltem, inquam, quia facile explicitam definitionem Ecclesiae in verbis theseos (propositio causalis negativa) agnoscere possumus.

84. Probatio. Nemo solum corrigendo errores, veluti censor, aut mere arcendo errores ab aliquo libro dum alius scribit, fit auctor illius. Ergo Deus, si id solum faceret, non ideo fieret auctor librorum sacrorum nec Scriptura esset verbum Dei.

Deus, mere assistendo hagiographis ne errent, ageret sicut in infallibilitate Ecclesiae, cum haec procedit ad definitionem

6 *Einleitung in diegotlliche Bûcher des A.Bundes* i (Wicn 1802) § 19 et 23; Pesch, *De inspiratione* n.325.

7 *Histoire critique du texte du Nouveau Testament* (Rotterdam 1689) C.23SS; Pesch, *Dc inspiratione* ηὐ» I7ss.

dogmaticam; tunc autem *Deus non est auctor definitionis, sed Ecclesia,* neque enim unquam tales definitiones Conciliorum vel Romanorum Pontificum habitae sunt ut *inspiratae* vel habentes Deum auctorem.

De constitutivis inspirationis

Thesis 4. Inspiratio in hagiographis consistit: *a)* in supernatural! illustratione intellectus ad recte concipiendas ideas et rationem essentialem libri; b,) in motione voluntatis ad scribenda omnia eaque sola quae Deus vult scribenda; *c)* in assistentia divina ad opus apte exsequendum.

8 5. Sicut antea, negative procedendo, reiecimus sententias falsas per defectum circa naturam inspirationis; ita nunc, *iam positive,* volumus videre in quo consistat inspiratio, prout recipitur in homine. Non autem quaerimus quomodo inspiratio esse potuit, sed *quomodo de facto est* ex fontibus revelationis.

Non procedemus methodo mere philosophica ex sola analysi conceptus *auctoris* in abstracto, vel *instrumenti,* vel ex mera analogia causae principalis et instrumentalis; neque mere empirice ex solo examine textus sacri (quod non sufficeret): sed *complexive* ex documentis cognitis per revelationem et ex certis datis Philosophiae.

86. Adversarii logice sunt ii defensores falsorum systematum quos in praecedenti thesi memoravimus.

87. Doctrina Ecclesiae. Leo XIII in *Litteris «Providentissimus»* ita doctrinam nostram exprimebat: «[Spiritus Sanctus] supernatural! ipse virtute ita eos [hagiographos] ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut *ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent:* [et additur ratio] secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae» (D 1952; EB 125 [no]).

Item Benedictus XV in *Encyclica «Spiritus Paraditus»:* «Quod si etiam inquirimus qua ratione haec Dei, uti causae principis, virtus atque actio in hagiographum sit intelligenda, cernere licet, inter Hieronymi verba et communem de inspiratione *catholicam doctrinam* nihil omnino interesse, cum ipse teneat *Deum, gratia collata, scriptoris menti lumen praeferre ad*

verum quod attinet «ex persona Dei» hominibus proponendum; voluntatem praeterea movere atque ad scribendum impellere; ipsi denique peculiariter continenterque adesse, donec librum perficiat» (EB 448 [461]).

88. Valor theologicus theseos constat ex praecedentibus: thesis est *non modo communis et certa, sed etiam assensu interno religioso tenenda,* utpote doctrina Pontificis imposita. «Nec silebimus—aiebat Leo XIII ad Ministrum Generalem O.F.M.—Nos ipsos per *Litteras «Providentissimus Deus»,* quid de hac re [sc. circa iudicium sanum et prudens quod sacrae litterae postulant a suis cultoribus] sentiat, quid velit Ecclesia, dedita opera docuisse. Praecepta vero et documenta Pontificis Maximi negligere, catholico homini licet nemini» (EBl 128) 8.

Praeterea, cum haec doctrina doceatur in tota Ecclesia catholica, nec tamen sit definita, potest dici cum Benedicto XV (supra n.87) *doctrina catholica.*

89. Probatio. Ex datis cognitis per revelationem novimus Deum esse auctorem principalem libri sacri, hominem esse quidem auctorem, sed ut instrumentum (sane rationale) in actione Dei supernaturali.

Iam vero ut aliquis sit auctor libri requiritur a) *ut ideas scribendas et rationem essentialem libri recte concipiat;* b) *ut velit illa conscribere;* c) ut *de facto illud opus recte exsequatur.*

Ergo ut conceptus Dei auctoris verificetur, opus est ut Deus ex infinito thesauro suo idearum *determinet ideas* scribendas et rationem essentialem libri, simul *velit* et *exsequatur* ipsam conscriptionem illarum idearum in ea forma essentiali stabilita. Pariter ut conceptus hominis auctoris rationalis verificetur in libro conscribendo, opus est ut *concipiat ideas et rationem essentialem libri, velit* scribere, et *de facto opus exsequatur.*

Age iam, hae actiones Dei ut causae principalis, et hae actiones hominis ut causae instrumentalis, simul concurrunt in librum eundem supernaturali dono ornatum producendum. Ergo opus est ut Deus influxu suo supernaturali et positivo omnes illas *facultates hagiographi necessarias ad librum conscribendum sibi subordinet, elevet, et applicet.* Hoc enim proprium est causae principalis respectu instrumentalis.

Ergo Deus per inspirationem supernaturali virtute debet *a)* illustrare intellectum hagiographi ad recte concipienda ea omnia quae vult scribenda, scilicet ad recte concipiendas ideas

8 Ita in litteris de doctrina Divi Thomae Aquinatis sequenda. Item ad episcopos C,alline-. EBl 129.

et rationem essentialem libri (sine qua liber non exsistit); *b)* debet excitare et movere voluntatem ad ea omnia et sola scribenda quae ipse iuberet; *c)* et debet assistere ut de facto omnia apte infallibili veritate exprimantur.

Sic Deus et homo debent simul influere in ea quae spectant ad librum producendum. Tunc, ut scimus, *totus effectus est a causa principali, et totus est a Pausa instrumentait,* sed secundum diversas formalitates. Ideo liber est simul a Deo et divinus, et ab homine et humanus; atque ex hac varietate instrumenti adhibiti explicantur varietates in ipsa forma librorum 9.

90. De singulis elementis constitutivis inspirationis possumus ulterius investigare:

1) Influxus Dei in laborem intellectus hagiographi 10

Facile constat requiri laborem intellectus eiusque applicationem ad librum aliquem conscribendum. Quaeritur autem ad quos actus illustratio supernaturalis requiratur.

Sine dubio *ad ideas sive iudicia libri, i.e.* ad sententias seu veritates quae affirmantur in eo. Hoc enim in quolibet libro caput est potissimum.

Insuper *ad illa elementa quae constituunt rationem essentialem seu formalem libri,* videlicet illa sine quibus liber non est talis qualis ab auctore intenditur; cetera pertinerent ad rationem accidentalem seu materialem libri. Elementum igitur essentiale est *finis qui intenditur* in libro et *dispositio interna rerum* in *genere;* per accidens, ob finem qui intenderetur (v.gr. stylisticus, aestheticus), stylus vel forma externa posset pertinere ad essentialia.

91. Influxus ad iudicia theoretica sive speculativa et ad iudicia practica. Ex praecedentibus constat hagiographum debere concipere illa *iudicia theoretica sive speculativa*

9 De diversis methodis ad thesim probandam disputat Bea. *De inspiratione* n.36-39; item Durand, *Inspiration:* DAFC 2,897-899; etc. De essentia *scribendi* egit recenter, Fr .Crisôstomo de Pamplona . O.F.M.Cap.. *Algunas cuestiones relacionadas con la naturaleza del influjo inspirativo:* EstFranc 49 (1948) 36-55. De origine et evolutione ideae «instrumentalitatis» agit A.Bea, *Die instrumentaittatsidee in der Inspirationslehre:* Studia Anselmiana 27-28 (Romae 1951) 47-65. Etiam circa theoriam instrumentalitatis agit G.Cuadrado, *La teoria de la* instrumentalidad *explica, facilita y garantiza el concepto de inspiration biblica:* XIV Semana Biblica Espaftola (septiembre 1953), Madrid 1954. P. «65-175; et F.Sebastiân, C.M.F., Interpretation *teolôgica de la inspiration:* ibid., p. 177-186.

10 De hac quaestione scripsit recenter É.M.Esteve, O.Carm., *Action de la inspiraciôn en el entendimiento:* EstBibI 5 (1946) 271-280. Et de mente S.Augustini R.Râbanos, C.M., *La funcidn del entendimiento del hagiôgrajb en la inspiration, segùn S.Agustin:* EstBibI 5 (1946) 73-93.

quae Deus vult communicanda cum hominibus, quid scilicet dicendum sit et quo gradu certitudinis. Tunc datur «illuminatio» sive illustratio supernaturalis intellectus, qua elevatur, si opus est, ad percipienda divina, si homo nimirum res dicendas nondum cognoscit. Si vero res dicendas naturaliter iam novit (v.gr. S.Lucas res investigatas propria industria, antequam scriberet evangelium), tunc lumine divino roboratur intellectus «ad indicandum secundum certitudinem veritatis divinae ea quae humana ratione cognosci possunt» H.

Debet insuper pro libro scribendo determinari intellectus ad *iudicia practica:* hoc esse scribendum. Haec autem determinatio debet esse interna et a Deo proveniens, ut ipse haec iudicia virtute supernaturali in homine agat; non sufficit proinde determinatio *mere* externa per incitationem hominum. Influxus vero Dei in haec iudicia concipitur esse *vel immediatus,* elevando scilicet ipsam virtutem intellectualem, *vel mediante* iudicio theoretico iam elevato; semper autem influxus est *internus.*

92. Num sufficiat illustratio ad iudicia practica. Pesch 12, Dorsch ■', aliique dicunt sufficere illustrationem supernaturalem ad iudicia practica, quin praecesserit directa illustratio supernaturalis ad iudicia theoretica; quia·—aiunt—in actu exercito iudicii practici a Deo illustrati, scilicet cum hagiographus iudicat supernaturaliter de aliqua re ut scribenda, includitur iudicium theoreticum de veritate rei scribendae, atque absolute repugnat ut Deus illustret supernaturaliter ad talia iudicia, si falsae essent res scribendae; ex alia autem parte acceptio rerum non est de essentia inspirationis (cf. n.94).

Contradicunt Bea 14 *multique alii, ut* L.Billot, M.I.Lagrange, H.Lusseau, A.Merk, E.Mangenot..., quorum sententia probabilior videtur. Etenim connaturaliter iudicia theoretica (de veritate, sublimitate sententiarum...) praevia sunt et ipsa determinant psychologice iudicia practica (de utilitate vel necessitate rei scribendae). Ergo et oportet ut illa a Deo supernaturaliter illustrentur. Aliter etiam iudicia theoretica, sive ideae, id quod est potissimum in aliquo libro, manerent iudicia mere humana, etsi postea a Deo in iudiciis practicis implicite *confirmarentur,* sed non essent iudicia divina. Neque satis tunc, ut videtur, appareret clare quomodo Deus supernaturali virtute hagiographos illustraret ut recte *mente conciperent* quae vellet scribenda.

11 S.Th., 2.2 q.174 n.2 ad 3.
12 *De inspiratione* n.L<8 p-uss
13 *De inspiratione p.105-107.*
14 *De inspiratione* n.49.

93. Influxus ad formam externam. Quoniam liber non exsistit sine determinata forma externa, necesse est ut Deus moveat *ad electionem formae externae et ad illam activitatem mentalem qua forma externa libri fit,* ita ut hoc modo sententiae apte et infallibiliter exprimantur, quas Deus vult communicandas. Sed salva hac aptitudine, potest determinatio singulorum elementorum litterariorum relinqui activitati propriae hagiographi (cf. n.i28ss).

S.Tromp explicite distinguit inter iudicia speculativa *critica* et alia iudicia *approbativa:* illis iudiciis theoreticis, de quibus n.91, absolvitur conceptio libri quoad res; hisce approbativis, post electam expressionem externam, affirmatur conformitas et convenientia inter conceptionem internam et expressionem verbalem. Utraque iudicia sunt supernaturalia et utraque requirit cl.auctor ad inspirationem, uti probat[15].

94. Corollaria. Ut sequelas ex dictis circa naturam huius influxus Dei in intellectum hagiographi, eruimus:

a) Acceptio rerum a Deo in mente hagiographi non est necessaria ad inspirationem biblicam, secus ac pro revelatione; nam Deus potest manere auctor idearum quas homo propria industria novit vel investigavit, dummodo postea illustret supernaturaliter intellectum illius ad iudicandum de iis.

Ideo *pro inspiratione non requiritur revelatio neque infusio specierum.*

Sic in aliquibus libris inspiratis hagiographi dicunt *se laborem adhibuisse* in invenienda *re* vel veritate (v.gr. Lc i,iss; 2 Mach 2,24-32) vel *dicunt se narrare quae ipsi viderunt* (Io 19,35; 1 1° M-β)· Auctores igitur sacri potuerunt uti aliis fontibus ad librum suum conscribendum (cf. Prov 30,1; 31,1), etiam profanis; et nos possumus hos fontes investigare. Cf. de fontibus Pentateuchi, D 1999; de fontibus Mc et Lc, D 2162; de fontibus Act, D 2170.

b) Propter hanc illustrationem supernaturalem in mente hagiographi, *Scriptura non habet errores et habet singularem excellentiam (v.gr.* sobrietatem, sublimitatem doctrinae...); et ab auctoribus rudis formationis vel culturae etiam sublimiora dicuntur. Auctores etiam sacri in modum mirandum recte diiudicant et discernunt vera a falsis in systematibus philosophicis (v.gr. *logos* apud S.Ioannem) vel religiosis (v.gr. mysteria apud S.Paulum).

Vi etiam huius influxus divini *Scriptura habet sensum ple-*

15 De inspiratione5 p.Sys. Et insuper requirit iudiciutn supernatural© *practicum exsecutivum* et iudicium supematurale *practicum approbativum:* ibid p.89. Cf. et p.104.

niorem, quam hagiographus explicite ac clare intellexerit et intenderit, sensum non tantum litterariis criteriis hermeneuticae determinandum (cf. de sensu pleniore n.218-220).

2) Influxus Dei in voluntatem hagiographi

95. Requiritur sane ut Deus, auctor principalis, hagiographum inducat ad scribendum; non enim sufficeret mera communicatio idearum vel coordinatio iudiciorum et cogitationum per influxum in intellectum: sic Deus esset auctor idearum, sed non libri; quia non *sufficit ut aliquis sit auctor libri habere ideas, sed opus est ut illas velit externe manifestare* et de facto per librum manifestet.

Ergo datur in hagiographo vera motio voluntatis a Deo. De hac motione ceteroquin constat ex 2 Petr 1,21: *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed* ducti a Spiritu Sancto *locuti sunt a Deo homines.*

Atque haec motio virtute sua non *tantum ad incipiendum opus, sed*—ut requiritur de facto pro libris scribendis—*ad continuandum et perficiendum opus* esse debet.

Haec motio praeterea talis esse debet, ut hagiographus nihil demat, nihil addat ad ea quae Deus vult communicanda. Si demit, iam non integra verificatur cogitatio divina de libro; si addit, iam non Deus, sed homo est auctor pro parte addita. Ideo motio est *ad communicanda ea omnia eaque sola quae Deus vult communicanda;* non ergo est motio vaga et generalis, sed determinata.

96. De modo quo Deus movet. Ut Deus re vera possit dici causa principalis, requiritur sane motio illius ad scribendum *infallibiliter efficax,* seu procedens ex voluntate Dei *absoluta* (quae—ut notum est—non tollit necessario libertatem hominis). Si enim ageretur de motione ex voluntate Dei *ordinaria,* tunc Deus posset dici auctor multarum aut omnium rerum bonarum quae de facto fiunt; hic vero dicitur auctor per antonomasiam.

Hoc praesupposito, motio voluntatis in hagiographo concipi potest *mere interna* (sive *per influxum physicum immediatum* in voluntatem, sive *per influxum mediatum,* moralem, ope cogitationis internae); vel cogitari potest *externa* et moralis (per angelos, preces, voces aliorum...), videlicet si Deus ex speciali providentia dirigit haec media ut hagiographus moveatur ad scribendum.

Probabilius dicitur—ut videtur—*requiri influxus positivus et supernaturalis Dei per motionem physicam et immediatam* in voluntatem hagiographi; sic enim apertius et obvie satisfit documentis Ecclesiae (supra, n.87) quae loquuntur de excitatione et motione voluntatis hagiographi per Deum in inspiratione. Influxus autem mere mediatus aut externus, movendo voluntatem ope cogitationis, non adeo clare faceret ut hagiographus se determinaret ad scribendum ut instrumentum Dei, sed de se videretur determinari 16.

97. Alii 17 tamen censent sufficere motionem Dei mediatam, vel internam vel etiam per media externa (iussiones, res impellentes, preces...), modo Deus velit *absolute* ut ille effectus motionis obtineàtur, et si tali modo non obtineretur, paratus esset alium modum dare donec effectus movendi voluntatem hominis obtineretur. Sed, nisi accederet haec voluntas Dei absoluta, certe non sufficeret ut Deus diceretur auctor ne ipsum quidem mandatum scribendi; quia talis influxus moralis, mere externus, non tollit quominus homo maneat causa principalis libri.

Quod si probabilius requirimus illam motionem physicam et immediatam in voluntatem, non ideo negamus influxus externos et morales qui adesse possunt, de quibus historia testatur (cf. v.gr. *De revelatione* n.279-282) vel de quibus ipsi auctores sacri loquuntur (mandatum scribendi a Deo; v.gr. 1er 30,2; 36,2...).

98. Num requiratur exstasis aut impediatur libertas in inspiratione. *Montanistae* et Tertullianus, et antea Philo Iudaeus, requirebant excessum mentis et alienationem a sensibus, sive exstasim, pro inspiratione; quod quidem *ut non necessarium merito eruitur ex verbis auctorum sacrorum,* siquidem ipsi loquuntur de eorum proprio labore in scribendo, aut de plena possessione suarum facultatum, aut de merito sui laboris (Lc 1,3; 2 Mach 2,24-32; Rom 15,15-17; 2 Cor 7,8-12; 13,10...).

Etiam Patres, agentes contra montanistas, reiciebant hanc alienationem et exstasim 18.

Ex *explicatione quoque antea data,* de hac motione voluntatis, apparet libertatem non necessario impediri. Et de facto *decebat et decet* prophetas et hagiographos, *utpote instrumenta rationalia,* libere prophetare aut scribere. Merito igitur inspiratio «mantica», propria sibyllarum, etc., *communiter et certo reicitur* ut non necessaria.

Haec vero motio Dei pro inspiratione diversimode concipitur, sicut motiones gratiae actualis in diversis theoriis: alii, iuxta

16 Ita Bea, *De inspiratione* n.6i.

17 V.gr. Lercher-Schlagenhaufen, *Theolog. fund,* n.565.

18 V.gr. S.Hieronymus, *Prolog, in Is:* ML 24,19; *Prolog, in Naum:* ML 25,1292; S.Epiphanius, *Adversus haereses* 48,288: MG 41,588. Item S.Iustinus, de quo cf. H.Bacht, S.I., *Die Lehre des hl.Justinus Martyr von der prophetischcn Inspiration:* Schol 26 (195O 481-495.

sua placita, eam concipiunt ut praemotiones physice determinantes; alii autem repetunt illius efficaciam ex infallibili connexione motionis Dei cum effectu obtinendo, cognita ope scientiae mediae.

3) Influxus Dei in exsecutionem libri

99. Necessitas huius influxus constat iam ex eo quod *sine actuali scriptione et exsecutione libri nemo dicitur auctor.* Cum influxu tantum praecedenti Deus esset auctor iudiciorum prout ab hagiographo conceptorum, non prout ab eo *scriptorum.*

Haec assistentia divina requiritur ne industria humana quidquam omittat aut addat, vel ineptis verbis exprimat sensa divina; quia *homo, etiam initio illuminatus et motus, potest falli et deficere qua instrumentum exsequens.*

Ideo in exsecutione libri: a) *facultates exsecutivae psychologicae et physiologicae hagiographi participant influxum illum supernaturalem Dei in intellectum et voluntatem hagiographi,* prout illae facultates subiciuntur motui voluntatis et subordinantur legibus psychologicis. Ideo non videtur necessarium asserere influxum realiter diversum ab influxu praecedenti in intellectu et voluntate, sed sufficiens videtur influxus spontanee redundans ex influxu praecedenti. Hoc ex una parte.

b) Ex altera vero parte *Deus assistit* ne a recta via declinent auctores *('assistentia negativa).* Positivus Dei influxus necessarius erit, si causae secundae instrumentales non ordinate procederent. Quod si recte procedant, Deus sufficienter exsecutionem libri curare censetur *ex sua voluntate absoluta* qua talem librum exsistere vult.

100. Si hagiographus utitur secretario ad formam externam libri (v.gr. S.Paulus in epistola ad Hebraeos), tunc inspiratio attingit etiam actus intellectuales secretarii qui conferunt ad librum conscribendum. Terminus enim inspirationis est *liber conscriptus, et* inspiratio influit proinde in illa omnia quae concurrant ad librum conscribendum. Hunc influxum in secretarium patet esse propter auctorem primarium et dependenter ab eo 19.

Si *vero hagiographus utitur amanuensi* (1er 36; Rom 16,22), quo mere ad scriptionem materialem utatur, non opus est asserere auxilium peculiare Dei pro materiali scriptione; sed suf-

19 Cf. Bea, *De inspiratione n.59.*

ficiet assistentia divina praestita hagiographo, qua hic laborem amanuensium invigilare poterit. Neque ad ipsum auctorem pertinet necessario ipsa materialis scriptio libri, neque opus est asserere pro hac re peculiarem Dei interventum (cf. etiam n.146, obiect.2).

101. Scholion 1. Num hagiographi fuerint semper conscii de sua inspiratione. Ex modo concipiendi triplicem divinum influxum pro inspiratione, de quo egimus, apparet hunc influxum *similem esse influxui gratiae actualis.* Sicut autem gratia salutaris non est ordinarie datum immediatum conscientiae, ita natura supernaturalis et extraordinaria actuum inspirationis non videtur necessario cadere in conscientiam.

Atque ex modo loquendi auctorum sacrorum non *constat eos semper conscios fuisse suae inspirationis,* cum scriberent.

Neque etiam cum inspiratione necessario coniungitur revelatio rerum dicendarum, antecedenter ad scriptionem; neque opus fuit ut concomitanter revelaretur hagiographo eum ex divina motione scribere. Quoniam vero inspiratio librorum sacrorum est factum pertinens ad fidem, opus certe fuit ut magistri fidei, apostoli, hoc factum saltem postea cognoscerent nosque illud edocerent.

102. Dices 1) Actio Dei in intellectu hagiographi vel dat novam cognitionem rerum, quae accipiuntur a Deo, vel dat certitudinem circa res quae iam naturaliter cognoscuntur. Atqui in utroque casu datur interna mutatio subiecti. Ergo actio Dei in intellectu hagiographi debet cognosci ab hagiographo.

Resp. Si datur nova cognitio rerum, et *haec accipitur per revelationem a Deo,* tunc certe datur conscientia huius actionis Dei loquentis. Sed si *hagiographus tantum iudicat ex lumine divino et* sic acquirit certitudinem de iis quae naturaliter novit, datur quidem interna mutatio subiecti nunc supematuraliter iudicantis et efformantis sibi iudicium supematurale, sed non requiritur ut qua tale cognoscatur ab eo.

2) *Inst. Si* hic actus intellectus hagiographi ita se habet in inspiratione, est actus supernaturalis. Sed actus supernaturalis aliter se habet ac actus mere humanus. Ergo ut supernaturalis debet cognosci ab hagiographo.

Dist. min. Actus supernaturalis aliter se habet *ontologice* ac actus mere humanus, *conc. min.;* aliter se habet *psychologice', sc.* prout apparet in conscientia, subdist. ; prout apparet in conscientia *mediata* et per posteriorem reflexionem circa illos, *trans.;* prout apparet in conscientia *immediata et* concomitante, *iterum subdist. :* et ille actus debet necessario cognosci ut supernaturalis, *nego;* aliquando *potest* cognosci immediate ut talis, sicut in donis mysticis cognosci possunt, *conc.*

3) Iuxta S.Petrum (2 Petr 1,21) *non voluntate humana allata est aliquando prophetia (et inspiratio).* Ergo per voluntatem divinam impositam a Deo in hagiographo. Ergo hagiogra-

phus debet cognoscere talem impositionem voluntatis divinae.

Dist. primum cons. Inspiratio allata est per voluntatem divinam *impositam a Deo per coactionem, nego cons.;* impositam quatenus habet *voluntatem positivam ut auctor scribat, subdist.:* ita ut haec voluntas Dei in eo *debeat* necessario cognosci immediate ab hagiographo, *nego;* ita ut *possit* cognosci sicut aliae actiones Dei eiusque gratiae in nobis, *conc.*

103. Scholion 2. In quo differant inspiratio et revelatio 20. Revelatio est locutio *Dei;* inspiratio est *actio Dei principaliter agentis scriptionem* libri. In revelatione datur *conscientia facti, quod Deus loquitur;* in inspiratione non necessario datur talis conscientia.

Sed inspiratio fit ad manifestanda illa quae Deus vult nobiscum communicanda; ergo per inspirationem libri sacri continent verba Dei et sententias Dei. *Hae sententiae erunt obiective revelatio quaedam divina, mediata pro nobis,* si nobis constat—uti revera constat—per aliquem legatum divinum (lesum Christum, apostolos), qui receperit revelationem immediatam, illa scripta eorumque sententias pro nobis scripsisse Deum.

104. Scholion 3. Relatio inter inspirationem et definitiones Ecclesiae. In definitionibus Ecclesiae ipsa Ecclesia est auctor illarum; in inspiratione Deus est auctor librorum. In definitionibus non requiritur positivus interventus Dei, si res bene procedunt; in inspiratione certe requiritur positivus influxus Dei, saltem in intellectum et in voluntatem.

ARTICULUS V

De extensione inspirationis

105. Ex praecedentibus (cf. thesim 2.am) constat *omnes libros sacros, quos magisterium Ecclesiae in canone collocaverit, esse inspiratos* sive habere Deum auctorem. Potest autem interrogari num hic influxus Dei causalis tantum sese extendat ad res fidei et morum et non ad alias res pure historicas et ad sententias obiter dictas.

Sententiae obiter dictae sunt illae quae tantum per *accidens* referuntur quaeque nullius fere momenti videntur; v.gr. 2 Tim 4,13: Paulum reliquisse Troade penulam; vel Tob 11,9:

20 Cf antea, *De revelatione* n.58; nunc autem brevius.

canis Tobiae blandimento suae caudae gaudebat. Huiusmodi igitur sententiae non *propter se* vel *per se* revelantur aut inspirantur, quia non cadunt sub finem primarium intentum in revelatione, sicut illae veritates quae spectant ad finem nostrum supernaturalem vel directe cum iis connectuntur.

Nonnulli, ad conciliandam sacram Scripturam cum Physica et cum scientiis naturalibus et historicis, tentaverunt solutionem dicendo illas res historicas vel obiter dictas vel pure scientificas non esse inspiratas; sed immerito, ut sequenti thesi statuemus.

Extensio vero inspirationis potest concipi non tantum in *longitudinem,* quoad omnes omnino sententias, verum etiam in *profunditatem,* quoad elementa (verba) intra singulas sententias. Ideo ex alia parte potest etiam interrogari num haec inspiratio sese extendat ad determinationem verborum materialium Scripturae; aut quo sensu ad verba et ad partem materialem Scripturae se protendat.

Illa sententia, quae restringit inspirationem ad aliquas tantum res vel sententias, *per defectum* peccat; haec altera, si intelligitur in sensu dictationis mechanicae verborum, *per excessum.*

Thesis 5. Inspiratio librorum sacrorum ad omnes hagiographi, etiam obiter dictas sententias, sese extendit.

Pesch, n.272-276.332-345.431-435; Van Laak, *De inspiratione 2* n.398-576; Dorscip *De inspiratione 2* c.4 a.is; Bea, 0.65s; Hoepfl-Gut, 0.94-106; Tromp 5, prop. 2; Lercher-Schlagenhaufen, n.570-578; Mangenot, *Inspiration de l'Ecriture:* DTC 7,2177-2192.

106. Status quaestionis, i) Loquimur de sententiis *originalibus* hagiographi; de apographis et versionibus alias erit dicendum (n.i47ss); in haec inspiratio cadit *aequivalenter,* in quantum referunt fideliter sensum sententiae originalis. Sed in his versionibus aliqua menda prorsus accidentalia irrepere potuerunt, v.gr. quoad numeros et chronologiam..., non autem errores circa fidem et mores in versionibus ab Ecclesia agnitis; quia magisterium Ecclesiae custos est horum librorum. Loquimur proinde de textu *primigenio.*

2) De inspiratione agimus *prout nunc est de facto,* cognita ex fontibus revelationis, non vero qualis absolute concipi posset.

3) Non dicimus omnia in libris sacris habere idem momentum ratione materiae, sed *omnia esse aeque divina ratione originis.* Nihil enim vetat distinguere inter res revelatas propter se, scilicet propter finem primarium, quem Deus intendit (res

fidei et morum), et res revelatas propter aliud, scilicet propter connexionem cum illis: pari modo sententiae Scripturae sunt *inspiratae propter se et propter aliud;* sed omnes inspiratae.

4) Si qua sententia ex auctore profano exscribitur (v.gr. Act 17,28; Tit 1,12), tunc dicimus inspiratam non hanc praecise sententiam prout ab auctore profano ortum ducit, sed *citationem et enuntiationem factam ab hagiographo.* Nam, etsi omnia quae sunt in Scriptura sunt verbum Dei *ratione consignationis,* at non omnia *ratione materiae dictae;* quia non omnes materiae dicuntur haustae ex fonte divino, ut illae quae proveniunt ex aliis fontibus profanis citatis, cognitis ex industria et cogitatione hagiographi (cf. n.8i 2.°; 123s).

107. Adversarii. *Gnostici et manichaei* negabant inspirationem divinam *pro Vetere Testamento.* Sic in *Actis disputationis S.Archelai* (ante a.350) proponitur doctrina manichaea: «... et ea quae in prophetis et lege scripta sunt, ipsa [Satanae] nihilominus adscribenda sunt; ipse est enim qui in prophetis tunc locutus est, plurimas eis de Deo ignorantias suggerens, et tentationes et concupiscentias...» [1].

Anomoei restringebant inspirationem librorum sacrorum, ita ut aliqua non admitterent: «Cumque urgeri rationum vi et male haberi coeperint, effugiunt subinde ac prosiliunt; et ista, inquiunt, *Apostolus tamquam homo dixit.* Alias: *Quid* tu *mihi Vetus Testamentum obicis» -.*

Similiter alii qui ipsis S.Pauli epistolis aliisque sacris libris, non omnia scripta esse volebant dictante Spiritu Sancto, sed aliqua interdum sola prudentia et ratione humana duce. Quocirca totam epistolam ad Philemonem, ut more humano scriptam, contempserunt [3].

108. Erasmus (1466-1538) scripsit non esse metuendum si levis aliquis error in Scriptura deprehendatur, praesertim si evangelistae memoriter citant V.T. [4]. Sic eruimus Scripturam non esse—iuxta eum—quoad omnia inspiratam.

Henricus Holden (1596-1662), doctor Sorbonicus, dicebat auxilium speciale inspirationis porrigi vel ad pure doctrinalia vel ad ea quae proximum vel necessarium habeant respectum

1 Acta *disputationis S.Archelai cum Manete heresiarcha* 13,71: MG 10,1452. Alii textus apud A.Bea, *Deus auctor Scripturae...:* Ang 20 (1943) 28-31.

2 S.Epiphanius, *Adversus haereses* 76,6: MG 42.637.

3 Cf. S.Hieronymus, *In Midi* 5,2: ML 25,1255; *Praefatio in Philem:* ML 26,637; S.Augustinus, *Contra adversarium Legis et Prophetarum* 1.2,2: ML 42,638s; Bellarmino, *De verbo Dei* i.i c.6 n.16.

4 In c.2 et 27 Mt; cf. Bellarmino, *De verbo Dei* I.i c.6 n. 17-21.

ad pure doctrinalia; in ceteris adesse aliquam assistendam communem piissimis ceteris scriptoribus 5.

Philippus Chrismann (saeculo XVIII) ad similem sententiam accedebat6.

A.Rohling (saeculo XIX) res fidei et morum dicebat tantum inspiratas7; et Franciscus Lenormant (f 1883) ad doctrinas supematurales inspirationem restringebat8.

109. J.H.Newman, Cardinalis (t 1890), excipiebat ab inspiratione *obiter dicta,* de materia scilicet puri facti et minoris momenti quae non videantur connecti cum rebus fidei et morum, v.gr. 2 Tim 4,13; Iudith 1,5; Tob 11,9 9.

S.di Bartolo inspirationem plenam ad res fidei et morum restringebat10; I.Semeria 11 et P.Savi 12 ad illa quae ad finem sacrae Scripturae pertinerent. Loisy non ita illam ad totam sacram Scripturam extendebat, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniret13.

Mons.d'Hulst, Rector Instituti Catholici Parisiensis, referebat sententiam Cardinalis Newman ut quae posset sustineri, non tamen suam illam faciens; subiecit se omnino post *Encyclicam «Providentissimus»14.*

Quidam protestantes orthodoxi, ut Gore, Sanday, tenent auctorem inspiratum repleri quidem Spiritu Sancto, sed in conscriptione libri necessario miscere elementa humana propria fallibilia 15; ideo inspiratio non sese extendit ad omnia. Elementa vero divina dignoscuntur ex gustu Spiritus Sancti.

no. Doctrina Ecclesiae. *Concilium Tridentinum,* volens eas praesertim pericopas tueri, quae a reformatoribus impetebantur (ut Mc 16,9-20; Io 7,53—8,11; Lc 22,43) 16\ definivit esse suscipiendos pro sacris et canonicis omnes libros, quos

5 *Divinae fidei analysis* (Parisiis 1652) I.i c.5 $ec.i p.80; cf. DTC 7,2184; Pesch, n.3i5s.

6 *Regula fidei catholicae* (1792); cf. DTC 7,2185-2187; Pesch, n.320-322.

7 *Die Inspiration der Bibel und ihre Bedeutung für die frete Forschung.* in «Natur und Offenbarung» (Munster 1872) 92ss; cf. DTC 7,2187. Post refutationem a Franzelin *(De Traditione et Scriptura4* p.520-537) sententiam retractavit.

8 *Les origines de l'histoire d'après la Bible et les traditions des peuples orientaux2* (Paris 1880); cf. DTC 7,2187; Pesch. n.338-340.

9 *On the inspiration of Scripture:* The nineteenth Century 84 (1884) 185-199. Cf. Pesch, n.336s; J.Dugcan, *Num sententia Cardinalis Newman de inerrantia sacrae Scripturae defendi possit?:* VerDom 18 (1938) 219-224.

10 *Icriteri teologici* (versio gallica, Paris 1886) 243-258; cf. DTC 7,2188; Pesch. n.333-335.

11 RevBibl 2 (1893) 434&s; cf. Hoepfl-Gut, n.98.

12 Science catholique 7 (1892s») 289-301; cf. Hoepfl-Gut, n.98.

13 D 2011; cf. etiam DTC 7,2191-s.

Pesch, 0.341-346. Circa adversarios huius theseos et de momento historico quo apparuit *Encyclica «Providentissimus».* cf. V.Larranaga, S.I., *En el cincuentenario de la Enclclica <Providentissimus* Deus·.· EstBibI 3 (1944) 3-24; *La crisis biblica en el Instituto Catôlico de Paris (1881-1893):* EstBibI 3 (»944) 173-188.383-396.

15 Cf. Tromp, *De inspiratione** p.44.

16 Cf. A.Theiner, *Acta genuina Concilii Tridentini* 1,72b; *Instit. biblicae 16* 1.2 n.63,3.

paulo antea enumeraverat, *«integros cum omnibus suis partibus,* prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata Latina editione habentur» (D 784). Unde, conservando sensum nativum vocis «partis» seu *vi verbi, ex* verbis Concilii reicitur opinio a Holden proposita, inspirationem restringi ad pure doctrinalia et res religiosas tantum esse partes librorum sacrorum necessario admittendas; quia, ultra res religiosas, etiam res profanae eaeque in magna extensione leguntur in sacra Scriptura, ut catalogus filiorum Israel eorumque mansiones per desertum (Num c.26 et 33), aliaeque genealogiae. Atque etiam, in hac opinione, sensus libri *integri* non servaretur.

Sed dubium manet num haec verba Concilii ad obiter dicta referenda sint, ex fine quem Concilium formaliter intendebat, tuendi aliquas pericopas sive *partes,* quae non ut transitoriae et profanae sententiae, sed secundum sensum propositum in Concilio et secundum moralem aestimationem sumendae esse videntur; Concilium scilicet agit de *partibus* sub alio respectu seu obiecto formali, et ideo non *videtur immediate servire pro re nostra* 1718

ni. *Concilium Vaticanum,* nihil superaddens definitioni tridentinae quoad extensionem inspirationis, et non attingens controversiam de sensu quo *partes librorum* in Tridentino decreto intelligendae sint, definivit (D 1809) eas partes credendas esse *inspiratas* quas Tridentinum definivit esse sacras et canonicas 18: proinde definivit inspirationem sese extendere ad res fidei et morum et ad omnes partes saltem maioris momenti, quae sunt in libris canonicis.

Ergo ex Tridentino et Vaticano probabiliter non undequaque definitur thesis, quia non determinatur num *pars* sit etiam minutissima sententia profana.

112. Leo vero XIII, in *Litteris «Providentissimus»,* loquens quidem *de sententiis etiam minimis,* dicebat: «... nefas omnino fuerit, *aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare,* aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. *Nec enim toleranda est eorum ratio,* qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, *inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea,* pertinere...» (D 1950; EB 124 [109]). Constat insuper voluntas Leonis XIII obligandi ad assensum iis quae in *Litteris «Providentissimus»* ipse docuisset '9.

17 Bea, n.66. Pauci tamen, ut L.Billot *(De inspiratione2* p.32s) et S.Schiffini *(Divinitas Scripturarum n.53),* ve^ba Concilii etiam ad obiter dicta extendunt.

18 Franzelin: CL 7,1621b.

i' *Ad Ministrum Generalem O.F.M.:* EBl η.χζδ: *Ad episcopos Galiae: EB1* 120; cf. supra, n.SS. Et audiatur Pius XII in *Litteris «Humani generis»: «...* Neque putandum est, ea quae in

Damnata est etiam *propositio sequens modernistica:* «Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat» (D 2011).

Doctrina Leonis XIII de obiter dictis proponebatur apertissime in responsione *Commissionis Biblicae* (18 iunii 1915): «omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto» (D 2180; EB 420 [433]). Eadem doctrina confirmatur insuper a Benedicto XV in *Litteris «Spiritus Paraclitus»* (D 2186; EB 454s [467s]), et a Pio XII in *Litteris «Divino afflante Spiritu·)* (EB 538) 20.

113. Valor dogmaticus. Inspirationem sese extendere ad partes saltem maioris momenti et, ut videtur, ad res fidei et morum: *definitum est* in Vaticano (D 1809).

Quantum ad *obiter dicta* non adest expressa definitio; sed ex praecedentibus documentis constat esse *saltem doctrinam certam et catholicam.*

De absoluta certitudine theseos auctores consentiunt. *S.Thomas* clarissime rem tenet ex eius doctrina de infallibilitate Scripturae; ait enim: *«Indirecte ad fidem pertinent* ea, ex quibus negatis consequitur aliquid contrarium fidei; sicut si quis diceret Samuelem non fuisse filium Helcanae; ex hoc enim sequitur Scripturam divinam esse falsam» 21. *S.Robertas Bellarmino* recenset inter *haereses* opiniones supra memoratas Erasmi et eorum qui putabant in epistolis Sti.Pauli non omnia esse scripta dictante Spiritu Sancto (n.107) *Pesch* dicit «doctrinam supra propositam esse certam, id quod maxime valet post Leonis XIII Encyclicam» 23, *Dorsch* vocat contrariam doctrinam exploratum errorem in fide24. Idem *Van Laak:* «negare omnes et singulas sententias Scripturae esse inspiratas, saltem est error exploratus in fide» 25. *Tromp* dicit thesim doctrinam absolute certam et absolute tenendam, ut sententia opposita sit error in fide 26.

114. Probatur ex sacra Scriptura. Consideranti *modum quo Christus et apostoli Scripturam citant,* sub formula *Scriptum est, Scriptura dicit* et similibus... (sic circiter centies et quinquagies in toto N.T. 27), et quod *ex hoc solo argumentantur,*

Encyclicis Litteris proponuntur, assensum per se non postulare, cum in iis Pontifices supremam Magisterii sui potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario haec docentur... Quodsi Summi Pontifices in actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorumdem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse» (D 2313).

20 Cf. etiam de hac re EB 499 [5x2].

21 i q»32 a-4 c· In *Quodlib. 12* q.i7 a.26 ad |: «Hoc tamen tenendum est quod quidquid in sacra Scriptura continetur verum est; alias qui contra hoc sentiret esset haereticus». Et in *Dc potent.* q-4 a.i c. haec ait: «Scripturae divinae a Spiritu Sancto traditae non potest falsum subesse, sicut nec fidei, quae per eam docetur».

22 De *verbo Dei* 1.i c.6 n.i6s.

23 De inspiratione n.435.

*24 De inspiratione*2 p.i48

25 De *inspiratione* n.398.

*2◊ De inspiratione*5 p.38s.

27 Pesch, n.383; cf. *ibid.,* n.433.

nulla facta distinctione inter res maximas et minimas, religiosas et profanas, atque citando libros cuiusvis generis, historicos, propheticos, didacticos..., tam agentes cum iudaeis quam in instructione fidelium (v.gr. Mt 12,3; 1 Cor 9,9; Gal 3,16; 4,22; Hebr 12,27...): *tunc aperta oritur persuasio illos omnia omnino habere ut inspirata et a Deo.*

Suadetur quoque ex 2 Tim 3,16 ubi, si distributive sumitur *omnis scriptura,* scilicet *quidquid venit nomine Scripturae* (id quod probabilius dicitur, cum πᾶσα γραφή non habeat articulum), non vero si collective intelligatur: tota collectio complexive tantum; *tunc asseritur de singulis partibus Scripturae esse divinitus inspiratas.*

Item Rom 15,4: Quaecumque scripta sunt, *ad nostram doctrinam scripta sunt...*

115. Probatur ex traditione. Efficacius fit argumentum *ex consensu Patrum,* qui rem proponunt ut testes traditionis.

Ad rem Leo XIII: «... Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, Divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eadem fere sunt, quae nomine novae scientiae nunc obiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; *professi* unanimes *libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu,* Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse» *(«Providentissimus»:* D 1952; EB 127 [112]).

Sic Patres docent in Scriptura a) *nullum esse errorem* nullamque contradictionem inveniri posse; b) *nihil esse otiosum* in ea; c) etiam *in obiter dictis exquirunt sensus mysticos.*

Ita Patres *contra Celsum, Porphyrium, Julianum,* obicientes repugnantiam Scripturae cum historia vel scientia, non respondent concedendo profana non esse inspirata, sed ostendunt repugnantiam esse solum apparentem vel Scripturam perperam fuisse intellectam.

ii6. Ea valeant universe quae S.Augustinus *ad Hieronymum* scripsit: «Ego enim fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut *nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam.* Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam» 2 8. At-<

2» *Epist.* 82,1,3: ML 33.277 : EB 127 [112]: R 1421.

que idem S.Augustinus in libro *De consensu evangelistarum* ostendere vult *ne in minimis quidem hunc consensum deficere.* Et nota est etiam tendentia S.Augustini, interdum aliquantulum exaggerata, *exquirendi symbolismum et sensus mysticos* etiam in iis quae minima et accidentalia videntur 29.

117. S.Hieronymus in recriminatione quod aliqua in evangeliis tentasset emendare, respondit: «non adeo hebetis fuisse me cordis et tam crassae rusticitatis... ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverim *aut non divinitus inspiratum...»* 30. Et iterum: «Totum autem corpus et dorsa plena oculis approbabit [alludens ad Ez 1,18], qui viderit nihil esse in Evangeliis quod non luceat et splendore suo mundum illuminet, ut etiam *quae parvaputanturet vilia, Spiritus sancti fulgeant maiestate»* 313Et rursus: «... *singuli sermones,* syllabae, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus» 33.

118. Pulchre S.Chrysostomus extollit valorem sententiarum minimarum, ubi, inter alia, haec habet: «... nec illas quidem, *quae tenues esse putantur, Scripturarum sententias praetercurramus; nam et ipsae de Spiritus gratia* sunt...»33. Et «neque dictionem parvam, neque syllabam unam in divinis Litteris contentam esse praetereundam» 3L

S. Basicius: «Haec a me dicta sunt... ut constaret in verbis divinitus inspiratis ne ullam quidem syllabam esse otiosam» 35.*

S.Gregorius Nazianzenus: «Nos, qui Spiritus diligentiam vel usque ad levem apicem et lineam extendimus, nunquam, nec enim fas est, *ne minimas quidem actiones a scriptoribus temere perscriptas* et elaboratas memoriaque ad haec usque tempora conservatas esse concedemus» ».

Atque huc plura referunt, quae infra pro extensione inspirationis *ad ipsa quidem verba* citabimus (n. 143,5); ut illa Origenis: «divina sapientia omnem scripturam divinitus datam *vel ad unam usque litterulam attigit...» 37.* Atque etiam plura huc spectant, quae directe et immediate ad inerrantiam Scripturae referunt 38.

Atque talem consensum Patrum et theologorum medii aevi totiusque Ecclesiae fatetur ipse *Loisy 39.*

119. Probatur 3.0 *Ut sequela ex Concilio Vaticano* (D 1787). Conscriptio et inspiratio librorum sacrorum parallelo modo *et* pari gressu procedunt, ex verbis Concilii: «... Spiritu Sancto inspirante conscripti...».

Atqui auctor sive scriptor libri scribit etiam singulas sen-

29 V.gr. idem S.Augustinus agit de symbolisme numeri 38 (-= 40 — 2), ubi de languido qui tenebatur iam 38 annos in infirmitate: *Tractatus 17 in Io* n.4: ML 35,1529.

30 Epist. 27 (ad Marcellam) 1 : R 1347·

3J *In Ez* 1.1,15-18: ML 25,28 D.

32 In Eph 1.2 c.3: ML 26,512 A.

33 Ad populum Antiochenum hom. *1,1:* MG 49,17·

34 In Gen hom. 15,1: MG 53,119·

33 In Exaem. hom. 6,11: MG 29,143 C.

39 Oratio 2 n.105: R 979.

37 In Ps i n.4·' R 483

38 Infra, n.174,2.0 Cf. etiam alia testimonia Patrum, v.gr. S.Iustinus: R 149; S.Hippourrus: R 400.

39 L'enseignement biblique (1893) 41 leg* potest hoc testimonium, v.gr., apud Lercher-Schlagenhaufen n.574 in nota 24

tentias, vel minimas; et hoc saltem pertinet ad conceptum scriptionis libri.

Ergo et inspiratio librorum sacrorum extenditur etiam ad singulas vel minimas sententias. Esset praeterea absurdum dicere inspirationem cessare et interrumpi cum veniunt obiter dicta; neque ullum esset obvium critérium ad interruptionem discernendam.

120. Obiectiones. I. Argumentum ex Scriptura probat Christum et apostolos citasse verba Scripturae sub formula *scriptum est,* quasi illa essent vera et infallibilia, sed non ut *inspirata.*

Resp. Directe saepe ita est; proponunt nempe veritatem sententiae allegatae. Sed praecise dicunt esse veram, quia *scripta,* i.e. quia Deum habet auctorem seu quia est inspirata.

2. Textus allegati ex S.Scriptura non sunt obiter dicta, sed referuntur vel ad legem seu ad mores, vel ad res dogmaticas. Ergo Christus et apostoli non citant obiter dicta sub formula *scriptum est.*

Resp. Saepe verba citata a Christo et apostolis spectant ad mores vel habent sensum religiosum, propter sensum novum typicum, quem induunt in N.T. Verum quidem est illas res habuisse hunc sensum typicum a Deo intentum, iam in V.T., etsi cognitum fuerit in Novo; sed illa verba prout litteraliter sensum habebant, spectant ad res pure indifferentes et profanas vel mere historicas. Cf. Mt 2,18 (de planctu Rachelis: Gen 35,19; 1er 31,15).

3. Si singulae sententiae Scripturae sunt inspiratae, sunt verbum Dei. Si sunt verbum Dei, possunt verti hoc modo: *Haec dicit Dominus...* Atqui ridiculum est interdum ita vertere; v.gr. «Haec dicit Dominus: 2 Tim 4,13: *Penulam quam reliqui...».*

Resp. Postea dicemus (n.i23ss) quo sensu et gradu sententiae Scripturae dici possunt verbum Dei. Si sunt verbum Dei, possunt verti: «Haec dicit Dominus...» quasi sint *verbum Dei sensu maxime proprio,* cum Deus inducitur loquens vel cum enuntiatur locutio prophetica nomine Dei, conc.; possunt ita verti cum hagiographus *proprium iudicium* ita enuntiat, nego. Tunc enim illud est verbum Dei, eo sensu quod Deus testatur et dicit Paulum, v.gr., habere illud iudicium et illam voluntatem, et quatenus Deus haec per hagiographum curavit manifestanda.

4. Hagiographi illa saltem quae scribunt ex sua industria humana (Io 19, 35; Lc 1,3) non habuerunt ex divina inspiratione. Ergo inspiratio non sese extendit ad omnia.

Nego antec. Etiam illa quae scribunt ex industria sua humana habuerunt ex divina inspiratione, ut n.91 explicatur.

5. Hagiographi aliquando ita loquuntur ut contraponant se Deo, ut auctores aliquarum sententiarum. Ergo hae sententiae non procedunt ex divina inspiratione. *Prob. antec.* | *Cor* 7,12: ceteris ego dico, non *Dominus...*

R.sp. Hoc statutum *(privilegium paulinum circa matrimonium)* promulgatum est vel datum immediate a Paulo et non a Domino, conc.; scriptio huius statuti Pauli fit tantum a Paulo et non a Domino, nego. *Vel aliter:* Haec sententia non est immediate a Deo, ratione materiae, conc.; ratione conscriptionis seu consignationis, nego.

6. Aliquando hagiographus fatetur ea quae scribit esse insipientia (2 Cor 11,1.165.21.23; v.17: *quod loquor non loquor secundum Deum, sed quasi* IN insipientia). Ergo haec nequeunt scribi a Deo.

Resp. S.Paulus dicit se loqui in aliqua hypothesi vel immoderantiae (v.i), vel in hypothesi cuiusdam cogitationis vel criterii humani (secundum ho-

minem), carnalis, naturalis, non spiritualis et supernaturalis, ac proinde minus sapientis vel etiam insipientis. Atque in iis *ironice* loquitur vel *perfiguram rhetoricam concessionis* (v.16: *velut insipientem accipite me).* Ergo non affirmat simpliciter ea quae dicit esse insipientias, nisi ironice et in hypothesi et per figuram concessionis. Quod igitur ipse de sua scriptione non dicit esse, nec Deus dicit esse: scilicet, insipientias veras.

Itaque in *forma:* Paulus dicit illa quae scribit esse vere et simpliciter insipientias, nego; dicit *se facere hypothesim et concessionem. quasi esset* insipiens, *conc. Contradist. cons.* Deus nequit scribere veras insipientias, *conc.;* Deus nequit dicere Paulum facere hypothesim et concessionem quasi esset insipiens Paulus, *nego.*

7. Aliquando hagiographi dubia vel ignoratiam manifestant (Prov 30, 18s; 1 Cor 1,16; 2 Cor 12,2s), vel indeterminate loquuntur (Io 2,6; 6,19). Atqui Deus nequit dubitare aut ignorare, et omnia scit determinate. Ergo hae sententiae nequeunt dici a Deo.

Dist. mai. In his quae dicunt hagiographi exprimitur dubium aut ignorantia Dei, vel eum indeterminate res scire, nego; Deus tunc dicit *hagiographum dubitare vel nescire, vel indeterminate scire, conc.*

8. Sunt aliquae sententiae Scripturae, quae non conveniunt cum originali, v.gr. in 1 Cor 15,51: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur;* in graeco autem habetur: *omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur.* Ergo non omnes sententiae Scripturae sunt inspiratae.

Resp. Loquimur de extensione inspirationis ad omnes sententias textus *originalis;* de apographis et de versionibus ut de Vg, tantum *aequivalenter,* in quantum reddant fideliter sensum originalem.

Dices. Etiam de Vg id dici potest, respondere eius sententias sententiis originalibus; siquidem declarata est authentica (cf. n.148ss).

Resp. Vg declarata est authentica *prout longo saeculorum usu in Ecclesia probata est.* Sed textus allatus fuit critice dubius.

9. In Scriptura sunt res obscurae. Ergo hae proveniunt ab hagiographo, non a Deo.

Conc. antec. Nego cons. et consequentiam. Deus potest per instrumentum humanum res obscuras proponere *absque errore,* propter fines diversos, v.gr. ut fides et attentio magis excitentur... Et nota obscuritatem saepe adesse magis in versionibus quam in originali.

10. Aliquando hagiographus permiftit ut ea quae dicit libere diiudicentur (v.gr. i Cor 10,15: *Ut prudentibus loquor,* vos ipsi iudicate quod dico). Atqui non licet de divinis verbis libere diiudicare. Ergo non omnia in Scriptura sunt verbum Dei.

Resp. S.Paulus id dicit per figuram rhetoricam *approbationis,* ut iudicent iudicio approbativo, *conc.;* permittit ut omnia iudicent iudicio discriminativo et suspensivo, *nego.* (Iam S.Petrus dicebat in 2 Petr 1,20: *Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia scripturae* propria interpretatione non fit).

11. Atqui iuxta Paulum de omnibus possunt libere diiudicare iudicio discernente et suspensivo. *Prob.* 1 Thess 5,20s: *Prophetias nolite spernere.* Omnia autem probate; quod *bonum est tenete.*

Resp. Et hic agit Paulus de rebus stricte scriptis, nego; agit de examine charismatum et de rebus *dictis* et quidem *a privatis* hominibus, *conc.*

12. Aliquando auctor sacer vult roborare suam auctoritatem humanam ut fidem conciliet propriis dictis; v.gr. *Gal* 2,9; 2 *Cor 11,22s.* Atqui Deus, ut fidem conciliet propriis dictis, nequit provocare ad auctoritatem humanam. Ergo in Scriptura non omnia sunt dicta Dei.

Resp. Aliquando hagiographus narrationes inducit vel ponderationes facit, ut sibi conciliet auctoritatem et homines facilius ei credant; tunc *Deus dicit illas narrationes et iudicia esse vera,* et haec sunt etiam iudicia Dei; sed nego suppositum haec esse dicta Dei sensu *maxime proprio,* et ratione materiae, quasi a Deo dicta referantur.

13. Singula charismata et gratiae gratis datae, sicut habent suos fines, ita etiam habent suos limites secundum fines propositos. Atqui finis hagiographorum erat docere nos res religiosas, non profanas. Ergo charisma hagiographorum, inspiratio, habet suos limites, secundum finem religiosum intentum. Ergo non omnes sententiae sunt inspiratae.

Dist. *mai.* Charismata habent suos fines vel propter se vel propter aliud intentos, et suos limites secundum fines sive propter se sive propter aliud intentos, *conc. mai.;* habent tantum fines propter se intentos, *nego mai. Contradist.* min. *et primum cons.* Ergo inspiratio habet suos limites secundum finem propter se et propter aliud intentum, conc. *cons.;* tantum secundum finem propter se intentum, nego *cons.*

14. Si Deus scribit res profanas, agit simplicem historiographum et similia, quod dedecet Deum.

Resp. Si Deus tantum scriberet historiam vel res profanas, trans.; si dum scribit res religiosas vel ad finem religiosum primarium, illas scribit non ieiune, sed concinne et adiunctis concretis, etsi interdum mere profanae videantur, hoc dedecet Deum, nego.

15. Si Deus scribit obiter dicta, haec sunt articuli fidei. Sed hoc videtur absonum.

Resp. Haec obiter dicta sunt de *fide divina, conc.;* sunt *articuli fidei,* i.e. veritates principaliores in corpore dogmatico, nego.

16. In Scriptura inveniuntur *affectus mali praesentes* in hagiographo, v.gr. imprecationes (cf. Ps 108, etc.). Ergo hae sententiae non possunt esse a Deo.

Resp. In Scriptura non possunt inveniri affectus mali hagiographi praesentes. Quoad hoc et quoad *imprecationes* cf. n. 124-127.

17. Sicut prophetae aliquando dum consuluntur, ex magno usu prophetandi, quaedam ex suo spiritu proferunt[40]; ita et auctores inspirati facere possunt. Ergo non omnia sunt inspirata a Deo.

Resp. Prophetae id faciunt, si non constat eos agere ex spiritu divino, trans, et cf. quae n. 122,29 dicimus; si constat eos vera inspiratione prophetica ductos fuisse, nego. De auctoribus inspiratis, cum constet eos vera inspiratione ad scribendum ductos fuisse, id nequit admitti.

121. Ex capite magisterii Ecclesiae. i8. Infallibilitas Romani Pontificis restringitur ad res fidei et morum, sicut et infallibilitas Ecclesiae (D 1839). Ergo et inspiratio librorum sacrorum.

Nego paritatem. Infallibilitas Romani Pontificis conceditur pro peculiaribus adiunctis, sc. cum ex cathedra loquitur de rebus fidei et morum, et habetur, sicut et infallibilitas Ecclesiae, per *assistendam* divinam, quae conceditur pro rebus fidei et morum, et indirecte saltem pro aliis rebus profa-

40 Cf. v.gr. S.Gregorius Magnus, *In Ez hom.* t n.16: ML 76,793; infra, 0.122,29.

nis connexis cum religiosis (cf. n.2395s); *nec ultra haec quidquam aliud probatur.* At inspiratio est qualitas libri qua Deus est auctor simpliciter libri; et repugnat eum non esse auctorem omnium sententiarum, sicuti *abunde probatur.*

19. Scriptura subest Ecclesiae. Ergo et inspiratio Scripturae nequit habere maiorem extensionem quam infallibilitas Ecclesiae.

Dist. *antec.* Scriptura subest Ecclesiae, in quantum debet custodiri et explicari a magisterio Ecclesiae, *conc. antec.; ratione originis,* in quantum liber sacer est liber formaliter Dei ut auctoris, *nego antec.;* et nota actus magisterii Ecclesiae esse actus formaliter hominum.

20. Iuxta Tridentinum nemo debet S.Scripturam ad suos sensus contorquere contra eum sensum quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia *in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium* (D 786). Ergo et inspiratio librorum sacrorum tantum sese extendit ad res fidei et morum.

Nego *consequentiam.* Aliud est positive dicere, ut dicitur in Tridentino, infallibilitatem Ecclesiae *attingere res fidei et moYum quoad interpretationem librorum sacrorum* (cf. n.233-235); et aliud esset negare Deum esse auctorem omnium sententiarum, etiam obiter dictarum, librorum sacrorum. Primum dicitur in Tridentino: alterum non dicitur nec ex Concilio sequitur.

21. Finis declarationis Tridentini de admittendis libris sacris est *confirmare dogmata et instaurare mores* (D 784), mediante sacra Scriptura inspirata. Atqui ex fine interpretandus est sensus et extensio alicuius dicti. Ergo inspiratio Scripturae intelligi debet in iis tantum quae conferunt ad confirmanda dogmata et instaurandos mores.

Dist. mai. Finis declarationis Tridentini *remotus* est confirmare dogmata et instaurare mores, *conc. mai.;* finis *proximus, nego mai.;* est enim declarare ubi *contineatur revelatio divina,* sc. in traditione et in sacra Scriptura, cuius libri integri admittuntur prout in veteri Vulgata latina editione habentur. Dist. *min.* Ex fine remoto tantum interpretandus est sensus alicuius dicti, *nego min.;* etiam, *conc. min.*

22. Sicut in Vulgata declarata authentica quaedam sententiae genuinae non sunt vel dubiae (cf. n.i55ss), ita in libris sacris quaedam sententiae obiter dictae possunt non esse inspiratae.

Nego paritatem, quia de inspiratione obiter dictorum constat *ex probationibus factis;* de genuinitate vero omnium sententiarum Vg non constat, sed *constat contrarium; cf. n. 158.160.* Insuper deesset norma obiectiva ad discernendas sententias inspiratas a non inspiratis.

23. Si omnis sententia originalis Scripturae est inspirata, est verbum Dei et *pertinet ad depositum fidei.* Atqui quod est verbum Dei pertinens ad depositum fidei nequit deperdi, et aliqua obiter dicta originalia Scripturae deperdita sunt. Ergo non omnis sententia Scripturae est inspirata.

Dist. mai. Omnis sententia inspirata Scripturae pertinet ad depositum fidei, *si est sententia per se revelata, conc. mai.;* si est *per accidens* revelata, subdist. ; si hac sententia sublata nequit stare summa veritatum per se revelatarum, *conc.;* secus, *peto probationem. Conc. min. et nego cons. et consequentiam.*

Ergo possunt esse aliquae sententiae inspiratae (et revelatae) quae erant in textibus originalibus, nunc deperditae, quae non pertinebant ad depositum fidei. Hi textus erant utiles vel necessarii *ad finem temporalem* librorum sacrorum (cogita genealogias, nomina plantarum, chronologies...), sed non erant necessarii *ad finem permanentem* et communem horum librorum 41.

Dices. Deus debuisset curare ne vel minime sententiae a se inspiratae deperderentur.

Resp. Deus non necessitatur ad optimum quod nobis videtur.

122. Ex Patribus. 24. *Origenes* ait: «... sermo iste, qui scriptus est [adhuc tres dies et Ninive subvertetur; Ion 3,4] et non est factus, a lona potius, quam a Deo prolatus esse videatur... et non semper ea quae per prophetam dicuntur, quasi a Deo dicta suscipiuntur» 42.

Resp. Origenes in loco agit de iis quae dicunt prophetae, non de sermone *scripto qua scripto,* et refert sermonem lonae ad ipsum lonam, quod non inveniatur in sermone Domini (Ion 3,2).

25. Iterum *Origenes: «...* Paulus... dicit: *omnis scriptura afflatu prodita utilis est;* et cum ait: Dico ego, non *Dominus;* et illud: Sic in *omnibus ecclesiis ordino;* itemque: Qualia passus sum *Antiochiae. Iconii, Lystris, et* his similia, interdum ab ipso scripta, et iuxta potestatem, non tamen secundum accuratam sinceritatem *sermonum qui sunt ex divina inspiratione...»43 44* Ergo non omnia habet ut inspirata.

Resp. Origenes loquitur de differentia praestantiae quae est inter Evangelium et alias scripturas, ratione materiae, et Evangelium vocat totius scripturae *primitias; ergo* cetera sunt etiam scriptura.

26. *S. Basilius: «...* rationalis omnis creatura *modo aseipsa loquitur,* modo ea quae Dei sunt, ut cum dicit Paulus: De *virginibus autem praeceptum Domini non habeo; consilium tamen do...* Et aliquando Moyses: *Gracili voce et tarda lingua ego sum* [Ex 4,10]. Aliquando vero is ipse: *Haec dicit Dominus: Emitte populum meum ut mihi serviat* [Ex 5,1]» .**

Resp. Alludit ad illa quae ratione materiae non sunt dicta Dei sensu maxime proprio, ut quae a Deo prolata referuntur. Sed aperte agnoscit in eodem loco omnia esse a Spiritu: «Omnis scriptura divinitus inspirata, etiam utilis est, quippe quam locutus sit Spiritus» 45.*

27. *S. Chrysostomus* alludebat ad verba Pauli (Act 23,6s), qui, sciens ex auditoribus aliam partem esse Sadducaeorum, et aliam Pharisaeorum, exclamavit: Pharisaeus sum... de spe et resurrectione mortuorum ego iudicor... Et facta est dissensio inter Pharisaeos et Sadducaeos; et ait Chrysostomus: «Rursum [Paulus] humano more disserit, nec semper gratia fruitur; sed etiam aliquid a seipso permittitur afferre...» 40.

Resp. Chrysostomus alludit ad illam concionem Pauli, in qua non agit ex revelatione, et ex sua industria humana vult dividere adversarios suos... Non agitur de inspiratione sententiarum Actuum.

41 De his, cf. De San, *De divina Traditione et Scriptura* (Brugis 1403) n.368; Muller, De *verbo Dei revelato*2 (Oeniponte 1923) th.13 n.80-83; Lercher, Theologia *fundamentalis* (1927) n 586: Lercher-Schlacenhaufen, n.586.

42 In Num hom. 16,4: MG 12,693 BD-

41 In Io 1.5: MG 14,28.

44 Adi-ersus Eunomium 5,2: MG 29,765 B.

45 Ibid.: MG 29.765 A.

44 In Act hom. 49,1: MG 60,337.

28. Iterum *Chrysostomus:* «Qui autem Spiritu omnia loquitur, non laborat»47. Atqui in multis laboraverunt hagiographi. Ergo in multis non a Spiritu.

Resp. Chrysostomus agit de praeeminentia prophetiae prae doctoribus; quia in illo charismate *omnia a Spiritu,* et nihil a parte humana: «ideoque—ait—post prophetam illum [doctorem] posuit; quoniam illud quidem totum est donum, hoc autem etiam humanus labor».

29. *S.Gregorius Magnus:* «Sciendum quoque est quod aliquando prophetae sancti dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quaedam ex suo spiritu proferunt, et se haec ex prophetiae spiritu dicere suspicantur...»48.

Resp. S.Gregorius agit de iis quae *dicunt* prophetae aliquando, non de sermone *scripto qua scripto.*

30. Patres testantes universalem extensionem inspirationis ad omnes sententias, ideo id faciebant quia non noverunt difficultates scientificas modernas et facilius se expedire potuerunt quam nos.

1) *Trans, et nego consequentiam.* Neque enim auctoritas Patrum cogit nos in explicationibus quas proponunt ut doctores privati et in modo particulari solvendi difficultates; sed cogit nos magisterium et consensus eorum ut testium rei revelatae vel connexae cum revelatis, scilicet in casu, cum testantur inspirationem extendi ad obiter dicta.

2) Patres habuerunt interdum magnas difficultates solvendas; nec illas declinabant negando inspirationem extendi ad profana..., sed adhaerendo firmiter doctrinae maiorum traditae, recte cogitantes obiectiones adversus eam esse nihili.

Quo sensu et gradu singulae sententiae Scripturae dicantur «verbum Dei»

Pesch, n.436-450; Bea, n.68-72; Tromp, *De inspiratione5* prop.7.

123. Si inspiratio sese extendit ad omnes omnino sententias Scripturae, Deus utpote auctor omnium sententiarum aliquid per illas vult nobis communicare. Ergo omnes sententiae Scripturae sunt «verbum Dei». Et ideo Ecclesia vocat sacram Scripturam *verbum Dei scriptum* (D 1792; CIC cn.1323 § I).

Omnia igitur quae sunt in Scriptura sunt verbum Dei *ratione inspirationis vel, ut dici solet, ratione consignationis.*

Sed ratione materiae hoc non de omnibus sententiis eodem modo praedicari potest.

Sic inveniuntur in Scriptura:

a) dicta quae directe a Deo vel a Christo Domino (etiam secundum naturam humanam) *prolata referuntur,* et haec sunt *verbum Dei sensu maxime proprio, ratione scilicet consignationis et materiae;* v.gr. Apoc 2,iss; «Angelo Ephesi ecclesiae scribe:

47 *In i Cor hom. 32,1:* MG 61.265.
48 *In Ez hom.* 1,16; ML 76,793.

Haec dicit qui...»; Act 10,13; 11,7; vel cam prophetae dicebant: «Haec dicit Dominus...».

b) Alias narrantur *quae Deus dixit per angelum, legatum...* vel quae dicunt apostoli ut legati Dei infallibiles, et *haec, praeter rationem consignationis, sunt verba Dei mediate et indirecte, propter missionem legati.*

c) Alia sunt *quae hagiographus desumit ex S.Scriptura,* et *haec bis sunt verbum Dei ratione consignationis;* vel illa quae alii dixerunt sub inspiratione prophetica (v.gr. Lc 1,42: Elisabeth plena Spiritu Sancto; Lc 1,4655: *Magnificat;* Le 1,673s: *Benedictus),* et hic habetur *locutio prophetica et simul locutio inspirata* propter consignationem.

d) Sunt alia quae hagiographus ex diversis fontibus hausit vel ex propria industria cogitavit, et dicit *nomine proprio,* et haec *sunt verba Dei quatenus Deus ea per hagiographum,* vel utens hagiographo ut instrumento rationali, *voluit manifestanda.*

124. Ut sequelae ex praecedentibus eruitur: i) *Narrationes, argumentationes, insinuationes, dicta hagiographi: sunt simul iudicia illius et iudicia ipsius Dei* (cf. D 2179s; EB 420 [433]).

Quod si probabilitas vel dubium, vel ignorantia, vel coniectura aut indeterminatio aliqua exprimitur, hoc non se habet ex parte cognitionis divinae, quae semper certa est et plena, sed ex parte terminorum cognitionis divinae; scilicet Deus asserit hagiographum non eruere ex fontibus certis, vel dubitare, vel ignorare, vel coniectura aut indeterminatione rem cognoscere. Aliud est profecto *Deum nescire aut dubitare...* (quod fieri nequit); et aliud est *Deum asserere dubium, ignorantiam... hagiographi.*

Expressio talis dubii aut ignorantiae, etc., fine non caret; nam, praeterquam quod aliqua iam notitia est, licet indeterminata, exinde saepe aliquid certum colligere possumus. Sic, v.gr., i Cor 1,16 ostendit S.Paulum aliis ut plurimum reliquisse administrationem baptismi.

2) Si *hagiographus refert alios profanos dixisse aliquid vel scripsisse:*

si mere refert, quin approbet vel improbet, tunc Deus testatur veram esse referentiam vel eos revera id dixisse aut scripsisse; et hoc est verbum Dei;

si *insuper illa approbantur* vel laudantur, Deus illa insuper approbat vel laudat: cf. Mc 12,32-34; Tit 1,12; lob 42,7 [49];

si *reprobantur,* Deus etiam illa reprobat: Io 8,49.

49 Non tamen ex hoc sequitur omnia et singula dicta lob esse laudata; cf. enim lob 42,3.

Si hagiographus refert fontem profanum quin fontem nominet, tunc datur *citatio tacita vel implicita* (cf. n. 176,3; 186): et tenendum est hagiographum tamdiu in se suspicere responsabilitatem illius, quamdiu non demonstretur solidis argumentis eum illam citationem nec probare nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui (D 1979; EB 160 [153]).

3) *Quoad actus voluntatis hagiographi: mandata consilia...* implicite exprimitur hos actus revera adfuisse vel adesse, et hoc est etiam iudicium Dei; sed *ipsa praecepta et consilia sunt actus solius hagiographi,* si loquitur nomine proprio (v.gr. 1 Cor 7,12; 11,17; 1 Tim 5,23). Tunc enim sunt inspirata ratione consignationis, non ratione materiae.

Si vero consilia sunt iudicia doctrinalia de utilitate aut convenientia alicuius rei, tunc valet quod de iudiciis diximus sub 1).

4) *Quoad narrationem vel assertionem affectuum ipsius hagiographi,* iudicium tales affectiones adfuisse vel adesse est etiam iudicium Dei.

De honestate vel bonitate morali affectuum praeteritorum hagiographi, nihil affirmatur per consignationem eorum in libro inspirato. Item quoad eorum indolem naturalem vel supernaturalem.

Circa affectus vero praesentes hagiographi (et circa *actus voluntatis praesentes* illius), v.gr. affectus amoris, odii, spei, mirationis, gaudii, doloris...: quoniam hagiographus videtur approbare affectum praesentem deliberatum, et quoniam Deus illum excitat ad scribendum, et scriptio, sicut expressio oralis alicuius actus interni, est unum morale cum actu interno; ideo *affectus praesens hagiographi debet esse moraliter bonus* et affectus malus praesens nequit conciliari cum inspiratione libri.

Idem valet de actibus praesentibus voluntatis illius.

125. 5) De imprecationibus 50. Ad imprecationes quae in sacra Scriptura leguntur explicandas (v.gr. Ps 7; 34; 51; 57, 72; 58,6-16; 68,23-29; 78,6.12; 108,6-19; 136,6-9...) attend certe potest *ad indolem hyperbolicam orientalium* et ad symbola et ad descriptiones poëtice exaggeratas; sed *non ad duritiem morum antiquiorum:* quia, cum S.Scriptura sit inspirata a Deo, tantum ea quae moraliter sunt bona a Deo inspirari possunt.

50 De imprecationibus, cf. S.Th., 2.2 q.83 a.8 ad 1; q.25 a.6 ad 3; R.Cornely, *Introductio in V.T. libros sacros* 1'2, editio altera (Parisiis 1897) n.195 P· 120-123; Pesch, n.447; *Institut, biblicae i6* l.i n.78; Bea, *De inspiratione n.71;* B.Santos Olivera, De *imprecationibus in psalmis:* VerDom 4 (1924) 143-148; A.Vander Heeren, *De honestate, consectario inspirationis:* CollatBrug 26 (1926) 346-358; M.de Tuya, O.P., *El problema btblico de las timprecaciones»: principios de solucibn:* CiencTom 78 (1951) 171-192; 79 (1952) 3-29.

Neque recursus valet ad imperfectionem moralem V.T. Verum quidem est V.Testamentum se habere ad Novum, sicut minus perfectum ad magis perfectum; sed non sicut malum morale ad bonum morale. Iam vero odium inimicorum est actus, non minus perfectus, sed moraliter malus. Atque in N.Testamento non desunt imprecationes (v.gr. Act 8,20; 18,6; Gal i,8s; Apoc 6,10; i8,6s.2o).

Sed notare iuvat, quoad psalmos imprecatorios Davidis, *de eo auctore agi, qui aliunde mitis indolis esse cognoscebatur* (v.gr. i Reg 24 et 26: cum Saule; 2 Reg 4,9-11: vindicat David interfectionem sui aemuli Isboseth; 2 Reg 9: et volebat facere misericordiam iis qui remanserant de domo Saul; 2 Reg 16,5-14: qui Semei maledicentem et mittentem lapides contra se et universos servos regis benigne tulit). Unde merito aliae explicationes cogitantur ad solvendas difficultates quae ex imprecationibus oriuntur.

Et quidem, *iuxta S.Thomam*51, «imprecationes quae in sacra Scriptura ponuntur, quadrupliciter possunt intelligi: *primo secundum quod prophetae solent in figura imprecantis futura praedicere...»; et* ideo intelligi possunt «per modum praenuntiationis, non per modum optationis, ut sit sensus: *Convertantur peccatores in infernum,* id est *convertentur*»52,53atque interdum Vg ponit optativum ubi TM ponit simplex futurum5J.

«Secundo, prout quaedam temporalia mala peccatoribus quandoque a Deo in correctionem mittuntur». «Si autem aliquis—ut ait idem S.Thomas in alio loco—imperet vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum; nec erit maledictio, per se loquendo, sed per accidens, quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum»54.

«Tertio quia [prophetae] intelliguntur petere non contra ipsos homines, sed contra regnum peccati, ut scilicet correctione hominum peccata destruantur». Adverte etiam hagiographum loqui interdum non *ut persona privata* contra privatum inimicum, *sed nomine Dei vel populi electi contra inimicos Dei et regni Dei,* quod regnum erat ipse populus Israel.

«Quarto [prophetae] conformant voluntatem suam divinae iustitiae circa damnationem perseverantium in peccato».

126. De psalmo 108. Imprecationes, quae vere durae leguntur in Ps 108,6-19 (si non ponuntur in ore inimicorum David contra ipsum Da-

51 2.2 q.83 a.8 ad i.
52 2.2 q.25 a.6 ad 3.
53 Ut ait S.Augustinus, *In Ps 34* n.8 (ML 36,328): «quae figura optandi dicuntur, animo prophetandi explicantur. Illud *fiat* et illud *Jiat,* nihil est aliud quam hoc *et hoc Juturum est».* Atque /n *Ps ro8 n.7* (ML 37,1435): «in vçrbis quasi mala optantis intelligamus praedicta prophetantis».

vid [cf. v.5.20], iuxta infra dicenda), continent *more hyperbolico* orientali amplificationem iusti desiderii humiliationis peccatorum, utpote inimicorum Dei, et ut Deus propter *nomem suum* (cf. v.21.27) stet promissis. Dum autem talis humiliatio exoptatur, id quod moraliter non est inhonestum, nimirum si ad correptionem vel ad iustitiae sensum optatur, simul fit *praedictio eorum quae de facto evenient* (cf. n.125). Atque S.Petrus (Act 1,20) de luda id dictum intellexit vel ipsi accommodavit (v.8: *Fiant dies eius pauci, et episcopatum* [munus] eius *accipiat alter).*

Attamen iuxta alios[54] verba imprecantia supponi possunt prolata ab ipsis inimicis David contra David (v-4s: pro eo ut *me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam; et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea;* v.20: *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum, et qui loquuntur mala adversus animam meam).* Ad hanc interpretationem commendandam nota quomodo David loquatur de inimicis suis (v.3-5) numero plurali; postea vero non apparet imprecatio in eos numero plurali, sed repente fit imprecatio in aliquem numero singulari (v.6ss: *Constitue super eum peccatorem...);* et bene intelligitur hoc esse odium quod inimici habent in David pro dilectione (v.5), quod locuti sunt adversus eum lingua dolosa (v.2s).

In hac interpretatione verba Petri de luda essent vel accommodatio vel referrent quod *oportuit* (graece, in aoristo) *impleri Scripturam...* (Act 1.16) *de luda; eo* sensu quod in Christum imprecarentur quidem inimici, sed imprecationes in inimicos reciderent, iuxta ipsam quoque Scripturam (Gen 12,3; Ps 7,17); adeo ut de luda diceretur: *Fiant dies eius pauci et episcopatum eius accipiat alter.*

127. 6) *Quantum ad affectus et actus voluntatis aliorum,* qui referuntur in Scriptura, asseritur eos revera hoc actus et affectus habuisse, et hoc est verbum Dei; sed per se nihil de eorum approbatione vel recriminatione dicitur.

Thesis 6. Inspiratio verbalis in sensu «dictationis mechanicae» non est generatim admittenda.

Pesch, n.451-467; Müller. *De verbo Dei revelato* th. 14; Lercher (a. 1927) n.570-580; Hoepfl-Gut, n.70-72.

128. Etsi hodie non defendatur inspiratio verbalis in sensu «dictationis mechanicae»; at complementi gratia et ut cognoscamus vitia *per excessum* in explicanda inspiratione oportet de illa agere.

129. Notiones. Inspiratio verbalis duplex concipi potest, et de facto duplici modo concepta est:

54 2.2 q.76 a.i c.

55 F.Zorell, addit's rationibus potissimis, recenset cos qui sequentem modum interpretandi adhibendum praeferunt; *Psalterium ex hebraeo latinum2* (Romae 1939) 277-279· Difficultates tamen, quas habet haec interpretatio, proponuntur a Professoribus Pontificii Instituti Biblici, *Liber Psalmorum cum canticis Breviarii Romani2* (Romae 1945) in introductione ad ps.108.

Alia quasi dictatio mechanica verborum ab ipso Deo, vel quasi revelatio sive determinatio aut suggestio singulorum verborum in individuo. Sic hagiographus esset quasi amanuensis scribens ea quae Deus dictaret.

Alia species inspirationis verbalis vocari potest psychologica, in quantum verba materialia psychologice connectuntur cum conceptibus internis et cum sententiis. Liber enim non exsistit sine sententiis, ideis et verbis; ac proinde inspiratio cadens in librum, cadet etiam in verba. De inspiratione verbali hoc modo concepta sermo erit infra n.i36ss.

Cum negamus dictationem mechanicam verborum per inspirationem, nolumus negare determinationem verborum aliquando in individuo, si *probetur* (v.gr. si quis illam probaret pro Io 1,14: *Et verbum caro factum est...;* aut pariter pro aliquibus verbis: Verbum, Sapientia...) Ideo dicimus talem dictationem non esse *generatim* admittendam.

130. Adversarii. Haec theoria *cohaeret cum theoria inspirationis manticae* ad prophetiam, quam Tertullianus, factus montanista, defendebat >; et similiter antea schola alexandrina Philonis 1 et Flavii Iosephi 3.

Ex professo illam sustinuerunt *veteres rabbini* affirmantes determinationem singulorum vocabulorum, quin et litterarum formas per Deum4.

Protestantes antiquiores, quos nonnulli recentes orthodoxi sequuntur, similiter inveniuntur dicentes syllabas, litteras, apices in sacris litteris provenire a Deo.

Ita A.Quenstedt (f 1688), qui inter alia dicebat esse blasphemum velle loqui de soloecismis et barbarismis in libris sacris, quia sic ipse Deus accusaretur, qui hagiographis «verba ipsa et phrases illis infudit situmque et nexum verborum dictavit et inspiravit» 5.

Et iuxta *Formulam consensus Helveticam* (a. 1675): «... hebraicus Veteris Testamenti codex, quem ex traditione ecclesiae iudaicae, cui olim oracula Dei commissa sunt, accepimus hodieque retinemus, tum quoad consonas tum quoad vocalia, sive puncta ipsa sive punctorum saltem potestatem, et tum quoad res tum quoad verba θεόπνευστο ...». Sed haec formula anno 1725 abrogata fuit6.

1 *Adversus Mare.* 4,22: ML 2.443.
2 Cf. Pesch, *De inspiratione n. 15s; Instil. biblicae* i<> l.i n.55.
Cf. *Antiquit.* 4.6s: *Opera* (Didot) 1,126. Item *Inslit. biblicae i6* l.i n.55.
4 Cf. Pesch, n.23.
5 *Theologia didactico-polemica* s.2 q.3-6; Pesch, n.229.
6 Pesch, n.2i$.

131. Doctrina Ecclesiae. Documenta Ecclesiae, quae loquuntur de inspiratione, supponunt laborem personalem et humanum hagiographi, non merum laborem amanuensis aut manticum in exstasi.

Ita v.gr. *Concilium Vaticanum,* explicans in quo consistat inspiratio, dicit Ecclesiam suscipere libros ut sacros «non ideo quod *sola humana industria* concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati...» (D 1787). Ergo insinuatur aliqua industria humana ad illos concinnandos.

Leo XIII *(«Providentissimus»)* describit hunc laborem humanum et rationalem hagiographi (D 1952).

Item Benedictus XV *(«Spiritus Paraclitus»)* explicat doctrinam S.Hieronymi contrariam dictationi mechanicae, qui «nihil praeterea dubitat, quin singuli eorum [librorum sacrorum] auctores, pro sua quisque natura atque ingenio, operam afflanti Deo libere navarint...» (EB 448 [461]), et inculcat explicationem Leonis XIII circa laborem humanum hagiographi (EB 452 [465])·

Valor theologicus. Thesis est *certa et communis.*

132. Probatur ex sacra Scriptura. Ex Scriptura constat auctores librorum sacrorum saepe non *mere passive* se habuisse ad librum conscribendum, sed laborasse, insudasse, et suo labori tribuere defectus. Ita Lc 1,3 in prologo; et auctor 2 Mach (2,24-32; 15,39).

Item exscribunt documenta ex fontibus (in libris Reg, Par, 2 Mach...); unde apparet non necessario, sed superflue, Deum illa dictaturum fuisse.

Diversitas styli in diversis libris; item defectus grammaticales et litterarii; *diversus modus citandi mere* ad sensum verba Scripturae (v.gr. Rom 9,33 Is 8,14; 28,16. Item 2 Reg 22 Ps 17); diversus modus citandi verba Domini in institutione Eucharistiae (Mt 26,26-28; Mc 14,22-24; Lc 22, 19.20; i Cor 11,23-25)...: haec omnia non supponunt dictationem mechanicam ab uno eodemque auctore principali divino, sed implicant in libro influxum diversum instrumenti adhibiti.

133· Probatur ex traditione. Patres inculcant *valorem sententiarum* in Scripturis; non praecise syllabarum et apicum, nisi emphatice et oratorie (cf. n. 143,5).

Ita S.Hieronymus: «Alii sÿllabas aucupentur et litteras, tu

quaere sententias»7. Idem Hieronymus: «Nec putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis» 8. Atque idem Hieronymus tribuit diversitati praecise hagiographorum diversitatem styli quae animadvertitur in libris sacris (cf. 0.145).

S.Augustinus: «[Discrepantia accidentalis in evangelistis erat ut] simul etiam, quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, intelligeremus non tam verborum quam rerum quaerendam vel amplectendam esse veritatem, quando eos qui non eadem locutione utuntur, cum rebus sententiisque non discrepant, in eadem veritate constitisse approbamus»9. Atque ex eodem Augustino utile est fidei habere diversas formas expressionis in evangeliis, «ne putemus quasi consecratis sonis, ita muniri veritatem, tamquam Deus nobis, quemadmodum ipsam rem, sic verba quae propter illam sunt dicenda commendet; cum potius ita res quae dicenda est, sermonibus per quos dicenda est, praeferatur; ut istos omnino quaerere non deberemus, si eam sine his nosse possemus, sicut illam novit Deus, et in ipso angeli eius» 10.

134. Ratio theologica. Non *requiritur dictatio et determinatio verborum a Deo, ut Deus sit auctor principalis Scripturae.* Ille enim satis censetur auctor principalis libri vel epistolae, qui alium inducit ut sua sensa eaque sola scribat, et curat ne verbis ineptis exprimantur.

Quod *confirmatur ex responsionibus Commissionis Biblicae,* iuxta quas et Moyses haberi potest *auctor* Pentateuchi, si alii propria illius sensa fideliter'expresserint, ab ipso Moyse concepta et post scriptionem approbata (D 1998; EB| 125). Item S.Paulus haberi potest auctor epistolae ad Hebraeos, etiamsi alius illam *ea forma* donavit qua prostat (D 2178; EB 418 [431]).

Ergo Deus *potest esse* cauda principalis libri sacri, quin determinet verba scribenda. Atqui non est asserendum hoc factum determinationis verborum, quod esset factum supernaturale, nisi de eo clare constet; non enim multiplicanda sunt entia sine necessitate.

135. Obiectiones. 1. Homines modificant ea quae alibi scripserunt. Ergo et Deus potest diverse referre ea quae in diversis libris nobis retulit, diverse dictando diversis hominibus.

7 Epist. 57 (ad Pammachium) n.6: ML 22,572.
8 *In Gal* 1,11: ML 26,347.
9 *De consensu evangelist.* 2,12,28: ML 34,1091. Cf. *ibid.,* per totum n.28, ct n.27.
10 De consensu *evangelist.* 2.66,128: ML 34,1130.

Resp. Homines id faciunt cum volunt scriptionem propriam *emendare pro nova editione, conc.;* sed hoc non est cogitandum de Spiritu Sancto. Homines id faciunt cum referunt verba aliorum, *subdist. :* generatim, *nego;* aliquando, *trans.* Sed adverte id facere auctores sacros cum verba referunt *aliorum;* et praeterea maxime adverte nos non agere quid potuisset esse, sed quid de facto est, relate ad dictationem verborum per Deum in individuo. Ceterum *potuisse* Deum determinare verba in individuo, non negamus.

2. Secundum Ier 36,18: Ieremias *ex ore suo* loquebatur quasi legens *ad me* [Baruch] *omnes sermones istos...* Atqui qui legit, etiam verba materialia legit. Ergo verba materialia habita sunt per dictationem Dei.

Resp. 1) Id si probaret pro hoc casu et pro hac occasione, non ideo probaret pro *omnibus* casibus et libris.

2) Ieremias iubetur scribere non revelationes quas modo debebat accipere, sed illas *quas antea acceperat* (36,2), et quas ex parte saltem ut merito supponi potest—iam scripserat et pro concione repetiverat. Sic potuit dictare e memoria, quasi legens [11].

3. Hagiographi iubentur scribere *verba Dei* (passim). Ergo verba habita sunt per dictationem.

Dist. *antec.* Iubentur scribere verba Dei *formalia,* i.e. sententias, *conc. antec.;* verba Dei materialiter dictata, *peto probationem.*

4. Veteres theologi non raro argumentantur ex verbis psalmi (44,2): *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis,* ut dicant verba esse inspirata [12]. Ergo auctor sacer est quasi calamus, et Spiritus Sanctus quasi scriba. Atqui *scriba dictat verba.* Ergo et Spiritus Sanctus.

Resp. Haec verba in psalmo volunt dicere auctorem adeo esse commotum ut *fluenter* dicat. Quodsi auctor psalmi comparatur calamo scribae, non ideo omnia in comparationibus sunt premenda. Veteres theologi tantum analogia et accommodatione uti potuerunt ex verbis huius psalmi.

5. Inspiratio tantum comprehendit, quantum conscriptio libri. Atqui conscriptio libri comprehendit verba materialia. Ergo et inspiratio illa comprehendit et dat.

Dist. antec. Inspiratio idem comprehendit ac conscriptio libri, quantum ad eius *partem formalem,* scilicet quantum ad sententias, *conc. antec.;* quantum ad *partem materialem* verborum, subdist.: inspiratione verbali psychologica, de qua statim, *conc.;* inspiratione verbali dictationis mechanicae, *iterum subdist.:* generatim, *nego;* aliquando, *trans.*

6. Inspiratio debet etiam comprehendere materialem conscriptionem verborum in individuo. *Prob.* Sicut magister movens manum pueri scribentis est causa principalis formae determinatae materialis linearum, ita et Deus utens hagiographo ut instrumento est causa principalis verborum determinatorum materialium Scripturae.

Nego subsump. Ad probationem, *nego paritatem.* Actio magistri ut causae principalis *scriptionis materialis* nequit esse sine actione in determinata forma linearum; sed actio Dei ut causae principalis libri conscribendi, potest

[11] Cf. Knauenbauer. Common, in *leremiam* 36,4; Pesch, n.381.
[12] Cf. v.gr. D.BÁÑez, *ScMarlica commentaria* in I *partem* q.1 a.8 prolog., secunda conclusio; cf. Pesch, n.278.

esse sine dictatione verborum in individuo: in uno casu agitur dc material* scriptione, in alio autem agitur de libro; sunt res diversae. Hisce tamen non negamus inspirationem vero aliquo sensu, de quo statim. ad verba sese extendere.

Thesis 7. Theoria inspirationis verbalis «psychologicae» praeferenda videtur.

Bea, n.53-59; Hopfl-Gut, n.107-120; *luslit. biblicae i6* l.i n.54-67: Bainvbl, n.113-123; Pbsch, n.468-472; *Supplementum* n.7-9; Tromr. *De inspiratione5* prop.6 pars 4.

136. Status quaestionis. Reiecta inspiratione verbali in sensu dictationis mechanicae vel suggestionis verba singula determinantis, *omnes tamen admittunt inspirationem aliquo certo modo ad verba extendi.* Hic vero influxus extenditur non tantum ad verba mentis quibus ideae et sententiae interne repraesentantur, sed etiam ad verba imaginationis et materialia:

a) in quantum Deus eligit determinatum hagiographum, certis dotibus naturalibus pollentem, tali lingua utentem, arte rhetorica vel natura poetica donatum, etc.;

b) in quantum Deus movet ad determinatum genus litterarium: poeticum, didacticum, oratorium, narrativum...;

c) in quantum Deus assistit ut scriptor infallibilis reddatur dum verbis externis scriptum exprimit.

137. *Sed insuper quaeritur utrum sit alius sensus* sintque aliae rationes quibus inspiratio verbalis, pro ipsis scilicet verbis materialibus, defendi debeat aut illam defendere oporteat.

Hic novus sensus potest hoc modo exprimi: *Deus, ut causa principalis libri, influit non tantum in sententias vel in sensum, non tantum in compositionem mentalem et internam rerum dicendarum, sed etiam in ipsa verba seu formam externam locutionis.*

138. Inter rationes quae afferuntur ad hoc affirmandum, minus placent illae quae ab aliquibus auctoribus desumuntur ex conceptu praeiudicato causae instrumentalis, ita ratiocinantibus: Deus est causa principalis libri, homo causa instrumentalis; sed effectus proveniens ex causa principali et ex causa instrumental! subordinata *totus provenit totalitate effectus ab utraque causa;* ergo tota scriptio libri sacri, atque ideo ipsa verba materialia, proveniunt a Deo et ab homine.*

l Cf. Bea, n.24. Ibi auctores citatos pro hac sententia: in genere auctores sic dictos <tho' mistas». De sententia antiquorum, ut *Mdchioris Cano, Dominici Bdnez, Billuart...* et quo sensu defenderint inspirationem verbalem, vide textus quos collegit Pesch, n.277-280, ct cf. *Instit. Biblicae* i6 l.l n.s8s; ct Hoepfl-Gvt, n.nt.

Talis vero modus ratiocinandi videtur esse a priori, ex theoria philosophica; nunc vero agitur de explicando facto revelato inspirationis librorum, primario ex fontibus revelationis. Insuper illa ratiocinatio videtur obnoxia aliquibus exceptionibus 2.

Ergo ratio quae placet ad inspirationem verbalem affirmandam alia est, ut infra in probatione apparebit; quoniam vero potissimum desumitur ex quadam connaturalitate «psychologica»: hinc nomen quod huic theoriae applicatum est 3. Quae quidem theoria vult vitare nescio quid violenti, aut illam *vivisectionem4* inter viva elementa scripti inspirati, scilicet inter conceptionem mentalem internam rerum et sententiarum ex una parte, et formam externam seu elocutionem ex alia parte.

139. Adversarii 5. Quamquam diversitas inter auctores catholicos in hac quaestione non magna est, si ad omnia attenditur quae quisque dicit aut supponit6; videntur nunc inter adversarios huius inspirationis verbalis «psychologicae» numerandi illi, qui tenent non requiri ut actio Dei inspirativa sese extendat ad ipsa verba materialia.

140. Ita sensit L.Lessius7.

Ita Cardinalis Franzelin, qui distinguit inter *partem formalem libri* (res et sententias) et *partem materialem* (verba, formam externam grammaticalem et litterariam); sufficere vero ut aliquis sit auctor libri, si curat ut alius cooperator sua sensa eaque sola scribat, modo simul curet ne verbis ineptis illa propria sensa exprimantur. «Si ergo Deus sua inspiratione rerum et sensuum ita agit in hominem inspiratum ad scribendum, ut liber scriptus *infallibiliter vi ipsius operationis divinae* vere et sincere contineat sensa Dei, cum ipsa inspiratione cohaereat necesse est seu in ea includatur talis operatio divina, ut homo scribens non solum actu eligat, sed etiam *infallibiliter eligat signa apta* ad res et sententias inspiratas vere et sincere exprimendas, atque adeo in signorum aliorumque quae ad partem materialem pertinent, apta electione reddatur infallibilis»8.

2 Sunt auctores qui, reicientes theoriam supra expositam, admittunt inspirationem ad verba sese extendere, sed ex aliis rationibus. Ita Bainvel. *De Scriptura sacra* n. 113-123; Merk, *Instit. Biblicae* i5 I.T n.63-68: admittentes distinctionem a Franzelin inductam inter elementum formale et elementum materiale libri. Cf. et Bea, n.25.

3 De hoc nomine, cf. Pesch, *Supplementum* n.8s; Merk. *Instit. Biblicae* Is I.i n.66.

* Hoc nomen primum a Dausch. dein a Loisy. et ab aliis adhibitum, celebre in tota hac controversia factum est. Cf. Pesch. n.454 in nota 3.

3 De tota evolutione et historia sententiarum in hac re. breviter, cf. *Instit. Biblicae* † I.i n.54-67.

6 Vide quae dicit Bea, n.53.

7 De Lessio, cf. Pesch, n.283-287; Bea. n.16.

» *Tractatus de diuina Traditione et Scriptura4* p.3i6ss, praesertim p.323· De mente Cardinalis Franzelin circa inspirationem scripsit L.Arnaldich, O.F.M., *La naturaleza de* (a *inspiracidn segtm el Cardenal Franzelin:* XIV Sem. Bibi. Espartola p.131-163.

Hinc rationem extensionis inspirationis ad verba desumit auctor ex capite *electionis infallibilis verborum aptorum,* quae quidem electio facta est et provenit *ab ipso hagiographo.*

Alii auctores sententiam Cardinalis Franzelin, vel similem prosecuti sunt, ut F.Schmid, G.J.Cretς, Cardinalis Mazzella, J.Knabenbauer, Ch.Pesch, R.Cornely, Van Laak, Ae. Dorsch... °.

141. S.Tkomp, probe distinguens inter scriptionem *realern* et scriptionem *mentalem* libri, concedit quoad conscriptionem realern libri, omnia et singula verba, etiam quoad *haec* verba sunt, simul esse a Deo, simul ab homine, prout illa conscriptio subest *iudicio practice approbative,* scilicet dum hagiographus iudicat conscriptionem realern congruere conscriptioni mentali seu signa graphica recte exprimere res communicandas Ideo «rerum conceptio est simpliciter ex illustratione divina; *verba sunt etiam ex illustratione divina,* attamen non necessario quatenus sunt haec verba simpliciter, sed *quatenus hisce verbis, etiamsi humanitus acceptis, apte exprimi dijudicetur quod exprimendum est»* 9.1.1Quare huic auctori non placet, si agitur de compositione vel conscriptione mentali libri, inspiratio verbalis «psychologica» (prae oculis habens qui eam intelligunt veluti suggestionem verborum). Electio enim vocabulorum aptorum ad sensa inspirata exprimenda relinquitur activitati propriae hagiographi, etsi postea hic, *iudicio suo speculativo approbativo* formae externae electae, supernaturaliter et infallibiliter iudicat de aptitudine expressionis externae electae ›2.

142. Doctrina Ecclesiae. Nullum est.documentum magisterii Ecclesiae quod theologice cogat ad hanc explicationem vel theoriam, quam suscipimus. Nihil quoque vetat quominus sustineri possit sententia Cardinalis Franzelin, vel similis; eo quod theologice sufficiat sustinere auctorem libri, Deum, esse auctorem quoad partem formalem libri (res et sententias), relinquendo instrumento partem materialem.

Immo videntur favere huic sententiae aliquae *responsiones Commissionis Biblicae,* quibus permittuntur analogae hypotheses: Sic *Moyses* habere potest *auctor Pentateuchi,* si opus a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisit, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent, ac tandem opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probaretur (D 1998; EB 182 [175]). Item *S.Paulus* haberi potest *auctor epistolae ad Hebraeos,* etiamsi alius illam *ea forma* donavit qua prostat (D 2i78;EB 418 [431]).

Ergo ex his—dices—Deus *potest esse* causa principalis libri,

9 Cf. Hoepfl-Gut, n.108; *Instit. Biblicae* i6 I.i n.62.
l® *Dc S.Scripturae inspiratione3* p.94; ct pro termino *iudicium practicum approbativum* p.88. Cf. supra, n. 93
l* *Ibid.,* p.99.
12 Cf. *ibid.,* p.93'105·

homo vero causa instrumentalis rationalis, quin Deus determinet verba scribenda vel quin ad illam positivum suum influxum extendat.

Esto. Sed hic a nobis quaeritur non de iure aut de mera possibilitate, sed *de facto,* quid nimirum Deus fecerit et quid congruentius dicitur.

Valor theseos. Assumimus theoriam theseos ut explicationem *magis probabilem et magis congruentem.*

143. Probatur. 1) Negari nequit, iuxta usum loquendi ordinarium, auctorem libri non tantum indicare sententias, sed *ordinarie* etiam ad verba attendere et illa scribere vel indicare. Hoc enim ordinarie dicitur scribere librum. Ergo et Deus supernaturaliter influit in ipsa verba materialia cum inspirat librum fitque eius auctor.

Atque *casus extremi* Pentateuchi et Epistolae ad Hebraeos, in quibus sunt *peculiares difficultates* quantum ad auctorem humanum, non sunt ut casus ordinarii et typici afferendi. Hoc tantum probaret posse esse gradus in perfectione conceptus «auctoris».

Cum etiam *totus liber* sacer in sua concreta forma sit a Deo benignissime traditus Ecclesiae, et per divinam bonitatem causatus principaliter in bonum nostrum: potius praesumendum est influxum principalem divinum in eo conscribendo quam maxime extendi, quantum simul permittit divina condescendentia utendi homine ut instrumento.

Ergo placet (i.e. congruentius fit) considerare influxum Dei in libros sacros de facto etiam ad verba materialia sese extendentem.

2) *Psychologice* sententiae connectuntur cum ideis sive verbis, non modo internis, sed et *ordinarie* cum verbis etiam imaginariis; et verba atque forma externa referunt qualitates sententiae et laboris intellectualis; unde si cogitatio est clara, percellens, acuta, vivida..., forma externa etiam tales induit proprietates.

Si autem actio Dei in inspiratione attingit sententias, connaturalius attinget etiam et verba imaginaria et formam externam. Sic nec opus est ad «vivisectionem» confugere.

Idque eo magis, quod inspiratio non necessario supponit infusionem novarum specierum per revelationem novarum idearum; sed potest attingere ideas componendas aut dividendas quae iam sunt in mente hagiographi et vocabulis concretis ut plurimum associatae.

3) Accedit quod *praxis SS.Patrum et exegeseos* explicat et evolvit sensum litteralem innitendo, ut fundamento, praecise *verbis* eorumque significationi. Congruentius igitur haec verba sumuntur ut quid habitum per influxum divinum et non mere humanum.

4) Aliqua verba Scripturae, ut 1er 1,9: *Ecce dedi verba mea in ore tuo,* et similia (etsi spectent immediate ad inspirationem propheticam), congruentius explicantur, si Deus influat non tantum in sententias, sed etiam in verba earum; atque analogice ad inspirationem biblicam transferuntur.

5) Effata insuper SS.Patrum efferentia valorem et sensum *verborum,* si demis amplificationem et emphasim oratoriam quoad apices, syllabas..., aptius intelliguntur *si ipsa verba sunt Spiritus Sancti.*

Ita Origenes ait: «Exquisitissima cura et studio Spiritus Sanctus per ministros verbi ista subiecit, ne unquam vobis latere possit ratio secundum quam divina sapientia omnem scripturam divinitus datam *vel ad unant usque litterulam attigit...* Nos censemus de omnibus ex afflatu Spiritus Sancti scriptis, tamquam ilia magna providentia, quae sapientiam humana superiorem tradit, per divinas litteras hominum generi salutaria documenta inseruerit, et *singulis, ut ita dicam, lilteris, quoad unaquaeque capere potest, vestigia sapientiae impresserit» 13.*

Et S.Gregorius Nazianzenus: «Nos qui Spiritus diligentiam *vel usque ad levem apicem et lineam extendimus,* nunquam, nec enim fas est, ne minimas quidem actiones a scriptoribus temere perscriptas et elaboratas memoriaque ad haec usque tempora conservatas esse concedemus» 14.

S.Ioannes Chrysostomus. «Quid sibi vult brevis haec dictio, *Adae vero?* quare apponit coniunctionem? annon sufficiebat dicere, Adae? Non absque ratione, neque curiositatis gratia inquirendi talia nobis animus est, sed ut diligenter omnia vobis interpretantes, doceamus vos *neque dictionem parvam, neque syllabam unam in divinis litteris contentam esse praetereundam. Non enim verba qualiacumque sunt, sed Spiritus Sancti verba, et propterea magnum ibi thesaurum invenire licet, etiam in una syllaba» *5.*

S.Hieronymus: «... singuli sermones, *syllabae, apices, puncta,* in divinis Scripturis plena sunt sensibus» I6.

144. Scholion. Ne concipias tamen hunc influxum Dei in verba quasi necessario *determinantem* semper ipsa verba; hoc enim esset *dictatio mechanica vel suggestio* verborum. Sed haec determinatio verborum et formae externae potest relinqui, *sub influxu certe causae principalis,* virtuti propriae instrumenti; et huic sane instrumento eiusque virtuti deficienti tribuendi sunt defectus grammaticales, anacholuthi, soloecismi... et imperfectiones styli, quae in sacris litteris videmus, et ipsi aucto-

13 In Ps i n.4: R 483.
14 Orat. 2,105: R 979.
15 In Gen homil. 15,1: MG 53319·
16 In Eph 3,6: ML 26,512 A.

res sacri admittunt (cf. 2 Mach 15,39). Sicut enim Verbum Dei incarnatum admisit nostras miserias *absque peccato* (Hebr 4,15), ita verbum Dei scriptum admittit hominum imperfectiones litterarias «absque errore».

145. Atque huic virtuti propriae instrumentorum tribuenda est varietas, quae in stylo sacrorum auctorum animadvertitur, et quam SS.Patres agnoverunt:

Ita *S.Hieronymus: tDe Isaia* sciendum quod in sermone suo dissertus sit; quippe ut vir nobilis et urbanae eloquentiae, nec habens quidpiam in eloquio rusticitatis admistum...» I7.—«*Ieremitis* propheta... sermone quidem apud Hebraeos Isaia et Osee et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est; quippe qui eodem spiritu prophetaverit. Porro simplicitas eloquii, de loco ei in quo natus est accidit. Fuit enim Anathotites, qui est usque hodie viculus, tribus ab Hierosolymis distans millibus...»18. «... Ex hoc numero pastorum *Amos* propheta, fuit, imperitus sermone sed non scientia. Idem enim, qui per omnes prophetas, in eo Spiritus Sanctus loquebatur» 19.

Diversitas in citandis verbis sacrae Scripturae (v.gr. Rom 9,33; Is 8,14; 28,16) aut Domini (in institutione Eucharistiae) respondet diversitati modali (non quoad substantiam rei et sententiae) qua Deus, auctor principalis, voluit ut verba et facta referrentur ab instrumentis quibus utebatur.

146. Obiectioncs. 1. Si admittitur inspiratio verbalis in textum originalem. tunc sacra Scriptura magnam partem periit, cum iam non habeamus textus primigenios aliquorum librorum.

Resp. Non periit sacra Scriptura, ut inspirata; quia habemus etiam horum librorum authenticas versiones (cf. n.i48ss), et *in versiones cadit etiam inspiratio «aequivalenter»,* in quantum reddunt fideliter sententias et formam textus primigenii.

2. Si hagiographus committat amanuensi res scribendas, a se dictas, et item committat ei correctionem styli, tunc habetur liber inspiratus in quo plura saltem verba, provenientia ab amanuensi, non sunt inspirata. Ergo inspiratio verbalis, qualiscumque «psychologica» censeatur, non est admittenda.

Resp. In hoc casu amanuensis potius *secretarius* censeretur, et in eum caderet inspiratio, dependenter sane ab auctore primario (cf. n.ioo). Sed haec inspiratio in secretarium vel in auctores subinspiratos non est concipienda ut influxus supernaturalis ex Deo in auctorem primarium, et ex hoc in subinspiratos physice redundans; sed est influxus supernaturalis Dei, qui attendit ad illa omnia quae fiunt in processu libri conscribendi.

3. Bene concipi potest Deum manere auctorem libri, si est auctor quoad sententias et res dicendas, relicta hominibus forma externa, modo sit apta.

Trans. Non enim agimus de quaestione quid *absolute* dici aut concipi possit, sed *quid congruentius dicitur aut concipitur.*

17 *Praef. in Is:* ML 28,825.
18 *Prolog. in 1er:* ML 28,903.
19 *Prolog.* in *Amos:* ML 25.1038. Cf. Pesch, n.n r.

4. Non datur connexio necessaria psychologica inter conceptum mentalem et verbum imaginationis et externum. Ergo non est afferenda ratio psychologica pro inspiratione verbali.

Dist. antec. Non datur connexio psychologica naturaliter necessaria inter conceptus mentis et cooperationem phantasiae, *nego antec.;* non datur connexio psychologica naturaliter necessaria inter conceptus mentis et verba respondentia in imaginatione, *subdist.:* aliquando, per accidens, cum non occurrit verbum aptum pro idea quam iam habemus, *conc.;* ordinarie et per se, quasi regula generalis, *nego.* Et adverte nos agere non quid absolute concipi possit, sed *quid de facto est,* et *quid congruentius dicitur.*

ζ. Iuxta S.Thomam «intellectualis visio quae habet iudicium et acceptionem supernaturalem, est ea nobilior quae cum iudicio habet acceptionem imaginariam. Et quantum ad hoc concedendum est, quod prophetia quae habet visionem intellectualem tantum, est dignior ea quae habet imaginariam adiunctam» 20. Ergo, a pari, inspiratio biblica quae tantum esset pro sententiis intellectualibus esset dignior quam illa quae haberet coniuncta verba imaginaria.

Resp. Admissa doctrina S.Thomae *«quantum ad hoc»,* adverte nos non agere quid sit *dignius* et magis excellens in se, sed quid de facto verius dicitur, praesertim in re quae non concluditur in cognitione sola hagiographi, sed tota quanta ordinatur ad manifestationem sensibilem et scriptam. Atque ipse S.Thomas ait: «... in *utraque prophetia* [illa quae habet visionem intellectualem tantum, et illa quae habet imaginariam adiunctam] *fit derivatio luminis prophetici ab intellectu ad imaginationem,* sed diversimode: quia in illa prophetia quae dicitur tantum visionem intellectualem habere, tota plenitudo propheticae revelationis in intellectu percipitur, et exinde secundum intelligentis arbitrium [diceres pro inspiratione biblica: secundum hagiographi arbitrium, i.e. iuxta naturam instrumenti adhibiti; cf. n.145] in imaginative congrue formantur imagines propter nostri intellectus naturam, qui sine phantasmatibus intelligere non potest; sed in alia prophetia [cui inspiratio biblica magis congrue assimilatur, utpote quae sit in ordine ad scribendum, quod de se postulat imagines] non tota plenitudo propheticae revelationis recipitur in intellectu, sed partim in intellectu quantum ad iudicium, et partim in imaginativa quantum ad acceptionem...» 21.

ARTICULUS VI

De relatione versionum ad originalia (autographa) INSPIRATA

147. Diximus inspirationem se extendere ad omnes sententias *originales* sacrorum librorum, siquidem in apographa seu exempla *(copias)* atque in versiones actio Dei inspirantis

20 *De veritate* q.i2 a. 12 c.
2‹ *Jbid.,* ad 2.

et actio scriptoris humani non cadit directe, et ideo aliqua menda irrepere potuerunt. Hinc quaeritur quomodo se habeat inspiratio relate ad apographa et ad versiones.

Dicendum est *apographa et versiones esse inspirata aequivalenter* (cf. n.106), in quantum fideliter reddant verba et sensum textus primigenii. Ideo, si constat apographa et versiones esse conformia textui originali, tunc plenam sibi vindicant fidem qualis debetur verbo Dei.

Suntne autem aliquae versiones de quibus constet eas reddere sensum textus originalis, et quibus fidere omnino possimus? Hoc sane plurimum et nostra interest, et magisterii Ecclesiae interfuit semper. Haec est quaestio *de authentia versionum,* atque in primis de authentia Vulgatae.

De authentia Vulgatae

S.Robertus Bellarmino, *De editione latina Vulgata* (Auctarium Bellarminianum, ed. Lc Bachelet, Paris 1913) 439-448; Ioannes Mariana, Pro *editione Vulgata dissertatio* (Migne, Scripturae sacrae cursus completus 1,587-698), praesertim c.iSss; Franzelin, *De divina Traditione et Scriptura4* 473-519: A.Vaccari, *Instit. biblicae* i6 l.3 n.127-131; R.Cornely-A.Merk, *Introductionis Compendium10 l* n.95-100; A.Durand, *Vulgate Latine:* DAFC 4, 1970-1980; E.Mangenot, *Vulgate:* DB 5,2484-2490.

148. Notio authentiae. Authenticum (ab αὐθευτέω = vi, auctoritate polleo) significat habere valorem seu *vim ad postulandum assensum seu ad faciendam fidem.* De libro id dicitur, quatenus est aut continet re vera id quod dicitur esse aut continere.

Authentia libri potest esse originalis, quae invenitur in ipsis autographis sive textibus originalibus; et haec est authentia *plena et primaria.*

Ut huic distincta, potest esse alia authentia conformitatis, quae consistit conformitate cum re authentica originali.

Haec authentia conformitatis potest esse *interna,* consistens in ipsa formali conspiratione textus cum originali; et *externa,* id est, prout externe recte cognoscitur, et praesupponit illam internam.

Authentia haec externa potest esse mere *privata sive scientifica* et critice probata; et potest esse *publica,* si per auctoritatem societatis declaratur. Haec est igitur authentia *iuridica,* scilicet quae iure valeat ad argumentandum et ad postulandam fidem.

De historia Vulgatae, vide supra, *De revelatione* n.205-207.228.

149. Declarationes Concilii Tridentini 1. Prima declaratio indirecta. Concilium Tridentinum, iam ab initio, ut omnes intelligerent «quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus» esset usurum, declaravit esse suscipiendos, praeter traditiones apostolorum, libros integros cum omnibus suis partibus, *«prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata Latina editione habentur»* (D 784). Hoc decretum, *dogmaticum,* ut constat ex ipsius tenore, est etiam *indirecta declaratio authentiae Vulgatae.*

150. Altera declaratio eiusdem authentiae, *directa,* continetur in decreto sequenti, in quo Concilium *«statuit et declarat ut haec ipsa vetus et vulgata editio,* quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus *pro authentica habeatur, et quod nemo illam reicere quovis praetextu audeat vel praesumat»* (D 785).

Motiva huius decreti erant: *a)* ut unitas haberetur in multiplicitate versionum librorum sacrorum quae circumferebantur; *b)* ut Concilium tueretur traditionem Ecclesiae et praxim antiquam legendi et adhibendi Vulgatam, contra protestantes qui illam reiciebant aut contemnebant.

151. Hoc decretum, ut communiter defenditur, est *formaliter disciplinare,* non dogmaticum 2.

Etenim *ex examine ipsius decreti* constat 1) *decretum spectare ad res practicas et agendas,* non mere theoricas: scilicet *a)* ad *utilitatem* reportandam contra *abusus* ex diversitate versionum 3; *b)* statutum restringitur pro *publicis* lectionibus... (cur non etiam extenditur ad privatam lectionem, si decretum est dogmaticum); *c)* statuitur ut nemo illam *reicere audeat.*

2) Mos Concilii fuit ut in singulis rebus agerentur successive et quaestiones dogmaticae et quaestiones de reformatione disciplinari, antea vero indirecte, in statuendo canone librorum sacrorum «prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata Latina editione habentur», decretum dogmaticum latum fuerat.

1 Praeter auctores supra laudatos, recentius egerunt de historia harum declarationum et de interpretatione posteriore theologorum R.Criado, S.I., *EI Concilio de Trento y los estudios biblicos:* RazFe 131 (1945) 172-180; S.Munoz Iglesias, *EI decreto tridentino sobre la Vulgata y su interpretaciôn por los teôlogos dei siglo XVI* [praesertim relate ad processum «Fray Luis de Leôn»]: EstBibl 5 (1946) 137-169. Circa valorem decreti Tridentini vide etiam *Epistolam Pontificiae Commissionis de re biblica* (20 augusti 194') n.2 (EB 526); et *'Divino afflante Spiritu»* (EB 549; D 2292).

2 *Quidam antiquiores* putaverunt esse dogmaticum.

3 Vide ultimam syllogen abusuum in *Concilium Tridentinum* (Goerres) 5,29.

Hoc tamen alterum decretum *potest dici dogmaticum,* in quantum habet fundamentum in praecedenti decreto dogmatico; et in *quantum ex eo inferuntur aliqua consectaria dogmatica,* infra examinanda.

152. In hoc igitur decreto agitur *de authentia publica et iuridica,* affirmata pro Vulgata, scilicet quae valeat ad argumentandum et ad postulandam fidem pro publicis lectionibus et disputationibus et praedicationibus... Quod quidem *supponit internam authentiam conformitatis;* et est *aliquod positivum privilegium concessum Vulgatae,* ita ut ne quis illam reicere audeat vel praesumat. Ceterae autem versiones relinquuntur in sua priore conditione nec de iis quidquam dicitur.

153. Ius Ecclesiae dandi hoc decretum. Vi missionis suae Ecclesia habet officium et ius custodiendi et proponendi infallibiliter verbum Dei; quod quidem verbum sive revelatio non tantum in traditionibus, sed et in libris sacris et canonicis continetur. Ergo Ecclesia habet evidenter ius definiendi canonem et infallibiliter declarandi utrum id quod in editionibus ut verbum Dei exhibetur, re vera tale sit seu habeat authentiam conformitatis.

Ecclesia igitur est infallibilis in hoc facto dogmatico: secus custodia verbi Dei scripti eiusque recta expositio evaderent impossibiles.

154. Consectaria doctrinalia (dogmatica) ex hoc decreto.

1) Vulgata nequit habere errores quoad res fidei et morum. Etenim: *aj cum longo saeculorum usu probata fuerit in Ecclesia,* Deus non potuit permittere ut erroribus dogmaticis et moralibus defoedaretur; hoc certe redundaret contra infallibilitatem Ecclesiae docentis et tradentis fidelibus hanc versionem et Ecclesiae discentis illa versione utentis.

b) Cum decretum tridentinum sit *disciplinare pro universa Ecclesia,* constat eiusdem Ecclesiae infallibilitas in hoc decreto dando.

c) Non esse errores fidei et morum in Vulgata *indicatur in ipso decreto praecedenti,* ut fontes cognoscerentur «in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus» (D 784). Atque in hoc decreto (D 785) Vulgata declaratur au-

thentica pro publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus... in quibus res fidei et morum agitari solent[4].

155. 2) Vulgata habet conformitatem saltem substantialem cum textu primigenio. Si enim Vulgata declaratur authentica, hoc ideo est quia habet authentiam internam conformitatis; et haec, sin minus in accidentalibus, saltem in substantialibus adesse debet.

Esset praeterea non parum nocumentum pro Ecclesia, si haec saltem substantialis conformitas non adesset. Tunc enim Ecclesia latina diu et per multa iam saecula defraudata fuisset substantia ipsa verbi Dei scripti. Atque immerito dicerentur in canone dogmatico de Scripturis recipiendi esse libri integri cum omnibus suis partibus pro sacris et canonicis «prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata Latina editione habentur» (D 784).

156. Inde sequitur: *a)* in Vulgata sunt omnes et soli libri sacri; *b)* summa sententiarum, seu Vulgata *ut totum,* prout longo saeculorum usu in Ecclesia probata est, eadem est idemque continet atque summa sententiarum textuum originalium.

Sed non tantum summa sententiarum Vulgatae, seu Vulgata complexive tantum sumpta, continebatur in originalibus Scripturae. Etiam *singuli textus dogmatici Vulgatae,* sive textus spectantes ad fidem et mores, si longo Ecclesiae usu probati sunt, *quoad rem non deerant in autographis;* atque etiam —ut videtur—*determinatus textus Vulgatae,* longo identidem Ecclesiae usu probatus, non *exprimit aliud dogma atque textus correspondons autographi.*

Etenim *finis primae declarationis Concilii Tridentini* circa authentiam Vulgatae (D 784), finis scilicet declarationis indirectae huius authentiae, erat habere testimonia et praesidia in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus (ibid.); ad hoc autem decrevit libros canonicos, quos recensuit, *pro sacris et canonicis* esse suscipiendos, «integros cum omnibus suis partibus *prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata Latina editione habentur».* Ergo haec declaratio Tridentini eo tendebat ut, adhibendo Vulgatam prout in Ecclesia catholica legi consuevit, haberet quis et haberet Concilium praesidia et textus dogmaticos *tamquam verbum Dei scriptum.* Hoc autem non obtineret, si aliquis textus dogmaticus Vulgatae, qui in Ecclesia longo saeculorum usu fuisset critice probatus, non inveniretur in originali; aut etiam si exprimeret rem substantialiter diversam atque textus correspondens autographi[5].

4 Etiam legati praesidentes Concilio asserebant «editionem veterem et vulgatam non fuisse unquam suspectam haereseos...». *Concilium Tridentinum 5,519,*19s; cf. 470,30s.

5 Cf. Franzelin, *De divina Traditione et Scriptura*[4] P.494SS: «... nisi testimonia, prout habentur in veteri editione vulgata, sensu saltem quatenus enuntiant dogma, essent conformia Scripturae originali, non essent testimonia divina et canonica. Ergo testimonia omnia in veteri editione vulgata, quae sunt dicto modo per *se dogmatica,* declarata sunt a Concilio quoad sensum conformia Scripturae originali: seu in his omnibus versio habenda est authentica vi decreti Concilii» *(Ibid.,* p.495). Et iterum: «... inter veteres multos quos consului, hactenus nullum inveni, qui expresse dixerit vel indicaverit, vi decreti non esse determinatam Vulgatae authen-

157· Idipsum evinci videtur ex altera declaratione authentiae Vulgatae, directa (D 785); nam, si Vulgata authentice adhiberi potest in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus, ideo est quia authentice continet *verbum Dei scriptum, pro* rebus fidei et morum, ut elucet ex contextu duplicis declarationis authentiae; ac proinde appellatio ad textum dogmaticum Vulgatae, est appellatio ad verbum Dei scriptum.

158. *Adverte tamen hoc affirmari non de qualicumque textu Vulgatae;* nam 1) illa quae sunt *pure profana* nec arcte connectuntur cum pertinentibus ad fidem et mores (etsi certissime sunt inspirata, si concordant cum originali inspirato), non tamen authentica declarantur a Concilio. 2) Illi textus Vulgatae, etsi sint dogmatici, de quibus critice in Ecclesia dubitatum est, ac proinde *qui* non sunt *longo Ecclesiae usu probati,* ii pariter non declarantur authentici. Ad hos pertinet 1 Cor 15,51 qui latine non convenit cum textu graeco originali; atque etiam 1 Io 5,7 (celeberrimum comma ioanneum), qui non videtur adfuisse in textu originali[6].

Neque ex declaratione authentiae Vulgatae maior vis tribuitur textibus antea critice dubiis; nam in tantum praeferenda aut authentica declaratur Vulgata, in quantum longo saeculorum usu in Ecclesia probata est.

159· 3) Quodsi convenientia affirmatur inter textus dogmaticos Vulgatae et originalis, non tamen videtur excludi modalis discrepantia Vulgatae cum autographis; nam plena convenientia versionis cum textu primigenio *per se non requiritur* ut aliqua versio dicatur merito substantialiter authentica; ac praeterea ipsa comparatio Vulgatae cum textibus primigeniis ostendit saepe dari hanc differentiam et discrepantiam, vel etiam comparatio inter Vulgatam et versiones alias.

Haec discrepantia, *modalis,* potest esse sive quoad maiorem vel minorem claritatem qua veritas proponitur, sive etiam quod idem dogma sub diverso aspectu et ratione formali tradatur. Classicum exemplum est *Gen* 3,15, ubi Vulgata habet *Ipsa conteret caput tuum,* dum iuxta TM et iuxta LXX legitur *ipse (ille qui est semen mulieris}...;* igitur alius textus directe triumphum mulieris, alii vero textus directe triumphum seminis mulieris exprimunt; sed oppositio non est, quia vere *ipsa per Filium et propter Filium triumphavit*[7].

tiam in textibus huiusmodi per se dogmaticis. In re autem tam gravi a doctrina et interpretatione communi non est recedendum» (Franzelin, *ibid.,* p.496). Vide tamen E.Mangenot, qui, ubi recensuit diversos theologos tractantes de conformitate substantiali Vulgatae cum originalibus, addit: «Toutefois ces théologiens ne sont pas d'accord au sujet de l'étendue de la conformité de la Vulgate avec les textes originaux, et il y a en ces matières une part d'appréciation qui tient plus ou moins compte des faits et de la critique du texte». *Vulgate:* DB 5.2490.

6 De hoc commate ioanneo, cf. A.Lemonnyer, *Comma Johannique:* DBS 2,67-73; Simôn-Prado, *Novum Testamentum* 2 (1938) n-933-935; T.Ayuso, *Nuevo estudio sobre el «Comma Ioanneum»:* Bibl 28 (1947) 83-112-216-235; 29 (1948) 52-76.

7 Sunt qui teneant aliquando *plus quam modalem* differentiam dari inter textum Vg et originalia, vel inter versionem LXX et Vg; et interdum apparet difficultas conciliandi Vg cum aliis textibus pariter authenticis, qui accedere videntur ad originalem (cf. A.Durand, *Vulgate latine:* DAFC 4,1978 g). Sed notare iterum iuvat nos agere de textibus Vg qui longo saeculorum usu in Ecclesia probati sint, ac propterea qui non fuerunt critice dubii ex cognita diversitate cum LXX et cum aliis lectionibus; et insuper statum *hodiernum* TM vel LXX, aut aliarum versionum, non esse *definitivum argumentum* pro veritate textus originalis.

160. 4) IN decreto Tridentini non dicitur ne levissimus QUIDEM ERROR ACCIDENTALIS INVENIRI IN VULGATA. Tales errores essent, non quidern in rebus fidei et morum, sed in aliis pure historicis, aut pure scientificis, ut de chronologia, de nominibus plantarum, etc...

Ipsi Patres Concilii hos et tales errores Vulgatae agnoscebant; nam, misso Romam decreto pro approbatione, obiecerunt theologi romani «mirum videri quod non permitteretur reici Vulgata in iis locis in quibus communis sensus textus hebraici et LXX non concordat cum Vulgata aut non bene exprimitur in latina versione», neque has differentias amanuensibus tantum aut typographis posse tribui[8]. Responderunt legati, non *id negando,* sed, insistendo in iis quae spectant ad fidem et mores, *«editionem veterem et vulgatam non fuisse unquam suspectam haereseos, et hanc esse partem potissimam in libris sacris;* atque etiam quanto meliores textus graeci et hebraei adhibentur, tanto magis comprobant lectionem Vulgatae, ut videre est; et *quoad alios locos Vulgatae, qui viderentur obscuri, inepti, barbari, male intelligibiles,* nemo prohibetur sive interpretationibus sive annotationibus, *vel etiam nova traductione,* illa declarare et illustrare...» [9].

Ideo intentio non erat vindicandi pro Vulgata plenissimam authentiam conformitatis in iis quae non pertinerent ad fidem et ad mores. Accedit quod *finis Concilii* in declaranda authentia Vulgatae erat habere praesidia et subsidia pro confirmandis dogmatibus et instaurandis moribus, non ergo pro rebus profanis; quamobrem *neque in Vulgata res profanae declarantur authenticae.*

Atque haec semper fuit opinio certa eximiorum theologorum, *quales fuerunt Andreas Vega, Aloysius Legionensis, Arias Montano, Ioannes Mariana, Lainez, Salmeron, S.Robertas Bellarmino...,* aliis tamen negantibus [10].

[8] *Concilium Tridentinum* 10,507,23-30: ct antea iam *ibid.,* 462,12-16.
[9] *Concilium Tridentinum* 10,519,19-26; cf. ibid., 470,30s.
[10] Audiatur, v.gr., quid scripserit Ioannes Morin: «... existimo S.Hieronymum peculiari Spiritus S. afflatu versionem illam condidisse, eodemque Spiritu dirigente et movente ab omni errore exemptam fuisse; nec usquam a textus originarii obscuritate, homonymia. ambiguitate, transpositione, quaecumque illae fuerint, neque ab ullis mendis, quae Hebraeum textum, cum illum vertit, invaserant, aut Graecum et Latinum insederant, cum novi Testamenti translationem antiquam comparato textu Graeco reformavit, ita decipi potuisse ut errorem aliquem, vel levissimum, vertendo commiserit. Itaque etiamsi diversam a 70 Interpretibus lectionem nonnunquam sequatur, utramque per utrosque Interpretes canonicam autoravit Spiritus Sanctus... Hinc consequitur vulgatam versionem secundum omnes partes suas per se et natura sua non modo veram esse, sed etiam authenticae veritatis, seclusa omni Ecclesiae approbatione et decreto, cum ab auctore divinitus inspirato originem ducat...» Exercta*tiones Biblicae* (Parisiis 1660) (in epist. dcdicatoria) l.i exercitatio 6 c.12 p.156. Alia nomina negantium, et pariter affirmantium, collegit R.Crudo: RazFe 131 (1945) 178; circa «Fr.Lu|s de Leôn», S.Munoz: EstBibl 5 (X946) 148SS.

161. Obicies 1) decretum quod dicitur datum die 17 ianuarii 1576 a Congregatione Cardinalium interpretum Concilii Tridentini, quae «censuit nihil posse asseverari quod repugnet vulgatae editioni, etiam quod esset sola periodus, sola clausula, vel membrum, sive vox, vel dictio sola, vel syllaba iotave unum» 11. *Resp.* Etiam admissa authentia huius existimati decreti, *a)* Congregatio non habuit auctoritatem infallibilem; *b)* ex responso dato anno 1859 a Pio IX approbante per vivae vocis oraculum, hoc decretum deberet intelligi «prohibere ne quid asseratur repugnans editioni vulgatae in rebus fidei et morum» 12.

Dices 2) iuxta Concilium «nemo illam [Vulgatam] reicere quovis praetextu audeat vel praesumat» (D 785). *Resp.* In rebus fidei et morum, et in quantum longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est (D 785).

162. 5) In decreto Tridentino non reicitur textus primigenius, nec alia versio antiquior; sed tam textus hebraicus, quam graecus LXX, atque versiones antiquiores, relinquuntur in sua priore conditione. Neque dicitur Vulgata praeferenda esse textui primigenio vel antiquis versionibus.

Etenim ex historia decreti Tridentini constat voluisse Patres Vulgatam authenticam declarare «non detrahendo tamen auctoritati purae et verae interpretationis Septuaginta interpretum, qua nonnumquam usi sunt apostoli, neque reiciendo alias editiones, quatenus authenticae illius intelligentiam iuvant»13. Atque in idipsum conveniunt verba Cardinalium legatorum: «per approbationem vulgatae latinae non damnari alias versiones, quae sint catholicae et coadiuvent ad eius intelligentiam, quae sola debet declarari authentica; sed quin ceterae nominentur, relinquuntur in sua priore conditione» 14.

Cf. de hac re tota *«Divino afflante Spiritu»* (D 2292; EB 549).

163. Neque repugnare videtur quominus aliquis textus, qui fuisset in originali, nunc iam non sit in Vulgata, non quidem in re magni momenti, sed maxime in rebus minoris momenti, v.gr. quoad chronologias, genealogias, nomina plantarum, nomina ad historiam spectantia...; atque etiam, teste S.Hieronymo 15, aliqua deerant primo et secundo saeculo in versionibus authenticis quas tunc habebant christiani, quoad vaticinia messianica, in vetere latina et in LXX. Neque enim repugnat ut aliqua ex textu originali obscurentur interdiu vel etiam deperdantur, si probe distinguas inter finem permanentem et finem temporalem sacrae Scripturae; neque illa censenda

11 Apud Franzelin, *De divina Traditione et Scriptura4* p.519.
12 *Ibid.,* p.519. Cf. etiam E.Mangenot, *Vulgate:* DB 5.2488.
13 *Concilium Tridentinum* 5,29,10-14. Neque postulato Cardinalis Pacheco, ut reiceretur versio LXX, fuit satisfactum; *ibid.,* 59,55s.
14 *Ibid.,* 10,471,1-3.
15 Cf. S.Hieronymus, *Epist. 112 (ad* Augustinum) 20: ML 22,928; *Praefatio in Pentateuchum: ML* 28,1795s...; Cornely, *Introductionis Compendium10* n.99 c.

sunt pertinere ad depositum fidei, quae non sunt necessaria ad finem permanentem et communem horum librorum sacrorum, si videlicet non agitur de sententiis per se revelatis (cf. de hac re n. 121,23) 16.

164. «Quapropter haec Vulgatae in rebus doctrinae auctoritas minime vetat—immo id hodie fere postulat—quominus eadem haec doctrina ex primigeniis etiam textibus comprobetur et confirmetur, atque etiam quominus passim in auxilium iidem textus vocentur, quibus recta Sacrarum Litterarum significatio ubique magis in dies patefiat atque explanetur. Ac ne id quidem Tridentini Concilii decreto prohibetur, quominus nempe ad christifidelium usum et bonum et ad faciliorem divini eloquii intellegentiam, conversiones in vulgatas linguas conficiantur, eaeque etiam ex ipsis primigeniis textibus, ut iam multis in regionibus, approbante Ecclesiae auctoritate, laudabiliter factum novimus» 17.

165. 6) Vulgata, prout longo saeculorum usu probata EST POTEST ADHIBERI UT TUTO FIAT ARGUMENTUM DOGMATICUM: Argumentum tunc erit *scripturisticum,* si constat textum Vulgatae esse critice conformem originali, vel saltem si constans usus huius textus in Ecclesia, tamquam textus ex Scriptura, probari potest; secus enim fuisset interpolatio in verbo Dei scripto, et Ecclesia tradidisset aliquam veritatem tamquam falso pertinentem ad verbum Dei scriptum, et errasset magisterium Ecclesiae in hac re. Quodsi aliquis textus Vulgatae hodiernae non videtur adfuisse in textu originali, sed critice dubius (ut comma ioanneum: 1 Io 5,7), tunc potest adhiberi ut argumentum *traditionis,* siquidem longo saeculorum usu in Ecclesia probatus fuit.

Quodsi verba primigenia sint ambigua, potest fieri argumentum ex solis verbis latinis Vulgatae; vice versa, si sensus Vulgatae est ambiguus, debet explicari ex originali.

16 «... non tamen excluditur, quod dogma aliquod expressum in Scriptura originali forte exciderit in editione vulgata». Franzelin, *De divina Traditione et Scriptura*4 p.491. Cf. supra, n.56, 2 et n.121,23.

17 «*Divino afflante Spiritu*» (EB 549; D 2292). Praeter haec, circa mentem Ecclesiae de usu versionum S.Scripturae in linguas vernaculas, habetur *decretum Commissionis Biblicae* (30 aprilis 1934): non licere publice in ecclesiis praelegere fidelibus pericopas liturgicas (epistolae et evangelii) secundum versiones quae non sint ex vetere vulgata latina, sc. ex textibus primigeniis sive graecis sive hebraicis (EB 520). Ad hoc autem decretum magis declarandum habetur aliud *Responsum* datum 22 augusti 1943. in quo commendantur versiones in linguas vernaculas legitime factae, et illustrari posse dicitur textus liturgicus Vulgatae ope textus originalis vel alterius versionis magis perspicuae, post lectum ipsum textum liturgicum (EB 535-537).

Praecipuae versiones in linguam hispanam a catholicis factae numerantur: *Philippus Scio* Ü79O); *Petisco* (Torres Amat) (1823); *E.Ndcar-A.Colunga* (1944); *J.M.Bover-F.Cantera* (1947).

De authentia aliorum textuum

166. Quoad versionem graecam LXX 18, interpretes non fuerunt quidem inspirati, ut quidam senserunt 19; sed versio illa *habet authentiam publicam.* Etenim

a) Apostoli saepe citant Vetus Testamentum ex LXX, etiam discrepante textu hebraico; et ecclesiis extrapalaestinensibus, hellenistis, versionem illam LXX verisimiliter tradiderunt.

b) Ecclesia graeca unita mansit in possessione huius versionis; et, praeter ecclesiam graecam, hac versione usae sunt aliae ecclesiae orientales, et latina usque ad saeculum VII.

c) Sixtus V in editione *Vaticana* LXX, sua auctoritate facta (anno 1586), decernit in *Breve* praemisso «ut Vetus Testamentum, iuxta Septuaginta ita recognitum et expolitum ab omnibus recipiatur ac retineatur» 20.

Critice status versionis LXX hodie non est adeo bonus, sicut de N.T. diximus *(De revelatione* n.329); nimirum propter studium quod fuit conformandi illam cum textu hebraico; unde plures lectiones et variantes proveniunt, quae augent difficultatem restituendi lectionem primitivam bonam. Sed etiam haec lectio primitiva saepius detegi probabiliter potest.

167. Textus graecus Novi Testamenti non quidem solemniter approbatus est; at certe *indirecte approbatur,* eo quod ecclesia gaeca unita illum textum adhibet.

Sed mira est *interna conformitas et certitudo, ac proinde authentia,* qua hodierni critici textum primitivum substantialiter atque etiam in multis accidentalibus restituere possunt21.

168. Textus hebraicus habet quidem *internam authentiam critice probatam;* sed Ecclesia eo non utitur in liturgiis et in definitionibus, etc.; atque ei deest solemnis approbatio Ecclesiae, nisi haec praesupponatur in eo quod Vg conspiret cum eo.

TM *substantialiter* incorruptus ad nos pervenit 22. Mirum enim est quod, in tanto numero et tanta varietate codicum.

18 Cf. *Instit. Biblicae* i6 I.3 0.13$.

19 Cf. S.Augustinus, *De civitate Dei* 18,43: ML 41,604: Cornely, *Introductionis Compendium10* n.77.

20 De editione LXX a Sixto V, cf. A.Vaccari, *Sixtus V eiusque in S.Scripturam curae:* VerDom 2 (1922) 369-374. Utrum Bulla *^Aeternus ille»* Sixti V, in qua authentia editionis LXX a se factae declarabatur, rite fuerit publicata ita ut obtineret plenam vim iuridicam, dubitatur: cf. A.Durand, *Vulgate Latine:* DAFC 4,1977.

21 Cf. supra De *revelatione* n.329. S.Tromp agit De *revisione textus N.T. facta Romae a Commissione pontificia circa a. 1617 praeside S.R.Bellarmino:* Bibi 22 (1941) 303-306.

22 Cf. *Instit. Biblicae* 1*1.3 0.1325.

exemplaria transcripta tanta consensione conspirent; quod arguit quidem magnam sollicitudinem et curam fidelissimam in iis transcribendis.

Neque ante Christum corruptus est textus. Nam Christus aut apostoli id nunquam obiciunt adversariis, sed plane supponunt authentiam textus tunc admissi.

Ceterum, cum TM conspiret substantialiter cum Vg, si haec authentica habetur, etiam et textus ille *authenticus habeatur oportet 23.*

ARTICULUS VII

De inerrantia sacrae Scripturae

SuArez, *De fide* d.5 s.3 («Utrum Scriptura sacra sit regula fidei»); E.Mangenot, *Inspiration de la Bible:* DTC 7,2207-2266; A.Durand, *Inerrance biblique:* DAFC 2,752-787; Pesch, *De inspiratione* l.2 c.4; Bea, *De inspiratione* η.73-98; A.FernÅndez, *Instit. biblicae* I6 J.4 n.47-85; A.Merk-A.Bea, *ibid.,* l.i n.88-98; Bainvel, *De Scriptura sacra* p. 144-158; Höpfi.-Güt, *Introductio generalis* η. 121-182

169. Iam loquimur de effectu potissimo inspirationis, de inerrantia scilicet sacrae Scripturae. Atque diversae theoriae ad hanc inerrantiam explicandam erunt perpendendae, illae scilicet quae recenter propositae sunt ad *quaestionem* sic dictam *biblicam* solvendam.

Thesis 8. Omnes Scripturae sententiae sunt infallibiliter verae.

170. Notiones. Infallibilitas dicit non tantum absentiam erroris, sed *impossibilitatem erroris* in subiecto intelligent!, vel in eius dictis aut scriptis. Ideo infallibilitas omnium sententiarum S.Scripturae dicit non tantum factum veritatis earum *(inerrantia),* sed impossibilitatem cuiuscumque erroris. Quaestio est igitur non tantum de facto, sed etiam de iure: nequeunt esse errores.

Status quaestionis. Considerantur sententiae S.Scripturae *originales* sive autographae. De apographis et de versionibus affirmatur inerrantia in quantum concordent cum textu pri-

23 I.M.Vosté agit *De revisione Bibliae Hebraicae iuxta votum Concilii Tridentini: Ang* 18 (1941) 387-394·

l Doctrina Sancti Thomae de inerrantia biblica tractatur a M.Sales, O.P.: DivThom (Pi' 3,1 (1924) 84-106; et in Xenia Thomistica 2 (1925) 24-26.

migenio. Non igitur negatur possibilitas alicuius erroris, si textus originalis non fuerit nobis transmissus; quod sane in aliquibus rebus minoris momenti non est infitiandum. Ideo interdum diversae sunt lectiones, aut possibiles *glossae* introductae (cf. D 2000; EB 184 [177]).

171. Adversarii. Erasmus admisit in S.Scriptura adesse posse leves errores, praesertim ob lapsus memoriae auctorum 2.

Rationalistae et modernistae, non admittentes factum inspirationis, libros sacros, utpote naturaliter ortos, fallibiles autumant.

Plures protestantes moderni infitiantur S.Scripturae inerrandam 3.

Quidam recentiores designati in *Encyclica «Humani generis»,* qui «sententiam, iam pluries reprobatam, renovant, secundum quam Sacrarum Litterarum *immunitas errorum ad ea solummodo, quae de Deo ac rebus moralibus et religiosis traduntur,* pertineat. Immo perperam loquuntur de *sensu humano* Sacrorum Librorum sub quo sensus eorum *divinus* lateat, *quem solum infallibilem declarant» (D* 2315; EB 612).

172. Doctrina Ecclesiae. Inspirationem Scripturae et *implicite inerrantiam et infallibilitatem* sese extendere ad res fidei et morum et ad partes saltem maioris momenti, definitum est solemniter *in Concilio Vaticano* (D 1809). Cf. n.m.

Nullum omnino esse errorem in Scriptura docuit Clemens VI scribens (a.1351) *de erroribus Armenorum:* «Quartodecimo. Si credidisti et credis Novum et Vetus Testamentum in omnibus libris, quos Romanae Ecclesiae nobis tradidit auctoritas, veritatem indubiam per omnia continere» (D 570 r; EB 46 [31]).

Et certe idem proponitur per *magisterium ordinarium Ecclesiae* ut *dogma fidei,* Ita Leo XIII *(«Providentissimus»):* «... tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Haec est *antiqua et constans fides Ecclesiae...»* (D 1951s; EB 124s [109s]).

Item Benedictus XV *{«Spiritus Paraclitus»:* D 2186; EB 452 [465]) et Pius XII *(«Divino afflante Spiritu»:* EB 538-540; et *«Humani generis» :* D 2315; EB 612).

2 In c.2 ct 27 Mt; cf. Bellarmino, De *verbo Dei* J.i c.6 n.17-21; DTC 7,2224s.
3 Cf. Bea, De inspiratione n.73 in nota.

Cf. insuper damnationes modernistarum in *Decreto «Lamentabili»* (D 2011; EB 202 [195]), et in *Encyclica «Pascendi»* (EB 279-281 [272-274]); et Resp. Commissionis Biblicae (a.1915), de mente apostolorum circa *parousiam* (D 2179; EB 419 [432])·

173. Valor dogmaticus. Ex dictis constat thesim esse *de fide divina et catholica.* Cf. etiam D 2180, EB 420 [433], ubi sermo est «de *dogmate catholico* de inspiratione et inerrantia sacrarum Scripturarum...».

174. Probatur ex Scriptura. *Christus et Apostoli,* dum citant sacram Scripturam sub formula «scriptum est» aut simili, verba afferunt ut absolutae auctoritatis, cui omnino repugnat error (v.gr. Io 10,35; Lc 24,44; et infra n.181). Ergo habent verba sacrae Scripturae ut infallibiliter vera.

Probatur ex traditione. Praeterea *traditio constans et unanimis, perpetua et universalis,* tenet omnino nullum esse errorem in Scriptura nec esse posse; quod ut dogma fidei proponitur.

«Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit Divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt, quae nomine novae scientiae nunc obiciunt), non subtiliter minus quam religiose *componere inter se et conciliare studuerint;* professi unanimes, libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu. Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse...» *(«Providentissimus»:* D 1952; EB 127 [112]).

«Porro cum divina Sacrorum Librorum inspiratione summaque eorumdem auctoritate docet *Hieronymus* immunitatem et omni ab errore et fallacia vacuitatem necessario cohaerere: quod uti *a Patribus traditum communiterque receptum,* in celeberrimis Occidentis Orientisque scholis didicerat... Itaque [iuxta S.Hieronymum cuius doçtrina exponitur in *Litteris «Spiritus Paraclitus»]* «Scriptura mentiri non potest»4, et nefas est dicere Scripturam mentiri5; immo solum erroris nominis in eius verbis admittere6...» *(«Spiritus Paraclitus»:* EB 450s [463s]).

S.Clemens Romanus in hunc etiam sensum 7. S.Iustinus: «[Scripturas inter se pugnare) *nunquam audebo nec cogitare nec dicere...* cum persuasum habeam nullam scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius me non intelligere quae dicuntur...»». S.Irenaeus: «Si autem omnium quae in scripturis requiruntur absolutiones non possumus invenire, alterum tamen Deum, praeter eum qui est, non requiramus; impietas enim haec maxima est...» 9. Pariter S.Hippolytus '°, S.Epiphanius "; iterumS.Hieronymus 12, etS.Au-

« In *Ier* 35,35s: ML 24,885 A.
» In *Nah* 1,9: ML 25,1238 C.
« *Epist.* 57 (ad Pammachium) 7,4: ML 22,573.
' *Ad Cor* 1,45,2: R 22.
» *Dialog, cum Tryphone 65:* R 138.
» Adversus *haereses* 2,28,2: R 203.
›» In *Danielem* 4.6: R 390 a.
11 Adversus *haereses Panarium* 70,7: R 1106.
•5 *Epist.* 37 (ad Marcellam) I: R 1347.

gustinus: «Mihi enim videtur *exitiosissime credi aliquod in libris sanctis esse mendacium...*· 13; idemque Augustinus: «Solis iis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo errasse aliquid *firmissime credam,* ac si aliquid in iis offendero litteris quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam» '4; et alibi: «Ibi [in Scriptura] si quid velut absurdum moverit, *non licet dicere:* auctor huius libri non tenuit veritatem, sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis... In illa canonica eminentia sacrarum litterarum... *non licet dubitare* quod verum sit...» *5.

Patres ergo hanc inerrantiam et infallibilitatem Scripturae ita proponunt, ut *necessario tenendam esse affirment* vel pro vindicandis dogmatibus vel pro vita christiana...; non ergo agentes ut meri doctores privati.

Atque hunc consensum Patrum aperte fatetur *Loisy:* «Si procedimus ex datis traditionis, non est locus erroris in Biblia»,6.

Ratio theologica. *Probari etiam potest inerrantia et infallibilitas Scripturae ut explicitatio conceptus de extensione inspirationis* ad omnes sententias Scripturae, vel consectarium ex eo. Si enim omnes sententiae Scripturae originales vel authenticae sunt inspiratae, etiam obiter dictae, omnes sunt verbum Dei. Atqui verbo Dei absolute repugnat falsitas. Ergo omnes sententiae Scripturae sunt infallibiliter verae.

De veritate absoluta sacrae Scripturae et de generibus litterariis

175. Post *Encyclicam «Providentissimus»* controversiae ortae sunt de modo inerrantiam sacrae Scripturae interpretandi, propter difficultates quae ex scientiis physicis, naturalibus et historicis adesse credebantur. Alii traditionaliter, alii *liberaliter* rem exponebant. Sic schola quae vocata est *largior* ›.

Veritas absoluta dicitur in quantum opponitur *relativae* veritati. Erant enim qui sacrae Scripturae non denegabant veritatem et inerrantiam, sed *relativam tantum.* Quam diversimode explicaverunt 2.

13 Epist. 28 («id Hieronymum) 3,3: R 1417.
14 Epist. 82 (ad Hieronymum) 1.3: R 1421; D 1952; EB 127 [112].
15 Contra Faustum Manichaeum 11,5: R 1597. Cf. etiam *Dc consensu evangelistarum 2,* 2r,51: R 1612.
16 Etudes bibliques (1905) 145; Bea, *De inspiratione* n.75.

1 De hoc nomine, cf. EB 502 [515].

2 De his theoriis in sensu traditional» egerant, inter alios. L.Murillo, S.I., *Critica y Exegesis* 2.· editio (Madrid 1905); L.Fonck, S.I., *Der Kampf um dic Wahrhe.it der hl.Schrift in den letztcn 25 Jahren* (Innsbruck 1905); F.Ecger, *Absolute und relative Wahrheit der hl.Schrift*

176. Diversae sententiae, i) A.Loisy, modernista, distinguebat inter veritatem religiosam tantum (id quod Scriptura vult docere) et *veritatem oeconomicam* (scilicet vestem qua exponitur veritas religiosa). Haec veritas oeconomica habet valorem relativum. Immo, iuxta falsissima placita modernismi, ipsa veritas religiosa non est absoluta, sed mutabilis pro adiunctis temporis (D 2058; EB 249 [242]).

2) Alii distinguebant inter ea quae *docentur* et illa quae *simpliciter asseruntur;* illa constituere dicebant elementum primarium, haec elementum secundarium Scripturae, nec cadere sub intentione hagiographi; ideo veritatem, quae absolute intendatur, quaerendam esse in elemento primario.

Vel etiam sermo erat *de narrationibus specietenus historicis,* quae re essent vel fabulae vel legendae, vel partim historicae, partim non historicae, quasi vestimentum veritatis cum valore non absoluto, sed relativo.

Ad exemplum talium interpretationum, cf. modum concipiendi historicitatem Gen c.1-3, prout describitur in Resp. Commissionis Biblicae, 30 iunii 1909 (D 2122; EB 337 [333]).

J.M.Lagrange rem ita concipiebat Tantum sunt necessario vera in Scriptura illa quae *docentur* ab hagiographo, illa scilicet quae ab eo *categorice* affirmantur, id quod cognoscitur *ex genere litterario.* Quoad narrationes datur *historia primitiva,* aliquid medium inter historiam fictam (parabolam) et historiam proprie dictam; in historia vero primitiva, licet dentur errores materiales in vestitu veritatis, at non dantur formales, quia id categorice non docebatur ab hagiographis. Ita narratio de eversione Sodomae, praeter historicum nucleum de quadam magna catastrophe, non alia necessario vera contineret.

D.Zannecchia similiter rem concipiebat4: In Scriptura omnia sunt vera; at non *absolute, sed relative,* scilicet in ordine ad illustrandum id cuius confirmatio absolute intenditur, i.e. in ordine ad veritates religiosas et morales. Ita in narratione Genesis de creatione. Opus est peritia ut poetica orientalis discernatur a nucleo eventus...

3) Alii sermonem faciebant de *citationibus implicitis5.* Aliqua desumuntur ab hagiographis in libris sacris ex legendis et fontibus popularibus, quae in se sunt falsa; sed inerrantia salvatur, quia hisce rebus convenit *non veritas rei citatae,* quam hagiographus non intendit, *sed veritas citationis* (ita revera dici vel narrari). Sunt enim *citationes tacitae vel implicitae,* quae

(Brixen 1909): J.Linder, S.I., *Die absolute Wahrheit der hl.Schrift nach der Lehre der Enz. Papst lienedikts XV «Spiritus Paraclitus·:* ZkathTh 46 (1922) 254-277; Ch.Pesch, praesertim in *Supplementum...*

3 Cf. *La méthode historique-* (1904). Comparationem inter doctrinas P.Lagrange et eas *Encyclicae «Divino afflante»* proposuit E.Galbiati, *I generi letterari seconda il P.Lagrange e la •Divino afflante Spiritu»:* ScuolCatt 75 (1947) 177-186.282-292.

4 Cf. Scriptor sdcer sub divina inspiratione... (Romae 1903).

3 Ut P.Ferdinandus Prat, *La Bible et l'histoire5* (1908) 46-56.

non aperte ut tales nunc cognoscuntur, quia facile a coaevis ut tales citationes cognosci poterant, et quia deerat hebraeis modus orationis indirectae. Hagiographus vero tales citationes non fecit suas, quoad veritatem rei, nisi explicite aut aequivalenter illas approbet.

Exemplum citationis implicitae esset, v.gr. Io 5,4 (admissa loci authenticitate): *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate:* si apostolus scilicet non sumit responsabilitatem quoad veritatem rei narratae, sed tantum refert dictum populare 6.

4) Fuerunt etiam *qui applicare voluerunt historiae illa principia de veritate apparenti sensuum,* quae pro rebus physicis proposuerat Leo XIII (D 1947-1949; EB 121-123 [106-108]). Ita J.M.Lagrange, F.von Hummelauer, N.Peters 7.

5) Atque, in universum loquendo, statuta sunt *diversa genera litteraria* quae habeant veritatem sibi propriam et relativam: *fabula sive parabola,* sine ulla veritate historica; *epos historicum,* cum nucleo tantum historico; *historia religiosa,* ad promovendam scilicet aedificationem religiosam; *historia antiqua,* seu narratio secundum opinionem vulgi vel iuxta fontem casu inventum; *traditio popularis,* ubi factum historicum evolvitur legendis et fabulis; *narratio libera... 8.*

177. Doctrina Ecclesiae. 1) Quantum ad damnationem veritatis relativae Scripturae *in sensu modernismi,* cf. D 2058 (EB 249 [242]; sed de hac re non specialiter agimus.

2) Non esse distinguendum inter *elementum religiosum et profanum, primarium et secundarium,* docuit Benedictus XV in *Encyclica «Spiritus Paraclitus»* (D 2186; EB 454s [467s]) et antea Leo XIII *(«Providentissimus»:* EB 124 [109].

Item reicitur a Benedicto XV *distinctio inter veritatem absolutam et relativam* pro rebus historicis *(«Spiritus Paraclitus»:* D 2187; EB 456 [469].

De narrationibus specietenus historicis et *de vera indole historica S.Scripturae* egerunt pariter Benedictus XV *(«Spiritus Paraclitus»:* D 2188; EB 461 [474]) et Responsiones Commissionis Biblicae: *in genere* (D 1980; EB 161 [154]) et de *tribus prioribus capitibus Geneseos* (D 2121-2128; EB 336-343 [332-339]).

Λ Cf. F.Prat, *Jesus Christ* I p.403.
7 De his auctoribus, cf. Pesch, Supplementum p.29-32.
* Plura de his praesertim a F.von Hummelauer, S.I., qui illa proponit ad discussionem in libro *Exeftetisches zur Inspirationfraee* (Freiburg i.Br. 1904). De generibus litterariis cf Robert-Tricot. *Initiation biblique2 c.6;* Bea, Notae historicae... (1947) p.42-48.

Similiter *de neganda in hagiographis expressione humanorum sensuum, quibus error subesse possit* (D 2179-2181; EB 419-421 [432-434]).

3) *De non facile admittendis citationibus implicitis* egerunt Resp. Commissionis Biblicae (D 1979; EB 160 [153]), *Encyclica «Pascendi»* (D 2090; EB 273 [266]) et Encyclica *«Spiritus Paraclitus»* (D 2188; EB 461 [474]).

4) De non *transferendis historiae iis quae Leo XJII dixit de veritate apparenti sensuum* authentice locuti sunt Benedictus XV *(«Spiritus Paraclitus»:* D 2186s; EB 454-458 [467-471]) et Pius XII *(«Divino afflante»:* EB 539).

5) *De* non *admittendo in Bibliis genere litterario quod repugnet sanctitati et veritati Dei* tractant Encyclicae *«Spiritus Paraclitus»* (D 2188; EB 461 [474]), *«Divino afflante»* (D 2294; EB 559) et *«Humani generis»* (D 2330; EB 618; infra, n.188).

178. In genere loquendo, recenter Pius XII, in quinquagesimo anniversario *Encyclicae «Providentissimus»,* inculcat ut doctrinam tanta cum gravitate expositam a Leone XIII omnes religiose teneant ipseque auctoritate sua proponit et confirmat *(«Divino afflante»:* EB 538-540).

179. Doctrina Ecclesiae etiam data est relate ad scripta sacra particularia: *De Pentateuchi authentia et substantiali historicitate,* etsi non necessario tenendum sit Moysen omnia et singula sua manu scripsisse vel amanuensibus dictasse; fontes vero adhibuisse et postea modificationes accidentales textui obvenisse (D 1997-2000; EB 181-184 [174-177]). *De loannis evangelii veritate historica (D* 2016-2018.2110-2112; EB 207-209.187-189 [200-202. 180-182]). *De indole prophetica et de auctore libri tsaiae* (D 2115-2119; EB 291-295 [287-291]). *De indole historica trium priorum capitum Geneseos* (D 2121-2128; EB 336-343 [332-339]). *De auctoribus et de tempore compositionis psalmorum* (D 2129-2136; EB 344-351 [340-347]). *De euangeliis synapticis et de Actibus Apostolorum* (D 2148-2171; EB 318-411 [401-424]). *De epistolis S.Pauli pastoralibus et ad Hebraeos* (D 2172-2178; EB 412-418 [425-431])-

180. Recentior vero est epistola Secretarii Commissionis Biblicae ad Emmum.Cardinalem Suhard, Parisiensem Archiepiscopum, iuxta quam haec constant 9:

Decreta et responsiones praecedentia eiusdem Commissionis, de *narrationibus tantum specietenus historicis* die 23 iunii 1905 (D 1980; EB 161 [154]), de *authentia mosaica Pentateuchi* die 27 iunii 1906 (D 1997-2000; EB 181-184 [174-177]). de

9 Lege hanc epistolam in AAS 40 (1948) 45-48; EB 577-581 ; D 2302; et cf. sis A.Bea. S.I., *Il problema dei Pentateuco e della storia primordiale:* GivCatt 99,2 (1948) 116-127; et J.M.VOSTÉ» O.P.. *El reciente documento de la Pontificia Comisidn Btblica:* EstBibI 7 (19481 US-MS-

charactere historico trium capitum Geneseos, die 30 iunii 1909 (D 2121-2128; EB 336-343 [332-339]): *haec nullatenus interdicunt examen vere scientificum horum problematum* iuxta inventa recentiora.

Ad hanc *iustam libertatem, intra limites traditionalis doctrinae Ecclesiae,* hortabatur Summus Pontifex Pius XII: «Hac tamen in rerum condicione catholicus interpres, actuoso fortique suae disciplinae amore actus, ac Sanctae Matri Ecclesiae sincere devotus, neutiquam retineri debet, quominus difficiles quaestiones hucusque nondum enodatas, iterum atque iterum aggrediatur, non modo ut quae ab adversariis opponantur propulset, sed ut solidam etiam explicationem reperire enitatur, quae et cum Ecclesiae doctrina cum iisque nominatim quae de sacra Scriptura ab omni errore immuni tradita sunt, fideliter concordet et certis quoque profanarum disciplinarum conclusionibus debito modo satisfaciat. Horum autem strenuorum in vinea Domini operariorum conatus non solummodo aequo iustoque animo, sed summa etiam cum caritate indicandos esse ceteri omnes Ecclesiae filii meminerint; qui quidem ab illo haud satis prudenti studio abhorrere debent, quo quidquid novum est, ob hoc ipsum censetur impugnandum aut in suspicionem adducendum» *('«Divino afflante»:* EB 564). Quod quidem iterum in memoriam revocatur in hac epistola.

Datur quoque *invitatio ad studium problematum Pentateuchi,* habita ratione sanae criticae et conclusionum scientiarum connexarum.

Quantum ad *formas litterarias undecim priorum capitum Geneseos* animadvertendum est «has formas litterarias non respondere ullis e nostris categoriis classicis, nec posse iudicari ad lucem generum litterariorum graecolatinorum aut modernorum. Non potest ergo negari aut affirmari earum historicitas simul et coniunctim («en bloc»), quin eis indebite applicentur normae cuiusdam generis litterarii ad quod non pertinent» 10.

Sed *«declarare a priori* [id quod antea non raro factum est] *quod hae narrationes non continent historiam in moderno sensu, facile ansam praeberet intelligendi quod nullam prorsus historiam continent,* dum narrant in locutione simplici et figurata, adaptata intelligentiis generis humani minus evoluti, veritates funda-

10 «La question des formes littéraires des onze premiers chapitres de la Genèse est bien plus obscure et complexe. Ces formes littéraires ne répondent à aucune de nos catégories classiques et ne peuvent pas être jugées à la lumière des genres littéraires gréco-latins ou modernes. On ne peut donc en nier ni affirmer l'historicité en bloc sans leur appliquer indûment les normes d'un genre littéraire sous lequel ils ne peuvent pas être classés. Si l'on s'accorde à ne pas voir dans ces chapitres de l'histoire au sens classique et moderne, on doit avouer aussi que les données scientifiques actuelles ne permettent pas de donner une solution *positive* à tous les problèmes qu'ils posent. Le premier devoir qui incombe ici à la éxegèse scientifique consiste tout d'abord dans l'étude attentive de tous les problèmes littéraires, scientifiques, historiques, culturels et religieux connexes avec ces chapitres; il faudrait ensuite examiner de près les procédés littéraires des anciens peuples orientaux, leur psychologie, leur manière de s'exprimer et leur notion même de la vérité historique; il faudrait, en un mot, rassembler sans préjugés tout le materiel des sciences paléontologique et historique, épigraphique et littéraire. C'est ainsi seulement qu'on peut espérer voir plus clair dans la vraie nature de certains récits des premiers chapitres de la Genèse». AAS 40 [1948] 47; EB 581 ; D 2302.

mentales praesuppositas pro oeconomia salutis, simul et descriptionem popularem originum generis humani et populi electi» 11.

Et *Encyclica «Humani generis»* aiebat:

«... peculiari modo deploranda est quaedam nimio liberior libros historicos Veteris Testamenti interpretandi ratio, cuius fautores Epistulam haud: ita multo ante a Pontificio Consilio de re biblica Archiepiscopo Parisiens! datam ad suam defendendam causam immerito referunt. Haec enim Epistula aperte monet undecim priora capita Geneseos, quamvis cum historicae compositionis rationibus proprie non conveniat, quibus eximii rerum gestarum scriptores graeci et latini, vel nostrae aetatis periti usi fuerint, nihilominus quodam vero sensu, exegetis amplius investigando ac determinando, ad genus historiae pertinere; eademque capita, oratione simplici ac figurata mentique populi parum exculti accommodata, tum praecipuas veritates referre, quibus aeterna nostra procuranda salus innititur, tum etiam popularem descriptionem originis generis humani populique electi. Si quid autem hagiographi antiqui ex narrationibus popularibus hauserint (quod quidem concedi potest), numquam obliviscendum est eos ita egisse divinae inspirationis afflatu adiutos, quo in seligendis ac diiudicandis documentis illis ab omni errore immunes praemuniebantur» (D 2329; EB 618).

181. Notanda ad solutionem «quaestionis biblicae». Ut in hac quaestione biblica recte aestimanda caute simul et sollerter procedamus, iuvat animadvertere ad sequentia:

1) Christus et apostoli multa proferunt ex Scriptura ut absolute vera, etiam quoad puncta singularia historiae, ex ipsis quidem libris, quos historiam non criticam continere dicerent nonnulli.

«Sive enim doceat, sive disputet [Christus], ex qualibet Scripturae parte sententias affert et exempla, et uti talia affert quibus sit necessario credendum; quo in genere ad lonam et Ninivitas, ad reginam Saba et Salomonem, ad Eliam et Elisaeum, ad David, ad Noe, ad Lot et Sodomitas et ipsam uxorem Lot, sine ullo discrimine provocat» (cf. Mt 12,3.39-42; Lc 17,26-29.32) *(«Spiritus Paraclitus»:* EB 463 [476]).

Similiter *S.Petrus* loquitur de Noe fabricante arcam et de diluvio (1 Petr 3,20; 2 Petr 2,5); de eversione Sodomorum et Gomorrhaeorum et de Lot (2 Petr 2,6.7).

S.Paulus pariter sermonem facit de miris eventibus in ex-

11 «Déclarer à priori que leurs récits [priorum capitum Genescosl ne contiennent pas de l'histoire au sens moderne du mot, laisserait facilement entendre qu'ils n'en contiennent en aucun sens, tandis qu'ils relatent en un langage simple et figuré, adapté aux intelligences d'une humanité moins développée, les vérités fondamentales présupposées à l'économie du salut, en même temps que la description populaire des origines du genre humain et du peuple élu. En attendant il faut pratiquer la patience qui est prudence et sagesse de la vie». AAS 40 (1948) 47: EB 581; D 2302.

odo filiorum Israel peregrinandum in Palaestinam (i Cor io, i-io); et enarrat multa mira decursu temporum facta per fidem (Hebr 11,4-40).

182. 2) Consensus Patrum et theologorum non favet iis «qui rectis quidem, si intra certos quosdam fines contineantur, principiis sic abutuntur, ut fundamenta veritatis Bibliorum labefactent et doctrinam catholicam communiter a Patribus traditam subruant. In quos Hieronymus si adhuc viveret, utique acerrima illa sermonis sui tela coniceret, quod sensu et iudicio Ecclesiae posthabito, nimis facile ad citationes, quas vocant implicitas, vel ad narrationes specietenus historicas confugiunt; aut genera quaedam litterarum in Libris Sacris inveniri contendunt, quibuscum integra ac perfecta verbi divini veritas componi nequeat; aut de Bibliorum origine ita opinantur, ut eorundem labet vel prorsus pereat auctoritas» *(«Spiritus Paraclitus»:* EB 461 [474]; D 2188).

183. 3) Quantum ad theorias supra expositas iuvat quoque observare:

A. *Inerrantiam Scripturae non derivari praecise ex fine scriptoris, ad illa tantum quae ipse docere intendit;* sed derivari ex natura inspirationis, ad illa omnia quae vi huius influxus asseruntur.

B. *Aliquando veritas aliqua religiosa procul dubio potest doceri sub forma narrationis fictae vel parabola configurari* (v.gr. Lc 10,30-37 de bono Samaritano), quae quidem habebunt valorem relativum, non absolutum. Sed id argumentis solidis probari debet; et non facile nec temere, sed iuxta sensum Ecclesiae procedendum (D 1980; EB 161 [154]). In qua quidem re caveri debet *ne plus aequo argumentis mere suppositis concedatur,* iis scilicet nondum rite probatis 12; ita ut non introducatur illa confusio qua quis nesciat iam narrationes veras a fictitiis distinguere nec ulla obiectiva norma ad rem discernendam relinquatur.

Aliquando res, etiam spectata traditione Ecclesiae, dubia

12 «Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt ncc satis aequo iudicio; qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae Sacrae, ex opinata tantum erroris specie neque ea probe discussa, parem abnuunt fidem· *(«Providentissimus»:* EB 123 [108]. «Permulta enim ex omni doctrinarum Renere sunt diu multumque contra Scripturam iactata, quae nunc, utpote inania, penitus obsolevere; item non pauca de quibusdam Scripturae locis (non proprie ad fidem morumque pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio. Nempe opinionum commenta delet dies; sed *veritas manet et invalescit in aeternum* (3 Esdr 4,38!...» *(•Providcntissimus·:* EB 131 (t 16]). Cf. et «Divino *afflantes**:* EB 562-566.

manebit, ut si agitur de Os 1-3; neque id mirum videri debet (cf. *«Divino afflante»:* EB 563) 13.14

184. In narrationibus sacris, licet *non sint historia critica in nostro sensu,* ea technica scientifica et methodica fontium investigatione sicut hodie fieri solet, at multae res cognosci poterant ingenio et acumine naturali, fontes vero cognosci et pervestigari vel scripti vel ope traditionis popularis, quae erat maxime tenax apud orientales familias. Et constat praeterea, id quod pervestigatio «iam lucide comprobavit, *israeliticum populum inter ceteras Orientis veteres nationes in historia rite scribenda, tam ob antiquitatem, quam ob fidelem rerum gestarum relationem singulariter praestitisse;* quod quidem ex divinae inspirationis charismate atque ex peculiari historiae biblicae fine, qui ad religionem pertinet, profecto eruitur» *(«Divino afflante»:* EB 558s;'D 2294).

185. Et multa certe ex *traditione populari vel familiari* exhausta et cognita sunt; sed admirabili sane *sobrietate et simplicitate* (quod praesertim apparebit, si comparantur cum traditionibus Aegyptiorum et Babyloniorum) simul etiam cum magna *sinceritate,* quae manifestat vitia progenitorum.

Et licet saepe habeatur *historia incompleta,* scilicet *primario religiosa;* at historia incompleta non est historia falsa.

Verum quidem est ad rectum iudicium ferendum *rationem habendam esse formae litterariae,* qua illi antiqui orientales scriptores res proponere solent: genealogiae artificiosae, narrationes per gradus et repetitiones ad modum circulorum concentricorum (v.gr. Gen c.i et 5), citationes ad sensum... '4.

186. C. *De citationibus in Scriptura contentis* animadverte sequentia:

Sunt aliquae citationes *explicitae (v.gr.* Act 17,28: *sicut et quidam vestrorum Poetarum dixerunt...; et* Num 21,14; 2 Reg 1,18), in quibus adest «veritas citationis» et insuper «veritas rei citatae», si hagiographus expresse vel implicite asserit id verum esse.

Utrum dentur citationes *implicitae,* i.e. illae quae ab hagiographo ex aliquo fonte desumuntur, quin id expresse dicat, et de quibus censendus sit nolle responsabilitatem sibi assumere, sed rem iudicio lectorujn relinquere (qui eo tempore bene scire

1 '3 Quantum ad statum hodiernae disputationis v.gr. relate ad librum Tobiae, recenter egit J.Prado, C.SS.R.. *La indole litoraria dei libro de Tobit:* Scfarad 7 11047) 373-304.

14 Cf. «Divino *afflante**:* EB 558-561 : D 2294.

possent agi de aliquo citato): id prudenter dijudicabitur, si recordatur quis hanc esse normam generalem narrationis, auctorem tamdiu in se suscipere responsabilitatem rei dictae, quamdiu non indicat se de earum veritate aut dubitare aut iudicium suspendere; id a fortiori valere, si agatur de sacra Scriptura, per quam Deus nos docere vult suam providentiam, id quod aegre obtineretur si tota historia sacra in dubia resolveretur.

Ideo auctor sacer censendus est loqui nomine proprio, *nisi contrarium solide probetur* (D 1979; EB 160 [153]).

In 2 Par 5,9; 8,8 dantur exscriptiones ex documentis, quia illud «usque in praesentem diem» non erat iam verum tempore conscriptionis libri; sed hae sunt potius citationes explicitae quam implicitae, quia auctor sacer saepe citat fontes.

187. D. *Solutio ex apparentia sensibili in rebus astronomicis,* quae de rebus physicis valere potest, non potest adduci ad historiam.

Etenim ab omnibus admittitur, etiam ab astronomis, modus loquendi de rebus astronomicis secundum apparentiam sensibilem; sic sermo est de «sole elevato, orto...», de stellis «fixis», «primae aut secundae magnitudinis...»; nec ideo quis dicit tales astronomos errare: quia *Physica est scientia de phaenomenis.* At vero Historia non est de phaenomenis quae constanter apparent et de quibus homines secundum apparentiam loquantur; sed est *de rebus quaefuerunt, proutfuerunt.*

Nec valet invocare verba Leonis XIII in *Encyclica «Providentissimus»* (D 1947-1949; EB 121-123 [106-108]), quae si attente legantur, non suadent similem modum interpretandi historiam secundum apparentiam, sed *similem modum refellendi adversarios* historicae veritatis. Conferatur quoque *interpretatio authentica* Benedicti XV *(«Spiritus Paraclitus»:* D 2187; EB 455-458 [468-471]) et Pii XII *(«Divino afflante»:* EB 539) I5.

188. E. *In generibus litterariis Orientis investigandis* amplus sane patet campus. Et necessarium omnino est investigare quo genere litterario liber conscriptus sit vel pericopa, ut hoc modo genuina scribentis mens erui possit. Aliter enim intelliguntur res dictae in aliqua allegoria vel parabola (v.gr. Iud 9.8-15), vel in cantu epico (v.gr. Ps 103); aliter autem in narratione historica.

15 De hac re F.Asensio. S.I., *Los principias establecidos en la Enciclica «Providentissimus Deus» acerca de la descripciôn de to* fenômenos naturales, Jautorizan su extension al relato de l9,s hechos histôricos seçùn la doctrina de Léon XIII y de Benedicto XV?:* EstBibl 5 (1946) 245-270.

Omnia sane genera litteraria componi possunt cum inspiratione, nisi illa quae natura sua sint immoralia (ut aliqua habentur in classica poësi), aut eo tendant ut in errorem inducant.

Sic *mythus,* intellectus ut *fabula religiosa falsa,* v.gr. personificando res naturales (foecunditatem terrae, etc.) quasi entia divina, non est genus litterarium compossibile cum inspiratione; sed mythus in sacra Scriptura *citatus* aut mere expressus ut *ornamentum litterarium* admitti poterit qua talis, scilicet ut mere citatus, aut pure metaphoricus.

Admitti etiam poterunt *narrationes fictae,* dummodo qua tales cognosci possint et non necessario verbis narrationis adscribatur veritas proprio sensu historica 16. Sic datur modus loquendi *allegoricus,* ut in Cantico canticorum, quod est carmen allegoricum describens amorem et unionem mysticam inter lahveh et populum suum; et verum est inveniri in Scriptura diversa genera litteraria, sive poetica sive didactica sive narrativa, ubi narrationi fabula miscetur (lud 9,8-15).

«A libris enim Sacris nulla aliena est illarum loquendi rationem, quibus apud veteres gentes, praesertim apud Orientales, humanus sermo ad sententiam exprimendam uti solebat, ea tamen condicione, ut adhibitum dicendi genus Dei sanctitati et veritati haud quaquam repugnet, quemadmodum pro sagacitate sua iam ipse Angelicus Doctor hisce verbis animadvertit: «In Scriptura divina traduntur nobis per modum quo homines solent uti» 17 *(«Divino afflante»:* EB 559; D 2294).

«Quae autem ex popularibus narrationibus in Sacris Litteris recepta sunt, ea cum mythologiis aliisve id genus minime aequanda sunt, quae magis ex effusa imaginatione procedunt quam ex illo veritatis ac simplicitatis studio, quod in Sacris Libris Veteris etiam Testamenti adeo elucet ut hagiographi nostri antiquos profanos scriptores aperte praecellere dicendi sint» *(«Humani generis»:* D 2330; EB 618).

189. *Critérium* ad genus litterarium cognoscendum erit forma externa qua homines in respectivo genere litterario uti solent, nisi aliud *solide* probetur; insuper et *traditio Ecclesiae,* si quae universalis affirmari potest (cf. n.250-262). Canticum canticorum tam ex notis internis quam ex traditione constat esse carmen allegoricum. Dedeceret tamen Deum, si aliquis liber, qui secundum formam externam *historicus per saecula universaliter est habitus,* tandem non nisi narrationes fictas contineret.

190. Ideo, ut conclusio, studium generum litterariorum antiquorum *admodum desideratur,* ut de multis locis Scripturae recta ac certa interpretatio adhiberi possit.

16 Cf. Bea, *De inspiratione* n.89.94.
17 *Comment, ad Hebr c.i* lect.4.

191. Obiectiones. 1. Dantur in Scriptura *errores astronomie!:* v.gr. Gen r,i6 (sol et luna duo luminaria magna); Mt 24,29 (stellae cadent de caelo); Ios 10,13 (sol et luna steterunt)...

Resp. Haec omnia spectant ad *apparentiam sensibilem,* quod sufficit ad veritatem earum sententiarum; et sic loquendo non exprimitur ullus error.

2. Dantur errores cie *historia naturali et cosmographia:* Lev 11,6; Deut 14,7 (lepus habetur aniinal ruminans); Lev 11,19 (vespertilio [murciëlago] recensetur inter aves); Iob 26,11 (columnis caeli innituntur); Iob 37, 18 (caelis quasi aere fusi sunt); Ps 135,6 (orbis dicitur firmatus super aquas); Mt 13,32; Mc 4,31 (granum sinapis dicitur minimum inter semina).

Resp. In his non sunt errores, quia significatio verbi et sensus sententiae desumenda sunt ex adiunctis; hic autem auctores sacri non intendunt scientificam terminologiam, sed *ad opinionem popularem dicta sunt,* qualiter saepe loqui solemus, non semper philosophice et scientifice subtiliter; vel dicunt sermone poetico. Atque in hoc modo loquendi nullus error invenitur. Et, etiamsi coaetanei pro praeiudiciis aut falsis ideis temporis falso de his rebus interne cogitassent, at talis error obiective in libris sacris non exprimitur.

3. In Lc 2,33 loseph dicitur *pater* citis (Christi).

Resp. Pater, ut *putabatur,* sicut idem ait Lc 3,23.

4. Qui vocati a loseph ingressi sunt Aegyptum fuere iuxta Act 7,14 *septuagintaquinque;* et iuxta Gen 46,27 *omnes* fuere *septuaginta.* Ergo alterutra sententia Scripturae est falsa.

Resp. 1) Stephanus id dicens sequitur lectionem LXX, quae habet 75, dum Vg legit 70. Ergo alterutra *lectio* est falsa, *conc.;* agitur de duplici sententia originali discrepante, *nego.*

2) S.Stephanus in hac re (et in aliis suae concionis) subiective errare potuit, vel oratorio modo loquens minus exacte aliqua expressit: id *transeat* (neque enim, etsi plenus Spiritu Sancto, *explicite approbantur* omnia quae dicit in hac concione; et generatim exegetae catholici admittunt possibilitatem horum dictorum minus exactorum) ,8. Sed minime datur error in consignatione huius erroris per S.Lucam. Cf. quid de re dicat S.Hieronymus (in obiectione 14).

5. Mt 27,9s refert verba quasi leremiae, quae non sunt apud hunc prophetam.

Resp. 1) Fortasse in autographo non erat leremias, sed *Zacharias,* ubi revera reperiuntur.

2) Verba allata a Mt inveniuntur in Zach 11,12s ubi Zacharias in re gerebat typum Domini circa valorem quo appretiatus fuit; et *adduntur* a Mt *verba ex ler (18,2;* 19,1.11; 32,6s) quae agunt *de campo figuli...;* iuxta modum pristinum citandi Scripturam. Evangelista igitur utitur terminis sacris, in quibus Deus praeviderat et intenderat typum aliquem rerum a Christo gestarum vel cum eo connexarum »9.

6. Iuxta S.Augustinum 20 et Leonem XIII *(«Providentissimus»:* D 1947; EB 721 [106]), *Spiritus Dei qui loquebatur per scriptores sacros noluit docere homines quae nulli saluti profutura essent.* Atqui historia profana, non religiosa, nulli saluti prodest. Ergo non est obiectum magisterii divini per Scripturam.

18 Cf. A.Boudou, *Verbum salutis* 7 *(Actes des Apôtres)* in Act 7,2-16; in ed.6(c (1933) p.137; Pesch. *De inspiratione* n.438; A.Durand, *Inerrance biblique:* DAFC 2,763.

19 Cf. A.Durand. *Verbum salutis* 1 *(S.Matthieu)* in hunc locum; in ed.21.· (1929) P.506S-

20 Dc Gen ad litt. 2,9.20: ML 34,270.

Dist. mai. Iuxta S.Augustinum et Leonem XIII, in locis indicatis, Spiritus Dei noluit «ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura», *conc. mai.;* noluit docere quae spectant ad historiam profanam, *nego mai.*

η. Atqui iuxta Leonem XIII hagiographus de rebus physicis loquens, *«ea secutus est quae sensibiliter apparent»...* quod quidem *«ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim iuvabit transferri» («Providenlissimus» :* D 1947-1949; EB 121-123 [106-108]). Ergo historia profana in Bibliis potest tantum habere apparentiam veritatis.

Resp. Iuxta Leonem XIII illud «ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri, nimirum *haud dissimili ratione adversariorum fallacias refellendo et historicam sacrae Scripturae fidem ab eorum impugnationibus tuendo» 21, conc.;* quasi historia, quae est de veritate (non de phaenomenis, sicut Physica), possit habere veritatem mere apparentem, nego.

8. Sicut sunt defectus in verbis et in forma externa Scripturae, ad quae inspiratio se extendit, qui sane defectus tribui debent imbecillitati instrumenti adhibiti; ita possunt esse defectus veritatis in iis sententiis quae inserviant ut vestimentum nuclei religiosi, qui doceri intenditur.

Nego paritatem. Verba et forma externa libri inspirati, non obstante influxu inspirativo in illa, *pertinent ad partem materialem libri,* quae admittit defectus qui tribui debent virtuti deficienti instrumenti a Deo adhibiti; sententiae vero, etiam illae quae inserviant ut vestimentum veritatis principalis, perlinent *ad partem formalem libri,* quae debent habere veritatem cuiusque generis litterarii propriam; omnis enim auctor respondet de omnibus sententiis libri. Ideo repugnat ut verbum Dei scriptum admittat errores, etsi admittat defectus litterarios.

9. Deus habet in Bibliis *condescensionem,* iuxta S.Ioannem Chrysostomum *(«Divino afflante»:* EB 559; D 2294). Ergo nihil mirum si etiam legendis popularibus non criticis uti voluerit ad componendos libros sacros.

Dist. antec. Deus habet *condescensionem cum errore, nego antec.; excluso omni errore,* quatenus in sua revelatione ad homines utitur anthropomorphismis, theophaniis, figuris rhetoricis et tropis locutionis, atque loquitur prout res sensibus apparent in rebus physicis, *conc. antec. Haec condescensio locum habet relate ad styluin et modum loquendi,* non relate ad quendam abusum legendarum popularium, in quibus falsa veris sine ullo criterio possibili congererentur 22.

10. Patres ad tuendam inerrantiam Scripturae non habuerunt difficultates tam magnas, sicut nos habemus. Ergo non valet eorum testimonium de inerrantia Scripturae.

Resp. Patres habuerunt suas difficultates et magnas; sed nunquam illas solverunt dicendo aliquid esse falsum; neque concesserunt *placitis nondum rite probatis.* Praeterea testimonium Patrum cogit nos non in interpretationibus scientificis quas dederunt, sed in modo eorum sese gerendi relate ad Scripturam ut verbum Dei absolutae auctoritatis.

21 Pius XII, *«Divino afflante»* (EB 539): cf. et *«Spiritus Paraclitus»* (EB 458 [471]: D 2187).

22 De hac re vide F. Fabri, *La «condiscendenza» divina nell'ispirazionc biblica seconda S.Giovanni Crisostomo:* Bibi 14 (1933) 330-347«

11. Inst. Res quae non pertinent ad fidem et mores, ut est historia profana, non est obiectum magisterii Ecclesiae ac proinde neque Patrum. Ergo historia profana Bibliorum non est obiectum magisterii ecclesiastici et Patrum.

Dist. antec. Res quae non pertinent ad fidem et mores non sunt *obiectum saltem indirectum* magisterii ecclesiastici, *nego antec.,* quatenus si perperam exponantur possent contradicere dogmati, ac proinde Ecclesia ius habet excludendi falsas interpretationes (cf. n.239-242); hae vero res non sunt *obiectum directum* magisterii ecclesiastici, *subdist.:* res illae prout narrantur materialiter sumptae, *transeat;* illae res formaliter sumptae, quatenus habent formam inspirationis et sunt obiectum illius, *nego.* Patres et magisterium Ecclesiae possunt testari facta narrata, etsi profana, esse inspirata; et quatenus talia sunt obiectum magisterii ecclesiastici et Patrum, qui testificantur in illas sententias cadere inspirationem seu esse verbum Dei.

12. Iuxta *S.Hieronymum* sunt contradictiones insolubiles in Bibliis: «Hoc vero problema cum legissem, coepi mecum tacitus aestuare, et e vestigio Genesim Exodumque percurrens, reperi loca, in quibus scripta sunt, quae videntur facere quaestionem. Ac primo aestimabam spiritualibus spiritualia comparans, indissolubilia esse sicut et multa alia...» 23.

Resp. Dantur in Bibliis sententiae *obieclive* contradictoriae et difficultates insolubiles, nego; dantur iuxta S.Hieronymum difficultates *subiective* et pro aliquo homine insolubiles, *conc.*

13. Idem *S.Hieronymus* ait: «Prophetam non dixere [Septuaginta] Ananiam, ne scilicet prophetam viderentur dicere qui propheta non erat; *quasi non multa in scripturis sanctis dicantur iuxta opinionem illius temporis quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat» 24.*

Resp. Hieronymus hic non enuntiat principium generale, sed in casu particulari explicat cur Ananias non vocetur propheta.

14. Idem *Hieronymus:* «Hoc autem generaliter observandum, quod ubicumque sancti apostoli, aut apostolici viri, loquuntur ad populos his plerumque testimoniis abutuntur, quae iam fuerant in gentibus divulgata...» 25.

Resp. S.Hieronymus loquitur de concione Stephani in Act 7,14 ubi dicuntur 75 animae ingressae Aegyptum; eo quod Stephanus et Lc adhibuerit (ex interpretatione Hieronymi) *lectionem ex* vulgata versione LXX. Illud vero *«abutuntur»* aequivalet simpliciter «utuntur».

15. Iterum S.Hieronymus.· «Longum est universa ludicum gesta percurrere; et totam *Samson fabulam* ad veri solis (hoc quippe nomen eius sonat) trahere sacramentum»26.

Resp. Haec vox *fabula* est anceps, et potest applicari ad veram historiam, iuxta mentem loquentis. Audiatur igitur quomodo *Hieronymus* ibidem prosequatur: «Ad Regum libros veniam quando in tempore messis, obsecrante Samuele, pluviae de caelo, et flumina repente manarunt; et David unctus in regem est; et Nathan et Gad prophetaverunt mysteria; cum Elias igneo raptus est curru, et Elisaeus spiritu duplici mortuus mortuum suscitavit. *Haec et cetera quae de sanctis scripta sunt, nisi* quis universa *crediderit,* in *Deum sanctorum credere non valebit...»*

23 Epist. 36 (ad Damasum) to: ML 22,456.
24 In 1er 5,28.10: R 1409.
23 Quaest. hebraicae (in Gen 46,27): ML 23,1053.
26 Comment, in epist. *ad Philem.:* ML 26,645.

CAPUT II

De interpretatione sacrae Scripturae

A.Fernandez, *Instit. biblicae* I.4 pars 1; Pesch, *De inspiratione* n.543-564: Hopfl-Gut, *Introductio generalis* para 4 n.559-696; J.Prado, *Propedeutica biblica* I.3 n.205-263.

192. Hermeneutica (ab ἑρμηνεύειν, interpretari) est disciplina, simul ars et scientia, quae tradit normas rectae interpretationis librorum sacrorum.

In hac interpretatione magna esse potest difficultas, oriens non tantum ex diversitate linguae, temporis, morum, locorum remotorum spectantium ad libros sacros, sed etiam procedens ex materia tractata (religiosa, supernatural!) et ex eius origine divina.

«Quo in genere—dicebat Leo *XIII*—animadvertisse oportet, ad ceteras difficultatis causas, quae in quibusvis antiquorum libris intelligendis fere occurrunt, proprias aliquas in Libris sacris accedere. Eorum enim verbis, auctore Spiritu Sancto, res multae subiciuntur quae humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quae cum iUis continentur alia multa; idque nonnunquam ampliore quadam et reconditiore sententia, quam exprimere litterae et hermeneuticae leges indicare videantur: alios praeterea sensus, vel ad dogmata illustranda vel ad commendanda praecepta vitae, ipse litteralis sensus profecto adsciscit. Quamobrem diffitendum non est religiosa quadam obscuritate sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit Deo quidem sic providente (quae vulgata est opinio SS.Patrum), ut homines maiore cum desiderio et studio illos perscrutarentur, resque inde operose perceptas mentibus animisque altius infigerent; intelligerentque praecipue, Scripturas Deum tradidisse Ecclesiae, qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima uterentur» (*«Providentissimus :* EB 108 [93]).

193. Obiectum proprium huius disciplinae est *sensus* Scripturae.

Sensus est mentis conceptus quem quis verbo suo attentis adiunctis exprimit; v.gr. cum quis exprimit vocem *gallus,* attentis adiunctis vult significare vel virum determinatae nationis, vel determinatum animal.

Significatio autem est omnis idea quae verbis inesse potest independenter a loquentis intentione, prout in lexicis inveniri possunt; v.gr. vox «colere» potest habere significationem actionis «agriculturae», et actionis «cultus divini».

1 Cf. S.Hieronymus, *Epist. 53,* al.103 (ad Paulinum) 4: ML 22,343.

Erit igitur obiectum proprium Hermeneuticae 3ocere principia generalia quibus sensüs sacrae Scripturae sit determinandus in singulis locis. Exegeseos vero erit haec principia generalia casibus particularibus applicare.

194. Divisio Hermeneuticae. Tres partes in ea considerari solent: Prima pars tractat in universum de sensibus S.Scripturae et dicitur *Noematica.* Alia considerat modum inveniendi sensum S.Scripturae et vocatur *Heuristica.* Tertia denique studet modo proponendi sensum S.Scripturae et dicitur *Prophoristica.*

ARTICULUS I

De sensibus sacrae Scripturae 2

195. Divisiones circa sensum S.Scripturae. Exposita notione generali *sensus* S.Scripturae, iam divisiones et species illius considerandae sunt.

Sensus litteralis est id quod verba immediate significant.

Sensus realis vel typicus est id quod res significata per verba vicissim ipsa significat. Sic, v.gr., *mactatio agni paschalis* ab israelitis est res significata per verba narrationis in Ex 12,46s et Num 9,12; sed haec res, significata immediate per verba, aliud vicissim significabat, iuxta Io 19,36; nimirum referebatur ad sacrificium Domini in cruce. Primum spectat ad sensum litteralem loci; aliud spectat ad sensum realem vel typicum. Pariter *egressus populi Israel ex Aegypto,* iuxta Os 11,1 typice significabat egressum pueri lesu ex Aegypto, iuxta Mt 2,15: *Ex Aegypto vocavi filium meum.*

196. Aliqua vero res potest esse typus etiam *ratione modi cpio narratur in sacris litteris.* Sic Melchisedec est typus Christi sacerdotis *aeterni* (Hebr 7,2s), in quantum ille inducitur in Genesi *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitae habens;* cum tamen re vera Melchisedec habuerit haec omnia.

De his sensibus, cT. *«Divino afflante»* (EB 550-553; D 2293).

197. Uterque sensus, litteralis et realis, potest dividi in *historicum,* si argumentum refertur ad historiam seu eventum;

2 Doctrina Sancti Thomae praesertim habetur in *Quodlib.* η q.6 a.14-16: I q.i a.10. Dc sensu typico, cf. E.Martlnez, *El sentido tfpicaen la sagrada Escrilura:* MiscCom 2 (1944) 1-34.

in *tropologicum seu moralem,* si ad mores; in *anagogicum,* si ad vitam futuram; in *propheticum,* si ad futura spectat vel ad credenda.

Non raro sensus litteralis dicitur *grammaticalis, historicus, logicus,* et sensus typicus dicitur *realis, spiritualis, mysticus, allegoricus.*

198. Aliae divisiones. Ex criterio quo sensus determinatur, sensus potest esse *grammaticalis* (philologicus) et *logicus,* prout determinetur per grammaticam vel per logicam contextus.

Ex assensu mentis quem postulat, sensus potest esse *certus, probabilis, dubius.*

Ratione suae veritatis, sensus potest esse *verus* vel *falsus.*

Ex natura sermonis seu verborum, sensus potest esse *proprius,* si verba sensu proprio sumuntur; vel *translatus* (metaphoricus), si verba tropologice sumuntur.

Sensus metaphoricus vel tropologicus est etiam sensus litteralis; nam cum quis loquitur per tropum, ipsa verba aliquid immediate significant, non scilicet quod materialiter sonat vox, sed id quod per vocem figuratur; v.gr. cum loquimur de «brachio Dei», volumus immediate potentiam divinam significare 3.

De sensu *pleniore, consequente* et *accommodato,* vide infra n.218-224.

Thesis 9. In Sacra scriptura agnoscendus est sensus litteralis.

199. Doctrina Ecclesiae plane supponit dari in sacra Scriptura sensum litteralem. Ita v.gr. *Litterae «Spiritus Paraclitus»* exponentes doctrinam S.Hieronymi de hac re; qui «monet ipsa Scripturae verba perdiligenter consideremus, ut certo constet quidnam sacer scriptor dixerit... Tum vero, quae in verbis insit significatio et sententia, docet esse inquirendum... Ad litteralem igitur seu historicam explicationem in primis animum intendere debemus...» (EB 485 [498]).

Itemque Pius XII dicit hoc esse munus interpretis, dispicere ac definire sensum litteralem; in *Litteris «Divino afflante»* (EB 550; D 2293).

Et in *Litteris «Humani generis»,* contra novas opinationes defenditur «sensus litteralis sacrae Scripturae eiusque expositio a tot tantisque exegetis, vigilante Ecclesia elaborata... [quae, ex commentitiis placitis] novae cedere

3 De hac re, cf. «Providentissime·: EB 485 [498] circa finem; ct S.Th., I q.i a.io ad 3.

debent exegesi, quam symbolicam ac spiritualem appellant; et qua Sacra Biblia Veteris Testamenti, quae hodie in Ecclesia tamquam fons clausus lateant, tandem aliquando omnibus aperiantur. Hac ratione asseverant difficultates omnes evanescere, quibus ii tantummodo praepediantur, qui sensui litterali Scripturarum adhaereant» (EB 613; D 2316).

200. Valor dogmaticus. Cum haec res clare contineatur in sacra Scriptura, atque magisterium Ecclesiae id plane supponat vel doceat, dari scilicet sensum litteralem in verbo Dei scripto, thesis dicenda est *de fide divina et catholica.*

201. Probatio. Aliquem sensum litteralem subesse singulis sententiis Scripturae facile probatur, siquidem omnes homines sui compotes et cordati, si loquuntur, aliquid per verba immediate significare volunt; idque de Deo multo magis dicendum est.

202. Obicics. *Origenes* videtur negasse sensum litteralem. Ait enim: «Sicut ergo homo constare dicitur ex corpore et anima et spiritu; ita etiam sancta Scriptura quae ad hominum salutem divina largitione concessa est... sunt quaedam Scripturae nullatenus habentes illud corporeum [sc. sensum *corporalem],* sicuti in sequentibus demonstrabimus; sed sunt quasi tantummodo animam et spiritum Scripturae necessarium sit quaerere...»4.

Resp. Origenes in loco indicato et in sequentibus videtur negare pro aliquibus locis Scripturae *sensum obvium et proprium qui primo aspectu apparet* [qualis occurrit in locutionibus anthropomorphicis: v.gr. Ps 17,9 *Ascendit fumus e naribus Dei (in* textu hebraico)]; sed minime negat alium sensum *litteralem,* quaerendo animam et spiritum Scripturae 5.

203. Scholion. *Primo inveniendus est sensus litteralis. «...* Exegeta catholicus ad illud accedat munus, quod ex omnibus ei impositis summum est, ut nempe germanam ipsam sacrorum Librorum sententiam reperiat atque exponat. Quo in opere exsequendo ante oculos habeant interpretes sibi illud omnium maximum curandum esse, ut clare dispiciant ac definiant, quis sit verborum biblicorum sensus quem *litteralem* vocant. Hanc *litteralem* verborum significationem omni cum diligentia per linguarum cognitionem iidem eruant, ope adhibita contextus comparationisque cum assimilibus locis...» *('Divino afflante»:* EB 550; D 2293). Cf. etiam «Spiritus *Paraclitus»* (EB 485 [498]) et *'Humani generis»* (EB 613; D 2316; supra, n.199).

«Interpretationis autem munere magister [sacrae Scripturae] ita fungatur, ut primo loco *sensum litteralem* qui dicitur clare et perspicue exponat, in auxilium adhibito, ubi res ferat, ipso quoque textu primigenio...»6.

Thesis 10. Sensus litteralis Scripturae est unicus.

204. Status quaestionis. Quaeritur utrum in una eademque sententia Scripturae multiplex sit sensus litteralis an unicus.

4 *De principiis* 4,1 is: MG 11,365«
3 Cf. *Institut, biblicae* i6 I.4 n.5.
6 Ex *Instructione Commissionis de re biblica,* 13 maii 1950: AAS 42 (1950) 5©1 ; EB 598.

Non quaeritur utrum sint duae interpretationes vel plures eiusdem sententiae, quae dentur; sed utrum sint duo vel plures sensus, et quidem *inter se disparati et* diversi omnino: non ergo quod alius sit plenior vel cumulativus, vel quod alius sit implicitus, alius vero explicitus.

Neque agimus de possibilitate, utrum Deus potuerit plures sensus litterales intendere eadem sententia; sed *de facto,* utrum id fecerit.

Nos agimus de sensu quem auctor sacer saltem confuse intendit, non de aliis sensibus quos ipse fortasse non novit, qui tamen a Deo comprehendebantur et quodammodo intendebantur.

205. Adversarii habentur, inter alios, Suarez 7, Vazquez 8, Bonfrerius 9, Zannecchia 10...

Theologi saeculi XVI et XVII (in prima medietate) saepius loquuntur de diversitate seu multiplicitate sensuum sacrae Scripturae 11 12. Sed in conceptione rei magna est diversitas, magna etiam interdum confusio. Sic aliquando intelligunt diversitatem lectionum, vel diversitatem versionum; aliquando litteralem alium sensum, alium vero eundem, sed pleniorem; aliquando designant diversitatem interpretationum... Unde patet facile inde gigni confusionem, nec facile per summam heterogeneorum fieri posse conclusionem de sententia tunc praedominanti. Ideo unicitas sensus litteralis, et hodierna delimitatio quaestionis ad sensum unicum litteralem, in contrapositione ad sensum multiplicem *mutuo disparatum:* haec supponunt —ut existimamus—progressum theologicum.

A. Colunga, O.P., defendit duplicem sensum: litteralem historicum ct alium plenum sive evangelicum, intentum a Spiritu Sancto, resultantem ex sensibus historicis progressivis (quod maxime quoad vaticinia messianica locum habet) ›2; sed non agit de multiplici sensu *disparato,* ac proinde non est adversarius noster. Nos potius loquemur de sensu «pleniore» (cf. n.2i8ss), non de sensu duplici.

Item *E. Ndcar* non intelligebat duplicem sensum *disparatum,* cum propugnaret sensum litteralem duplicem ›3.

7 *De fide* d.17 s.i n.13: Opera (Vives) 12,428.

8 *In i p. q.i* a.10 disp.17 c.1-4.

9 *In totam Scripturam sacram praeloquta* c.20 s.5; MiCNt, Cursus Scripturae (Parisiis 1839)1.211-214.

10 *Divina inspiratio S.Scripturarum* (Romae 1898) 2i6ss; *Instit. biblicae* i» I.4 n.6.

'11 De re egit F.Lôpez, *La multiplicidad de sentidos literates en la Escritura, segtm los autores espanoles (1550-1650):* ArchTG 10 (1047) 395-419

12 *{Existe pluralidad de sentidos literales?:* EstBibl 2 (1943) 423-447.

13 Sobre *la unicidad o duplicidad del sentido literal en la sagrada Escritura:* CiencTom 68 (1945,1) 362-372.

206. Doctrina Ecclesiae. Unicitas sensus litteralis, iuxta explicationem status quaestionis, videtur plane supponi in documentis Ecclesiae, quae hortantur ad illum primario perquirendum. Cf. *Litteras «Spiritus Paraclitus»* (EB 485 [498]) et *«Divino afflante»* (EB 550-553; D 2293).

207. Valor theseos. In sensu explicato thesis videtur *certa* [14].

208. Probatio. Homines si veraciter et serio loquuntur, et non mendaciter aut per iocum, unum tantum sensum litteralem intendunt. Atqui eadem ratione (i.e. veraciter et non per iocum) agere censendi sunt auctores sacri, nisi contrarium extra omne dubium probetur. Ergo unicus est sensus litteralis Scripturae.

Aliud esset aequivocatio, consistens in eo quod verba habeant duplicem sensum, quam unice ad risum legitime facimus.

Si verba Scripturae multiplicem haberent sensum litteralem, essent verba ambigua, flexiloqua, apta ad fallaciam. In restrictione autem mentali, qua non raro uti debent homines maxime cordati ad aliquid velandum, utentes verbis habentibus duplicem sensum, tunc non *intendi debet* nisi unicus sensus verus, *permitti* tantum alius sensus unde decipiatur ille qui ius non habet exigendi veritatem.

209. Obiectiones. Opponi possunt aliqui textus S.Scripturae, qui diversimode exponantur:

1. Ps 2,7: *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* quem idem S.Paulus interpretatur de resurrectione *Christi* (Act 13,33), quia Iesus in resurrectione declaratus fuit gloriose et manifestatus Filius Dei in virtute; sed alibi (Hebr 1,5) intelligit de *divinitate Iesu,* cum Dominus nulli angelorum dixerit: Filius meus es tu; demum idem Paulus alio in loco (Hebr 5,5) textum applicat *sacerdotio Christi,* qui a Deo clarificatus est ut Pontifex fieret.

Resp. In his, si res attente consideratur, non agitur de sensu triplici disparato, sed omnino inter se *congruente;* ita ut Iesu, eo quod sit Filius Dei naturalis, conveniat etiam sacerdotium, atque per resurrectionem ut talis Filius Dei solemniter declaretur. Agitur proinde in his locis de sensu pleniore vel consequente.

2. Verba Isaiae 53,4: Vere *languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit* diversimode interpretatur Mt 8,t6s (de infirmitatibus corporalibus) et i Petr 2,24 (de infirmitatibus spiritualibus seu de peccatis).

Resp. Sed plane apparet neque in his locis agi de duplici sensu disparato, sed vel accommodato vel consequente vel pleniore.

3. Verba Isaiae 53,8: *Generationem eius quis enarrabit* intelliguntur ab

14 «Quibus consideratis—scribit Pesch—negandum videtur opinionem de sensu litterali multiplici esse vere probabilem; et optandum est ut post tot disputationes tandem in pace sepeliatur» *(De inspiratione* n.555).

aliquibus Patribus de generatione aeterna in sinu Patris, ab aliis vero de generatione temporali miraculosa in sinu B.Mariae Virginis.

Resp. Sed tunc agitur de duplici *interpretatione* diversa (sicut etiam alii aliter textum interpretantur; cf. *De revelatione* n.623 v.8); non vero agitur de duplici *sensu,* qui textui tribuatur.

4. Adduntur etiam verba Caiphae apud Io 11,50; qui, cum esset pontifex anni illius prophetavit dicens: *expedit* vobis ut unus *moriatur homo pro populo et non tota gens pereat,* intelligens id profecto, non de morte piaculari Iesu (ut Deus dictum intendebat), sed eo sensu ne venirent romani et periret tota gens temporaliter.

Resp. In hoc loco sensus inspiratus et intentus a Deo non est nisi unus, alius non est nisi cogitatio humana Caiphae.

5. Convenit sacrae Scripturae ut multos habeat sensus.

Resp. Id potius dedecere videtur, quia confusio facillime inde generatur [15].

6. Patres dicunt nullam esse sententiam Scripturae quae non sit plena sensibus [16].

Resp. Ita videri potest, sed eorum verba possunt intelligi de diversis sensibus non disparatis, typico vel accommodato vel consequenti, vel de diversis expositionibus.

7. *S.Thomas* aliquando diversitatem sensuum litteralium proposuit ut difficultatibus satisfaceret: «hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat, ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem quam mente concepit, et per hoc etiam contra infideles facilius defendatur...» [17].

Resp. Sed probabilius S.Thomas non admisit illam pluralitatem sensuum disparatorum, cum data opera de re egit[18].

Thesis ii. In sacra Scriptura agnoscendus est sensus typicus.

210. Notiones. Sensus typicus est, uti diximus n.195, ille quem ipsae res, vel ipsi eventus per voces significati, vicissim significant. Quoniam res aut eventus de se habere possunt similitudinem cum multis aliis rebus, et ideo aptitudinem ad plura significanda, habent ex positiva ordinatione Dei aliquid determinatum de facto significare; quamobrem sensus typicus sola revelatione cognosci potest.

Res aliam significans dicitur *typus* (sic apud Rom 5,14 Adam dicitur tuitos futuri); res alia significata dicitur *antitypus* (sic in i Petr 3,21 baptismus dicitur ἀντίτυττον salvationis in arca per aquam).

Typus differt ab *actione symbolica (v.gr.* maledictione ficus: Mc 11,12-14) in eo quod haec tota ordinetur ad aliud significandum et per se sola non exsisteret. Differt vero ab *allegoria* seu metaphora continuata (v.gr. Canticum canticorum) in eo

15 Cf. S.Th., i q.i a.io ad decimum sic proceditur i.e

i* Cf. n.143,5· Et *De mente Sancti Augustini relate ad unitatem sensus litteralis* scripsit A. Fernandez, S.I.:VcrDom (1927) 278 284: et *Instit. biblicae i6* l-4 n.8.

17 *De potentia* q.4 a.i c.

18 *Quodlib.* 7 a.14-16; l q.i a.10; ct cf. *Instit. biblicae* i6 I.4 n.8.

quod haec tantum habeat sensum litteralem, etsi per tropos expressum.

Typi possunt esse *messianici, anagogici, tropologici;* v.gr. Jerusalem (urbs, in sensu litterali) praefigurat respective regnum messianicum, patriam caelestem et animam iusti.

211. Status quaestionis. Non dicimus in omnibus, etiam in minimis sententiis Scripturae, inveniri semper sensum typicum; sed in aliquibus.

212. Adversarii. Praeter *rationalistas et modernistas,* qui in genere negant inspirationem librorum sacrorum, nunc veniunt speciatim recensendi Origenes, adversarius *per excessum* 19, et identidem quidam protestantes saeculi XVII vocati *figuristae,* eo quod in omnibus vellent sensum figuratum invenire.

213. Doctrina Ecclesiae. Iam in *decreto pro Iacobitis* legalia V.Testamenti dicebantur fuisse instituta *significandi aliquid futuri gratia* (D 712), etsi hoc in obliquo ut ratio dicebatur.

Benedictus XV in *Litteris «Spiritus Paraclitus»* refert et docet ipsam doctrinam Sancti Hieronymi, qui «litterali autem seu historica significatione in tuto collocata, interiores altioresque rimatur sensus ut exquisitiore epulo spiritum pascat...» (EB 486 [499] per totum numerum): quasi *videatur* alludere ad sensum spiritualem, mysticum..., scilicet ad sensum typicum (cf. n.197).

Atque Pius XII in *Litteris «Divino afflante»* affirmat dari hunc sensum typicum et hortatur ad illum perquirendum:

«Non omnis sane *spiritualis sensus* a sacra Scriptura excluditur. Quae enim in Vetere Testamento *dicta vel facta* sunt, ita a Deo sapientissime sunt ordinata atque disposita, ut *praeterita spirituali modo ea praesignificarent, quae* in *novo gratiae foedere essent futura.* Quare exegeta, sicut *litteralem,* ut aiunt, verborum significationem, quam hagiographus intenderit atque expresserit, reperire atque exponere debet, ita *spiritualem* etiam, dummodo rite constet *illam a Deo fuisse datam. Deus enim solummodo spiritualem hanc significationem et* novisse *potuit, et nobis revelare.* Iam vero eiusmodi sensum in Sanctis Evangeliis nobis indicat, nosque edocet divinus ipse Servator; hunc etiam, Magistri exemplum imitati, Apostoli loquendo scribendoque profitentur; hunc perpetuo tradita ab Ecclesia doctrina ostendit; hunc denique antiquissimus liturgiae usus declarat, ubicumque rite adhiberi potest notum illud pronuntiatum: Lex precandi lex credendi est. Hunc igitur *spiritualem sensum,* a Deo ipso intentum et ordinatum, exegetae catholici ea diligentia patefaciant ac proponant, quam divini verbi dignitas exposcit; alias autem

19 *De principiis* 4,20-26: MG 11,385-400.

translatas rerum significationes ne tamquam genuinum sacrae Scripturae sensum proferant, religiose caveant» (EB 552s; D 2293).—Hic vero agi de sensu *typico* uberius declarabimus in n.218.

Valor dogmaticus. Thesis est *de fide divina,* quod clare in Scriptura contineatur.

Cf. et EB 524 (in *Litteris Secretarii Commissionis Biblicae ad Archiepiscopos et Episcopos Italiae,* 20 Augusti 1941): esse propositionem fidei, habendam ut principium fundamentale, sacram Scripturam continere, praeter sensum litteralem, sensum etiam spiritualem seu typicum, sicut ipsa praxis Domini nostri et Apostolorum docuit; sed non in omni sententia aut narratione hunc sensum typicum contineri.

214. Probatur ex sacra Scriptura. Multa quae in V.T. sensu litterali scripta sunt, in N.T. ab apostolis *dicuntur in Christo impleta esse.* Sic v.gr. Ex 12,46; Num 9,12 *(de agno paschali,* applicantur immolationi lesu in Io 19,36); item Os 11,1 (Mt 2,15); in Gal 4,22ss S.Paulus loquitur de duobus filiis Abrahae, natis de ancilla et de libera... *quae sunt per allegoriam dicta;* et cf. Rom 5,14; 1 Petr 3,20s...

Ergo haec dicta V.T. alium sensum, praeter litteralem, habebant significandum.

Atqui hic novus sensus non erat mera accommodatio, quia verba «impleri in Christo» aliud et plus postulant.

Ergo multa in -V.T. habebant sensum typicum.

215. Probatur ex traditione. Datur in hac re *consensus Patrum et theologorum.*

Sic, v.gr., S.Augustinus, dum agnoscit hunc sensum typicum, cavet ab exaggerationibus eorum qui in omnibus sensum superiorem exquirebant: «Mihi autem—inquit—sicut multum videntur errare qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud praeter id quod eo modo gestae sunt significare arbitrantur; ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt» 20.

Itemque S.Hieronymus, qui ex doctrina *Litterarum «Spiritus Paraclitus»* docet de libro Proverbiorum, idemque de reliquis Scripturae partibus saepe monet, sistendum non esse in solo litterali sensu, «sed quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur, ita in eis divinum sensum altius perscrutandum» 21... Monet tamen, cum de quaerendo agitur eiusmodi interiore sensu, quemdam modum esse adhibendum, «ne dum spiritales divitias

20 *De civitate Dei* 17,3,2: ML 41,526. Cf. et *ibid.,* 16,2,3: ML 41,479.
21 *In Eccl* 12,9s: ML 23,1169 C.

sequimur, historiae contemnere paupertatem videamur» 22 (EB 486 [499]).

Atque Isidorus Pelusiota: «Qui universum Vetus Testamentum ad Christum transferre conantur, reprehensione minime carent... Ego vero necessario utrumque contigisse aio, nempe, nec cuncta de ipso dicta esse, nec rursum de eo nullum omnino sermonem habitum fuisse» 23.

Denique audiatur S.Thomas: «... hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid»24.

216. Scholion 1. De extensione typorum. *Vetus Testamentum universim sumptum est typus Novi Testamenti.* Sic iure concluditur ex verbis Domini (Mt 12,3935 de signo lonae; lo 3,14 de exaltatione serpentis in deserto), et ex verbis apostolorum (Mt 2,15; Io 19,36; i Petr 3,20s; Gal 4,22ss; Hebr 9,gss); praesertim vero ex 1 Cor 10,6.11: iuxta quae, eventus israelitarum *in figura facta sunt nostri;* atque ex Col 2,16s: ubi festa iudaeorum dicuntur umbra fuisse futurorum. Similiter in Hebr 10,1: lex dicitur umbram habens futurorum bonorum.

In Novo Testamento iam non habentur typi messianici, sed possunt inveniri typi anagogici futurae gloriae 25.

De excessu in quaerendo sensu typico, quod spectat ad novam exegesim «symbolicam ac spiritualem», cf. quae habentur in *Litteris «Humani generis»* (EB 613; D 2316; supra, n.199).

Ad inveniendum sensum typicum, praeter ea quae expresse designantur in sacris'· Litteris, debet attendi ad traditionem et modum agendi SS.PP., ad usum liturgicum, ad analogiam fidei, et ad similitudinem inter eventus V. et N.Testamenti. Inde, si omnia *sobrie fiunt* et apte, *spiritualis* habebitur ratio interpretandi sacram Scripturam ad aedificationem 26.

217. Scholion 2. Vis probativa sensus typici. Sensus typicus certe habet vim probativam, siquidem est sensus *a Deo intentus.* Ideo et S.Paulus et apostoli ex eo argumentantur.

Tunc vero debet certo constare quid et sub qua ratione significet typus. Hoc autem vel dubium est, vel iam constat

22 *In Eccl* 2,24-26: ML 23,1085 C.
23 *Epist.* 1.2,195 (ad Alexandrum): MG 78,641.
24 Iq.1a.10c.
25 Cf. i q.i a.10. Adesse typos in N.T. (Mt 3,11: baptisma loannis; Lc 5,6ss: piscatio miraculosa; Mt 8,5-13: Centurio Capharnaum; Mc 6,13) demonstrat Io .Saiier, O.Cr., *Ueber Typen im Neuen Testament:* ZkathTh 69 (i947).49<M96.
26 Circa sensum spiritualem et exegesim sic dictam *spiritualem,* de quibus piures loquuntur, cf. praesertim A.Fernândez, *Instit. biblicae* i6 I.4, n.16; A.Miller, O.S.B., *Zur Typologie des Alten Testaments:* Ant 25 (1950) 425-434: A Ibânez Arana, *La moderna exegesis tespirituab:* XITSemana Blblica Espanola (1951) (Madrid 1952) 55-95.

ex declaratione sacrae Scripturae aut Magisterii ecclesiastici ex ipsa traditione. Ideo non habetur magna utilitas in usu sensus typici ad demonstrationem 27. Atque, ut ait S.Thomas, «nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat» 28.

Scholion 3. Utrum sensus typicus vocari possit stricte biblicus disputatum est, ea praesertim de causa quod, cum in pluribus non cognosceretur ab hagiographo, non esset ab hagiographo intentus nec proveniret proinde a causa instrumental! libri; dictum autem a Deo seu biblicum censeri debet, quod simul ab hagiographo dicatur 29.

Sed, re vera, consuetudo fuit semper in Ecclesia loquendi de sensu typico (spirituali) tamquam de sensu biblico. Atque ita encyclicae de re biblica de eo loquuntur *('Spiritus Paraclitus:* EB 486 [499]; *«Divino afflante»:* EB 552s; D 2293), ut de sensu biblico. Nec mirum, cum talis sensus intendatur et dicatur ab auctore primario, sc. a Spiritu Sancto; et, licet non intendatur ab auctore humano, utpote qui sit sensus ab eo plerumque non cognitus, dicitur tamen de facto instrumentaliter ab eo in re significata per suam sententiam scriptam. Certe autem *concedendum est non dici eodem modo eademque plenitudine,* sicut dicitur a Spiritu Sancto, qui sensum cognoscit et intendit.

Ideo principium quod omne quod dicitur a Deo dicitur ab hagiographo, in hoc casu non tenet plene, in quantum scilicet non eadem plenitudine eodemque modo dicitur ab utroque. Id tamen non impedit quominus vere dicatur a Deo ope libri sacri, et ideo possit et debeat vocari sensus biblicus 30.

27 Cf. S.Th., *Quodlib.* 7 a. 14 ad 4.

28 i q.i a.io ad 1.

2? Cf. in hunc sensum S.Munoz Iglesias, *EI llamado sentido tipico no es eslrictamente biblico:* EstBibI 12 (1953) 159-183.

30 Pro sensu typico stricte biblico admittendo, M.de Tuya, O.P., *El sentido «tipico» ges sentido biblico?:* CiencTom 78 (i95i) 571-574; eiusdem auctoris *EI sentido tipico dei Antiguo Testamento es verdadera* y *estrictamentc sentido de la Biblia:* CiencTom 80 (1953) 625-661; J.A.Onate, *EI llamado sentido tipico ies estrictamentc sentido biblico viejotestamentario?:* EstBibI 13 (1954) 185-197. Cf. et S.del PAramo, S.I., *El fin de las parabolas de Cristo y el salmo* 77: MiscCom 20 (1953) 253s; L.Turrado, *El sentido «pleno» de la S. Escritura y la Mariologia:* Salmanticensis 1 (1954) 753 in nota 17.

De aliis sensibus sacrae Scripturae

218. Sensus plenior 31 dicitur ille quem Deus per eadem hagiographi verba intendit uberiorem vel clariorem illo quem ipse hagiographus suis verbis intellexit et dicere voluit. Non est proinde sensus omnino diversus et disparatus relate ad sensum litteralem obvium hagiographi; sed in eadem linea est sensus profundior, distinctior, *plenior,* quem hagiographus vago quodam vel confuso modo percepit, in quantum ipsis hagiographi verbis exprimitur.

Sic, v.gr., lineamenta singularum prophetiarum de Messia eiusque regno messianico *plenius* intelliguntur post descriptam integram imaginem vel post impletam integram prophetiam; a Deo autem intendebantur in sensum huius plenitudinis, quin res a singulis hagiographis tanta claritate conspiceretur.

Aliud exemplum huius sensus plenioris est doctrina de Sapientia divina in Prov. Eccli, Sap (v.gr. 9,19), ubi character personalis huius Sapientiae adumbratur et inde mysterium Sanctissimae Trinitatis insinuatur32, *plenius* postea cognoscendum 33.

Neque exsistentia huius sensus plenioris mira videri potest; cum etiam apud nos in aliquibus formulis, puta catechismi, quibus diversae personae utuntur, alia est intelligentia formu-

31 De sensu pleniore vide A.Fernândez, *Instit. biblicae* Ie (1951) I.3. *(De interpretatione)* n.13; Pescii, *De inspiratione* n.499-501; P.de Ambroggi, *II senso letterale pieno nelle divine Scritture:* ScuoCatt 60 (1932) 296-312; eiusdem auctoris, *I sensi biblici. Direttive e studi recenti:* ScuoCatt 78 (1950) 444-456; J.Coppens, *Les harmonies des deux Testaments* (Tournai-Paris 1949) c.2: *Les apports du sens plénier.*

Recenter mota Vst controversia circa hunc *sensum pleniorem:*

De notionibus vide praesertim A.Fernândez, S.I., *Sensus typicus, Sensus plenior:* Bibi 33 (i952) 526-528; *Sentido plenior, literal, tipico, espiritual:* Bibi 34 (1953) 299-326; *Nota referente a los sentidos de la Escritura:* Bibi 34 (1954) 72-79. Item circa totam hanc rem in genere eiusque historiam atque de difficultatibus commotis agunt S.del PAramo, 8,1., *El problema dei sentido literal pleno en la Sagrada Escritura* (Comillas 1954); R.E.Brown, *The History and Development of the Theory of a Sensus plenior:* CathBiblQuart 15 (1953) 141-162; E.F.Sutcliffe, S.I., *The plenary sense as a principle of interpretation:* Bibl 34 (1953) 333-3431 atque, inter diversa estudia in *XII Semana Biblica Espanola, sept.* 1951 (Madrid 1952): S.Munoz Iglesias, *Problemdtica del «sensus plenior»,* p.223-254; J.M.Bover, *El problema del sentido biblico, ampliado a la luz de la filosofia del ienguaje,* p. 261-282; M.de Tuya Si es *posible y en qué medida un «sensus plenior· a la luz del concepto teolôgico de inspiraciôn* p.283-329: CiencTom 79 (1952). 369-418. Etiam J.Coppens, *Nouvelles réflexions sur les divers sens des Saintes Ecritures:* NouvRevTh 74 (1952) 3-20; P.Franquesa, C.M.F., *Inspiraciôn, causalidad instrumental y sentido pleno:* XIV Semana Biblica Espanola, sept. 1953 (Madrid 1954)» p. 187-207; M.Peinador, C M.F., *Justification del sentido «plenior· dentro de las necesidades a que responde:* ibid, p.421-438; L.Turrado, *El sentido «pleno· de la S. Escritura y la Mariologia:* Salmanticensis 1 (1954) 749-759, praesertim p.752-755; J.Enciso, *Observationes acerca del sentido pleno:* EstBibl 13 (i954) 325-331; A.Temino Saiz, *En torno al problema del «sensus plenior»;* EstBibl 14 (i955) 5-47; aliique auctores infra citandi.

32 Cf. vgr. A.Vaccari, *Il concetto della Sapienza nell'Antico Testamento:* Greg 1 (1920) 218-251

33 Alia exempla sensus plenioris, uberius evoluta, offerunt A.Colunga, O.P., *Habitaré en medio de ellosyserésu Dios (Ex* 29-45): XII Semana Biblica Espanola, p.463-481 ; J.Leal, S.I., *Sine me nihil potestis facere (Io 15,5):* ibid., p.483-498.

larum quam habent rudes et pueri, qui plenioris intelligentiae non sunt capaces, alia vero quae habetur a theologis, qui inter se loquentes hunc sensum pleniorem intendunt.

Res quoque, eaedam quas conspicimus in natura vel in aliqua habitatione, aliter et aliter cognoscuntur pro diversitate illuminationis, i.e., distinctius et quasi abundantius, magis explicite, sc. *plenius,* prout sint circumstantiae vel adiuncta quibus res cognoscuntur earumque relationes ad alias res tunc notas.

Neque potest a priori negari Deum non posse intendere hunc sensum abundantiorem, qui videtur praetervolare id quod hagiographus expresse et distincte intelligit. De se enim videtur sufficere, si intenditur a causa principali, cum sit de natura instrumenti esse deficiens nec ad omnes proprietates effectus se extendere possit quae derivantur ex virtute causae principalis.

Sensus plenior sacrae Scripturae cognoscitur ex collatione aliorum textuum Scripturae, sive V. sive N.Testamenti, vel ex traditione Ecclesiae 34.

Alia nomina. Sensus plenior est quidem sensus *litteralis,* quia littera et verbis hagiographi immediate et directe continetur et exprimitur. Vocari potest sensus *totalis,* quatenus aliquid addit sensui litterali obvio, qui statim apparet. Item dici posset sensus *implicitus,* si intelligitur de aliqua implicitatione *formali,* quae ratiocinio mere explicativo manifestaretur; non de aliqua explicitatione quae erueretur ope ratiocinii *virtualis,* quia tunc ageretur de sensu consequente (infra, n.221). Non placet vero vocare illum sensum *pluralem* 35, quia est unicus sensus cum litterali obvio, licet profundior vel distinctior in eadem linea.

Adversarii. R.Bierberg negat contineri obiective sensum pleniorem in verbis aut sententiis sacrae Scripturae; nisi, per accidens, in casu quo exprimatur revelatio mediata, sc. referendo dicta Dei36.

G. ourtade recusat etiam admittere sensum pleniorem in auctoribus inspiratis; intelligit vero illum sensum pleniorem qui praetervolet cogitationem et intentionem hagiographi 37.*

34 Recenter J.Prado, C.SS.R., *Criterios de fiiaciôn de un «sensus plenior* y de su uso en la argumentaciôn teolôgica:* XII Semana Biblica Espanola p.403-461: S.del PAramo, *o.c.* p.39-48.

35 Ita vocatur a D.Buzy, S.C.J., Un *problème d'herméneutique sacrée: Sens plural, plénier et mystique:* L'année théologique 4 (1944) 385-408.

36 Does sacred Scripture have a sensus plenior?: CathBiblQuart 10 (1948) 182-195. praesertim P.185SS.189SS.192.

37 Les Ecritures ont-elles un sens «plénier?:* RechScRel 37 (1950) 481-499.—Alii recentiores, qui rem negant, praeter S.Muftoz Iglesias, supra in nota 31 memoratum, cognoscuntur ex articulis infra citandis.

Doctrina Ecclesiae. Ad sensum pleniorem non improbabiliter referri posse *videntur* verba Leonis XIII in *Litteris «Providentissimus»:* «Eorum enim [Sacrorum Librorum] verbis, auctore Spiritu Sancto, res multae subiciuntur, quae humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria *et quae cum illis continentur alia multa; idque nonnunquam ampliore quadam et reconditiore sententia, quam exprimere littera et hermeneuticae leges indicare videantur:* alios praeterea sensus, vel ad dogmata illustranda vel ad commendanda praecepta vitae, ipse litteralis sensus profecto adsciscit...» (EB 108 [93]). Licet enim sermo in hoc loco directe et primario sit de mysteriis, id tamen non impedit quominus aliqua verba, sublineata a nobis, extendi obvie posse *videantur* ad sensum pleniorem rerum in Scriptura dictarum; qui quidem sensus et cum mysteriis connectitur et sublineatis verbis commode, describi posse videatur 38.

F.M.Braun, O.P. i9. refert etiam ad sensum *pleniorem* aliqua verba circa *sensum spiritualem,* quae leguntur in *Encyclica «Divino afflante»* (EB 552s; D 2293; *supra,* n.213) et sensum pleniorem vult ibi videre significatum sub formula: *dicta in Vetere Testamento,* quae quidem contraponitur significationi litterali *quam hagiographus intenderit,* et dicitur sensus *quem solummodo Deus novisse potuit.* Unde facile videt notas sensus plenioris: quem tantum Deus novit, et est praeter intentionem hagiographi.

Non negabimus per «sensum spiritualem» significari practice posse sensum pleniorem, licet hic sit sensus stricte litteralis; sicut quoque «sensus spiritualis» potest etiam maxime significare sensum typicum, atque interdum sensum accommodatum et consequentem40 (cf. de his n.22is). Atque sic in recenti quodam documento Ecclesiae ample sumi videtur «significatio spiritualis» 41.—Sed quaestio quae nunc agitur est num in loco indicato Encyclicae *sensus plenior* per «sensum spiritualem» designatus *tunc fuerit.*

Ad hoc adverte in loco indicato agi de dictis vel factis *Veteris Testamenti,* quae *«praeterita spirituali modo ea praesignificarent, quae in novo gratiae foedere essent futura»;* quod quidem optime convenit sensui typico, minus autem adaequate videretur describi sensus plenior, qui non necessario semper est ad praesignificandum.—Praeterea *solus Deus*—ut dicitur—*novisse potuit hunc sensum spiritualem* Scripturae, quid eo significetur; quod quidem sensui typico bene convenit, minus autem bene sensui pleniori, quippe qui etiam ab hagiographo confuso quodam modo percipiatur.—Accedit hunc sensum *spiri-*

5' Ad hunc locum referunt Pesch. De *inspiratione* n.500: A.Fernandez, *Instit. biblicae r6* I.4 n.rs p.382.

Le sens plénier et tes encycliques: RevThom 51 (1951) 294-304.

«o Cf. A.Miller, O.S.B.: Ant 25 (19S0? 433.

41 In *Instructione Commissionis de re biblica,* T3 maii 1950: *«Spiritalem* quoque verborum significationem, dummodo eam a Deo intendi secundum sapientissimas normas a Summis Pontificibus identidem statutas rite constet, debito modo explicare curet [Magister de *re* biblical. Sensum illum spiritualem a SS.Patribus et magnis interpretibus tanto studio et amore expositum magister eo facilius intelleget eoque religiosius discipulis proponet, quo maiore ipse ornatur cordis puritate, animi excellentia, spiritus humilitate. Dei revelantis reverentia ct amore» (EB S99)- Ergo videtur agi de sensu spirituali in significatione ampla sensus *religiosi* ad aedificationem.

tualem in terminologia Sancti Thomae esse sensum *typicum*[41]. -Atque identitas inter sensum spiritualem et typicum poterat intelligi in quadam Instructione Commissionis de re biblica anni 1941 [42]—Auctores quoque generatim intellexerant in loco Encyclicae indicato agi de sensu typico, non incluso sensu pleniore[44]. Quod si in Encyclica sermo est de dictis vel factis, quae praesignificant, hoc ideo potuit dici quia aliqua res etiam *ratione modi quo narratur* in sacris Litteris potest habere sensum typicum (cf. n.196); vel etiam quia hagiographus potest interdum ex divina revelatione notitiam habere sensus typici adiecti a Domino suis *dictis,* et sic potest propriis dictis intendere praesignificationem futuri; quae proinde praesignificant sicut et facta.

Ergo non clare elucet in loco Encyclicae indicato agi de sensu pleniore.

219. Rationes admittendi hunc sensum pleniorem habentur sequentes[45].

a) In Vetere Testamento revelatio paulatim crescit, donec perfecta est in Novo; unde postea demum sensus *plenius* intelligitur eorum quae antea revelata sunt. Sic in genere valet et dicitur adagium S.Augustini: *In Vetere Testamento, Novum latet; et in Novo Testamento Vetus patet*[46].

b) In Vetere Testamento sunt vaticinia messianica paulatim prolata, quae invicem paulatim complentur quaeque, sicut omnis prophetia, clarescunt magis in adimpletione; et dubium esse nequit quin Deus plenum sensum intenderit, abundantiorem eo quem singuli prophetae vel singula lineamenta exprimebant.

Prophetae non plene tempus vel quale tempus cognoverunt circa sua vaticinia de passionibus et gloria Christi, «quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quae nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis...» (cf. 1 Pet 1,10-12). Ergo vaticinia nunc *plenius* intelliguntur, quam ab ipsis prophetis intellecta fuerunt, quia nunc apparet integra imago Messiae, cum circumstantiis temporis, loci, etc.

c) In sacra Scriptura continentur mysteria; sed mysteriorum intelligentia crescere potest.

Cf. Rom 16,25-27: «... iuxta Evangelium meum et praedicationem Iesu Christi, secundum revelationem mysterii *temporibus aeternis taciti, quod nunc patefactum est per Scripturas prophetarum...*».

42 «... Illa vero significatio qua res significatae, per voces, iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super litteralem fundatur, et eum supponit· (I q.1 a.10 c).

43 Adversus *Dain Cohel* (pseudonimum), qui extollebat exegesim «spiritualem», neglecta exegesi scientifica; v.gr.: «Il senso spirituale o *tipico,* oltre che fondarsi sopra il senso lettcrale. deve provarsi...» (EB 524).

44 V.gr. A.Miller, O.S.B.: «Die Encyklika «Divino *afflante Spiritu*· scheint zwar nur den streng bewiesenen, typischen Sinn im Auge zu haben. wenn sie von geistigen Sinne redet. wenngleich sie den Ausdruck «typisch» gar nicht gebraucht» (Ant 25 [1950] 431). Item A.Fernandez, *Instit. biblicae* I6, I.4 n.13 p.388; et alii.

45 Cf. Pesch, De *inspiratione,* n.499-501; S.del Paramo, *o.c.* p.23-38.

46 «... quamquam et in Vetere [Testamento] Novum lateat, et in Novo Vetus pateat». *In Hept., f,73'· ML 34,625.*

Citantur alii textus (Eph 3,5s; Io 16,13s) qui ostendunt dari progressum in cognitione mysteriorum; oportet autem probare in his textibus progressum non haberi tantum ex revelatione aut ex sola traditione, sed *per scripturas,* ita ut cognitio perfectior mysteriorum dicatur exprimi vel contineri in ipsis scripturis, quandoquidem probare volumus sensum pleniorem *scripturarum.* Sed, ut recte supponitur, revelatio et cognitio plurium mysteriorum certe continetur in scripturis, quae proinde merito dicuntur habere hunc sensum pleniorem.

d) Modus interpretandi ab hagiographis citationes V.T. in Novo Testamento, sive spectent ad facta messianica sive ad doctrinam dogmaticam et moralem, ostendit (praesertim in complexu) saepe auctores N.T. tribuere illis sensum abundantiorem vel distinctiorem illo, quem auctores V.T. videntur intellexisse. Ergo Scriptura habebat, praeter sensum litteralem obvium, alium *pleniorem,* intentum quidem a Deo, quem distinctius intellexerunt auctores posteriores[47].

e) Patres hanc de sensu pleniore doctrinam *quoad rem* tradunt[48].

Nominatim *Patres antiocheni,* utentes *theoria* ad interpretationem prophetiarum messianicarum, ad rem similem sensui pleniori practice accedunt. Iuxta illos enim prophetae factum historicum et factum messianfeum respondens et conspiciebant simul et intendebant immediate exprimere; quare sensus messianicus superior, iuxta illos, exprimebatur simul cum sensu historico, licet incomplete[49].

f) Sanctus Thomas videtur omnino agnoscere sensum pleniorem. Cum enim distinguat bene inter merum *instinctum propheticum,* cum non adest conscientia motionis a Deo, et *verum* prophetam, qui cognoscit illa quae videt vel dicit vel facit: «sciendum tamen est—ait—quod quia mens prophetae est instrumentum deficiens... *etiam veri prophetae non omnia cognoscunt quae in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit» 50.* Quod quidem in loco quo dicitur, non de pluralitate sensuum a Deo intentorum intelligendum videtur, sed de sensu pleniore a Spiritu Sancto sane intento, sed non

47 Recentius de hac rc L.Turrado. *¿Se demuestra la existencia dei «sensus plentor» por las citas que el Nuevo Testamento hace del Antiguo?:* XII Semana Biblica Espanola, p.331-378 In contrarium sensum S.de Ausejo, O.F.M.Cap., *Los textos del A.T. citados por S.Juan no ofrecen base de apoyo a la teoria det sentido pleno: cf.* EstBibl 12 (1953) 417s.

48 Cf. S.Augustinus, *De doctrina christiana* 3,28: ML 34,80; *In Io* i,x: ML 35,1379; S.HiERONYNfus, *In Eph* 3,5: ML 26,510-512.

49 De hac theoria cf. A.Vaccarī, *La* ΘΕΩΡΙΑ *nella scuola esegetica di Antiochia:* Bibi 1 (1920) 3-26; P.Ternant, *La* βεορια *d'Antioche dans le cadre des sens de l'Ecriture:* Bibl 34 (1953) 135-158.354-383-456-486.—Obiectiones contra sensum plenum proponit P.Bellet, O.S.B., *¿Utilizaron los Santos Padres, especialmente los antioquenos, el «sensus plenior» en sus comentarios?:* XII Semana Biblica Espanola, p.379-402.

50 2.2 q.173 a-4 c.

distincte apprehenso ab instrumento deficienti. Quod si directe id de propheta dicitur ab Angelico, *applicari potest hagiographis 51.*

220. Dices: 1) Loqui est exprimere cogitationem propriam. Sed illa quae dicuntur in sensu pleniore non exprimunt cogitationem propriam hagiographi. Ergo illa quae dicuntur in sensu pleniore non potest loqui hagiographus. Ergo non efficiunt sensum Scripturae.

Dist. *mai.* Loqui in sensu litterali est exprimere cogitationem propriam, *conc.;* loqui in sensu litterali pleniore est exprimere cogitationem propriam, subdist.: cogitatam confuso modo verbis quibus exprimitur, *conc.,* cogitatam distincto modo, *iterum subdist.:* ab auctore principali,, *conc.,* ab auctore instrumental! deficienti, *peto probationem vel nego.*

Neque est *qualitative* mensuranda actio agentis principalis ex mensura qualitativa, limitata et deficienti, agentis instrumentalis. Agens principale causât primario virtutem effectus, atque mensurat.

Ceterum, non *a priori, ex* qualibet praeiudicata theoria circa naturam causae instrumentalis argui potest *contra* qualitates actionis causae principalis librorum sacrorum, si haec actio eiusque proprietates *positive* constant aliunde. Neque Magisterium Ecclesiae unquam docuit hagiographum debere cognoscere omnia omnimoda claritate, quae Deus suis dictis in scripturis intendit.

2) Iuxta *Encyclicam eProvidentissimus»* (EB 125 [no]; D 1952) Deus ita supernaturali virtute scriptores sacros excitavit et movit et scribentibus adstitit «ut *ea omnia* eaque sola quae ipse iuberet et *recte mente conciperent* et fideliter *conscribere vellent et* apte infallibili veritate *exprimerent».* Ergo sensus plenior, qui praetervolat cogitationem et intentionem hagiographi, non est sensus Scripturae.

Resp. 1.° Hoc, si probaret, probaret contra exsistentiam sensus typici, a Deo quidem intenti; cum, saltem plerumque, sensus typicus non videatur apprehendi ab hagiographo §2.

2° Dist. antec. Deus hagiographos excitavit et scribentibus adstitit ut ea omnia *saltem confuse recte* conciperent quae ipse iuberet, *conc.;* ut semper *distincte* ea omnia conciperent eaque abundantia, sicut mens divina illa concipit vel illa vult labente tempore communicare, peto *probationem vel nego.*

Insto ad primam responsionem: Non valet retorquere cum sensu typico. Nam sensus typicus non est sensus inspiratus nec sensus Scripturae, sed «sensus potius est rei scriptae» §3.

Dist. *rationem additam:* Sensus typicus non est sensus Scripturae quatenus non est sensus litteralis nec est directe expressus in sacra Scriptura, *conc.;* quatenus non est cognitus et intentus saltem a Deo, interdum etiam intelligi potest ab hagiographo, nego.—Similiter ergo dicendum esset de sensu pleniore; hoc tamen discrimine, quod sensus plenior directe et immediate sensu litterali exprimitur in Scriptura, sed confuse capitur ab hagiographo.

3) In inspiratione hagiographus est instrumentum *rationale.* Ergo debet

31 De hoc argumento ex analogia actionis instrumentalis hagiographi cum actione instrumental! prophetae, recentius M.de Tuya, *l.c.:* CiencTom 79 (1952)389-391. In contrarium sensum A.Ibânez, *Las cuestiones* «De *prophetia» en Santo Tomds y la inspiracidn blblica:* ScriptVict 1 (1954) 256-312. praesertim p.290 sq.—Commoda quae sunt in sensu pleniore recenset M.pe Tuya, *l.c.,* p.414-418.

Hanc analogiam cum sensu typico urgent, et merito, M.pe Tuya, *l.c.:* CiencTom 79 (1952) 391-394: S.del PAramo, *l.c.,* p.51 ; aliique.

33 Ita dictus a Bainvel, De Scriptura *sacra* n.214.

agere intelligendo ea quae scribit. Atqui non intelligit sensum pleniorem. Ergo sensus plenior nequit dari in inspiratione.

Resp. i.° Hoc *a priori* dictum est. Oporteret autem naturam et actionem instrumenti in inspiratione, non a priori, sed a posteriori definire.

2.° Hoc probaret contra exsistentiam sensus typici, qui de se minus adhuc intelligitur ab hagiographo.

3·° *Conc. primum antec. et cons. Dist. min.* Hagiographus non intelligit sensum pleniorem confuse, quatenus propriis suis verbis hic sensus exprimitur, *nego;* non intelligit illum distincte, *conc. Sed nego suppositum,* scilicet, instrumentum (etiam rationale) debere aequare totam cognitionem et totam intentionem causae principalis, quae reluceat in effectu.

Instas. Non affirmatur nisi id quod cognoscitur. Atqui hagiographus non cognoscit senium plenum. Ergo sensus plenus non affirmatur ab hagiographo et non est biblicus.

Dist. mai. Non affirmatur nisi id quod cognoscitur, quando conceptus subiectivus rei nullo modo respondet conceptui obiectivo rei quae dicitur, *conc.;* quando conceptus subiectivus respondet quidem conceptui obiectivo maiore vel minore claritate vel distinctione, *subdist.,* non affirmatur tunc *expresse,* nisi id quod cognoscitur, *conc.;* non affirmatur etiam aliud, quod confuse et implicite continetur in eo quod dicitur, *iterum subdist,* tunc *non intenditur expresse* id dicere, *conc.,* non dicitur de facto, licet confuse et implicite, *nego. Contradist. min.* Hagiographus non cognoscit sensum plenum expresse et clare, *conc.;* implicito et confuso modo, *subdist,* ita ut non intendat expresse id dicere, conc.; ita ut de facto id non dicat et a causa principali non intendatur, *nego.*

4) Si auctor humanus non capiebat omnia quae Deus exprimere intendebat, de facto fuit veluti *scriba* qui mechanice scribebat id quod Deus exprimere volebat. Atqui hoc reiecimus, agentes de inspiratione verbali.

Dist. *mai.* Fuit scriba qui in singulis sententiis nihil intelligebat de scriptis a se, *nego;* qui non omnia intelligebat quae singulis sententiis continerentur, *subdist.,* non intelligebat distincte, *conc.;* non intelligebat saltem confuse, *nego.* Et semper est necessarium ut mens humana non plene intelligat quae formulis divinis ipse Deus scit et penetrat; etiamsi homo sit instrumentum conscium; quia eius conscientia nunquam poterit apprehendere et adaequare illa omnia quae Deus apprehendit et potest velle significare. Inspiratio mechanica, quam reiecimus, omnino differt a casu praesenti.

221. Sensus consequens est ille qui non formaliter continetur in verbis sacris, sed *consequitur* ex illis per ratiocinium; est veluti conclusio theologica.

Cum, v.gr., Deut 25,4 dicitur: *Non alligabis os bovi trituranti* (cf. i Cor 9,9), tunc formaliter continetur praeceptum de modo tractandi animalia; neque ullibi (etsi aliquis minus probabiliter dicant habere sensum typicum) talia animalia habentur typus operarium evangelicorum. Sed S.Paulus inde eruit conclusionem: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam et de fructu eius non edit?...* (1 Cor 9,7); atque hoc eruit *quasi dictum in Scriptura (An et lex haec non dicit?,* v.8), scilicet id eruit ope illius praemissae: *Numquid de bobus cura est Deo?* (et non magis de hominibus?) (v.9).

Non agitur proinde de sensu biblico stricte loquendo, sed late loquendo ita vocari potest, cum «Deus unam praemissam posuerit et aliam ponendam praeviderit»[54].

222. Sensus accommodatus tunc dicitur adesse cum verba sacrae Scripturae aptantur rei diversae ab illa quam auctor sacer intendit. Inservit quidem ad illustrandum, sed non ad probandum.

«Caveat idem [exegeta catholicus]—dicebat *Leo XIII—ne* illa negligat quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime cum ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti» (*«Providentissimus :* EB 112 [97]).

De re *S.Hieronymus :* «Cernitis quam confragosa loca sint et adversa historiae veritati. Et quomodo ea quae secundum litteram super Chaldaeis interpretati sumus, nunc iuxta tropologiam videantur sonare clementiam et libertatem eorum qui de Chaldaeorum manibus evaserint. *Historia stricta est et evagandi non habet facultatem. Tropologia libera* et his tantum legibus circumscripta, ut pietatem sequatur intelligentiae sermonisque contextum, nec in rebus multum inter se contrariis violenta sit copulandis»[55].

Atque idem *Hieronymus* alibi: «Et haec dicimus non quod tropologicam intelligentiam condemnemus, sed quod spiritualis interpretatio sequi debeat ordinem historiae: quod plerique ignorantes lymphatico in Scripturis vagantur errore»[56].

223. Optime fiet accommodatio, si *per extensionem* sensus fiat, ut in Liturgia aliis accommodantur ea quae de Noe et de Abraham dicuntur in Eccli 44,17,20. Minus bene fit accommodatio si *per meram allusionem* ad vocem, etc. habeatur. Male tandem, si *falsa interpretatione* fiat[57].

224. De sobrietate in usu sensus accommodati haec dicebat *Pius XII:* «... alias autem translatas rerum significationes ne tamquam genuinum sacrae Scripturae sensum proferant religiose caveant [exegetae catholici]. Nam etsi, in concionatoris praesertim obeundo munere, amplior quidam Sacri Textus usus translata verborum ratione habitus, ad res fidei et morum illustrandas ct commendandas utilis esse potest, dummodo moderate ac sobrie fiat, nunquam tamen obliviscendum est hunc verborum sacrae Scripturae usum eidem esse quasi externum et adiectum...» *(«Divino afflante* EB 553).

54 *Instit. biblicae* 1» I.4 n. 14.—De sensu consequente scripsit C.F.De Vine, C.SS.R., *The consequent Sense:* CathBiblQuart 2 (1940) 145-155-

55» Comment, *in Habacuc* 1,6-n: ML 25,1343.

56» *Comment, in Is* c.13,19: ML 24,162s.

57 Cf. J.V.Bainvel. Les *contresens bibliques des prédicateurs}* (Paris 1924), L.-Cl .Fillion. *L'étude de la Bible* (Paris 1922) too-102; I.Gomà, *La Biblia y la prcdicaciïn* (Barcelona 1927) c.13.

225. Scholion 58 1. *Distinctio inter sensum historicum et sensum dogmaticum* non est admittenda, si separatio inter utrumque contenditur; ita ut alter ad criticos independentes, alter vero ad Ecclesiam spectet. Aliter tamen, si designatur ratio inveniendi sensum, sive ope criteriorum litterariorum, sive ope criteriorum dogmaticorum; vel si, ratione materiae, diversi aspectus eiusdem textus considerentur.

2. *Sensus hagiographi* (sensus litteralis) *est semper sensus Dei,* unus idemque sensus; sed non omne quod Deus intendit significare, apprehenditur ab hagiographo (sensus typicus, sensus plenior distincte et non confuso modo).

AR TIC UL US II

De modo inveniendi sensum sacrae Scripturae

226. Heuristica *agit de modo et de criteriis ad inveniendum sensum sacrae Scripturae,*

Haec criteria possunt esse *litteraria* vel *dogmatica.* Illa respondent aspectui humano librorum sacrorum; haec aspectui divino eorum, utpote qui Deum habeant auctorem et Ecclesiae custodiendi sint traditi.

227. De criteriis litterariis '. Criteria litteraria vim nativam vocabulorum et locutionum perpendunt, tum vim grammaticalem tum vim rhetoricam. Studium et recursum ad *linguas originales* maxime commendat Pius XII in *Litteris «Divino afflante»* (EB 547). Item *momentum criticae textualis* ibidem extollitur (EB 548).

228. Hoc studio praesupposito, haec criteria sensum vocis et sententiae discernunt prout hae in loco determinato sunt. Ideo haec criteria *habendam rationem docent contextus* tam grammaticalis et logici, quam psychologici et optici (nimirum si perspectiva prophetica uno obtutu plures eventus similes conspiciuntur, sed in diverso temporis plano collocatos: v.gr. tales essent destructio lerusalem et ultimus adventus Domini).

Iuxta haec quoque criteria ratio habenda est formae poeticae, attendendo ad parallelismum seu rhythmum sententiarum;

58 *Instit. biblicae I6* I.4 n.i8s.

1 *Instit. biblicae* I6 I.4 n.20-50.

ratio etiam habenda locorum parallelorum, ubi agitur de eodem argumento, licet a diversis auctoribus humanis, quia auctor principalis unus est Deus.

229. Attendi etiam debet ad unitatem et indolem progressivam revelationis. Ad quod applicari possunt verba *S.Bonaventurae:* <<Tota Scriptura est quasi una cithara, et inferior chorda per se non facit harmoniam, sed cum aliis; similiter unus locus Scripturae dependet ab alio, immo unum locum respiciunt mille loca» 23 Quare doctrinae Scripturae ad invicem illustrantur.

230. Sed et illa sunt quoque sollerter investiganda, unde sacri libri possint illustrari: circa auctorem, circa eius indolem et institutionem; circa occasionem et scopum libri; circa conditiones illius temporis historicas, sociales, intellectuales, religiosas; circa consuetudines et mores Palaestinae et regionum finitimarum...

Genus quoque litterarium peculiare uniuscuiusque libri magna diligentia prae oculis est habendum (cf. n.188-190).

De momento Philologiae et Archaeologiae, Geographiae et Historiae pro interpretatione sacrae Scripturae, cf. *«Divino afflante»* (EB 555-565). De inventis modernis relate ad Scripturam interpretandam, *ibid.* (EB 546).

Sed haec criteria litteraria praetermittendo, ad criteria dogmatica consideranda accedimus.

Recentius inculcat etiam Sancta Sedes rectum modum inveniendi sensum litteralem, sc., non solum habendo rationem ipsorum verborum et proximi contextus, sed dispiciendo quid sacra Scriptura doceat in aliis assimilibus locis, quae eiusdem textus sit explicatio apud Patres et in traditione catholica, quid «analogia fidei» postulet, quid demum ipsum Magisterium Ecclesiae de illo textu statuat. Ad hoc insuper opus est integram sacram Theologiam et cognoscere et amare *(Instructio Commissionis de re biblica,* 13 maii 1950: EB 598).

De criteriis dogmaticis 4*

231. 1) *Reicienda est omnis interpretatio quae vel minimum errorem supponat in hagiographo:* quia hic vi inspirationis pollet inerrantia omnimoda, ut vidimus. Si quid igitur diffi-

2 *In Hexaemeron* coli. 19 n.7: Opera (Quaracchi) 6,421.

3 De necessitate studii et qualis pro interpretatione S.Scripturae egit A.Vaccari, S.I., *El estudio de la sagrada Escritura* (Barcelona 1944) 8sss.

4 Cf. *Instit. biblicae* i6 14 n.86-101; E.Mangenot, *Herméneutique:* DB 3.612-633. De submissione Ecclesiae in interpretatione S.Scripturae agit B.Ioannes de Avida, *Audifilia* c.46.

cultatis occurrat, probe attendendum erit quinam fuerit genuinus sensus auctoris. Ad rem faciunt verba S.Augustini: «... si aliquid in iis offendero litteris [Scripturae canonicae], quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam»5.

2) *Interpretatio authentica fit per magisterium Ecclesiae.* Ad hoc autem declarandum sequentem thesim statuimus, una cum scholiis subsequentibus.

Thesis 12. Ecclesiae est «iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum».

Vacant. *Etudes theologiques sur les Constitutions du Concile Vatican* t.i c.2§ 4; Th.Granderath, *Constitutiones Concilii Vaticani* (1892) 53-31; E.Mangenot et J.Riviere, *Interprelation de l'Ecriture: DTC* 7.2290-2343; J.B.Nistus, *Ueber dus Verhallnis der kirchlichen Lehreeti'dll zur Schriftauslegung:* ZkathTh 23 (1899) 282-311.460-500 [cf. ibid. p. 185-188. et 21 (1897) 162-167]: A.Durand, *Exegèse, tradition et Eglise:* DAFC 1,1835-1841.

232. Adversarii, praeter rationalistas et modernistâs negantes characterem divinum librorum sacrorum, nunc sunt commemorandi in genere *protestantes,* qui defendunt privatam omnino interpretationem seu *liberum examen* Scripturae.

Sunt etiam *quidam recentiores,* commemorati in *Litteris «Humani generis»,* qui «in Sacra Scriptura interpretanda nullam haberi volunt rationem analogiae fidei ac «traditionis» Ecclesiae; ita ut Sanctorum Patrum et sacri Magisterii doctrina quasi ad trutinam Sacrae Scripturae, ratione mere humana ab exegetis explicatae, sit revocanda, potius quam eadem Sacra Scriptura exponenda sit ad mentem Ecclesiae, quae a Christo Domino totius depositi veritatis divinitus revelatae custos ac interpres constituta est» (D 2315; EB 612).

233. Doctrina Ecclesiae. *Verba theseos desumpta sunt ex Concilio Tridentino* (D 786) *et ex Concilio Vaticano* (D 1788).

Decretum Tridentini *formaliter* est disciplinare et negativum, siquidem in re disciplinari «ad coercenda petulantia ingenia» prohibet quominus quis, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat «contra eum sensum quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, *cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum».* Sed hoc decretum *fundamentaliter* est dogmaticum et positivum, quia proponitur dogma ut fundamentum,

5 *Epist.* 82 (ad Hieronymum) 1,3: R 1421.

scilicet «cuius [Ecclesiae] est iudicare de vero sensu et intci pretatione Scripturarum sanctarum». Atque hoc idem rr/Wifiir *in professione fidei Tridentino* (D 995).

234. Concilium vero Vaticanum renovavit decretum Tridentini, ita ut *formaliter sit positivum et dogmaticum,* contra illos qui illud decretum contorquebant ad sua sensa, dicentes esse tantum disciplinare nec habere valorem absolutum; aut tantum cogere ad non negandum dogma definitum ab Ecclesia, licere tamen reicere dogmaticam interpretationem Ecclesiae.

235. In his documentis ius Ecclesiae asseritur *de rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium,* i.e. cum agitur de rebus natura sua religiosis, non profanis; vel—aliis verbis—de rebus quae sunt revelatae propter se, quia sunt quae propter se intenduntur in revelatione, non propter aliud; vel sunt illa quae per se sunt credibilia, eo quod sint per se de substantia fidei, non per accidens. Sunt proinde dogmata vel connectuntur cum illis ratione sui, non tantum ex eo quod continentur in libris sacris.

Nota praeterea hanc formulam non excludere positive alia ab interpretatione Ecclesiae (scilicet ea quae non sunt fidei et morum), sed *praescindere* ab iis.

Vide etiam, quantum ad doctrinam Ecclesiae de hac re, *Litteras «Providentissimus»* (EB io8s [93s]), *damnationes modernistarum* (D 2002 2004), et *Litteras «Divino afflante»* (EB 551; D 2293).

Et in *Encyclica «Humani generis»* dicitur: «... dolendum est haud paucos istorum [qui agnoscunt Scripturam ut verbum Dei], quo firmius verbo Dei adhaereant, eo magis humanam rationem adimere, et quo libentius Dei revelantis auctoritatem extollant, eo acrius Ecclesiae Magisterium aspernari, a Christo Domino institutum, ut veritates divinitus revelatas custodiat atque interpretetur. Quod quidem non solum Sacris Litteris aperte contradicit, sed ex ipsa rerum experientia falsum manifestatur...» (D 2307).

Valor dogmaticus. Thesis est *de fide divina et catholica* (D 995 1788).

236. Probatio. A. Praeter supradictas declarationes dogmaticas, unde iam constat thesis, probari aut confirmari potest *ex modo loquendi sacrae Scripturae.*

a) *S.Petrus* in 2 Petr 1,20 affirmat: «Omnis prophetia Scripturae *propria interpretatione non fit»* (ιδια ἐπλύσεω οὐ γίνεται).

Ἐιτιλὐσι$ non significat *inquisitionem,* quasi prophetia non dicatur orta ex labore humano, sed significat *explicationem* sive *interpretationem;* et hoc verbum dicebatur *de somniis et de parabolis* quae indigebant interpretatione.

b) Sensus Scripturae *aperitur* a Domino discipulis pergentibus Emmaus (Lc 24,45), nec relinquitur interpretationi privatae; itemque Philippus *conducit* (οδηγήσει) eunuchum in lectione et interpretatione Isaiae prophetae (Act 8,31).

237. B. Si ipsi Ecclesiae libri sacri concrediti sunt, sicut universum depositum fidei et integra revelatio, quae debet ab ea servari et custodiri, dum illam explicat ut magistra revelationis a Domino constituta: sine dubio ipsius Ecclesiae erit iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum.

238. C. *Praxis Ecclesiae* fuit semper estque, ut sibi hoc ius vindicet Scripturae sensum authentice proponendi (cf. n.46); atque ipsa, magistra authentica et infallibilis revelationis, et bene novit limites suae potestatis et nos in hac potestate edocenda decipere non potest.

D. *Principium protestantium interpretationis privatae ducit ad plenum subiectivismum,* ut ipsa historia protestantismi ab ipsis iam incunabulis ostendit; neque rationem habet principii vere prudentialis attendendi ad auctoritatem traditionalem et ad sensum traditionis...

239. Scholion. De iure Ecclesiae interpretandi res QUAE NON SUNT FIDEI ET MORUM.

De rebus quae non sunt fidei et morum, sed *quae continentur in Scriptura,* Ecclesia ius quoque habet eas authentice interpretandi; siquidem *omnes sententiae Scripturae sunt inspiratae, ac proinde verbum Dei,* quod quidem est Ecclesiae traditum custodiendum. Atque damnata est *propositio modernistarum,* iuxta quam «... nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet iudicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum» (D 2005).

240. De hoc autem iure *disputatur num sit directum et positivum, an indirectum et negativum.* Videtur dicendum, cum plerisque, hoc ius in rebus quae non sunt fidei et morum esse *indirectum:* quia sunt res sive propositiones in libris sacris mere scientificae aut profanae (v.gr. Iud 10,4), quae natura sua non habent nexum cum salute aeterna hominum, ac proinde

ratione materiae cadunt extra ambitum magisterii Ecclesiae nec pertinent «ad aedificationem doctrinae christianae». At indirecte quidem magisterium Ecclesiae illas attingit, quatenus si perperam exponerentur possent contradicere dogmati. Ecclesia igitur ius habet *negativum,* reiciendi scilicet quamcumque interpretationem quae contradiceret dogmati vel supponeret errorem in hagiographo.

Ipsa enim Ecclesia, «quae, una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet *falsi nominis scientiam* [i Tim 6,20] proscribendi, *ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam* [cf. Coi 2,8]...» (D 1798). Et cf. etiam D 1817 in canone respondenti.

Ius igitur Ecclesiae est *indirectum et negativum.*

241. *Alii opponunt* huiusmodi propositiones profanas, quae continentur in Scriptura, esse verbum Dei, quod quidem integrum est Ecclesiae concreditum: ergo Ecclesia, dicunt, habet in eis interpretandis ius directum et positivum.

Animadverte tamen 6 has propositiones esse *verbum Dei ratione inspirationis,* et Ecclesiam hac de causa iudicare posse num aliqua interpretatio opponatur *inspirationi;* ad quod quidem sufficit ius indirectum. Ex eo enim quod aliqua propositio sit verbum Dei, non ideo sequi debet ius directum Ecclesiae *positive* definiendi sensum illius, nisi propter argumentum connexionem aliquam habeat cum iis quae sunt obiectum directum magisterii ecclesiastici.

242. Ex dictis igitur constat Ecclesiam posse reicere quamcumque interpretationem de quocumque loco Scripturae. Potest etiam de omni sententia definire utrum nexum habeat cum fide et moribus. Ergo, admisso tantum iure indirecto, *omnia-ex Scriptura subiciuntur iudicio Ecclesiae.*

243. Obicies. Sic minuitur et impeditur libertas scientifica, quae fovet progressum.

Resp. Minuitur sane *licentia seu falsa libertas in interpretando;* at non vera libertas. Sicut pharus nautis, aut magister discipulis, explicans sensum thematis, eos in labore non impedit, quin potius fovet. Patet insuper magnus campus privato cuique doctori in rebus nondum definitis, et de quibus plures sint interpretationes, quas integrum sit seligere. Cf. *«Providentissimus»* (EB 109 [94]) et *«Divino afflante»* (EB 558-565; D 2294).

6 Cf. *Instit. biblicae* Ie 1-4 n.91.

Quomodo cognoscitur sensus «quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia» (D 786 995 1788) 7

244. I. Sensus Ecclesiae constat primum ex definitionibus Conciliorum et Romanorum Pontificum, quae possunt diversimode inveniri: a) *Directe et positive,* cum sensus textus biblici est obiectum directum et formale definitionis, idque declarando positive verum sensum illius (v.gr. D 858; de Io 3,5: aquam veram esse de necessitate baptismi, ac proinde verba *Nisi quis renatus fuerit ex aqua...* non esse ad metaphoram detorquenda).

245. b) *Directe et negative,* si aliquis sensus excluditur per directam declarationem (v.gr. D 930; de Io 6,54: in illis verbis *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem...* non esse praeceptam a Domino communionem sub utraque specie).

c) *Indirecte et positive,* cum textus biblicus adducitur ut argumentum alicuius doctrinae, quae ipsa directe attingitur et definitur (v.gr. D 789; de Rom 5,12: de peccato originali in omnibus hominibus, quia contradiceret Apostolo dicenti *Per unum hominem peccatum intravit in mundum...').*

246. d) *Indirecte et negative,* cum excluditur et damnatur aliqua doctrina quam eius patroni textu biblico aliquo confirmatam volebant (v.gr. D 224; de erroribus Theodori Mopsuesteni negantis unitionem substantialem Dei Verbi ad Christum, appellando ad Eph 5,31 [Gen 2,24]: *Erunt duo in carne una;* et dicentis Christum per verba Io 20,22 *Accipite Spiritum sanctum...* non dedisse Spiritum sanctum, sed figuratim insufflavisse; atque item Thomam in Io 20,28 verba *Dominus meus et Deus meus* de Deo non dixisse, sed propter stuporem resurrectionis).

247. Si indirecte tantum attingatur textus biblicus, considerandum erit num adducatur *ad meram illustrationem,* in quo quidem casu sensus textus non definiretur; *an adducatur ad probationem,* ita ut ex modo loquendi constet Patres sensum illius textus adducti *positive* affirmare (ut in D 789), aut declarent tali modo in Ecclesia semper intellectum fuisse (ut in

7 Cf. *Instit. biblicae i6* I.4 11.94-101.

D 791): quia ex eo solo quod textus adducatur in probationem non necessario in illum fertur definitio, sicut fertur in doctrinam illa probatione confirmatam.

Textus qui directe declarati sunt numerantur pauci[8]; plures vero qui indirecte sunt declarati.

248. II. Sensus Ecclesiae constat etiam ex decretis Sacrarum Congregationum et Pontificiae Commissionis de re biblica; quorum Sanctae Sedis organorum decretis, etsi per locutionem ex cathedra non editis, se subicere tenentur catholici assensu interno, ex motivo religiosae praesertim oboedientiae, moraliter certo.

Haec auctoritas sententiarum Commissionis Biblicae constat ex *Motu proprio* Pii X *«Praestantia Scripturae»* 18 novembris 1907 (D 2113; EB 286 [279]); quod decretum in *memoriam revocabatur* ab eadem Commissione in decreto diei 27 februarii 1934 (EB 519) [9]. Cf. etiam commendationem eorumden decretorum in *litteris «Spiritus Paraclitus»* (EB 474 [487]).

249. Neque vero sufficit silentium obsequiosum externum, sed requiritur *internus assensus* (cf. D 1684; EB[1] 280), cum doctrina non nisi per internum assensum recipiatur. Decisiones tamen huiusmodi non sunt absolute infallibiles neque irrevocabiles; assensus igitur eis debitus, etsi quis sine timore prudenti errandi merito eis assentiat (i.e. certo moraliter), non est absolutus nec absolute irreformabilis [10].

250. III. Sensus Ecclesiae constat etiam ex unanimi consensu Patrum. Etenim *a)* sensus Ecclesiae est ipse unanimis Consensus Patrum, qui sunt potior pars Ecclesiae docentis; *b)* talis consensus unanimis Patrum in rebus fidei et morum est critérium divinae traditionis; *c)* ex decretis Tridentini (D 786) et Vaticani (D 1788) nemo posset, iuxta sensum Ecclesiae, contra unanimem consensum Patrum Scripturam interpretari.

251. *Unanimitas requisita non est physica sed moralis;* v.gr., si Patres magni nominis plurium ecclesiarum consentiant, qui ceteros tunc quasi repraesentare videntur.

8 A. Durand numerat 12: DAFC 1,1838.

9 AAS 26 (1934) 131; occasione reprobationis cuiusdam libri.

10 Pc. Quaestione Galileo Galilei relate ad interpretationem S.Scripturae breviter in *Instit. biblicae* 16 I.4 n.96. De authentia «commatis Ioannei» (1 Io 5,7), et de mente Congregationis S.Officii circa hanc rem, cf. EB 135s [120s]; D 2198; et *supra* n.i$8 in nota.

Neque sufficit ut rem mere opinative proponant, sed *debent rem asserere ut pertinentem ad fidem aut cum fide copulatam:* non praecise quod agant de textu aliquo dogmatico interpretando, sed quod proponant interpretationem ut pertinentem ad fidem, vel ut necessariam ad servandam unitatem catholicam, etc.

252. *Textus mere scientific! non* sunt qua tales obiectum traditionis dogmaticae, sed tantum in quantum inveniuntur in Scripturis; ergo in his non datur authentica interpretatio Patrum, nisi Patres declarent illud tamquam ad finem pertinens, quo quidem in casu iam non ut mere scientifica res considerari deberet. Sed etiam ut doctores privati multum aestimandi sunt Patres.

253. *De momento auctoritatis Patrum* in interpretanda sacra Scriptura agebant *Litterae «Providenlissimus» :* «Iam vero SS.Patrum, quibus «post Apostolos, sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit» summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes: nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet. Eorundem vero Patrum sententia tunc *etiam magni aestimanda est, cum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur;* quippe quos non modo scientia revelatae doctrinae et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse viros sanctimonia vitae et veritatis studio insignes amplioribus luminis sui praesidiis adiuverit. Quare *interpres suum esse noverit eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus /rui intelligent! delectu»* (EB 111 [96]). De eodem argumento agitur in «Divino *afflante»* (EB 554).

254. Sed non omnia eodem modo recipienda: «Quod vero defensio Scripturae sanctae agenda strenue est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint: qui prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis, ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in *illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu;* namque «in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari sicut et nobis», ut est S.Thomae 12 sententia» *(«Providentissimus» :* EB 122 [107]).

255. Adverte etiam «... inter multa illa, quae in Sacris Libris legalibus, historicis, sapientialibus et propheticis proponuntur, *pauca tantum esse quorum sensus ab Ecclesiae auctoritate declaratus sit, neque plura ea esse de quibus unanimis Sancto-*

n S.Augustinus, *Contra Julianum 2,10,37'* R 1900.
12 *In 2 Sent,* d.2 q.i a.3.

rum *Patrum sit sententia.* Multa igitur remanent, eaque gravissima, in quibus edisserendis et explanandis catholicorum interpretum acumen et ingenium libere exerceri potest ac debet...» *(«Divino afflante»:* EB 565). Cf. etiam de hac re Leo XIII in *Litteris «Vigilantiae»* (EB 143 [136]).

Pariter Benedictus XV in *Litteris «Spiritus Paraclitus»* eorum comprobabat consilium «qui ut semet ipsos aliosque ex difficultatibus Sacri Codicis expediant, ad eas diluendas, omnibus studiorum et artis criticae freti subsidiis, novas vias atque rationes inquirunt» intra «certos fines terminosque a Patribus constitutos» (EB 453 [466]) 13.

256. De auctoritate Patrum et traditionis in determinando auctore alicuius libri sacri. Si *auctores librorum sacrorum significantur in ipsis libris sacris,* sive explicite (ut, v.gr., S.Paulus et S.Petrus in inscriptionibus et salutationibus epistolarum) sive etiam implicite aut virtualiter (ut S.Ioannes apostolus in evangelio sui nominis, cf. *De revelatione* n.3i5ss, ubi argumentum internum pro eius genuinitate); tunc quaestio auctoris libri est nobis revelata a Deo, et est *de fide,* aut saltem connexa cum fide.

257. *Per se vero* et speculative loquendo, non descendendo ad casus particulares, nomen auctoris libri non multum referre videtur ad substantiam rerum dictarum. Hinc *S.Gregorius* scribere potuit: «Quis haec [librum lob] scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur... Si magni cuiusdam viri susceptis epistulis legeremus verba, sed quo calamo fuissent scripta quaereremus, ridiculum profecto esset epistularum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuissent indagare...» 14~~15~~Et *Theodoretus* pariter: «Quid mea refert sive huius [Davidis] omnes [psalmi], sive illorum [aliorum auctorum] aliqui sint, cum constet divini Spiritus afflatu universos esse conscriptos» *5.

258. Sed *magisterium Ecclesiae saepe positive determinavit* quid tenendum sit relate ad auctores librorum sacrorum: de auctore Pentateuchi (D 1997-2000; EB 181-184 II~~7~~4 I77])> de loanne auctore quarti evangelii (D 21 ios; EB 187s [180s]), de auctore libri Isaiae (D 2117-2119; EB 293-295 [289-291]), de auctoribus psalmorum (D 2129-2135; EB 344-350 [340-346]), de auctoribus primi evangelii (D 2148 2151; EB 388 [401].391 [404]), secundi et tertii evangelii (D 2155; EB 395 [408]), et libri Actuum apostolorum (D 2166s; EB 406s [419s]); item de auctore epistolarum pastoralium (D 2172-2174; EB 412-414 [425-427]), et epistolae ad Hebraeos (D 2176s; EB 416s [429s]). Quoniam vero magisterium Ecclesiae non agit de rebus mere profanis, eas positive et directe interpretando, tenendum est quaestiones de auctoribus librorum sacrorum *saepe,* sin minus sint revelatae, *connecti saltem cum revelatis;* ac proinde huiusmodi quaestiones, saepe saltem, minime liberas esse.

259. Iam vero ambitus magisterii Patrum est ambitus magisterii Ecclesiae; et ideo tenendum est saepe saltem quaestiones de auctoribus librorum

13 De falsa libertate, cf. EB 285 [278] 463 (476].
14 Morat, praef. 1.2: R 2302.
15 In Ps praef.: R 2158.

sacrorum esse obiectum magisterii Patrum, utpote de re saltem connexa cum revelatis. Sed ad arguendum ex Patribus *dogmatice,* opus erit demonstrare i.°) unanimitatem consensus Patrum, 2.°) asserentium rem ut dogmaticam vel ut necessario connexam cum dogmate; minime vero si tantum *occasione* alicuius expositionis dogmaticae nomen referunt auctoris qui existimatur.

Sed neque tunc erit contemnenda aut parvi pendenda auctoritas eorum *humana,* etsi non dogmatica 16.

260. De auctoritate Patrum in determinando genere litterario librorum sacrorum. Genus litterarium libri *maxime atque intrinsece connectitur* cum vero sensu sententiarum libri. Sententiae enim alium omnino sensum habent, si aliud est genus litterarium libri, scilicet prout genus litterarium sit poeticum, allegoricum, romanense, legendarium, stricte historicum...

Quamobrem si Ecclesia et Patres possunt recte iudicare de vero sensu Scripturarum sanctarum, necessario debent recte iudicare posse de genere litterario librorum sacrorum.

261. *Magisterium Ecclesiae in hac quoque re tulit sententiam:* de indole evangelii loannis (D 2016-2018; EB 207-209 [200-202]), de prophetia Isaiae (D 2115s; EB 291s [287s]), de primis capitibus Geneseos (D 2121-2128; EB 336-343 [332-339]), et recenter epistola ad Cardinalem Suhard (EB 577-581; D 2302), de psalmis (D 2136; EB 351 [347]), de primo evangelio (D 2153s; EB 393s [406s]), de secundo et tertio evangelio (D 2163; EB 403 [416]), de Actibus apostolorum (D 2170s; EB 410s (423s]). Quod quidem signum est quaestiones de genere litterario librorum sacrorum plane intra ambitum magisterii Ecclesiae, atque adeo Patrum, contineri; nisi quis velit dicere dari libros sacros vel partes potiores eorum de argumento omnino profano, quod extra ambitum directum magisterii Ecclesiae inveniatur; sed hoc nemo dixerit.

262. Rationem ergo intimam huius auctoritatis Ecclesiae et Patrum desumimus *ex intrinseca connexione* sensus Scripturae cum genere litterario uniuscuiusque libri. Iterum vero recordari iuvat opus esse ad arguendum *dogmatice* ex Patribus consensu unanimi eorum, in re quam exponant ut dogmaticam, vel ut necessario connexam cum dogmate.

263. De auctoritate Patrum in determinandis locis messianicis V.T. Quoniam messianitas locorum V.T. pertinet omnino ad imaginem Messiae praefigurandam et praedicendam, atque adeo pertinet ad dogmata fundamentalia religionis, vel saltem ad ea quae cum dogmatibus fundamentalibus intime connectuntur, negari nequit auctoritatem Patrum dogmaticam in iis locis determinandis et exponendis recte exerceri posse, et de facto exercitam fuisse 17.

Quare, si Patres consentiant unanimiter, ita ut aliquem locum habeant ut messianicum, locus habendus erit messianicus, saltem typice. Quod quidem non vetat quominus Patres diversas referant *interpretationes* textuum, v.gr. de Is 53,8 (cf. *De revelatione* n.623), quae nos non cogant, utpote diversae et non habentes *unanimem* consensum.

16 De argumento in hoc numero proposito egit L.Turrado, *Valoracidn del testimonio patristico al atribuir un libro sagrado a determinado hagiôgrafo:* EstBibt 8 (1940) 287-308.

17 Cf. tractatus *De revelatione Christiana* n.576 et ibi nota 6; et adverte legitimitatem argumentationis apologeticae ex vaticiniis inveniri in doctrina N.T. et coniungi cum bde.

264. IV. Sensus Ecclesiae constat etiam ex consonantia ALICUIUS DOCTRINAE CUM RELIQUIS DOCTRINIS REVELATIS, seu ex *analogia fidei* 13; «nam, cum et Sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. Ex quo apparet eam interpretationem ut ineptam et falsam reiciendam quae, vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinae Ecclesiae adversetur» *(«Providentissimus»:* EB 109 [94]; D 1943) 18.

De oppositione falso existimata inter facta quae in Scriptura narrantur et dogmata Ecclesiae habentur damnatae *propositiones modernistarum* (D 2023s; EB 214s [207s]).

265. De hac consonantia *S.Augustinus:* «Sed cum verba propria faciunt ambiguam Scripturam, primo videndum est ne male distinxerimus aut pronuntiaverimus. Cum ergo adhibita intentio incertum esse perviderit quomodo distinguendum aut quomodo pronuntiandum sit, *consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis et Ecclesiae auctoritate percepit...» 20.*

266. V. De auctoritate interpretum. «Quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum [interpretum catholicorum] pariter commentariis suus *tribuendus est honor, ex* quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda. At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet ab eisque, cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis21, incorruptum Sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse qui, verae fidei expertes, Scripturae non medullam attingunt, sed corticem rodunt» 22 *(«Providentissimus»:* EB 113 [98]).

18 Cf. de nomine Rom 12,6: *sive prophetiam secundum rationem* (dvaXoyiav) *fidei.*

19 Lege, sis. Fillion, *L'étude de la Bible,* lettre XIV· (de utilitate S.Scripturae pro studiis Theologiae) p.yçss.

20 *De doctrina christiana* 3,2: ML 34.65.

21 Cf. Clemens Al., Stromata 7,16; Origenes, *De principiis* 4,8; *In Lev.* hom.4,8; Tertullianus, *De praescriptione* i£s; S.Hilarivs, *In Mt* 13,1.

22 S.Gregorius M., *Moral.* 20,9 ai.11: ML 76,149.

CAPUT III

De valoribus sacrae Scripturae

267. Post considerationem dogmaticam, non erit nobis alienum, siquidem vitae discimus, considerationem S.Scripturae producere *kerygmaticam* (cf. *Introductio in Theologiam* n.19), tractantes de valoribus sive de utilitatibus Librorum sacrorum.

Atque in primis, ut incipiamus ab aspectu magis externo, nonnulla erunt insinuanda de eorum valore litterario.

ARTICULUS I

De valoribus litterariis

268. Notum est, uti diximus n.184, Hebraeos in historia conscribenda facile superare artem coaevorum historiographicam. Sed quoniam non vacat singulos libros sacros aut singula eorum genera persequi; immo ne numerare quidem illos vacat, sive historicos et didacticos, sive propheticos et poeticos: sufficiat in universum indicasse quomodo hi libri sive propter colorem narrationis, sive propter vividitatem et abundantiam exemplorum, sive propter litterarias alias pulchritudines atque artes, multorum inspirationem litterariam effecerunt atque stylum eorum et formam scribendi efformaverunt[1].

Atque «etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in Sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam; id quod Augustinus pervidit disserteque arguit[2], atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo affirmarunt» *(«Prouidentissimus»:* EB 87 [72]).

269. De his libris, ut de exemplari eximio inspirationis litterariae et poeticae, egit quondam *Donoso Cortès* in sua celebri dissertatione[3]. In ea, post rotundas (uti solet) periodos de influxu et pulchritudine litterariis horum librorum, considerat sensus religiosos, sensus item amoris mulieris et patriae, qui in Bibliis continentur, eosque comparat cum similibus sensibus et affectibus qui alibi reperiuntur. Historiam populi Israel videt ut drama tragicum, in quo tres phases: promissionis, minationis et catastrophes inveniantur[4].

[1] V.gr. apud B.Ioannem de Avila, Fr.Luis de Granada. Fr.Alonso de Cabrera, Fr.Luis de Leôn. de cuius semitismo verba saepe bunt; itemque apud Racine (Athalie, Esther)... etc.

[2] *De doctrina christiana* 4,6,9: ML 34,92s.

[3] La *Biblia.* Discurso de recepciôn en la Real Academia Espanola (1848).

[4] De hoc aspectu litterario librorum sacrorum conferri possunt L.-Cl.Fillion, *L'étude de la Bible. Lettres d'un professeur d'Ecriture sainte à un jeune prêtre (Paris* 1922) lettre IX P-47-54: E.Kalt, *Werkbuch der Bibel* I (Freiburg im Breisgau 1941) p.tss: Die Bibel ist das bedeutendste Buch der Weltliteratur; M.Vicouroux, *Manuel* biblique (Paris :9053s) t n.6.

ARTICULUS II

Valores supernaturales in sacra Scriptura [5]

270. Ex ipsa sacra Scriptura constat abunde utilitas et efficacia librorum sacrorum:

Ut enim dicebat *S.Paulus* ad Timotheum, cui commendaverat ut *attenderet lectioni* (1 Tim 4,13), *sacrae litterae,* quas Timotheus ab infantia noverat, *instruere possunt ad salutem per fidem quae est in Christo Iesu (2* Tim 3,15); siquidem omnis *scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* [nimirum pro sacra praedicatione, lectione, circulo studiorum...], *ad arguendum* [si errores confutandi sunt], *ad erudiendum in iustitia* [si quis in vita spirituali ceteros dirigere debet]: *ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (2 Tim 3,16s).

271. Etçnim in sacra Scriptura est lux affulgens per omnes semitas vitae; atque de ea illud valet: *Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitae meae* (Ps 118,105), et in ea *habemus propheticum sermonem, «cui benefacitis 'attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris»* (2 Petr 1,19).

272. In Scriptura est insuper solamen durante hac mortalitate; «quaecumque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, *ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus»* (Rom 15,4). Ideo et *quam dulcia palato meo eloquia tua, super mei sunt ori meo* (Ps 118,103); et *laetor de eloquiis tuis sicut qui invenit praedam multam* (Ps 118,162); iudaei vero gloriari se dicebant *habentes solatia sanctos libros qui sunt in manibus nostris* (1 Mach 12,9).

273. Nihil igitur mirum de efficacia verbi Dei, quandoquidem, docente S.Paulo, *vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis* (Hebr 4,12). Et verba data a Domino *sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram* (1er 23,29; cf. Is 49,2). Atque huc referri etiam possunt verba Domini: *Et quomodo descendit*

5 De sacrae Scripturae effectibus scripsit Iac.Bonfrerius, *In totam Scripturam sacram praeloquta* c.n: Migne, Cursus *Scripturae* 1,133-137· Cf. etiam Fillion, *L'étude de la Bible* lettres X· et XIe p.55-66.

imber et nix de caelo et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam et germinare eam facit et dat semen serenti et panem comedenti; sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui et prosperabitur in his ad quae misi illud (Is 55,10s).

274. Sancti Patres eosdem quoque valores Bibliorum sacrorum extulerunt.

Sic S.Augustinus: *«Sapienter autem dicit homo tanto magis vel minus, quanto in Scripturis sanctis magis minusve profecit.* Non dico in eis multum legendis memoriaeque mandandis, sed bene intelligendis, et diligenter earum sensibus indagandis. Sunt enim qui eas legunt, et negligunt; legunt ut teneant, negligunt ne intelligant. Quibus longe sine dubio praeferendi sunt qui verba earum minus tenent, et cor earum sui cordis oculis vident. Sed utrisque ille melior, qui et cum volet eas dicit, et sicut oportet intelligit» 6.

S.Chrysostomus non raro loquitur de praestantia sacrarum Scripturarum 68

275. S.Hieronymus vero multus est atque infinitus in extollendis laudibus S.Scripturae: «Si enim iuxta apostolum Paulurfi (2 Cor 1,24), Christus Dei virtus est Deique sapientia; et qui nescit Scripturas, nescit Dei virtutem eiusque sapientiam: *ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est»* 8. Et alibi: «Qui ergo disputando fortissimus est, et sanctarum *Scripturarum testimoniis roboratus, iste propugnaculum Ecclesiae est» 9.* «Si quidquam est. Paula et Eustochium, quod in hac vita sapientem virum teneat, et inter *pressuras et turbines mundi aequo animo manere persuadeant, id esse vel* primum reor *meditationem et scientiam Scripturarum...»*10 Et in Regula monachorum: «Ama scientiam *Scripturarum, et carnis* vitia non *amabis» .***

276. Ex epistolis eiusdem *Hieronymi* seligamus quoque aliqua testimonia: «Tenenti codicem somnus obrepat, et *cadentem faciem pagina sancta suscipiat» l2.** «Divinas Scripturas saepius lege, imo nunquam de manibus tuis *sacra lectio deponatur.* Disce quod doceas, obtine eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem; ut possis exhortari in doctrina sana et contradicentes revincere... Docente te in Ecclesia, non clamor populi sed gemitus suscitetur. Lacrymae auditorum, laudes tuae sint. *Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit» 13.* Et iterum: «Cum divinis Scripturis fueris eruditus et leges earum ac testimonia vinculo scieris veritatis; contendes cum adversariis, ligabis eos, et vinctos duces in captivitatem; et *de hostibus quondam miseris atque captivis liberos Dei facies,* ut repente dicas cum Sion: Ego sterilis et non pariens, transmigrata et captiva, et istos quis enutrivit? Ego destituta

6 *De doctrina christiana 4,5:* ML 34.92. Cf. etiam *De sacrarum Scripturarum* praestantia Augustinianae margaritae: VerDom 10 (1930) 3-S-33-35.65-66.97-99-i29-13t.16ts.

7 V.gr. *in hom.i* in *Mt:* MG 57.14-23.

8 *Prolog. inis:* ML 24.17.

' *In Is* 54.12: ML 24.544-

1° *Prolog. in Eph:* ML 26,467.

11 *Regula Monachorum* 14: ML 30,364. Merito legendum integrum hocce caput 14: de contemplatione, oratione, lectione.

12 *Epist 22* (ad Eustochium) 17: ML 22,404.

15 Epist. 52 (ad Nepotianum) 7s: ML 22,5333.

ct sola, et isti ubi crant? (Is 49,21)»14. «*Ama Scripturas sanctas et amabit te sapientia;* dilige eam et servabit te; honora illam et amplexabitur te »5.

277. S.Ambrosius pulcherrime ad electum episcopum scribebat: «Suscepisti munus sacerdotii et in puppe Ecclesiae sedens navim adversus fluctus gubernas. Tene clavum fidei, ut te graves huius saeculi turbare non possint procellae... *Mare est Scriptura divina, habens in se sensus profundos et altitudinem propheticorum aenigmatum;* in *quod mare plurima introierunt flumina. Sunt ergo et fluvii dulces atque perspicui; sunt et fontes nivei, qui saliant in vitam aeternam; sunt et sermones boni sicut favi mellis; et gratae sententiae quae animos audientium spirituali quodam potu* irrigent et *praeceptorum moralium suavitate mulceant. Diversa igitur Scripturarum divinarum fluenta.* Habes quod primum bibas, habes quod secundum, habes quod postremum» *6.

278. Atque S.Gregorius Magnus non minus spiritaliter atque eleganter: «... Qui *ad verae praedicationis verba se praeparat, necesse est ut causarum origines a sacris paginis sumat,* ut omne quod loquitur ad divinae auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo aedificium locutionis suae firmet...» 17 «Sed omne hoc rite a rectore agitur, si supernae formidinis et dilectionis spiritu afflatus, *studiose quotidie sacri eloquii praecepta meditetur;* ut in eo vim sollicitudinis et erga caelestem vitam providae circumspectionis, quam humanae conversationis usus indesinenter destruit, divinae admonitionis verba restaurent» 18. Et alibi ad medicum quemdam: «Quid *est autem Scriptura sacra, nisi quaedam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?* Et certe sicubi esset gloria vestra alibi constituta et scripta terreni imperatoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi prius quid sibi imperator terrenus scripsisset agnovisset. Imperator caeli, Dominus hominum et angelorum, pro vita tua tibi suas epistolas transmisit, et tamen, gloriose fili, easdem epistolas ardenter legere negligis. Stude ergo, quaeso, et quotidie Creatoris tui verba meditari. *Disce cor Dei in verbis Dei,* ut ardentius ad aeterna suspires, ut mens vestra ad caelestia gaudia maioribus desideriis accendatur» 19.

279. Summi Pontifices, recentiores praesertim, consonant encomiis Patrum praecedentibus de sacris Litteris, earumque commendationi pro lectione.

Ita Leo XIII in *Litteris «Providentissimus»,* ubi exposuit usum quem ipse Iesus Christus atque Apostoli de sacris litteris faciebant (EB 84s [69s]), prosequitur: «Per exempla igitur Christi Domini et Apostolorum omnes intelligant, tirones praesertim militiae sacrae, quanti faciendae sint Divinae Litterae, et quo ipsi studio, qua religione ad idem veluti armamentarium accedere debeant. Nam catholicae veritatis doctrinam qui habeant apud doctos vel indoctos tractandam, nulla uspiam de Deo, summo et perfectissimo bono, deque operibus gloriam caritatemque ipsius prodentibus, suppetet eis cumulatior copia vel amplior praedicatio...» (EB 86 [71]).

Et alibi in eadem *Encyclica: «...* Quisquis divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille non loquitur in *sermone tantum, sed et in virtute et in*

'« *Epist.* 78 (ad Fabiolam) 28 al.30: ML 22,714s.
15 *Epist.* 130 (ad Demetriadem) 20: ML 22.1124. In genere.commendationes Hieronymi pro studio S.Scripturae lege in *«Spiritus Paraclilus·* (EB 480s [493s]).
16 *Epist.* 2 (ad Constantium) 1-4: ML 16,879s.
17 *Moral.* 18,26 al.14: ML 76,58.
-- *Regula pastoral.* 2,**il** al.22: ML 77,48.
19 *Epist.* 4,31 (ad Theodorum medicum): ML 77,706 A.

Spiritu Sancto et in plenitudine multa [cf. i Thess 1,5]. Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi...» (EB 87 [72]). Atque etiam: «Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut *eiusdem Divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope* sit anima: ita nimirum omni aetate Patres atque praeclarissimi quique theologi professi, sunt et re praestiterunt...» (EB 114 [99]).

280. Benedictus XV in *Encyclica «Spiritus Paraclitus»:* «Quem vero lateat, ex pia sacrorum Librorum lectione quantum utilitatis ac suavitatis in animos rite compositos defluat? Ad Biblia enim quisquis pia mente, firma fide, humili animo et cum perficiendi voluntate accesserit, is eum ibi inveniet et comedet *panem, qui de caelo descendit* [cf. Io 6,33], et Davidicum illud in se ipse experietur: *Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti milii* [Ps 50, 8]...» (EB 476 [48q]).

Et explanat idem Pontifex, ad memoriam Sancti Hieronymi, «quorsum sacrarum Litterarum cognitio spectare quidque debeat intendere». Nimirum *«primum* in iis paginis cibus *quaerendus est, unde vita spiritus ad perfectionem alatur.,.»* (EB 482 [495']). «Deinde, ut res postulaverit, argumenta *ex Scripturis petenda sunt, quibus fidei dogmata illustremus, confirmemus, tueamur,..»* (EB 483 [496]). «Praecipuus *denique Scripturae usus ad divini verbi ministerium pertinet sancte fructuoseque exercendum...»* (EB 484 [497]), quod quomodo fiet in sequentibus declarat 2021

Fructus quoque «de amaro semine litterarum» ex scientia Scripturarum ad doctrinam et exempla Sancti Hieronymi efferebat idem Benedictus XV: nimirum, inter alios, gaudium atque amorem Ecclesiae, zelum pro veritate et morum incorruptione, amorem quoque Christi eiusque imitationem (EB 4S8-493 [501-506]) 2

281. ' Pius XII haec, inter alia, ait: «Sacerdotes igitur, quibus aeternae fidelium salutis procuratio commissa est, postquam *sacras pàginas diligenti studio ipsi perquisierint, suasque precando meditandoque effecerint,* supernas divini verbi opes sermonibus, homiliis, exhortationibus sedulo promant; iidemque Christianam doctrinam sententiis ex sacris Libris· haustis confirment, praeclaris exemplis e sacra historia, ac nominatim e Christi Domini Evangelio illustrent...» *(«Divino afflante»:* EB 566).

In iisdem vero Litteris loquitur postea Pontifex de lesu, qui est fundamentum praeter quod aliud nemo potest ponere: *«Hunc autem salutis auctorem Christum eo plenius cognoscent homines, eo impensius adamabunt, eo fidelius imitabuntur, quo studiosius ad sacrarum Litterarum, Noyi praesertim Testamenti. cognitionem meditationemque permoti erunt...» («Divino afflante»:* EB568). „

282. Auctores ascetici. Neque mira res praecedentia elogia conimendationesque yideri debent. Ecclesia enim semper persuasa fuit, nomi-

20 Ùe usu SS.Librorum pro praedicatione, cf. Cardinalis I.Goma. *La Biblia y la predicaciôn* (Barcelona 1927): N.Garcia Garcés, C.M.F., *La predicaciôn y los predicadores* (Madrid 194.1). praesertim P-S2-S4; C.Bayle, S.I.. *La predicaciôn sagrada segtin las documentor pontificios y doctrina de las* Santo.» *Padres2* (Barcelona 1933): H.HiiPFL, *Ecriture sainte.* V. *L'Ecriture sainte et la prédication:* DBS 2,472-475. De hatura lectionum sacrorum optime disseruit Hieronymus Nadal, S.I.. *Adhortatio 0.»* in Manum. *Hist. S.L, Epist. Nadal* 4.650-661.

21 De *sacra Scriptura reverenter pieque tum tradenda* cum *discenda* agit Epistola S.C. de Seminariis et Stud.Universitatibus ad Rdmos. Episcopos, diei.25 ianuarii 1924: EC 11-8 ts.

natim auctores ascetici. de utilitate lectionis spiritualis e sacris paginis; siquidem «veritas est in Scripturis sanctis quaerenda, non eloquentia» 2223

Duo namque mihi necessaria permaxime sentio in hac vita, ait auctor *Imitationis Christi,* sine quibus mihi importabilis foret ista miserabilis vita. In carccre corporis huius detentus, duobus me egere fateor: *cibo scilicet et lumine.* Dedisti itaque mihi infirmo sacrum Corpus tuum ad refectionem mentis ct corporis, et posuisti lucernum *pedibus meis verbum tuum* [Ps 118, 105]. Sine his duobus bene vivere non possem: nam verbum Dei, lux animae meae, et sacramentum tuum panis vitae. Haec possunt etiam dici mensae duae, hinc ct inde, in gazophylacio sanctae Ecclesiae positae. Una mensa est sacri altaris, habens panem sanctum, id.est. Corpus Christi pretiosum; altera est divinae Legis, continens doctrinam sanctam, erudiens fidem rectam, et firmiter usque ad interiora velaminis, ubi sunt Sancta sanctorum, perducens» -L

283. Etenim sacra Scriptura est *theophania quaedam,* manifestatio scilicet Dei ad nos, utpote quae sit verbum Dei ad nos missum. Unde *analogice* potest comparari cum illa theophania quae est in Incarnatione Verbi Dei; et sicut de hac dicimus in praefatione Nativitatis, ad Deum gratias referentes «quia per Incarnati Verbi mysterium *nova mentis nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit,* ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur»; hoc ipsum dicere possumus, mutatis mutandis, relate ad sacram Scripturam. Profecto Verbum Dei quod reveremur incarnatum in mysterio Nativitatis est Verbum Dei *personale,* secunda persona Sanctissimae Trinitatis, quae naturam humanam sibi personaliter assumendo veluti facies Dei facta est, in qua nos Deum cognosceremus: hoc autem verbum Dei scriptum non est sane Verbum Dei personale, sed loquela et communicatio Dei ad extra, quae quidem est opus totius Sanctissimae Trinitatis (etsi appropriation Spiritui Sancto); at haec loquela et hoc verbum, analogice ad incarnationem Verbi Dei personalis, formam scriptam et sensibilem induit, qua *mentis nosttae oculis lux divinae claritatis infulsit, ut per hanc formam visibilem in amorem invisibilium raperemur 24.*

ARTICULUS III

De lectione sacrae Scripturae

Cum tot sint valores qui in Bibliis reperiuntur, prona est inclinatio ad illa legenda. De hac autem lectione nonnulla veniunt dicenda ›:

284. I. Lectio Bibliorum ab Ecclesia regulanda est. Lectio enim sacrae Scripturae, quamquam perutilis, non *est* omnibus sine *discrimine necessaria.* Quin et totalis *lectio* integrae Scripturae pro iuvenibus habetur etiam ab aliquibus protestantibus ut non *carens periculo.*

22 *Imitatio Christi* l.i c.5: De lectione sanctarum Scripturarum.

23 *Imitatio Christi* I.4 c.ij n.4.

24 *De Sancta Scriptura et vita orationis Christianorum* scripsit G.E.Closen, S.I.: Ver Dom 22 (1942) 103-116. Item H.Hopfl, *Ecriture sainte.* VI, *L'Ecriture sainte el l'Ascèse:* DBS 2.475-479·

1 Breviter pro his tribus proxime dicendis agit A.St ÔNNER, *Bibellesen:* LTK 2,290-292.

Ecclesia regulans talem lectionem, *dum reverentiam suadet verbo Dei, voluit* impedire nimis facilem *subiectivismum in privata interpretatione* singulorum; simul etiam in memoriam revocat *ultimam normam fidei esse magisterium authenticum et vivum ipsius Ecclesiae.*

De facto libera lectio Bibliorum causa fuit estque divisionis inter sectas protestanticas; atque, dum causa hoc fuit in protestantismo praesertim liberali mandandi oblivioni characterem divinum eorum, haec libera lectio non auxit amorem sacrae Scripturae, sed minuit.

Hinc nihil mirum si *errores Paschasii Quesnel* circa hanc rem diversa respective damnatione damnati sunt a Clemente XI anno 1713 (D 1429-*435)· Itentidem similes *errores Synodi Pistoriensis* (D 1567s).

•285. II. Ecclesia nunquam generatim interdixit lectionem S.Scripturae. Etenim libri sacri *frequentissimi semper fuerunt pro lectione liturgica* Missae et Officii divini; immo *et pro lectione privata monachorum aliorumque* (etiam monacharum), ut synodi et regulae monasticae commendavere.

Ideo nihil mirum si tantopere reperiantur in bibliothecis ecclesiasticis medii aevi, et tantopere sint editi post typographiae inventionem.

286. III. Ecclesia interdum restrinxit lectionem S.Scripturae IN lingua vulgari 2. Ita factum est in synodis *Tolosana* (1229), *Tarraconensi* (1234), *Oxfordiensi* (1408).

Iuxta *Indicem Pauli IV* (1559) talis usus pendebat ex licentia Inquisitionis Romanae; sed paulo post, iuxta *4.am regulam Tridentini, in Indice Pii IV* (1564), licentiam obtinere quisque ab episcopo aut inquisitore poterat de consilio parochi aut confessario.

Iuxta *Indicem Sixti V* licentiam dabat Sedes Apostolica; iterum, iuxta *Indicem Clementis VIII* (1596) requirebatur beneplacitum Inquisitionis Romanae.

Paulatim vero licentia data est pro omni versione approbata, et *Benedictus XIV* (1757) permisit versiones approbatas aut cum notis ex Sanctis Patribus.

Gregorius *XVI* meminit decretorum Tridentini et Clementis VIII; sed Leo *XIII* (1897) fecit suas sine restrictione normas datas a Benedicto XIV (cf. EB| 124).

Recentes dispositiones *Iuris canonici,* requirentes pro versionibus in vulgari lingua notas et licentiam saltem episcoporum, habentur in canone 1391. Cf. etiam cn.1399 n.i, prohibentem editiones et versiones librorum sacrorum ab acatholicis factas; quarum usus «iis dumtaxat permittitur qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata» (cn.1400).

287. IV. Ecclesia commendat lectionem S.Scripturae etiam in lingua vulgari 3. Ita *Benedictus XV* in *Litteris «Spiritus Paraclitus»* quotidianam lectionem S.Scripturae commendavit, ad exemplum Sancti Hieronymi, qui etiam matronis et virginibus hanc lectionem suadebat (EB 475 [488]); et laudavit ibidem propositum «quatuor evangelia et Acta apostolorum quam latissime pervulgare, ita ut nulla iam sit christiana familia quae

2 De hac re, cf. G.Dunckbr, O.P., *La Chiesa e le version! della S.Scrittura in lingua volgare:* Ang 24 (1047) 140-167; J.Enciso, *Prohibitiones espanolas de las versiones blblicas en romance antes dei Tridentino:* EstBibI 3 (1044) 523-560.

2 Gf. E.Kalt, *Werkbuch der Bibel* t p.23: Die Kirche wünscht die Lesung der hLSchrift.

iis careat, omnesque quotidiana eorum lectione et meditatione assuescant...· (EB 478 [491]).

Atque in iisdem litteris, paulo post, sequitur: «... optime de re catholica merentur illi a variis regionibus viri, qui omnes Novi Testamenti ct selectos e Vetere Libros commoda ac nitida forma edendos et evulgandos perdiligenter curarunt et in praesenti curant: unde constat haud exiguam fructuum copiam in Ecclesiam Dei permanasse...» (EB 479 [492])4.

S. Pius *X* sodalitatem a S.Hieronymo, quae consuetudinem legendi nieditandique sacrosancta evangelia suadere studet, probavit vehementer (cf. «Divino *afflante»:* EB 543).

Pius *XII* vero in *Litteris «Divino afflante»* aiebat: «Faveant igitur [Antistites] atque auxilium praestent piis illis consociationibus, quibus propositum sit sacrarum Litterarum, Evangeliorum potissimum, edita exemplaria inter fideles diffundere, eorumque cotidiana lectio studiosissime curare ut in Christianis familiis rite sancteque fiat; sacram Scripturam, in vulgatas hodie linguas probante Ecclesiae auctoritate conversam, et alloquio et usu, ubi per liturgiae leges licet, efficaciter commendent...» (EB 566; cf. *ibid. 549.5665s).*

288. Nihil proinde mirum, si hodie inter catholicos usus «circulorum biblicorum» seu «horae biblicae» invaluit, ubi iuvenes praesertim aliique commentantur textum sacrum, evangelicum potissimum, quo efficacius verbum Dei scriptum atque adeo Verbum Dei incarnatum cognoscere atque amare valeant... Neque mirum est, si etiam probante ipsaque hortante auctoritate ecclesiastica, populares quoque ephemerides de re edantur et late diffundantur s.

289. V. De modo legendi S.Scripturam6. Libri non intelliguntur nisi in spiritu quo scripti sunt. Ideo «omnis Scriptura sacra eo spiritu debet legi quo facta est; quaerere potius debemus utilitatem in Scripturis quam subtilitatem sermonis» 7. Et libri sacri non *plene* intelligentur nisi in Spiritu sancto, scilicet cum auxilio gratiae Dei homini inhabitantis et assistentis.

Ad hanc necessitatem vitae gratiae atque orationis verba spectant Leonis *XIII:* «Neque enim eorum ratio librorum similis atque communium putanda est; sed, quoniam sunt ab ipso Spiritu Sancto dictati resque gravissimas continent multisque partibus reconditas et difficiliores, ad illas propterea intelligendas exponendasque semper *eiusdem Spiritus «indigemus adventu»* », hoc est lumine et gratia eius: quae, sane, ut divini Psaltae frequenter instat auctoritas, humili sunt precatione imploranda, sanctimonia vitae custodienda» *(«Providentissimus»:* EB 89 [74]). Cf. et *«Spiritus Paraclitus»* (EB 469 [482]).

290. Pro praxi: i) Lege S.Scripturam *ea reverentia* sicut Ecclesia audit lectionem Evangelii in missa solemni. Neque

4 Cf. et *ibid.*. EB 476s (489s]. Specialem commendationem pro clericis, *ibid.,* EB 480 [403]. Indulgentiae concessae lectioni S.Scripturae leguntur in *Enchir.Indulg.* 694·

3 V.gr. *Cultura biblica* (Madrid), *Revista biblica* (Montevideo), *Bibai und Liturgi* (Klosterneuburg, Wien)...

6 De re agit etiam Fillion, *L'étude de la Bible* lettres XIX

7 *Imitat. Christi* l.i c.5.

8 S.Hieronymus, *In Mich* 1,10: ML 25.121.5 C.

vero fatigatur Leo XIII in commendatione reverentiae et pietatis ei qui adire vult sacras Litteras;

«Omnes denique alumnos administros Ecclesiae paterna caritate admonemus, ut ad sacras Litteras adeant *summo semper affectu reverentiae et pietatis:* nequaquam enim ipsarum intelligentia salutariter, ut opus est, patere potest, nisi remota scientiae *terrenae* arrogantia studioque sancte excitato eius *quae desursum est* sapientiae [cf. lac 3,15-17]...» *(«Providentissimus»:* EB 134 [119]).

291. 2) Audi Dominum *tibi loquentem,* sicut Maria Magdalena secus pedes lesu audiebat illum sibi verba facientem.

292. 3) *S.Hieronymus* proponebat ad Laetam pro filia instituenda ordinem *quemdam paedagogicum :* «Reddat tibi pensum quotidie de Scripturarum floribus carptum... Pro gemmis et serico divinos Codices amet... Discat primo Psalterium, his se canticis avocet, et in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat quae mundi sunt calcare. In lob virtutis et patientiae exempla sectetur. *Ad Evangelia transeat, nunquam ea positura de manibus.* Apostolorum Acta et Epistolas tota cordis imbibat voluntate. Cumque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriae Prophetas, Heptateuchum, et Regum et Paralipomenon libros, Esdrae quoque et Esther volumina. Ad ultimum sine periculo discat Canticum Canticorum: ne si in exordio legerit, sub carnalibus verbis, spiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens, vulneretur...» s.

293. 4) Placet vero, prae aliis methodis, praesertim pro clericis ι0, coniungere lectionem accuratiorem et studium librorum sacrorum *occasione temporis et officii liturgici et liturgicae festivitatis:* ita ut illi libri aut illae pericopae (maiore sane amplitudine) tunc perlegantur, quae consonant momento liturgico et lectionibus per officium currentibus. Quamquam enim in hac re difficile fit norma et regula pro omnibus inserviens, methodus exposita videtur, commoda sequentia habere:

a) Tales festivitates et occasiones liturgicae praebent in primis *pericopas* ut *plurimum selectiores* ex sacris Bibliis ab Ecclesia propositas; quae quidem, utpote breves et *associatae cuidam concreto «intéressé» spirituali,* maiorem opportunitatem praebent ut menti haereant, et, quod maius est, cordi inhaereant n.

' *Epist. 107* (ad Laetam) 9.12: ML 22,875-877: EB 488. In genere de S.Hieronymo et lectione Scripturarum, cf. Denys George, *Im lectio divina des origines du cénobitisme à S.Benoit et Cassiodore* t.i : *Saint Jérôme et la lecture sacrée* (Paris 1929). Sancti Hieronymi commendationes pro clericis ad studium sacrum, praesertim S.Scripturarum. evolvit Benedictus XV in *Litteris «Spiritus Paraclitus* EB 480s [493s].

De mente B.Ioannis de Avila quoad lectionem S.Scripturae, cf. J.Leal, S.I., *EI estudio de la S.Escritura en el B.Juan de Avila:* Maestro Avila (Montilla-Côrdoba) i (1946) 31-37; I.Gomâ Civit, *Un texto inédito del B.Maestro J.de Avila sobre el estudio de la S.Escritura:* EstBibl *2* (1943) 107-119.

l° *De cotidiana et continuata lectione S.Scripturae* in Clericorum Seminariis et Religiosorum Collegis agit *Instructio Commissionis de re biblica,* diei 13 maii 1950: EB 592 601 607.

II Neque difficile pro clericis erit periodice assumere psalmum meditandum, ut postea lectio et oratio in officio divino fiat non tantum *recitative;* séd etiam *affective.*

b) Sic facile admittet quis duplex magisterium prae aliis optimum: dum coniungit nimirum *magisterium divinum librorum sacrorum cum* ea *administratione magisterii ecclesiastici ordinarii,* quod per sacram liturgiam proponitur.

c) Studium coniungendi meditationem librorum sacrorum cum spiritu et occasione festivitatis liturgicae antiquum est in *Ecclesiae Dei; et,* ut aliquod testimonium afferamus, a S.Ignatio de Loyola eorumque discipulis magnopere commendatum I2.13

d) Sic facilius non tantum *studet* quis libris sacris, sed etiam *orat* cum eis; ita ut, dum postulat a Domino ut sibi aperiat Scripturas, sentiat sicut discipuli: Nonne cor *nostrum ardens erat in nobis, dum... aperiret nobis Scripturas?* (Lc 24,32).

e) Sic denique, sicuti Liturgia, cultus publicus Ecclesiae, habet Christum ut centrum; ita et lectio Scripturae centrum reddet, quod habet revera, Christum.

294. Quod quidem *S.Hieronymus* extollebat. Qui «in sacris utriusque Foederis Litteris Ecclesiae Dei laudes legebat passim praedicatas»; sed *'plerumque Dominum lesum intime cum Ecclesia coniunctum Doctor noster concelebrat.* Caput enim cum a corpore mystico separari nequeat, necessario coniungitur cum Ecclesiae studio Christi amor, qui scientiae Scripturarum praecipuus atque dulcissimus omnium fructus habendus est... *In Christum enim veluti cen'rum omnes utriusque Testamenti paginae vergunt;* et Hieronymus, cum verba Apocalypsis explanat quae sunt de fluvio et ligno vitae, inter alia, haec habet: «Unus fluvius egreditur de throno Dei, hoc est gratia Spiritus Sancti, et ista gratia Spiritus Sancti in sanctis Scripturis est, .hoc est in isto fluvio Scripturarum. Tamen iste *fluvius duas ripas habet,* et Vetus et Novum Testamentum, *et in utraque parte arbor plantata Christus est» lJ («Spiritus Paraclitus» :* EB 489-491 [502-504]).

12 Cf. sis M.Nicolau. S.I.. *Liturgia* v *Ejercicfos,* praesertim in § III-IV: Manr 20 (1948) 257SSÌ et eiusdem auctoris, *Jeronimo Nadal. Sus obras y doctrinas espirituales* (Madrid 1949) 189-199·

13 *Tract, in Ps 1:* Anecd. Mareds. 3,2,6; EB 491 [504].

WbEx LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE

N.B.—Numeri romani *tractatum* designant, arabici autem numeros *marginales.*

2,24 IV 246.
3.14s II 582.
7.2 III 481.
7.13 III 481.
7.23 III 481.
12,2s II 584.
12,3 III 48.
16,5 III 187.
17,6 II 584.
17.10 III 85.
17,16 II 584.
18,18 II 584; III 48.
18,18s II 591-593·
22,16-18 II 584·
22,18 III 48.
26,4 III 48.
26,24 III 300.
28,14 II 584; III 48.
28,15 III 300.
32,28 III 187.
35.9 III 187.
49,8-12 II 585-587·
3,11-17 III 300 521.
4.22 II 446.
5.4 III 324·
7.1 II 176.
I7J4 IV 25.
17.27 IV 25.
19.24 III 85.
20,8 III 85.
24,5-8 III 86.
24,8 HI 87.
25-27 III 85.
29,7 II 384.
31.12 III 85.
Lev 8-9 III 1306.
IO.7 II 384·
Num 20,4 III 150.
24,i5;24 II 589s.
Deut 4.2 III 963.
12,32 III 963.
18,15-'? III 1306.

los 18,18-19 HI 132.
25.4 IV 221.
31.23 III 300.
lud 1.5 III 300 521.
I Reg 1.9 III 300521.
3.7 III 300 52t.
6,12-16 III 300.
2,10 II 594-
9.16 II 384·
16 III 1306.
2 Reg 1.21 II 384·
5.1-3 III 222.
5.2 III 224.
7.12-15 II 595s.
7,14 II 446.
23.2 IV 25.
•3 Reg 8,22 III 150.
'9,16 II 384; III 1306,
4 Reg 4.8i II 472.
lob 38,17 III 303.
Ps I III 3IS-
2 II 597s.
2,6-8 III 132.
2.7 IV 209.
2,8 III 48 1174.
9.15 in 303·
'5.8 II 599·
17.9 IV 202.
21 II 601.
21,28 III 1174.
36,35s 11 720.
40,30 III 230.
44 II 602s.
44.2 IV 135-
46,2 in 48.
46,2s III 61.
43.3 III 48.
46,8 III 48.
46,8s III 61.
46,9 III 48.
68,2-5,95-
21.23,26s II 605.

Ps 68,22-24 II 538.
7> II 607; III1173.
71,1-2 III 48-
71.5 III 1173.
71.7 III 1173·
71.8 III 48 1173.
71.9 III 1173·
71.II III 48 1173.
71.12 III 1173.
71.15 III 1173.
71.17 III 1173.
71.18 III 48 1173.
71.20 III 48 1173.
92.5 II 762.
104,8-10 HI 323.
108 IV 126.
108,8 II 608.
109 II 609s; III 1306.
109,1 in 77·
109.4 III 132.
110,5-9 in 323.
118,103 IV 272.
118,105 IV 271.
118,162 IV 272.
131 III 228.
Sap 13,2-10 II 83.
14.15-16-
20,23 II 83.
16,13 III 303·
Eccli 50,1 III 362.
50,6 III 362.
50.7 III 362.
51.5 II 446.
Is 2.1-4 II 611.
2,2 III 1174.
2,as 1138.
2,2-4 III 4661.
2,3 II 420.
4,2 II 612.
6,3 III 1182.
7.14-16 II 613.
8,1 IV 25.
9.1-5-7 II 614.
9.6-7 III 192.
11,1.2.10 II 615.
11,12 II 646.
22,15-22 III 192.
22,22 III 192.
28,16 II 616.
30,8 IV 25.
35 III 1306.
35.4-6 II 617.
38,10 III 303·
40,1-3-5 II 618.
41,10-16 III 300.
42.1-4 II 619.
43.1-5 III 300.
49.1-13 II 620.
49,14-16 III 323.·
50.4-11 II 621.
52,13-15 II 622.
53.1-9 II 623.
53.4 IV 209.
53.8 III 841 ; IV 209.
53.10-12 II 624.
54.13 in 533.
54.17 III 237.
55.3 III 84.
55.5 II 625.
55.IOS IV 273.
60,3 II 625.
61,1.2.9 II 625.
62,2 III 237.
63,1 II 625.
1er 1,4-8 III 300.
1.8 III 521.
1.9 IV 143·
1,18 III 521.
1,18s III 300.
1,19 III 300 521.
15,20 III 300.
19.10 HI 314·
23.1-8 III 222.
23.5s II 629.
23,29 IV 273.
30,9 II 629.
30,10s III 300.
31.22 II 629.
31.31 III 84.
32,33S HI 534.
6,17s IV 25.
36,18 iv 135-
42,11 HI 300.
46,28 III 300.
Ez 21,27 II 631.
34 III 222.
34.2-5 III 222.
34.2 III 222.
34.4 III 222.
34.8 III 222.
34,9-11 III 222.
34.11-12 II 631.
23-25 II 631.
34.I5S III 222.
34,22-24 III 222.
34.29-31 III 222.
37.24s II 631.

Dan 2,35 III 48 1174.
2.44 III 4861.
4.23 III 315.
7A3 III 52 77.
7.'3s II 396s: 11 48 61 ; m 133·
7J4 HI 1174.
7.27 III 48.
9.24-27 II 632-637.
12.3 III 362.
Os 3.4s II 520.
Am 9,12-15 II 646.
Mich 4.1-3 II 48 6i 1138.
5.2s II 628.
5.2-4 III 223.
Hab 2,2s IV 25.
Ag 1.13 III 362.
2,7s. 10 II 638.
Zach 2,4.10-12 II 639.
3.8 II 639.
6,12s II 639.
9.9« II 639.
9,to III 1174.
12,9s II 640.
13,1'7 II 640.
Mai ı, ıos II 641.
1,1ı III 48 61 1174.
2,7 I 26; III 362.
3,1 II 642; III 362.
4.5S II 642.
Mt 1,1-4,16 III 13.
1,1-16,12 III 13.
1,21 III 56 922.
2,1-6 III 223.
2,11 III 1173·
2,15 IV 195·
3J4S II 404.
3.16s II 472.
4.I7 I'll 364658105.
4,17-9,35 III IS-
4,23 II 247; III 46.
5.1-48 III 15.
5.1-47 III 56.
5.3 III 37 46·
5,3-12 III 58.
5.10 III 46.
5.IISS III 303 321.
5.12 III 52.
5.13 III 50.
5.14 III 268.
5.17 III 58 84 112 135·
5.17-20 III 1189.
5.18 IV 27.
5.21 HI 58.
5.21s III 1189.
5.21-48 III 85.
5.27 in 58.
5.27s III 1189.
5.33 III 58.
5.33s III 1189.
5,34-37 HI 799·
5.38 HI 58.
5.38s III 1189.
5,43 III 58.
5.43s III 31 1189.
5.43-45 III 58.
5.44SS III 303 321.
5.48 III 15 56 1193.
6.7 II 277.
6,9 III 995·
6,10 III 46.
6,12 HI 58.
7.14 III 1198.
7.17-19 III 1187.
7.17-20 III 1265.
7,24 HI 190 303.
7.29 III 516.
8.4 III 84.
8,10 III 85.
8,11 III 50 1174.
8,19-20 HI 99.
9.1-6 III 59·
9.11-15 III 99.
9.13 II 275; III 59·
9.35 II 247.
9,26-11,1 III 13.
10,1 III 88 100 102.
10,1-15 III 65.
10,1-42 III 15.
10,1-11,1 III 104.
10,3 III 103.
10,5 II 276; III 65.
10,5-7 III 105.
10,5-15 III 961.
10,6 III 84.
10,7 III 134·
10,9 III 961.
10,14 III 524.
10,15 III 524·
10,16-18 III 63.
10,16-31 III 303·
10,16-39 III 321.
10,16-42 III 5465.
10,17s III 1191.
10,17-28 III 951.
10,20 III 301.

Mt
10,22 HI 57 1083.
10,23 III 41 70-72.
10,24 III 99 516.
10,24-28 III 1191.
10,27 III 63 134695·
10,32 III 63 137.
10,37-39 HI 3t 57·
10,40 III 63 105 137 354 368 517 524 641.
11,2-12, 45 HI 13·
11,IO III 362.
11,12-14 III 86.
11,12 HI 53 62.
11,12-24 HI 53·
11,13 HI 47·
11,25s II 114.
11.25-30 II 437s 458.
11.27 II 48:11142752.
11,28 II 661.
12,6 II 434; III 85.
12,8 II 434; HI 85.
12,21-28 HI 53·
12,25 III 1158.
12,26 II 472; III 303.
12,28 II 493·
12,38-40 II 548.
12,40 n 571·
12,41 II 439·
12,42 H 434·
12,46-16, 12 III 13.
13 III 1130.
13-17 III 104.
13.4-9 HI 53·
13.9-17 HI 255.
13.10-36 III 104.
13.1' III 37·
13.18-23 HI 53·
13.I9 III 46.
13.23 HI 1188.
13.24 III 46.
13.24-30 III 54 62 298s 1066 1172.
13.3I HI 46 51·
13,33 HI 46.
13.36 HI 51.
13,36-41 HI 1066.
13.36-43 HI 54 62 298s 1172.
13.38 HI 46·
13,39 III 52 303·
13.4I HI 46.
13.43 III 46.
13,44 III 46 79 1143.
13.45 III 46.
13.47 III 46 51.
13.47-50 III 54 62 299 1080.
13.49 HI 52.
14.28-31 HI 181.
'4,33 III 199.
15.3 III 809.
15,9 III 962.
15.11 HI 85.
15,24 II 276; III 40 64 977·
15.25 III 84.
16,12 HI 555 709762.
16,13 HI 50 555 762.
16,13-19 III 186-196.
16,13-20 II 439s; III 15.
16,13-28 III 237·
16,13-20 HI 14s.
16,34 III 14.
16,13-28, 20 HI 14.
16,15-17 III 199.
16,15-19 HI 225 235.
16,16 11391·
16,16-19 HI 181 182 183 184 185 233 269.
16,17 II 48; III 203.
16,17-19 III 161 171 175 186 207 216 426 458.
16,18 11722:11163146 147 I73SS 175-178 179 187 190 197 198 203 207 241 242 263 294 303s 311 320321 479 480 483 605 608 640 949 950 1130.
16,18s III 31 241 212 260 479-485 604 612 1130 1133 1266.
16,19 III 135s 192 193 303 329 479 480 481 482 485 606 953 1319·
16,20 II 399·
16,21 III 104.
16,23 III 203.
16,24 HI 57-

Mt

16,27 III 1254.
16,28 III 41 73s.
17.1-8 HI 73·
17.22 III 104.
17,24-27 III 181.
18,1 III 200.
18,1-35 III 15 54 104.
18.8 III 1064.
18,15 III 965.
18,15-17 III 1049.
18,15-18 III 1062.
18,16-18 HI 953·
18,17 III 146 147 949 953·
18,17s III 1101.
18,18 III 134 135 136 200 255 280 641 953 i°49 1130 1319·
18,20 HI 43 1194-
18,23 HI 46.
19.5 III 990.
19,12 II 472.
19.16 III 84.
19,16-29 III 1189·
19,21 HI 961.
19.28 III 113.
20,1 III 46.
20,16 III 1198.
20,17 III 104.
20,21 III 200.
20,23 III 160.
21.1-25, 46 III 14.
21,12 III 84.
21,32 HI 53.
21,33-46 η 441·
21,41 η 277·
21,42-44 III 264.
21,43 II 505:1115185.
21,44 II 536.
22,1-13 III 1082.
22,1-14 III 62.
22,2 III 46.
22,2-14 III 1080.
22,4 III 77.
22,8 III 51.
22,21 II 458.
22,30 II 458.
22,31 IV 27.
22,34-40 III 58.
22,37-40 III 1079 1100.
22,41-46 η 441·
22,45 II 458.
22,46 II 458.
23.3 III 84.
23.9 ni 995.
23,10 II 391; III 532.
23.13 III 53 192.
23.15 III 48.
23,3IS III 224.
23.32-39 III 72 75·
23.37-39 II 539·
23.38 III 85.
24.2 III 85.
24.3-36 HI 54·
24.9-14 III 321.
24.10-13 III 324.
24.13 III 1083.
24.>4 II 267; III 46 1174.
24.15 II 506.
24,19-21 II 506.
24.23s II 391·
24.24 HI 324·
24.25 III 104.
24,29-31 III 52.
24.34 III 41 75s·
24.36 III 78.
24.36-44 III 539-
24.42-44 III 78.
24.46 n 277·
25.1 HI 46.
25.31-33 III 298.
25.31-34 III 52.
25.31-40 III 31 57·
25.31-46 III 49 57·
25.34-46 III 1254.
25.46 III 298.
26-27 HI 14.
26,2 III 104.
26,8-10 III 516.
26,13 II 247; III 1163.
26,20 III 104.
26,26-28 III 922.
26,28 III 87.
26,31 in 223 269.
26.31-35 III 215.
26,62-66 II 442s.
26,63s III 84 133·
26,64 III 41 48 77·
27,8 II 277.
27,33 II 277.
28 III 14.
28,16-20 HI 15.
28,17 II 571·
28,18 III 50 133 363 555 748 922 949

Mt
950 958 1159 1313·
28,18-20 II 438; III 31 10S 300 306 348 382 517 520 521 561 562641 1094 1171 1180 1264 1298.
28,19 III 63 67 255 280790949 1031 1264.
28,19s III i 189 '1289 1313s·
28,20 II 722;III3ooss - 363 518 695 790 1098 1180 1264 130· 1333·
Mc
I.I4 II 247.
I.36 III 270.
3.5 II 349·
3,13 III 100.
3.I4 III 101 134.
3.16 III 101 102 180 270»
3.17 II 284.
3,18 III 103.
3.20s II 472.
4.10 III 104.
4.1| III 37.
4.34 III 104 255.
5,41 II 284.
6,8 III 961.
6,so III 180.
7.7-13 in 962.
7.11 II 284.
7.34 II 284.
8.27 II 439·
8,28 II 446.
8,29 III 180.
8.33 II 284.
8.35 IL 247.
8,38 II 427·
9.1 III 73·
9.10 II 550.
9.22 II 499-
9.32 II 932 S50.
9.33 III 134 180.
9.35 III 104.
9.41 II 391·
10,21 III 961.
12.42 II 284.
13.1-3 III 104.
13,10 II 50s.
13.31 II 459·
14.9 III 1163.
14.17 III 104.
14,17-20 III 101.
14.26 HI 77.
14,30 II 534· ·
14.36 II 284.
14,60-64 II 442.
14,66-72 III 235.
15.16 II 284.
15.22 II 284.
15.34 II 284.
15.44s II 552.
16,15 II 247; III 50 134 255 305 561 562 798 924 958 1130 1159.
16,15-16 III 6957901101 1171.
16,16 III 58 137 524 531 798 1298 1333-
16,18 · III 641.
16,19-20 III 138.
16,20 III 526792 1171
Lc
1,1-4 HI 797·
1.2 III 366769.
1,10 III 230.
1.28-36 III 521.
1.32-33 III 192.
1.35 II 295; III 992.
1.45 III 1010.
2.4 III 977·
2,21 III 84.
2,32 III 48.
2.4| III 84.
2.46 III 516.
3.12 III 516.
3.22 III 992.
4.1 III 992.
4.14 III 992.
4,16-21 III 992.
4.18 II 247.
4.23 II 293.
4,38 II 293.
4.43 II 405·
5,1-10 III 215.
6,12 III 100 toi.
6,13 III 90 254.
6,14 III 102 180 270.
6,15 III 103.
6,17 III 99.
6,20 III 37.
6,40 III 99 516.
6,48 III 190.

Lc 7.24 HI 362.
8,10 HI 37-
9.3 III 961.
9.18 n 439·
• 9,20 II 446; III 180.
9.27 HI 74-
9.32 III 270.
9.52 III 362.
9.54 III 967.
10,1 HI 99-
10,4 III 961.
10,10-12 HI 1101.
10,10-16 HI 524 1159.
10,16 HI 105 137 354 368 517 669 922 1098 1101 1298 1319 1333·
1O.2IS n 437S.
11,52 III 192.
12,12 HI 301.
12,32 III 1199.
13.29 H 505·
13.35 II 506.
14,33 HI 57·
15.I-32 HI 56 59.
16,10-12 II 295.
16,16 HI 47 53·
17,20 HI 1143.
17,20-21 HI S3-
17,21 III 42 80.
18,8 III 324 1199.
18,22 III 961.
18,22-25 II 296.
18,27 II 296.
18,34 II 550.
19,10 III 56 922.
19,37-39 III 99·
19.43 II 304 512.
19.43s II 506.
19.44 H 305·
21,18 II 761.
21,20 II 506.
21,20-24 II 304.
2I.2IS II 506.
21,24 II 506.
22,14 III 104.
22,19 II 295; III 134.
22,19-20 HI 922.
22,20 III 87 151.
22,24 III 607.
22,25 III 160.
22,25-28 III 607.
22,29-30 III 607.
22,31 HI 269.
22,31s III 607s 612 1266.
22,32 HI 197 198 260 607640641 1130
22,35 HI 961.
22,36 III 961.
22,66-71 II 442.
22,69 HI 77-
23,2 II 446.
23.34 11 538.
24,25 II 574; III 104.
24,27 π 574·
24.32 IV 293.
24,34 III 182.
24.39 H 564 566.
24,44 IIf 86.
24,44-46 IV 27.
24.44s II 574·
24,44-49 HI 255 695.
24.46-47 II 505: III 1174.
24.46-49 HI 749.
24.47 II 427; III 67.
24.48 HI 50992.
24.49 III 992.
Io 1.4 III 60.
1,9 III 60 292 1118 1305·
1.11-14 III 994-
1.12 III 60977.
133 HI 977·
1.14 HI 735 1316.
1.17 III 1316.
1.17s III 516.
1,18 II 114.
1.29 III 219.
1.41 II 391.
1.42 III 187243.
2 III 243.
2,15-18 II 361.
2,19 III 204.
2,24s II 460.
3-2 II 362; III 521 514·
3-3 III 63.
3.3-5 III 926.
3,5 HI 134 977 992 1031 1035 1096 1130; IV 244.
3,10 HI 516.
3.11-19 HI 518.
3,13 II 398.
3.13-18 HI 305.
334-18 HI 922 1098 1133·

Io 3,16 III 1191.
3.17 Ill 294.
3.18 II 427·
3.19 I 49·
3.31-36 III 518.
3.34 Ill 212.
3.36 Ill 1098.
3.38-40 Ill 922.
4.6 II 316.
4.8 Ill 961.
4.23 Ill 81 1143.
4.24 II 28 41.
4.25-27 II 39··
4.27 II 3-6.
5.4 IV 176.
S.'7S II 444-
5.18 II 446; III 85 135·
5.19 II 446.
5.22 Ill 264.
5.27 II 394-
5.36 II 473·
5.39 II 574; IV 27.
6.44 n 319·
6,44s 1'l 533-
6,48-59 III 1130.
6,52-54 Ill 134·
6.53 III 799·
6,53-58 III 926.
6,54 IV 245.
6,66-70 Ill 101.
6,68 HI 5-4·
6,70 III 100.
7,8-ti II 47··
7,15-18 III 5ï8.
7,16 II 423 665.
7.17 II ·37-
7.22 III 85.
7.40 II 592.
7.46 II 460.
8,12 Ill 268.
8,28s II 548.
8,46 II 466.
8,57 II 321.
10,1 Ill 220.
10,2 Ill 264.
10,3 Ill 221.
10,4 Ill 221.
10,9 Ill 220 221.
10,9-11 Ill 269 479 482.
10,10 Ill 920.
10,11 Ill 215 260 264 925·
10,11-15 III 221.
•0.14 III 264.
10,14-16 HI 1133·
•0,15 III 220.
10,16 III 220 221 266 312 925 «·3O 1158.
10,17 Il 548.
10,21 II 472.
10,24 II 361.
10,25-27 Ill 269.
10.26 Ill 221.
10,26-28 Ill 925·
10,27 III 221.
10,27-28 Ill 1083.
10,28 Ill 220 221.
•0,30 II 444446·
10,35 IV 27.
10,36 Ill 105.
10,38 1l 473·
",4 II 47'·
11,41 1l 446.
11,50 IV 209.
11,51 II 176.
12,33 II 399·
12,49s n 423·
I3-I7 HI 54·
1333 Praef.
1333-15 Ill 516.
13,'6 Ill 90 99.
1339 II 530.
13.20 Ill 105 137.
13,25 Ill 1265.
13,30 II 361.
13,34 Ill 58.
13.34-35 Ill 58 1191.
13,38 II 534·
•4,6 III 341307 1345.
14,12-14 Ill 1265.
1435 Ill 530950·
₱435- III 994·
14,16 III 291 300 301 306 382 555 763 790 949 1180.
14.16s Ill 300SS519 522 529 641 1317 '333·
1437 III 60 301.
1439s HI 530.
14.21-24 Ill 58 i too.
14,22 Ill 103.
14,23 Ill 6o^
14.24-26 III 748 763·
14.-5 III 529.
14.25-26 Ill 255 695·

Io
14.26 III 67 291 300 301 306 522 529 S5S 641 762 763 790 949 i180 1264 1301 1317.
14.28 II 548.
14,28-30 Ill 529.
14.29 II 530.
IS,1-5 Ill 989.
IS.1-6 Ill 1099.
I5.3S in 530.
IS.S Ill 1265.
15.7 Ill 1265.
15,9 Ill 530.
15.9-14, 17 Ill 58.
15,10-20 Ill 1191.
15.12-17 Ill 58.
15.14-16 Ill 530·
15.IS III 748 762 763 790.
15.16 Ill 790 1265.
15.18-21 Ill 321.
15,19s Ill 530.
15,20 Ill 3°3·
15.26 III 522 529 790 1317·
15,27 III 529.
i5,4i Ill 60.
16,1-4 Ill 321 1191.
16,4 II S3°·
16,5s HI 529.
16,6 Ill 961.
16,12s Ill 519 522 529 695 763·
16,12-15 III 748 762 763 992.
16,13 III I333;IV2I9.
16,20 Ill 1191.
16,22 II 548; III 530.
16,27 in 530.
i6,33 Ill 1191.
17-19 in 105.
I7.I-S Ill 1160.
17,1-26 Ill 1160.
17.6-8 III 305.
17,6-19 Ill 1160.
17.8 Ill 105.
17,11 Ill 1247.
17,11-16 III 78.
17,11-20 III 312.
17,14 Ill 105 305.
17.17-19 Ill 305.
I7.18 III 105 517 922 1098 1180 1298 1302.
17,18-20 Ill 748.
I7.2O II 505; III 749.
I7.2I III 60 1265.
I7.2I-23 Ill 1193·
18,36 III 78.
18,37 Ill 514·
IO.? II 446.
19.12 III 78.
19.26 II 315·
19.3s II 315 359·
20-21 III 88 97 105 1302.
20.9 Ill 67.
20,21 Ill 355 280 305 517 641 748 922 1098 1180 1298 1302 1333.
20.21-23 Ill 227 926.
20,22 Ill 134992.
20.22-23 Ill 59 1130.
20,23 Ill 992 1081.
2O,24S III 101 105 213.
20,27 II 436.
20,28 IV 246.
20,30 III 214.
20,30-31 Ill 213 792 810.
20,31 II 360444.
21 III 208.
21,1 HI 213.
21.1-8 Ill 215.
21.1-25 Ill 213-215.
21.2-13 II 316.
2I.9-I4 III 215.
21,IS Ill 246 247 479 640.
21,15-17 Ill 211 213 215 216 217-224 241 260 269311 479-485 604 612 925 1130 1133 1266.
21.15-28 Ill 208.
21,I6 Ill 219 263.
21.16-17 Ill 481.
21,17 III 247 266.
21,18 HI 215.
21,19 in 348.
21,20 II 315; III 213.
21,22-23 III 539.
21,23 Ill 213 214.
2I,24S π 315 359; III 213 214·

Io 21,25 III 214 792.
Act 1-12 III 138.
1,15 II 302.
1,1-8 III 992.
1.3 III 104.
1,3-8 HI 255.
1,6 III 54·
1.7 III 539-
1,8 II 505:1115067 139 255 348 522 749 762 790 792 958 1174 1264 1317·
1,13 III 102 270.
1.15-17 III 271.
1,16 IV 27.
1,16-26 III 139·
1.17 III 114.
1,21-22 III 114.
1,21-26 III 271.
1,22 III 749·
2.5 II 288.
2.14 III 138270271.
2,14-36 III 182.
2,32 III 792.
2,37 III 270.
2,37-42 III 138 139.
2,39 III 67.
2,41 III 1031.
3.1 III 271.
3,1-16 III 526.
3,12 III 182 271.
3,15 n 551 556; III 792.
3.18 I 66.
3,21 IV 27.
3.26 III 182.
4.5-31 III 951.
4.8 III 271.
4.8-12 III 182.
4,8-14 III 526.
4,11 III 264.
4,12 III 294 305 506 923 1098.
4,18-20 III 792.
4,19 IV 27.
4,33 III 792.
5,1 III 271.
5,1-11 HI 139·
5.11 III 147.
5,12 III 271.
5,12-16 III 526.
5.12-42 III 138.
5.17 III 101 270.
5.17-42 III 95«.
5,29 III 270 271.
5,29-32 III 182.
5,32 III 526 749 792.
6,1-6 HI «39·
6,2SS III 35«.
7,38 111 150.
6,8ss III 40.
8,1-3 III 147·
8,1-4 III 68.
8,2-25 HI «39-
8,14 III 249.
8.14-17 III 926.
8,20 HI 271.
9,3-6 III 108.
9,4 III 990.
9.15 III 107.
9,15-16 HI 108.
9,20 III 792.
9,31 in 139 147·
9,34 HI 271.
9,4° III 271.
10 III ??94.
IO-II III 271.
10,1-8 III 66.
10,1-11, 18 III 66-68.
10,1-43 HI «39·
10,9-23 HI 66.
10,10 HI 240.
10,10-17 II 58.
10.24-33 Ill 66.
10,34-48 HI 66.
io,35 III 67.
10,37-43 III 749·
10,39-42 III 790 792·
10,40 II 571.
10,40-42 III 308.
10,41 II 565.
10,43 II 574·
10,47 III 67.
11,1-18 III 66.
11,2 III 249.
11,18 III 67.
11,19 III 40.
11,19-20 III 68.
11,20-26 HI «39.
11,26 III 142 1163.
12,1-5 in 147·
12,1-24 III 95«.
12,17 III 363.
13,28 III 138.
13,2 HI 116.
13,27-29 I 66.

Act 13.31 III 792.
13.32s I 66.
13.42-48 III 67.
13.46 III 72.
13,46-48 III 67 282.
14,22s III 350.
14.23 III 139309352.
15.1 III 271 28t.
15.1-31 III 138 139.
15.1-16.5 III 138 139.
15.5 III 271 281.
15.6 III 160.
15.6s III 955·
15,6-12 III 271.
15.6-35 -III 574.
15.7 π 253 356; III 271 282.
15,10 HI 281.
15.13-21 HI 363·
15.14 HI 282.
15.22 III 160.
15.22-29 HI 954·
15.28 III 275 281 526.
15.41 III 150.
16,4 III 954·
16,13 III 284.
17,28 IV 81.
18,9s III 300 520 528.
19,8-12 III 526.
20,5-15 II 302.
20,17 III 376s.
20,25 III 537·
20,28 111 150 220 309 352 373 376 377 992 1333 1334·
21,15-26 HI 363.
21,20 II 694.
22,17-21 III 67.
26,14-20 III 108.
26,16 HI 749·
28,23 II 574·
28,25 IV 27.

Rom 1.1-15 III 138.
1,8 II 694.
1,18.21-32 11 8488.
2,13 III 1254.
2,14 II 88.
3.2 III 84.
5,10 HI 234.
5.12 HI 1098; IV245
5.15-18 HI 1098.
6,9 III 320.
8,5-6 HI 993·
8,9 III 994·
8,9-17 HI 993·
8,15-17 HI 994·
8,15-18 HI 747·
8,28-30 HI 995 997·
8,29 HI 994.
9.3-5 n 371·
9.4 III 84.
9.4S II 539·
9 5 H 445·
9,6-8 HI 113.
9,27 III 72.
10,8-15 III 138.
10,9-15 III 924.
11.13 III 69.
11,22 HI 319.
11.25 III 72.
11.25s II 520.
11.29 II 539·
n,33S II 89.
12,4 HI 974·
12,4-5 HI 997·
12.5 m 974987·
12,6 IV 264.
13.1 HI 122.
13.8-10 III 1100.
14.17 III 82 1143.
15,4 IV 114 272.
15.13 HI 1317.
1535 HI 926.
15.16 HI 1317.
15.16-19 HI 108 138.
15,18 III 526.
15,18-19 III 1301.
15.19 II 694.
15.20 III 255 277.
16,25s IV 219.

i Cor 1,1 III 566.
1.17 III 351.
1.23 11 699.
1,23-25 III 107.
2,7s II 114.
2,8 II 374·
2,10 II 48.
2,10-16 III 523.
2.15 III 536.
3.5 III 922.
3.5-9 III 926.
3.9 HI 926 991.
3.11 III 205 264.
3.11-17 III 1066.
3.16-17 III 991.

j Cor 4.1 Praef.; III 922 926 1301 1303.
4.15 HI 817.
4.19-5-'3 HI 954.
53-5 III 1081.
5,i ;›3 HI 138.
5.3-'3 III 160.
5.5 III 1053 1064.
5,11-13 III 1053 1064.
6.15 III 991.
6,19 III 991.
7, III 772.
7.»2 III 772.
7.17 III 793.
7,19 III 1254.
7.40 III 762.
8.4-13 III 284.
9,7-'° IV 221.
934 III 96t.
9,16 III 792.
9.19-22 III 107.
10,4 III 206 264.
10,15 IV 120.
10,17 III 1196.
10,32 III 566.
11.2 in 138.
11.5 III 108.
11.17-34 III 138.
I 1,22 III 566.
11,23-27 III 922.
11,24 III 134306.
11.25 III 87.
I 1,26 III 306 382.
12.3-11 III 993.
12.4-11 III 987 988.
12.4-30 III 987997.
12,6 II 137; III 83 1143.
12,1 I III 83 108 160 1143.
12,12 III 108 987 990 1005 1040 1129 1158.
12,12-13 III 992 1031.
12,13 III 1097 1195.
12,14-26 III 987.
12,20-27 in 1134.
12,27 III 987 1043.
12,28 III 117 202.
13.1-8 III 1100.
13.1-13 III 1254.
14 III 34«.
14.4-11 III 1317.
14.26-35 III 339.

2 Cor 15.1 in 770776.
15.1s III 814.
15.1-11 H 557 561; HI 769.
15,1-14 III 793SS.
15.2 III 770.
15.3 III 770 776.
15.5 HI 101 182.
15.9 III 114.
15.11 HI 58 359 366 770 776 814.
15.11-14 III 108 795.
15.12 III 1066.
15.19 HI 566.
15.44-48 π 571.
15.51 IV 120.
15.51-52 HI 539.
15,52 m 315.
15.53 π 571.
15.58 HI 359.
I.t III 566.
1,18 III 793.
2,6-10 III 160.
3.3 III 534.
3.5-6 III 1301.
3,6 Praef.
4.6 11 571; III 762.
5,1-10 HI 539.
5.6 II 114.
5.14 III 311.
5,17-21 III 138.
5.18 HI 922.
5.18-20 HI 308.
5,20 III 922926 1301 1333.
8,9 II 371.
8,18s II 302.
11.3s III 528.
11,5-16 HI 528.
11,6 III 762.
11.17 IV 120.
12,IS II 571.
12,11 III 230 526.
12,12 III 138 526 528.
13.1-4,10 III 138954.
13.3 III 526 1301.
13,13 in 1317.

Gal 1-2 III 40.
I.t III 107 109 139 528.
1,1-9 III 750.
1,6-9 HI 109 255.
1,6-12 HI 528.
1,8 III 281 793 797.

Gal 1,11 III 107.
i,n-i8 III 255.
1,11-24 III 109.
1,12 III 139 528.
1,13 III 566.
1,14 III 809.
1.15 III 107.
1,15-16 II 571; III 109.
1,16 III 528 762.
1.18 III 139 228 272 273 811.
2,2 III 115 139.
2,6-10 III 528.
2.7 III 109 274.
2,7-9 III 69 139 282.
2,7-10 III 108 109.
2,8 n 356.
2,10 III 250.
2,11 II 253:11188283
2,11-21 III 275·
2,14 II 253:1112839.
3,5 III 109 528.
3,16 II 371; III 48.
3,23-24 III 747·
3.23-4.7 III 747·
3.25-28 III 747-
3,26-28 III 990.
3,27 III 1041.
3.27-28 III 1031.
3.29 III 747·
41-3 III 747.
4,4 II 371·
4.4-6 III 747.
4,4-7 III 747 923·
4.14 III 362.
4.19 III 1010.
4,26 III 928.
5.16-25 III 993 1099.
5.17 III 941.

Eph 1.3-6 III 995·
1,9-10 III 750.
1,22 III 982 989 994.
1,22-23 III 9899971043
1,23 III 989 997·
2,12-16 III 750.
2,19 III 997 1000 1198.
2,19-21 III 750.
2,19-22 III 750.
2,20 I563;III 201205 255 307 1203.
2,21 III 260.
2,20-22 III 264.
3,2 III 569.
3,3-5 III 762.
3.5 III 307; IV 219.
3,1° III 566.
3.15 III 995·
4.1-3 III 988.
4.1-8 III 988.
4.1-16 III 1161.
4.4 III 1043.
4,4-8 III 988.
4,5 III 1161.
4.7 HI 985.
4.11 III 117 202 248 365 750 1161 1203.
4.11-16 III 1043 1161.
4.12 III 1345·
4.14 III 1333·
4.15 III 990 1129 1345·
4.15-16 III 9899971043
4.16 III 985 1000 1002.
4.24 III 1002.
5.22-32 III 926.
5,23 III 1084.
5.23-29 III 1099,
5,23-30 III 989 1190.
5.25-27 III 1086.
5.25-30 III 1043.
5.31 IV 246.
6,1 III 368.
6,12-16 III 303·
6,20 III 1333·

Phil ı,ı III 108 376.
1,1-2 III 377 379·
1,2 HI 376.
1,23 III 539·
2 5-7 II 445-
2,5-11 II 374·
2,7 III 1002.
4,9 III 366.
4.22 II 697.

Col 1,12 II 762.
1,18 III 149 974 985 1002.
1,18-20 m 989997·
1,23 II 511.
1.24 III 990.
1,24-28 III 997-
1,26 I1 54-
2,6 III 793-
2,11-12 III 1031.
2,19 III 9859891043
4.IO III 431.

Col 4.14 II 302.
i These I,I in 108 566.
1.5 Ill 528.
2.4 Ill 528.
2,7 Ill 528.
2,13 II 137; III 255 528.
2.14 Ill 566.
4,1-8 Ill 925.
4.13-18 Ill 78.
4J5-I7 Ill 538s.
5.1-3 HI 78.
5.1-6 Ill 539.
5.20s IV 120 II.
2 Thess I.I Ill 108 566.
1-4 in 566.
i,7-2.5 Ill 78.
2,1-0 Ill 539.
2.5 III 792 797.
2.15 Ill 769793797.
2,l6 III 260.
3,4 Ill 954.
3.6 Ill 769 954.
3.14 Ill 954.
I Tim i,3 HI 537-
2,1-9 HI 351.
2,2 Ill 959.
2.3-6 Ill 305.
2.4 III 311 1118 1257.
2,4-6 Ill 1098.
2.5 Ill 159930981.
2,7 Ill 108 351 792.
3.1-10 Ill 351.
3-5 III 566.
3.7 Ill 327.
3.14 Ill 350.
3.15 Ill 190350564-568 995.
3.16 Ill 362.
4,6 Praef.; Ill 351.
4,io Ill SH-
4.1l IH 351.
4,11-14 III 309 351.
4.13 HI 351.
4.14 III 352.
4,16 I 26; III 351.
5,1-22 Ill 351.
5.9-12 III 954.
5.19s HI 954-
5.2IS HI 350.
6,3 Ill 351.
6,11 Ill 351.
6,13 Ill 351.
6,14 m 350375.
6,20 Praef.; Ill 351 359 366 716 750 963.
2 Tim 1,6-9 HI 309 352 926.
1,7 Ill 1317.
I,H III 792.
1,12 Ill 366.
1.13 Ill 793.
1.13-14 m 352 750.
1.14 Ill 309 963.
2,1 Ill 350s.
2,2 Ill 350s 375 750 793.
2,20 III 1066.
3,1-9 Ill 351.
3.I4 Ill 750.
3.14-17 HI 351.
3,16 IV 29SS.
3,16s Ill 810; IV 270.
4.1-5 III 351.
4.5-8 Ill 350375.
4.9-21 III 688.
II 302; III 351.
4,20 Ill 537.
Tit 1,5 III 309 350 375 377 379.
1.5-7 m 376377-382.
1,5-14 m 351.
1.7 III 309 365.
1.12 IV 81.
1.13 HI 365.
2.1 Ill 351.
2,2-10 III 351.
2,7-8 III 351.
2,10 III 351.
2,14-15 III 351.
2.15 Ill 365.
3.1s III 351.
3,9-11 Ill 351.
3.10 III 1047.
Philem 1 Ill 108.
23s II 302.
Hebr 1 1 II 65; III 108 756.
3.1-6 HI 9959971000
3.6 III 1085.
3.17 Ill 377.
4,12 IV 273.
4.13 II 533.
6,4-6 III 841.
7.23-25 Ill 931.
8.8 III 84.
9.13-15 Ill 992.

Hebr 9.I5-I7 III 152.
10,5-7 II 402.
10,9-14 III 152.
10,12-14 ni 931·
10,14 III 932.
10,16 III 534·
10,23 II 762.
11,1 II 114.
11,6 III 1094.
12,2 II 762.
12,18-24 III 1144.
13.17 III 377·
13.20 III 264.
lac 1,17 II 722.
2,17 IV 45·
2,19 II 185.
2,25 III 362.
4.12 III 964·
5.14-15 III 926.
i Petr 1,1 II 694.
1,11 IV 27.
1,12 IV 219.
1,18 III 809.
2,4-8 ill 264.
2.5 III 159 1143·
2,9 III 1069 1198.
2,21 III 1191.
3,15 I 50; II 762.
4.5-7 III 539·
4.8 III iioo.
5.1-2 HI 377·
S.i-4 HI 220.
5,1-6 in 1143·
5.4 III 264.
5,11 III «345-
5.13 II 283; III 431.
2 Petr 1,16 I 31·
1.19 II 574; IV 271.
1,20 IV 120 236.
1.20S IV 32.
1,21 II 48; IV 95.
3,3-13 III 539.
3.8-16 III 78.
3,15 III 108.
1 Io 3,15s III 528.
1.1-3 I 31·
1.1-3 II 316·
2,1 III 266 301.
2,18 III 539·
2,20 π 137·
2,20s HI 535·
2.23 II 426.
2,26 HI 535-
2,27 HI 535·
3,1-8 III 923·
3-it> III 1191.
4.1 II 129.
4.7 III 1079 1100.
4.9-10 III 923·
4,16 III 1079 1100.
5.13 III 793·
2 Io 10s III 1053.
12 III 792.
3 Io 13 III 792.
Apoc 1-3 III 361 370.
1-3 III 355SS.
1,4-11 II 694.
1,6 in 1345·
1.12 III 361.
1,16 III 361.
1,17s III 192.
1,20 III 213 361.
2,1 IV 123.
2,18-29 III 361.
3.7 III 192 260 264.
4.8 III 1182.
7.4-9 HI. 113·
13.3-8 HI 325.
14.8 in 431·
16,19 HI 431·
17,5 HI 431.
17.9 HI 431·
I9.li III 212.
19,16 III 264.
20 III 315·
20,1-6 III 326.
20,1-10 III 314317·
20,4 II 740·
21,14 III 307·
22,18 III 811.
22,20 in 539·

INDEX NOMINUM

N.B.—Numeri romani *tractatum* designant, arabici autem numeros *mnginu!,,*

Abad.C.M. II 771.
Abel III 1039 1040.
Abaelardus.P. Ill 721 865.
Abraham III 48 197.
Acaciani III 427.
Acacius III 622.
Achelis III 315.
Acilius Glabrio II 697.
Adam III 1040.
Adam.K. Il 464 648 775; III 135 158 192 193 981 1039.
Adamantius III 1192.
Adventistae III 317.
Aedesius,martyr II 761.
Aërius III 337.
Aeschilus III 191.
Aesculapius II 483 487.
Agapitus Papa III 627.
Agathon III 582 628 632 827 833.
Agathus (S) III 833.
Agnes (Sta) II 724.
Agnosticismus III 881.
Agrippinus III 419.
Aguilar III 1010.
Aguilô.Th. I 83.
Ahmed III 291.
Aigrain.R. II 12 769; III 24.
A Lapide,C. II 182; III 72.
Albertus Magnus (S) III 74 823.
Albigenses III 1022 1094.
Alcantara (de) P.(S) III 1234.
Alcaniz III 315.
Alcuinus.eboracensis II 208.
Alexander III III 582 1230.
Alexander VII III 719 720.
Alexander Halensis I 34; III 855.
Alfaric II 366.
Alfaro I III 761.
Alfonso de Zamora I 73.
Algermissen.C. Ill 24 27 292 317 429 784 1148 1224 1234 1240 1243 1257 1284 1293.
Aliberch.S. I 62; IV 4.
Allard,P. II 685 697 729 734 740 744 746 754.
AIlo,E.B. II 557; III 213 317 325 361.
Almarichus de Bena III 291.
Almazân.D.M. II 772 776.
Alogoi II 307.
Alonso,J.M. I i ; III 979.
Alonso Barcena.Ph, III 416 501 584 635 674 684 698 738 766 767 813 845, 899.
Aloysius Gonzaga (S) III 725 1234.
Altaner.B. Ill 429s 1345.
Alvarez de Linera.A. I 82; II 116.
AlzinJ. II 773.
Amann,E. I 37; II 7; III 650 652 654.
Amat III 1338.
Ambrosiaster III 230 315 372.
Ambrosius (S) II 519 751; III 216 230 265 315 415 427 500 571 650 823 840 844 964 992 1046 1060 1063 1175 1182; IV 19 39 277.
Amiot.F. Ill 1007.
Ammianus Marcellinus II 519.
Amort,E. II 116.
Anabaptistrtelll 292 317.
Anacletus III 1227.
Anastasius I III 611 650.
Ancher.J.B. Ill 178 237.
Anger,J. Ill 151 972 1010 1284 1287 1293 1313.
Anglicani III 390 426 494 943 1093 1156 1169 1179 1215 1244 1251 1257.
Anicetus III 351.
Anomoei II 113; IV 107.
Anonymns (ca.260) III 265 367.
Anselmus (S) I 9 72; III 823 853 1234.
Antoninus (S) III 1234; IV 66.

Antoninus Pius II 381.
Antonius Abb. (S) III 1238.
Antonius Patav. (S) III 823 1234.
Aphraatcs II 226; III 174 178 236.
Apollinaris III 624.
Apollinaris Laodicen. III 315.
Apollonius Tyanensis II 483 486 497.
Apologistae I 67-85.
Aprutino III 1331.
Aquila II 613.
Archadius.Ep III 582.
Archelaus,S. IV 19 107.
Ariani II 430; III 421SS 621 941.
Arias Montano II 238; IV 160.
ArinteroJ.G. III 1010.
Aristides I 67; II 697; III 821 1192.
Aristophanes III 191.
Aristoteles II 680 683; III 507.
Arius III 225 624.
Amaldich, L. IV 140.
Arnobius II 483 698; III 624 821.
Arquilliere.H.X. III 18 471 596.
Arriaga,R. de II 48.
Arrigoni III 1331.
Asensio.F. IV 187.
Assemani III 1032.
Athanasius (S) II 756; III 415 421 65° 753 796 823 840.
Athenagoras I 67; II 676 679 697; III 821; IV 34 64.
Aubert,R. II 37 116 184; III 8 1125.
Aufhauser.I.B. II 381.
Augustinus,S. I 9-45 70 77; II 5 19 33 163 178 182 227s 263 309 347 483 485 496 532 537s 570 674 676 678 702 714 734s 749 761; III 8 16 204 218 232 266 290 291 315 326 361 367 413 415 427 435s 500 535 571 589 618 681 719 760 783 794 795 796 799 802 814 818 819 823 840 842 844 848 852 854 859 927 987 988 989 990 1033 1039 1060 1099 1103 1110 1138 115° 1162 1167 1175 1196 1209 1225 1277; IV 19 39 42 55 90 107 116 125 133 166 174 191 209 215 219 231 253 265 268 274.
Aulen.G. III 391 1007.
Autocephalae III 1245.
Autonomae III 1245.
Avila,B. II 775.
Ayuso Marazuela.T. I 63; II 206 228 233 329; IV 158.
Bachiarius III 618.
Bacht.H. II 175; III 416 457 767 784; IV 98.
Bacic.A. III 18.
Bacon.F. III 860.
Bacon,R. III 859.
Bacon,W. II 307.
BainvelJ.V. II 1; III 23 117 151 501 638 684 698s 737 738 754 767 813 836 841 845 871 884 908 936 1010 1016 1026 1087 1090 1148 1209 1216 1257; IV 3 44 136 169 220 223.
Baisi.C. I 35; III 23 33.
Baldensperger III 41.
Balic.C. III 754 769 805.
Ballerini III 441 459 591 596 912.
BalmesJ. I 20 83; II 648; III 8 447 1276.
Balthasar.N. I 72.
Bannwart.Cl. I 36; III 907.
Bânez.D. I 34 53 76; III 18 441 855 893 9131054; IV 135 138.
Bar-Cochba II 520 569 590.
Barcos III 95 166 258.
Bardenhewer.O. III 178 452 813 1065.
Bardy.G. III 24 314s.; IV 42
Bareille.G. I 64.
Barnabae epist. III 315.
Barnes III 429.
Barré,H. III 1010.
Barth,K. III 43 127 154 342 39i 5i° 598 691 784 1023.
Bartmann.B. I 35.
Basilides II 295 319; III 420 427.
Basilius (S) III 239 315 415 786 796 799 823 835 844 992 1238; IV 118 122.
Basilius Ip. III 582 633.
Basmagius II 519.
Battifol.P. II 257 678 682 699; III 90 123 142 150 175 179 186 368 371 372 381 413 433 594 928.
BaucherJ. III 1343.
Bauer,A. II 363.
Bauer,Br. II 254 307 365 387.
Baumann,J. II 451.
Baumann.R. III 169 186 426.
Baumgartner,Ch. III 805.
Baur.F.Ch. II 253 307 357 690; III 95 259 430.
Bautain.L. II 116s 172 184 479 547.
Bayle,C. IV 280.

Bayo.M.J. II 744.
Bea,A. II 582; III 754 841 1010; IV 3 ii 19 29 44s 55s 75 79 89 92 96 100 107 no 123 125 136 138s 169 171 176 188.
Beauduin.L. Ill 24 391.
Beaufays,!. II 773.
Becqué.M. I 85.
Beda (S) III 70 74 372 820 823 848.
Bellamy,J. I 33; III 583 645.
Bellarmino.R. (S) I 34 75; III 8 19 161 208 250 277 374 383 428 439 441 501 540 591 637 767 823 908 990 1016 1026 1035 1036 1045 1052 1068 1087 iI15 1150 1167 1168 1209 1235; IV 2 4 107s 113 148 160 167 171.
Bellet,P. IV 219.
Belser III 373.
Beltran de Heredia,V. I 34.
Bender.L. Ill 939.
Benedictus (S) III 1238 1240.
Benedictus XIII III 725 823.
Benedictus XIV II 160 162 173 731 734; III 402 427 442 445 726 823 1230 1262; IV 286.
Benedictus XV II 326; III 352 402 823 864 876 877 880 881 882 946 1223 1230; IV i 22 87s 112 131 172 176s 187 213 255 280 287 292.
Beni,A. I 62; III 24.
Benoit.P. II 428; III 382.
Benson,H. Ill 1244.
Benz III 291.
Beraza.B. Ill 884 899 917; IV 76.
Berendts.A. II 376.
Bernardinus.R. Ill 725.
Bernardus(S) I 28; III 823 844 1234·
Bersot II 771.
Berthe,P. II 773.
Berthier III 871.
Bertholet.A. II 12.
Bertrans III 151.
BessmerJ. Ill 28.
Besson III 244.
Beumer,J. Ill 645 993 1007 1010 1040 1061.
Bevenot.M. Ill 1127.
Beyer III 371.
Beza.Th. II 225 237·
Bickermann.E. II 545·
Bierberg.R. IV 218.
Bihlmeyer III 851.
Billerbeck,P. II 341 443; HI 135 136 145 169 177 186 191 361 1062.
Billot,L. Ill 22 151 161 189 277 330 383 441 491 591 638 663 674 884 899 908 936 1026 1036 1045 1052 1053 1068 1148 1167 1168 1209 1220 1284 1293 i3>6 1336; IV 3 92 no.
Billuart.F.C.R. I 35! HI 18 1052 1168; IV 138.
BilzJ. I 1; III I.
Binet-Sanglé II 450.
Birgitta (Sta) III 1234.
Bleinstein.H. Ill 1007.
BlighJ.F. II 271.
Bliguet.M.J. Ill 9.
Blondel,M. II 138.
Boehmer III 123.
Boisnard.E. Ill 213.
Boissier,G. II 737.
Bollandus III 874.
Bolley,A. II 19.
Bona,Io. II 56.
Bonaventura (S) I 3 18 29s 34; III '8 374 383 729 823 881 1234; IV 229.
Bonfrèrejac. IV 78s 205 270.
Bonhoeffer III 151.
Bonifacius I (S) III 402 427 6n.
Bonifacius II (S) III 581.
Bonifacius VIII III 823 945 982 1094 1129 1132.
Bonifacius, Pb. Ill 582.
Bonnard,P. Ill 382.
BonnefoyJ. Ill 1010.
Bonnetty.A. I 8; II n6s; III 861.
Bononiensis III 1331.
BonsirvenJ II 385; III 1007.
Bonwetsch III 315.
Borgongini Duca.F. II 632 635.
Borromeo.C. (S) III 1234.
Bosco,I. (S) III 1235 1240.
Bossuet,JJ. I 80; III 471 472 597.
Bouché,J. Ill 90 277 1293.
Boudou.A. IV 191.
Bouffard.A. Ill 1224.
Bougaud II 772.
Bougnicourt.P. Il 13.
Boulenger.A. I 63.
Bousset.W. II 401 430.
Bouvier,F. II 13.
Bouyer.L. Ill 1007.
BoverJ.M. I 25; II 206 219 223 228s 234 240s 242 345 352 399 437 459 539 554 775s; HI 13 136 371

373 928 972 1007 lOIO; IV 164 218.
Boyer.Ch. I 1; III 754,
Bozius III 1150.
Brandariz.F. I I.
Branscheid.F. II 240.
Brassac.A. II 345.
Braun,F.M. II 363s 366 369s 769 775; HI 27 41 94 150 154 169 185 342 382 566 1010; IV 218.
Bretschneider.S. II 307.
Bricout,]. II 12.
Briggs II 307.
Brillant,M. II 12.
Brinkmann.B. III 645.
BrinktrineJ. I 62; III 24 1007.
Brou.A. II 689.
Broussole.Ch. II 464.
Browe.P. II 761.
Brown,R.E. IV 218.
Bruders,H. III 24 186 371 372.
Brunec.M. III 54.
Brunner,A. I I.
Brunner,E. III 28 127 691.
Brunsmann.J. I 62; II 3 218s 428; III 24 313.
Buchberger.Mich. I 37.
Budda, *buddismus* II 469 489 497 704; III 1224.
Buechsel III 135.
Buil,N.M. II 773.
Bulst.W. II 464; HI 382.
Bultmann.R. II 258 387 430 581; III 41 168 181 182.
Butler,C.B. II 345.
Buzy III 135.
Buzy.D. IV 218.
Byzantinismus III 942.

Caballero Sânchez.P. II 632 635.
Cabrera,Fr. Alonso de IV 268.
Cabrol.F. III 760.
Caecilia (Sta) II 724.
Caelestinus I (S) III 352 402 416 427 582 760.
Caesaro-papismus III 942.
Cafasso.J. (S) III 725.
Caietanus,Thomas de Vio 1 34î HI 18 441 750 855; IV 66 72.
Caius III 314.
Calasanz.Io. (S) III 1234.
Calcagno.F.X. I 62; III 23 684 698 899 908 1026 1053 1293.
Calés,J. II 597.
Callistus (S) II 685 697.
Calmes II 357.
Calumistae III 9'9 979 1023 1072 1128 1157 1169 1244 1251.
Calvinus II 134; HI 166 29i 329 784 1023 1128 1254: IV 45.
Camilus de Lellis (S) III 1234.
Camôn Aznar,J. II 776.
Campenhausen,H. III 28 88.
Camprubi.F. II 776.
Candal.E. III 383.
Canisius.P. (S) III 823 1235.
Cano.M. I 76; III 19 44i 5°t 59i 594 688 728 761 767 839 884 889 908913 1016 1041 1052 1093 1168 IV 138.
Canonistae III 470 473 496 1292s 1322-1327.
Cantera.F. I 73; IV 164.
Capéran III 1052 1087.
Capreolus,I. I 34; III 855.
Capua,F. di III 650.
Carbone,C. III 28.
Carlostadius IV 67.
Carolus I III 1257.
Carolus VÎ1 III 472.
Carpophorus II 697.
Carreras ArtauJ. et T. II 94.
Carreyre.J. III 718.
Cartagena,A. de I 73.
Cartechini,S. III 884 899.
Cartesiani III 860.
Carthusianus III 74.
Caruel III 486.
Casajoana.V. I 35.
Casalensis III 1339.
Casanovas,Ig. I 62 83.
Casel.O. III 981.
Caspar III 357 394 413 430 433.
Cassiliensis III 1340.
CastielloJ. II 464.
Catalogi Liberia™ III 367 436.
Cathari III 1022 1073.
Catharina (Sta) III 1234.
Catharinus.A. III 1128.
Cavalia III 371.
Cavallera.F. I 6 8 36; II 205; III 880.
Cavatassi.N. III 208.
Celsus II 319 331 337 474 483 543 571 697.
Cercia III 491 638.
Cereceda.F. II 772.
Cerfaux.L. III 24 35 154 382 458 972 987 1007.

Cerinthus II 307 309 320s 340; III 314·
Cerruti,P. I 63.
Cerularius.Mich. Ill 1249.
Ceulemans.F.C. Ill 53 67 75 105 270 372 747·
Ceuppens,F. II 574 633.
Chantepie de la Saussaye.P.D. II 12.
Chapman,J. Il 271; III 652.
Charlier,L. Ill 735 805.
Charismatici HI 127 340s.
Charmes.Th. I 35.
Chasles III 316.
Chateaubriand,F.R. I 81; II 648 736.
Chaterinet.F.M. II 498.
Chavasse,A. Ill 1007.
Chemnitius.M. IV 45..
Chenu,D. Ill 805.
Chiappini.F. II 775.
Childebertus I III 627.
Choupin.L. Ill 645 658 663 674 676s 683 899.
Chrismann.Ph. IV 108.
Ciasca III 178.
Cicero.M.T. II 3 178 182 680 699.
Cipriani,S. I 62; III 24.
Gladder,H.J. II 444·
Claereboets III 371.
Clamer.A. II 627.
Clemen,C. II 363.
Clemens V III 582.
Clemens VI III 170 260 402 427 473 478 614; IV 172.
Clemens VIII II 213; IV 286.
Clemens IX III 823.
Clemens XI III 720.
Clemens Alexandrinus I 69; II 235 264 273 277 279s 288 301 310 314 320 337 742: lll 334 4'7 43' 818 821 1162; IV 37 42 64 70s 266.
Clemens Romanus (S) II 275 285 303 340 676 694 697 742; III 16 127 140 310 327 353 360s 367 368 401 417 427 43' 436s 751 796 844; IV 34 64 69 174.
Clercq III 582.
Cletus III 360.
Closen.G.E. II 629; IV 283.
Coathalem.H. Ill 24 1010.
Coleridge.H.J. II 771.
Colet III 1339.
Coll Pérez,A. I 63.
Collomb.M. II 193 270; IV 2.
Colomer,L. Ill 24 io io.
Colson,J. III 330 370.
Colunga,A. II 539 582; IV l 164 205.
Commodianus III 315.
Communistae III 944.
Comte,A. II J4 *16.*
CONCILIA:
— *Apostolorum* III 363 955.
— *Arausicanum II* III 581 1064.
— *Basileense* III 471 581 596.
— *Chalcedonense* III 416 427 456 457 55° 563 582 625 631 652 696 827 828 1249.
— *Carthaginense* III 581.
— *Cortstantiense* III 471 489 582 588 596 597 721 723 861 885.
— *Constantinopolitanum I* III 423 427 455 582 589 696.
— *Constantinopolitanum II* III 550 563 582 652 653 721 1273.
— *Constantinopolitanum III* III 489 55° 563 582 628 632 654 827 §28 833 1249.
— *Constantinopolitanum IV* III 427 563 582 599 622 629 632 945 1249·
— *Ephesinum* III 416 427 550 582 624 630 827 832 1249.
— *Florentinum* III 170 172 260s 383 395S 4'6 427 473 477 55° 582 599 635 9'3 '028 1040 1056 1058 1094 1097 1103.
— *Hierosolymitanum* III 574.
— *Lateranense* III 628 833.
— *Lateranense I* III 563 582.
— *Lateranense II* III 582 1056.
— *Lateranense III* III 582.
— *Lateranense IV* III 416 427 582 634 848 861 928 1094.
— *Lateranense* V III 416 427 717.
— *Lugdunense I* III 582.
— *Lugdunense II* III 395 416 427 473 477'582 599 634 928 1249.
— *Milevitanum II* III 581.
— *Nicaenum I* III 421 427 454 550 563 582 588 589 621 696 848.
— *Nicaenum II* III 550 563 582 827.
— *Pisanum* III 471 581 596.
— *Riminense* III 422.
— *Romanum* III 624 833.
— *Sardicense* III 421 581.
— *Tridentinum* II 426; III 44 130 294 345S 352 373 374 55° 563

565 582 635 704 723 743 745 757 785 787 788 799 805 827 828 848 861 862 864 865 896 906 907 908s 91 is 945 982 1028 1030 1078 1081 1094 1096 1097 1196 1248 1294 1333 >334 1343: IV passim.
— Vaticanum II passim; III 7917 97 122 128 130 164 171 172 209 211 260 261 290 294 295s 297 312 334 344 346 352 373 374 387 395S 397ss 416 427 428 434 441 443S 46os 466 474-477 5>2S 515 549 550 551 553 563 565 580 582 593 594 595 597-601 603 604 607 609 610 615 639 640 642 645 647 649 657 669 673 687 689 693 696 710-713 717 725 744 745 757 758 780 787 788 805 806 827 828 861 862 874 875 881 885 887 890s 894 895 896 897 899 902 906-913 916 920 921 946 1001 1005 1028 1076 1077 1093 1094 1098'1131 1132 1136 1138 1150 1152 1220 1224 1276 1294 1328-1343; IV passim.
— *Viennense* III 582 861.
Conciliaristae III 470s 473 596.
Condamin.A. II 205 611 629.
Confucius II 469.
Confutiani III 1224.
Congar.M.J. I 1 33; III 24 28 67 158 186 881 993 997 1039 1040 1246 1277 1293.
Congregationalistae 111 127 342 691 1251.
Conradus a Gelnhausen III 956.
Constantinus I III 582 1167.
Constantinus IV III 582 941.
Constantinus Pog. III 628.
Constantinus Imp. III 422.
Conte a Coronata III 1223.
Contingentistae II 165.
Copernicus III 683.
Coppens,J. II 646; IV 218.
Corbishley.Th. III 24.
CorluyJ. II 297.
Cornelius II 697; III 66s.
Comely,R. II 193 196 202 205 219 292 322 345 350 353 357 361 ; III 108 178 274 747 987; IV 2 19 57 125 140 148 163 166.
Corssen.P. II 280 291 312.
Constantini,C. II 776.
Cotter,A.C. I 62; II 66 102 428! HI 1 23 33 35 88 117 161 285 383 738 767 800 803 804 813 842 845 867 871 899 1278.
Cottolengo,!. III 1240.
Couchoud.P.L. II 366 369s 374.
Coué,E. *(coueismus)* II 492.
Courtade.G. IV 21 218.
Craig,C.T. III 247 391 1007.
Crammer III 1257.
Cremer,H. IV 29.
Crets.G.J. IV 140.
Criado.R. II 639; IV 46 67 149 160.
Crisôstomo de Pamplona IV 89.
Crispus II 697.
Cristiani.L. II 773.
Crivelli.C. III 1244.
Crosta III 151.
Cuadrado.G. IV 218.
Cuadrado,J.M.“ I 83.
Cullmann,O. III 27 28 161 168 169 185 198 271 291 329 342 382 391 429 458 784.
Cumcnt,M. II 567.
Cuq,E. III 1343.
Cureton,W. II 226; III 175.
Cyprianus (S) II 227 328 674 676 734 751 756; HI 16 227 232 327 394 413 419s 427 435s 486 500 594 617 620 844 1060 1063 1102 1150 1162 1175 1181 1273 1345: IV 64 71.
Cyrillus Alexand. (S) III 243 619 823 840.
Cyrillus Hierosolymitanus (S) II 263; III 236 823 1175 1192; IV 38 55.

Daffara.P.M. I 1.
D'Ailly.P. III 471 596.
Dain Cohel IV 218.
D'Alès.A. I 37; II 704; III 650 871 1257.
D'Angers,J.E. I 80.
Dalman.G. II 395.
Damasus (S) II 228 697; III 415 422SS 426s 582 610 621 624.
Damen.C. III 910.
Daniel III 52 244.
DanielouJ. III 382 736.
Daremberg III 191 1343.
Dausch.P. II 437 439; IV 138.

David,P. III 192 737.
De Abârzuza.F.X. I 35.
De Aldama.J.A. III 899 1090.
De Ambroggi.P. IV 29 218.
De Ausejo.S. IV 219.
De Becdelievre.A. III 720.
De Bonniot.J. II 486.
De BrittoJ. (S) III 725.
De Broglie III 151.
De Capua,V. III 178.
De Castro Alonso,Em. I 35.
De Elizalde,M. I 79.
De Frame,J. IV 78.
De Ghellinck.J. II 91; III 648 854.
De Granada, L. I 76; II 668 720 740; IV 268.
De Grandmaison, L. II 41 270 363 366 381 384 446 474 486 488SS 500s 540s 543SS 571 646 665 690 774; III 70 75s 175 754 1258.
De Groot,J.V. III 22 151 161 250 277 313 372 383 441 SOI 591 638 658 674 677 684 697s 730 738 767 813 836 841 842 845 867 871 880 884 899 908 914 926 957 1052 1148 1168 1209 1279 1292 1344.
De GuibertJ. III 9 23 151 313 459 471s 486 491 499 510 591 596 638 684 689 698 738 754 784 813 845 884 1016 1026 1042 1045 1052 1068 1087 1090 1119 1148 1150 1168 1193 1209 1215 1236 1284 1293.
De Haes,P. II 541.
De Hassia Henr. III 596.
D'Herbigny.M. I 1; III 21 27 35 37 40 88 117 142 151 161 175 198 207s 250 259 271s 285 292 313 33° 344 367 368 371 372 383 390 391 413 416 423 441 458s 491 499 501 540 591 597 608 638 650 656 681 683 684 871 884 914 936 943 951 972 1007 1015 1016 1025 1026 1045 1052 1053 1054 1068 1074 1087 1090 1093 1113 1116 1119 1128 1156 1193 1200 1209 1215 1216 1224 1225 1232 1239 '243 1245 1251 1257 1259 1262 1267 1276 1280 1293.
De Heredia,C.M. II 182.
De Hulst,M. IV 109.
Deimel,L. III 972 981.
De Irâizoz.P. II 774.
De Iriarte,M. II 464.
Deismann III 150.
Deismus II 64 70.
Dejaifve.G. III 382.
De Jerphanion.G. II 464.
De la Brière.Y. III 24 35 1148 1209.
De Labriolle,P. 11 382.
De La Palma,L. II 775.
De la Taille,M. III 151.
De la Vallée Poussin.L. II 469.
De Leôn.L. II 639 646 700 724; IV 160 268.
De l'Epinois.H. III 683.
D'Elia,P. II 776.
De Ligny,F. II 770.
Delmée.A. III 1127.
Dell III 168 182.
De Loosten.Dr. (G.Lomer) II 450.
Del Paramo,S. II 597; IV 217SS.
De Lubac III 24 150 761 928 972 1010.
De Moreau,E II 737 74t.
De Nasau.I. III 191.
Deneffe III 767 806 909 913.
Denis.L. III 23.
Dennefeld III 222.
Denzinger.H. I 6 36; III 907.
De Poulpiquet.A. III 24 1209.
De Regia II 544.
De Ribadeneira.P. II 770.
De Rossi,I. II 199.
De San III 22 151 285 313 529 638 697 730 767 1008 1016 1042 1045 1052 1053 1148 1168 1209 1279 1292; IV 3s 121.
Descartes III 860.
Dechamps,V.A. 1 74 85; II 671; III 8s 911.
Descoqs.P. II 3 14s.
De Solages,Br. III 736.
D'Espierres.A. III 1224.
De Spinola,A. III 191.
DespontJ. III 1224.
De SuancesJ.G. II 772.
*Determinista*e II 165.
De Tonquédec.J. II 138 160.
De Tuya.M. IV 125 217SS.
De Ulloa,J. II 183...
Deubner III 1169.
De Val.H. I 35.
De Vine.F. IV 221.
De Vooght.P. III 737.
De Vregille III 683.
De Vries,W. III 760.
De WolfJ. II 183.

Dhanis.E. Ill 754.
Diatessaron Tatiani II 226; III 174 178.
Diaz,J. I 36; IV I.
Di Bartolo,S. IV 109.
Dibelius.M. II 258 430.
Di Capua,F. HI 650.
Didache III 340 751 1162.
Diderot,D. II 250.
DidiotJ. I 62.
Didon.H. II 772.
Didymus Alexand. (S) III 240 821; IV 64.
Dieckmann.H. I 1 38 56 64 86; II 1 3 18 22ss 34 45s 57 62 66 76 83 90s 94 99 109s 129 132 134 138 142 160 162 248 250s 363 376 384 387 394S 401 406 415 421 428 430 437 439 444 446 449S 464s 472 474' 478 485s 488 497 540 543-546 567 572 574 651 665 689 711; III I 9 21 27 33 35 37 40 74 75 84 88 90 93 no 112 117 123 142 150s 154 161 175 179 181 208 2.44 277 285 29· 313 321 330 353 372 383 411 418 429 432s 435 438 501 520 527 538 540 573 578 581 591 600 638 650 658 663 674 676 695 698 702 720 726 730 737 738 754 761 813 845 871 880 884 899 908 914 972 1016 1045 1052 1053 1054 1063 1090 1209 1276 1284 1293.
Diekamp.F. I 35; III 676 899.
Di Favio.G. I 33.
Dikae III 191.
Dillenschneider.C. Ill 1010.
DillersbergerJ. Ill 1010.
Dillmann.A. II 578.
Dio Cassius II 697 741.
Dionysius Alexandrinus II 270s.
Dionysius Areopagita (S) II 697.
Dionysius (S), Corinth. II 331; III 417 431·.
Dionysiensis III 1331.
Dodwell.H. II 737 761.
DbllingerJo.Ig. I 84; II 674; III 259 291 390 474 597.
Dominicus (S) III 1234 1238.
Domitilla II 697.
Donat,J. Ill 957.
Donatistae III 290 783 941 i°73 lO74 1186.
Donatus Ep. Ill 582.
Donoso Cortés I 83; II 648; IV 269.
Dorado,G.G. II 194 259 307 357 361; III 221.
Dorsch.Ae. I 62: II X27 175 186 500 648 651 668 689 711 724; III 22 88 117 151 161 250 277 313 330 372 471 501 540 573 591 638 641 650 657 684 689 698 738 762 767 813 845 859 871 899 908 914 936 972 1007 1016 1026 1042 1045 1052 xo68 X087 1090 1113 in6 1119 IΓ43 1145 1148 1193 1209 1215 1217 1267 1280 1284 1292; IV 3 44 92 113 140.
Drèws,A. II 366.
Driedo III 1168.
Dublanchy,E. Ill 24 313 447 596 638 640 645 657 754 1087.
Dubreil III 912.
Due,A. II 169 474.
Duggan,J. IV 109.
Du Manoir.H. Ill 928 1010.
Dumont,C. Ill 1127 1245.
Duncker.P.G. IV 67 286.
Dupanloup.M. II 771.
Dupin III 471.
Dupuis,Ch.F. II 364.
Durand,A. II 205 219 307 361 437 439 458; IV 3 50 75 89 148 X59 166 169 191 232 247.
Durandus de Osca IV 20.
Durrwell.F. II 642.

Eckermann II 307.
Eccledici III *126.*
Edler III 912.
Eduardus Rex (S) III 1234.
Egger,F. I 39; III 151; IV X76.
Eguiluz.A. Ill 760.
Ehrhard.A. II 668 740; III 179.
Eijân.S. II 773.
Ekardus III 865.
Eleutherius III 1227.
Eliachim III 192.
Elias Levita IV 61.
Elisabeth Lusit. (Sta) III 1234.
Elorduy.E. Ill 972.
Elorriaga.A.M. Ill 899.
Enciso.I. II 175 539; IV 218 286.
Engberding.H. HI 1010.
Ephraem(S) II 225s 263 483; III 174 178 237 823.
Epiphanius (S) II 263 279 290 307 309 3x4 367 483 5x2 534; HI 238

360 373 435s 437 622 753 762 796 840; IV 98 107 174.
Epistola ad Diognetum I 67; II 675 695.
Epivent III 1338.
Erasmus,D. II 237; IV 108 171.
Eschatologistae III 41 52 93s 142 146 154 317 343 et passim.
Espasa Signes,}. I 77.
Esteve,E.M. IV 90.
Estienne (Stephanus).R. II 211 237.
Estius III 373.
Estrix,G. II 116.
Eubel III 434 1252.
Eudaemonistae II 26.
Eugenius IV III 416 582 1094.
Eunomius, *eunomiani II 113 ; III* 624.
Euringer.S. III 179.
Euripides III 191.
Eusebius Caesariensis I 69; II 217 233 236 263s 266-271 273 277 279s 288 290s 301 309SS 321 328 331 375378483486496509512534 590 674 694 696s 743 745 747 750 756s 761 ; III 235 291 314s 357 3&7 427 435s 452 802 820s 1073 1306; IV 36 64 71.
Eutichianismus III 625 941.
Eutychius III 625 626 652.
Eva III 1040.
Evanson II 307.
Evolutionistae III 93 125 293 338-341 358SS 392 980 1179.
Eybel III 472.

Fabbi.F. IV 19r.
Fabro,C. I 19; III 28.
Falcon,I. I 62.
Favre.R. III 899 911.
Febroniani III 390 597.
Febronius III 166 257 440 472.
Feckes.C. III 972 981 1007 1010.
Fedele.P. III 1343.
Federer,K. III 760.
Feeney,L. III 1093 1094.
Feine.H.E. III 394.
Felder,H. I 62; II 428 446 540 774; HI 23 33 313 372 638 859 871 899 908 1052 1053 1284 1292; IV 4.
Felicitas (Sta) II 758.
Félix III III 622.
Felix,J. I 81; II 648.
Felten III 373.
Fénelon,F. I 45.
Fenton,J.C. III 669 1094.
FerdinandusI III 191.
Fernandez,A. III 1010.
Fernandez Femândez.P. I 35.
Fernandez Truyols.A. II 772; IV 169 192 209 216 218.
Fernandez Valbuena,R. II 12.
Fessler-Jungmann III 813.
Fetichismus II 13 16 83.
Fichte III 291.
Fideismus II 116.
Fierro,E.G. II 772.
Figuristae IV 212.
Filippi,A. III 908.
Fillion,L.C1. II 248 363 474 772; III 221; IV 2 223 264 269s 289.
FilograssiJ. III 754 805.
Firmilianus III 419.
Fischer,A. III 1224.
Fischer,J. II 611.
Fitzgerald III 912.
Flavianus III 631.
Flavius Clemens II 697.
Flavius losephus II 197 217 341 376SS 381s 483 507 509-518 527 637 763; IV 26 60 130.
Flick,M. III 754.
Florit,E. II 258; IV 3.
Fonck.L. II 474 486 489 496; III 166 176 179; IV 176.
Fonsegrive,G. I 86.
Forget,J. III 582.
Fortescue,A. III 1245.
Fouard.C. II 772.
Foullechat.D. III 865.
Foumier.R. I 62.
Fox.G. III 292.
Fraghi.S. III 1016 1026 1045 1052 1053 1068.
Fragmentum Muratorianum II 292 301 311 ; IV 29 46 71.
Franca,L. I 49.
Franciscus Assisiensis (S) II 256; III 1234 1238.
Franciscus Salesius (S) I 75.
Franquesa.P. III 909; IV 218.
Fransen.P. III 911.
Frassen.Cl. I 34.
Franzelin.I.B. III 20 88 117 151 277 285 313s 373 383 439 442 501 594 600 638 641 648 658 662 674 689 692 700 711 714 738 767 787 813 839 845 884 899 908 911 913 914 972 1016 1026 1045 1052 1053

IO87 IO9O 1284 1291 1293 1294 I32O 1328 1335 I339 1343 1344; IV 3s ii 21 44 56 75 108 m 138 140 148 156 161 164.
Fraticelli III 290 743 885 1022 1074 1186.
Frenaud.G. Ill 1010.
Frey,I.B. II 192.
Fridericus II II 250 704.
Fridericus Barbarrossa II 718.
Froebes.J. II 492.
Frôvig.D.A. II 401 430.
Frohschammer II 94 112s; III 511 708 717 721 743 865.
Fuchs,los. Ill 1284 1292.
Fugel II 776.
Fulgentius (S) III 1033 1060 1103.
Funk.F.X. II 275 285 295 303 756; III 16 176 310 315 353 403s S69 818 844; IV 69.

Gâchter.P. II 194 219 259 268 271 274 277SS 283s 289 297 303 307 318 320332 351 353 356s 361 370 557; III 218 382; IV 29 58.
Gagnebet.M.R. I 1; III 735 805.
Gaius III 431 432.
Galbiati.E. IV 176.
Galdos.R. II 206 213 610; IV 25.
Galileo Galilei III 656 682; IV 249.
Gallicanum Psalterium II 206.
Gallicani III 29 166 472-475 593 595 596s 601 647 943 945 1338.
Gallicanismus III 123 166 396 472-475 596 597 601 942.
Galonio.D. II 747.
Gams,P.B. Ill 1252.
Gandolfi III 912.
Gante,E. de I 1.
Garcia de Santa Maria,A. I 73.
Garcia,F. Ill 24 714 761 899 910 936.
Garcia Garces,N. Ill 1010; IV 280.
Garcia Villada.Z. Ill 414 420 425 618 852 1238.
Garcia y G. de Castro,R. I 83.
Garciadiego.A. Ill 1163.
Gardeil.A. I 38; III 899.
Gardette.L. II 13.
Garmendia de Otaola.A. Ill 1127.
Garrigou-Lagrange.R. I 62 72; II 45 62 90 99 101 127 164 428 689; HI 33 736.
Garrucci.R. Ill 244.
Gartner,P. II 307.
Garzend.L. Ill 909 913.
Gasser,Ep. II 82; IU 549 594 595 599 608 639 687 704 71r 787 890 907 910 912 1340 1342; IV 16 79.
Gastaldi III 1331·
Gelasius I III 98 402 427 446 611 626 819.
Gelin III 317.
Gellius III 886.
Gemelli,A. Ill 683.
Gemma (S) Gallgani III 1235.
Georgius,Pb. Ill 582.
Gerhardus, Io. II 134; IV 45.
Gerson, Ioan. Ill 471 596.
Getino III 250.
Giacchi.O. Ill 683.
Gibbon,E. II 690 737.
Girens.M. I 25.
Gil Ulecia.A. II 193; IV 2.
Giles,E. Ill 25 383.
Gillet,M. Ill roio.
Giordani.I. Ill 1243.
Girgensohn.K. II 19.
Gisler.A. II 60.
Gits,A. Ill 718.
Gladstone III 597.
Glez.G. Ill 416 457.
Gloege.G. III 41 154 342.
Gnostici III 509 783 1150.
Goebel,B. I 62; IV 4.
Goemans III 64t.
GoenagaJ. II 773.
Goettsberger.J. II 632.
Goetz K.G. II 546; III r82.
Goguel.M. II 363 541 769 775; III 41 94s 125s 167 173 342 393.
Goma Civit,I. IV 292.
Gomâ Tomàs.I. II 775; III 34; IV 223 280.
Gômez-Bravo,V. II 773.
Gommenginger,A. Ill 1054 1063.
Gonet.Io.B. I 34.
Gonzalez,T. Ill 591.
Gonzâlez-Blanco.E. II 484.
Gonzalez Moral,I. III 938.
Gonzalez Ruiz,J.M. II 539 623.
Goodier.A. II 775.
Goossens.W. Ill 972 1007.
Gordillo,M. Ill 26 166 394.
Gore.C. IV 109.
Gorge,D. IV 292.
Gormaz,J.B. II 183.

Gottlob Paulus,H.E. II 251 475 501 534 544 771.
Goupil,A.-A. I 35; IV 3s.
Graber,R. III 52 180 214.
Grabmann.M. I 33; III 9 20 291 471 596 848 852 854855 856 871s 997.
Graeci III 599.
Graf.P. I 74.
Graffin III 187 236.
Gramatica.L. III 1239.
Granderath.Th. III 20 161 250 333s 387 396 443 459 461 472s 475S 591 601 638 642 687 908 910.
Grass (Berendts-Grass) II 376.
Grasso,D. III 426.
Gratianus III 1343.
GrausemJ.P. II 138.
Grea III 277.
Grégoire,H. II 737.
Gregorius,M. (S) III 73s 150 487 550 572 582 627 653 820 823 990 1063 IO65 IO82 I237; IV 40 120 122 257 266 278.
Gregorius VII (S) III 1064.
Gregorius X III 416 582.
Gregorius XII III 582.
Gregorius XVI I 46; III 565 1330; IV 286.
Gregorius Nazianzenus (S) II 519 721; III 239 588 844 852; IV 118 143.
Gregorius Nyssenus (S) II 483; III 239 753 796 844; IV 38.
Gregory,C.R. II 223.
Gregorovius.F. III 1282.
Greith III 912.
Gresham Machen,J. II 183.
Griesbach.Io.Iac. II 239.
Griffe,E. II 737.
Grill III 173.
Grillmeier.A. III 416 457.
Grimm,J. II 771.
Grisar III 416.
Grivec.F. III 151 972 1156.
Groot, Hugo de (Grotius) I 79; II 347 535.
Gruechn.W. II 19.
Grumel.V. III 1245 1272.
Guarnieri.A.F. III 1054.
Guenther I 8; II 94; III 5'' 7°. 743 861.
Guerrero,E. II 774.
Guggenberger.K. III 1239.
Guggisberg III 394.
Guidi III 1342.
Guierry III 1338.
Guignebert.Ch. II 363 769.
Guilelmus a S.A. III 865.
Guilelmus da Thoco III 874.
Guillén.J. II 744.
GuirandJ. III 970.
Gummersbach,J. I 35.
Gunkel.H. II 546.
Gut,B. II 193s 322; IV 2 n 57 75 106 109 128 136 138 140 169 192.
Gutberlet,G. I 62 84.
Gutierrez,D. I 33.
Gutwenger.E. II 269.

Hadrianus I III 402 427 446 582.
Hadrianus II III 582 623 629 633.
Hadrianus, Imp. II 381.
Haeckel,E. II 449.
HallerJ. III 168 394 430.
Hamer,J. III 168 382.
Hammerstein (de) L. III 1292.
Hanahoe.E.F. III 1127.
Haneberg.D. IV 78.
HardonJ.A. II 163 572.
Harent.S. I 46; II 115.
Harnack,A. III 40 43 93 124 126 167 174 178 179 34° 393 4°4 433 821 1023 1128 1157. Vide *Von Harnack.*
HartJ.H.A. III 182.
Hartel.G. III 1060 1063 1345.
Hatch III 126 340.
Haugg.D. III 972 981.
Haussleiter III 315.
Havet.E. II 737.
Hedde.R. II 731.
Hefele III 474 912.
Hefele-Lec. III 582 1339.
Hegel III 358.
Hegemonius IV 19.
Hegesippus II 375; III 350 357s 435s 1162.
Heiler.F. III 26 41 94 151 166 169 391 426 550 598 980 1023 1051 1127 1156 1168 1215 1243 1245 1246 1249 1259 1263 1266.
Heimbucher.M. III 1240.
Heiner,F. III 28.
Heinisch.P. II 582 588 631.
Heisenberg,W. II 169.
Hellin,I. II 48.
Henricus IV II 718.
Henricus VI III 1257.

Henry,A.M. III 1010.
Henze.Cl.M. II 394.
Heraclea,Th. ab II 226.
Heracleon II 319.
Heras,H. II 89 469.
Herbert,E. I 78.
Herder II 544; III 1173 1224.
Hergenroether.C. III 291 622..
Heribertus III 1065.
Herkenne.H. II 597.
Hermann,Io. III 899.
HermasIII 176 1162; IV 64.
Hennes,G. I 46; II 94; III 511 865.
Hermesiani II 37 117 122s.
Hermias I 67.
HerrmannJ. I 35.
Herding,L. II 341 694 740; III 1224.
Hervé,J.M. I 35; III 23 151 1026 1052.
Herzog,G. II 487.
Hesichius II 232 236.
Hettinger.F. I 62 84; II 500s 534; III 674; IV 4.
Hetzenhauer.M. II 240.
Heussi III 430.
Heyse.Th. II 214.
Hiacyntus (S) III 1234.
Hierocles II 483 486.
Hieronymus (S) II 203 205s 227s 263 270 273 279 290 301 311 313 32° 331 474 520 535 629 697s 704 760; HI 75 115 133 213 314s 372 377-381 415 427 435s 500 618 650 796 818 823 840 844 987 1060 1103 1173 1275 1313 1314; IV 19 39 65s 72 98 107 116s 133 143 145 160 163 174 191s 199 215 219 222 275s 280 287 289 292 294.
Hilarius (S) II 721 745 749; III 72 228 650 823 840 1060 1162; IV 266.
Hilgenfeld II 253; III 430.
Hillaire.A. I 63.
Himerius III 401 426.
Hinduisti III 1224.
Hippolytus (S) II 697 714; III 315 435s: IV 36 64 118 174.
Hirsch,W. II 450.
Hitos,F.A. II 754.
Hocedez.E. I 33; II 730.
HδρA,H. II 193S 322 357; IV 2 it 57 75 106 109 128 136 138 140 169 192 280 283.
Hofbauer,}. II 582.
HoffmannJ.G.H. II 769.
Hoffmann,pictor II 776.
Hoffmann,R.A. 11 546.
Hoffmann.K. I 37; III 1343.
Holden,H. IV 108.
Hole.W. II 776.
Holl III 95.
Hollweck III 439.
Holstein,H. III 1007 1010.
Holsten II 253.
Holtzclau.Th. I 35.
Holtzmann.H.I. II 256 307 357 452; HI 40 339·
Holtzmann,O. II 401 451 476 543.
Holzer,O. III 981.
Holzmeister.U. II 369; III 551 300 335 371s 429 520.
Honorius (Papa) III 489 654s 680.
Hontheim.I.N. III 257.
Horatius,Fl.Q. II 86.
Hormisdas III 402 427 612 622 626 633·
Hom.E. III 851.
Hom.K. III 214.
Hort.F.J.A. II 240 242 292 329.
Hosius III 582.
Housse.R. II 773.
Huarte.G. III 899 908.
HubyJ. II 12 194 270 278 469 774; III 13 177 181 792.
Huck,A. II 345.
Huerth,F. III 662.
Huet.P.D. I 80.
Hugo a S.Caro II 210.
Hugo a S.Victore III 854.
Hugon.E. I 35; III 1010 1115.
Humanismus III 859.
Hume.D. II 171.
Hummel.E.L. II 730.
Hurtado,G. II 48.
Hurter,H. I 35 37 39; II 668 688 711 724; III 151 638 674 698 701 714 724 972 1167 1168; IV 4.
Hus,J. III 166 290 337 390 721 861 865 885 942 1022 1072 1077 1128 1186.
Hyginus III 436.

lacob III 187.
lacobatius III 277.
lacobilae III 1036 1094.
lacobus III 363.
lacobus ben Chaiim II 199.

lacobus Viterbien. III18.
lannotta III 448.
lansenistae III 166 258 390 472 548 597 668 701 708 719 720 826 859 1075 1186 1338.
lansenius III 719 720 1254.
lanus III 191.
Iba Ed III 651 653.
Ibanez Arana,A. IV 216 219.
Ignatius Antiochenus (S) II 247 283 l 295 319 340 724; III 16 140 310 339 353 354 360 367s 370 373 403-409 427 431 569 616 844 1102 1162s; IV 69.
Ignatius de Loyola (S) II 19 86 156 709; III-1234 1238; IV 15 293.
*Illuminist*ae III 291 295s 743.
Immisch.O. III 182.
Indifferentismus III 1093s.
Indifferentistae II 36; III 1125s.
Innocentius I (S) III 401 425 427 611 ; IV 46.
Innocentius II III 582 614 721.
Innocentius III III 267 270 280 416 446 582 1094 1247; IV 20.
Innocentius IV III 582.
Innocentius X III 98 258 719s 1254.
Innocentius XII III 719.
Innocentius XIII III 823.
loachim Abbas III 291 861.
loannes (S) III 355.
loannes II III 622.
loannes XV III 1230.
loannes XXII III 620 656 681 874 885 945·
loannes a Cruce (S) II 181; III 725 823 1234.
loannes a S.Thoma I 34; III 442 855 871 879·
loannes Chrysostomus (S) II 263 272 279 500 5'9 535 569 689 714 762; III 241 273 276 372 753 796 799 823 840 968 987 1033 1196 1277; IV 38 118 122 191 274 443.
loannes Constantinopolitanus III 150.
loannes Damascenus (S) I 72; III 820 823 848 852.
loannes de Avila (B) I 51 76; IV 231 268 292.
loannes de Deo (S) III 1234 1240.
loannes De. III 582.
loannes Eudes (S) III 1235.
loannes Naz. (S) III 823.
loannes Nepomucenus (S) II 734; 1II 737.
losephinistae III 944.
losephus II II 718; III 944.
losephus Flavius, vide *Flavius losephus.*
Irenaeus (S) I 67; II 325 265s 271 273 277 281 288 292 295s 301 311 314 320s 328 337 350 483 695 697 742 745 761; III 16 176 310 315 355 357 358 370373 410s 418 427 43' 435S 500 509 570 616 752 762 767 783 794 795 796 798 799 802 803 814 1033 1102 1150 1162 1167 1175 1181 1192 1227; IV 35 64 69SS 174.
Irene Ip. III 582.
Irenislae III 668 708 735s 1007 1051 1093s 1126.
IriarteJ. II 653.
Irving III 292.
Isidorus Hispalensis (S) I 71 ; II 206; III 372 820 823 852; IV 40.
Isidorus Pelusiota IV 215.
Iudaei III 1224.
lulianus, apostata II 677 697 718 721 ; IV 115.
Iulius I (S) III 401 421 427 619.
Iulius II III 582.
Iulius III III 582.
Iulius Africanus III 357.
lung.N. II 83.
lunilius Africanus IV 66.
lustinianus I III 582 622 627 652 653 1343·
lustinus (S) I 67; II 235 247 275 280 285 295 319 483 543 551 675 695 697 745 747 752; HI '73 176 3'4s 751 1192; IV 34 64 69 98 118 174·
luvenalis II 674.

Jacquemet.G. I 37; III 24 1278.
Jacquier,E. II270 296 353 556; III 95·
Jaffe,Ph. III 401.
Jahn,Io. IV 67 82s.
Jalland.T.G. III 426 453 1249.
Jansen,A. III 1127 1272.
Javierre.A.M. III 341 382.
Jechonias III 135.
Jensen,P. II 366.
Jeremias.A. II 363.
Jeremias.J. III 177 186 191.
Jiménez de Cisneros,F. II 2tt 237·
Jiménez Font.L-M. II 775·

Jolly,J.A. IV a.
Jorg.P. Ill 258.
Joüon.P. Ill 37 133.
Journet,Ch. I j; ill 1 24 '5' 277 344 382 458 598 677 899 939 99° 993 1000 1007 1009 1010 1016 1045 1052 1087 ii13 11'6 n18 1175 1207 1284 1292.
Jousse,M. II 351.
Jülicher,A. II 256 307 357 363 401·
Jugie.M. Ill i 24 26 166 170 259 391 448 548 598 783 942 979 1093 1169 1186 1209 1215 1216 I2t8 1243 1245 1246 1259 1262 1263 1264 1267 1271.
Junker,H. II 591 638.
Jurgensmeier,F. Ill 972 1010.
Jurieu.P. Ill 123 1093 1128 1156 1157 ''79-
Jüssen.K. I 35.

Kaeppeli.Th. Ill 997.
Kalt,Ed. II 384; III 1173.
Kalthoff.A. II 365.
Kant,E. II 20s 26 59.
Kappler,E. I 19.
Karrer.O. Ill 28 161 169 382 458.
Kastner,F. Ill 981.
Kattenbusch.F. Ill 151 179.
Keble III 1257.
Keim,Th. II 253 270 307 321.
Kempf,C. II 682.
Kempis.T. Ill 34.
Kennicot.B. II 199.
Kenrick III 912.
Kephas III 187s 204.
Kerekhove.M. Ill 1290 1343.
Kerkvoorde.A. Ill 24.
Kidd III 394·
Èilber.H. I 35; III 1026 1042 1052 1053·
Kilber.K. Ill 899.
King.J.H. II 16.
Kirch,C. I 36.
Kirschbaum, III 429 430.
Kittel,G. II 46 9l 199 247; III 53 135 X41 148 151 175 177 '86 191 361 37' l IV 31.
KlausnerJ. II 379 449 483 775·
Kleutgen.I. I 35; III 9 151 638 642 710 871s 908 910s 913 1001 1004 1095 1343; IV 4 78.
Klostermann.E. II 363.
Knabenbauer.I. II 259 278 289 297 307 427 437 439 47's 520 597 611 627 629 631 638 646; III 53 70s 75 103 105 136 175 192 221 301 303 3°9 373 564 608 75° 952 989 995 1138 1173; IV 135 140.
Knabenbauer-Merk III 797.
Kneib,Ph. I 62.
Kneller.C.A. II 737; III 179 339.
Koch,J. Ill 885.
KôgelJ. IV 29.
Kohler,Th. Ill 1010.
Kônig.F. II 12.
Kôsters.L. I l; II 428 446 540 769 774; III 24 142 150 899 972.
Kohl III 191.
Kopler.L. II 437.
Korff.Th. II 546·
Koster,D. Ill 981.
Krebs,E. III 1278.
Krose.H.A. Ill 1224.
Kuemmel III 168 173 181.
Kuhaupt.W. II 546.
Kunicic.P.J. I 19.

Laberthonnière.L. II 138 141.
Labourdette.M. Ill 735 736 805 882 899 909 1007.
Lachman,Car. II 240.
Lacordaire.H. I 81; II 648.
Lactantius I 69; II 5 496 676 745s 748 750; III 315 821 1102 1192.
Lagrange,M.J. II 60 219 248 270 278 307 3'8s 34' 357 385 427 437 439 471s 633 772; III 28 70 75 136 173 176 180 214; IV 50 68 92 176.
Lahousse.G. II l 186.
Laicismus III 944.
Laicistae III 945.
Lainez.D. Ill 374 607; IV 160.
Lakner.F. I 19; III 9 872.
Lambert,G. Ill 135.
Lamennais,F. I 3.
Lamping,S. II 659.
Lamy.B. IV 67.
Lamy.T.J. Ill 178 337·
Land III 1257.
Landgraf.L. Ill 899 972·
Lang,A. 162 76; III l 24 884 909 9'3·
Lang,A. (1844-1912) II 17.
Lang.H. Ill 972.
Lange.H. Ill 9.
Langen III 259 597·

Langton,Steph. II 210; III 13.
Larrainzar,V.M.a II 772.
Larranaga.V. IV 109.
Laurentius,S. II 751 753.
Laurin,J.-R. I 69.
Launoy III 472 597.
Laurentin, R. III 1010.
Latitudinarii III 494 1125 1126 1156 1157 1179.
Leal,Io. II 194 270 345 554 774; IV 218 292.
Le Bachelet,X.M. I 38 64; III 681; IV 148.
Lebreton.J. II 567 772.
Le Camus,E.P. II 772.
Lecky II 690.
LeclerJ. III 939.
Leclerq.H. II 487 694 747; III 474.
LecuyerJ. III 1010.
Ledôchowski Wlod. III 880.
Legistae III 548 942.
Legrand III 151.
Lehmann,E. II 12.
Leibnitz,G. I 47.
Leimbach.K.A. II 594.
Lemonnyer.A. IV 158.
Lennerz.H. III 714 861 899 1010.
Lenormant.F. IV 108.
Leo.M. (S) III 34 233 260 267 312 394 402 416 425 427 457 572 582 621 625 631 823 1247.
Leo IIIII 582.
Leo IX III 170 402 427 470 550 613; IV 20.
Leo X III 416 582 823 1230 1254.
LeoXIIII 7 23; II 187 19s 262 660s 685s; III 3 us 17 33 48 97 105 128s 136 163 170s 186 21i 260 268 294 3035s 312 345 352 399 445S 476 478 488 SG 523 607 673 677 692 721 823 838 872 873 874 875 877 879 881 886 920 927 946 974 983 985 992 1006 1129 1130 1132 IJ33 1135 1138 1154 1158 1251 1295 1296 1298 1301 1303 1307 1343 I34S; IV i 22 87s 112 T15 131 172 176SS 187 191s 218 222 279 286 289s.
Leo Isauricus III 941.
Leon-Dufour,X. II 194.
Leonardi,Ioan, (S) III 1235.
Leopoldus III 944.
Lépicier.A.M. II 160.
Lepin.M. II 307 357 363 384 774-
Lercher.L. I 35 86; II 14 22 24 34 90 99 105 127 422 428 446 451s 459 463 567 644 648 65i 657 668 (vide *SchlagenhaufenJ*; III 9 23 35 88 177 151 161 285 313 330 373 383 429 441 447 459 491 501 528 540 573 591 609 638 640 658 689 698 714 738 767 803 813 836 845 871 874 908 914 972 1026 1052 1053 1087 1090 1119 1148 1168 1182 1209 1267 1318 1344; IV 4 97 106 118 121 128.
Lercher-Mitzka III 899.
Lcrcher-Schlagen III 1029 1068 m3 1118 1284 1292 !3i7.Vide *Schlagenhaufen.*
Lerinensis.V. (S) III 689 753 757 758 767 796 802 819 832 835 1162.
Le Roy.E. II 60 543.
Leroy,P. II 775.
Lesêtre.H. II 379; III 317.
Lessing,G.E. II 59 250 348 475 543.
Lessius.L. IV 78s 139.
LeubaJ.L. III 100 151.
Levesque,E. III 597.
LevieJ. II 345.
LhermitteJ. II 564.
Lialine III 1007 1127.
Liber Pontificalis III 367 436.
Liberales III 945.
Liberalismus III 944.
Liberius (S) III 422 427 650 680.
Liegé.A. Ill 993 1007.
Lietzmann III 176 429s 432.
Lightfoot III 93 125 339 404 433·
Liguori.A.M. de (S) III 823.
Lilley,A.L. Ill 28.
Linder,J. II 394 396 585 632s; IV .776.
Linton,O. Ill 27 90 150s 185 339·
Linus III 360 436s.
Liparensis III 1331.
Lippert,P. Ill 24.
Lippi,J. II 469 627; III 1245.
Liturgia mozarabica III 1032.
Llamas,]. II 369.
Llorca.B. Ill 970 1238 1273.
Lodulphus a Saxonia II 769.
Loisy.A. II 60 256 307 357 36! 363 446 545; III 41 94 154 168 181; IV 67 109 118 138 X74 176.
Lombardus.P. I 34; III 852 854.
Lomer.G. II 450.
Longpré.E. II 94.

Lôpez.F. IV 205.
Loosen,J. Ill 981.
Loserth.L. Ill 1022.
Lossada.L. de II 48.
Lottini.Io. I 35.
Lubbock,J. II 16.
Lucanus, haereticus II 331.
Lucas Brugensis II 214.
Lucentius Ep. III 582.
Lucianus, antioch. II 236.
Lucianus, ethnicus II 677.
Ludovicus Rex (S) III 1234.
Ludwig,J. III 136.
Luetgert III 95.
Luis,A. III 1010.
Lukyn Williams,A. II 576.
Lull (Lulius),R. (B) II 94.
Lupanus II 489.
Lusseau.H. II 193 270; IV 2s 75 92.
Luther III 166 257 291 329 390 548 865 943 1023 1074 1128 1254; IV 45 67.
Lutherani III 914 979 '023 1128 1157 1169 1244 1251.
Lyonnet.S. II 229.

Macarius Magnes III 242.
Macaulay,Th.B. II 721.
Maccarrone,M. III 250 260.
Macedonius III 624.
MacHalle III 1339.
Machiavellistae II 26.
Madariaga,B. I 30.
MadozJ. II 680 724; III 25 383 401 414 819 832 835 928 1005.
Magdalena de Pazzis (Sta) II 724.
Magismus II 13 16.
Magnin.E. II 3.
Magrini.Ae. I 1 53.
Mahomet II 489 497.
Mahometans III 1224.
Maillet.G. II 464.
Maimonides II 644.
Mainage.Th. I 49; II 659 7°7-
Maisonneuve,L. I 38 64.
Maldonado,I. I 1 25; II 37·
Malevez.L. I 20; III 1007.
Manes III 291.
Mangenot.E. I 37; II 205 259 278 289 332 540 545 571 ; III 70; IV 3 44 57 75 92 106 148 151 161 169 23 is.
Maniacornia.N. II 209.
Manichaei III 291 1150.
Manismus II 13 16 83.
Manning,H. I 82; III 910.
Manuale Tolet. Ill 1032.
Manzoni.A. I 84.
Marchai III 330 371 372 1257.
Marchesi,F.M. Ill 1292 1344.
Marcion II 235 280 291 295 310 331 340 374; III 509; IV 58 70.
Marcotte,E. I 76.
Maret III 597.
Margarita M. de Alacoque (Sta) II 56 724·
Maria Goretti (Sta) II 734 754.
Mariana,Io. Ill 74; IV 148 160.
Marim III 651.
Marin Negueruela.N. I 63; II 12 486.
Marin-Sola III 754 762 889 899 913
Marinus, centurio II 697 751.
Marinus,De. Ill 582.
MaritainJ. Ill 873.
Marius Maximus II 489.
Marius Victorinus III 228 272.
Maroto III 638 674.
Marquerye III 912.
Marranzini, A. I 25.
Marsilius Patavinus III 123 166 257 261 337 39° 865 885942 945 1170.
Marti,R. I 73; II 574 633.
Martil.G. Ill 783 795 835.
Martimort.A.G. Ill 471 472 597.
Martin,Conr. II 502; III 911s 1224.
Martin,V. Ill 596.
Martinez.E. IV 195.
Martinez,J.J. II 773.
Martinus I Papa III 628 827 833.
Martinus V III 582.
Martinus Legionensis (S) 173.
Martinus Tour (S) III 1238.
Marucchi III 429.
Marxuach.F. de P. I 62; II 48.
Mason III 150.
Massiliensis III 1331.
Massones III 292..
MausbachJ. Ill 28.
Mazzella.C. I 35 62 84; III 22 151 250 277 285 313 374 441 487 638 899 1026 1052s 1053 1148 67 1168 1209 1292 1344; IV 140.
McCarty,!. Ill 1010.
McGinley,L.J. II 258.
Méchineau.L. II 259 278 289 345·

Médebielle.A. Ill 2490 136 142 175 186 208.
Medina,β. I 76.
Meinertz.M. Ill 24 34 40 88 150 161 303 382 972; IV 45·
Melanchthon III 859 1343.
Meletius III 415.
Melito Sardensis (S) II 483; IV 64.
Mendive,!. I 35 83; III 151 441 899 1167.
Menéndez Pelayo,M. I 83.
Menna III 622.
Menzel,A. II 704.
Mercati,A. Ill 1065.
Merk.A. II 193 196 202 205 219 223 241 322 345 350 353 357 361 387: III 175 178 681 792 794 800 1010; IV 2 n 57 92 138s 148 169.
Mersch.E. Ill 151 972 1005 1007 1284 1293.
Meschler.M. II 773 775.
Messia III 192.
Methodius (S) III 1033; IV 64.
Metzinger,A. II 357.
Metzner III 429.
Meyer,A. II 545s.
Meyer,E. Ill 40 179.
Michael Cerularius III 170 391 402 470.
Michael Palaeologus IV 20.
Michaelis,J.D. IV 74.
Michaud III 597.
Michel,A. II90 175 464 769; III 767.
Michelitsch.A. I 62; III 23 151 250 277 313 638 657 684 698 767 871 884 899 914 1008 1026 1052 1053 1113 1115 1209 1230 1234 1254 125s 1284 1293; IV 4.
Michiels.G. Ill 330 371s 678 1019.
Midrasch III 135.
Migne.J.P. I 36.
Mill,Io. II 239.
MillâsJ.M. I 73s.
Millenarismus III 314-317 326 839 844.
Miller,A. IV 216 2x8.
Minges,P. I 39.
Minucius Felix I 67; II 674 676; III 1x92.
Mir.Io.I 83; II 12.
Miralles SbertJ. II 94.
Mirbt.C. Ill 25.
Mithra III 191.
Mitterer,A. III 972 981 1000 1007.
Modernismus III 787 881 1270.
Modermstae II passim; III 26 28 29 41 93s 167 293 343 392 511 668 669 701 7'7 743 744 785 826 860 861 865 919 944 1157 1179 X293; IV passim.
Moehler.A. I 84.
Moesinger.G. Ill 178 237.
Mohamedismus II 704 761.
Molina,L. de I 53; II 48; III 1041 1052.
Molinos,M. de I 27.
Molland.E. Ill 382.
Mommsen,Th. 11 737.
Moneti III 1331.
Monnier III 93.
Monophysismus III 622 1073.
Monotheletae III 655 941.
Monotheletismus III 628 833.
Monsabré.J.M.L. II 648.
Montagnus III 884.
Montague.G. Ill 1010.
Montanistae III 291 314 353 427 620 743 1072; IV 98.
Montanus III 291 314 359.
Montcheuil.Y. Ill 24.
Montini.I.B. II 138.
Morel,V. HI 1007 1093.
Moreno Cebada.E. II 12.
Morin,Io. IV 160.
Mormones III 292 317.
Morrondo III 3x4.
Mors,I. I 35.
Mosbech.H. Ill 88.
Moske III 95.
Moyses III 232 244.
Mucius Scaevola II 755.
Müller.A. Ill 769 χοιο.
Müller.I. II 1 500 519s 535 S4° 544 668 686 703s 71i 724 726s 729 756 761; III 807 812 871; IV 3s 121 128.
Müller,K. III 1023.
Müller-Kolde III 780 784 943.
Muller,M. III 1010.
Muncunill.Io. II 1 69 102 574 648 650s 689 698 7x1 729; III 22 151 161 212 313 330 372 383 439 441 459 486 501 529 584 591 638 650s 655 658 674 679 684 698 738 766 767 807 813 836 842 845 884 908 914 936 957 971 972 1016 1026 1045 1052 1053 1083 1087 1143

II45 II48 II93 1209 1215 1267; IV 3S.
Mundle III 95.
MûneraJ. II 775.
Munier.U. I 35.
Muniz,F.P. I t.
Munoz, José de Jesûs II 364.
Munoz,P. II 169.
Munoz Iglesias,S. II 175; IV l 149 160 217s.
Mura.E. Ill 972 1010 1284 1293 1307.
Muratôn.L. II 292.
Murillo,L. II 345 574 578; III 151; IV 176.
Murphy,F.X. Ill 382.
Murray III 189 1167 1168.
Musger.I. Ill 1010.
Musulmani Ill 291.
Mysticismus III 981.

Nàcar.E. II 609; IV l 164 205.
Nadal,Hier. II 658 776; IV 280 293·
Napoleo I II 718.
Nationalistae III 941.
Naturalismus III 95 669 729 941 980.
Naturalistae III 92 691 700 708 729 785 919 980 1293.
Nau.P. Ill 645 648.
Navarro Neum.M.M.ß III 682.
Nepomucenus.Io. Ill 737.
Nereus et Achilleus II 697.
Nestle,E. II 240.
Nestoriani III 840.
Nestorianismus III 625 941.
Nestorius III 416 624 626 652.
Neubauer,Ig. I 35.
Newman,lo.H. I 82; II 116; IV 109.
Nicolas, Aug. I 8r.
Nicolas,}. Ill 909 1010 1293.
Nicolau.M. I l 11 17 19 21 25 49 51 76; II 659 705 710 776; IV 293.
Nicolaus I III 170 402 427 470 612 629.
Nightingale III 1257.
NinckJ. II 775.
NisiusJ.B. IV 232.
Nober.P. Ill 382.
Nobili-Vitelleschi III 1339.
Noldin.H. IV 42.
Norden,E. II 353.
Nothomb III 1007.
Notscher.F. II 629.
Novatiani III 1073 1074 **II5°** 1186.
Nuytzi III 440.

Oecumenistae III 28 43 127 247 291 39l 494 548 598 944 946 1007 1025 1093 1125 1127 1156s 1169 1179 1243 1245 1264.
Oecumenius III 372.
Oepke.A. Ill 168 185.
Ogara.F. II 632; IV 50.
Olivi,P.J. de III 291 865.
Olivier,B. Ill 1127.
Ollé-Laprune,L. I 86.
Onclin, W. Ill 939 1293.
Ontologi II 94.
Onate,J.A. Ill 35 76; IV 217.
Oppenheim,Ph. Ill roro.
Optatus Milevitanus (S) III 229 367 414 427 435s 500 959 1073 1138 1162.
Orientales Schismatici III 26 29 166 171 257 259 293 391 470s 494 548 598 599 783 942 972 979 1093 1156 1169 1179 1186 1216 1224 1242 1245 1246 1247 1249 1250 1252 1253 1254 1260 1261 1263 1264 1338.
Origenes I 69; II 204 205 233 264 268 273 277 280 291 295 301 310 331 337 375 474 483 543 571 687 696SS 761; III 75 173 176 234 303 314 355 431 57° 752 759 796 799 802 821 1063 1102 1192; IV 29 37 64 70s 122 143 202 212 266.
Orland,J. II 169.
Ortiz de Urbina,I. Ill 1010.
Osma.P. de III 865.
Otten,B. I 35.
Ottiger.Ig. I 62 84; II 76 186 428 550s 574 648 651 665 668 689 729 739 751 758 761; III 20 33 117 151 161 225 285 313 383 404 433 439 441 501 520 538 803 936 1090 1148 1175 1209 1215 1234 1254 1255 1259.
Otto.K. II 544.
Otto.R. II 451 478 546.
Ovidius,Publius N. II 687 704; III 886.

Pacheco,P. IV 162.
Pachomius (S) III 1238.
Padanus (S) 1150 1162 1175.
Paderbornensis,Ep. Ill 9 1339 1342.

Pagano,S. IV 78.
Palmer III 1126 1156.
Palmés,F.M. II 182.
Palmieri,D. II 634; III 20 117 151 161 208 250 277 285 300 313 330 383 439 441 459 498 501 525 529 540 591 609 638 640 650 637 658 674 677 684 698 714 762 899 936 972 1008 1015 1026 1052 1087 1090 1113 1116 1122 1148 1209 1284 1292 1344·
Pamphilus (S) II 236.
Panchristiani III 391 494 944 1007 1051 1093 1125 1127 1156 1169 1179 1245 i204.Vide Oecumenis-*tae*.
Pannier,E. III 1173.
Pantaenus Alexandrinus II 264 273 277.
Papadopoulos III 166 394.
Papias II 266-271 277 282 288 296 313 320s 342 349; III 315 431 751 796.
Papini.G. II 773.
Parente,P. I 35; HI 23 33 899 1007 1026 1052 1053.
Paris,G.M. III 313 899.
Parisot III 187 236.
Parker III 1257.
Parmensis III 1339.
Pascal,B. I 80.
Paschasius Ep. III 582.
Paschasius Quesnel III 1075.
Passaglia.C. III 20 277.
Pastor,L. III 683.
Patritius,F.X. II 345.
Patrizi III 373.
Paulinus III 415.
Paulsen,Fr. II 14.
Paulus III III 582.
Paulus IV IV 286.
Paulus V III 729.
Pauly-Wissowa III 191 1290 1343.
Pauvert II 771.
Peinador.M. IV 218.
Pelagiani III 1073.
Pelagius I III 372 402 427 495 627 1060.
Pelagius II 111 495 612.
Pelster.F. III 851 856 864 871 880.
Pelz.C. III 981.
Penido.L. I 49; II 91 705.
Pena.M. III 1054.
Penafort.R. (S) III 1234.
Perego.A. III 736.
Pérès,J.L. II 364.
Pérez Ayala.M. III 911.
Pérez Castro.F. I 73.
Pérez de Urbel.J. II 773.
Pérez del PulgarJ.A. II 169.
Perler.O. III 413·
Perrella.G.M. II 193; IV 2 50.
Perrone,I. I 35 84; II 711 718; III 372s 442; IV 4.
Pesch.Ch. I 35; II 127 134 489 574; III 22 151 277 313 372s 374 430 638 641 650 655s 674 677 681 684 689 698 803 806 836 841 845 899 908 911 936 957 1026 1052 1119 1209; IV 3 ii 14 26 27 29 44 56 75 79 82 92 106 io8ss 113s 123 125 128 130 135 136 138 140 145 169 176 191s 206 218s.
Pessimistae III 290 295 1186.
Petavius.D. III 330371 372SS 838972
Peters,N. IV 176.
Petisco.I.M. IV 164.
Petrus (S) III 14 66 67.
Petrus Ab. III 582.
Petrus Chrysologus (S) III 435s 619 823.
Petrus Claver (S) III 1234.
Petrus Damianus (S) III 823.
Petrus Lombardus I 34; HI 852 854.
Petrus,M. III 942.
Petrus Pb. III 582.
Pfanmüller.G. II 769 775.
Pfister,O. II 490; III 1258.
Pfleiderer.O. II 104 452 501.
Philaretus Moskoviensis III 1051 1156 1245.
Philipon.M. III 928 1010.
Philippus IV P. III 942.
Philippus Pb. III 582.
Philo II 321; IV 26 98 130.
Philostratus II 486.
Philoxenus II 226; III 1032.
Phillips-Crouzet HI 1293.
Phillips.G. III 24 1284 1293 1343.
Photinus III 624.
Photius III 166 170 402 470 599 629 941 945·
Pickl.J. II 773.
Pie.Ep.Pictavien. HI 9 442 911.
Pilati Acta II 380 551.
Pinard de la Boullaye.H. II 1 4 12 22 160 363s 384 500 540 546 568 574 648 665 689 704 775; III 754.

Pinto.M. I 17.
Piolanti III 317 1010.
Pirot.L. I 37; III 48 103 135 222 317 792 797 1173; IV 32 158 280.
Pirot-Bardy III 564.
Pistorienses III 123 166 257 290 337 390 472 548 597 701 708 729 861 944 1075 1128 1186.
Pithou III 472.
Pius I II 292.
Pius IV II 213; III 582; IV 286.
Pius V (S) II 213; III 823 874.
Pius VI II 613; III 130 294 723 729 861 945
Pius VII III 402.
Pius VIII III 823.
Pius IX II 37 ii2ss 155 184 367 453S 502 579 650 671 691 713 738 762; III 211 257 312 352 391 402 4'6 427 440 475 495 55° 55' 552 565 582 601 669 673 708 717 721 726 729 744 760 823 861 895 920 945 1010 1056 1094 1106 1126; IV 161.
Pius X (S) I 7s; II 139 184 214; III 28 41 44 128 130 293 392 673 717 744 785 787 853 861 876 877 881 1008 1010 1064; IV 22 248 287.
Pius XI I 23 27 29; II 56 661 685; III 17 44 428 494 5'3 54' 565 725 759 760 823 826 866 876 877 882 920 927 928 944 946 979 984 1064 1093 1129 1130 1132 1235.
Pius XIII 7s 21 23 26; II 73 '69245 661; III 1734 8497 128s 130 151SS 171 198 211 260 284 335 345 352 374 399 405 4'6 447 457 458 476 5'4 54' 552 565 568 692 696 708s 725s 73' 735S 744 756 760 787 805 806 823 856 865 872 878s 882 909 920 927 928 946 972 974 979 984s 989 990 992 1006s 1010 1029 1056SS 1075s 1093s 1129s 1132 1223 1227 1238 1285 1295s 1299 130 is 1303 1305 1307 '343 1345; IV I 22 112 172 177s 187 191 199 213 227 281 287.
Place III 151 912.
Planck.M. II 169.
Plantin.Christ. II 238.
Plato Kijovensis III 1156.
Platzeck.E. I 1.
Plinius II 221.
Plinius Secundus Minor II 380s 505 695 732 74'·
Plotinus II 85.
PlumpeJ.C. HI 928.
Pohl.W. II I.
PohleJ. I 35.
Polliaco (de)J. III 865.
Polycarpus (S) II 265s 275 295 311 319 321 340 756 758; III 368 751 818 844 1163; IV 64 69.
Polycarpus,Chorepisc.Philoxeni II 226.
Polycrates III 359.
Pomponia Graecina II 697.
Ponce de Leôn.J.M. II 1 428.
Pontificale Rom. III 1064.
Porphyrius II 337 474 697; IV 115.
Poulpiquet III 24 1209.
Prado,J. II 193 345 597; IV 2 32 57 158 183 192 218.
Prat.F. II 464 557 772; III 75 330 37' 372 972; IV 176.
Presbyteriani III 337 390 1251.
Priscillianistae III 424 621 625.
Priscillianus III 424.
Procopovitch III 783.
Profiessores instituti Biblici IV 126.
Progressionistae II 81.
Proiectus Ep. III 582.
Protestantes III 26s 29 123 166 290SS 293 3'7 337 390 43° 494 5'° 548 565 566 683 691 780 784 826 859 861 919 943 945 979 1072 1074 1077 1128 1150 1156 1157 1169 1179 1186 1224 1242 1243 1244 1245 1247 1248 1250 1251 1253 1254 1255 1256 1257 1270 1271 1292 1338 1343.
Protestantes liberales II 178.
Protestantismus III 942 1230 1234.
Prudentius II 744; III 414 427 618.
Prümm.K. II 12 181 704.
Przywara.E. III 1007.
Ptolemaeus, haereticus II 314 319.
Ptolemaeus Evergetes I et II II 202.
Ptolomaeus Philadelphus II 202.
Puerto,G. III 1093.
Pufendorf III 123.
Puig.N. I 35.
Puigrefagut.R. II 169.
Purilani III 1186.
Pusey III 1126 1156.
Puzo.F. II X93 351·

Quadratus (S) I 67; II 375 483 697.
Quaker! III 292.
Quenstedt.A. IV 130.
Quentin,H. II 205.
Quesnel.P. III 1128 1186; IV 284.
Quietismus III 981.
Quilliet.H. III 884.

Rabanos.R, IV 90.
Rabeau.G. I 1.
Rabeneck.I. III 1041.
Racine,Io. IV 268.
Rahner,H. I 19; III 928 1010.
Rahner.K. I 35; II 68oss 736; III 972 1007 1045.
Raitz v.Frentz.E. II 19.
Ramadié III 1339.
Rabaldi,G. III 754.
Ramirez,I.M. III 871.
Ramos III 316.
Ranft III 767.
Ranke III 178.
Rasnussen.E. II 450.
Rationalismus I 3; II 64 70 81 99 105 248 260 et passim; III 944 980 1270 et passim.
Rationalistae III 26 27 29 40 42 47s 92 123 124 142 146 154 167 258 338 342 393 5'' 691 700 708 717 743 744 785 826 859 919 944 980 1128 1157 1179 1293.
Ratisbonensis III 909s.
Rauschen.G. III 25.
Rauscher III 401 1339 1341.
Regalistae III 548 1338.
Regatillo.E.F. III 1223 1343.
Reginaldus Piper. III 855.
Reichling.D. III 850.
Reimarus.H.S. II 59 250 449 475 543 77'.
Reinach.Th. II 363.
Reinhard,W. III 28.
Reinhold,G. III 23.
Renan,E. II 171 251 256 401 476 546 551 690 569 771.
Rengstorf.X. III 90 516.
Resch,A. II 348; III 173.
Reusch III 597.
Réville,A. II 256 357 543.
Reville,Io. II 307.
Rhodes,G. II 48.
RiazaJ.M. II 169.
Ricciotti.G. II 772.
Richard,P. II 24 34.
Richardus a S.Victorc I 77 762.
Richer III 123 166 337 472 597.
Richeriani III 164 171.
Riedmann.A. II 773; III 24 151.
Rigoristae III 1186.
Rinetti.P. III 928.
Ritschl.A. II 22; III 92 125 154.
Rituale Romanum III 1032 1041.
Riudor.I. III roio.
Rivet III 912.
RivièreJ. II 60 689; III 28; IV 234.
Rivo.P. de III 865.
Robert,A. II 193; IV 2 196.
Roberts.C.H. II 224 320.
Robertson,J.M. II 366.
Robinson III 125.
Robleda.O. III 939.
Robles Dégano.Ph. II 678.
Rocca,A. II 213.
Rodrigo,L. III 333 678 940 1016 1019 1283.
Rodriguez,I. II 744.
Rogerius.Baco II 210.
Rohling.A. IV 108.
Roig Gironella.I. II 138.
Romeyer,B. II 138.
Rondet.H. III 1010.
Rosa.E. III 28.
Rosadini.S. II 194 253 259 268 270s 275 278 288s 296 307 319 321s 325 332 345 357 439 554! HI 13 175 797.
Roschini.G. III 1010.
Rosenmüller,G. II 578.
Rosmini.A. de II 94; III 721.
Rouët de Joumel.M.J. I 36; II 292.
Roulers.M. III 1290 1343.
Rousselot.P. II 171 183.
Rubio y Ors,J. I 83.
Ruffini III 330 371 372.
Ruffino.G. III 638 641.
Rufinus III 650 821.
Ruinart,Th. II 737 740 747 756.
Ruiz Bueno,D. I 35; II 730 740.
Ruwet.Io. IV 57.

Sabatier II 256 307; III 43 154 1023 1128 1157.
Sadoc Szabo III 871.
Saenz de Aguirre III 591.
SagüésJ. III 317 839.
Sailer.Io. IV 216.
Salambier.L. III 1278.
SalaverriJ. III 17 18 nos 127 160

3S7 471 Soi 516 596 623 645 657 658 66g 677 71i 786 795 805 820 827 832 833 850 861 884 909 910 922936979 1023 1161 1163 1175 1184 1196 1207 1284 1305 1342SS.
Sales,M. III 564; IV 169.
Salgado,P. II 773.
Salmanticenses I 34.
Salmerôn.A. IV 160.
Salomonis Odae HI 176.
Salvatorelli.L. II 363.
Samuel Talus III 852.
Sanchez Cantôn.F.J. II 776.
Sanday.W. II 578: IV 109.
Sanderus III 1150.
Sanoner.G. II 77.
Santamaria,J.A. III 775.
Santamaria,P. de I 73.
Santos Olivera,B. IV 125.
Sanz.F.M. III 1127.
Sarabia,J.M. III 394.
Sasse.I.B. II 89.
Sauras,E. I 18; III 972 1009 1010 1016 1026 1032 X045 1054 1067.
Savi.P. IV 109.
Savonarola,H. I 74
Scaglia III 244.
Schamasch III 191.
Schanz.P. I 84.
Scheeben,M.I. I 35; II 90; III 638 674 899 908 91i 1010 1284 1292.
Scheel,O. IV 45.
Schegg.P. II 771.
Schell.H. II 142.
Schenkl.H. III 851.
Schepens III 179.
Schiffini.S. I 62; III 674 899; IV 3 no.
Schill III 313.
Schlagenhaufen.F. I 64 71 ; II 99 121 127 129 148 153 175 182s 376 647 651 703 724 727; III 23 151 373 429 908 1026 1318; IV 4 97 106 II8 J2I.
Schlatter,A. II 430.
Schlegel III 291.
Schleirmacher.F.E.D II 22 134; III 92 125 339.
Schlund,R. III 9.
Schmaus.M. I 35.
Schmid,F. II 500; IV 140.
Schmid,J. III 136 303.
Schmidt,A. III 760.
Schmidt,G. II 12 17.
Schmidt.K.L. II 258; III 141 148 150s 154 175 177 185 34, 566.
Schmiedel.P.W. II 401 545.
Schneemann.G. III 638; IV 78.
Schnitzer III 41 X54 173.
Scholz,I.M. II 239.
Schouppe.F.X. I 35; IV 4.
Schrader,C. III 20 501 813.
Schrôder.Ch.M. II 32.
Schuerer III 145.
Schuetz III 92.
Schulemann.G. II 469.
Schulte III597.
Schultes,R.M. III 1 22 35 117 151 161 313 383 441 459 498 501 506 591 638 658 674 673 684 698 714 720 738 754 766 767 813 836 842 845 871 879 884 899 908 914 930 936 1026 1052 1053 1068 1087 1113 1119 1168 1209 12x2 12x6 1284 1292.
Schultze III 1169.
Schulz-Fink III 1240.
Schumacher,H. II 437.
Schwartz III 357.
Schwarzenberg III 912.
Schweitzer,A. II 769; III 41.
SchweiglJ. III 1246.
Scio,Ph. IV 164.
Scotus.I.Duns I 1 34 53.
Sebastian,F. IV 218.
Sebastianus (S) III 432.
Seeberg.R. III 169 179.
Segarra,F. III 70 72 74 76 214.
Segismundus Ip. III 582.
Segna.F. III 22.
SemeriaJ. IV 109.
Semiariani III 621.
Semifideismus II 116.
Semirationalismus III 669.
Semirationalistae II 94; III 511 668 700 717 743 744 860 865.
Sender,J.S. IV 74.
Semmelroth.O. III 24 1010.
Seneca II 674 683.
Senestrey (Ratisbonensis) III 909s.
Serapion de Thmuis IV 19.
Sergius Paulus II 697.
Serrano,L. I 73.
Seufert III 92.
Severus Ant. III 1032.
Sheen,F. III 972.
Sickenbcrger.J. III 179.

Silva-Tarouca III 454 623 633 650 652 654 94«·
Silvester I (S) III 421 427 582 62:.
Silvius III 373.
Silvius Dux III 1064.
Simeon III 48.
Simôn.H. II 193s 259 307 357 361 582; III 37 53 75S «°3 221; IV 2 32 158-
Simon.R. IV 82.
Simonet.A· I 72·
Simor Ep. Ill 552 907 9ns.
Simplicius III 611 622.
Siri.G. Ill 24.
Siricius (S) III 401 424SS 427.
Sixtus V II 213; III 656 681 823 861 1230; IV 166 286.
Skrinjar.A. II 639s 642.
Slavicek.J. II 134.
Smeets.U. I 82.
Smit,I. II 498.
Smith,W.B. II 366.
Sobnam III 192.
Socialistae III 944.
Sociniani II 430; III 290.
Socott.S.H. Ill 1249.
Socrates, historiographus II 519; III 650.
Soederblom III 291.
Sofia Bonat (S) III 1235.
Soglia,!. Ill 1293.
Sohier.A. II 116.
Sohm III 93 127 169 341 394.
Soiron.Th. I 1; III 972 981.
Sola,J. II 772.
SolâJ.M. II 632.
Solanoj. Ill 1184.
Soltan II 307.
Soloviev III 270.
Soltau III 167 173.
Solyman III 191.
Sommervogel.C. II 770.
Sotillo Rod.L. Ill 939 1284 1292 1336 «343-
Soto.D. Ill 441.
Souben.I. II 648.
Sozomenos II 328 519 677; III 650.
Spicil.Th. Ill 25 391 598 638 1054 ri86 1215.
Spartianus II 489.
Specht,Th. I 62; III 313; IV 4.
Spedalieri III 705 726.
Spencer,H. II 16s.
Spiazzi.R. Ill 738 754.
Spinoza,B. I 78; II 171 249.
Spiridon.S. II 328.
Spiritismus II 165 182 498.
«Spirituales» III 291 1022.
Spiritualistae III 42 92 4 2·
Spitta.F. II 544·
Stanislaus de Kostka (S) III 725.
Stapleton,Th. Ill 19 1168.
Statistae III 945.
Stefini.A. II 345.
Stegmiiller-Koster III 735 805.
Steidle.B. Ill 813 1345.
SteinmüllerJ.E. II 193s; IV 2.
Steinwenter III 1290 1343.
Stentrup.F.A. II 727; IV 3s.
Stephanus (S) III 68 401 1273.
Stephanus Pap. Ill 620.
Stephanus Ep. III 582.
Stephanus,Rob. Ill 13.
Steuemagel.C. II 578.
Stickler,A.M. Ill 40X 939.
Stolz,A. I 1; II 183; III 23 638 641 899 908 1010 tox6 1026 1045 1052 1053 1068 1284 1293.
Stolz,W. Ill 127.
Stonner.A. IV 284.
Strack,H. II 341 379 443; III 136 145 169 177 186 191 361 1062.
Strack-Billerbeck III 135s 145 169 177 186 191 361 1062.
Strater.P. Ill 1010.
Straub,A. Ill 20 117 151 161 208 212 250 255 297 285 305 310 313 383 433 44« 447 459 49« 499 527 528 540 591 609 638 640 657 658 674 675 678 684 698 762 899 908 914 929 936 972 1016 1019 1026 «045 1052 1053 1087 1090 1148 1168 1192 1209 1279 1284 1292 «344-
Strauss,F. II 171 252 307 357 370 387 475 501 534 544s 771.
Streffe II 544.
Streit,C. Ill 1239.
Strotmann III 1007.
Stuart Mill II 165.
Suarez,F. I 3 34 53 77; II 45 48 102 115s 121 127 474 656 734; III 8 18 35 88 117 151 158 t6i 250 277 285 330 374 383 439 441 49« 501 540 591 593 657 658 684 698 726 728 738 767 848 855 884 936 972 1016 1024 1036 1037 1040 1043 «049 1052 1054 1068 1093

III9 II48 1167 II68 1209 1284 1291 1330 1342; IV 169 205.
Suermondt III 855.
Suetonius Tranquil.C. II 380 486 488 505 509 511 697 752.
Suhard.E. IV 180.
Sulpicius Severus III 315.
Sundar Singh II 490; III 1258.
SurbledJ. II 182.
Sureda Blanes.F. II 94.
Sutcliffe,E.F. IV 218.
Swedenborg III 292.
Swete III 150 357.
Sylbius.F. III 913.
Syllabus III 701.
SYMBOLA:
— *Apostolicum* III 1152.
— *Chalcedonense* III 622.
— *Conc.Lugd.* III 1152.
— *Leonis IX* III 1152.
— *Nicaenum* III 696.
— *Nicaeno-Const.* III 1152.
— *Tridentinum* III 696 1152.
Synod.Pistoriensis III 597 723 729.

Tacchi Venturi,P. II 12.
Tacitus,C. II 341s 380 486 488s 505 508-511 674 694 697 699 741 747 761.
Talmud HI 135; IV 61.
Tamburini III 440 472.
Tanner,A. III 18 441.
Tanquerey.Ad. I 35 64; II 574 674 683 690 744; III 23 151 899 908 1016 1026 1052 1053; IV 4.
Taoist-Sintoisti III 1224.
Tarasius III 402.
Tarquini,C. III 1292 1344.
Tatianus I 67; II 226 235 285 295; III 174 178s 821.
Tauchnitz.B. II 721.
Taymans d'Eypernon II 134 138.
Teixeira Leite,M. III 151 972.
TellecheaJ.I. I 1.
Temifio.A. IV 218.
Teppa.A.M. HI 907.
Teppe.G.B. I 35; IV 4.
Teresia (Sta) II 19; III 1234,
Teresia a lesu Infante (Sta) II 724· III 1235.
Temant.P. IV 219.
Terrien,J.B. III 1010 1030 1052.
Tertullianus I 67s; II 141 146 227 264 273 280 291 295 301 310 328 380 483 505 567 674 676 678 681 688 695SS 699 749 752; III 141 173 176 226 284 291 315 355 358 367 394 412 427 431 435SS 509 570 617 620 750 751 752 762 767 783 796 802 803 804 821 834 886 1022s 1033 1060 1162 1181 1192 1227 1245 1257; IV 50 55 64 70s 98 130 266.
Theiner.A. IV no.
Theis,J. II 627.
Theodas II 569.
Theodoretus II 519 744; III 372 652 835; IV 39.
Theodorus III 652 653 721.
Theodosius I III 422 427 582.
Theodosius II III 582 941.
Theodotus II 319.
Theodulphus II 209.
Theophilus Antiochenus (S) I 67; II 319; III 1192; IV 35 69.
Theophylactus III 372.
Theudas II 507.
Thiel HI 626.
Thielen III 405.
Thils.G. I 20; III 1093 1150 1209 1212 1217 1267 1268 1269 1271.
Thoma, II 307.
Thomas Aquinas (S) I 3 10s 18 23s 30 34 72 77; II 4 29 41 45 66 86 102 i6oss 164 176s 183 186 490 499 704 733S 755s; HI 8 18 35 46 70 72 74 76 noss 155-158 160 203 219 284 299 303 312 349 371 372 450 488 501 536 540 546 564 591 673 684 687 688 697s 701 718 726 729 730 738 747 756 758 762 767 770 823 842 848 855 871 872 873 874 875 876 877 878 879 880 881 882 883 889 913 915 927 930 93› 936 972 975 979 9»7 99° 992 997 998 1000 1016 1020 1021 1024 1025 1039 1041 1043 1044 1047 1048 1049 1063 1065 1087 1097 1103 1104 1106 1148 1150 1182 1184 1234 1277 1281 1284 1289 1290 J291 1298 1306 1307 1308 1313; IV 91 113 125 146 169 188 195 198 203 209 215 217SS 254.
Thomismus III 881.
Thucidides II 342.
Tihamér Tôth II 775.
Tillmann.F. II 394.

Timotheus III 375.
Tischendorf.C. II 214 225 240 242.
Titus Livius II 342.
Tixeront III 314.
Tobac-Coppens II 646.
Toledo,F. de II 213; III 18 213 855 972.
Tomkins,O.S. III 391.
Torres,A. II 775.
Torres Amat.F. IV 164.
Totemismus II 12.
Toumely III 313 472.
Traditionalismus II 81.
Traianus II 380s.
Trevirensis III 912.
Tricot,A. II 193; IV 2 196.
Tromp.S. II 1 62 68 no 127 129 183 185 415 490 500 540s 544s 574 576 648 651 659 689 703s 729 737 739; HI 76 151 487 506 800 928 972 990 1006 1007 1010 1040 1061 1276 1293; IV 3 n 75 93 106 109 113 123 136 141 167.
Trullâs.M. II 774.
Tryphon IV 64.
Tuai,M. I 65s.
Turchi.N. II 12.
Turmel III 394.
Turner III 357.
Turrado.L. III 371; IV 218s 259.
Turrecremata.I. de III 18 277 383 884 1052 1292 1342.
Tusquets.J. I 63.
Tuyaerts.M. III 899.
Tylor.E.T. II 16s.
Tyrrell,G. II 60; III 41.
Tyszkiewicz.S. III 24 26 1209.

Ueding.L. I 36.
Ugarte de Ercilla.E. Il 474.
Ultricuria.N. de III 717 865.
UmbergJ.B. I 36.
Ungarelli.Al. II 214.
Urban,I. III 1025.
Urbanus VIII III 656 682 719 1230.
Urrâburu.I.I. II 48.
Urrutia III 1257.

Vacandard III 683 970.
Vacant,A. I 37; Il 65 76 90; III 5°t 552 583 648 899 1150; IV 232.
Vaccari.A. II 196 202 205 213 219 227 229 322 329 597 6 615; III 13 178 681; IV 148 166 218s 230.
Vaganay.L. II 345 474.
Valencia.G. de I 34 77; III 18 441 855 913 1054·
Valensin.A. II 138.
Valentini,E. III 1212.
Valentinus II 295 319 331 340.
Valerga III 1333 1341 1342.
Vallois.R. III 191.
Van Cauwelaert III 417.
Vancsa III 1333.
Van de Eynde III 411 767 803.
Van der Heeren.A. II 597; IV 125.
Van der Hooght.E. II 199.
Van Espen III 472.
Van Hoonacker.A. II 571 627 638.
Van Hove,A. II 160.
Van Laak.H. I 62; II 69 174 428 534: III 33 151 313 318 324 372 382 383 404 459 472s 486 501 507 638 658 842 867 914 929 930 1016 1019 1026 1042 1052 1053 1083 1090 1148 1167 1168 1209; IV 3 106 i13 140.
Van Noort.G. I 35; II 1 711; III 23 151 313 638 714 899 1008 1026 1052 1053 1148 1209; IV 3s.
Van Roo, W.A. III 1106.
Vansteenberghe.E. III 1278.
Vargas.A. II 773.
Vâzquez.G. I 34; III 18 374 855; IV 205.
Vâzquez DoderoJ.L. II 773.
Vega.A. Ill 414; IV 160.
Velâzquez III 191.
Velleius III 886.
Vellico,A.M. Ill 22 330 372 374 596s 638 714 899 1016 1026 1030 1045 1052 1293.
Ventura.J. I 84.
Venturini,K.H. II 544.
Vercellone.C. II 214.
Verhaar.J.P. I 35.
Vermeersch.A. Ill 28.
Vetero-catholici III 259 390 597.
Veuillot.L. II 771.
Vianney.Ioan. (S) III 1235.
Victor I III 173 359 393 418 620.
Victoria,F. de III 18 250 277 374 9-
Victorious Petav. III 315.
Vidal III 573.
Vigilius III 582 627 651 652 633-

Vigouroux.F. I 37; IV 57.
Vilarino.R. II 773·
Villanova (S.Th. a) HI 1234.
Viller.M. II 68oss 736.
Villion.A. II 754·
Vincentius Ferrer (S) III 1234.
Vincentius Pb. III 582.
Vinayo.A. I 73.
Virgilius Maro (Publius) II 181.
Visser't Hooft.W. III 391.
Vitalis III 415.
Vitus Pb. III 582.
Viva.D. II 37.
Vives,L. I 74.
Vizmanos.F. de B. I 63 77; H 116 681 688.
Vodopivec.J. III 382 458 1007.
Vogtt.A. III 382.
Vogels,H.J. II 229 241.
Volaterranus III 1331.
Volkmar.G. II 253 387.
Volney.C.F. II 364.
Voltaire,F.M. II 171 250 364.
Von Dobschütz.E. II 546.
Von Dunin-Borkowski,St. III 24.
Von Gall,A. II 387.
Von Gelnhausen III 471.
Von Hamack,Ad. II 171 256 270s 307 321 357 401 418 422 425 437 452 477 545 678 690 696 712 737; III 40 43 92s 124 126 151 154 167 174 176 178s 340 393s 404 430433821 1023 1128 1157 1200.
Von Hummelauer,F. II 582 588 591 599; IV 176.
Von Ketteler III 1331.
Von Langenstein III 471
Von Pastor,L. III 1278.
Von Soden,H. II 223 232 241 307 363·
Vosté.I. II 205; IV 3 168 180.
Vrede, W. IV 32.

Wachsmann.A.M. II 19.
Waet,A. II 490.
Walafridus Strabo III 987.
WalgraveJ.H. I 82.
Waldenses III 1074 1094 1152.
Walenburch.P. III 803.
Wallon,G. II 771.
Walter,F. III 1293 »343·
Walton,B. II 238.
Weber,S. I 62.
Weimar III 1023.
Weinel.H. III 40.
Weiss,A.M. I 84; II 648.
Weiss.B. II 240 256 452 578·
Weiss,I. II 363 401 452; III 41 92 »54·
Weisse.H. II 307.
Weizsâcker,K. II 307; III 95 125 346 430·
Wellhausen,I. II 256 387.
Wendland III 94 151 »54 »69 342.
Wendt,H. II 307·
Werner,K. I 64.
Wemz.F.X. III 573 »°49 »29» 1292.
Wernz-Vidal III 864 1237 1283 1284 1292 1336.
Wesley III 1257.
Westcott.B.F. II 240 242 292 329.
WettsteinJ. II 223 239.
Weymouth,Fr.R. II 240.
Whitaker, W. II 134·
White,J. II 2x4 313·
WicleffJ. III 166 257 290 337 390 510 721 784 859 861 865 885 942 1022 1072 1186 1257.
Wieger.L. II 469.
Wieser III 291.
Wikenhauser.A. II 194 345; III 972, 981.
Wiliam,F.M. II 772.
Willpert.G. III 244.
Wilmers.G. II 1 127 186 428 500s 534 689s 699 7»» 729 752 761; III 22 33 88 117 151 250 277 285 302 3»3 33° 372 383 404 44» 540 591 638 658 674 679 684 698 701 738 884 899 908 9x4 929 972 1008 1013 1016 1025 1026 1045 1052 1053 m3 1119 1128 1167 1168 1209 1215 1292.
Windisch.H. II 363; III 179.
Wintemitz.M. II 351.
Wirceburgenses I 35; III 899 1026.
Wiseman,N. I 82.
Wordsworth,I. II 214 313.
Workmann.H.B. III 784.
Wrede, W. II 256 387 500.
Wunderle.G. II 19.
Wundt, W. II 22.

Xarrié,F. I 35.
Xavier,F. (S) III 1234.
Xiberta.B.M. I »; HI ».
Xystus (S) II 75»·

Yehuda Ha-Levi I 73·
Yelle.G. I 62.

Zahn,Th. II 292 3°3 3H; III 95 179 404; IV 68.
ZamezaJ. II 74°.
Zanini de Sole. III 865.
Zankow.St. III 166 291 391 598 979 1051 1093 1127 1156 1215 1245-
Zannecchia.D. IV 3 176 205.
Zapelena,T. III 22 35 40 64 74 75 76 88 117 151 IS9 161 180 227 249 250 285 288 303 313 318 330 371 374 381 404 411 413 417 442 448 455 486 491 501 507 54° 591 638 640 684 698 734 735 737 767 805s 819 830 832 908 914 916 972 1000 1006 1026 1045 1052 1087 1090 1107 mi 1119 1138 1143 1150 1168 1174 1193 1209 1212 1217 1218 1224 1239 1243 1244 1245 1246 1253 1264 1267 1278 1280 1284 1291s 1307 1336 1344.
ZaragüetaJ. II 648.
Zarb.S.M. IV 50 57.
Zeller,E. II 171.
Zigliara.Th.M. I 62 84; II 186.
Zinelli III 398 639 642 657. '
Zorell.F. II 46 91 160 247 395 421 472 597 611; III 37 90 142 186 192 224 300 361 520 564 769 922; IV 31 126.
Zosimus III 402 427 581 611.
Zubizarreta.V. I 35; III 23 151 313 638 684 698 1026 1052 1053; IV 4.
Zwinglius III 1254.

INDEX RERUM

N.B.–Numeri romani tractatum designant; arabici autem numeros marginales

Acaciana dissensio III 622.

Actio Dei ad extra eius natura II 48.

Actus Apostolorum auctor II 297-306; tempus compositionis 303; historicitas 353-356.

Adaptatio apologetica II 138.

«Ad Sinarum gentem», Encycl. Pii XII de subordinatione Primatui potestatum Ecclesiae III 130 374 476 5>4 692 744·

Adventus Domini futurus III 539.

«Aeterni Patris», Encycl. Leonis XIII de auctoritate S.Thomae III 872-881.

Amor in lesum eius proprietates II 724SS.

Analogia quid sit II 92; munus in theologia 91; analogia fidei IV 264.

Anathemata conciliorum III 911-913·

«Angeli» in Apocalypsi III 355SS 36is.

Anima Ecclesiae vel quasi-anima est Spiritus Sanctus III 976 983 985 990-993 1007-1015; anima et corpus Ecclesiae 1113-1118.

«Animus Noster», Alloc. Pii XII ad Univ. Gregorianam III 856 866 872 878 882.

Apocryphi libri IV 57; evangelia apocrypha et miracula II 484.

Apologetica eius natura et relatio ad theologiam fundamentalem I 39s; eius obiectum 41-44; veritates praesupponendae 45; status initialis mentis 46; certitudo obtinenda 47; utilitas 50s; relationes cum theologia 52-56; functio theologica 53; distinctio a theologia fundamentali 57; duae viae apo-

[Apologetica]

logeticae 59s; divisio et tractatus 61; apologetica practica et pastoralis 48s; saec. XVI et XVII agitur in tractatu de fide 77; apologetica immanentiae II 81 132; exclusive sumpta admitti nequit 138-141 149.

Apostata III 1047; non est Ecclesiae membrum 1055-1061.

Apostolatus ut critérium inspirationis IV 50; apostolatus S.Pauli III 106-109.

Apostoli eorum electio III 13; eorum infallibilitas 526SS 537SS; quatenus aliqua ignorare poterant 67; eorum intelligentia de fidei deposito 762; eorum auctoritas cum Petro et sub Petro 278SS 28oss; eorum dona extraordinaria 255 277SS; testes revelationis III 748SS; eorum modus in Apologetica I 66; eorum successores sunt Episcopi III 330-382.

«Apostolus» III 90; Apostolus gentium 69.

Apostolicitas est proprietas Ecclesiae III 1176-1181 1201SS; est nota Ecclesiae Romanae 1226s; eiusque solius 1277-1253.

Apparitiones lesu resuscitati II 554·

Aquila eius versio V.T. II 203SS.

Arca Noe, imago Ecclesiae III 1103s.

Archaeologica monumenta de S.Petro Primate III 244s 432 438.

Argumentum Scripturae et Traditionis differt a labore theologia biblicae et patristicae I 16.

Argumentum praescriptionis, III

[Argumentum praescriptionis] 803; id. ex SS.Patribus III 836-841.
Ariana controversia III 421SS 427.
Assensus debitus decretis S.Sedis III 666-673; eius natura 674SS 678; in definitione virtualiter revelatorum 714; assensus internus religiosus quid sit II 261.
Assistentia Spiritus Sancti III 505 709; distinguitur a revelatione et inspiratione 506.
Assumptionis dogma III 696 909.
Athei eorum species II 15; nulla gens sine religione 18; negant possibilitatem revelationis 64.
«Auctorem fidei», Const. Pii VI contra Pistorienses III 130 166 294 337 390 472 548 597 708 723 729 861 944s 1075 ’°77·
Auctoritas III 120; quid sit et quotuplex II 55; auctoritas Apostolorum III 278SS 280SS.
Authentia quid sit et quotuplex IV 148; librorum V.Testamenti II 215-219; Vulgatae II 331, III 681, IV 149-165; aliorum textuum i66ss.
Authenticum quid sit II 215. Vide Magisterium.

Baptismus fluminis, sanguinis, flaminis. rite, valide, fructuose collatus III 1021; requiritur et sufficit validus ad membrum Ecclesiae III 1027-1033 1043; necesse est ut sit validus 1034 1044.

Canon esdrinus, palaestinensis IV 60; alexandrinus 62.
Canones Vaticani III 911-913.
Canonizatio Sanctorum III 705 724-26 734ss; probat sanctitatem Ecclesiae 1230-1235; est obiectum infallibilitatis 725s.
Cantus galli II 534.
Caput Ecclesiae Christus III 975 982 985 980.
Capita Tridentini et Vaticani sunt definitiones II 65; III 906-912.
Cardiognosia in Iesu II 533.
Catalogi Apostolorum III 92 102; [Catalogi] Episcoporum 111 348-351; catalogus Liberianus Ill 360 435s.
Catechismus Tridentini 111 982SS 1009 1039 1057 1306.
Cathedra Petri III 227 229 413 415 437S.
Catholicitas est proprietas Ecclesiae III 1163-1175 1198SS; est nota Ecclesiae Romanae 1224s; eiusque solius 1247-1253.
Censura propositionum III886-905.
Certa propositio infallibiliter III 891 905; theologice 888 905; in theologia 904s.
Certitudo quid sit et eius species I 50, II 115; ante fidem praerequiritur de facto revelationis II 116-119; obiectum certitudinis ante fidem 120s; sufficit moralis, etiam vulgaris 122-125; et respectiva i26ss; certitudo propriae religionis 43.
Character Iesu II 464.
Christus habet triplex munus messianicum III 34 1285 1297 1299 1302 1304-1307 1344; potestatem auctoritatis et excellentiae 96 110; Dei Filius II 36; Messias 26 47 61; Rex 36 39 44; Legislator 44; Caput Ecclesiae III 975 982 985 989; Magister authenticus et infallibilis 516ss; Ecclesiam instituit 137.
Citationes implicitae et explicitae in S.Scriptura IV 176 186.
Clavis domus David III 192.
Codex Syro-sinaiticus III 175; Fuldensis III 178.
Cognitio Dei eius ignorantiae nequit diu inculpabilis esse II 1541.
Collegium Apostolorum III 88-105 254.
Comma loanneum IV 158 249.
Conceptus immediatus et mediatus, proprius ex propriis et proprius ex alienis, analogus II 96.
Conciliarismus III 471 596.
Concilium quid III 545; particulare, plenarium, provinciale, dioecesanum 545s 581.
Concilium oecumenicum eius notio III 576; ius vigens 573; fundamentum theologicum 574; iuris-

[Concilium oecumenicum]
dictio 466 476; potestas 575; convocatio 577; conditiones 578; confirmatio 579; numerus et nomina 582; infallibilitas 550 554-559 636-644.
Conclusio theologica III 701 716s 73° 735SS 888 898 904.
Conditio successionis in primatu III 387 397s 443 449.
Congregationes Romanae III 660 673 ; S.Officii 661 664.
Congrua cognitio religionis naturalis II 69.
Consensus Patrum III 824s; critérium Traditionis 827-835; conditiones requisitae 836s; theologorum 858 861; critérium Traditionis 863-866.
Constitutio socialis Ecclesiae III 36.
Conversio eius praeparatio I 49; historia conversionum II 659; argumentum apologeticum conversionum 705-710.
Cor Iesu eius cultus destinatur toti generi humano II 56; revelationes factae S.Margaritae 56.
Corinthiacum schisma III 417 427.
Corpus Christi mysticum notio III 973-977; est Ecclesia 987s; et quidem Ecclesia Catholica Romana too6s; cuius caput est Christus 975 982 985 989; et quasi-anima Spiritus Sanctus 976 983 985 990-993 1008-1015; iuxta S.Thomain 997-1000; iuxta Vaticanum toot-1006; eius habitudo ad Mariam toto.
Corpus et anima Ecclesiae III 1113-1118.
Correctoria biblica II 210.
Credenda III 909-13.
Credibilitatis motivum est Ecclesia per se ipsa III 1276s.
Critérium inspirationis II 43-55.
Critérium revelationis quid sit, eius species et divisiones II 130-133; criteria subiectiva non sunt primaria 134-137; immanentistica sunt insufficientia 138-141 ; interna doctrinae non sunt primaria 142-146; nisi per accidens 146; ultimum semper est aliquod signum divinum 147s; primarium
[Critérium revelationis]
est miraculum 149-152; miraculum est critérium etiam pro revelatione immediata 153; subiectiva et interna criteria habent utilitatem 154-159.
Critérium Traditionis quid et quotuplex III 815s; primarium est magisterium Ecclesiae 815 ; secundarium sed certum consensus Patrum 813-844; theologorum consensus est critérium 863-866.
Criticae textualis normae rationales II 243s; utilitas 245.
Cultus externi et socialis obligatio II 28-32.

Daemonium revelatio ab eo est per se nulla II 47.
Declaratio cleri gallicani III 472.
Decreta Concil. III 581.
Decreta pseudoisidoriana III 394.
Decreta S.Sedis quotuplicia III 660; decretorum indirectorum vis et natura 661-664; directorum doctrinalium 664; decreta virtualia 665; disciplinaria 703s 722s; decreta Congregationum et Commissionis de re biblica IV 248s.
De fide in genere III 889 891 905; divina 887 905; divina et catholica 894s 897 905 909; definita 900 905; divina definita 896 905; catholica in genere 898 905; catholica stricte 901 905; ecclesiastica 899 901.
Definitio ex cathedra III 594.
Depositum fidei III 689 692 787 909.
Deuterocanonici libri II 217.
Diaconi III 339s 368.
Discipulus Christi III 90.
Discretio revelationum privatarum II 1560; earum auctoritas III 761.
«Divini illius Magistri», Encycl. Pii XI III 513 565 920 927 928 984.
Divinitas Christi III 185 225; apologetice probata 32s; praesupponenda tractatui de Ecclesia 31s; affirmata a Iesu in sensu proprio et naturali II 428 446; cur de ea agatur in Theologia fundamentali 428, III 31SS.

Doctores Ecclesiae III 822s.
Doctrina catholica III 892s 905; credenda 909-913; infallibiliter certa 891 905; de fide et moribus 702 890; tuta 661-64 677; tenenda 909-913.
Doctrinae Iesu excellentia interna ut argumentum apologeticum II 678-688.
Dogma fidei III 896s 905.
Domus filiorum Dei est Ecclesia III 977 984s 994s.
Dona extraordinaria Apostolorum III 255 277-279; S.Petri 458.
Dubia expressa in Scriptura IV 124.
Dubium fidei non licet iis qui fidem sub Ecclesia magisterio susceperunt II 43.
Duodecim Apostoli III 90-105.

Ecclesia quid III 143-150 155-158; origo et significatio vocis 142-150 155-158; sensu lato et stricto 1040SS; coetus praedestinatorum vel sanctorum 123; collegialis 125; democratica 126; charismatica 127 341; tripartita 494; monarchica 161-249; militans, purgans, triumphans 149 154s; Hierosolymitana 40 185; primaeva 184; angelorum 1550; Petrina, Paulina, loannea ecclesia III 291; trium ramorum 494.

Ecclesia est articulus fidei III 6; columna et firmamentum veritatis 564-568; corpus Christi mysticum 973-996; quasi altera Christi persona 990; domus filiorum Dei 977 984s 999s; domus Dei Patris 996; templum Spiritus Sancti 996; Mater fidelium 928; motivum credibilitatis I 59s, III 276s; Ecclesia romana est creatrix iuris ecclesiastici III 341.
Ecclesiae anima vel quasi-anima est Spiritus Sanctus III 976 983 985 990-993 1007-1015; animam creatam non habet 1009; corpus et anima j 113-1118; subditi 1019; finis 914-935; institutio 4 117-14); quando instituta 1513s; lex primaria 1285-1303; magisterium 5o3-737; membra 1016-1059; habitudo ad Mariam 1010; membra 1031-1044; natura supernaturalis 927s; ut societatis perfectae et independentis 4 165 927-971; necessitas ad salutem 1089-1112; notae 1211-1275; origo 11 155 158 339; potestas eius dividitur in duo genera, sed realiter et specifice distinguitur triplex 1284 - 1343; proprietates 10 1121-1208.
[Ecclesiae]
Electio Apostolorum III 1001; Summi Pontificis 447.
Encyclica «Humani generis», vide «Humani generis».
Episcopatus origo III 338-342; collegialis 352; romanus 387; romanus S.Petri 433-438.
Episcopi III 335 338-342 371-374; successores Apostolorum 330-355; monarchici 335 344 356-370; titulares et residentiales 542; quinam sint infallibiles 542; concordes sub Romano Pontifice 543; quibus conditionibus detur infallibilitas 544 547; iurisdictionem immediate a Papa accipiunt 374.
Error in fide divina III 887 905; in fide definita 900; in fide catholica 901 905; theologicus 888 905; circa fidem 890 905; circa fidem catholicam 898 905; in doctrina infallibiliter certa 891 905; in doctrina catholica 892s 905; in fide ecclesiastica 899 901.
Eschatologismus in expectatione regni messianici II 409, III 38-41 5293 142 317 343.
Evangelia notio II 247; theoriae et adversarii circa historicitatem 248-258; auctor primi evangelii 259-277; tempus compositionis 252 275s; auctor secundi 278-288; tempus compositionis 285SS; auctor tertii 289-296; tempus compositionis 215 304s; auctor quarti 307-321; tempus compositionis 319s; integritasevangeliorum 322-331; historicitas 332-344 357-301; evangelia synoptica et «quaestio» quam ponunt 345-352.
Evangelium praedicandum primo iudaeis, deinde gentibus III 67; evangelium Hebraeorum 176.

Evolutio naturalis libera III 358-362.
Excommunicatio III 1049; quatenus destruit membrum Ecclesiae 1050 1055SS 1062-1064 1065SS.
Exercitia scholastica I 24s.
«Eximiam tuam», Breve Pii IX de Semirationalistis III 708 743 744 785 861.

Facta dogmatica III 702 718-721; 'doctrinalia sunt obiectum infallibilitatis 718-721.
Fides definitio Vaticani I 5; fides in theologia 3-6; eius regula proxima 6; quomodo est assensus super omnia firmus II 125; manuductio practica ad fidem I 49; fides et voluntas 51; fides Petri III 197s 203 241; sola non sufficit pro membro Ecclesiae 1043.
Fides ecclesiastica III 899SS.
Filius hominis III 52 56; nomen messianicum II 394-399.
Finis Regni Dei III 55-56; Ecclesiae 914-935·
Foedus Novum III 14.
Fontes historici ad probandum factum revelationis II 187-192; et liber secundus per totum; fontes Christiani 191; profani 192; bibliographia generalis 193s.
Fontes revelationis III 769 909; primarius est Traditio 778; distinguuntur a Magisterio 779 805s et notae theologicae 886-905.
«Formengeschichte» methodus II 258. III 168 181-185.
Fundamenta Ecclesiae sunt Apostoli III 255.

Galilaei damnatio III 682s.
«Gemeindetheologie» III 181-185
Genera litteraria in S.Scriptura IV 176 i88s.
Gentilium incorporatio Ecclesiae III 66-67.
Genuinum quid sit II 215; genuinitas auctoris et temporis 215; litteraria Mt 16.16-19 III 173-180: historica Mt 16.16-19 181-185 207; genuinitas Io 21 2I2SS 246.
«Gravissimas inter», Epist. Pii IX [«Gravissimas inter»] de Frohschammer doctrina III 708 "i? 743 744 785 865.

Haereticus III 1047s; non est membrum Ecclesiae 1055 1056SS 1059SS 1065s; propositio haeretica 895SS 905.
Hebraicus textus V.T. II 196-201.
Henoteismus II 13.
Hermeneutica quid et quotuplex IV 192-104.
Heuristica IV 104 226-266; criteria litteraria ad inveniendum sensum S.Scripturae 227 230; criteria dogmatica 231-266.
Hierarchia III i2tss 127 287; eius inaequalitas 122; eius perpetuitas 285 306-310; iuris divini 345 347-355; una an duplex 344.
Historia Apologeticae I 64-86; tractatus de Ecclesia III 16ss.
Historicitas librorum V.T. II 215-219.
Historicum quid sit II 215 333.
Historiographia Iesu II 763-776.
Homo eius autonomia rationis et vitalitas II 66.
Honorii doctrina III 654s 680.
«Humani generis» Encyclica, loca quaedam transcripta I 6ss 21 26 47; II 82 84; III passim praesertim in «Doctrina Ecclesiae»; III 17 171 514 623 668 669 692 700 708 709 717 73' 735 744 756 759 787 805 865 878 1007 1094; IV 112 171 180 188 199 203 232 235.

Iacobus Apostolus, frater Ioannis, eius martyrium II 377; Iacobus minor III 363.
Ierusalem vaticinia de eius destructione II 506-520 527.
Iesus Nazarenus Eius exsistentia historica II 363-382; testimonium de sua messianitate 383-399; iam ab initio vitae publicae 400-405; quo sensu voluit agnosci Messias 406-414; testimonia de sua legatione doctrinali 415-427; affirmavit suam divinitatem 428-446; indoles personalis Iesu est probatio testimonii Eius 447-472; probatio

[Iesus Nazarenus]
ex miraculis 473-499; ex prophetiis a Se emissis 500-534; ex resurrectione 540-571; quatenus ametur modo prorsus admirabili 724SS; et odio habeatur modo singularissimo 727s; quomodo Eius vita contineatur in tractatu de Iesu Legato 763-768; historiographia Iesu 769-776.
Illustratio supernaturalis per se non requiritur ad certo cognoscendum factum revelationis II 183SS.
Imago Christi in vaticiniis V.T. II 573-646.
Immanentia ut methodus apologetica I 81, II 81 132 138-141 149.
Impotentia moralis II 78 82.
Imprecationes in S.Scriptura IV 125.
«In Ecclesia Christus» III 1345.
Indifferentismus I 3, II 26 36 425, III 1007.
«Ineffabilis Deus», Bulla Pii IX de Immaculata III 565 696 760 1010 1056.
Inerrantia S.Scripturae IV 169-174; quid sentiendum de veritate absoluta in Scriptura IV 175-191.
Infallibilitas in magisterio Ecclesiae III 505; eius distinctio a revelatione et inspiratione 506; Apostolorum 255 526SS 537SS; Episcoporum 541-581; Ecclesiae docentis 549; Conciliorum 550 554-559: magisterii ordinarii episcoporum 551s 554-557560-563; componenda cum fallibilitate singulorum 584; cum libertate in consentiendo 584; cum praevia inquisitione veritatis 585; cum impossibilitate obligandi ad actus internos 586; infallibilitas Summi Pontificis 591-656; eius subiectum an unicum 636-644; eius obiectum 685-729; primarium 684-699; secundarium 700-737; eius comparatio cum Ecclesiae infallibilitate 649; duplex modus 645-648.
Infallibiliter certa III 891 905.
Inquisitio in religionem eius obligatio II 35-43.
Inspiratio librorum sacrorum quid
[Inspiratio]
sit et quomodo comprobetur IV 10-12; eius critérium 43-55: eius natura 75-104; reducitur ad donum propheticum 76; differt a revelatione II 58, IV 103; et ab assistentia III 506; eius elementa in homine IV 85-100; eius extensio 105-122; inspiratio verbalis in sensu dictationis mechanicae 128-135; inspiratio verbalis «psychologica» 136-146.
Instituere III 90.
Integrum quid sit II 215; integritas Evangeliorum 322-331.
Intelligentia quid et quotuplex II 457; in Iesu 458-462.
Interpretatio S.Scripturae est obiectum Hermeneuticae IV 192; studet sensui Scripturae 193-225; Tridentinum et Vaticanum de ea 233SS; ius Ecclesiae interpretandi quae non sunt fidei et morum 239-243; auctoritas interpretum 266.
Introductio biblica relatio ad fontes historicos revelationis II 187SS; eius momentum 195; eius bibliographia generalis 193s; introductio in Scripturam IV iss; eius relatio ad theologiam fundamentalem 4.
Ioannes apostolus auctor quarti evangelii II 307-321; eius scientia et veracitas in narrando 360; cf. Presbyter Ioannes.
Iudaicus populus eius sors ut argumentum apologeticum II 520 535-539.
Iudicia credibilitatis et credenditatis sunt de facto supematuralia II 183.
Iudicium finale III 49 52 57.
Ius divinum III 334 342-349; hierarchise 367s; primatus 397s; primatus Sedis Romanae 427.
Iurisdictio quid III 163; quotuplex 463 480; Episcoporum mediata 374 476; Primatus immediata, vere episcopalis ordinaria universalis, suprema plena 459 462-469 475-488; fori interni et externi 1311; sensu generico 1290s 1294 1330 1334 1337 1341s; specifico 1292 1332s 1338 1342s.

Kahal HI 144 148 150.
Kantismi falsa notio de religione II 20s 26; de revelatione 59.
Kepha III 177.
Kerê ketib II 198.
Kerygmatica theologia I 11 19; consideratio S.Scripturae IV 267-294.

Lamentabili», Decret, contra Modernistas III 44 128 392 668 669 673 708 717 743 744 785 865 1179.
Lapis angularis III 205.
Lectio Scripturae regulanda ab Ecclesia IV 284; numquam generatim interdicta 285; interdum restricta 286; ab Ecclesia commendata 287s; modus practicus legendi 289-294.
Legatus quid et quotuplex II 416s; in quo differt legatio a missione 416; lesus dixit se Legatum Dei 416-423; ad omnes homines 424-427; legatus divinus III 89; Christi legatio Ecclesiae commissa 90 132.
«Legem credendi lex statuit supplicandi» III 760.
Leges naturae notio II 162 168; necessitas 167s; conceptus statisticus aliquorum 169; nescimus quousque se protendant leges, sed scimus quousque non se protendant in quibusdam adiunctis 173.
Legio fulminatrix II 697.
Lex credendi legem statuat supplicandi III 760.
Lex successionis iuris divini III 387.
Lex Vetus III 56 58 84-87 111 112; ligurativa et promissiva novae Legis 112; Nova promulgatur 13 56 58 iti 112; Christi Petro concredita 245 409; successionis 387 397 443 449; primaria Ecclesiae 1285-1303.
Liber inspiratus quid sit IV 11-16; num aliquis perire potuerit 56; liber canonicus quid sit 16; historia canonis 57-74; Liber Pontificalis III 360 435s; Liber Sapientiae Salomonis II 82.
Liberalismus religiosus II 28 36.
Liberii subscriptio III 650 680.
Libertas scientiae III 731.
Libri canonici II 191; proto et deuterocanonici IV 57.
Lingua V.T. II 196.
Liturgiae valor theologicus I 17.
Loci theologici I 12ss.
Locutio quid sit et eius conditiones II 53; docens et attestans 54; ex cathedra III 594.
Lucas medicus, auctor tertii evangelii II 289-296; et libri Actuum 297-306 : tacet de promissione primatus III 235.

Magisterium Ecclesiae notio III 503 ; docens et attestans 503 ; authenticum 504; infallibile 505; scriptum, vivum, traditionale 507; est regula fidei proxima 781; critérium primarium Traditionis 815; relatio ad notas theologicas 886-905; eius munus in theologia I 6 15 54; in interpretatione S. Scripturae IV 232-243.
Magisterium authenticum notio III 504; institutio 501-539; exercitium ordinarium et extraordinarium 544 546; Sanctae Sedis mere authenticum 658-676.
Magisterium infallibile a) institutio III 517-525; in Concilio oecumenico 550 554-559 ; extra Concilium 560-563 ; ordinarium quomodo exercetur 583; necessitas 587;
b) Romani Pontificis extraordinarium 594-644; ordinarium 647s;
c) obiectum multiplex 686s; directum 688s; indirectum 690-698; in genere 702; iuxta Vaticanum 703-708; quoad formaliter revelata 709-713 730s; quoad virtualiter revelata 714 717 732-737; quoad facta dogmatica 718-721; quoad decreta disciplinaria 722s; quoad canonizationem Sanctorum 724s; quoad Ordines Religiosos 727SS.
«Magnificate Dominum», Alloc. Pii XII de Sacerdotio et Regimine Ecclesiae III 34 1295 1303.
Marcus discipulus Petri, auctor secundi evangelii II 278-288; tacet de promissione primatus III 235; refert praedicationem S.Petri 235.

Maria Virgo consecratio studiorum ad eam I 3l ; extrema opposita in doctrina Christiana circa eam II 658; eius vaticinium in cantico «Magnificat» II 572; eius habitudo ad Co-pus mysticum III 1010; ut Mediatrix Corredemptrix et Dispensatrix gratiarum est typus, mater et regina Ecclesiae 1010; est velut collum aut cor maternum Ecclesiae 1010.

Martyrium quid sit et eius conditiones II 730-735; quatenus martyrium tot Christianorum sit argumentum apologeticum 729-761.

Masora textus masoreticus II 199s.

Matthaeus apostolus, auctor primi evangelii II 259-277; eius evangelium est fons genuinus in tractatu de Ecclesia III 13SS; de promissione Primatus i8iss.

«Mediator Dei», Encycl. Pii XII de Liturgia III 153 352 760 1305.

Meletiana controversia III 423.

Membra Corporis Christi mystici 998; Ecclesiae 1018-1021 ; sententiae variae theologorum 1024SS 1052SS; sunt omnes et soli valide baptizati 1028SS 1031-1034 1043s; non sunt haeretici nec schismatici formales et manifesti 1056SS 1059SS 1065s; neque excommunicat! excommunione perfecta 1056SS 1062-1064; ratio membri differt a ratione subditi 1065 ; quid requiritur ad eam 1035-1038; non requiritur praedestinatio nec sanctitas 1070-1086.

Messias: significatio vocis II 384; alia nomina Messiae 385 ; proprietates sui regni 386; messianitas Christi 111 185; messianicae potestates 96 110 1304.

Metaphorae primatus III 186-196 233i petrae 189s 201 204s; clavium 191s; ligandi-solvendi 193s.

Methodus discendi in theologia I 22-25; scholastica 24s; positiva 24; methodus immanentiae in apologetica II 81 132; exclusive sumpta nequit admitti 138-141 149; in tractatu de Ecclesia methodus dogmatica III 6 18; apologetica 7; empirica 7ss; illativa 10;

[fMethodii |
historica 11; hintorlrii. |||iillv<| ĸ

Millennarismus 111 314 |f/ M·» 844.

Ministri notio III 922.

Miraculum quid et quotuplrx II 160-164; eius possibilitas 160 169; cognoscibilitas ut critérium revelationis 170-174; est signum naturale revelationis 131; criterium revelationis immediatae 103; primarium revelationis publicae 149-102; miracula adducuntur a lesu, ab Apostolis, ab apologistis in probationem I 65 70; miracula quibus lesus probavit suum testimonium II 473-499; Ecclesia est miraculum morale III 7 1276s.

Mishna II 379.

Missio quid sit in personis divinis II 416; missio immediata Apostolorum III 255.

Modus physicus revelationis II 68.

Monotheismus II 13 18.

«Mortalium animos», Encycl. Pii XI de Oecumenismo 111 17 494946979 1093 1129 1130 1132.

Motivum credibilitatis est Ecclesia pfer se ipsa III 1276s.

Moyses auctor Pentateuchi 11 218.

«Munificentissimus Deus», Bulla Pii XII de Assumptione III 352 552 565 696 760 909.

Munus modo hierarchico collatum III 306-310; delegatum 332s; proprium 333; vicarium 333; ordinarium et extraordinarium 332s; munerum docendi, regendi et sanctificandi finis est salus 924SS; distinctio specifica 1034-1343.

Muratorianum Fragmentum II 292 298 301 303 310 314.

Mutatio extrinseca Dei per revelationem II 68.

Mysteria: notio et divisiones II 9oss; non repugnantia 90-98; utrum a priori demonstrari possit eorum exsistentia 99-102; eorum revelatio non repugnat 103-108; haec probatio est negativa 110; eorum revelatio est simpliciter supernaturalis 101 ; continentur de facto in revelatione m-114; ar-

[Mysteria]
monice connectuntur in unum systema 055.
Mysteria orientalia II83.
«Mystici Corporis» Encyclica, loca quaedam transcripta III passim, praesertim in «Doctrina Ecclesiae» III 17 34 97 128 129 151 152 211 260 284 345 399 478 514 920 927 928 946 972 974 979 98·, 981 985 989 990 992 1006 1007 008 toto 1029 1056 1057 1058 1075 1076 It2g H30 II32 1284 1285 1295 1296 1299 1301 1302 1343 I34S-
Mythus IV 188.

Necessitas moralis conceptus, conditiones, exempla II 78.
Necessitas Ecclesiae ad salutem III 1089; medii 1090-1100 1105-1112; precepti 110t.
Nestoriana controversia III 423.
Noematica IV 194-225.
Nota Ecclesiae quid et quotuplex III 1211-1214; sententiae theologorum de notis T217SS: unitas, catholicitas, apostolicitas. sanctitas sunt notae 1221 ; Ecclesiae Romanae 1222-1241; solius 1241-1263; nota romanitatis 498s; nota petreitatis 499.
Nota theologica III 886.
Novum Foedus a Christo institutum III 86; quo Vetus Foedus substitutum et abrogatum est 84-87; excellentia supra Vetus 87; plenitudo Veteris ms.
Novum Testamentum textus et manuscripta II 220-225; lingua et scriptura 22is; papyri praecipuae 224; codices praecipui 225; versiones 226 - 230; recensiones textus 231-234; historia textus 231-242; editiones 237-243: incorruptio textus 322-331; eius usus in Apologetica III 12; eius relatio ad V.T. 323.

Obelo II 204.
Obiter dicta IV 105; ad illa extenditur inspiratio 106-122.
Obligatio quid sit II 25; obligatio religionis 24-43 ! obligati ad Ecclesiam III 1019.
Oeconomia triplex: Patris V.T., Filii N.T.. Spiritus Sancti III 291.
Ordinum Religiosorum approbatio infallibilis III 706 727SS.
Origenes eius hexapla II 204s.
Oves et agni Christi III 219-224.

Pantheismus non est forma religionis II 12.
Papiae testimonium de evangelio Matthaei II 266-271 273 277; de evangelio Marci 267 282; de evangelio loannis 313.
Parabolae III 13 46 51 52 54 56; parabola boni pastoris 220s.
Parisiensis Biblia II 210.
Parousia Christi III 70-72 73s.
«Pascendi», Encycl. Pii X de Modernistis III 44 181 392 511 708 743 744 785 861 944·
Pascere gregem Christi III 217 224.
Paschalis dies III 359 418 427.
Pastor Bonus in Archaeologia III 244.
Patres Ecclesiae: notio III 817-820; distinguuntur ab aliis 821s; eorum consensus est critérium Traditionis 824s; conditiones consensus 836-841; agnoscitur a Conciliis 827s; sunt testes fidei 830; Doctores authentici 831; eorum consensus in interpretatione Scripturae III 841. IV 250 255; eorum auctoritas in determinando auctore libri sacri 256-259; in determinando genere litterario 26oss; in determinandis locis messianicis 263; eorum verba extollentia valores S.Scripturae 274-278 ; eorum citationes N.T. II 230; Patrum Apostolicorum apologetica I 66.
Paulus Apostolus eius scientia et veracitas II 373; conversio et apparitio lesu 556 560; agnovit primatum Petri 560; III 272-276; etiamsi ei restiterit in faciem III 275s 283s; fuit par reliquis Apostolis 106-109; Apostolus gentium 274s; et iudaeorum 286; personaliter infallibilis 527s.
Peccatum originale quatenus conjectura stabiliatur II 89.

Pelagiana controversia 111 423.
Pentateuchus Samaritanus II 201.
Perennitas Ecclesiae III 39 285-305; ex V.T. probata 313.
Perfectio christiana II 658, III 56-60 1228-1241.
Pesittha versio II 226.
Petrus comparatur Moysi a S.Augustino III 232; et in archaeologia 244s; ut Pastor 245; ut primas est superior Apostolorum 250-284; eius primatus 161-249; potestates extraordinariae 458; eius Romanus Episcopatus 433-438; eius martyrium Romae 429-432; petrinismus 258.
Polyglottae II 211 237s.
Polytheismus II 13 16.
Portae inferi III 303.
Possibilitas eius species II 62; possibilitas moralis 63.
Potestas III 119; propria et vicaria 252s; delegata 252 254; ordinaria et extraordinaria 254SS; triplex 121; docendi, regendi et sanctificandi 119; potestas auctoritatis et excellentiae in Christo 96 ito 1304; potestas universalis Apostolorum 255 277SS; potestas Ecclesiae legislative 940 952-956 963s; iudiciaria 940 952-956 965; coercitiva 940 952-956 966-971; potestas Ecclesiae est realiter et specifice triplex 1304-1327; doctrina Concilii Vaticani 1328-1343; potestates extraordinariae Apostolorum 382; Petri 458.
Potior principalitas romana III 41 os.
Praedestinatio non requiritur ad membrum Ecclesiae constituendum III 1070-1086.
Praeambula fidei I 44s, III 701 716s 730 91 is.
Praescriptionis argumentum III 803s.
Praxis apologetica I 49, II 159.
Preces pro studiis ditatae indulgentiis I 31.
«Presbyter loannes» probabilius est Apostolus loannes II 270s 321.
Presbyteri III 339s 368 371-374.
Primatus III 163SS: a) natura [Primatus] 311; vis et ratio 278s; universalitas 311; superioritas 459 468s 478 485; perennitas 285 3ns; finis 312;
b) promittitur et confertur Petro 161-249; sub triplici metaphora significatur 186-206; in officio pascendi universum gregem Christi includitur 208-249; agnoscitur a SS.Patribus 226-243;
c) confertur Romano Pontifici 400-427; probatur independenter a romano Petri episcopatu 428; connexio primatus cum Sede Romana 431-447.
Priscilliana controversia 111 424 427.
Probabilismus in quibus liceat vel non liceat eum adhibere II 42.
Progressus dogmaticus III 755; quotuplex 756; in Magisterii propositione 757; in intelligentia credentium 758; eius causae 759; occasio 760.
Procathemene tes agapes III 403-409.
Prologi monarchiani 11 280 291 312.
Propagatio religionis christianae ut argumentum apologeticum II 689-710.
Prophetia quid et quotuplex II 175SS; possibilitas et cognoscibilitas ut critérium revelationis 175-182; eius relatio ad revelationem 58; cur de prophetiis non fit mentio in canone Concilii Vaticani 502; prophetiae Iesus in probationem sui testimonii 500-534.
Propositiones earum valor et censura III 886-905; lansenii 719.
Proprietas Ecclesiae quid et quotuplex III 1121 1151; unicitas 1122 1124-1127 1129 1131-1135 ii39-1142; visibilitas formalis et distincta 1123s 1128 1130SS 11365s 1143-1147; unitas iuris et facti 1154-1162 1193-1197; catholicitas simultanea, perpetua, moralis 1163-1175 ii98SS; apostolicitas successionis formalis 1176-1181 120ISS; apostolicitas successionis materialis 1220 1226s; sanctitas

[Proprietas Ecclesiae)
ontologica 1182s; moralis, perfecta, heroica 1182-1192 1204-1208.

Qualificationes theologicae III 886; earum valor paédagogicus II 37; explicatio praevia aliquarum 65; ampla explicatio III 884-912.

Rebaptisma haereticorum III 410 427 620.
Recensio Alcuini II 208; Theodulphi 209.
Regnum III 31 37 44; regnum messianicum 12 61 154; eius proprietates II 386; interpretationes tempore Christi 406-410; regnum Dei III 37 154; praedicatum populo Israel 13; constitutum forma sociali in Ecclesia 14; plenitudine potestatis auctum 15; universale 38SS 47-51; eschatologicum 38s 41 52; in terris 38s 53s 299; internum et spirituale 38s 42s 55-59 8iss; externum et visibile 38s 6tss; regnum caelorum 37 188.
Regula fidei III 780s 787 806.
Religio notio etymologica II 3s; notio philosophica 5; divisio 6ss; elementa essentialia 10s; religio ut virtus 6; naturalis et positiva 7 9; notio historica 12-18; obiectivitas huius notionis 14s; conclusiones ex studio historico comparativo 18; explicationes facti religiosi 17; studium religionis via psychologica 19; falsae notiones de religione 20-23; necessitas et obligatio religionis 24-43; religio revelata III 3; religionis positivae obligatio II 34; obligatio inquirendi 35-43; religio catholica facile apparet sub specie veri 35.
Resurrectio quid et quotuplex II 553; resurrectio lesu ut argumentum apologeticum 540-571.
Revelatio quid et quotuplex II 45-49 5l-58. III 740; falsae notiones II 59ss; causa efficiens 48; possibilitas 62-68; convenientia et utilitas 69-75; necessitas moralis 76-89; quatenus concordet cum aliis veritatibus 89; revelatio publica et privata 56; triplex stadium re-

[RevelatioJ
velationis publicae 186; completa est cum Apostolis III 741-753; revelatio privata et progressus dogmaticus 761; quatenus revelationes privatae approbentur et credi possint II 56; revelationis fons primarius est Traditio III 778 789-796; revelatio distinguitur ab assistentia Spiritus Sancti 506; duplex tantum est revelationis fons, Scriptura et Traditio 767-804; uterque probe a Magisterio distinguitur 805.
Romana commoratio S.Petri III 429-432.
Romanus Pontifex eius notio III 593; primatus 383-458; definitio ex cathedra 594; eius infallibilitas describitur 595; a pluribus impugnata 596SS; proponitur in Vaticano 599ss; probatur 60^-635; quotupliciter exercita 645-648; eius possibilis haeresis personalis 447 596 657; eius potestas universalis, ordinaria, vere episcopalis, suprema et plena 460-484; eius iudicio aliud in terris superius non est 485.

Sacramentum naturae II 89.
Salus supernaturalis est finis Ecclesiae III 914-935.
Sancta Sedes quid III 660.
Sanctificatio est finis Ecclesiae III 914-935.
Sanctitas quomodo constet positive et negative II 465-468; cur sit miraculum morale in lesu 465-470; sanctitas ex doctrina lesu quomodo valeat pro argumento apologetico 669-688; est proprietas Ecclesiae III 1182-1192 1204-1208; est nota Ecclesiae Romanae 1228-1240; eiusque solius 1254-1263; non requiritur ad membrum Ecclesiae constituendum 1070-1086.
Sapientia I t8; est Theologia 29s.
«Sapientiae Christianae», Encycl. Leonis XIII: III 352 399 513 692 886 928 946.
«Satis cognitum» Encyclica, loca quaedam transcripta III passim, praesertim in «Doctrina Eccle-

(«Satis cognitum»]
siae» III u 17 33 48 97 128 129 136 163 171 211 260 268 294 305 3'2 345 399 47& 478 5'3 607 920 927 946 974 1006 1129 '13° 1132 "33 "35 '295 1296 1298 1301 1303 '343 '345·
Schisma Occidentale 111 471 1278-1283; non fuit verum schisma 1066 128t.
Schismaticus 111 1048; non est membrum Ecclesiae 1055 1056SS 1059-1061 1065SS.
Schola liberalis quoad evangelia II 255 260; largior circa inerrantiam S.Scripturae IV 175s; scholae theologicae III 856 866; iusta libertas et honesta aemulatio in opinando eis concessae 88is.
Scientia humana perficitur per revelationem II 73ss; triplex scientia in Christo 43.
Scriptores christiani et ecclesiastici III 821.
Scriptura est fons revelationis 111 768s 778-781 797-802; eius tractatio dogmatica fundamentalis IV 4s; eius praestantia 6ss; eius lectio 284-294.
Secretarii hagiographi IV 100 146.
Sede vacante III 448.
«Sempiternus Rex», Encycl. Pii XII de Chalcedonensi Concilio III 458 631 1007 1093.
Sensus S.Scripturae quid et quotuplex IV 193 195-198; datur sensus litteralis 199-203; unicus 204-209; et typicus 210-216; huius vis probativa 217; sensus plenior 94 2i8ss; sensus consequens 221; sensus accommodatus 222; sensus «quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia» quomodo dignoscatur 244-266.
Sentimentum in notione modernistica religionis II 60s.
Sermo montanus III 52; sermonum collectiones in evangelio S.Matthaei II 274.
Servus lahveh vaticinia de eo II 619-625.
«Si diligis», Alloc. Pii XII de Magisterio III 34 345 5'4 54' '295 '3°3-
Silentium obsequiosum III praxis, oris, mentis 666 676 720.
Sindo Taurinensis II 464.
Societas III 120; ecclesiastica, democratica, hierarchica, monarchica 12is.
«Sollemnis conventus», Sermo Pii XII ad clericos studiis vacantibus in Urbe III 866 878 879 882.
Spiritus Sanctüs est quasi-anima Ecclesiae III 976 983 985 990-993 1007-1015.
Stabilitas religionis christianae pro argumento apologetico II 711-728.
Status triplex naturae II 89; status Clericorum saecularium et Religiosorum probat sanctitatem Ecclesiae III 1236-1240.
«Studiorum ducem», Encycl. Pii XI de S.Thoma III 759 866 876 877 882.
Successio III 334; ab Apostolis 347:355: 305-37°; in Primatu 386SS 395SS 400SS; successionis lex et conditio 387; successio romana iure divino, ecclesiastico et mixto 440-446; successio formalis et materialis 334 1178 1227.
Suggestio quatenus valeat ad sanandum II 492 498.
Supernaturale quid et quotuplex II 50s; supernaturalitas revelationis 52 56s.
Syllogistica forma I 24.
Symbolismus in evangelio loannis II 361.
Symmachus eius versio V.T. II 203SS.
Synagoga III 144s 147.
Synoptica quaestio II 345-352.

Talmud, talmudistae II 379 449 474 48.3 644.
Temeraria et falsa propositio III 904s.
Tenenda doctrina III 909-13.
Testimonium a) lesu Nazareni comprobatur aliis etiam criteriis: ex interna excellentia doctrinae II 647-668; ex fructibus sanctitatis inde dimanantibus 669-688; ex propagatione mirabili doctrinae 689-710; ex stabilitate religionis christianae in ca-

[Testimonium]
tholica unitate 711-728; ex martyrio tot Christianorum 729-761; b) Spiritus Sancti non est primarium revelationis critérium II 134-137.
Testis revelationis III 748SS.
Textus Hebraicus V.T. quatenus sit authenticus IV 168; graecus N.T. quatenus sit authenticus 167; receptus N.T. II 236s.
Themelion III 190 201 205 239.
Theodotio eius versio V.T. II 203s.
Theologia a) introductio generalis I 1-37; theologia ut scientia 1; obiectum theologiae is; theologia et fides 3-6; eius principia obiectiva et principium subiectivum 3s; theologia et progressus 20; 'et novitas 21 ; et vita sacerdotalis 26-31; et contemplatio 27; recta intentio in eius studio 28; b) theologiae positivae munus I 7 9; scholasticae praestantia 7-10; defensio ab impugnationibus 8; theologia scholastica III 859 861; daicalis» III 514; practica I 18; c)theologiae fundamentalis prolegomena I 38-61; proportio ad reliquam theologiam 58; bibliographia specialis 62s; d)theologiae dogmaticae munus 1 18; fundamentum III 6; principia ex fide I 55; divisio et tractatus 61.
Theologi notio III 847 849 857; quinam sint 848 850-856; compilatores 850; scholastici 851s; theologus ut testis Iesu'1 31.
Theologice certum II 123, III 888 905.
Theoria fraudis quoad evangelia II 250; naturalistica (Gottlob Paulus) 251; mythica (Strauss) 252; interpolationis III 167; interpretationis 169; idealizationis 168 181-185; theoria trium ramorum 494; historico-formalis . (formgeschichte) 168 181-185.
S.Thomae auctoritas in theologia III 871; intrinseca 872; extrinseca 873; canonica 874-878; quid [S. Thomae] importat 879s; quatenus obliget 88iss; commendationes suae doctrinae I 23; eius apologetica 72.
Tituli evangeliorum pro genuinitate eorum II 272.
Tomus Damasi III 624.
Tractatus de Ecclesia praesuppositio III tss; methodus 5-11; fontes 12; historia i6ss; bibliographia 19-28; partitio 34; recapitulatio 1285-1327.
Tractoria Zosimi III 624.
Traditio quid III 769s; quotuplex 771 774-777; natura 772s; organa traditionis 775; monumenta eiusdem 777; fons revelationis primarius 778 789-796; comparatur cum S.Scriptura et cum Magisterio 779 781 ; in Tridentino et in Vaticano 786SS; antecellit Scripturam 797-802; eius argumentum 8p3s; eius praecipua criteria sunt consensus Patrum 813-844; et consensus theologorum 845-870.
Tria Capitula 111 651SS 680.
Triplex Ecclesia; petrina, paulina, ioannea 111 291; triplex Ecclesiae potestas 34 117-136 1304->327-
«Tuas libenter», Epist. Pii IX ad theologos III 551 669 673 861 895.
Tubigensis schola critica II 253. 111 258.
Typus, sensus typicus IV 115 210; ope traditionis a Magisterio declarandus III 801.

Unam Sanctam», Bulla Bonifacii VIII de Ecclesiae potestate et unitate III 945 979 982 1094 1129 1132 1152.
Unicitas est proprietas Ecclesiae III 1122 1124-1127 1129 1131->1.35 1139-1142.
Unitas est proprietas Ecclesiae III 1154-1162 1193-1197; est nota Ecclesiae Romanae 1222s; eiusque solius 1242-1246; unitatem obscuravit sed non destruxit schisma Occidentale 1278-1283.

Valor theologicus thesium III 6; propositionum 886-905.
Valores S.Scripturae IV 267-204; litterarii 268s; supernaturales 270.
Vaticinia V.T. ad probandam legationem lesu II 572-646.
Verbum Dei scriptum et traditum III 779s 805s; in sententiis Scripturae IV 123s.
Veritas historica, philosophica et relativa miraculorum II 170.
Versiones S.Scripturae quomodo in his cadat inspiratio IV 106s; versio LXX: II 202; quatenus sit authentica IV 166; versiones lalinae II 227s, vide Vulgata; versiones syriacae N.T. 226; aliae versiones 229.
Vespasianus: miracula quae de eo feruntur II 488 497.
Vestales virgines II 688.
Vetus Testamentum III 144s 150 154; eius usus in Apologetica 12; eius abrogatio 84-87; annuntiat [Vetus Testamentum] regnum Dei 47s; est ligurativum et promissivum Novi Testamenti ms; est substitutum a N.T. 84-87.
Vicarius Christi III 211 216 230 245 249-284 386 434 478 483s·
Vigilii Constitutum III 615s 680.
Vigilii iudicatum duplex III 651SS.
Virginitas apud Christianos II 681 687s.
Virtutes peculiares Christianorum II 678-682.
Visibilitas est proprietas Ecclesiae III 1123s 1128 1130SS 1136SS 1143-1147.
Visio intuitiva est mensura rei simpliciter supernaturalis II 51: discrimen a revelatione 58.
Voluntas Dei salvifica II 89.
Vulgata versio II 205-214; Vulgata N.T. 228; eius authentia II 212s 331; III 681; IV 148-165; eius divisio in càpita et versus III 13.

EDITIO TERTIA HUIUS VOLUMINIS, PRIMI
IN COLLECTIONE «SACRAE THEOLOGIAE
SUMMA», SUMPTIBUS «BIBLIOTECA DE
AUTORES CRISTIANOS» AC TYPIS
«LA EDITORIAL CATÔLICA», FE-
LICITER, DEO DANTE, EX-
PLICIT DIE 28 AUGUSTI,
IN FESTO S. AUGUSTI-
NI. ANNO MCMLV

LAUS DEO VIRGINIQUE MATRI